UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate, Speciatim

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

urn:nbn:de:hbz:466:1-79645

Visual Library

Th. 603a.

D. V. Kq.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AEGIDIVS
DE CONINCK
BELLANVS
DE
ACTIBVS
SVPERNATVRALIBVS
IN GENERE.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



DE
MORALITATE, NATVRA,
ET EFFECTIBVS
ACTVVM SVPERNATVRALIVM
IN GENERE
ET
FIDE, SPE, AC CHARITATE,
SPECIATIM.

Libri quatuor.

Auctore ÆGIDIO DE CONINCK
siue REGIO *Bellano, è Soc.* IESV,
in Academia Louaniensi
S. Theol. Professore.

ANTVERPIÆ
Ex officina MARTINI NVTII
ANNO M. DC. XXIII.

Liber Collegij Soc. Jesu Paderb.
Anno 1624

Cum priuilegio

REIPVBLICÆ BELLANÆ EIVSQVE TERRITORIO.

PRæclarus ille vester, æternaque memoria dignus, Viri nobilitate, rebus gestis, prudentiaq; spectatissimi, Reipub. ac Territorij Bellani moderatores, in disciplinas liberales, veram pietatem & Iesu Societatem affectus, iam pridem ob animum mihi bonisque omnibus obuersatus, non potest non à fideli ciue & patriæ suæ perstudioso, publicum aliquod exigere acroama. Quare cùm, Maiorum imperio, istos de Actibus Supernaturalibus libros in lucem edo, non est quòd dubitem Nomini illos vestro laudique dedicatos, tamquam ęternum meritorum omnium consecrare monumentum. Fuit quidem Vobis, perantiquum, sibique semper constans, & à multis iam olim laudatum, virtutis & eruditionis studium: sed nouo etiamnum & illustri adeò comprobatum argumento, vt vel nunc primùm videri possit toti orbi claruisse. Quippe ne Bellæ vestræ (quæ vt nomine, ita re Belgiolum est) ornamentum aliquod præsidiumque deesset Belgij; Societatem Iesu, in puerorum ac rudium institutionem, & animarum omnium curam perfectionemque, summo conatu & diligentia, toto passim orbe, incumbentem, magno studio, labore ac impendio in ditionem vrbemque vestram acciuistis; à qua & pueris in virtute moribusque instructio, & adolescentibus in solida pietate probitateque progressio, & iuuenibus in fide & virtute constantia, & viris matura sanctaque perfectio, omnis denique ætatis, sexus, conditionis hominibus ingens animæ bonum, atque æterna demum felicitas, lectionibus, catechismis, Sodalitatibus, priuatis monitis, publicis exhortationibus, Confessionis & Eucharistiæ administratis ritè Sacramentis, quotidie peteretur, acciperetur. à qua paupers iuxtà ac diuites sibi præsidium, ignari documentum, dubij consilium, docti consortium, afflicti solatium, ægri remedium, moribundi vltimum vtillimúmque, quà die, quà nocte obtinerent obsequium. Quod dum iterum iterumque, vt gratissimum & præclarissimum est, mecum ipse perpendo, & læta memoria recolo; nescio quid operâ industriâque vestrâ, calamitosis hisce

& deprauatis temporibus, aut Reipublicæ melius, aut optimis ciuibus iucundius, aut optimorum ciuium optimis liberis vtilius, aut vobis etiam ad honorem æternamque laudem præstabilius fieri potuisset. Nec est quòd minùs sibi vicissim gratuletur, Vobisque gratias, quà potest, habeat referatque Societas, fauore ac labore vestro, Viri amplissimi, tam insignem nacta industriæ suæ exercendæ campum, vrbem inquam ditionemque vestram non tam optimarum frugum quàm præclarorum ingeniorum feracissimam: tum & illustre adeò virtutis suæ & æstimationis testimonium, dum tanto eam studio aduocastis, aduocatam ciuitate donastis, fundis & vectigalibus dotastis, scholis publicis ornastis, nouisque indies & magnis beneficijs cumulastis. Agite porrò, vt cœpistis, solito amore & beneuolentia, quam in fidem tutelamque vestram accepistis, prosequimini, præstate ea Reipublicæ vestræ commoda & ornamenta, quæ ciuibus bono & gaudio, vicinis vrbibus æmulationi, Flandriæ laudi, Belgio honori, totique orbi futura sint admirationi. Numquam sanè committet Societas, vt consilij, laboris ac impendij Vos pœniteat: operam dabit vt liberi vestri id domi gratis & compendio accipiant, quod olim foris magno sumtu & dispendio quæritabant: vt Respublica vestra & fide diuina vigeat, & spe floreat, & caritate succrescat: denique eum conferet Bellæ vestræ splendorem, vt quæ loci amœnitate, terræ fœcunditate, auræ salubritate, magnorum virorum natiuitate, maiorum nobilitate iam olim pulcra fuit & bella; nunc studijs etiam cultisque domi moribus, omnique demum virtute dici possit bellissima. Ita DD. VV. totique Reipublicæ & suauissimæ patriæ precor apprecor. Louanij die 15. Maij anno 1623.

ILLVSTR. D. D. VESTRARVM

Humilis in Christo seruus
Ægidius de Coninck.

BENEVOLO LECTORI.

SCripturus de Virtutibus Theologicis cœpi mecum attentiùs cogitare, qua hîc methodo commodißimè vterer. Et cùm varios, qui de eis noſtro æuo ſcripſerunt Auctores peruoluerem, aduerti eos diſputationes omnino ſimiles ſæpiùs repetendo per ambages ſequi, quæ compendio poterant aſſequi. Exemplo ſit, dum de fide diſputant: inquirunt An actus eius ſit ſupernaturalis? an in ſolo modo? aut etiam in ſubſtantia? An circà idem obiectum formale cum actu naturali verſari poßit? An aliquem in nobis habitum gignat? An hunc ſolum diuinitus accipiamus infuſum? Aliaq; ſimilia, quæ eadem, dum aut ſpem aut caritatem explicant, repetunt. Vt igitur hæc, quæ mihi videbantur incommoda, effugerem ſtatui primò diſputare de his, quæ tribus his virtutibus, atque adeò omnibus actibus ſupernaturalibus ſunt communia: ac deinde ad ea, quæ ſingulis ſunt præcipua, gradum facere. In quatuor ergo libros hoc opus diuiſi. Primo, generatim de Natura actuum ſupernaturalium: Secundo, de Fide: Tertio, de Spe: Quarto, de Caritate diſſero. Rurſum cùm actus naturalis & ſupernaturalis in hoc conueniant, quòd vterque poßit eſſe humanus, moralis, liber, bonus; exponendum mihi putaui in quibus hæc conſiſtant, vt quantum id poteram aſſequi, actuum ſupernaturalium naturam perfectè explicatam darem. Actionum malitiam, cùm ab hac ſupernaturales penitus ſint immunes, ſolùm obiter data occaſione attigi. Ob eandem rationem de illorum cauſis & effectibus, tam phyſicis, quàm moralibus diſputo; quamuis de illis minùs fortè plenè, quàm pro materiæ exigentia: quia à diſputatione de gratia, quæ præcipua eorum eſt cauſa, quantum vlla ratione potui, toto hoc opere varias ob cauſas abſtinui. Finem his iam impoſuiſſem, niſi quorumdam interrogationi putaſſem occurrendum. Cur ſcilicet aliorum ſecutus exemplum, nihil in ſecundo libro dicam de numero ac auctoritate librorum Canonicorum, de fide habenda Traditionibus ac Conciliis, aliiſq; ſimilibus, quæ apud alios in tractatu de fide magnam partem obtinent. Quibus paucis reſpondeo, mihi iam pridem fuiſſe perſuaſum, has difficultates iam nec breuiter pro dignitate, nec paucis eo fructu, qui operæ ſit pretium, explicari libris excuſis poſſe. Cùm enim de iis tam ab aduerſariis, quàm à noſtris, & ingentia & plurima conſcripta ſint volumina, & conſequenter innumeræ propè ab vtraque parte pro ſua ſententia allatæ ſint rationes, & ad has reſponſiones; harum omnium explicationem paucis conari complecti, eſt velle oceanum vaſe concludere. Seligere paucas, quas pro te afferas, aut quibus reſpondeas, eſt opus imperfectum dare,

& calumniandi occasionem, quærentibus hanc obijcere, te scilicet ideo eorum argumenta omisisse, quia iis respondere non poteras. Sin autem omnia velis prosequi, immensùm crescet opus, & quod vnius libri iustam magnitudinem excedat. His adde, grandibus illis voluminibus exiguo emolumento contra hæreticos agi, vt quæ sæpè magis bibliothecis ornandis, quàm lectorum vtilitati seruiant. Nam ea Catholici non nisi pauci, & ferè qui eorum doctrina minùs indigent, euoluent: ex hæreticis verò soli illi, qui in ijs quærant, aut quod carpant, aut quo suos errores confirment: ea enim illi soli aspicient, qui verbi Ministri audire cupiunt, quibus non est propositum veritatem quærere, sed nostra oppugnare, & sua plausibiliter auditoribus venditare. Quare vtiliter controuersias de fide tractare volentibus putarem paruos libellos conscribendos de ea materia, eaq; ratione vt à populo facilè possint & comparari, & legi, & intelligi: & hoc maximè semper vrgeri, quis controuersiarum eiusmodi debeat statui iudex, à quo prouocare non liceat, & cuius de re, quæ in dubium vocatur, sententia ab omnibus clarè possit cognosci. quo semel habito facile erit aduersarios certis cancellis conclusos constringere: qui si abfuerit, quacumque ratione eos prehenderis, instar anguillæ lubrici ex omnibus rationum laqueis erepent: aut verbosa declamatione omnem turbantes disputationis ordinem, tamquam sepia effusa caligine se inuoluent. Ideóque hoc vnum argumentum præcipuè contra eos in hoc opere tractandum duxi, quod disput. 12. quantum potui, clarè, & vt à rudioribus etiam possit capi, confeci. Hæc habui, amice Lector, quorum circa hunc nostrum laborem ac institutum te monendum putaui. Quo vt tuo bono perfruaris, opto.

IN

IN LIBRVM
R.P. ÆGIDII DE CONINCK
BELLANI.

VNde Bellvs hic, elegante curâ,
Et doctâ liber expolitus arte,
Cui Dia Euphrosyne suum, suumque
Cælestis decus addidit Sophia?
Quamquam nec minio coruscet index;
Nec pingui illita cedriâ papyrus
Æui obliuia, pessimasque blattas,
Fatis rideat & rogo superstes;
Nec strictæ niueo hinc & inde cornu
Frontes pumice Scyrio nitescant.
Iste nam pretium fauoris esse
Ornatus leuibus solet libellis.
Ast huic Euphrosyne suum, suumque
Cælestis decus addidit Sophia.
Quæ sacrum Attica, quæ Stagira pignus,
Clara Aristotelis Stagira cunis,
An Batti domus, an dedit Phalanti?
Agnosco genium fauentis auræ,
Imbre nectareo fluentis auræ,
Diuûm munera depluentis auræ.
Non hunc Attica, non Stagira misit,
Non Batti domus, aut domus Phalanti.
Non, vt Iliados sacræ parentem,
In septem labor obstinatus vrbes
Hunc per iurgia longa partietur.
Nam magnum licet Argos, aut beata
Optet Smyrna suum, Rhodosque dici;
Non tantum tamen ausit arrogare.
Alumnum sibi Bella vindicabit,
Bella Sicelidumque, Palladosque,
Bacchique, Cereris que Bella bellum,
(Ne Campania sola, fertilisue
Lites Attica nouerit Deorum)
Bella Naïadúmque, Oreadúmque,
Pomonæ, Satyrique Bella bellum,
Floræque, Charitúmque Bella bellum.
Bella te tua, Bella te Coninge
Doctis Bella suum imputat Levacis.
Hæc te, quæ modò grandibus cothurnis
Terris altior, arduæque mentis
Acri sidera permeans volatu,
Diuorum sacra, fontibus negata,

Cor-

Cortinis sacra condita æuiternis,
Naturâ ingenij stupente fœtum,
E sublimibus eruis tenebris,
Te tua erudijt, CONINGE, *Bella;*
Te, quæ CREDERE, *quæque* AMARE *monstras,*
Quæ SPERARE, CONINGE, *quæ cauere,*
Quot demum sacra lucubrationes
In lucem dare iusserit Sophia,
Te tua erudijt, CONINGE, BELLA.
Nec vis abnuere, aut potes CONINGE.
Bellæ candor hic, ingeníque vis est,
Quæ viuæ nihil indigens lucernæ,
Lituræ nihil, indigensúe limæ,
Mutuo sale condiunt volumen.
Certat gratia. BELLA *das alumno,*
Alumnus tibi quod decus refundit.
BELLA *sic dare perge sic alumnis,*
Alumni tibi quod decus refundant.

AD BELLAM AVTHORIS PATRIAM
Ode.

Qvalis remoto celsus in æthere,
Vltrice vindex nube Diespiter
Terras nefásque cùm solutis
Hydrochoi ruit omne claustris,
Vnus sacratæ Phocidos, impiæ
Immunis undæ duplice mons iugo,
Quo Pyrrha staret saxeique
Deucalion generis propago:
Sic pulsa vastis DIVA *penatibus*
Sæuo potentum Marte Quiritium
Dum victor ambit Cæsar, orbem
Ausonijs Aquilis maritans,
Victrix in arctum BELGICA *constitit*
Collecta pugnum, qua viget aureo
Ter bella BELLA *nata cælo,*
**BELGIOLVM patiens vocari.*
Ad prima fausti murmura Nominis
Plausere Diui, non aliter Poli
Contracta quàm dum fraude doctâ
Astra breui stupuere vitro,
Citósque paruum tramite non suo
Solem iugales flectere, & imparem
Crystallino Phœben flagello
Artifices agitare bigas.
Nec læta deérant fatidici Iouis
Oracla, certo carmine posthumis

*Bellaolim dicta Belgiolum, quod vnicũ contra Cæsarem Belgarum perfugium. Grammay in Vrbib. Flandr.

Cantata

Cantata ſeclis, nec perennans
BELGIOLO decus omne BELGI.
Teſtis tuarum Luius vrbium
a *METERE; & orbis Pindarus Attici*
Ac Sequanæ ſtupor b *STRALESI;*
Túque Themis moderator almæ
Miti refringens ſæuitiem c *ROSA;*
Curſúque d *BOLLI nobilis Indico;*
Et e *TORREORVM docta longis*
Geſta Trium memoranda faſtis.
Et tu vetuſtæ gloria Curiæ,
f *GVILELME Flandris Conſus; & inclytæ*
g *IVDOCE ſidus Calatrauæ,*
Heſperij columénque regni.
Aſt h *NERVIÆ non immemor INFVLÆ,*
ÆGIS loquaci Gorgone, præuiam
Secuta cum Diuis Mineruam,
ÆGIDIVM, ÆGIDIVM reclamet!
Feſtâ Cytheron voce reciprocat,
MAGNVMque plectris ÆGIDIVM ſonant
Cum Gratijs chorus Dearum
Sicelidum numeroſiorum.
Quid BELLA ceſſas? Solue ſilentium,
Et INQVILINVM pectine Delio
PHOEBVM, eruditámque Enthearum
Hanc CHARITVM venerare TRIGAM;
Quâ vectus arces ſiderias, nouo
Coruſcus igni trans volat, & ſuper
Molitur audax irreperti
ÆGIDIVS noua ſigna curſus:
Quò nec Prometheus, nec vagus Hercules,
Nec ipſe ſuluam Iuppiter orbitam,
Sedéſque Saturni peroſus,
Tentet iter Superis negatum.
Hac ſcande felix, quà TVVS inuium
Te BELLA PHOEBVS tollet in æthera,
Polóſque præterfecta, terris
BELGIOLVM renues vocari.

a IAC. MEYER. Hiſtor. Fland.
b ROBERT. STRALEN, Græc. litter. Profeſſ. Pariſijs.
c FRANC. ROSE, Mag. Libell. & Conſil. Parlam. Mechlin.
d PET. BOLL. Soc. Ieſu à Greg. XIII. in Indias miſſus.
e FRANCIS. IOAN. PHILIP. VAND. TORRE variè docti.
f GVILIEL. CORENHVYSE Eques & Præſes Concil. Flandriæ.
g IVDOC. CORTEVVILLE Equ. Ord. Calatr. à ſecret. Conc. Stat. & ſecr. Philip. II. & Graphiar. Ord. aur. veller.
h PET. PONTAFLOVRIVS Epiſc. Tornac.

REVE-

REVERENDO PATRI

ÆGIDIO DE CONINCK

ΥΠΕΡΦΥΣΙΚΑΝΑΚΤΙ.

TErra vale, ſuper aſtra feror, feror alite fauſto,
Hic calor affectat ſidera, Terra vale.
Nec timeo, Icario ne dem noua nomina ponto,
Aut Phaëtontæis, fabula, condar aquis.
Haud mea Dædaleâ nituntur brachia cerâ,
Sed curru, ſolui non metuente, vehor.
ÆGIDIVS mihi Martis equi, Cybeléſue leones,
Hoc duce diuinum ſollicitamus iter.
Abripior: quò me, quonam rapit auius ardor?
Vix oculi quidquam quod tueantur, habent.
Subſidunt turres, & mergi tecta videntur,
Jnque ſuas valles mons fugitiuus abit.
Magnifici reges, qui plebem vertice ſupra,
Sunt mihi, Myrmidonum quod fuit antè cohors.
Et nebulæ & circumfuſus frontem occulit imber,
Iam pluuiæ, inuadunt ora loquentis, aquæ.
Fallor, an excuſſa micuit face proximus æther?
Sentio, vicino feruet ab igne caput.
O bene, tranſcendi: iam Phœbo iungimus ora,
Signáque, quæ numero ſunt duodena, patent.
Blanditur nitido Taurúſque & Scorpius aſtro,
Sit licet hic caudâ, cornibus ille minax.
Hac cupiet, credo, cæli regione morari,
Si quis apud Geminos tertius eſſe volet.
Sed procul à nobis rota, quam violaſſe Prometheus
Fingitur, & patrijs qui iacet vſtus equis.
Altiùs, altiùs, ÆGIDIVS rapit, altiùs vrget,
Jn loca mortali non adeunda pede.
Da veniam Natura, & quæ rerum vltima meta,
Hîc quoque tu nullum, Termine, Numen eris.
O vbi ſum? mens excidit: ambiguo pede nuto:
Parcite, ſi rebus diſſona verba loquor.
Circùm vlulat dolor excruciabilibus lamentis:
Vltimus à terris redditur ille ſonus.
Panchæis liquidus perflatur odoribus æther:
Hos pia thuricremis miſit acerra focis.
Fulmineaque Preces, & vim facientia Vota
A Superis pacem, iuſta per arma, petunt:
Hic clamor: Ianus (qui nempe Patulcius audit)
Clauigerâ reſeret Belgica templa manu.
Et propè conſpicio de gemmis condita tecta:

Eſt,

Est, non nota priùs, Numinis illa domus.
Materies operis loquitur: ne plura requiras,
Quæ me spectabat porta, smaragdus erat.
Hic mihi tres visæ nymphæ, quæ prima, vocatur,
Orta quòd à prisco tempore, CANA FIDES.
Altera, SPES, *ægris mortalibus vna medela,*
Quæ miseris, melius pòst fore, semper ait.
Tertia, re magis est, quàm nomine, cognita virgo:
Solaque, quò reliquis non licet, ire potest.
Laxantur valuæ: quid erit? Diua illa subintrat,
Quæ, quòd amet, vultu dissimulare nequit.
Paulisper tacuit: mox vt data copia, cœpit,
Antè genu Numen deuenerata, loqui.
AEGIDIVS, vox prima fuit; vox vltima, BELLA:
Cætera, pro patria, verba precantis erant.
Finierat: simul hoc, cui pangit Musa, Volumen
Leniter erectâ tollere visa manu.
Dignus hic est, Superi, duplici Liber illitus auro,
Circùm ederæ & laurus, viuaque cedrus, eant.
Annuit is, cuius digitis mortalia pendent,
Signaque diuino plena fauore dedit.
Subsequitur chorus, ante alios acclamat AQVINAS:
Aurato resonat fornice GRANDE SOPHOS.
Murmur erat, quo non audiuit Achaïa maius
Cùm caueæ strepitus mors tua, corue, fuit.
BELLA ô, BELLA, nouis assurge, assurge triumphis:
Audiat, & plausus duplicet Ipra tuos.
Iam Castetanis habitans in vallibus echo,
Acceptas voces reddere sæpè volet.
Quique iacent circùm, naturæ mœnia, montes,
Ad numeros, motâ fronde, cacumen agent:
Et sua Nobilitas, ter quinque per oppida, latè
Fama quod ignotum non sinit esse, canet.
Si studium Te vis PATRIÆ *debere* CONINGE,
Cum CÆLO, *hos plausus, debet & illa Tibi.*

ΑΙΓΙΔΙΩΙ ΑΝΑΚΤΙ,

περὶ τῶν θεολογικῶν ἀρετῶν τριάδος

ΘΕΟΛΟΓΟΥΝΤΙ.

Σε σεβεῶς ἀρετῇ ὕμνει παρμένιαν ἀγαθῶ,
Νατλόμβρον τόσοις τε Ἐρέβοιο φόβοις;
Πιστις ἔπει παγίως πέδας χάλκωσε σοῖο,
Χαλκοβάτης τελέθεις πύνδακα χαλκὸν ἔχων.
Κύμασιν ἐν τόσοις, καὶ τόσαις κόσμοι ἀέλλαις,
Οὐκ ἔμενας κείνων παίγνιον ἤτε γέλων.
Ἄγκυρά τοι δ' ἐλπις, μὴ κύμαζε νῆα σαλεύει,
Ηνπὶ ἂν ἄῤῥηκτος κ' ἄγκυρα ἠγκυρόει.
Οὔτε πνοφάς του Ὑπχθονίης θυμὸν θελεάζειν,
Θυμοβόρης ποσαπλῶς ὑψινόων μερόπων.
Θειαγαπη κορέει φρένα σου, χθὼν ὅδ' ἐν ἀρέσκει
Τῇ καρδίᾳ, ἥπερ μὴ ἄλις ἐστι πόλος.
Ταῖσδ' ἀνακῶς ἀρεταῖς κέαρος θ' ὁρμῶν τεν ἀνάπτεις,
Ταῖσδε βρότοις ὁρμῶν δῶς μὴ ἀνασάμενας.
Τοῖο χάριν τῇ ἀνακῶς ΩΝΑΞ μὲν ἔγραψας,
Ὧν ἀμέλει ὀψῶν σευ ἀνάμεσθα ἕεν.
Εὖγε! γὰρ ἐν ἀπόροις ἔλπιστον ἄπυρα ταμείας,
Ἐκ μὴ ἀνακτορίης, τ' ἔκφορ' ἀνακτόεια.

Τῷ τῆς Φλανδρίας

ΒΕΛΛΙΟΛΩΙ

τῷ αὐτεργῷ παιδὸς

ΣΥΝΗΔΥΣΜΑ.

Ἰὼ Βελλιολον γονὰς σοφιῶν,
Ἰὼ τῇ Χαρίτων τοκάς τε τριπλῶν,
Ἰὼ ὑξόμβρον κλέεσιν Ἰώ.
Οὐχὶ προύπια τήμερον παλαμῶν,
Ἐν σοὶ γνήσια κειλαδεῖτ' ἀοιδῶν;
Ηνέκ σοῦ Χαρίτων τριὰς ᾠδίξε,
Εἰς σὲ νῦν Χαρίτων τριὰς κ' ἀνίξει
Θάμβεις Βελλιολον τόσων ἐπαίνων;
Δείξω τὴν φόφασιν τόσων ἐπαίνων·
Τρισσὰς μὲν Χάριτας λέγυσ' ἀοιδοὶ
Τέξεις Ευνομίας, θεῶντ' ἄνακτος,
Αγλαίαν, Θαλείαν, ἔρωτ' ἀπάντων,

Τρίπλων

Τρίτῃ Εὐφροσύνῃ πόλιος χάριεν,
Ἣν τὴν ϖρῶτα σὺν τόσων ἐπαίνων.
Πίστις ῥ' Ἀγλαΐα καλῶς καλεῖται,
Ἀγλαΐζουσα βροτοὺς, θεῶ φανεῖσα
Μέλλειν ἄγλαον ἆμαρ μὴ πτοεῖσθαι.
Ἐλπὶς τε Θαλία καλῶς καλεῖται,
Ποιεῖσθ' ἀθανάτων κέαρ θαλείαις
Θάλλειν, μὴ θανάτων μελεῖν θαλειῶν·
Οὐχὶ κ' Εὐφροσύνη καλῶς καλεῖται
Εὐφραίνουσ' Ἀγάπη φρένας θεσπῶν;
Τοῖς γὰρ πάντοθε θυμὸς ἐς' εὐφρων
Οἱονπερ εὐφρόσυνος φρένας φλογίζει
Αἰεὶν θεαγάπη, ἀείτε ἐνοικεῖ.
Ταύτας τοι τέτεχεν ῥ' Ἀναξ ὄνειμα,
Ταύτας τοι ἱερῆι Ἀναξ τε ἔργῳ,
Τῶν ὁρμῶν ἀνακὼς ἔθεν κ' ἀνάσσων,
Τῶν ὁρμῶν μέροπας φανῶν ἀνάπτειν,
Νέμεις εὐρὺ θεᾶ φανῶν φυλάπτειν.
Ἀλλ' ἓν σὺ ϖρότερον τέτεξας ἡμῖν,
Εὖτ' ἂν τῷ τέτεχας τρόφες τε κόλπῳ,
Κοσμήτειν Χαρίτων τριῶν φέριστον,
Οἱ τόσον κλέος ὑπερεῦ ἀέξει,
Οὐχὶ Βελλιόλον ψαλοῦμαι ὀρθῶς;
Ἰὼ Βελλιόλον γονὰς σοφιῶν,
Ἰὼ τῆς Χαρίτων τοκάς τε τριῶν,
Ἰὼ εὐξόμφυον κλέεσιν Ἰώ.

FACVLTAS R.P. PRÆPOSITI PROVINCIALIS PROVINCIÆ FLANDRO-BELGICÆ.

EGo ANTONIVS SVCQVET *Soc.* IESV *in Prouincia Flandro-belgica Præpositus Prouincialis, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum P.N. Mutio Vitelleſco Præpoſito Generali, concedo Martino Nutio Typographo Antuerpienſi, facultatem typis mandandi* Diſputationes varias de Libero arbitrio, Fide, Spe & Caritate, deque moralitate, natura & effectibus Actuum ſupernaturalium, auctore P. Ægidio de Coninck Soc. noſtræ Theologo. *In quorum fidem has litteras manu mea ſubſcriptas & officij mei ſigillo munitas dedi, Bruxellæ 17. Maij, anno* 1623.

Antonius Sucquet.

APPROBATIO CENSORIS.

HÆ Diſputationes variæ de Libero arbitrio, Fide, Spe & Caritate, deque moralitate, natura & effectibus Actuum ſupernaturalium in genere, auctore R. Patre Ægidio de Coninck Soc. IESV Theologo, ſunt doctæ ac piæ, optimè hiſce temporibus conuenientes ad multorum ingenia acuenda. Quare dignas iudico, vt in publicum prodeant. Quod cenſui 19. Maij, anno 1623.

Egbertus Spitholdius S.T.L. Canonicus & Plebanus Antuerpienſis, librorum Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS *Dei gratia Hiſpaniarum, &c. Rex Catholicus, Sereniſſimus Belgarum Princeps diplomate ſuo ſanxit ac cauit, ne quis citra Martini Nutij Typographi Antuerpienſis voluntatem, librum, cui nomen* Diſputationes variæ de Libero arbitrio, Fide, Spe & Caritate, deque moralitate, natura & effectibus Actuum ſupernaturalium, auctore R.P. Ægidio de Coninck Soc. IESV Sacerdote, in Louanienſi Academia S. Theologiæ Profeſſore, *intra ſexennium in Belgio imprimat, aut alibi locorum impreſſum in Belgium inferat, venalemue exponat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & alia graui pœna mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ anno* 1622. *die* 1. *Septembris.*

Signatum

Boudewijns.

ELEN-

ELENCHVS
DISPVTATIONVM
& Dubiorum quæ toto hoc opere continentur.

LIBER PRIMVS.

DISPVTATIO I.

De ijs quæ requiruntur vt actio aliqua sit moralis.

DVBIVM I. *Quæ actio dicatur humana aut moralis?* pag. 1

DVB. II. *In quo præcisè consistat dictus modus procedendi, à quo actio dicitur moralis?* 2

DISPVTATIO II.

De libero arbitrio.

DVB. I. *Quid sit liberum arbitrium?* 5

DVB. II. *An in nobis sit libertas à necessitate?* ibid.

DVB. III. *An quod communiter dicitur ad libertatem voluntatis requiri, vt positis omnibus ad agendum prærequisitis, ipsa possit agere & non agere, prout libuerit, sit intelligendum in sensu composito, an diuiso?* 8.

DVB. IV. *Vtrùm libertas sit formaliter in intellectu an in sola voluntate?* 12

DVB. V. *Vtrùm voluntas necessariò velit id quod intellectus hic & nũc iudicat maximè appetendũ, aut vehementiùs apprehendit?* 15

DVB. VI. *Vtrùm, quando ad finem efficaciter intentum occurrit vnicum medium vtile, volũtas id necessariò eligat, aut ex pluribus occurrentibus id quod apparet vtilius?* 19

DVB. VII. *Vtrùm prædefinitio diuina possit consistere cum libertate?* 20

DVB. VIII. *Quæ actio dicatur libera?* 25

DISPVTATIO III.

De bonitate & malitia humanorum actuum.

DVB. I. *In quo consistat bonitas aut malitia humanorum actuum?* 28

DVB. II. *In quo consistat bonitas aut malitia obiectiua?* 32

DVB. III. *Vtrùm actio externa secundùm se & prout omnino præscindit ab actu interno, aut etiam facta ab ignorante ipsius bonitatem aut malitiam, sit verè moraliter bona vel mala?* 34

DVB. IV. *Vtrùm vt actio voluntatis sit bona siue honesta, necesse sit vt voluntas expresse feratur in obiectũ, quia honestũ est?* 36

DVB. V. *Vtrùm bonitas vel malitia formalis in solo actu interno intrinsecè & immediatè reperiatur?* 37

DVB. VI. *Quâ ratione actus internus accipiat bonitatem aut malitiam ab externo; aut hic ab illo?* 39

DVB. VII. *Vtrùm actus externus superaddat aliquam bonitatem aut malitiam interno, ita vt vterque simul sint quid melius aut peius quàm solus internus?* 40

DVB. VIII. *Vtrùm bonitas & malitia moralis sint differentiæ essentiales actuum nostrorum, prout considerantur secundùm esse naturæ?* 42

DVB. IX. *Vtrùm quando medium aliquod bonum eligitur propter finem extrinsecum bonum, hæc electio habeat duplicem bonitatem, aliam à medio, aliam à fine?* 44

DVB. X. *Vtrùm actus internus voluntatis vnius virtutis, si imperetur ab alia virtute, accipiat ab actu imperante aliquam bonitatem?* 46

DVB. XI. *Vtrùm intentio bona aut finis boni vitietur mala electione, aut contrà electio bona mala intentione?* ibid.

DVB. XII. *Vtrùm intentio boni finis minuat malitiam electionis malæ?* 50

DVB. XIII. *Vtrùm electio medij ac opus electum sint semper tam bona quàm sit ipsa intentio finis?* 51

DVB. XIV. *Quâ ratione bonitas actus interni pendeat à circumstantiis?* 52

DVB. XV. *Vtrùm omnis actio quæ fit eo tempore, quo spõte omittitur actus præceptus, si sit incompossibilis cum actu præcepto, debeat dici causa illius omissionis & peccatum?* 56

DVB. XVI. *Qua ratione vt voluntas nostra recta sit ac bene operemur, teneamur eam conformare voluntati diuinæ, idem cum hac volendo, siue an teneamur omnia velle quæ Deus vult?* 58

DVB. XVII. *An laudabiliter velimus omnia quæ Deus vult?* 60

DISPVTATIO IV.

An dentur actus verè supernaturales?

Dvb.I. *Quid sit supernaturale?* 61

Dvb.II. *Vtrùm visio beatifica & amor patriæ sint in sua substantia omnino supernaturales?* 64

Dvb.III. *Vtrùm actus quibus ad iustitiam ac salutem peruenimus, sint supernaturales?* 68

Dvb.IV. *Quid senserit Pelagius de supernaturalitate actuum quibus ad salutem pertingimus?* 71

Dvb.V. *Quid senserint Semipelagiani de actibus supernaturalibus hîc ad salutem necessarijs?* 76

Dvb.VI. *Vtrùm assensus theologicus sit supernaturalis, eiusq; habitus infusus?* 81

Dvb.VII. *An dentur actiones morales, conducentes ad salutem secundùm solum modum supernaturales?* 83

DISPVTATIO V.

De differentia & excellentia actuum supernaturalium respectu naturalium.

Dvb.I. *Vtrùm actus perfectior habeat semper perfectius obiectum, saltem formale?* 85

Dvb.II. *Vtrùm omnes actus intellectus aut voluntatis specie distincti necessariò habeant obiectum formale specie distinctum?* 87

Dvb.III. *Vtrùm omnis actus in substantia supernaturalis habeat obiectum formale specie distinctum ab omni actu secundùm substantiam suam naturali?* 88

Dvb.IV. *Vnde actus supernaturalis accipiat specificam suam differentiam, quà à naturali distinguitur?* 90

Dvb.V. *Qua ratione auxilium supernaturale, siue habituale siue actuale vnà cum potentia concurrat ad productionem actus supernaturalis?* 91

Dvb.VI. *Vtrùm perfectior potentia cum æquali auxilio perfectiorem actum supernaturalem eliciat?* 96

DISPVTATIO VI.

De habitibus supernaturalibus.

Dvb.I. *Vtrùm in iustificatione infundantur nobis habitus fidei, spei & caritatis supernaturales, & quàm certum hoc sit?* 98

Dvb.II. *Vtrùm in iustificatione nobis infundantur virtutes morales supernaturales?* 103

Dvb.III. *An habitus supernaturales in nobis creentur?* 104

Dvb.IV. *Vtrùm omnes virtutes infusæ nobis infundantur simul?* 105

Dvb.V. *Qua ratione habitus infusus sit subiectus ipsi potentiæ siue voluntati in operando: siue qua ratione sit in potestate voluntatis habitu suo vti, aut non vti?* 107

Dvb.VI. *An habitus supernaturalis conferat suo subiecto facilitatem operandi?* 108

Dvb.VII. *An primus actus caritatis, quo peccator ad Deum conuertitur, procedat ab habitu caritatis, simulq; ad eius infusionem disponat?* 110

Dvb.VIII. *Vtrùm actus caritatis disponens peccatorem ad habitus infusionem reliquo tempore, quo infuso iam habitu durat, effectiuè ab ipso habitu conseruetur?* 116

DISPVTATIO VII.

De causis habituum supernaturalium.

Dvb.I. *Vtrùm habitus acquisiti producantur ab actibus tamquam à suis causis efficientibus?* 118

Dvb.II. *Vtrùm actus in substantia supernaturales effectiuè concurrant ad productionem vel augmentum habituum supernaturalium?* 120

Dvb.III. *Vtrùm actus supernaturales producant habitus naturales, similes ijs qui per actus naturales circa idem obiectum gignerentur?* 123

DISPVTATIO VIII.

De effectu morali actuum supernaturalium siue de merito.

Dvb.I. *In quo consistat ratio meriti siue de condigno siue de congruo?* 125

Dvb.II. *Vtrùm iusti hic suis bonis operibus verè de condigno mereantur vitam æternam nobis in cælis promissam?* 128

Dvb.III. *Qualis sit, & vnde oriatur hæc operum nostrorum cum præmio vitæ æternæ condignitas?* 130

Dvb.IV. *Quæ aliæ conditiones requirantur, vt aliquod opus sit de condigno meritorium vitæ æternæ?* 132

Dvb.V. *Vtrùm per nostra merita acquiramus verum ius ad vitam æternam, & qua ratione siue ex qua virtute Deus obligetur eam*

eam nobis dare, & de facto det? 139
DVB.VI. *Vtrùm possimus mereri primam gratiam iustificantem?* 144
DVB.VII. *Vtrùm per potentiam Dei absolutam fieri possit vt mereamur gratiam absolutè primam siue actualem siue habitualem de condigno?* 146
DVB.VIII. *Vtrùm actu contritionis, quo ad Deum conuertimur, mereamur de condigno primam gloriam?* 150
DVB.IX. *Vtrùm per actus habituremissiores mereamur augmentum gratiæ habitualis, illudq; statim recipiamus?* 151
DVB.X. *Vtrùm elicienti actum meritorium semper conferatur augmentum gratiæ primo instanti, ac reliquis sequentibus dum actus durat?* 154
DVB.XI. *Qua ratione difficultas operis augeat ipsius meritum?* 160
DVB.XII. *Vtrùm possimus mereri perseuerantiam aut resuscitationem à peccato?* 162

LIBER SECVNDVS.

DISPVTATIO IX.

De obiecto fidei.

DVB.I. *Quod sit subiectum ac obiectum materiale fidei?* 164
DVB.II. *Vtrùm obiectum fidei sit aliquid complexum, siue compositum?* 166
DVB.III. *Vtrùm Deus quatenus est prima veritas, sit obiectum formale fidei? ibid.*
DVB.IV. *Vtrùm Deus qua reuelans, atque adeò ipsa reuelatio, pertineant ad obiectum formale fidei?* 168
DVB.V. *Quod sit obiectum formale, siue immediata ratio formalis ob quam credimus articulos fidei esse à Deo reuelatos?* 171
DVB.VI. *Vtrùm reuelatio priuata, an verò publica sit obiectum formale fidei?* 177
DVB.VII. *Vtrùm assensus fidei nitatur discursu?* 179
DVB.VIII. *Vtrùm cognitio orta per discursum ex euidentia attestationis sit fides, an scientia, aliáue cognitio absolutè euidens?* 181
DVB.IX. *Vtrùm propositio quæ per euidentem consequentiam deducitur ex principijs fidei, sit de fide, siue obiectum fidei?* 183

DISPVTATIO X.

Qua ratione obiectum fidei tam formale quàm materiale sit necessariò verum.

DVB.I. *Vtrùm Deus per se vel per alium possit mentiri aut testari falsum?* 185
DVB.II. *Vtrùm Deus alicui possit infundere assensum falsum, aut habitum ad hunc inclinantem?* 189
DVB.III. *Vtrùm Deus possit vti oratione aut verbis ambiguis, aut quæ aliud exteriùs significent, quàm ipse intendat significare? & qua ratione id sit licitum aut illicitum?* 190
DVB.IV. *An fides possit esse falsa aut causa falsi?* 195

DISPVTATIO XI.

De obscuritate & euidentia obiecti fidei.

DVB.I. *Vtrùm eadem res possit simul esse credita & euidenter cognita?* 199
DVB.II. *Vtrùm mysteria fidei hîc euidenter cognosci aut demonstrari possint?* 205
DVB.III. *Vtrùm ea quæ fides Catholica nobis credenda supponit, demonstrentur euidenter credibilia?* 210

DISPVTATIO XII.

De potestate Ecclesiæ ac Summi Pontificis in rebus fidei definiendis ac Fidelibus proponendis.

DVB.I. *An Christus contulerit sancto Petro primatum in totam Ecclesiam?* 215
DVB.II. *Vtrùm Christus hanc dignitatem in sua Ecclesia voluerit esse perpetuam?* 216
DVB.III. *Vtrùm Romanus Pontifex sit successor S. Petri in primatu Ecclesiæ?* 217
DVB.IV. *Vtrùm in vera Ecclesia sit aliqua regula, ex qua infallibiliter possimus res fidei cognoscere?* 218
DVB.V. *Quis sit iudex controuersiarum fidei, cuius iudicio omnes teneamur stare?* 219
DVB.VI. *Vtrùm Ecclesia possit condere nouũ articulum fidei; siue vtrùm definiendo aliquam propositionem esse de fide, possit efficere vt iam incipiat vere esse de fide quæ antè non fuit?* 225

DISPVTATIO XIII.

De ijs quæ actum fidei necessariò præcedunt.

DVB.I. *Vtrùm actum fidei necessariò præcedat iudicium moraliter certum ac euidens, quo res credenda iudicetur fide diuina tam-*

quam à Deo reuelata credibilis? 227

DVB.II. *Vtrùm illud iudicium eliciatur ab habitu fidei aut prudentiæ?* 228

DVB.III. *Vtrùm dictum iudicium sit supernaturale?* 229

DVB.IV. *Vtrùm actum fidei necessariò debeat præcedere actus voluntatis, quo intellectus applicetur siue determinetur vt illum eliciat?* 230

DVB.V. *An voluntas qua' assensus fidei immediatè imperatur, sit supernaturalis?* 234

DVB. VI. *An illud imperium voluntatis sit specialis virtus ab aliis distincta, & an requirat particularem habitum infusum?* 236

DISPVTATIO XIV.

De actu siue assensu fidei, ijsque quæ nobis credenda sunt.

DVB.I. *Quid sit fides, siue assensus fidei?* 241

DVB.II. *Vtrùm assensus fidei theologicæ sit omnino supernaturalis ex obiecto formali?* ibid.

DVB.III. *Vtrùm assensus fidei theologicæ sit necessariò honestus?* 243

DVB.IV. *Vtrùm fides sit certior quauis cognitione naturali?* 247

DVB.V. *Vtrùm actus fidei sit meritorius?* 250

DVB.VI. *Qua ratione fides sit initium nostræ iustitiæ ac salutis?* ibid.

DVB.VII. *Qua ratione fides dicatur fundamentum & radix nostræ iustificationis?* 254

DVB.VIII. *Qua ratione fides post lapsum Adæ fuerit omni tempore ad iustificationem necessaria?* 255

DVB.IX. *Quænam necessariò necessitate medij explicitè credenda sint, vt quis possit iustificari?* 258

DVB.X. *Quæ sint necessariò explicitè credenda ex necessitate præcepti?* 271

DVB. XI. *Vtrùm detur ignorantia inuincibilis rerum fidei, & an eas ignorantes possint absolui in confessione?* 276

DVB.XII. *Vtrùm omnes actus fidei sint eiusdem speciei?* 279

DVB.XIII. *Qualis fides requiratur ad iustificationem, & an ad hanc sola fides sufficiat?* 280

DVB.XIV. *Vtrùm possimus fide diuina credere, aut aliàs omnino certò cognoscere nos habere fidem?* 285

DISPVTATIO XV.

De externa fidei confessione.

DVB.I. *Vtrùm externa fidei confessio sit actus virtutis fidei, & an sit præcepta?* 288.

DVB.II. *Vtrùm liceat aliquando negare fidem?* 289

DVB.III. *Vtrùm liceat factis occultare aut dissimulare veram fidem, aut simulare contrariam?* 291

DVB.IV. *Quibus modis obliget præceptum affirmatiuum confessionis fidei?* 300

DVB.V. *Quando obliget præceptum affirmatiuum confessionis fidei?* 301

DISPVTATIO XVI.

De virtute siue habitu fidei.

DVB.I. *Vtrùm habitus fidei sit in intellectu vt in subiecto?* 306

DVB.II. *Vtrùm habitus fidei sit vnus & simplex, simul practicus & speculatiuus?* ibidem.

DVB.III. *Vtrùm habitus fidei sit virtus, & qualis?* 309

DVB.IV. *Qua ratione fides informetur ac dependeat in sui vnitate, infusione & conseruatione à caritate?* 310

DISPVTATIO XVII.

De subiecto fidei, siue de ijs quibus inest fides.

DVB.I. *Vtrùm angeli in via, & Adam in paradiso habuerint fidem?* 312

DVB.II. *Vtrùm dæmones alijq; damnati habeant veram fidem?* 315

DVB.III. *Vtrùm fides maneat in hæreticis?* 318

DVB.IV. *Vtrùm fides maneat in Beatis, aut in existentibus in Purgatorio?* 319

DVB.V. *Qua ratione fides sit maior in vno quàm in alio?* 320

DVB.VI. *Quibus actibus habitus fidei in nobis augeatur, siue intendatur?* 321

DISPVTATIO XVIII.

De infidelitate.

DVB.I. *Quotuplex sit infidelitas?* 322

DVB.II. *Vtrùm possit dari infidelitas siue ignorantia inculpabilis omnium omnino mysteriorum fidei?* ibid.

Dvb.III. *Vtrùm infidelitas sit in intellectu vt in subiecto?* 326
Dvb.IV. *Quænam infidelitas & qua ratione fidem expellat?* ibid.
Dvb.V. *Vtrùm infideles possint exercere aliquos actus moraliter bonos, an verò contrà omnes eorum actiones liberæ sint peccata?* 329
Dvb.VI. *Vtrùm infidelitas bene distinguatur in hæresin, iudaismum & paganismum; & qua ratione hæc inter se distinguantur?* 332
Dvb.VII. *In quo propriè consistat hæresis, siue quænam requirantur vt aliquis sit verè hæreticus?* 335
Dvb.VIII. *De varijs propositionum qualificationibus siue censuris?* 344
Dvb.IX. *Vtrùm licitum sit cum hæretico de fide præsertim publicè disputare?* 346
Dvb.X. *Vtrùm infideles possint habere dominium in fideles, eoue per Ecclesiam priuari?* 347
Dvb.XI. *Vtrùm liceat cum infidelibus communicare, aut eorum libros legere?* 350
Dvb.XII. *An infidelium ritus tolerandi sint: aut ipsi, vt eos deserant, cogi possint?* 353
Dvb.XIII. *Vtrùm in locis vbi ritus infidelium tolerantur, liceat ipsis vendere ea quibus sciuntur ad suos ritus esse abusuri?* 357
Dvb.XIV. *Vtrùm infideles per Ecclesiam, aut principes Christianos possint pœnis corporalibus compelli vt fidem suscipiant?* 360

LIBER TERTIVS.

De Spe, Timore, Desperatione & Præsumptione.

DISPVTATIO XIX.

De virtute spei, eiusque subiecto.

Dvb.I. *Vtrùm spes sit actus amoris concupiscentiæ?* 364
Dvb.II. *Quid sit spes, & quod eius obiectum?* 366
Dvb.III. *Quod sit obiectum materiale spei, prout est virtus theologica?* 370
Dvb.IV. *Quod sit obiectum formale spei theologicæ?* 372
Dvb.V. *Vtrùm vera spe possimus alteri sperare beatitudinem?* 374
Dvb.VI. *Vtrùm liceat nobis sperare vitam æternam ex nostris meritis, atque ita habere in ijs fiduciam, ac bene operari spe mercedis?* 376
Dvb.VII. *Qua ratione spes sit certa?* 379
Dvb.VIII. *Vtrùm spes sit prior fide aut caritate, tam tempore quàm perfectione?* 381
Dvb.IX. *Qua ratione obligemur ad eliciendum actum spei?* 383
Appendix ad Dvb.IX. *circa quasdam difficultates hic disputari solitas.* ibid.
Dvb.X. *Vtrùm spes maneat in Beatis?* 384
Dvb.XI. *Vtrùm Christus hic habuerit spem, eámue habeat animæ in Purgatorio?* 387
Dvb.XII. *Vtrùm spes maneat in peccatoribus, hæreticis aut damnatis?* 388

DISPVTATIO XX.

De timore, desperatione & præsumptione.

Dvb.I. *Vtrùm timor præsupponat necessariò in timente aliquem amorem?* 389
Dvb.II. *Vtrùm timor rectè diuidatur in mundanum, seruilem, filialem & initialem?* 390
Dvb.III. *Vtrùm culpa possit esse immediatum obiectum timoris?* 391
Dvb.IV. *Quod sit obiectum aut quis habitus timoris filialis?* 392
Dvb.V. *An timor seruilis sit bonus?* 393
Dvb.VI. *A quo habitu eliciatur timor seruilis?* 395
Dvb.VII. *Quis timor dicatur initialis?* 396
Dvb.VIII. *Quid sit timor mundanus?* 397
Dvb.IX. *Vtrùm timor maneat in Beatis?* ibid.
Dvb.X. *Quid sit desperatio?* 399
Dvb.XI. *Quale iudicium prærequiratur ad desperationem?* 401
Dvb.XII. *Vtrùm Deus possit alicui adhuc viuenti reuelare suam damnationem?* 402
Dvb.XIII. *Vtrùm is cui sua damnatio esset certò reuelata, teneretur adhuc salutem sperare, & an possit eam desperare?* 404
Dvb.XIV. *Ad quid obligaretur is cui reuelatum esset ipsum commissurum aliquod peccatum?* 407
Dvb.XV. *Quid sit præsumptio, & quale peccatum?* 410

LIBER QVARTVS.

De Caritate.

DISPVTATIO XXI.
De habitu caritatis.

DVB. I. *Vtrùm caritas sit aliquid creatum in anima nostra?* 413

DVB. II. *Sub qua ratione formali Deus sit obiectum caritatis?* 414

DVB. III. *Vtrùm mutua inter Deum & homines caritas habeat veram rationem amicitiæ?* 416

DVB. IV. *Vtrùm caritas sit specialis, vna ac simplex virtus?* 418

DVB. V. *Vtrùm caritas sit perfectissima inter omnes virtutes?* 419

DVB. VI. *Vtrùm caritas sit forma reliquarum virtutum, ijsq; tribuat esse virtutis?* 422

DVB. VII. *Qua ratione caritas distinguatur à gratia iustificante?* ibid.

DVB. VIII. *Vtrùm caritas ex natura sua habeat vim expellendi peccatum mortale, & constituendi nos amicos ac filios Dei?* 425

APPENDIX AD DVO PRÆCED. DVBIA. 429

DISPVTATIO XXII.
De subiecto, incremento, diminutione ac amissione caritatis.

DVB. I. *Vtrùm caritas sit in voluntate?* 436

DVB. II. *Vtrùm caritas in omnibus iustis sit æqualis, in ijsq; augeri possit?* ibid.

DVB. III. *Qua ratione caritas in nobis augeatur?* 439

DVB. IV. *Vtrũ per singulos actus caritatis tot gradibus habitus augeatur, quot in ipsis actibus continentur?* 445

DVB. V. *Vtrùm caritas in via possit semper in infinitum augeri?* 447

DVB. VI. *Vtrùm habitus caritatis sit semper intensior in patria quàm in via?* 449

DVB. VII. *Quot modis caritas possit perfici aut dici perfecta?* 452

DVB. VIII. *Vtrùm habitus caritatis per peccata venialia possit minui?* 453

DVB. IX. *Vtrùm charitas quouis peccato mortali amittatur?* 457

DVB. X. *Vtrùm peccatum mortale physicè & ex natura sua ita expellat caritatem, vt hæc nulla ratione possit cum eo consistere?* 460

DVB. XI. *Vtrum caritas siue gratia habitualis, & peccatum mortale actuale sint de facto simul in eodem instanti?* 462

DISPVTATIO XXIII.
De actu caritatis.

DVB. I. *Vtrùm amor, prout est actus caritatis, sit idem quod beneuolentia?* 466

DVB. II. *Vtrùm Deus debeat hìc à nobis immediatè & propter se diligi, & an possit diligi propter aliud?* ibid.

DVB. III. *Vtrùm actus caritatis hìc & in patria sint eiusdem speciei?* 467

DVB. IV *Vtrùm actus caritatis sit intensior in patria quàm in via?* 470

DISPVTATIO XXIV.
De obiectis materialibus caritatis, & obligatione ea diligendi.

DVB. I. *Vtrùm Deus & proximus eadem caritate amentur?* 471

DVB. II. *Qualis Dei dilectio nobis sit præcepta illo Deuter. 6.* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua? 475

DVB. III. *Quando obliget præceptum diligendi Deum super omnia?* 477

DVB. IV. *Vtrùm teneamur aliquando amare proximum actu interno?* 480

DVB. V. *Vtrùm & quo iure teneamur diligere inimicos?* 482

DVB. VI. *Qua ratione teneamur diligere inimicos?* 483

DVB. VII. *Vtrùm in veteri lege licuerit odisse inimicos?* 487

DVB. VIII. *Vtrùm dilectio inimici sit actus melior ac maioris meriti, quàm dilectio amici, quando vterq; amatur propter Deum?* 491

DISPVTATIO XXV.
De ordine caritatis.

DVB. I. *Qua ratione teneamur Deũ summè siue super omnia alia diligere?* 495

DVB. II. *Vtrùm fieri possit, vt quis amet proximum propter Deum intensiùs quàm ipsum Deum?* 498

DVB. III. *Vtrùm natura nos inclinet ad amandum Deum magis quàm nos ipsos?* 500

DVB. IV. *An debeamus ex caritate magis diligere nos ipsos quàm proximum?* 501

DVB. V. *Qua ratione in bonis spiritualibus debeamus nos appretiatiuè & obiectiuè magis diligere quàm proximum?* 502

DVB. VI.

Dvb.VI. *Vtrùm in bonis temporalibus, siue fortunæ, siue corporis teneamur nos ipsos magis diligere quàm proximum?* 508
Dvb.VII. *Qua ratione, siue quibus casibus salus proximi est præferenda saluti corporis nostri, ita vt hanc pro illa teneamur profundere?* 509
Dvb.VIII. *Qua ratione, vnus proximus sit magis diligendus, quàm alter?* 512
Dvb.IX. *Quosnam & in quibus bonis debeamus præ alijs diligere?* 517

DISPVTATIO XXVI.

De tribus effectibus caritatis internis, gaudio, pace & misericordia.

Dvb.I. *Vtrùm gaudium sit effectus caritatis, & vera actio voluntatis à caritate distincta?* 524
Dvb.II. *Vtrùm gaudium de bono Dei sit particularis virtus distincta à caritate?* 525
Dvb.III. *Quid sit pax: & qua ratione sit effectus caritatis?* 526
Dvb.IV. *Quid sit misericordia?* 527

DISPVTATIO XXVII.

De duobus prioribus actibus caritatis externis, scilicet beneficentia & eleëmosyna.

Dvb.I. *Quid sit beneficentia, & quibus exhibenda?* 530
Dvb.II. *Quid sit eleëmosyna, seu cuius virtutis sit actus?* ibid.
Dvb.III. *Vtrùm eleëmosyna rectè diuidatur in septè corporales, & septè spirituales?* 532
Dvb.IV. *Qua ratione eleëmosyna operetur in dante remissionem peccatorum, aliosue effectus spirituales?* 534
Dvb.V. *Quinam possint dare eleëmosynam?* 537
Dvb.VI. *Quibus danda sit eleëmosyna?* 540
Dvb.VII. *Vtrùm sit obligatio dandi eleëmosynam, & qualis?* 544
Dvb.VIII. *Quando obliget præceptum dandi eleëmosynam?* 548
Dvb.IX. *Vtrùm quando obligat præceptum eleëmosynæ, hæc necessariò sit gratis danda: an verò sufficiat rem qua proximus indiget, dare mutuo, aut vendere dilata solutione?* 555
Dvb.X. *Vtrùm in extrema aut graui necessitate liceat aliena surripere, eáue consumere sine obligatione restituendi?* 557
Dvb.XI. *Vtrùm Ecclesiastici specialiter, aut etiam ex iustitia obligentur superflua pauperibus erogare?* 559
Dvb.XII. *Vtrùm possimus dare eleëmosynam ex iniustè acquisitus?* 565

DISPVTATIO XXVIII.

De tertio opere misericordiæ externo, scilicet de correptione fraterna.

Dvb.I. *Cuius virtutis actus sit correptio fraterna?* 566
Dvb.II. *Vtrùm & ex qua virtute obligemur proximum peccantem corripere?* 567
Dvb.III. *Quæ peccata teneamur in alijs corripere?* 570
Dvb.IV. *Quos peccantes teneamur corrigere?* 572
Dvb.V. *Quinam obligentur hoc præcepto?* 575
Dvb.VI. *Quando obliget præceptum correptionis fraternæ?* 580
Dvb.VII. *Quam diligentiam teneamur adhibere, vt reddamus nos aptos vt alios corrigamus?* 585
Dvb.VIII. *Vtrùm ordo à Christo Matthæi 18. præscriptus in fraterna correptione sit necessariò seruandus?* 587
Dvb.IX. *Qua ratione testes adhibendi sint in correptione fraterna, quando proximus per secretam correptionem nequit emendari?* 590
Dvb.X. *Vtrùm peccatum proximi sit aliquando aperiendum Superiori, priusquam adhibeantur alij testes, aut etiam antequam secreta monitio sit præmissa?* 593
Dvb.XI. *Vtrùm & qua ratione quis possit hac ex parte cedere iure quod habet in suam famam, dando alijs veniam vt ipsius occulta peccata extra confessionem cognita statim Superiori deferant, antequam eum secretè moneant?* 597
Dvb.XII. *Vtrùm possit in aliqua Religione fieri generalis constitutio, vt quiuis peccatum alterius extra confessionem ad Superiorem deferat, quantumuis peccans credatur secreta monitione posse corrigi, aut de facto correctus esse?* 600

DISPVTATIO XXIX.

De odio Dei ac proximi.

Dvb.I. *Quomodo distinguantur odium inimicitiæ, & odium abominationis?* 604
Dvb.II. *Vtrùm aliquis possit Deum odisse?* 607
Dvb.III. *Vtrùm omne odium proximi sit peccatum?* 610

DISPVTATIO XXX.

De acedia, inuidia, discordia, contentione, schismate.

Dvb.I. *Quid sit acedia, & quale peccatũ?* 613
Dvb.II. *Quid sit inuidia, & quale peccatum?* 614
Dvb.III. *Quid sit discordia, & quale pec-*

peccatum? 617
DVB. IV. *Quid sit contentio, & quale peccatum?* 618
DVB. V. *Quid sit schisma, & quale peccatum?* ibid.

DISPVTATIO XXXI.

De bello.

DVB. I. *Vtrùm bellum sit aliquando licitum?* 620
DVB. II. *Quænam sit iusta causa inferendi alteri bellum?* 623
DVB. III. *Cuius sit indicere bellum?* 628
DVB. IV. *Qua ratione princeps teneatur examinare causam belli, ac iudicare an iusta sit antequam id indicat?* 630
DVB. V. *Vtrùm liceat militare in bello de cuius iustitia dubitatur, aut nullo de hac examine præmisso?* 631
DVB. VI. *Quibus liceat in bello iusto pugnare, eiúe intereße?* 632
DVB. VII. *Quis modus seruandus sit in gerendo bello?* 634
DVB. VIII. *Vtrùm repræsaliæ siue pignorationes sint licitæ.* 639

DISPVTATIO XXXII.

De rixa, duello, seditione & scandalo.

DVB. I. *Quid sit rixa, & quale peccatum?* 640.
DVB. II. *Vtrùm duellum semper sit illicitum?* ibid.
DVB. III. *Quid sit seditio?* 644.
DVB. IV. *Quid sit scandalum, & quale peccatum?* ibid.
DVB. V. *Quid requiratur vt scandalum sit speciale peccatum contra caritatem?* 645
DVB. VI. *Vtrùm cum aliquo nostro incommodo spirituali aut temporali teneamur vitare aliorum scandalum?* 649



LIBER PRIMVS
DE
MORALITATE, NATVRA
ET
EFFECTIBVS
ACTVVM SVPERNATVRALIVM
IN GENERE.

DISPVTATIO I.

De ijs quæ requiruntur vt actio aliqua sit moralis.

DVBIVM I.

Quæ actio dicatur humana, aut moralis?

1 Actio hominis & humana quomodo differant.

NOTA Primò, aliud esse aliquam actionem esse actionem hominis: aliud eam esse humanam. Nam omnis actio ab homine exercita dicitur actio hominis, sola tamen illa est humana, quæ homini est propria. Sub homine autem hîc etiam angelum comprehendo: quia quod ad rem præsentem spectat, eadem vtriusque est ratio.

2 Actio dupliciter homini propria.

Nota Secundò, actionem dupliciter posse esse homini propriam. Primò, ratione suæ substantiæ siue naturæ: sic intelligere ei dicitur proprium, quia alijs creaturis non conuenit. Secundò, ratione modi, quo à sua potentia procedit, quatenus nimirum agens eam liberè elicit, siue tamquam dominus suæ actionis, eamque in sua potestate habens.

3 Nota Tertiò, etsi *mos* ex prima sua institutione sit idem quod *consuetudo*; tamen, præsertim in plurali, communiter ferè accipitur pro illa sola consuetudine à qua boni vel mali, laude vel vituperio digni sumus: qua ratione omnis illa actio potest dici moralis, quæ quacumque ratione est moraliter bona vel mala, siue quæcumque facit mores hominum meliores aut peiores. Durandus autem in 2.d.38.q.1.a.1. & quidam alij volunt actionem dici moralem à *more*, quatenus consuetudinem significat; quia hæc est prima & propria huius vocis *mos* significatio, atque ita secundùm illos omnis illa actio propriè dicitur moralis, quæ fit secundùm morem communem hominum, siue eo modo, quo solent communiter homines agere.

Durandus.

Nota Quartò, diuersarum scientiarum tractatores ijsdem nominibus diuersimodè vti: nam per *corpus* aliud significat Physicus, scilicet quamuis substantiam compositam ex materia & forma: aliud Mathematicus, nimirum quantitatem longam, latam & profundam, prout abstrahit à materia: aliud Iurista in materia legum aut contractuum, vt dum dicit aliquid haberi in corpore Iuris; magistratum iussum adesse in corpore; bona aliqua vendita esse in corpore. quisque enim hac voce vtitur, prout eius fini & materiæ explicandæ conuenit.

Eiusdem verbis diuersis diuersa significant.

Ex quo sequitur, vt sciamus quid nomen aliquod in hac vel illa materia, siue prout sumitur ab Auctoribus hanc vel illam materiam tractantibus, propriè significet, non esse spectandum vnde deducatur, siue quid vox, à qua deducitur, primò significet: sed quæ significatio illorum fini explicando maximè congruat, & qua ratione illi communiter illud soleant vsurpare.

Qua ratione vera nominum significatio apud diuersos auctores inquirenda sit.

5 Quæ actio dicenda sit humana.

CONCLVSIO I. Etsi actio humana apud Physicos possit dici omnis ea, quæ homini, prout à bruto distinguitur, propria est, siue libera sit, siue non; tamen à Philosopho morali aut Theologo illa sola dicitur humana, quæ secundo modo ex dictis n.2. propria est homini, siue quę est libera. Ita cum D. Thoma 1.2.q.1.a.1. in corpore, communiter Theologi. & ratio est, quia, cùm ipsi tractent de actionibus humanis non quacumque ratione, sed quatenus laude vel vituperio dignæ sunt, & præmium aut pœnam merentur, cumque hoc illis solis conueniat, quę liberæ sunt, sub hac sola consideratione eas humanas vocant.

D. Thomas.

6 Vnde actio dicatur moralis.

CONCLVS.II. Actio non dicitur moralis à more quatenus consuetudinem significat, siue quia fit consueto more operandi. sed quia ita ab homine procedit, vt, quantum attinet ad rationem siue modum procedendi, nata sit esse laude aut vituperio, præmio aut pœnâ digna: atque adeò de facto talis necessariò sit, si modò aliquam ratione obiecti aut circumstantiarum cum recta ratione siue natura rationali repugnantiam aut conuenientiam habeat. Quod addo propter actiones indifferentes, quas multi etiam in indiuiduo dari censent.

Prior pars probatur, quia aliàs etiam opera brutorum possent dici moralia, quia hæc ea consueto sibi modo operandi faciunt. Item ante diluuium cùm omnis caro corruperat vias suas, & omnis hominis cogitatio prona esset ad malum, bonæ hominum actiones non fuissent morales; quia, cùm rarissimæ essent, non fiebant consueto hominum modo operandi. Item si alicubi omnes essent stulti, actiones non liberæ ibi essent morales, quia fierent consueto ibidem more operandi. & similiter in cælo visio beatifica esset actio moralis, quia fit consueto ibidem more operandi. quod tamen Auctores illius sententiæ negant, & meritò, quia omnes communiter fatentur solas liberas actiones esse morales.

7 Dices, non esse hîc spectandum morem operandi qui homini per accidens conuenit, sed qui ei per se conuenit. Sed contra Primò, quia *mos* æquè ac ferè communiùs significat consuetudinem operandi, quæ per accidens alicubi introducta est, quàm quæ per se homini conuenit: ergo secundùm illam sententiam ab vtroque more æqualiter debebit actio dici moralis. Secundò, quia inde saltem sequeretur, actiones valdè excellentes ac heroicas, quæque omnino extraordinario & supernaturali modo fiunt, non esse morales, quia non fiunt more consueto.

Probatur Secundò, quia ad finem, quem spectant Philosophus moralis & Theologus, impertinens est an actio fiat consueto more operandi, nec ne; ergo ipsi non ideo vocant eam moralem quia hoc modo fit.

8 Secunda pars prob. quia Philosophi morales hoc nomen *morale* inuenerunt ac actibus imposuerunt, vt in ijs significet aliquam conditionem communem actibus formaliter bonis ac malis, siue laude aut vituperio dignis, quæ proximè ex parte generis requiritur vt sint ita bonæ vel malæ: atqui hæc conditio est dictus modus procedendi à potentia: ergo hic per esse morale significatur. Minor dubio sequenti patebit. Maior probatur. quia ipsi per actum moralem significant genus immediatè commune actibus formaliter bonis & malis; nam actum moralem immediatè diuidunt in bonum, malum, & indifferentem secundùm speciem: ergo per actum moralem significant eum, qui habet conditionem communem vtrique actui ex parte proximi generis immediatè requisitam vt hoc vnà cum differentijs contrahentibus constituat actum laude vel vituperio dignum. Sicut quia *esse sensitiuum* constituit corpus animatum vltimò aptum vt cum differentijs contrahentibus constituat hominem vel brutum, ideò est vera ratio, à qua corpus animatum dicitur animal. Similis autem conditio respectu immediati generis actus boni & mali, est dictus modus procedendi.

Hinc etsi actio solùm materialiter bona vel mala ob defectum libertatis (qualia sunt odium aut amor Dei non libera) habeat aliquod esse aliquo modo morale, scilicet aliquam repugnãtiam aut conuenientiam cum recta ratione, siue natura rationali, qua talis est; in quibus (vt ostendam disp.3. dub.1.) consistunt malitia & bonitas moralis materialis: tamen non est verè actio moralis, quia illi deest modus ille procedendi à potentia necessariò requisitus vt aliqua actio sit formaliter bona vel mala, siue laude aut vituperio digna. 9

DVBIVM II.

In quo præcisè consistat dictus modus procedendi, à quo actio dicitur moralis?

VT hęc meliùs intelligantur, Nota in nostra actione quatuor posse considerari. Primò, ipsius esse physicum, quatenus est quędam qualitas talis speciei: quæ etsi secundùm se sit aliquid absolutum, triplicem tamen respectum transcendẽtalem includit. Primò, ad obiectum præsertim formale, à quo habet suam speciem. Alia enim est cognitio, qua aliquid cognosco ob intrinsecam suam euidentiam; alia, qua id cognosco per rationem ei extrinsecam. Item alia est volitio, qua aliquid appeto quia honestum; alia, qua id appeto quia delectabile. An autem omnis cognitio aut volitio ita habeant suam speciem à solo obiecto formali, vt omnis volitio quæ habet idem obiectum formale, sit eiusdem speciei, dicemus infrà disp.5. dub.2. Secundò, dicit respectum ad causam producentem, non tamquam ad id, à quo necessariò procedit (quia Deus posset quamuis nostram intellectionem, quatenus est præcisè talis qualitas, se solo producere) sed tamquam ad id, à quo postulat procedere, vt modo sibi connaturali producatur. Et sic intellectio humana ab intellectu humano, angelica ab angelico, volitio verò à voluntate postulat produci. Tertiò, dicit respectum ad subiectum cui naturaliter postulat inhærere; v.g. omnis actio immanens ad potentiam, à qua producitur, quia huic naturaliter postulat inhærere. contrà actio transiens postulat inhærere in subiecto distincto à potentia producente. 10 Quatuor in nostro actu consideranda. Omnis nostra actio dicit triplicem respectum.

Secundò, in actione considerari potest, quòd potentia ipsam producendo per eam tendat in aliquod obiectum, hoc cognoscẽdo, aut de eo aliquid affirmando, siue iudicando, vel ipsum amando. Quæ conditio præcipuè cõuenit actibus elicitis à potentia cognitiua aut appetitiua. 11

Tertiò, in actu considerari potest, quòd sit liber; in quo autem consistat libertas ipsius actus, dicam infrà disp.2.dub.1.

Quartò, in eo potest considerari quidam respectus ad rationem sufficienter hic & nunc cogno-

cognoscentem bonitatem & malitiam moralem, quæ actui ineſt aut ineſſe poteſt, ita vt eum eliciens habeat cognitionem requiſitam ad meritum aut demeritum. Quem reſpectum aliqui vocant regulabilitatem per rationem.

Satis autem conſtat, ex his quatuor primum & ſecundum ſupponi quidem in actibus moralibus, propriè tamen non pertinere ad eorum eſſe morale, ſed potiùs ad eſſe phyſicum ſeu naturale; nam etiam in actibus brutorum, qui ſunt omnino incapaces omnis eſſe moralis, reperiũtur. Sed difficultas eſt de tertio & quarto. Du- 12
Durandus. randus in 2. d. 38. q. 1. a. 1. & quidam alij docent totum hoc eſſe morale actuum conſiſtere præcisè in libertate. Primò, quia actus dicitur moralis à more ſiue conſuetudine, ſiue quia conſueto modo operandi fit: atqui conſuetũs modus operandi hominum eſt agere liberè: ergo eſſe actuum morale conſiſtit præcisè in libertate.
D. Thomas. Secundò, quia D. Thomas multis locis & alij communiter dicunt eundem actum eſſe liberum, moralem, & humanum: ergo eſſe morale eſt eſſe liberum. Tertiò, quia multi ſæpè agunt non cogitando an bene vel malè agant, & tamen hi eorum actus ſunt verè morales: ergo illa conſideratio ad hoc non requiritur. Si dicas tales hîc & nunc teneri conſiderare an bene vel malè agant, atque ita eorum actionem dicere reſpectum ad conſiderationem, quæ poteſt & debet ineſſe; illi negant aſſumptum, quia nullibi extat tale præceptum, & ſi quod eſſet, poſſet à multis inuincibiliter ignorari, atque ita eorum actiones eſſent morales ſine tali reſpectu.

13 Sed hæc ſententia non probatur. Primò, quia
Moralitas actuum non conſiſtit in ſola libertate. repugnat communi conceptui; omnes enim communiter per eſſe morale actuum concipiunt aliquid propriè pertinens ad moralem bonitatem vel malitiam noſtrorum actuum, & immediatum ad has ordinem dicens: quod non conuenit noſtris actibus præcisè qua liberi ſunt: nam præcisè qua tales nullum omnino ordinem habent ad bonitatem aut malitiam moralem: nam poſſum perfectè concipere aliquem actum eſſe perfectè liberum, nullo modo cõcipiendo eiuſmodi bonitatem aut malitiam, vel vllum ad eas ordinem. Secundò, quia actus moralis immediatè diuiditur in actum bonum & malum tamquam horum immediatum genus, & conſequenter debet habere omnes conditiones requiſitas ad tale genus immediatè conſtituendum. (voco autem hîc genus immediatum iſtorum actuum, quod immediatè in eos diuiditur, ſiue ſimul diuidatur in aliam immediatam ſpeciem, ſiue nõ:) atqui hoc ipſi nequit competere præcisè per libertatem ſine reſpectu ad ſupradictam cognitionem: ergo ſine hoc reſpectu nequit eſſe actus moralis. Minor probatur, quia ſine tali reſpectu ad ſufficientem cognitionem bonitatis vel malitiæ actus nequit eſſe formaliter bonus vel malus: ergo ſine eo non habet omnes conditiones ex parte generis immediati requiſitas ad conſtituendas actiones bonas vel malas, & conſequenter nequit horum eſſe genus immediatum. Sicut, quia corpus animatum ſine ſenſibilitate nequit eſſe homo vel brutum, bene ſequitur illud non eſſe horum genus immediatum; ſed ad hoc præterea requiri vt ſit ſenſibile. Probatur Tertiò, quia ſi per poſſibile aut impoſſibile aliquis haberet ſufficientem cognitionem vt liberè ageret, & tamẽ inuincibiliter careret omni omnino cognitione boni & mali moralis, ſiue virtutis & vitij (quod quidam putant contingere in pueris primò vſum rationis imperfectè adeptis, aut etiam in multis actionibus amentium) ille haberet actiones verè liberas, non tamen morales: ergo moralitas non conſiſtit in ſola illa libertate.

Ad primum argumentum contrarium, ne- 14
gandum eſt aſſumptum, vt patet ex dubio 1.

Ad ſecundum, Reſpondeo eos hoc dicere, quia ſaltem in eorum ac etiam communiore ſententia omnis actus verè liber eſt de facto etiam moralis, quia fit cum ſufficiente cognitione boni & mali moralis ſaltem in confuſo; non autem quòd putent moralitatem actus conſiſtere præcisè in libertate. Ad tertium, nego anteced. nam ſi tales habent ſufficientem vſum rationis ad eliciendos actus morales, hoc ipſo quo aduertunt quid agant ſufficienter vt poſſint verè liberè agere, etiam ſaltem in confuſo concipiũt aliquam rationem boni vel mali moralis; ita vt poſſint conſiderare an ipſorum actus ſit hîc & nũc licitus aut illicitus, ſiue an ſit malus nec ne; & conſequenter tenentur hoc cõſiderare. Quia nemo ſufficienter aduertens quid agat, licitè aliquid agit, ſi omnino neſciat an ſibi liceat hoc agere: quia ſic temerariè agit exponendo ſe periculo agendi aliquid illicitum: quod facere eſt apertè illicitum. Quòd ſi tales non habeant ſufficientem vſum rationis ad eliciẽdos actus morales, aut ſi hîc & nunc carẽant aduertentia neceſſaria vt agant liberè, palàm eſt eos non elicere actus morales.

Omnis aduertens quid agat tenetur conſiderare an licitè agat.

Confirm. quia aliàs ſequeretur fieri poſſe vt aliquis perfectè vtens ratione ſciens liberè blaſphemaret ſine culpa; ſi nimirum nullo modo, ne quidem confuſè aduerteret actionem ſuam eſſe malam: quia vt aliquis culpabiliter peccet, ſui actus malitia debet ei aliquo modo eſſe voluntaria; quod fieri nequit, ſi nullo modo aduertat actionem ſuam eſſe malam, quia omnino incognitum nequit eſſe voluntarium. cùm igitur abſurdum ſit dicere aliquem habentem ſufficientem cognitionem mali moralis habitualem, & cognoſcentem Deum, liberè & ſcienter poſſe eum blaſphemare ſine culpa; neceſſariò dicendum eſt hoc fieri non poſſe ſine aliqua actuali cognitione mali moralis.

Contrà Vaſquez 1. 2. q. 73. n. 43. & quidam a- 15
Vaſquez. lij conſtituunt totum eſſe morale actus in illo quarto, voluntq; libertatem ſolùm tamquam fundamentum prærequiri, vt actus ſit moralis; ſicut animalitas prærequiritur ad rationalitatem, non tamen hanc intrinſecè conſtituit. Vnde aliqui inferunt, actum externum, etſi non ſit immediatè in ſe liber, ſed tantùm ratione actus voluntatis eum operantis, tamen eſſe immediatè & formaliter in ſe moralem, & conſequenter poſſe eſſe in ſe formaliter malum.

Sed quidquid ſit de antecedente quod ali- 16
quo ſenſu probabiliter defendi poſſet, illud

Vt actus sit formaliter moralis, debet esse formaliter liber.

quod aliqui inde inferunt, non videtur verum. Primò, quia est contra communem sentẽtiam, vt infrà ostendam. Secundò, quia si, vt aliquis actus secundùm se esset formaliter moralis, sufficeret quòd esset extrinsecè siue mediatè liber in sua caussa; quatenus nimirum tam in inchoari quàm in continuari penderet continuò à voluntate liberè agente; posito casu quo appetitus bruti ita esset in mea potestate, vt qua ratione & quantum ac quamdiu vellem possem eum incitare ad agendum, & ab agendo comprimere (quod per Dei potentiã fieri posset) sequeretur huius actus esse intrinsecè & immediatè formaliter morales & formaliter malos si proximo iniustè nociui essent. Hoc autem est apertè falsum.

17 *Curiel.*

Tertiò, Curiel 1.2.q.18.a.1.dub.1.§.9. docet *esse morale* actuum consistere in habitudine ad obiectum consideratum secundùm rationem communem, qua obiectiuè pertinet ad genus morum. Vbi notat quòd, sicut in actibus est aliquod esse morale abstrahens à bonitate & malitia, quodque respectu horum sit genus; ita etiam debere considerari aliquam similem rationem in obiecto, quæ abstrahat ab obiectiua bonitate & malitia. Deinde probat suam cõclus. Primò, quia *esse morale* actus importat modum actus, quatenus est actio tendens in obiectum: ergo cõsistit in habitudine ad obiectum. Secundò, quia tota essentia bonitatis actus consistit in habitudine actus ad obiectum: ergo etiam genus ipsius bonitatis, siue ipsum esse morale.

18 In obiectis non reperitur esse morale generici abstrahens à bono & malo.

Sed hæc sententia imprimis supponit falsum fundamentum; scilicet in obiecto reperiri aliquod esse morale cõmune bonitati & malitiæ, & ab vtraque abstrahens. quod non videtur verum; quia, vt ipse etiam ibidem docet, obiectum non aliter habet in se esse morale obiectiuum, quàm quatenus est subiectum regulæ morum, vt prosequendum aut fugiendum nostris actibus: atqui prout abstrahit omnino à bonitate & malitia obiectiua, non est ita subiectum regulæ morum: ergo vt sic non pertinet obiectiuè ad genus moris. Sicut, quia ens non est obiectum voluntatis, nisi quatenus bonum aut malum, quatenus omnino ab vtroque abstrahit, nequit esse obiectum voluntatis, aut generícum, aut specificum. Argumenta etiam pro illa sententia allata soluuntur facilè.

19

Ad primum, nego antecedens, agendo de modo quem *esse morale* primò & omnino intimè & immediatè dicit. Vbi Nota, cùm *velle* essentialiter dicat vitalem tendentiam potentiæ in obiectum, non minùs intrinsecum dicere ordinem ad potentiam producentem, quàm ad obiectum: nec enim vllo modo potest concipi quòd actio sit tendentia potentiæ sine intrinseco ordine ad potentiam. Imò vitalitas dicit præcisè habitudinem ad solam potentiam, sicut etiam libertas. Quare cùm *esse morale* conueniat actui præcisè quatenus est libera tendẽtia potentiæ in obiectum cum sufficienti cognitione boni & mali moralis, etiam necessariò dicit habitudinem ad potentiam ipsum ea ratione producentem. Et quamuis dicat certum etiam modum tendendi in obiectum, illam tamen habitudinem dicit magis primò & per se, & hanc quasi consecutiuè & concomitanter. Quod patet, quia quæuis res consistens in habitudine aliqua ad aliam, maximè primò & per se dicit habitudinem ad illam à cuius positione maximè primò & per se pendet: atqui esse morale actus in genere maximè primò & per se pẽdet à dicto modo operandi potentiæ, scilicet cum libertate & sufficienti cognitione (his enim positis est moralis actio, & alterutro deficiente non est actio moralis:) ergo primò & per se dicit habitudinem ad ipsam sic operantem. Sicut libertas & vitalitas actus etsi connotent etiam ordinem ad obiectum, per se tamen & immediatè dicunt ordinem ad solam potentiam liberè operantem, & ab hac præcisè habent quòd tales sint.

Ad secundum, nego antecedens; nam hæc bonitas consistit etiam magna ex parte in habitudine ad potentiam liberè operantem, loquendo de bonitate formali, quam solam respicit actus moralis. nec D. Thomas vllibi contrarium docuit.

Ex quibus sequitur Primò, *esse morale* actus non consistere in sola libertate sine habitudine ad cognitionem, sed includere in se illum respectum siue habitudinem ad rationem cognoscentem bonitatem ac malitiam moralem. Secundò, illud non posse formaliter reperiri in aliquo actu, qui non sit formaliter in se liber. Patent hæc ex refutatione vtriusque sententiæ contrariæ. Vnde infero Tertiò, cum Zumel 1.p. q.14.a.13. in append.concl.3. probabilius esse vtramque habitudinem intrinsecè in esse morali ipsius actus includi: quia aliàs nulla videtur ratio, cur esse morale sine alterutra in aliquo actu reperiri, aut etiam distinctè & perfectè concipi nequeat. 20 *Zumel.* Esse morale actus includit intrinsecè duplicem habitudinẽ.

Vbi Nota. Etsi actionem liberè & cum tali cognitione à potentia procedere physicè loquendo nihil in ea ponat, sed sit mera denominatio extrinseca: ponit tamen in ea aliquid morale ipsi verè intrinsecum, quoque ipsa actio in ratione moris multum variatur; scilicet moralem quandam habitudinem ad potentiam liberè & cum cognitione boni & mali moralis sufficienti vt possit mereri aut peccare, operantem. In qua habitudine siue modo procedendi à potentia ita operante ipsius esse morale intrinsecè consistit. Libertas causat aliquid morale in ipso actu.

Sequitur Quartò, actum indifferentem verè liberum & elicitum cum sufficienti cognitione boni & mali moralis, esse verè moralem: quia quantum est ex modo procedendi à potentia, habet omnem conditionem requisitam, vt aliquis actus sit formaliter bonus aut malus, & consequenter habet conditionem requisitam ad constituendum immediatum genus actus boni & mali, quod est actus moralis. Confirmatur, quia, vt aliquis actus sit moralis, non requiritur, vt ex se absolutè natus sit efficere operantem bonum vel malum (quia sic actus moralis intrinsecè diceret actum bonum vel malum, necesset vtriusque genus abstrahens à bonitate & malitia) sed sufficit quòd sit natus 21 Actus indifferens habet esse morale.

cum

eum talem efficere quantum est ex modo suo procedendi à potentia, si aliæ conditiones ex parte obiecti requisitæ non deessent: siue quòd liberè eliciatur cum directo ordine ad bonitatem aut malitiam cognitam, quatenus eliciens perfectè cognoscit à suo actu hîc & nunc malitiam abesse: talis enim actus ad mores spectat, quatenus morum malitia per eum vitatur; atque ita rectè dicitur moralis.

22 Solus actus voluntatis est per se & intrinsecè moralis.

Sequitur Quintò, solos actus voluntatis esse in se immediatè ac intrinsecè formaliter morales, sicut soli sunt in se formaliter & immediatè liberi: reliquos verò solùm esse morales ratione actus voluntatis, à quo aliquo modo imperantur & informantur, & ita cum eo actum moraliter vnum constituunt.

23 Idem actus potest esse modò moralis, modò non.

Sequitur Sextò, cuiuis actui etiam voluntatis considerato secundùm suum esse physicum, esse omnino accidentarium quòd habeat aut non habeat esse morale, quo denominetur actus moralis: nam idem actus voluntatis potest initio esse necessarius, siue non liber ob omnimodum defectum aduertentiæ, & postea accedente aduertentia fieri liber & moralis sine vlla sui mutatione physica: vt infrà fusiùs docebo.

DISPVTATIO II.

De libero arbitrio.

CVm secundùm omnes constet, vt actus aliqui morales sint, necessariò requiri vt sint liberi, ijque dicantur liberi, qui à potentia libera procedunt; videndum nobis est quid sit libertas, & cui potentiæ formaliter insit.

DVBIVM I.

Quid sit liberum arbitrium?

1 QVidam vt hanc difficultatem expediant multum dispurant de origine huius nominis: & quia *arbitrari*, à quo illud deducunt, significat actum intellectus aliquid statuentis, volunt liberum arbitrium potissimùm significare indifferentiam ipsius intellectus, quatenus ex se indifferens est ad varias rationes, ob quas aliquid possit vel appeti vel reijci, simul intelligendas. Hanc autem sententiam maximè sequuntur, vt ex ea cõcludant libertatem ipsius voluntatis, potissimùm desumi ab hac intellectus indifferentia. Sed hi frustra laborant. nam, vt ostendi disp.1.n.4. nobis non tam est curandum à quo vox aliqua denominetur, aut etiam ad quid significandum sit primò imposita, quàm quo sensu communi vsu hanc illamúe disciplinam tractantium vsurpetur. Constat autem *arbitrium* communi vsu significare tam actum voluntatis quàm intellectus: optimè enim dicimus aliquem omnia agere pro voluntatis suæ arbitrio, id est placito. Vnde S. Bernardus infrà citandus vtrumque actum ei tribuit: &, vt infrà ostendemus, liberum arbitrium in sola voluntate formaliter consistit.

Malè inquiritur significatio liberi arbitrij ex eius deriuatione.

Bernard.

2 Clemens. Variæ liberi arbitrij definitiones.

Varij autem variè illud definiunt. Clemens (vel si quis alius huius libri auctor) l.3. Recognitionum, ait: *Arbitrij potestas est sensus animæ habens virtutem, qua possit ad quos velit actus inclinari. Sensum* autem latiùs capit pro quauis animi potentia; quaratione actum voluntatis solemus etiam sensum vocare, vt dum dicimur iniuriam aut beneficium nobis factum magno doloris lætitiæúe sensu percepisse. Auctori verò de Ecclesiæ dogmatibus est, *Rationalis voluntas*. Et

Auctor de Eccl. dogm.

D. Bernardus sermone 81. in Cantica de eo ait: *Sicut arbiter in discernendo, ita in eligendo liber, vnde & liberum nominatur arbitrium quòd liceat versari in his pro arbitrio voluntatis.* Alij aliter ipsum definiunt, communiter tamen ferè omnes in eo conueniunt, liberum arbitrium significare potentiam ad agendum & non agendum, sine qua homo, angelus & Deus ita habent suas actiones in sua potestate, vt possint agere aut non agere, prout libuerit. vt docet D. Augustinus l.1. Retract. c.9. & Method. l. de Lib. arbitr. vbi ait: *Cùm Deus vellet hominem honorare, dedit ei potestatem qua posset agere quod vellet*, &c.

Bernard. August. Methodius.

3 Suarez. Aluarez. Aristot. Lombard. D. Thom. Nominales.

Vnde Suarez l.1. de Concursu c.3.n.2. ait potentiam liberam communiter dici eam, *Quæ positis omnibus ad agendum requisitis potest agere & non agere.* Quam definitionem repetit etiam Aluarez l.12. de Auxilijs, disp.115. initio, dicitque eam sub ea forma non reperiri apud Aristot. Lombardum, aut D. Thomam, sed solùm apud aliquos Nominales, & posse habere verum sensum atque etiam falsum: quæ fusiùs ibidem explicat. Sed quamuis hæc definitio siue descriptio ijsdem verbis non reperiatur apud dictos Auctores, aut etiam apud Patres, tamen ex ijs quæ libero tribuunt arbitrio, satis colligitur, eamque insinuat apertè Trident. sess.6. cap.5. & can.4. vbi libertatem nostram qua ad Deum conuertimur, in eo ponit, quòd Deo tangente cor nostrum sua gratia possimus eidem assentiri aut dissentiri si velimus. Idem enim esse videtur nos posse agere & non agere *tangente Deo cor hominis*; &, nos posse agere aut non agere *positis omnibus ad agendum requisitis.* Quare non puto vllum Catholicum negare dictam descriptionem legitimo sensu acceptam esse veram. Sed difficultas est quo sensu dicta sint accipienda, an scilicet in sensu composito, an verò in diuiso. de quo agam dubio 3.

Trident.

DVBIVM II.

An in nobis sit libertas à necessitate?

4 NOta, libertatem variè apud Auctores tam sacros, quàm profanos sumi. S. Bernardus l. de

Bernard.

Libertas variè sumitur.

l.de libero arbitrio ponit triplicem libertatem. Prima est à necessitate, per quam actiones nostras habemus in nostra potestate, iuxta Apostolum, 1.ad Corinth.7.vbi ait: *Non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis.* Secunda à peccato, iuxta illud: *Liberati à peccato serui facti estis iustitiæ.* ad Roman.6. Tertia à miseria, ad Rom.8. *Tunc & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

1.ad Corint.

ad Roman.

ad Roman.

5 Commodiùs ad præsentem difficultatem explicandam, distinguunt alij triplicem libertatem. Primò, quatenus opponitur seruituti, sub qua comprehenditur libertas à peccato & miseria; nam his impliciti ipsis quodammodo seruiunt. Secunda libertas est à coactione: qua ratione priuatur libertate, qui vi & quantum possunt renitentes trahuntur quò nolunt. Tertia est à necessitate: qua ratione dicimur liberè agere, quæ ita agimus, vt in nostra potestate sit ea non agere. vt ostendi suprà ex 1.ad Corinth.c.7. & de hac tertia libertate nobis tota hîc est quæstio cum nostris hæreticis, qui secundam quidem libertatem in nobis admittunt, negant autem tertiam; vt patet ex Caluino l.2.Instit.c.2. §.6. Primam quidem libertatem verbis affirmant, quatenus dicunt Christum nos à peccatis liberasse; reipsa tamen eam negant, dum aiunt peccata post remissionem in nobis manere, & solùm non imputari. item nos necessariò in omnibus nostris operibus peccare, ita vt omnia opera nostra, quantumuis videantur bona, sint verè peccata, & quasi pannus menstruatæ. quæ si vera sint, nescio quomodo non seruiamus peccato, cùm hoc nihil sit aliud quàm nos peccatis subiectos & infectos esse. Sed hæc difficultas huc non spectat, sed ad materiam de iustificatione & merito, de qua etiam infrà ex parte agemus.

2.ad Cor.

Caluinus.

Secundùm hæreticos omnes omnino seruiunt peccatis.

6 Gaudemus libertate à necessitate.

Conclvsio. Fide tenendũ est nos in agendo esse liberos non solùm à coactione, sed etiam à necessitate, ita vt absolutè in nostra potestate sit multa facere quæ omittimus, & omittere ea quæ facimus. Ita communiter iam omnes Catholici: & patet ex Apostolo 1.ad Corinth.7. supracitato n.4. vbi expressè docet nos in aliquibus actionibus non habere necessitatẽ; sed potestatem voluntatis nostræ: quo apertè docet nos ab omni necessitate liberos habere in nostra potestate agere aut non agere prout libuerit. vnde Iosue 24.dicitur: *Optio vobis datur, eligite quod vobis placet.* & 2.Regum 24.ait Gad ad Dauid: *Trium datur tibi optio, elige vnum quod volueris.* quæ ridiculè dicerentur homini ad vnum necessariò determinato. Pulcherrimè hæc explicat Ecclesiasticus c.15.vbi ait: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui: adiecit mandata & præcepta sua; si volueris mandata seruare, conseruabunt te: & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Quæ nequeunt seriò & verè à Deo nobis dici, si omnia quæ agimus necessariò agimus. Idem communiter docent Patres. Nazian. in Apologetico paulò post initium. *Arbitrij*, inquit, *libertas parem in vtramq; partem motum habet.* Hilarius in psal.5.v.5. *Vnicuiq; nostrûm libertatem vitæ sensumq; permisit, non necessitate in alterutram partem affigens, vt vnumquemque ex natura bonum malumue esse lex cogeret. Sed qui nosper beneuolentiam vtendæ beatitudinis suæ creasset, profectum nobis ad id meritum vitæ innocentis honestatem constituit. Quid autem honoris ac præmij necessitas mereretur, cùm malos nos esse vis quædam conferta non sineret? voluntati ergo permissa bonitas est, vt præmium sibi voluntas bonitatis acquireret, essetq; nobis æternæ huius beatitudinis profectus atque vsus ex merito, non necessitas indiscreta per legem.* Similia habet in psal.118.v.173.

Iosue.

2. Regum.

Ecclesiast.

Nazianz.

Hilarius.

S.Augustinus l.2. contra Faustum c.5.ait: *Et nos quidem sub fato stellarum nullam hominum genesim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo vel benè vel malè viuitur, propter iustum iudicium Dei ab omni necessitatis vinculo vindicemus.* Vbi clarè insinuat Deum non posse nos iustè ob benefacta præmiare, & ob malè facta punire, si hæc necessariò faciamus. quod fusè etiam docet in libris de Libero arbitrio, & l.1.Retract.c.9. Idem tandem definiuit Trident.sess.6.cap.5.& can.4. Vnde meritò hæ duæ propositiones, scilicet, *Quod voluntariè fit, etsi necessariò fiat, liberè tamen fit;* &, *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* à Pio V. & Gregorio XIII. damnatæ sunt. Demum probatur clara ratione, quia aliàs non esset in nobis alia libertas quàm in amentibus aut etiam in brutis, quæ multa faciunt sine vlla coactione, sed omnino spontaneè & lubenter; vt quando pabulum comedunt. Quis autem dixerit nos non habere maiorem libertatem, quàm bruta, nisi iuxtà ac bruta desipiat?

S.Augusti.

Trident.

Pius V.

Greg.XIII.

Obijciunt hæretici Augustinum qui primò, in Enchir.c.105.ait: *Neque culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati sic esse volumus, vt esse miseri non solùm nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus.* vbi etiam docet Beatos non posse velle malum; & tamen non ideo carere libero arbitrio. Secundò, lib.5.de Ciuit.cap.10.ait: *Si illa definitur necessitas, secundùm quam dicimus, Necesse est vt ita aliquid sit vel ita fiat, nescio cur eam timeamus, ne nobis auferat libertatem voluntatis: neque enim & vitam Dei, & præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse Deum semper viuere & cuncta præscire.* Deinde addit: sicut non minuit Dei potentiam quòd non possit mori, aut falli; ita non minuere eius libertatem, quòd necesse sit eum semper viuere, omniaque futura præscire. Item necesse esse quidquid homo vult, libero velit arbitrio, & tamen ideo non tolli libertatem. Tertiò, l.de Natura & gratia c.46.ait, *Per quam enim absurdum est, vt ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram, quòd beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus: nec dicere audeamus Deum non voluntatem, sed necessitatem habere iustitiæ, quia non potest velle peccare.*

7 Augusti.

Augusti.

Augusti.

Obijciunt Secundò, ex D.Bernardo serm. 81.in Cantica, vbi ait: *Nescio quo prauo & miro modo ipsa sibi voluntas peccato quidem in deterius mutata, necessitatem facit; vt necessitas cùm voluntaria sit, excusare non valeat voluntatem; nec voluntas, cùm sit illecta, excludere necessitatem.* & infrà dicit animam simul esse ancillam propter necessi-

Bernard.

cessitatem, & liberam propter voluntatem.

8 Varia consideratione possumus simul agere liberè & necessariò.

Pro solutione Nota Primò, sicut possumus simul habere necessitatem circa vnam rem, & libertatem circa aliam, ita nos posse circa eandem rem secundùm vnam considerationem habere necessitatem, & secundùm aliam libertatem. v.g. Beati circa visionem Dei & amorem beatificum necessitantur, tamen amorem aliarum rerum liberè eliciunt. Item si clara luce nequeo claudere oculos, necessariò aliquid video; est tamen in mea potestate videre hoc vel illud, prout voluero faciem huc illucúe conuertere.

9 *August.*

Nota Secundò, S. August. in loco citato ex l. de Ciuit. per vitam Dei intelligere non solùm vitam quasi radicalem siue habitualem; sed præcipuè actualem, quæ consistit formaliter in functionibus vitalibus, v.g. in intellectionibus & volitionibus.

Tripliciter nobis aliquid dicitur necessarium.

Nota Tertiò, aliquid alicui dici necessarium tripliciter. Primò, propriè & absolutè, quod nulla ratione potest vitare; quale respectu nostrûm omnium est semel mori. Secundò, impropriè, quod valdè difficulter vitare potest; qua ratione Scriptura sæpè dicit esse impossibile, quod valdè difficulter fieri potest. Tertiò, ex suppositione & in sensu composito; sic necessariò moueor posito quòd curram.

10 *August.*

Ad primum ergo locum S. August. Respondeo, eum solùm velle ex eo quòd voluntas nostra necessitetur circa aliquod obiectum sub vna ratione, non perdere naturam suam aut libertatem circa alia obiecta, aut circa idem sub alia ratione consideratum. v.g. Beati nequeunt velle malum, possunt tamen res indifferentes liberè velle aut nolle; non possumus nolle esse beati, possumus tamen actu non velle esse beati nullum circa beatitudinem actum eliciendo; ideoque volitio beatitudinis nobis solùm est libera quoad exercitium, non autem quoad specificationem actus. Vnde etiam patet solutio ad tertium locum D. August. ex libr. de Natura & gratia. nam etsi Deus non possit velle iniustitiam, potest tamen non velle nostram iustitiam; sicut potest non velle nos esse. tantùm enim S. August. ibi vult ostendere non esse absolutè verum, quod dixerat Pelagius, scilicet eum, qui aliqua necessitate constringitur, priuari omnino libertate: ostendit enim eum non omnino priuari libertate, sed tantùm ex parte, siue sub ea ratione, qua necessitatur; vnde non dicit ipsius dictum esse omnino falsum, sed aliquam continere quæstionem; quia nimirum non est generatim verum. Aliam solutionem adfert Estius in 2. d. 24. §. 2. Sed hæc magis est ex mente D. Augustini.

Volitio beatitudinis solùm est libera quoad exercitium actus.

Estius.

11 *August.*

Similiter Respondeo ad secundum locum S. August. ex l. de Ciuit. solùm enim vult ex eo quòd aliquid sub vna ratione siue ex suppositione sit necessarium, non sequi illud nulla ratione nobis posse esse liberum, cùm sub alia ratione & secluſa hypothesi possit esse in nostra potestate. Patet exemplis quæ ibi adfert. Primum est de vita & præscientia Dei circa res futuras: nam etsi Deus necessariò semper viuat, etiam exercendo aliquas functiones vitales, v.g. aliquid intelligendo & amando, multa tamen liberè amat, & videt; v.g. creationem mundi & futuras creaturas, quæ potuisset nolle esse, & consequenter non videre: atque ita eius vita quoad exercitium harum functionum non est necessitati alligata, sed libera.

Deus multa liberè vult ac videt.

Secundum exemplum est, quòd homo necessariò libero arbitrio velit, quidquid vult. Vbi solùm est necessitas ex suppositione vt in sensu composito: idem enim est ac si diceret, posito quòd homo aliquid velit, necessariò id vult libero arbitrio siue voluntate, quia non est alia potentia, qua id possit velle. 12

Ex quibus nullo modo sequitur, idem sub eadem ratione nobis posse esse propriè & simpliciter liberum ac necessarium. Imò S. August. ibidem expresè contrarium docet. Primò, quia dicto c. 10. docet ea, quæ ita sunt necessaria, vt nullo modo sint in nostra potestate (qualis, inquit, est necessitas mortis) non esse nobis libera. Secundò, quia docet ex eo quòd Deus necessariò viuat & intelligat, non tolli ipsius libertatem, sicuti ex eo quòd nequeat mori aut falli, non tollitur ipsius omnipotentia. Sicut ergo in secunda parte huius similitudinis nullo modo intendit significare Deum habere potentiam, qua possit mori aut falli; sed solùm indicat ex eo quòd hæc non possit, non tolli ipsius omnipotentiam: sic etiam in priori exemplo nullo modo significat viuere ac intelligere Deo sub ea ratione esse libera, sub quâ sũt necessaria; sed solùm indicat ex eo, quòd hæc sub vna ratione sunt ei necessaria, non tolli ipsius libertatem circa alia aut etiam circa eadem sub alia ratione; vt iam ostendi. Tertiò, quia in fine capitis ex dictis infert, ideo ex eo quòd Deus videat nos peccaturos, non sequi nos non liberè peccare, quia non ideo sumus peccaturi, quia Deus videt nos peccaturos. ac si diceret, ideo præuisionem Dei non imponere necessitatem nostris actionibus, quia harum non est causa: apertè insinuans eam sublaturam nostram libertatem si esset causa cur ageremus. *August.* 13 Secundùm S. Augustinũ non ideo aliquid facimus quia Deus videt nos id facturos.

Ad locum D. Bernardi Respõdeo, eum ibi loqui partim de necessitate impropriè sumpta, prout significat magnam difficultatem; partim de necessitate ex hypothesi, quæ in hominis sit potestate, & consequenter libertatem non tollit. Agit enim de eo, qui consuetus peccare, grauem ad hoc inclinationem sentit, atque ita valdè difficulter, & non nisi cum magno conatu & labore potest abstinere; atque ita necessariò peccat necessitate consequentiæ, posito quòd nolit hunc conatum adhibere, aut si solas naturæ vires spectes destitutas gratia, sine qua omnia peccata vitare, aut à peccato resurgere non potest. Cui tamen, si velit, prout potest, diuinæ gratiæ strenuè collaborare, absolutè possibile sit à peccatis mortalibus abstinere. Parent hæc Primò. nam ipse vult talem voluntatem manere liberam in peccando, ad quod tamen, vt ostendi suprà nu. 2. ipse requirit potentiam ad vtrumlibet. Secundò, quia ibidem ait: *Nam quòd anima per se surgere iam non potest, quæ per se cadere potuit; voluntas causa est, quæ corruptis corporis vitiato ac vitioso amore langueſcens ac iacens, amorem iuſtitiæ pariter non admittit.* Vbi clarè ostendit, 14 *Bernardus.* *Bernardus.*

eam ideo præcisè dici nō posse surgere, quia per se id non potest, & quia vult adhærere amori vitioso, ideoque non admittit amorem iustitiæ, siue gratiam Dei ad iustitiam eam excitantem. Vbi clarè insinuat hāc necessitatem tantùm esse ex hypothesi, quæ animæ sit omnino libera, scilicet supposito illo amore vitioso, quem non vult, aut saltem non nisi valdè languidè vult excutere. vnde infrà ait: *Multum vis, quòd nolle nequeas, nec multùm obluctans.* quasi dicat, Ideo nequis nolle, quia non multùm obluctaris. & addit: *Porro vbi voluntas & libertas;* (scilicet est) *quod tamen dico de naturali* (qua scilicet absolutè in nostra potestate est aliquid facere aut omittere) *non de speciali, qua libertate liberauit nos Christus.* quando scilicet nos liberauit à peccato, ne ei seruiremus. Vbi clarè ostendit se non ponere in tali peccatore necessitatem quæ opponitur absolutæ libertati, sed solùm quæ opponitur libertati speciali, qua homo ab omni peccato grauiore, & vitioso amore liber, viam mandatorum sine vllo impedimento currit. Quod confirmatur; quia ipse Bernardus ibidem fusè docet nos nec mereri, nec demereri, nisi aut faciendo id quod possumus omittere, aut omittendo quod possumus facere. Obijciuntur adhuc alia quædam loca, sed quæ eandem habent solutionem.

Bernard.

DVBIVM III.

An quod communiter dicitur ad libertatem voluntatis requiri, vt positis omnibus ad agendum prærequisitis ipsa possit agere & non agere, prout libuerit, sit intelligendum in sensu composito, an diuiso?

15 *Aluarez.* Duplex sensus compositus ab aliquibus ponitur.

ALuarez lib. 3. de Auxilijs, disp. 25. n. 19 & l. 9. disp. 92. n. 5. & 6. & l. 12. disp. 115. n. 4. ponit duplicē sensum compositum. v. c. cùm dico: *Prædeterminatus à Deo potest in sensu composito non agere.* Secundùm eum potest hæc propositio habere duplicem sensum. Primò, vt fiat compositio inter *prædeterminationem & potentiam non agendi,* & hæc dicantur simul esse in eodem. Secundò, vt fiat compositio inter *prædeterminationem & non actionem*, & hæc dicantur posse esse simul in eodem. docetque dictam propositionem esse veram in priore sensu, in secundo falsam. Et similiter propositionem de qua disputamus docet esse veram, in sensu composito si fiat compositio inter *prærequisita ad agendum & potentiam non agendi.* (quia sicut tenebræ non auferunt nec corrumpunt potentiam visiuam, ita nec dicta prærequisita tollunt voluntatem, quæ est potentia ex se indifferens ad agendum & non agendum.) Si verò fiat compositio inter *prærequisita ad agendum & non actionem*, quasi hæc possint simul in eodem existere, ait esse falsam: quia fieri nequit vt sint simul in eodem *prædeterminatio prærequisita ad agendum & non actio.* Atque ita vt dicta descriptio liberi arbitrij hoc sensu sit vera, ait necessariò intelligendam in sensu diuiso.

16 Additque secundum sensum esse legitimum, ideoque minùs propriè illos loqui, qui primum vsurpant. Et meritò. nam cùm dico: *Existens in tenebris in sensu composito non potest videre,* non volo significare eum amisisse potentiam visiuam (quis enim in ijs verbis hunc sensum cōcipiat?) aut eum non habere potentiam, qua possit videre si tenebræ auferantur: sic enim non esset sensus compositus, sed diuisus. (nam si dicerem, Existens in tenebris potest videre in sensu diuiso; nihil aliud significarem, quàm illum habere potentiam, qua potest videre si tenebræ auferantur) sed significo eum non posse actu videre, quamdiu est in tenebris, ita vt visio & existentia in tenebris simul consistant. Nec credo dictam distinctionem sensus compositi aliter vnquam excogitatam, quàm vt possint eludi quædam argumenta, quibus alij probant prædeterminationem non posse consistere cum libertate. Ex dicta autem doctrina Aluarez supra cum alijs infert, has propositiones esse veras: *Prædeterminatus potest non agere.* item: *Non prædeterminatus potest agere.* has tamen esse falsas & impossibiles: *Prædeterminatus non agit.* item: *Non prædeterminatus agit.* Cuius rationem reddit disp. 23. n. 32. quia plura requiruntur vt aliquis actu agat, quàm vt possit agere. nam existens in tenebris potest videre, quia habet potentiam visiuam: fieri tamen nequit vt actu videat, dum existit in tenebris. hæc ille.

Vnus tamen solus est prorius.

17. *Aluarez.*

Pro resolutione Nota Primò, illa hîc dici 18 prærequisita ad agendum, quæ necessariò priùs tempore vel natura debent poni, quàm potentia exeat in actum: ita vt fieri nequeat vt hæc actu agat, nisi illa sint priùs natura posita. v. c. nequeo aliquid actu velle, nisi priùs natura id intelligam; nequeo aliquid actu videre, nisi hoc priùs natura illuminetur.

Quæ dicantur prærequisit. ad agendum.

Quæritur igitur vtrùm ad libertatem requiratur, vt in eo priori, quo hæc omnia intelliguntur posita; possit voluntas non agere, ita vt simul consistant illa esse posita & hanc non agere?

Nota Secundò, ita requisita quandoque esse in potestate eius, qui debet agere; vt si quis habeat fenestras omnino clausas, atque ita sedeat in tenebris, cùm tamen possit eas aperire, atque ita lumen admittere. Alias verò esse omnino extra eius potestatem; vt cùm vincto in loco omnino obscuro impossibile est habere lumen: & consequenter prior potest videre si velit, secùs est de secundo. Item habens omnia necessaria vt actu videat, potest non videre, si possit claudere oculos, secùs est si eos nequeat claudere. vt meritò cum communi hominum sensu in vtrisque casibus docet D. Augustinus lib. de Natura & gratia c. 47.

19 Quandoque sunt in potestate agentis, quandoque non.

Augustin.

Conclvsio I. Vt aliquis dicatur verè 20 posse, siue potens esse aliquid agere, non sufficit eum habere potentiam actiuam talis rei; sed requiritur vt etiam habeat omnia necessaria siue prærequisita ad agendum; ita vt hæc ei actu sint præsentia, aut saltem sit in eius potestate ea cùm libuerit habere. Patet, quia conclusus in tenebroso omnino carcere, vbi nullum omnino lumen habere potest, etsi habeat potentiam visiuam optimè constituram, & optimè

Carens prærequisitis nō est potens agere, nisi sit in eius potestate ea habere.

ptimè norit legere ; tamen est absolutè hîc & nunc impotens videre & legere, nec in his circumstãtijs potest verè dici posse videre ac legere; præsertim ea ratione vt horum omissio possit ei imputari ad culpam. Quis enim non diceret eum insanè crudelem , qui ita constituto præciperet aliquid legere , & non facientem ideo puniret?

21 Quæ requirantur vt quis possit non agere.

Conclvsio II. Vt quis dicatur absolutè & verè potens siue posse non agere, non sufficit quòd posset non agere si talis aut talis circumstantia abesset ; sed requiritur vt nulla ei adsit circumstantia cum qua non possit consistere ipsum non agere, aut saltem vt absolutè habeat in sua potestate omnem talem circumstantiam, prout libuerit, tollere. Patet, quia constitutus in loco lucido, & vbi magnus excitatur tumultus, si nequeat claudere oculos, aut aures obturare, nequit non videre & audire: quantumuis posset vtrumque facere si non impediretur claudere oculos, aureſque obturare: & crudeliter insaniret qui il i præciperet ne videret aut audiret, & non obedientem puniret. Vtramque conclusionem allatis dictis exemplis docet D. Augustinus. lib. de Natura & gratia c 45. & 47. Similiter etsi habeamus potentiam , qua possimus videre Deum si detur nobis lumen beatificum; tamen impossibile est nobis videre Deum , si illud nobis non detur: & similiter impossibile nobis est eum non videre, si illud habeamus. vtrumque tamen esset falsum si dictæ conclusiones essent falsæ.

Augustinus.

22 *Aluarez.*

Ex quibus patet, id quod dicit Aluarez superiùs, existentem in tenebris posse videre, planè repugnare D. Augustino , & communi hominum sensui; si loquatur de eo qui non habet in sua potestate habere lumen : si autem loquatur de eo qui habet in sua potestate habere lumen, nihil facit ad rem.

23 Dices, Qui nullum habet impedimentum ne eligatur Episcopus, potest verè eligi Episcopus; etsi non habeat in sua potestate efficere vt alij ipsum eligant: ergo constitutus in tenebris verè potest videre , etsi non sit in eius potestate habere lumen. Respondeo negando consequẽtiam : quia *talem posse eligi* nullo modo significat eum habere in sua potestate eligi, sed alios habere in sua potestate eum eligere: quod verum est. Quando autem dico, *Talis potest videre*, non significo in aliorum potestate esse vt videat, sed ipsum habere in sua potestate videre. Quæ maximè locum habent, si loquamur de potentia requisita ad libertatem & meritum aut demeritum; quæ debet esse talis, vt quis possit dici posse agere aut non agere si velit, siue prout voluerit , ita vt possit ob actionem aut omissionem puniri: in hoc enim casu illud etiam Antecedens apertè falsum est; scilicet talem posse eligi, si velit: ita vt non electio debeat ei ad meritum aut culpam imputari.

24 Conclvsio III. Ad veram libertatem, qualis ad meritum aut demeritum requiritur, non sufficit, quòd habeamus potentiam ex se, & vt præscindit ab ijs quæ ipsi ad agendum sunt necessaria , indeterminatam ad agendum ac non agendum; sed necessarium est vt positis ac spectatis omnibus ad agendum prærequisitis possimus agere & non agere. Ita Suarez lib. 1. de Concursu cap. 3. & Molina in sua Concordia disp. 2. & communiter omnes ij, qui contra hæreticos hoc tempore libertatem voluntatis defendunt. Probatur Primò, quia aliàs nostra libertas non excluderet necessitatem operandi aut non operandi, nec per eam essemus simpliciter & verè potentes agere & non agere; sed agens esset absolutè impotens non agere; & non agens absolutè impotens agere. vt patet ex dictis concluſ. I. & II. in homine concluso in tenebris habente potentiam visiuam omnino integram, aut constituto in lumine præsciſſis palpebris: quorum ille necessariò non videt, hic necessariò videt. Probatur Secundò, quia aliàs appetitus bruti esset etiam liber; nam ex se est indeterminatus ad aliquid appetendum vel non appetendum , & potest illud appetere si omnia prærequisita adsint, & non appetere si non adsint.

Suarez. Molina.

25 Dices, Ideo brutum non est liberum , quia non potest concipere obiectum sub ratione indifferenti ad vtrumque; siue ita vt iudicet non esse sibi hîc & nunc necessarium id appetere. Respondeo Primò , hoc solùm ostendere non esse in bruto æqualiter ac in nobis libertatem radicalem , quæ in intellectu consistit, non autem non esse in vtrisque æqualem libertatem siue indifferentiam formalem , quæ in voluntate consistit , & de qua hîc agimus. Respondeo Secundò , quidquid sit de nomine libertatis (quod aliqui aliter atque aliter , & quandoque latius ac minùs propriè sumunt) saltem sequeretur, appetitum bruti, & voluntatem nostram æqualiter habere suas actiones in sua potestate ; siue æqualiter posse prout libuerit, agere aut non agere: quia positis omnibus ad agendum prærequisitis vtraque potentia posset agere, & non posset simpliciter non agere; & ijs non positis posset non agere, & non posset absolutè agere. Illud autem est apertè absurdum.

26 Libertas requirit vt quis sit potens non agere in sensu composito.

Conclvsio IV. Dicta conclusio est intelligenda in sensu composito secundùm sensum explicatum n. 16. & 18. ita videlicet vt possit fieri vt voluntas habeat omnia prærequisita ad agendum, & tamen de facto non agat. Hæc est mens Auctorum quos citaui concl. 3. & verba illius conclusionis apertè hunc sensum innuũt.

Probatur , quia aliàs homo positis omnibus ad agendum prærequisitis non aliter esset potens non agere , quàm brutum famelicum sit potens non appetere propositum cibum , aut quàm conclusus in tenebris sit potens videre, vel impeditus obturare aures sit potens non audire circumsonantem strepitum. Nam brutum famelicum appetens propositum cibum potest eum non appetere in sensu diuiso , scilicet si non proponatur , aut si nullo modo fameat ; & ille conclusus est potens videre si auferantur tenebræ , & alter potest non audire strepitum si permittatur obturare aures. Item existens in tenebris potest videre etiam in sensu composito , secundùm priorem explicationem allatam n. 15. quia ipse verè habet potentiam

tiam visiuam integram & perfectam. Vnde vlteriùs ex alia sententia sequeretur, quòd, sicut nec brutum famens quia appetit propositum cibum, nec conclusus in tenebris quia non videt, merentur vllam pœnam; ita nullum vnquam fore dignum pœna, quia aliquod malum operatur: quia nemo hoc vnquam facit, nisi priùs natura ponantur omnia necessaria ad agendum, & his positis secundùm aliam sententiam non est magis potens id non agere, quàm illud brutum sit potens non appetere cibum, aut ille conclusus sit potens videre: nam in sensu diuiso & brutum famelicum potest non appetere cibum appositum, & existens in tenebris potest videre. Et similiter hæc etiam possunt in sensu composito secundùm priorem explicationem allatam n.15.

27 Dices, facientem aliquid prohibitum ideo peccare & fieri dignum pœna, quia ipse est causa cur ponantur omnia illa prærequisita ad agendum: sicut non legendo Horas peccat, qui sua culpa caret lumine ad legendum necessario.

Sua culpa factus impotens aliquid facere, non peccat hoc omittendo.

Sed contrà Primò, inde sequeretur talem non peccare propriè faciendo illud malum, sed solùm non impediendo quo minùs illa ponerentur: sicut sacerdos qui sua culpa coniectus est in tenebrosum carcerem, aut nauigaturus sponte domi reliquit breuiarium, atque ita fit impotens legere Horas, etsi peccauerit reddendo se impotentem; tamen postea non peccat non legendo. vnde si eum pœniteat prioris culpæ, perseuerat continuò esse in gratia sine lectione Horarum, & siue postea diu, siue exiguo tempore eas non legat, æquè grauiter peccauit, modò nolit renouet voluntatem siue complacentiam omissionis.

28 Secundò, explicari nequit, quomodo talis sit culpabiliter causa cur ponantur illa prærequisita. nam vel fuit eorum causa per nudam actus omissionem, & tunc secundùm eam sententiam non habuerit omnia necessaria ad ponendum actum, quo debuit eorum positionem impedire; & consequenter fieri non potuit, vt ille actus poneretur; vel fuit eorum causa per actum positiuum, & tunc necessariò priùs natura debuit habere omnia ad eum ponendum prærequisita; & consequenter dum eum posuit, fieri non potuit vt eum non poneret, & ita erit eadem ratio huius actus & subsequentis. Si dicas eum peccasse permittendo vt ea prærequisita ponerentur aut non ponerentur: petam similiter qua ratione hic peccarit, an actione an omissione, & sic ibitur in infinitum; aut tandem deueniendum erit ad instans, in quo positis omnibus ad agendum necessarijs homo potuit in sensu composito non agere; aut dicendum erit non magis fuisse in ipsius potestate illud malum non agere, quàm esset in mea potestate non audire blasphemias alicuius hæretici, si ligatis manibus, & ore obturato cogerer concionanti assistere: atque ita vtrumque nostrùm æqualiter aut peccaturum aut non peccaturum.

29 Hoc autem argumentum maximè vrget in sententia eorum, qui dicunt ad omnem actionem necessariam esse prædeterminationem, cum qua posita nequit simul consistere non actio. Ponamus igitur aliquem primò peccasse actione positiua, sequetur eum id non aliter potuisse vitare, quàm in supradicto casu possem non audire illius concionatoris blasphemias: quia ideo præcisè non possem eas non audire, quia nec talis mea præsentia naturaliter potest simul consistere cum non audientia; nec fuit in mea potestate, vt talis mea præsentia non poneretur: atqui secundùm illos nec illa prædeterminatio potest simul consistere cum non actione, nec in illius potestate fuit efficere, vt illa prædeterminatio non poueretur: ergo non magis fuit in eius potestate eum actum non facere, quàm dicto casu esset in mea potestate non audire illas blasphemias, & consequenter ille non magis esset culpandus ob illam actionem, quàm ego ob hanc auditionem.

Prædeterminatio pugnat cum potestate non agendi.

Dices, illum potuisse vitare eam prædeterminationem. Sed contrà omnes illi qui ponunt eas prædeterminationes, negant nos posse efficere ne prædeterminemur ad hoc aut illud faciendum. Secundò, hinc sequetur contra suppositionem, primum illius peccatum non fuisse illam actionem, sed negligentiam in vitanda illa prædeterminatione; quia sicut tenebatur vitare illud peccatum, ita etiam ea cum quibus vitatio peccati non possit consistere, qualis est illa prædeterminatio.

Probatur conclusio Secundò, ex Trident. sess.6.c.5.& can.4. vbi docet ad libertatem nostram requiri, vt tangente Deo cor nostrum ea gratia, cui de facto consentimus, possimus ei dissentire, eamque abijcere: atqui ad hoc necessarium est vt gratia prærequisita ad consensum, & consequenter omnia prærequisita ad agendum consistant cum negatione consensus, siue cum actuali dissensu: ergo hoc secundùm Tridentinum fieri potest. Minor probatur, quia gratia Dei præueniens cui consentimus, vt patet ex Tridetino suprà, est quædam interna motio & inclinatio voluntatis in bonum, qua Deus nos ad hoc interiùs excitat ac inclinat, sicut homo sua adhortatione aut petitione nos exteriùs ad aliquid excitat: ergo sicut nō possum hominis petitionem aut suasionē reijcere eiúe dissentire, nisi suasio & dissensus suo modo simul actu ponantur; ita non possum illam Dei gratiam siue motionem abijcere eique dissentire, nisi motio & dissensus simul actu ponantur: & sicut, si hæc non possent simul consistere, scilicet Petrum mihi aliquid suadere, & me ei non assentiri, nullo modo possem ipsius suasioni dissentire; ita, si fieri nequit, vt illa Dei gratia simul in me consistat cum dissensu, non potero ei dissentire.

30 *Trident.*

Vt gratiæ diuinæ dissentiam requiritur vt gratia & dissensus sint simul.

31 Hic locus Concilij est valdè difficilis Auctoribus contrariæ sententiæ: ideoque variè eirespondent; vt ostendit Aluarez de Auxilijs, disp. 92. Quidam enim volunt Concilium loqui de gratia solùm sufficienti: sed hos ipse meritò refutat, quia Concilium loquitur de gratia cui de facto consentimus; quod solùm conuenit efficaci, docetque nos posse ei dissentire. Ipse autem ibidem §. *Ad secundum*, respondet Primò, fieri nullo modo posse, vt quis actu dissentiat gratiæ efficaci, quia hoc significat dissensum & gratiam

Aluarez.

gratiam efficacem esse simul. quod ipse dicit esse impossibile: habentem tamen gratiam efficacem ait ei posse dissentire: quia potentia dissentiendi dicit respectum non solùm ad gratiam, quæ de facto habetur, sed etiam ad eam quæ haberi potest; atque ita potest esse simul cum gratia efficaci. Deinde §. *Ad sextum*, dicit hanc propositionem, *Petrus motus auxilio efficaci potest dissentire*, esse veram in sensu diuiso, & falsam in composito: ideoque Trident. in priore sèsu loqui. Deinde sibi objicit, Hæc propositio, *Petrus motus gratia efficaci potest dissentire*, debet absolutè esse falsa; quia propositio de inesse, qua illa immediatè regulatur, scilicet, *Petrus motus gratia efficaci ei dissentit*, est impossibilis. Et respondet Secundò, illam propositionem esse veram. quia, cùm dicimus, *Petrus dissentit gratiæ efficaci*, non est sensus quòd dissentit gratiæ quæ illi actu inest, sed quòd ponat impedimentum gratiæ sibi à Deo oblatæ. Deinde objicit sibi Secundò, Voluntas potest dissentire non solùm gratiæ efficaci sibi oblatæ, sed etiam ei, qua actu mouetur; ergo hæc propositio debet esse possibilis, *Voluntas dissentit gratiæ qua actu mouetur*. Respondetque Tertiò, hanc propositionem, *Voluntas potest dissentire gratiæ efficaci, qua actu mouetur à Deo*, esse veram absolutè loquendo, siue in sensu diuiso: non tamen debere regulari per propositionē de inesse, siue per hanc, *Fieri potest vt voluntas dissentiat gratiæ qua mouetur*. quia sic inuolueret sensum compositum.

32 Sed hæ responsiones videntur valdè difficiles. Primò, nam in priore absolutè dicitur hanc propositionem, *Petrus dissentit gratiæ efficaci*, esse falsam & impossibilem; quia significat dissensum & gratiam efficacem esse simul in eodem. quod ipse putat esse omnino impossibile. In secunda verò eadem propositio dicitur esse vera; quia potest intelligi de gratia non præsenti, sed solùm oblata. Quæ sunt apertè contradictoria.

Impediens ne gratia ponatur, ei proprie non dissentit.

Secundò, quia ratio pro secunda responsione allata videtur apertè falsa. nam, vt ostendi suprà, hæ propositiones sunt valdè diuersæ: *Voluntas dissentit gratiæ*; &, *Voluntas ponit impedimentum gratiæ sibi oblatæ*. sicut hæ sunt diuersæ: *Ego dissentio petitioni Petri*; &, *Ego impedio ne Petrus petat*. Priores propositiones apertè significant gratiam & petitionem de facto poni; secundæ significant eas non poni; sed solùm ponendas nisi poneretur impedimentum; atque ita apertè contraria significant. & tamen secunda responsio supponit eas idem significare.

33 Tertiò, quia secunda responsio supponit nos posse impedire ne Deus volens nobis dare gratiam efficacem, aut nos prædeterminare, ex parte sua nobis hæc offerendo, illud de facto faciat; atque ita nos posse Dei voluntatem reddere inefficacem. quod tamen Auctores illius

Aluarez. sententiæ communiter negant, & Aluarez disp. 105. in responsione ad 6. fusè refutat: docens auxilium efficax ac prædeterminans nullo modo pendere à libero nostro arbitrio.

35 *Trident.* Quartò, quia, etsi hæc responsio esset vera, nullo modo faceret ad rem. nam Trident. expresè docet nos posse dissentire gratiæ efficaci tangente Deo cor hominis, siue dum Deus per eam tangit cor: ergo non loquitur de gratia solùm oblata; sed de ea, quæ de facto nobis inest, & cui actu consentimus.

Quintò, quia vltima responsio videtur continere implicantiam. Primò, nam hæc duo, *Voluntas potest dissentire gratiæ qua actu mouetur*; &, *Fieri non potest vt voluntas actu dissentiat gratiæ qua mouetur*, videntur apertè contradictoria: quia in priore propositione hæc actio, *dissentire gratiæ qua mouetur*; dicitur voluntati absolutè & simpliciter possibilis; in secunda verò dicitur impossibilis. Secundò, quia dicitur hanc propositionem, *Voluntas potest dissentire gratiæ qua mouetur*, esse simpliciter veram in sensu diuiso, qui sensus non potest esse alius quàm hic, *Voluntas potest dissentire gratiæ qua actu mouetur, si ea non moueatur, siue si gratia absit*. Auctor enim illius responsionis ponit sensum diuisum in eo quòd dissensus diuidatur à gratia efficaci, ita scilicet vt non sint simul in eodem, quia putat implicare vt sint simul. Est ergo illa propositio similis huic: *Ioannes potest respondere tuæ propositioni, quam ei proponis in sensu diuiso, siue si ei nihil proponas*. quæ apertam implicantiam inuoluunt: quia nihil interroganti, respondere non possum. 36

Sextò, quia dictæ responsiones semper supponunt hanc propositionem, *Homo potest dissentire gratiæ efficaci, qua actu mouetur*; idem significare cum hac, *Homo eo tempore quo mouetur à Deo gratia efficaci, habet potentiam, qua potest gratiæ dissentire, quando ea non mouebitur*. Ac si diceres: *Ignarus potest respondere doctæ quæstioni, quæ ipsi proponitur*; id est, *Ignarus quando ei docta quæstio proponitur, habet potentiam ei respondendi quando ei non proponetur*. quæ communi sensui & modo loquendi apertè repugnant. Adde, illum sensum nullo modo facere ad propositum Tridētini, quod volebat contra hæreticos ostendere gratiam non tollere libertatem: quod nullo modo feciſſet si hanc propositionem, *Deo tangente sua gratia cor hominis, hic ei potest dissentire*, eo sensu intellexisset. 37

Nam hæretici non negant hominem excitatum Dei gratia retinere potentiam, qua possit non consentire gratiæ, quando ea non excitabitur (hoc enim nimis clarum est, & aliàs deberemus perpetuò gratiæ assentiri) sed negant fieri posse vt homo actu dissentiat gratiæ, qua à Deo mouetur, quod Concil. contra eos asserit, tamquam necessarium vt homo liberè consentiat. Secundùm verò alium sensum nullo modo ostendisset hominem liberè gratiæ consentire. nam etsi per gratiam præsentem libertas respectu consensus omnino tolleretur; tamen esset verum, eum dum gratia Dei excitatur posse ei non assentiri in sensu diuiso, siue eum tunc habere potentiam non assentiendi gratiæ, quando ea non excitabitur. Sicut hæc verissima est: *Videns clarè Deum potest eum non amare in sensu diuiso*; siue, *Talis habet potestatem eum non amandi, quando eum non videbit*. Cùm tamen ille omnino necessariò & nullo modo liberè amet Deum: præsertim in sententia S. Thomæ. Possent hæc *S. Thomas.* fusiùs probari ex Patribus, sed ne longior sim hoc omittam, vnoque D. Hieronymi loco *Hieron.* 38

con-

ptimè norit legere ; tamen est absolutè hîc & nunc impotens videre & legere, nec in his circumstãtijs potest verè dici posse videre ac legere; præsertim ea ratione vt horum omissio possit ei imputari ad culpam. Quis enim non diceret eum insanè crudelem , qui ita constituto præciperet aliquid legere , & non facientem ideo puniret?

21 Quæ requirantur vt quis possit non agere.

Conclvsio II. Vt quis dicatur absolutè & verè potens siue posse non agere, non sufficit quòd posset non agere si talis aut talis circumstantia abesset ; sed requiritur vt nulla ei adsit circumstantia cum qua non possit consistere ipsum non agere, aut saltem vt absolutè habeat in sua potestate omnem talem circumstantiam, prout libuerit, tollere. Patet, quia constitutus in loco lucido, & vbi magnus excitatur tumultus, si nequeat claudere oculos, aut aures obturare, nequit non videre & audire: quantumuis posset vtrumque facere si non impediretur claudere oculos, aureſque obturare: & crudeliter insaniret qui il i præciperet ne videret aut audiret, & non obedientem puniret. Vtramque conclusionem allatis dictis exemplis docet D. Augustinus. lib. de Natura & gratia c 45. & 47. Similiter etsi habeamus potentiam , qua possimus videre Deum si detur nobis lumen beatificum; tamen impossibile est nobis videre Deum , si illud nobis non detur: & similiter impossibile nobis est eum non videre, si illud habeamus. vtrumque tamen esset falsum si dictæ conclusiones essent falsæ.

Augustinus.

22 *Aluarez.*

Ex quibus patet, id quod dicit Aluarez superiùs, existentem in tenebris posse videre, planè repugnare D. Augustino , & communi hominum sensui; si loquatur de eo qui non habet in sua potestate habere lumen : si autem loquatur de eo qui habet in sua potestate habere lumen, nihil facit ad rem.

23 Dices, Qui nullum habet impedimentum ne eligatur Episcopus, potest verè eligi Episcopus; etsi non habeat in sua potestate efficere vt alij ipsum eligant: ergo constitutus in tenebris verè potest videre , etsi non sit in eius potestate habere lumen. Respondeo negando consequẽtiam : quia *talem posse eligi* nullo modo significat eum habere in sua potestate eligi, sed alios habere in sua potestate eum eligere: quod verum est. Quando autem dico, *Talis potest videre*, non significo in aliorum potestate esse vt videat, sed ipsum habere in sua potestate videre. Quæ maximè locum habent, si loquamur de potentia requisita ad libertatem & meritum aut demeritum; quæ debet esse talis, vt quis possit dici posse agere aut non agere si velit, siue prout voluerit , ita vt possit ob actionem aut omissionem puniri: in hoc enim casu illud etiam Antecedens apertè falsum est; scilicet talem posse eligi, si velit: ita vt non electio debeat ei ad meritum aut culpam imputari.

24 Conclvsio III. Ad veram libertatem, qualis ad meritum aut demeritum requiritur, non sufficit, quòd habeamus potentiam ex se, & vt præscindit ab ijs quæ ipsi ad agendum sunt necessaria , indeterminatam ad agendum ac non agendum; sed necessarium est vt positis ac spectatis omnibus ad agendum prærequisitis possimus agere & non agere. Ita Suarez lib. 1. de Concursu cap. 3. & Molina in sua Concordia disp. 2. & communiter omnes ij, qui contra hæreticos hoc tempore libertatem voluntatis defendunt. Probatur Primò, quia aliàs nostra libertas non excluderet necessitatem operandi aut non operandi, nec per eam essemus simpliciter & verè potentes agere & non agere; sed agens esset absolutè impotens non agere; & non agens absolutè impotens agere. vt patet ex dictis concluſ. I. & II. in homine concluso in tenebris habente potentiam visiuam omnino integram, aut constituto in lumine præsciſſis palpebris: quorum ille necessariò non videt, hic necessariò videt. Probatur Secundò, quia aliàs appetitus bruti esset etiam liber; nam ex se est indeterminatus ad aliquid appetendum vel non appetendum , & potest illud appetere si omnia prærequisita adsint, & non appetere si non adsint.

Suarez. Molina.

25 Dices, Ideo brutum non est liberum , quia non potest concipere obiectum sub ratione indifferenti ad vtrumque; siue ita vt iudicet non esse sibi hîc & nunc necessarium id appetere. Respondeo Primò , hoc solùm ostendere non esse in bruto æqualiter ac in nobis libertatem radicalem , quæ in intellectu consistit, non autem non esse in vtrisque æqualem libertatem siue indifferentiam formalem , quæ in voluntate consistit , & de qua hîc agimus. Respondeo Secundò , quidquid sit de nomine libertatis (quod aliqui aliter atque aliter , & quandoque latius ac minùs propriè sumunt) saltem sequeretur, appetitum bruti, & voluntatem nostram æqualiter habere suas actiones in sua potestate ; siue æqualiter posse prout libuerit, agere aut non agere: quia positis omnibus ad agendum prærequisitis vtraque potentia posset agere, & non posset simpliciter non agere; & ijs non positis posset non agere, & non posset absolutè agere. Illud autem est apertè absurdum.

26 Libertas requirit vt quis sit potens non agere in sensu composito.

Conclvsio IV. Dicta conclusio est intelligenda in sensu composito secundùm sensum explicatum n. 16. & 18. ita videlicet vt possit fieri vt voluntas habeat omnia prærequisita ad agendum, & tamen de facto non agat. Hæc est mens Auctorum quos citaui concl. 3. & verba illius conclusionis apertè hunc sensum innuũt.

Probatur , quia aliàs homo positis omnibus ad agendum prærequisitis non aliter esset potens non agere , quàm brutum famelicum sit potens non appetere propositum cibum , aut quàm conclusus in tenebris sit potens videre, vel impeditus obturare aures sit potens non audire circumsonantem strepitum. Nam brutum famelicum appetens propositum cibum potest eum non appetere in sensu diuiso , scilicet si non proponatur , aut si nullo modo fameat ; & ille conclusus est potens videre si auferantur tenebræ , & alter potest non audire strepitum si permittatur obturare aures. Item existens in tenebris potest videre etiam in sensu composito , secundùm priorem explicationem allatam n. 15. quia ipse verè habet potentiam

tiam visiuam integram & perfectam. Vnde vlteriùs ex alia sententia sequeretur, quòd, sicut nec brutum famens quia appetit propositum cibum, nec conclusus in tenebris quia non videt, merentur vllam pœnam; ita nullum vnquam fore dignum pœna, quia aliquod malum operatur: quia nemo hoc vnquam facit, nisi priùs natura ponantur omnia necessaria ad agendum, & his positis secundùm aliam sententiam non est magis potens id non agere, quàm illud brutum sit potens non appetere cibum, aut ille conclusus sit potens videre: nam in sensu diuiso & brutum famelicum potest non appetere cibum appositum, & existens in tenebris potest videre. Et similiter hæc etiam possunt in sensu composito secundùm priorem explicationem allatam n.15.

27 Dices, facientem aliquid prohibitum ideo peccare & fieri dignum pœna, quia ipse est causa cur ponantur omnia illa prærequisita ad agendum: sicut non legendo Horas peccat, qui sua culpa caret lumine ad legendum necessario.

Sua culpa factus impotens aliquid facere, non peccat hoc omittendo.

Sed contrà Primò, inde sequeretur talem non peccare propriè faciendo illud malum, sed solùm non impediendo quo minùs illa ponerentur: sicut sacerdos qui sua culpa coniectus est in tenebrosum carcerem, aut nauigaturus sponte domi reliquit breuiarium, atque ita fit impotens legere Horas, etsi peccauerit reddendo se impotentem; tamen postea non peccat non legendo. vnde si eum pœniteat prioris culpæ, perseuerat continuò esse in gratia sine lectione Horarum, & siue postea diu, siue exiguo tempore eas non legat, æquè grauiter peccauit, modò nolit renouet voluntatem siue complacentiam omissionis.

28 Secundò, explicari nequit, quomodo talis sit culpabiliter causa cur ponantur illa prærequisita. nam vel fuit eorum causa per nudam actus omissionem, & tunc secundùm eam sententiam non habuerit omnia necessaria ad ponendum actum, quo debuit eorum positionem impedire; & consequenter fieri non potuit, vt ille actus poneretur; vel fuit eorum causa per actum positiuum, & tunc necessariò priùs natura debuit habere omnia ad eum ponendum prærequisita; & consequenter dum eum posuit, fieri non potuit vt eum non poneret, & ita erit eadem ratio huius actus & subsequentis. Si dicas eum peccasse permittendo vt ea prærequisita ponerentur aut non ponerentur: petam similiter qua ratione hic peccarit, an actione an omissione, & sic ibitur in infinitum; aut tandem deueniendum erit ad instans, in quo positis omnibus ad agendum necessarijs homo potuit in sensu composito non agere; aut dicendum erit non magis fuisse in ipsius potestate illud malum non agere, quàm esset in mea potestate non audire blasphemias alicuius hæretici, si ligatis manibus, & ore obturato cogerer concionanti assistere: atque ita vtrumque nostrùm æqualiter aut peccaturum aut non peccaturum.

29 Hoc autem argumentum maximè vrget in sententia eorum, qui dicunt ad omnem actionem necessariam esse prædeterminationem, cum qua posita nequit simul consistere non actio. Ponamus igitur aliquem primò peccasse actione positiua, sequetur eum id non aliter potuisse vitare, quàm in supradicto casu possem non audire illius concionatoris blasphemias: quia ideo præcisè non possem eas non audire, quia nec talis mea præsentia naturaliter potest simul consistere cum non audientia; nec fuit in mea potestate, vt talis mea præsentia non poneretur: atqui secundùm illos nec illa prædeterminatio potest simul consistere cum non actione, nec in illius potestate fuit efficere, vt illa prædeterminatio non poueretur: ergo non magis fuit in eius potestate eum actum non facere, quàm dicto casu esset in mea potestate non audire illas blasphemias, & consequenter ille non magis esset culpandus ob illam actionem, quàm ego ob hanc auditionem.

Prædeterminatio pugnat cum potestate non agendi.

Dices, illum potuisse vitare eam prædeterminationem. Sed contrà omnes illi qui ponunt eas prædeterminationes, negant nos posse efficere ne prædeterminemur ad hoc aut illud faciendum. Secundò, hinc sequetur contra suppositionem, primum illius peccatum non fuisse illam actionem, sed negligentiam in vitanda illa prædeterminatione; quia sicut tenebatur vitare illud peccatum, ita etiam ea cum quibus vitatio peccati non possit consistere, qualis est illa prædeterminatio.

Probatur conclusio Secundò, ex Trident. sess.6.c.5.& can.4. vbi docet ad libertatem nostram requiri, vt tangente Deo cor nostrum ea gratia, cui de facto consentimus, possimus ei dissentire, eamque abijcere: atqui ad hoc necessarium est vt gratia prærequisita ad consensum, & consequenter omnia prærequisita ad agendum consistant cum negatione consensus, siue cum actuali dissensu: ergo hoc secundùm Tridentinum fieri potest. Minor probatur, quia gratia Dei præueniens cui consentimus, vt patet ex Tridetino suprà, est quædam interna motio & inclinatio voluntatis in bonum, qua Deus nos ad hoc interiùs excitat ac inclinat, sicut homo sua adhortatione aut petitione nos exteriùs ad aliquid excitat: ergo sicut nō possum hominis petitionem aut suasionē reijcere eiúe dissentire, nisi suasio & dissensus suo modo simul actu ponantur; ita non possum illam Dei gratiam siue motionem abijcere eique dissentire, nisi motio & dissensus simul actu ponantur: & sicut, si hæc non possent simul consistere, scilicet Petrum mihi aliquid suadere, & me ei non assentiri, nullo modo possem ipsius suasioni dissentire; ita, si fieri nequit, vt illa Dei gratia simul in me consistat cum dissensu, non potero ei dissentire.

30 *Trident.*

Vt gratiæ diuinæ dissentiam requiritur vt gratia & dissensus sint simul.

31 Hic locus Concilij est valdè difficilis Auctoribus contrariæ sententiæ: ideoque variè eirespondent; vt ostendit Aluarez de Auxilijs, disp. 92. Quidam enim volunt Concilium loqui de gratia solùm sufficienti: sed hos ipse meritò refutat, quia Concilium loquitur de gratia cui de facto consentimus; quod solùm conuenit efficaci, docetque nos posse ei dissentire. Ipse autem ibidem §. *Ad secundum*, respondet Primò, fieri nullo modo posse, vt quis actu dissentiat gratiæ efficaci, quia hoc significat dissensum & gratiam

Aluarez.

gratiam efficacem esse simul. quod ipse dicit esse impossibile: habentem tamen gratiam efficacem ait ei posse dissentire: quia potentia dissentiendi dicit respectum non solùm ad gratiam, quæ de facto habetur, sed etiam ad eam quæ haberi potest; atque ita potest esse simul cum gratia efficaci. Deinde §. *Ad sextum*, dicit hanc propositionem, *Petrus motus auxilio efficaci potest dissentire*, esse veram in sensu diuiso, & falsam in composito: ideoque Trident. in priore sèsu loqui. Deinde sibi objicit, Hæc propositio, *Petrus motus gratia efficaci potest dissentire*, debet absolutè esse falsa; quia propositio de inesse, qua illa immediatè regulatur, scilicet, *Petrus motus gratia efficaci ei dissentit*, est impossibilis. Et respondet Secundò, illam propositionem esse veram. quia, cùm dicimus, *Petrus dissentit gratiæ efficaci*, non est sensus quòd dissentit gratiæ quæ illi actu inest, sed quòd ponat impedimentum gratiæ sibi à Deo oblatæ. Deinde objicit sibi Secundò, Voluntas potest dissentire non solùm gratiæ efficaci sibi oblatæ, sed etiam ei, qua actu mouetur; ergo hæc propositio debet esse possibilis, *Voluntas dissentit gratiæ qua actu mouetur*. Respondetque Tertiò, hanc propositionem, *Voluntas potest dissentire gratiæ efficaci, qua actu mouetur à Deo*, esse veram absolutè loquendo, siue in sensu diuiso: non tamen debere regulari per propositionē de inesse, siue per hanc, *Fieri potest vt voluntas dissentiat gratiæ qua mouetur*. quia sic inuolueret sensum compositum.

32 Sed hæ responsiones videntur valdè difficiles. Primò, nam in priore absolutè dicitur hanc propositionem, *Petrus dissentit gratiæ efficaci*, esse falsam & impossibilem; quia significat dissensum & gratiam efficacem esse simul in eodem. quod ipse putat esse omnino impossibile. In secunda verò eadem propositio dicitur esse vera; quia potest intelligi de gratia non præsenti, sed solùm oblata. Quæ sunt apertè contradictoria.

Impediens ne gratia ponatur, ei proprie non dissentit.

Secundò, quia ratio pro secunda responsione allata videtur apertè falsa. nam, vt ostendi suprà, hæ propositiones sunt valdè diuersæ: *Voluntas dissentit gratiæ*; &, *Voluntas ponit impedimentum gratiæ sibi oblatæ*. sicut hæ sunt diuersæ: *Ego dissentio petitioni Petri*; &, *Ego impedio ne Petrus petat*. Priores propositiones apertè significant gratiam & petitionem de facto poni; secundæ significant eas non poni; sed solùm ponendas nisi poneretur impedimentum; atque ita apertè contraria significant. & tamen secunda responsio supponit eas idem significare.

33 Tertiò, quia secunda responsio supponit nos posse impedire ne Deus volens nobis dare gratiam efficacem, aut nos prædeterminare, ex parte sua nobis hæc offerendo, illud de facto faciat; atque ita nos posse Dei voluntatem reddere inefficacem. quod tamen Auctores illius

Aluarez. sententiæ communiter negant, & Aluarez disp. 105. in responsione ad 6. fusè refutat: docens auxilium efficax ac prædeterminans nullo modo pendere à libero nostro arbitrio.

35 *Trident.* Quartò, quia, etsi hæc responsio esset vera, nullo modo faceret ad rem. nam Trident. expresè docet nos posse dissentire gratiæ efficaci tangente Deo cor hominis, siue dum Deus per eam tangit cor: ergo non loquitur de gratia solùm oblata; sed de ea, quæ de facto nobis inest, & cui actu consentimus.

Quintò, quia vltima responsio videtur continere implicantiam. Primò, nam hæc duo, *Voluntas potest dissentire gratiæ qua actu mouetur*; &, *Fieri non potest vt voluntas actu dissentiat gratiæ qua mouetur*, videntur apertè contradictoria: quia in priore propositione hæc actio, *dissentire gratiæ qua mouetur*; dicitur voluntati absolutè & simpliciter possibilis; in secunda verò dicitur impossibilis. Secundò, quia dicitur hanc propositionem, *Voluntas potest dissentire gratiæ qua mouetur*, esse simpliciter veram in sensu diuiso, qui sensus non potest esse alius quàm hic, *Voluntas potest dissentire gratiæ qua actu mouetur, si ea non moueatur, siue si gratia absit*. Auctor enim illius responsionis ponit sensum diuisum in eo quòd dissensus diuidatur à gratia efficaci, ita scilicet vt non sint simul in eodem, quia putat implicare vt sint simul. Est ergo illa propositio similis huic: *Ioannes potest respondere tuæ propositioni, quam ei proponis in sensu diuiso, siue si ei nihil proponas*. quæ apertam implicantiam inuoluunt: quia nihil interroganti, respondere non possum. 36

Sextò, quia dictæ responsiones semper supponunt hanc propositionem, *Homo potest dissentire gratiæ efficaci, qua actu mouetur*; idem significare cum hac, *Homo eo tempore quo mouetur à Deo gratia efficaci, habet potentiam, qua potest gratiæ dissentire, quando ea non mouebitur*. Ac si diceres: *Ignarus potest respondere doctæ quæstioni, quæ ipsi proponitur*; id est, *Ignarus quando ei docta quæstio proponitur, habet potentiam ei respondendi quando ei non proponetur*. quæ communi sensui & modo loquendi apertè repugnant. Adde, illum sensum nullo modo facere ad propositum Tridētini, quod volebat contra hæreticos ostendere gratiam non tollere libertatem: quod nullo modo feciſſet si hanc propositionem, *Deo tangente sua gratia cor hominis, hic ei potest dissentire*, eo sensu intellexisset. 37

Nam hæretici non negant hominem excitatum Dei gratia retinere potentiam, qua possit non consentire gratiæ, quando ea non excitabitur (hoc enim nimis clarum est, & aliàs deberemus perpetuò gratiæ assentiri) sed negant fieri posse vt homo actu dissentiat gratiæ, qua à Deo mouetur, quod Concil. contra eos asserit, tamquam necessarium vt homo liberè consentiat. Secundùm verò alium sensum nullo modo ostendisset hominem liberè gratiæ consentire. nam etsi per gratiam præsentem libertas respectu consensus omnino tolleretur; tamen esset verum, eum dum gratia Dei excitatur posse ei non assentiri in sensu diuiso, siue eum tunc habere potentiam non assentiendi gratiæ, quando ea non excitabitur. Sicut hæc verissima est: *Videns clarè Deum potest eum non amare in sensu diuiso*; siue, *Talis habet potestatem eum non amandi, quando eum non videbit*. Cùm tamen ille omnino necessariò & nullo modo liberè amet Deum: præsertim in sententia S. Thomæ. Possent hæc *S. Thomas.* fusiùs probari ex Patribus, sed ne longior sim hoc omittam, vnoque D. Hieronymi loco *Hieron.* 38

con-

contentus ero, qui mirè loco ex Tridentino iam citato consonat. ita enim in c.49. Isaiæ post initium ait: *Hæc autem vniuersa dicuntur vt liberum hominis arbitrium monstraretur; Dei enim vocare est, & nostrum credere: nec statim si nos non credimus impossibilis Deus est; sed potentiam suam nostro arbitrio derelinquit, vt iusti voluntas præmium consequatur.*

39 Obijcies Primò, Nulla creatura indifferens ad agendum & non agendum potest se determinare ad agendum, sed debet à Deo ad hoc determinari & applicari; sed secundùm dictam conclusionem homo positis omnibus ad agendum prærequisitis esset adhuc indifferens ad agendum, & non agendum: ergo vt actu ageret deberet præterea à Deo ad hoc determinari. *Aristot.* Maior probatur Primò, quia Aristoteles 8. Physicorum, textu 33. docet nullam creaturam posse seipsam mouere, nisi priùs moueatur à Deo. Secundò, quia aliàs darentur plura prima principia: nam voluntas esset primum principium suæ actionis. Nec huic obstat, quòd voluntas habeat suum esse à Deo: quia inde tantùm sequitur, quòd non sit absolutè primum principium; non autem quòd non sit primum principium suæ actionis.

Secundò, vt quis videat requiritur vt aliquod obiectum illuminatum ei obijciatur, & vt oculos habeat apertos: atqui his positis in sensu composito non potest non videre, & tamen liberè videt: ergo vt quis liberè agat, non requiritur vt positis omnibus prærequisitis possit in sensu composito non agere.

40 Creatura libera potest seipsam determinare ad agẽdum. Ad primum, nego maiorem: nam si hoc esset verum, non esset in nobis alia potestas agendi aut non agendi, quàm sit in brutis: quæ etiam habent absolutam potestatem agendi, si ad hoc determinentur; & non agendi, si non determinentur; aut etiam diuersa & contraria diuerso tempore agendi, si ad ea determinentur.

41 *Aristot.* Aristoteles solùm docet inanimata necessario ab alio moueri. Ad primam probationem, nego assumptum. Aristoteles enim ibi solùm docet, corpora inanimata semper moueri ab alio, idque vel immediatè vel mediante alio corpore, vt quando baculo moueo aquam. qua etiam ratione docet, generantem mouere corpus graue aut leue à se genitum deorsum aut sursum, mediante grauitate aut leuitate, quam ei ingeneranit. Vnde etiam ibidem quando aliquis baculo mouet aliud corpus, & hoc mediante aliud, docet initium motus incipere ab homine mouente; apertè insinuans hoc non esse reducendum ad Deum nisi fortè remotè, quatenus indidit homini vim mouendi, & cum nostris actionibus concurrit.

42 Quid requiratur vt aliquid sit primum principium. Ad secundam, nego assumptum eiusq; probationem: nam vt aliquid dicatur simpliciter, siue sine vllo addito primum principium, requiritur vt à nullo alio sit factum, & vt possit independenter ab omni alio operari. Quare ex nostra sententia solùm sequitur, nostram voluntatem quarumdam actionum esse causam primam impropriè & secundùm quid: quatenus hæ in eam ita debeant referri, vt non possint referri in aliam tamquam in veram earum priorem causam, siue quæ sit causa cur voluntas hîc & nunc eas actiones exerceat: sicut cùm baculo moueo aquam, ego sum causa cur baculus aquam moueat, atque ita hæc motio debet in me tamquam in priorẽ causam referri. Multas autem nostras actiones non esse ita referendas in Deum, vt in causam, nescio quomodo negari possit. Nam aliàs sequeretur, quando aliquis Deum blasphemat aut odio habet; tam hoc odium, quàm illam blasphemiam, saltem quatenus sunt actiones talis speciei, esse referenda in Deum tamquam in causam: ita vt verè Deus dicatur earum esse causa, siue esse causa cur homo hîc & nunc eas eliciat. quod non credo aduersarios vmquam concessuros. Quis enim Catholicus facilè admittat hanc propositionem: Deus est causa cur ille impius hîc & nunc blasphemet? Non omnes actiones nostræ possunt referri in Deum, vt in earum causam.

Ad secundam obiectionem, Respõdeo eam nihil facere ad rem. Primò, quia nos hîc disputamus quid requiratur vt aliqua actio sit formaliter libera: illa autem visio non est formaliter in se libera, sed solùm in sua causa, siue quatenus est in potestate voluntatis excitare potentiam motiuam vt oculos aperiat aut claudat. Secundò, quia ille videns habet in sua potestate ponere vel non ponere prærequisita ad videndum; agimus autem hîc de casu, quo non sit in nostra potestate ponere prærequisita ad agendum, v.c. prædeterminationem; nam alij communiter fatentur non esse in nostra potestate efficere, vt Deus nos determinet aut non determinet, sicut est in nostra potestate oculos claudere vel aperire. Obijciunt præterea quædam in quibus tangitur illa difficultas, in quo consistat efficacia gratiæ: de qua hîc statui nihil disputare, ideoque hæc omitto: præsertim cùm ea sufficienter explicuerit Suarez lib.3. de Auxilijs cap.14. *Suarez.* Item quædam quæ spectant ad libertatem Christi, quæ explicabuntur infrà, n. 111. & 116. 43

DVBIVM IV.

Vtrùm libertas sit formaliter in intellectu, an in sola voluntate?

44 *Durandus.* DVrandus in 2. dist. 24. q.3. docet, libertatem formaliter esse in vtraque potentia, principaliùs tamen in intellectu. Primò, quia, sicut se habet cognoscens ad viuens, ita se habet liberum ad cognoscens; sed omne cognoscens est viuens, & secundùm omne illud, quo cognoscit, viuit: ergo omne liberum est cognoscẽs, & secundùm omne illud, quo est liberum, cognoscit. Secundò, quia potentia quæ est magis indifferens ad opposita, est magis libera: atqui intellectus est magis indifferens ad opposita: ergo est magis liber. Minor probatur, quia Aristoteles 9. Metaphys. c.2. dicit potentias rationales esse ad opposita: atqui intellectus est magis rationalis: ergo, &c. Tertiò, illa potentia est magis libera, quæ minùs dependet ab alia: atqui intellectus cùm possit sine voluntate operari, minùs ab hac pendet, quàm hæc ab illo: ergo, &c. Quartò, illa potentia est magis libera *Aristot.*

libera, per quam primò & per se habemus nostros actus in nostra potestate: atqui talis est intellectus: ergo, &c. Quintò, illa potentia est principaliùs libera, cuius actus primò & principaliùs sunt in nostra potestate: sed talis est intellectus: ergo, &c. Minor patet, quia primi actus quos habemus in nostra potestate, sunt iudicium quo iudicamus hoc medium præ alijs esse eligendum, & ipsa electio: atqui iudicium est prius electione: ergo illud est etiam prius & principaliùs in nostra potestate.

45 Libertas cõsistit radicaliter in intellectu.

Conclvsio I. Libertas radicaliter consistit in intellectu, quatenus propter suam amplitudinem potest diuersa simul concipere, & eandem rem sub diuersis rationibus: v.c. proponendo nobis diuersa media eligibilia, aut eandem rem quatenus ob vnam rationem potest amari, & ob aliam odio haberi: aut ita eam proponendo amandam, vt tamen simul iudicet hoc non esse omnino necessarium. In priore modo fundatur libertas contrarietatis, qua possumus eandem rem pro libitu velle, aut nolle siue odisse: in secundo fundatur libertas contradictionis, qua possumus eandem rem pro libitu velle aut non velle; ita tamen vt non possimus eam nolle. Sic liberè volumus beatitudinem in genere, quam nullo modo possumus nolle, ita vt absolutè nolimus esse beati. Ratio horum est, quia nisi intellectus posset in re aliqua apprehendere rationem boni, voluntas nullo modo posset eam amare: & nisi posset in ea apprehendere aliquid mali, voluntas eam nullo modo posset nolle; vt patet in beatitudine in genere, quam ideò non possumus absolutè nolle siue odisse, quia non possumus in ea apprehendere rationem mali. Item si intellectus apprehenderet rem aliquam vt hîc & nunc necessariò omnino appetendam, voluntas non posset eam non appetere. Patent hæc in somniantibus & amentibus, qui ideo non liberè sed necessariò multa appetunt, quia intellectus non potest illis obiecta cum ea indifferentia proponere.

Quid sit libertas contrarietatis.

Quid contradictionis.

46 Sola voluntas est intrinsecè formaliter libera.

D. Thom.

Conclvsio II. Formalis libertas est immediatè & intrinsecè in sola voluntate, & in alijs potentijs solùm quatenus à voluntate liberè mouentur, & ita extrinsecè per respectum ad voluntatem. Ita D. Thomas 1.p.q.83 a.3.& 4.& ferè communiter Theologi. Probatur Primò, quia sola voluntas habet immediatè suas actiones in sua potestate, ita vt positis omnibus ad agendum prærequisitis possit in sensu composito prout voluerit agere aut non agere: atqui, vt suprà ostendi, hoc est necessarium ad libertatem: ergo sola voluntas est formaliter libera. Maior probatur de intellectu, (eademque est ratio aliarum potentiarum) quia proposito ei obiecto vt apertè vero, aut apertè falso, necessariò iudicat id esse verum aut falsum, nec potest prius iudicare falsum, aut secundum verum; imò nec potest iudicium suum omnino suspendere, vt patet in dæmonibus, qui veritatis euidentia conuicti, velint nolint credunt Deum esse: vt dicitur Iacobi 2. & etiam in nobis, qui dum videmus aliquid coram nobis fieri, non possumus non iudicare id fieri. Item quando duo probabilia intellectui proponuntur, non potest fortiùs, siue tamquam veriori assentiri ei, quod ipsi apparet minùs probabile: & quando vtraque pars contradictionis ei proponitur vt æquè omnino probabilis, neutri potest positiuè assentiri, & statim atque vna ei apparet magis probabilis, necessariò inclinatur etiam in huius assensum, iudicando eam esse magis probabilem; quantum saltem est ex parte sua: nam imperio voluntatis potest tunc in vnam aut alteram partem magis inclinari, eique firmiùs adhærere, quam ratio per se suadet. Sed hoc solùm ostendit intellectum esse extrinsecè liberum, quatenus subest voluntati, vel potiùs hominem prout habet voluntatem, liberè intellectu vti.

Intellectus necessariò assentitur veritati clarè propositæ.

Iacobus.

Probatur Secundò, quia libertas est perfectio simpliciter, vnde etiam in voluntate Dei reperitur, & consequenter si posset esse formaliter in intellectu, deberet etiam reperiri in intellectu diuino: atqui hoc est falsum, quia Deus nullo modo liberè, sed necessariò omne verum intelligit, nec potest aliquod obiectum manens immutatum aliter intelligere, quàm illud de facto intelligat: & contrarium non diceret perfectionem, sed potiùs imperfectionem ipsius intellectus.

47 Libertas est perfectio simpliciter: reperitur in Deo.

Respondet Durandus, hinc solùm sequi diuinum intellectum non esse liberum in cognitione speculatiua; secùs tamen esse in practica: Nam sicut Deus liberè voluit mundum facere, & has creaturas potiùs, quàm alias: ita liberè iudicauit, mundum esse creandum, & has creaturas potiùs esse faciendas, quàm alias, cùm potuerit contrarium iudicare.

Durand.

Sed contrà cùm intellectus non possit tendere in obiectum nisi sub ratione veri; item cùm intellectus diuinus nequeat iudicare aliquid esse verum, nisi verè à parte rei verum sit; sequitur Deum non posse iudicare hunc mundum potiùs esse creandum quàm alium, nisi id priùs ratione, à parte rei verum sit. quia Deum iudicare hunc mundum præ alio creandum esse, nihil est aliud quàm ipsum iudicare, hanc propositionem esse veram: *Hic mundus præ alio creandus est.* atqui hoc ante omnem Dei liberam volitionem, qua statuit hunc mundum præ alio creare, fuit falsum: nulla enim in illo priori erat ratio, cur hic mundus esset creandus præ alio: nam quòd hic mundus fuerit de facto præ alio creatus, aut olim creandus, sola causa fuit diuina voluntas, cui ita liberè placuit: & contrarium fuisset verum si huic aliter placuisset. His adde, si ante omnem liberam Dei volitionem fuisset verum hunc mundum esse creandum præ alio, Deus non potuisset aliter iudicare (quia sic iudicasset falsum, quod impossibile est) atque ita non liberè, sed necessariò illud iudicasset: ergo ante omnem liberam volitionem Deus non potuit præsertim liberè habere illud iudicium.

48 Priùs ratione aliquid est verum quàm a Deo tale iudicetur.

Sola voluntas Dei libera fuit causa cur hic mũdus præ alio fuerit creandus.

Post decretum autem voluntatis, quo statuit liberè hunc mundum præ alijs creare, verum fuit hunc mundum præ alijs esse creãdum, quia Dei voluntas implenda erat, & sic intellectus hoc potuit iudicare; imò necessariò iudi-

49

cauit suppositio illo decreto. Confirmatur, quia intellectus nihil potest iudicare esse verum, nisi aliqua ratione ad id moueatur: clarè enim in nobis experimur nos non posse pro libitu iudicare aliquid esse verum, si nulla adsit ratio cur id iudicemus: atqui antè omnem liberam Dei volitionem nulla erat ratio cur hic mundus esset præ omnibus alijs possibilibus creandus: ergo Deus hoc non potuit iudicare. Minor probatur. quia vel fuisset præ alijs creandus, quia hoc erat necessarium, siue quia aliter fieri non poterat, vel quia erat absolutè melius hunc creare, quàm alium; vel quia Deus hoc volebat fieri. Duo priora dici nequeunt (quia Deus potuit nullum mundum creare; & hoc relicto creare alium absolutè meliorē) nec etiam tertium; quia sic supponitur libera Dei volitio, quæ illud iudicium præcedat, & sic illud iudicium non præcedit omnem Dei liberam volitionem.

50 Ad primum argum. Durandi, nego maiorem: inde enim sequeretur, sicut omnis cognitio est actio vitalis, ita omnem actionem liberam esse cognitionem: & consequenter, volitionem aut esse cognitionem, aut non esse actionem liberam: quorum vtrumque est apertè falsum.

Ad secundum, nego minorem: nam voluntas potest eligere minus bonum relicto meliore: & dùm est in via, quoduis bonum sibi clarè propositum non amare: intellectus autem nequit iudicare id esse verum, quod ipsi apparet minùs verum, aut veritati sibi clarè propositæ non assentiri. Vnde ex se propriè non est indifferens ad opposita, præsertim clarè sibi proposita, sed determinatus ad vnum asserendum, & alterum negandum. Ad probationem, Respondeo Aristotelem ibi non dicere potentias rationales habere se indifferenter ad opposita, sed esse ad opposita, quatenus vtrumque oppositorum respiciunt, vnum approbando, alterum refutando. Adfertque exemplum in medicina: quæ docet qua ratione sanitas acquiratur, & qua ratione perdatur: loquiturque non tam de potentijs naturalibus, quàm de artibus.

Intellectus non est indifferens ad opposita.

Aristot.

51 Ad tertium, Respondeo inde solùm sequi intellectum esse magis liberum ab indigentia & defectu, atque ita naturaliter magis perfectum, quàm sit voluntas; non autem eum esse magis liberum à necessitate; quia necessariò operatur; voluntas autem non necessariò, vt iam ostendi. Item hæc est magis libera à subiectione, quia potest intellectum applicare pro libitu ad diuersa cogitanda & apprehendenda, atque ita hic ei subiectus est; non tamen contrà.

Intellectus est minùs dependens quà voluntas: huic tamen subiectus.

Ad quartum, nego minorem, loquendo de potentia qua formaliter & immediatè habemus nostras actiones in nostra potestate: hoc enim competit soli voluntati, quia per intellectum solùm fundamentaliter & remotè eas habemus in potestate.

Sola voluntate habemus nostras actiones formaliter in nostra potestate.

Ad quintum, nego minorem eiusque probationem. supponit enim tria falsa. Primò, nos non esse liberos quoad exercitium actus in appetendo vltimo fine, siue vero siue falso: atque ita inordinatè amantem voluptatem tamquam finem suum non peccare. Secundò, iudicium, quo iudicamus aliquid præ altero esse eligendum, esse immediatè liberum: quod iam ostendi falsum esse. Tertiò, primam volitionem liberam esse electionem medij non necessarij ad finem, atq; ita nos non liberè amare finem: quod iam ostendi falsum esse.

Nota, quosdam Theologos qui nobiscum 52
tenent solam voluntatem formaliter esse liberam, & intellectum solùm radicaliter esse liberum, ita tamen se explicare vt totam rationem libertatis refundant in indifferentiam intellectus. Docent enim nostram libertatem totam in eo consistere, quòd intellectus iudicet bonum ad prosequendum voluntati propositum non habere necessariam cōnexionem cum bono in communi, ad quod ipsa est naturaliter determinata. Atque ita secundùm illos quandocumque intellectus proponit voluntati aliquod obiectum cum illa indifferentia, illa respectu huius obiecti necessariò habet formalem libertatem: ita vt Deus nequeat efficere, vt voluntas bonum ita sibi propositum necessariò appetat. Ita cum alijs Aluarez l.12. de Auxilijs, disp.116. n.3. *Aluarez.*

Sed hæc sententia mihi cum alijs visa est sem- 53
per difficilis. Primò, quia iudicat nos non posse liberè velle ea quæ actu scimus habere necessariam connexionē cum bono incommuni. quod tamen non est verum, quia, sicut liberè volumus bonum in communi, cùm possimus id non velle; ita liberè volumus ea, quæ iudicamus cum eo habere necessariam connexionem. Secundò, quia, etsi non possimus absolutè nolle beatitudinem secundùm se, possumus tamen nolle ea, quæ scimus habere necessariam cum ea connexionem. vt patet, cùm aliquis statim moriturus vult non restituere bona iniustè acquisita, etiam monitus & credens eam restitutionem esse necessariam ne irrecuperabiliter beatitudinem amittat, & æternùm sit omnino miser. Tertiò, quia docet, voluntatem naturaliter esse determinatam ad amorē boni in communi; quod non est verum: nam aliàs non possemus illud actu cognitum non amare. Quòd autem non possimus illud odisse, non fit propter vllam naturalem determinationem voluntatis, sed quia, cùm in eo non possit reperiri vlla ratio mali, deest obiectum odij, quod non potest respicere nisi malum.

Liberè amamus bonum in communi:

non possumus tamen id odisse.

Quartò, quia ex ea sequitur Deum non posse 54
hominis aut angeli viatoris voluntatem necessitare ad aliquid amandum nisi turbando aut impediendo illorum intellectum, ne possit veritatem cernere; quia aliàs semper poterunt videre illum amorem non habere necessariam connexionem cum aliquo, ad quod amandum naturaliter sint determinati. Illud autem videtur absurdum: nam videtur per se incredibile Deum non posse alicuius viatoris voluntatem, sine vllo defectu in eius intellectu, tam vehementer allicere ad alicuius virtutis amorem, vt ipse nequeat resistere; cùm Deus habeat infinitam vim alliciendi, & voluntas finitam vim resistendi: præsertim cùm non possit vlla planè solida reddi ratio cur Beati necessariò ament Deum, quàm quia Deus clarè visus ita vehemēter eos ad sui amorem allicit, vt voluntas nequeat

Deus potest immediatè nostram voluntatem necessitare.

queat resistere. Nam quod aliqui aiunt id fieri, quia non potest illis occurrere ratio cur velint desistere, non satisfacit: nam solùm probat eos non posse positiuè velle desistere, non autem eos non posse desistere ab amando. nam vt solùm non amem, non requiritur vlla ratio me ad hoc mouens, sed sufficit mera libertas. Adde, Beatos, nisi ea, quam dixi, ratione necessitarentur ad amorem, posse velle desistere, vt experiantur suam libertatem: atque ita ijs non deforet rationem, ob quam possint velle desistere.

Sextò quia hæc sententia verè à parte rei (etsi contrarium verbis asserat) ponit totam libertatem & indifferentiam in intellectu, vt magis constabit dubio 5.

55 *Henricus. Scotus. Suarez. Libertas cõsistit in intrinseca facultate voluntatis.* Quare cum Henrico quodlibet. 1. q. 16. Scoto in 2. d. 25. & Suarez lib. 1. de Concursu, c. 2. credo indifferentiam siue amplitudinem intellectus modo explicato conclus. 1. requiri quidem ad libertatem voluntatis, hanc tamen formaliter consistere in intrinseca facultate, siue potestate ipsius voluntatis, qua ipsa ita habeat dominium suorum actuum, vt positis omnibus ad agendum necessarijs in sensu composito possit agere & non agere. Quia, vt iam ostẽdi, potest fieri vt cum illa indifferentia, vel potiùs amplitudine intellectus consistat voluntatem necessariò agere, atque ita libertatem tolli. Confirmatur. quia libertas consistit in indifferentia ad opposita, intellectus autem, vt ostẽdi n. 46. & 50. etsi respiciat opposita, ex se tamen non est ad ea indifferens, sed naturaliter est determinatus vt id, quod verius apparet, approbet, alterumq; improbet. Dices, Libertas radicaliter consistit in intellectu: ergo debet ab hoc produci, sicut arbor à radice. Respond. nego consequentiam. quia similitudo hæc non debet esse omnimoda; sed ad veritatem antecedentis sufficit, quòd, sicut arbor, vt viuat, necessariò requirit radicem, ita voluntas vt liberè agat, requirat illam amplitudinem intellectus.

DVBIVM V.

Vtrùm voluntas necessariò velit id quod intellectus hic & nunc iudicat maximè appetendum, aut vehementiùs apprehendit?

56 *Guilielmus Estius.* GVilielmus Estius in 2. d. 24. §. 3. & quidam alij putant voluntatem nihil posse velle, nisi intellectus priùs iudicet id omnibus spectatis hîc & nunc esse maximè expetibile, siue absolutè amplectendum aut faciendum. eo autem iudicio posito putant eam nullo modo posse id non velle, quod intellectus ita iudicat volendum. Probant id Primò, quia voluntas est potentia rationalis: ergo semper sequitur rationem. vnde D. Bernard. lib. de Gratia & libero arbitrio docet, voluntatem, etsi non semper agat ex ratione, numquam tamen agere sine ratione. Secundò, quia obiectum voluntatis est bonum cognitum, & iudicatum tale: atqui, si ipsa ferretur in id, quod non iudicatur maximè expetibile, ferretur in bonum non iudicatum tale: ergo illud nequit facere. Minor probatur, quia id quod est minus bonum collatum maiori bono, habet rationem mali: ergo non potest iudicari bonum. Tertiò, quia aliàs voluntas temerè ferretur in suum obiectum. Quartò, quia aliàs posset quis peccare sine errore intellectus: atqui hoc est absurdum, quia Prouerb. 14. dicitur: *Errant qui operantur malum*: ergo, &c. *Prouerb.* Quintò, quia Aristoteles 3. de Anima c. 9. textu 46. docet, ad motum non sufficere intellectum speculatiuum rei terribilis, quia non præcipit fugere: ergo sentit ad volitionem requiri iudicium practicum, siue præcipiens actionem. *Aristot.*

Sed hæc sententia alijs meritò videtur valdè difficilis. Primò, quia inde sequeretur neminem peccare nisi ex iudicio hæretico. quod sic probo, quia secundùm illam sententiam omnis peccans iudicat omnibus consideratis hîc & nũc melius sibi esse hoc facere, v. g. furari, quàm non facere: atqui hoc est contra fidem, quæ docet absolutè esse melius id omittere: ergo omnis peccans habet iudicium hæreticum. 57

58 *Estius.* Respondet Estius in 2. d. 22. §. 20. ad 5. talem non habere iudicium hæreticum, quia non iudicat sibi licitum esse furari; sed solùm hoc sibi hîc esse faciendum. quod non est hæreticum. Sed cõtrà; Hæc propositio: *Hoc mihi hîc & nunc omnibus consideratis est faciendum*, vel significat hoc hîc & nunc esse præceptum, vel saltem honestum; vel esse necessarium, ac euitari non posse; vel absolutè expedire siue esse melius, quàm cõtradictorium; vel demum Quartò statuo siue absolutè volo hoc facere. Siue (quod idem est) intellectus iudicat hoc hîc & nunc esse faciendum, vel quia præceptum, aut honestum est; vel quia euitari non potest; vel quia hîc & nunc melius est quàm contradictorium, atque ita absolutè expedit; vel quia voluntas vult hoc facere: nec enim hîc alia significatio illius propositionis, aut ratio illius iudicii videtur posse adferri, & iudicium nihil potest iudicare sine aliqua ratione, aut saltem sine imperio voluntatis. Ex dictis autem tria priora repugnant sanæ doctrinæ. est enim contra fidem docere alicui aliquo casu esse præceptum aut honestum, vel necessarium, vel absolutè melius peccare, quàm non peccare. Si admittant quartum, tunc aliqua volitio præcedet atque imperabit illud iudicium, atque ita ad omnem volitionem non erit necessarium tale iudicium.

59 Secundò, quia illa sententia videtur euertere omnino libertatem voluntatis, quæ exigit, vt voluntas positis omnibus ad agendum necessarijs possit pro libitu agere aut non agere, idque in sensu composito, vt ostẽdi dub. 3. concl. 4. Atqui secundùm illam sententiam hoc fieri non posset: ergo tolleretur libertas. Minor probatur, quia inter necessariò prærequisita vt voluntas velit, secundùm eã sententiam est illud iudicium, quo posito fieri nequit vt non velit.

60 *Estius.* Estius in 2. d. 24. §. 4. versu, *Tertium, si.* & versu, *Quæ cùm ita sint*, Respondet ad libertatem voluntatis sufficere illam indifferentiam intellectus, qua potuit contrarium iudicare, si alia ratio ei occurrisset, & quòd voluntas posito illo iudicio possit in sensu diuiso non velle. Sed

contrà Primò, vt ostendi suprà, ad libertatem voluntatis requiritur, vt positis ad agendum prærequisitis possit non agere in sensu composito. Secundò, quia, vt ostendi n.46.& 50. intellectus propriè non est indifferens ad oppositа probanda vel improbanda, sed ex se est determinatus, vt probet quod ei maximè verum apparet; ideoque id, quod ex se antecedenter ad omnem libertatem voluntatis iudicat hîc & nunc faciendum esse, omnino necessariò ita iudicat, & nullo modo liberè. Quare si voluntas id non possit non velle, non magis liberè id appetet, quàm brutum appetat id, quod apprehendit appetendum. Nec refert quòd intellectus positis aliis circumstantiis potuit contrarium iudicare, quia etiam brutum positis aliis circumstantiis potuit contrarium apprehendere, atque ita illud non appetere. Quare illa sententia videtur nobis omnem tollere libertatem.

Iudicium antecedens actum volũtatis est omnino necessarium.

61 Respondent alii, nos liberè velle, quia hoc iudicium est in nostra potestate. Pro quo notãt intellectum primò proponere obiectum voluntati cum variis vtrimque rationibus cur appeti aut reiici debeat, atque ita voluntatem inclinari modò in vnam, modò in alteram partem, & in eius potestate esse sinere se moueri vel resistere, non quidem positiuè (quia sic aliqua volitio præcederet illud iudicium) sed merè negatiuè, siue purè non sinendo se trahi. statim autem atque ipsa sinit se ab aliqua ratione trahi ad vnam partem, intellectus omissa alia inquisitione iudicat hanc amplectendam, & statim sequitur electio. Atque ita per hoc præcisè voluntas habet suam actionem in sua potestate, quatenus suo arbitrio potest se huc vel illuc sinere trahi.

62 Sed contrà Primò, hinc sequetur voluntatem positis ad agendum prærequisitis, non posse in sensu composito non agere: atque ita nullam ipsius actionem esse immediatè in eius potestate eiúque liberam, sed solùm mediatè, quatenus potuit illud iudicium impedire. sicut mediatè solùm est in mea potestate non videre mihi obiecta, quatenus in mea potestate est claudere aut auertere oculos. Et consequenter nulla actio voluntatis erit secundùm se peccatum formale, sed solùm ratione illius negligentiæ, qua non impediuit illud iudicium practicum, quæ sola erit secundùm se formaliter peccatum. Sicut secundùm communem sententiam actio externa non est formaliter peccatum, nisi ratione actus voluntatis, à quo imperatur. Hæc autem illata sunt contra communem omnium sententiam, & apertè absurda.

Volũtas debet habere suas actiones immediatè in sua potestate.

63 Secundò, hæc sententia videtur se ipsam euertere: nam voluntatem trahi ad aliquid, siue ab aliquo, nihil est aliud quàm eam ad eius amorem inclinari, atque ita saltem imperfectè & inchoatiuè illud velle, iuxta illud D. Augustini. *Pondus meum amor meus.* si ergo voluntas ante illud iudicium possit ita ab obiecto trahi, atque incipere illud velle, ita vt necessarium sit ipsam resistere ne omnino trahatur, siue ne omnino & perfectè velit, cur non poterit illud statim absolutè velle sine illo iudicio? Item, vt patet ex secunda ipsius ratione, illa sententia docet, nihil posse esse obiectum volũtatis, aut ab ea appetibile, nisi priùs iudicetur hîc & nunc esse amplectendum. Vnde sequitur, eam priùs à nullo obiecto potuisse trahi, quia nullum obiectum fuit priùs à voluntate appetibile, nec ipsa potest trahi nisi ab obiecto appetibili.

Volũtas nequit ad aliquid trahi sine vllo actu. *Augusti.*

Rationes etiam pro ea allatæ facilè soluuntur. Ad primam, nego conseq. quia voluntas dicitur potentia rationalis, non quòd semper sequatur id, quod ratio siue intellectus dictat sequendum (quia sic numquam peccaret contra actuale dictamen rationis) sed quia nihil potest velle, nisi per rationem sibi propositum, vt bonum honestum, aut delectabile, aut vtile; & hoc apertè experimur, & docet D. Bernard. suprà, vbi docet voluntatem numquam agere sine ratione, non tamen semper agere ex ratione. quibus verbis apertè refutat dictam sententiam. quia voluntatem non agere ex ratione, nihil est aliud, quàm eam non sequi rationem siue iudicium, quo iudicamus hoc aut illud esse faciendum aut non faciendum. vnde verbis citatis subiungit: *Ita vt multa faciat per ipsam* (scilicet rationem) *contra ipsam, hoc est, quasi per eius ministerium, contra eius consilium*, siue iudicium. Quòd si voluntas, vt altera sententia vult, semper vellet id, quod ratio hîc & nunc iudicat esse appetendum, numquam ageret contra eius iudicium, prout S. Bernardus eam sæpè agere docet. Ad secundam, nego minorẽ. Ad probationem, Respondeo, vt summum probare tale obiectum non esse omni ex parte & absolutè bonum; sed hoc nõ est necessarium, vt voluntas illud velit, sed sufficit quòd habeat in se aliquã rationem boni, etsi maiori malo permistam: nam aliàs nemo posset velle eam delectationem, qua scit se mereri damnationem: cuius tamen contrarium quotidie fit. Ad tertiam, concedo voluntatem, quoties peccat, temere, id est imprudenter, ferri in obiectum: non tamen casu id facit, sed ex certa intentione scienter, appetens bonum delectabile.

64 Cur voluntas dicatur potentia rationalis.

Bernard.

Ad quartam, distinguo maiorem: si enim intelligatur de errore positiuo, quo peccans ante omnem volitionem iudicat hoc sibi faciẽdum esse, vt secundùm illam sententiam intelligitur, nego minorem: quia omnem peccantem peccare ex tali errore suprà nu.57. ostendi dici non posse, & apertè repugnat D. Thomæ 1.p.q. 63.a.1.ad 4. vbi docet aliquos peccare ex errore, alios ex ignorantia, alios ex solo defectu cõsiderationis. Quòd si errorem latiùs sumas, prout hæc omnia complectitur; nego maiorem. Nam sine necessitate illius iudicii potest consistere omnem peccantem peccare ex aliqua aut ignorantia, aut inaduertentia, aut defectu considerationis, quatenus ipse ea, quæ ipsum à peccando possent auertere, minùs diligenter considerat. quod nihil facit ad rem præsentem, quare de eo hîc non disputo.

65 Potest quis peccare sine vero errore intellectus.

D. Thom.

Hoc solùm noto, ad hoc probandum malè adferri illud Prouerb.14. *Errant qui operantur malum.* Sapiens enim ibi solùm loquitur de iis, qui dolis & malis artibus per fas & nefas, conantur diuitias ac felicem statum obtinere; quos dicit errare, siue falli, quia nequeunt ea ratio-

66 *Prouerb.*

ratione peruenire ad id quod pretendunt. vnde hebraicè habetur, הֲלֹא יִתְעוּ חֹרְשֵׁי רָע, *nonne errant qui fabricant* (siue *meditantur*) *malum?* & subiungit: *Misericordia & veritas meditantibus bonum.* q.d. Qui mala meditantur vt sibi viam ad felicitatem sternant, ad hanc non peruenient, atque ita falluntur, & errant à via ducente ad felicitatem: ad quam tamen Dei misericordia & veritate siue fidelitate in seruandis promissis perueniunt, qui bona meditantur & recta via incedunt. Adde, nos non solo intellectu, sed etiam voluntate errare, dum mala agendo à recta via discedimus. Quare etsi velimus eo loco absolutè significari omnes omnino peccantes errare, nihil iuuabit ad probandum omne peccatum procedere ex aliquo intellectus errore aut ignorantia, quia ille locus poterit intelligi de errore voluntatis. sed hæc pluribus disputare ad hunc locum non spectat.

Non solo intellectu, sed etiam voluntate erramus.

67 *Aristot.* Ad quintam, nego consequentiam. Aristoteles enim ibi non disputat, qualis intellectio requiratur vt aliquid velimus, sed quod sit principium motus localis, & docet non esse intellectum, siue speculatiuum, siue practicum: nam cum vtroque stat hominem non moueri, quia potest & rem terribilem concipere, & iudicare fugiendam esse, & tamen non fugere resistente appetitu. Deinde c.10. docet ad motum requiri & intellectum, quo aliquid expetibile per motum acquirendum proponitur, & voluntatem siue appetitum applicantem potentiam motiuam ad motum. Quare hic locus potiùs contrarium probat, scilicet voluntatem posito illo iudicio practico posse non agere.

Ad motum non sufficit solus actus intellectus.

68 *Fonseca.* Quidam alii apud Fonsecam 6. Metaphys. c. 2. qu. 5. sect. 15. docent, voluntatem ex duobus bonis sibi per intellectum propositis posse quidem neutrum eligere, non posse tamen eligere quod ille minùs consideret. Probatur Primò, *Augus.* quia D. August. lib. 2. de Peccatorum meritis & remiss. cap. 17. ait: *Nolunt homines facere quod iustum est, siue quia latet an iustum sit, siue quia non delectat. tanto enim vehementiùs quodque volumus, quanto certiùs quàm bonum sit nouimus, eoq; delectamur ardentiùs.* Secundò, quia Aristoteles Ethic. *Aristot.* 7. c. 10. docet, incontinentem peccantem non aliter scire ac considerare malum quod agit, quàm temulentum aut dormientem. Tertiò, quia experimur voluntatem semper amplecti bonum, quod intellectus magis considerat.

69 Sed nec hæc quidpiam probant. Ad primum, Respondeo aut nihil probare, aut probare quod illi negant, scilicet nos semper velle id, quod iudicamus optimum. Nã Augustinus nõ dicit nos id maximè velle quod maximè consideramus, sed quod certiùs bonum esse nouimus. Tantùm igitur ibi ex eo, quòd cõmuniter ardentiùs id amemus, siue ad eius amorẽ naturaliter magis inclinemur, quod certiùs scimus esse bonũ, probat ignorantiam boni sæpè esse causam cur peccemus, non tamen semper. Vnde ibi duplicem reddit causam cur aliqui nolint esse iusti, scilicet vel quia ignorant iustitiam, aut quia hæc eos non delectat, siue quia iis non placet sequi rationem dictantem quid bonum & iustum sit. *Augus.* vnde subdit: *Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem ne moueatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum: vt autem innotescat quod latebat, & suaue fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adiuuat voluntates.* Vbi expressè docet, quòd non amplectamur iustitiam, nõ semper prouenire ex ignorantia aut inconsideratione bonitatis illius; sed etiam ex infirmitate, ac natiua libertate voluntatis, qua inclinatur vt velit id, quod ratio deterius iudicat. vbi Augustinus apertè sentit Primò, nõ omne peccatum venire ex aliqua vera ignorantia. Secundò, ad amplectendum bonum non sufficere ipsius perfectam sciẽtiam ac considerationem, nisi id etiam placeat voluntati, ideoque ad hoc (sicut etiam Mileuit. c. 4.) non *Mileuit.* solùm requirit illuminationem intellectus, qua bonum perfectè cognoscatur, sed etiam gratiam in voluntate, qua illud ipsi placere incipiat. Quare apertè stat pro sententia quam statim adferemus.

Ex duplici capite deficimus à bono.

70 *Aristot.* Ad secundum, Respondeo Aristotelem ibi tantùm velle consuetudinem peccandi & malum affectum voluntatis communiter obscurare intellectum. quod nihil facit ad rem præsentem. Adde, si ipsius verba accipiantur vt sonant, apertè falsum continere, vt etiam aduersarii fatentur. nam indicarent incontinenter agentem nullo modo aduertere se malè agere: ideoque non aliter peccare quàm si ebrius eadem faceret. Quare dicendum, Aristotelem solùm velle incontinenter agentem ratione vehemẽtis passionis minùs perfectè considerare quid agat, & exteriùs se ita gerere ac si ignoraret id non esse faciendum: quod vltimum de omni peccante dici potest. vnde cap. 10. comparat eum ciuitati, quæ bonas habet leges, & quæ agenda sint bene consulrat; sed ea, quæ tam ex legibus, quàm ex consultatione nouit facienda non exequitur: quam non deficit cognitio, sed bona & constans voluntas.

Ad tertium, Respondeo experientiam apertè docere contrarium, vt ostendam n. 72.

71 Possumus velle id quod iudicamus minùs bonum, aut etiam fugiendum.

Conclvsio I. Vt voluntas aliquid velit, non est necessarium vt intellectus iudicet id absolutè esse apprehendum siue amplectendum. imò potest simpliciter velle id, quod intellectus iudicat etiam hîc & nunc absolutè esse fugiendum. Ita Scotus in 2. d. 25. q. vnic. Henricus quodlib. 1. q. 16. Salas 1. 2. tract. 1. disput. 5. n. 20. *Scotus. Henricus. Salas.* Patet ex refutatione prioris sententiæ. Deinde probatur prior pars, quia, vt Vasquez 1. 2. disp. 44. c. 2. & disp. 12. cap. 1. bene docet, ad excitandum simplicem amorem alicuius rei sufficit intellectio merè speculatiua, vt patet in Beatis, qui statim visa Dei bonitate, sine vllo alio iudicio eum necessariò amant: & satis experimur, qui ex consideratione merè speculatiua alicuius boni delectabilis trahimur ferè inuiti ad id amandum, etsi iudicemus fugiendum esse, ita vt opus sit violentia ne in eius amorem consentiamus. Qua igitur ratione possumus negare illam considerationem sufficere vt possimus illud amare, etiam repugnante iudicio practico? Ex quo etiam patet secunda pars, quam etiam apertè docet D. Bernardus citatus num. *Bernard.* 56. & 64. vbi expressè docet, voluntatem

Vasquez.

Ad actum voluntatis sufficit præcedere intellectionẽ speculatiuã.

multa agere contra iudicium rationis.

72 Possumus velle bonũ minùs apprehensum. *Fonseca. Salas.*

Conclvsio II. Voluntas potest duobus obiectis sibi per intellectum propositis eligere id, quod hîc & nunc vt appetendum minùs apprehendit. Ita Fonseca 6. Metaphys. cap. 2. q. 5. sect. 15. n. 68. & Salas 1. 2. tract. 6. disp. 1. sect. 5. n. 58. Patet ex refutatione secundæ sententiæ, & *August.* videtur sententia Augustini citati suprà n. 68. & 69. qui, vt voluntas aliquid præ alio velit, præter intellectus cognitionem requirit vt magis placeat. Deinde probatur Primò, quia multi ne virtutem deserant, eligunt subire grauissima tormenta ac mortem, quæ tamen vt mala, eorumque fugam vt bonam vehementissimè apprehendunt, multoque magis quàm bonitatem iustitiæ: quod vel inde patet, quòd ad illorum fugam voluntas vehementissimè incitetur, ad amorem verò iustitiæ vix trahatur: quare ex mera sua libertate & Dei gratia vim sibi infert, vt hanc amplectatur. Secundò, quia, cùm voluntatis libertas contrarietatis in hoc consistat, quòd posita cognitione ad agendum necessaria, sit in ipsius potestate non solùm agere & non agere; sed etiam hoc vel illud, prout voluerit, eligere; hæc eius libertas planè euerteretur, si ipsa ab aliqua cognitione, aut apprehensione obiecti ad vnum ita determinaretur, vt non posset velle contrarium: quia tunc non esset in eius potestate eligere quod voluerit; sed necessariò eligeret id, ad quod per illam cognitionem determinaretur.

73 Dices Primò, Voluntas poterit applicare intellectum vt rationes contrarii boni meliùs consideret, atque ita hoc iudicet expetendum.

Sed contrà, vt velit intellectum ad hoc applicare, debebit ad hoc ab aliquo alio iudicio, quo hoc iudicetur, aut vehementiùs apprehendatur faciendum, determinari, atque ita nisi hoc iudicium priùs ponatur, non erit in eius potestate illud velle: & eo posito non poterit velle contrarium. quare aut negandum est voluntatem esse immediatè & formaliter in se liberam ad contraria, ita vt positis omnibus ad agendum prærequisitis possit vtrumuis eligere; aut necessariò dicendum, eam posse se ipsam immediatè ad hoc vel illud volendum determinare, non obstante hac vel illa apprehensione.

74 Dices Secundò, Etsi voluntas non possit tunc velle bonum minùs apprehensum, poterit tamen neutrum eligere; quo casu intellectus naturaliter incitabitur, vt alias rationes alterius boni magis consideret, atque ita voluntas hoc poterit velle. Sed hæc sine fundamento dicuntur. Primò, quia nihil potest fingi cur voluntas tunc non possit velle bonum minùs consideratum, quàm quia hoc non consistit cum volitione boni oppositi. si enim hæc bona essent talia, vt possent simul appeti, illi non negarent quin voluntas in dicto casu id posset facere, nec esset vlla ratio id negandi; & consequenter non aliter voluntas impedietur ab amore boni minùs considerati, quàm quatenus impedietur amore alterius: ergo si hunc possit omnino à se excludere, poterit illum habere.

Volũtas nequit impediri ab amore boni cogniti nisi ob amorem boni oppositi.

75 Secundò, quia gratis dicitur, intellectum, posito quòd voluntas tunc nullum bonum eligat, naturaliter inclinandum vt rationes exquirat cur aliud bonum expetendum sit. Nam intellectus numquam ex se inclinatur ad aliquid cogitandum, nisi aut ad hoc à voluntate applicetur, aut casu hoc illi occurrat, aut ab externo obiecto ad hoc determinetur: atque ita in casu, quo intellectus minùs apprehenderet bonitatem virtutis, quàm suauitatem vitii contrarii, nec aliquid sponte occurreret quod eum excitaret vt illud vehementiùs apprehenderet, perget continuò vehementiùs apprehendere suauitatem vitij, & voluntas nullo modo poterit velle virtutem amplecti, aut vitium detestari. quæ experientiæ, & apertæ veritati, ac libertati voluntatis repugnant.

Quomodo intellectus excitetur ad aliqua cogitanda.

Hinc patet libertatem multò magis euerti 76 per imperium intellectus, quod Medina 1. 2. q. 9. a. 1. ita ad omnem volitionem requirit, vt nec sine eo voluntas possit aliquid velle, nec eo posito non velle. Atque ita secundùm eum intellectus non minùs despoticè imperat voluntati, quàm hæc potentiæ motiuæ; & consequenter illa non erit magis libera quàm hæc. *Medina.* Qua ratione imperium intellectus euertat libertatem.

Disputant hîc præterea aliqui, an, vt voluntas aliquid velit aut nolit, requiratur vt intellectus iudicet id esse bonum aut malum; an verò sufficiat simplex apprehensio, qua id sub ratione boni aut mali apprehendat? Variè autem inter se sentiũt, aliis id affirmãtibus, aliis negantibus: vt patet apud Vasquez 1. 2. disp. 44. & Salas ibidem tract. 1. disp. 5. sect. 2. Sed fortè inter eos maior est contentio de verbis, quàm de re; quæ si clarè proponatur, non videtur habere tantam difficultatem, vt patebit ex sequentibus. 77 *Vasquez. Salas.*

Pro huius igitur explicatione Nota Primò, 78 vt voluntas aliquid velit, non sufficere quamuis obiecti apprehensionem, sed necessarium esse vt id apprehendatur sub ratione boni; & vt id positiuè nolit, debere apprehendi sub ratione mali. quia voluntas nequit velle nisi bonum, aut nolle nisi malum saltem apparens secundùm rationem explicatam n. 64. Non omnis apprehensio sufficit ad volitionem.

Nota Secundò, me dupliciter posse aliquid 79 apprehendere vt bonum: Primò, per meram fictionem intellectus, ita vt simul iudicem id verè non esse bonum, sicut chimæram apprehendo compositam ex homine & bestia, quam tamen compositionem iudico impossibilem. Et certum est hanc apprehensionem non sufficere vt aliquid velim vel nolim. v. g. fingam ea ratione esse valdè delectabile viuum ardere, numquam hoc ideo potero mihi optare. Secundò, ita vt res verè mihi talis appareat; & de hac est tota difficultas, sed, vt dixi, solutu facilis: nam in suppositio intellectuali hæc apprehensio vel includit in se iudicium, vel, quod verius credo, hoc immediatè causat, ita vt sine hoc à parte rei reperiri nequeat. Probatur, quia, cùm intellectus non sit potentia libera, necessariò fertur in id, quod ei tamquam verum apparet: atqui cùm in dicto casu obiectum ei obijciatur vt verè bonum, necessariò iudicabit id esse bonum. Dupliciter possum aliquid apprehendere vt bonum. Quædam apprehẽsio nequit esse sine iudicio.

Dices Primò, Hoc solùm est verum quando 80 res ita apprehenditur esse bona, vt nulla occurrat ratio de eo dubitandi: secùs esse quando eiusmodi

eiusmodi ratio occurrit. Respondeo, Vel ratio in contrarium efficit vt res appareat dubia, & tunc obiectum non apprehenditur vt verè bonum, sed vt dubium an bonum sit. vel est talis quæ relinquat bonitatem obiecti verè probabilem, & tunc apprehenditur vt probabiliter bonum; & in vtroque casu naturaliter sequitur simile iudicium.

81 Dices Secundò, Quando intellectus ipsa clara veritate non conuincitur, potest voluntas ipsius iudicium suspendere. Respondeo Primò, Sicut tunc suspendit eius iudicium, ita etiam impedit, ne res apprehendatur vt verè probabiliter bona. Respondeo Secundò, Etsi tunc possit efficere ne intellectus absolutè iudicet eam rem esse talem aut talem (quia facit eum apprehendere se fortè quædam ignorare, quæ si sciret, aliter iudicaret;) tamen nequit impedire ne ipse iudicet spectatis solis rationibus, quæ ei hîc & nunc occurrunt rem esse probabiliter talem aut talem, aut omnino dubiam: vnde patet semper aliquod iudicium cum eiusmodi apprehensionibus esse coniunctum.

Qua ratione voluntas possit impedire iudicium.

82 Hinc sequitur Primò, nullam vnquam à parte rei dari volitionem sine iudicio: quia numquam obiectum potest à nobis apprehendi vt verè bonũ, nisi simul iudicetur esse tale. Quòd si tamen posset talis apprehensio haberi sine iudicio, non video cur obiectum non posset à voluntate appeti, quia talis apprehensio hac in re æquiualeret quodammodo iudicio; nam naturaliter nata est hoc in intellectu causare; & in bruris, in quibus propriè non est iudicium, similis apprehensio eodem modo excitat appetitum, sicut in nobis iudicium excitat voluntatem; hoc excepto, quòd hæc liberè velit.

Non datur volitio sine iudicio.

83 Sequitur Secundò, vt voluntas aliquid velit non requiri cognitionem practicam, sed sufficere speculatiuam, qua res simpliciter iudicatur bona, etsi non iudicetur hîc & nunc esse amanda. Et patet experientia, quia multi rapiuntur sæpè vehementissimè in amorem alicuius boni delectabilis, quod tamen non iudicant esse amandum, sed fugiendum. & sæpè maximè laboramus vt possimus hoc iudicium sequi, illam delectationem detestando. Quæ apertè essent falsa, si sine tali iudicio nihil possemus amare.

Ad volẽdum non requiritur iudiciũ practicum.

DVBIVM VI.

Vtrùm, quando ad finem efficaciter intentum occurrit vnicum medium vtile, voluntas id necessariò eligat; aut ex pluribus occurrentibus id, quod apparet vtilius?

84 NOta, quosdam putare non posse vocari electionem, sed solùm acceptationem medii, quando vnicum ad finem vtile occurrit: quia electio necessariò est inter plura; nam dicit vnum præ alio eligi. Sed hoc non satis probat intentum. nam etiam, in dicto casu fit comparatio inter plura; nam illud medium vtile præponitur alijs inutilibus ad finem. Nec refert quòd media ad finem inutilia non sint verè & simpliciter media; quia electio non necessariò dicit vnum medium præ alio vero medio acceptari, sed vnam rem vtilem ad finem eligi præ aliis, siue hæ vtiles sint ad finem siue non. Vnde clarè patet esse veram electionem quoties intellectus voluntati res varias proponit, cum aliquo ordine ad finem, siue quæ primo saltem aspectu videntur aliquam cum eo habere connexionem; & tandem iudicat vnicum esse medium vtile, quod voluntas alijs reiectis acceptat. An verò semper requiratur actualis eiusmodi comparatio, quæstio est de nomine: & quidam non improbabiliter hoc affirmant, electionem strictè sumendo. sed communiter latiùs sumitur, prout eam etiam hîc in priore dubij parte sumimus. Duplex igitur hîc est difficultas.

Electio non respicit necessariò plura media.

85 Prima est, vtrùm, quando ad finem efficaciter intentum occurrit vnicum medium vtile, & consequenter necessarium ad eum obtinẽdum, voluntas hoc liberè eligat? Hac in re multi minùs explicatè respondent: eò quòd non satis distinguant inter hæc duo, scilicet, fieri non potest vt intentio maneat efficax, & nullum medium eligatur; &, posita efficaci intentione finis, electio medii est necessaria siue non libera. ita vt ex iis non satis intelligas, an talis volitio in se verè sit libera, nec ne. vt videre est apud Salas 1.2.tract.6.disp.1.sect.5. Sed si res bene inspiciatur, supposita vera ratione libertatis suprà explicata, non videtur habere difficultatem. quare omissis aliorum sententiis,

Salas.

86 Respondeo Primò, Impossibile est vt permaneat in nobis efficax intentio finis, & illud medium non eligamus. Ita plurimi Auctores quos citat Salas suprà n.38. & videtur communis sententia. Et ratio clara est, quia intentionem esse efficacem est ipsam de facto ita mouere voluntatem ad electionem alicuius medii vtilis ad finem, vt hæc de facto sequatur: vnde hoc ipso, quo voluntas hoc suo tempore non eligit, intentio desinit esse efficax, atq; ita implicat eam perseuerare esse efficacem, & tamen hoc medium non eligere.

Salas. Intẽtionem efficacem necessariò sequitur electio medij.

87 Respondeo Secundò, Absolutè tamen est in potestate voluntatis illud medium non eligere, quia quouis instanti potest ab intentione desistere, aut efficere vt illa sit inefficax, & solùm quædam velleitas. Hæc videtur sententia Vasquez 1.2.disp.43.c.4.n.24.& ad 2.

Vasquez.

88 Respondeo Tertiò, talem electionem esse immediatè in se liberam. Patet, quia positis omnibus ad agendum necessariis in quouis instanti naturæ præcedente electionem voluntas potest eam non elicere; ergo liberè eam elicit, iuxta dicta suprà dub.3.

Electio est immediatè in se libera.

Dices: Hinc sequitur electionẽ eo casu non fore immediatè in se liberam, sed tantùm in sua causa, scilicet in efficaci intentione, à qua sola voluntas potest immediatè desistere, & consequenter ab electione. Respondeo, nego hoc sequi, quia illa sola solemus dicere esse solùm libera in sua causa, quæ hac posita ita necessariò sequuntur, vt non sint ampliùs in agentis potestate; sicut sequitur mors alterius ex emissione sagittę: aut quæ fiunt immediatè à potentia non libera; sic non videre obiectum mi-

89 Quænã sint solùm mediatè libera.

hi clarè propositum non est aliter in mea potestate, quàm quatenus possum aut oculos claudere, aut visum auertere. Secùs est in nostro casu: nam electio immediatè procedit à potentia libera, & quamuis voluntas non possit continuare efficacem intentionem, nisi suo tempore ponendo electionem, est tamen immediatè in eius potestate hanc non ponere ab illa desistendo.

electio immediatè in se bona aut mala.

Ex quo sequitur, electionem esse similiter in se formaliter bonam aut malam, & augere meritum vel demeritum, si eius obiectum habeat specialem bonitatem aut malitiam.

90 Secunda difficultas est, vtrùm intendens efficaciter finem, possit eligere medium, quod iudicat ad eum consequendum minùs vtile? Multi id negant. Primò, quia, vt docet Aristoteles 3. Ethic. cap. 3. electio est præconsultati, siue eius, quod iudicatur præ aliis eligendum; atqui non possum iudicare id aliis esse præferendum quod credo minùs esse vtile: ergo non possum hoc eligere. Secundò, quia minùs vtile præcisè qua tale habet rationem mali, scilicet priuationem boni: ergo non potest eligi. Ita Conradus 1.2.q.13.a.6.ad 3. Buridan.3. Ethicor.tract.1.q. 1.dubio 2. Et, vt consequenter loquantur, hoc tenere debent, qui dicunt voluntatem necessariò sequi vltimum iudicium practicum intellectus.

Aristot. *Conradus.* *Buridanus.*

Contrarium tenent Valentia 1.2.disp.2.q.8. puncto 3. ad finem, & cum aliis Salas 1.2.tract. 6.disp.1.sect.5.n.49.

Valentia. *Salas.*

91 Pro resolutione Nota, nos dupliciter posse moueri, vt vnum medium præ alio eligamus. Primò, præcisè ex desiderio finis, siue quia illud vtile est ad finem. Secundò, ob alias aliquas causas, vt quia facilius, quia alia quædam commoda secum habet coniuncta, aut etiam simpliciter quia nobis placet.

Medium potest dupliciter eligi.

92 Conclvsio I. Qui priore modo eligunt, non possunt eligere medium, quod sciunt esse minùs vtile. Per se patet, quia solum desiderium finis assequendi non potest eos ad hoc mouere; quia hoc excitat ad perfectissimam & securissimam finis consecutionem, & consequenter ad vtilissimum medium eligendum. Et vt summum hanc solam conclusionem probant argumenta pro priore allata: nec credo ei aliquos contradicere.

Quinam necessariò eligant medium vtilissimum.

Ex quibus patet eos qui non eligunt securissimam salutis viam, non moueri sincero desiderio salutis suæ, sed hanc aliis rebus postponere.

93 Conclvs. II. Secundo modo eligens sæpè eligit medium minùs vtile. Patet ipsa experientia: plurimi enim cupientes salutem animæ vel corporis, aut aliquam scientiam acquirere, eligunt media faciliora, & magis delectabilia, etsi sciant ea esse minùs vtilia.

Qui non.

94 Ad primum argumentum contrarium, nego minorem. Quia, etsi non possim iudicare id aliis esse præferendum spectata præcisè vtilitate ad finem; possum tamen hoc iudicare ob alias causas. Adde, maiorem esse quidem veram in iis, qui prudèter eligunt & cupiunt finem quàm optimo modo consequi; non esse tamen absolutè necessariam, quia possum præcisè pro libertate sine vlla alia causa eligere medium minùs vtile.

Ad secundum, nego consequentiam: tantùm enim sequitur, me non posse eligere minùs vtile præcisè quia minùs vtile est; non tamen sequitur, me non posse illud eligere ob alias causas.

DVBIVM VII.

Vtrùm prædefinitio diuina possit consistere cum libertate?

NOn disputamus hîc vtrùm Deus aliqua nostra opera prædefiniat, necne: hoc enim ad hunc locum non pertinet; sed vtrùm Deus possit nostra opera ita prædefinire, vt tamen non tollat nobis libertatem. Disputamus autem hanc quæstionẽ supposita communiore iam & veriore sententia, quæ docet Deum ab æterno ante omnem liberam volitionem præscire, quid quauis conditione posita futurum esset. quod sufficienter probarunt Molina in Concordia disp.50. Suarez in opusc.lib.2. de Scientia Dei, Vasquez 1.p.disp.67. Quare cùm huius explicatio ad hunc locum non pertineat, nec ea quæ dicturi sumus ab eius veritate pendeant (solùm enim quærimus an supposita illa præscientia diuina prædefinitio consistat cum nostra libertate) id hîc vlteriùs non disputabimus. 95

Molina. *Suarez.* *Vasquez.*

Pro resolutione ergo Nota Primò, Deum tripliciter posse nostra opera prædefinire. Primò, priùs quidem tempore quàm fiant, posteriùs tamen ratione quàm viderit ea absolutè futura: sed hæc prædefinitio est minùs propria, & facilè patet eam nullo modo lædere libertatem. 96

Deus nostra opera tripliciter prædefinire potest.

Secundò, ante omnem quidem præuisionem operis absolutè futuri, dependenter tamen à speciali præscientia, qua particulatim præscit v.g. me hoc facturum, si mihi in talibus circumstantijs talem gratiam dederit: ita vt nullo modo hoc opus prædefiniret, si sciret me illi gratię non cooperaturum posito quòd daretur. Qua ratione implicitè quodammodo & virtualiter omnia nostra bona opera, quæ ex gratia præueniente fiunt prædefinit: hoc ipso enim quo statuit nobis dare talem gratiam, cui videt nos, si detur, cooperaturos, implicitè vult ac decernit, vt hoc opus faciamus. Et clarum est neque hanc prædefinitionem impedire nostram libertatem; nam sicut in nostra potestate est, non consentiendo illi gratiæ, efficere, vt Deus numquam viderit nos ei (etiam sub conditione si eam dederit) consensuros, ita etiam est in nostra potestate efficere, vt Deus numquam prædefiniuerit vt huic gratiæ consentiamus, siue vt hunc actum faciamus: atque ita cùm hæc prædefinitio ponatur in nostra potestate, nequit nobis necessitatem operandi inferre. 97

Tertiò, potest intelligi Deum opus meum bonum prædefinire supposita quidem præscientia omnium quæ quauis conditione posita futura sunt; independenter tamen à quauis particu- 98

ticulari præscientia, qua præscit me huic vel illi gratiæ in particulari consensurum, adeò vt ex vi illius prædefinitionis Dei voluntas determinetur ad seligendum mihi illam gratiam, cui videt me de facto consensurum; ita vt, si videret me illi gratiæ, quam de facto daturus est, non consensurum, decerneret dare aliam, cui videret me consensurum: atque ita fiat, vt, sicut non est in mea potestate efficere, vt Deus nullam gratiam possit reperire, quæ me possit ad consensum in aliquod opus inflectere, atq; adeò efficaciter inflexura sit si detur: ita etiam in mea potestate non sit efficere, vt Deus hanc prædefinitionem non ponat. Qua ratione multi docentes Deum omnes prædestinatos, ante præuisa eorum bona opera elegisse ad certum gradum gloriæ, consequenter putant eorum omnia bona opera ita esse prædefinita, adeoque non esse in hominis potestate efficere, vt non sint ita electi, aut vt aliquod eorum bonum opus non sit ita prædefinitum.

Tota ergo quæstio est, vtrùm hæc prædefinitio (siue de facto detur, siue non, de quo hîc non disputamus) possit cum nostra libertate consistere?

99 Quidam id negant, quia, vt ostendi suprà, de ratione libertatis est vt voluntas positis omnibus prærequisitis, etiam in sensu composito, possit agere, & non agere: atqui posita illa prædefinitione voluntas non potest non agere: ergo per eam tollitur libertas.

Minor probatur, quia quando duo ita sunt inter se connexa, vt impossibile sit ea separare, si non sit in mea potestate efficere ne prius ponatur, nullo modo erit in mea potestate efficere ne secundum ponatur: atqui illa prædefinitio, meumque opus prædefinitum sunt ita connexa, quia implicat omnino ea separari, siue illam prædefinitionem de facto esse positam, & meum opus de facto non poni: ergo si non sit in mea potestate efficere vt illa prædefinitio non ponatur, neque etiam erit in mea potestate efficere ne opus prædefinitum ponatur: quia alias esset in mea potestate illa separare.

100 Dices, hinc tantùm sequi, posita illa prædefinitione non esse in mea potestate non agere in sensu composito, cum quo consistit me absolutè posse non agere, scilicet in sensu diuiso. sicut posito quòd Deus viderit me operaturum, impossibile est me non operari in sensu composito, cum quo tamen consistit me absolutè posse non operari.

Differentia inter præuisionem & prædefinitionem operum.

Hæc respõsio esset bona, si esset in mea potestate efficere sensum diuisum, siue vt illa prædefinitio non poneretur; sicut est in mea potestate efficere, vt Deus numquam præuiderit me hoc vel illud facturum. Sed cùm illud non sit vllo modo in mea potestate, nec hoc exemplum, nec illa responsio faciunt ad rem.

101 Quod solùm est possibile in sensu diuiso, est plane impossibile respectu eius qui nequit hûc ponere.

Quod vlteriùs probatur, quia me posita illa prædefinitione non operari solùm est possibile in sensu diuiso, id est non posita siue sublata illa prædefinitione; & alio sensu est omnino impossibile: atqui secundùm illos omnino mihi est impossibile efficere, vt ponatur sensus diuisus, siue vt non sit posita illa prædefinitio: ergo est mihi impossibile, omnino non operari.

Secundò, quia me posse non operari in sensu diuiso est me posse non operari non posita illa prædefinitione: ergo ex hoc malè infertur, me posita illa prædefinitione posse non agere, cùm hæc sint planè contraria.

Tertiò, quia, etsi habens lumen beatificum possit non videre Deum in sensu diuiso, si scilicet ei lumen auferatur, quia tamen ei est impossibile ponere sensum diuisum, absolutè est ei impossibile non videre Deum. quæ fusiùs ostendi suprà dub. 3. concl. 4.

Dices, esse diuersam rationem; nam lumen beatificum naturaliter determinat intellectum ad videndum Deum; illa autem prædefinitio nihil ponit in voluntate, quod eam prædeterminet ad agendum, siue cum quo nequeat consistere non actio, ideoque ille necessariò, hic liberè agit. Sed hæc responsio non satisfacit: nam illa minor primi syllogismi non sumebat libertatem non posse consistere cum eiusmodi prædefinitione (hoc enim relinquebat inferẽdum) sed solùm asserebat cum illa non posse consistere non actionem, & consequenter nec potentiam non agendi: & hoc solùm omnia sequentia argumenta intendunt probare. quare illa responsio neque ad hæc, neque ad illam minorem pertinet. 102

Probatur Quartò, quia, si Deus necessariò meam actionem ita prædefiniret, adeò vt esset omnino impossibile, ipsum hanc non prædefinire, etsi hæc prædefinitio nihil poneret in mea voluntate, quod iam non ponat, & consequenter non aliter eam determinaret, quàm iam determinet; tamen tunc mihi absolutè esset impossibile non agere, vt per se patet: ergo etiã iam mihi hoc est impossibile. Quia quòd Deus possit illam prædefinitionem non ponere, efficit quidem vt illi sit possibile me non agere, tamen non efficit vt hoc mihi iam sit magis possibile, quàm in illo casu esset; nam secundùm sententiam ponentium illas prædefinitiones, mihi modò tam est impossibile efficere ne illa prædefinitio ponatur, quàm illo alio casu esset. Sicut si quis concludat me in loco omnino obscuro, & nullo modo sit in mea potestate efficere vt me relaxet, aut lumen mihi præbeat, etsi ex eo quòd in eius potestate sit me liberare aut lumen mihi præbere, bene sequatur in eius esse potestate efficere vt possim videre; nullo modo tamen inde sequitur, visionem esse magis in mea potestate, quàm esset si illi etiam esset impossibile me ex illo loco liberare, aut lumen mihi præbere. 103

Quòd Deus possit prædefinitionem tollere, non efficit vt mihi sit magis possibile nõ operari.

Deinde illas prædefinitiones tollere libertatem ad opera bona, probatur. Quia non solùm est mihi impossibile, posito quòd Deus ita prædefinierit aliquod meum bonum opus, id non agere; sed etiam posito quòd id non prædefinierit, secundùm illorum sententiam erit mihi impossibile illud agere: quia si id facerem, sequeretur me facere plura opera bona, quàm Deus prædefinierit, & consequenter me mereri maiorem gloriam quàm sit illa ad quam Deus me elegit. 104

Vnde sic argumentor, quando duo ita se habent

Quando duo necessariò cõnexa sunt, aut vtrumq; debet esse in mea potestate aut neutrum.

bent vt vnum non possit poni sine altero, si hoc non sit positum, nec vllo modo sit in mea potestate efficere vt ponatur, neque etiam erit in mea potestate efficere vt illud ponatur: atqui secundùm illos illa Dei prædefinitio & meũ opus bonum sunt talia, quia secundùm illos fieri omnino nequit vt meum opus bonum de facto ponatur, & non sit prædefinitum, siue vt hæc sint de facto simul vt meum opus sit positum, & tamen non sit prædefinitum: ergo si nec illa prædefinitio mei operis sit posita, nec sit in mea potestate efficere vt ponatur, nec erit in mea potestate ponere bonum opus.

105 Quidam negant maiorem, quia, quando paterfamilias ex multis operariis aliquos eligit quos conducit vt laborent in eius vinea, tunc in horum est potestate laborando mereri denarium diurnum; & tamen non est in eorum potestate conduci, siue efficere vt conducantur; quod tamen necessariò requiritur vt possint mereri mercedem: ergo vt aliquid sit in mea potestate, non est opus vt aliud sit etiam in mea potestate sine quo hoc haberi nequit.

106 Sed hoc exemplum potiùs illam maiorem apertè probat. Pro quo Nota, in illa maiore non dici, non esse in nostra potestate facere bona opera, quæ prædefinita sunt (qui enim illud argumentum pro se adferunt aiunt nos non solùm posse facere opus prædefinitum; sed etiam nos id non posse non facere) sed dici nos posita illa sententia non posse facere vllum opus bonum non prædefinitum. Vnde vlteriùs sic argumentor, sicut se habet illa conductio ad meritum denarii, sic se habet prædefinitio ad opus bonum; ergo sicut illis, qui nec sunt conducti, nec possunt efficere vt conducantur, impossibile est mereri illum denarium; ita illis quorum opus bonum non est prædefinitum, impossibile est hoc facere. Quòd autem iam conducti possint mereri denarium, nihil facit ad rem: nam, vt iam dixi, illa maior solùm loquitur de illis, qui ea re, sine qua alia poni nequit, carent, & in eorum potestate non est eam habere siue efficere vt ponatur: conducti autem non carent conductione, & cùm eam habeant, nequit dici eos non posse eam habere; sed solùm dici potest antequam conducerentur non fuisse absolutè in eorum potestate conduci, cùm hoc penderet à voluntate conducentis. Quare aliter ad hæc respondendum est, vt infrà videbimus.

107 Prædefinitiones possunt consistere cum libertate.

Conclvsio. Etsi Deus tertio illo modo ex dictis suprà bona nostra opera prædefiniret, liberè tamen ea faceremus. Hanc tenent omnes ii qui asserunt Deum prædestinatos elegisse ad certum gradum gloriæ ante præuisa eorum merita, & consequenter omnia eorum bona opera ita prædefiniuisse; & etiam multi ex iis qui dicunt nos eligi ad gloriam post præuisa merita.

Probatur, quia illa voluntas liberè operatur, quæ positis omnibus ad operandum necessariis est intrinsecè indifferens ad agendum aut non agendum, siue potens vtrumlibet facere etiam in sensu composito: atqui in dicto casu nostra voluntas respectu operis sui boni esset talis: ergo liberè id faceret. Minor probatur, quia illa prædefinitio nihil ponit in voluntate, quod eam ad agendum determinet, aut necessitet, imò nihil in ea ponit quod non poneretur si nullæ eiusmodi essent prædefinitiones: atqui si illæ non essent, voluntas positis omnibus ad agendum prærequisitis iisdem quæ iam de facto in ea ponuntur, maneret intrinsecè indifferens & potens non agere: ergo etiam posita illa prædefinitione manet adhuc libera.

Nec refert quòd cum illa prædefinitione 108
non possit consistere non actio; quia, cùm illa prædefinitio sit extrinseca ipsi voluntati, nec per se immediatè ad actionem concurrat, non immutat intrinsecum modum operandi ipsius voluntatis, nec impedit quin spectatis præcisè iis, quæ voluntati sunt intrinseca, aut ad actionem concurrunt, ipsa maneat intrinsecè indifferens & potens agere & non agere. vt autem voluntas liberè agat, non requiritur vt ipsius non actio possit simul cõsistere cum quauis extrinseca conditione; sed sufficit quòd eius non actio possit consistere cum omnibus iis, quæ cum voluntate ad agendum concurrunt, atque ita ipsius modum agendi variant. Cum his autem omnibus, vt iam ostendi, potest consistere non actio; quia, vt iam suppono, illa prædefinitio nihil ponit in voluntate, quod non poneretur si nullæ eiusmodi prædefinitiones essent.

Quid requiratur ad libertatem.

Confirmatur Primò, quia voluntatem liberè aut necessariò agere significat modum operandi operanti intrinsecum: ergo nihil potest efficere, vt ipsa non liberè sed necessariò agat, quod ei omnino extrinsecum eius intrinsecum modum operandi nullo modo variat: atqui illa prædefinitio est ei omnino extrinseca, & intrinsecum eius operandi modum non variat: ergo non efficit vt necessariò, & non liberè operetur. 109

Libere agere significat modum operanti intrinsecum.

Confirmatur Secundò, quia tam diu voluntas positis omnibus ad agendum prærequisitis manet indifferens ad agendum aut non agendum, quàm diu manet ad dicta indeterminata: atqui illa prædefinitio est voluntati omnino extrinseca, & nec per se immediatè, nec per aliquid à se productum voluntatem ad agendum determinat: ergo relinquit illam indeterminatam siue indifferentem ad agendum aut non agendum.

Tertiò, quia, si angelus omnino statuisset efficere, vt aut sponte aut coactus certo tempore ad certum locum accederem, & sub specie amici mihi apparens me ad eum locum inuitaret; credensque eum esse hominem, ei sponte obsequendo ad eum locum accederem, liberè omnino hoc facerem, cùm nihil esset quod de facto me necessitaret; cùm tamen mihi esset impossibile absolutè non accedere; quia, cùm mihi sit impossibile ei vim inferenti resistere, & ipse statuerit hanc inferre nisi sponte accedam, impossibile mihi est absolutè non accedere. Quia tamen illa voluntas inferendi vim est solùm conditionata, & de facto nihil operatur, nullo modo immutat meum modum operandi, nec tollit libertatem. 110

Quartò, quia Christo fuit absolutè impossibile 111

bile non obedire Patri imperanti vt mortem acceptaret,& tamen liberè hanc acceptauit: ergo cum eo quòd aliquis omnibus etiam extrinsecis consideratis non possit absolutè non agere,bene consistit quòd liberè agat.

112 Dices,Christum ideò liberè acceptasse mortem, quia eam non necessariò acceptauit, v.g. per actionem obedientiæ, cùm potuerit eam acceptare actu caritatis erga Deum,aut erga genus humanum, aut ex alio fine honesto. Respondeo, hæc etiam probare nostram conclusionem:quia,etsi tali casu non possem absolutè non facere actum prædefinitum, v.g. non consentire gratiæ diuinæ generatim sumptæ, possem tamen non consentire gratiæ cui de facto consentio.etsi enim non possem resistere omnibus gratiis diuinis copulatim sumptis, efficiendo vt Deus non possit mihi dare vllam gratiam, cui de facto sim infallibiliter consensurus, si eam det; possum tamen cuiuis gratiæ in particulari, quæ mihi de facto datur, resistere siue non consentire,etiam in sensu composito. Vnde sequitur me huic gratiæ liberè consentire, & cum his circumstantiis liberè operari, cùm possim etiam posita illa prædefinitione huic gratiæ non consentire, & consequenter cum his circumstantiis non operari.

Possum singulis Dei gratijs resistere,non tamẽ omnibus copulatim sumptis.

113 Nec enim illi prædefinitioni repugnat si huic gratiæ non consentiam: nam non fuit prædefinitum vt huic gratiæ in particulari consentirem (hoc enim non potuisset fieri,nisi dependenter à libero meo arbitrio, iuxta secundum modum suprà positum n.97.) sed vt consentirem alicui gratiæ in genere; siue vt tale opus facerem,v.c. contritionem elicerem,abstrahendo vtrùm cum hac gratia, an verò cum illa hoc facerem. item abstrahendo an hanc numero contritionem elicerem, an aliam, quæ rationem meriti non variant. Et simile esset in casu, quo angelus iuxta dicta suprà ad certum locum me inuitaret: etsi enim eo casu esset mihi impossibile ad eum locum absolutè non accedere;esset mihi tamen possibile, non accedere eo modo & ea actione,qua accedo,siue sine vi illata.

114 Ex his patet Primò, solutio ad argumenta contraria: solùm enim probant mihi esse impossibile absolutè non facere opus à Deo ita prædefinitum, non autem probant mihi esse impossibile id non facere spectatis præcisè iis circumstantiis & gratiis, cum quibus id de facto facio, & eo modo quo id facio; & consequenter non probant me id non liberè facere. Quod enim in superioribus dubiis ex communiore iam sententia diximus ac probauimus, ad libertatem voluntatis requiri vt positis omnibus ad agendum prærequisitis possit non agere, hoc intelligendum est illis præcisè spectatis,siue ita vt hæc non impediant,quo minùs possit de facto non agere. nam, vt probaui,ad libertatem sufficit quòd voluntas possit absolutè non agere in iis circumstantiis, quæ de facto ponuntur, & eo modo, quo de facto agit: nec requiritur vt possit non agere in circumstantiis, quæ ponerentur si non ageret eo modo,quo de facto agit.

Qualis potestas non agendi requiratur ad libertatem.

115 Patet Secundò, quare ea quæ de facto cum voluntate ad agendum immediatè concurrunt, si cum iis nequeat consistere non actio, potiùs tollant libertatem, quàm ea quæ ita cum voluntate non concurrunt; quia scilicet illa mutant intrinsecum modum operandi ipsius voluntatis,eamque ad certam actionem determinant, atq; ita eius indeterminationem, siue indifferentiam, & consequenter eius libertatem tollunt: secùs est de his,vt patet ex dictis.

Quæ ea sola quæ ad actionẽ concurrunt impediant libertatem.

Dices, Hinc sequitur Christum non obediisse liberè Patri, quia ab intrinseco tam ratione vnionis hypostaticæ, quàm ratione luminis beatifici fuit impeccabilis, & consequenter ei fuit impossibile non obedire. 116

Qua ratione Christus fuerit liber in actibus sibi præceptis, grauis est difficultas, de qua varii variè sentiunt; sed quia ad hunc locum propriè non spectat, tantùm breuiter ea dicam quæ ad hanc difficultatem explicandam necessaria sunt.

Qua ratione Christus fuerit liber.

Respondeo Primò, Christum ratione luminis beatifici secundùm communiorem sententiam fuisse intrinsecè determinatum ad faciendum omnia opera, quæ Pater ei præcipiebat: atque ita non fuisse liberum ad exercitium operis præcepti in genere sumpti; non fuisse tamen determinatum aut necessitatum ad obediendum potiùs hoc opere quàm illo, iuxta dicta nu. 111.atque ita liberè elicuisse hoc opus in particulari, quo de facto præceptum impleuit, cùm potuerit illud non elicere, scilicet alio opere præceptum implendo.

Addit Molina 1.parte, qu.14.art.13. disp.18. memb. 4.§. *Illud deinde*, quòd,sicut fuit miraculosè factum, quòd Christi voluntas non obstante gaudio beatifico potuerit summè tristari (quod naturaliter est omnino impossibile) ita diuina virtute fuisse factum, vt voluntas eius per visionem Dei & amorem beatificum non fuerit absolutè determinata & necessitata ad obediendum Patri,vt hac ratione posset ei omnino liberè obedire: atque ita ratione visionis beatificæ non aliter fuisse impeccabilem,quàm ratione vnionis hypostaticæ, de qua mox dicam. Alii viri docti negant hoc fieri posse; non tamen omnino conuincunt id implicare. Sed hæc fusiùs disputare non est huius loci. 117 *Molina.*

Quod ad vnionem hypostaticam attinet, quidam putant hanc vi sua immediatè determinasse Christi voluntatem ad vitandum omne peccatum, reddendo eam omnino impotentem ad eliciendum vllum actum malum, eamque determinando ad eliciendum omnem actum ei præceptum. Primò, quia Origen.lib.2. περὶ ἀρχῶν cap.6. dicit quòd, sicut ignis à ferro candenti excludit frigus, ita vnio cum Verbo à natura assumpta excluserit omne peccatum. Secundò,quia,sicut ad agendum necessariò prærequiritur aliqua hypostasis, ita vt impossibile sit naturam agere priusquam ipsa subsistat; ita ad peccandum necessariò requiritur vt subsistat hypostasi, quæ sit capax peccati. Tertiò, quia peccatum minùs potest consistere cum vnione hypostatica, quàm cursus cum sessione: atqui sessio per se immediatè reddit sedentem impotentem currere quàm diu sedet: 118 *Origenes.*

ergo

ergo etiam illa similiter reddit naturam cui ineſt impotentem peccare. Idemque argumentum poteſt fieri de amore beatifico. Quartò, quia aliàs humanitas Chriſti ſolùm eſſet extrinſecè impeccabilis ſaltem ſecluſa viſione beatifica. Quintò, vnio hypoſtatica eſt eſſentialiter ſanctitas, peccatum autem eſt intrinſecè iniquitas; ergo hoc nequit cum illa conſiſtere.

Error Origenis circa incarnationem.

119 Vnio hypoſtatica nullã habet phyſicam repugnantiam cũ peccato.

Sed hæc dici nequeunt. Primò, quia vnio hypoſtatica non habet ex ſe phyſicam vllam repugnantiam cum peccatis: ergo nequit naturam per ſe phyſicè determinare ad non peccandum, ita vt eam reddat ad hoc phyſicè abſolutè impotentem. Anteced. patet, quia actus, præſertim ſolo iure poſitiuo prohibitus, ſecundùm omnem ſuam rationem phyſicam eſt omnino idem, ſiue ſit prohibitus, ſiue non: ergo ſi ante prohibitionem non habebat phyſicam repugnantiam cum vnione hypoſtatica, nec poſtea habebit. Item actus præceptus eſt eiuſdem omnino rationis phyſicæ poſt præceptionem & ante eam: ergo ſi ante non habebat neceſſariam connexionem phyſicam cum vnione hypoſtatica; nec poſtea habebit. Conſequentia patet, quia nihil poteſt me phyſicè ad aliquem actum aut omiſſionem per ſe immediatè reddere impotentem, niſi per ſe habeat phyſicam cum iis repugnantiam.

120 Dices, eſſe moralem repugnantiam inter vnionem hypoſtaticam & omne peccatum, & ideò naturam cui ineſt reddere moraliter impotentem ad peccandum.

Sed contrà, vel *moraliter impoßibile* hîc ſumitur pro eo quod licitè fieri nequit, ſicut in Iure dicimur id non poſſe, quod licitè non poſſumus; & ſic non facit ad rem: quia non probat naturam aſſumptam non poſſe peccare, ſed ſolùm non poſſe licitè peccare. Vel ſumitur pro eo quod fieri quidem poteſt, ſed valdè difficulter. Et hoc dici nequit. Primò, quia ſic Chriſtus poſſet abſolutè loquendo peccare, licet difficulter. Secundò, quia illa impotentia eſſet etiam phyſica, licet minùs propriè dicta, & non omnino perfecta ſiue abſoluta; atque ita contra eam etiã militant argumenta ſuprà allata. Confirmatur, quia omne peccatum mortale habet moralem repugnantiam cum gratia habituali, imò cum natura rationali; & tamen ideo non eſt homini ea habenti impoſſibile peccare, nec habenti gratiam id eſt difficilius, quàm non habenti, ſi cætera ſint paria.

Moralis repugnantia non cauſat phyſicam impotẽtiam.

121 Probatur Secundò, quia nulla planè eſt ratio quæ illam ſententiam aliquo modo ſuadeat, vt patebit ex refutatione earum, quæ allatæ ſunt.

Ad primum, Reſpondeo Primò, ſi illud dictum ſanè intelligatur, ſolùm probare vnionem hypoſtaticam excludere omne peccatum à natura aſſumpta mediante voluntate diuina eiuſque effectibus, iuxta dicenda infrà n. 126. nec enim catholicè poteſt omnimoda ſimilitudo intelligi, vt mox oſtendam.

122 *Origenes.* Reſpondeo Secundò, ſi ea quæ Origenes ibi dicit, propriè & ex mente ipſius intelligantur, continent apertam hæreſim: ibi enim apertè docet, animam Chriſti fuiſſe creatã antequam aſſumeretur, & per contemplationem diuinitatis ardentiſſimè Deum amaſſe, atque ita perfectiſſimo amore Verbo fuiſſe vnitam; & quaſi totam in Deum tranſmutatam, atque vnum quid cum eo effectam, ſicut ferrum in ardenti fornace vehementer candens igni intimè vnitur, & fit totum quaſi ignis. Et ipſe in hoc amore totam vnionem Verbi cum anima Chriſti conſtituit. Vnde vnionem, qua anima Chriſti fuit vnita Deo, ab ea qua nos ei vnimur, ſolùm diſtinguit in eo, quòd anima Chriſti incomparabiliter perfectiùs & conſtantiùs Deum amauerit, quàm nos, atque ita perfectiſſimè fuerit facta vnus ſpiritus cum Deo, nos autem ſolùm imperfectè. Et ad hoc adfert ſimilitudinem ferri candentis, quòd ſolùm accidentaliter vnitur igni. Vnde etiam addit, Deum non potuiſſe immediatè carnem ſibi vnire (quia ſcilicet caro non poterat eum amare) ideoque id feciſſe mediante ipſa mente ſiue anima, quæ primò per amorem vnita Deo, & deinde naturaliter vnita corpori, hoc Deo vniuit. Hæc fuſiùs attuli, vt oſtenderem librum illum Origenis non niſi cautè legendum ac citandum eſſe: vt docet D. Hieronymus epiſt. ad Auitum. vnde in comment. in Iſaiæ c. 18. illum librum vocat impiiſſimum, vt verè eſt. *Hieron.*

Ad ſecundum, Reſpondeo hypoſtaſim nullo modo per ſe & immediatè requiri, vt natura ſubſtantialis poſſit agere, ſed ſolùm remotè & mediatè, quatenus neceſſaria eſt vt illa poſſit exiſtere. vnde ſi ipſa (quod multi viri docti putant diuina virtute fieri poſſe) quacumq; ratione poſſet ſine illa hypoſtaſi exiſtere, eodẽ modo ageret ac iam agit. vnde apertè ſequitur, ipſam hypoſtaſim non attingere vllo modo ipſam actionem, nec modum agendi in potentia variare. Quare illa ratio potiùs à nobis facit: nam ſicut hypoſtaſis per ſe immediatè non requiritur ad actionem, ita hanc per ſe immediatè non variat. 123

Ad tertium, nego conſeq. quia ſeſſio per ſe immediatè repugnat curſui, ideoque hunc immediatè impedit. Idemque eſt de amore beatifico, quo voluntas Deum ſuper omnia quantum poteſt diligit; ideoque per eum phyſicè & immediatè neceſſitatur, vt nihil velit quod Deo diſplicet. Secùs eſt de vnione hypoſtatica, quæ ex ſe ſolùm moraliter repugnat peccatis, adeoque per ſe immediatè hæc nequit impedire. His adde, quòd nullum omnino peccatum cum ea poſſit in eodem conſiſtere, eam hoc non habere per ſe immediatè, ſed ratione perſonæ Verbi, quam ita vnit naturæ humanæ, vt omnis huius actio ſit actio ipſius Verbi, cui abſolutè repugnat peccare. vnde ſi dicta vnio ſecundùm omnia ſibi intrinſeca poſſet alicui homini ita ineſſe, vt tamen hic maneret ſuppoſitum diſtinctum à quauis perſona diuina, atque ita eius actio non eſſet verè à parte rei actio Dei; non redderet illum omnino impeccabilem, ſed poſſet per abſolutam Dei potentiam conſiſtere in eodem ſimul cum peccato etiam mortali, non minùs quàm gratia habitualis. Sed quia illud nullo modo fieri poteſt, etiam hoc nullo modo fieri poteſt. 124

Vnio hypoſtatica ſolũ moraliter repugnat peccato.

Si poſſet ſeiungi à perſona Verbi, poſſet conſiſtere cum peccato.

Ad

125 Ad quartum, nego assumptum. quia, vt humanitas Christi sit intrinsecè impeccabilis, sufficit quòd habeat sibi aliquid intrinsecum, ad quod omnino necessariò consequitur impotentia peccandi, siue hoc immediatè, siue mediatè, siue physicè, siue moraliter ab illo intrinseco causetur.

Quinta ratio nihil probat contra nos: nec enim negamus vnionem hypostaticam reddere naturam assumptam impotentem peccare, sed solùm dicimus eam hoc non facere, immediatè per se; sed modo infrà explicãdo. adde, quòd ipsa sit perfecta sanctitas, & omnino perfectè naturam assumptam sanctificet, id eam non habere præcisè ratione sui, sed ratione personæ quam ei vnit. vt dixi in responsione ad 4.

126 Quare ad difficultatem propositam Respondeo Secundò, vnionem hypostaticam per se ea præcisè ratione reddere naturam assumptam impeccabilem, quia eam ita vnit Verbo, vt illa cum hoc constituat vnam personam, atque ita homo verè à parte rei sit Deus, ideoque omnis actio illius naturæ sit verè actio Dei; atque ita si hæc peccaret, Deus verè peccaret, cui tamen omnino repugnat quacumque ratione peccare; atque ita sicut Deus necessitatur non peccare, ita etiam necessitatur nullo modo permittere vt natura sibi ita vnita aliqua ratione peccet. quod facillimè potest consequi procurando ei eas gratias, & actionum motiua ac circumstantias, quibus videt eam omne peccatum vitaturam: quod potest fieri sine vlla mutatione intrinseci modi operandi ipsius voluntatis ad veram libertatem requisiti, iuxta dicta suprà de casu, quo Deus alicuius actiones prædeterminaret. Hæc est sententia Suarez 3. part. tom. 1. disp. 33. sect. 2. & videtur etiam D. Epiphanii ab eo citati.

Qua ratione vnio hypostatica impediat peccatum.

Suarez. D. Epiphan.

127 Ex his demum patet, qua ratione possit Deus aliquem viatorem confirmare absolutè in gratia, ita vt fieri nequeat, vt hic peccet mortaliter aut etiam venialiter, & tamen liberè omnia sua agat, prouidendo scilicet ei omnes eas gratias & agendi occasiones, ac circumstantias, quibus videt eum certissimè omne peccatum vitaturum: hoc ipso enim quo Deus hoc decreuit facere, tam est impossibile eum manente hoc decreto peccare, quàm sit impossibile, illud decretum falli.

Qua ratione Deus possit aliquem ita eius libertate confirmare in gratia.

DVBIVM VIII.

Quæ actio dicatur libera?

128 HÆc quæstio ex dictis præsertim dubio 1. & 5. facilè soluetur; nec suppositis iis, quæ ibi dicta sunt, potest habere difficultatem.

Quæ actio sit immediatè libera.

CONCLVSIO I. Illa sola actio est immediatè libera, quæ procedit à potentia in se immediatè siue intrinsecè libera, ac liberè hîc & nunc operante. Est communis, nec scio hîc vllum dissentire: quia actum aliquem esse immediatè liberum, nihil est aliud quàm dicta ratione à tali potentia procedere.

129 CONCLVSIO II. Illa actio est mediatè libera, quæ immediatè à potentia in se non libera ita procedit, vt tamen mediatè pendeat, atque ita aliquo modo procedat à potentia in se libera & liberè operante, ac potente impedire ne illa ponatur. Sequitur ex conclusione I.

Quæ mediatè.

Hinc sequitur Primò, sicut sola voluntas est intrinsecè libera, ita illius solius actus esse immediatè liberos.

Sola actio voluntatis est immediatè libera.

130 Secundò, libertatem propriè & intrinsecè solùm esse in ipsa potentia liberè operante: in actione verò solùm per denominationem extrinsecam à potestate & modo operandi ipsius potentiæ, à qua procedit. atque ita ipsum *esse liberum* nullam perfectionem physicam ponere in ipso actu; vnde eadem actio in se physicè æquè perfecta & inuariata potest modò esse libera, modò non, vt si initio fiat sine sufficienti aduertentia, & postea cum ea continuetur. Et amor beatificus etsi nullo modo sit liber, est tamen in se perfectissimus. Ex ipsa tamen libertate & aduertentia ad bonitatem & malitiam consurgit in actione aliquod esse morale ipsi intrinsecum, vt ostendi suprà disp. 1. dub. 2. & 3.

Sola potẽtia est propriè secundùm se libera.

Actio secundùm se inuariata modò est libera, modò non.

131 Sequitur Tertiò, strictè & propriè loquendo nullam actionem esse formaliter intrinsecè liberam: quia hoc significat libertatem vt formam ei inesse. Ad distinctionem tamen illarum actionum, quæ solùm sunt mediatè liberæ, per quendam respectum ad actionem, qua imperantur; atque ita ab ea, siue ea mediante, & consequenter magis extrinsecè libertatem participant; actiones immediatè liberæ vsu à multis recepto dicuntur formaliter ac intrinsecè liberæ; minùs tamen propriè, vt dixi. sed cùm de re constet, de modo loquendi non est contendendum, quare etiam brcuitatis causa eum in sequentibus quandoque vsurpabimus, & secundùm receptum iam loquendi vsum actus voluntatis dicemus formaliter liberos.

132 Restant nobis hîc soluendæ quædam obiectiones; quæ ab aliis contra iam dicta afferuntur, quibus conantur probare libertatem dicere aliquid intrinsecum ipsi actui, atque ita omnem actum liberum intrinsecè & essentialiter differre ab omni actu necessario siue non libero: vnde vlteriùs inferunt fieri non posse vt idem actus sit successiuè modò necessarius, modò liber. Quam difficultatem fusè tractat P. Hurtado in tractatu de Anima disp. 15. sect. 6.

Hurtado.

Obiiciunt igitur Primò, Illi actus inter se essentialiter differunt, qui necessariò exigunt produci à diuersis potentiis: atqui actus liber, & non liber sunt tales: ergo essentialiter differunt. Minor probatur Primò, quia nec actus liber potest vllo modo produci à potentia non libera, nec actus non liber à potentia libera; v. g. nec volitio, quæ est actus liber, potest produci ab appetitu sensitiuo; nec appetitio sensitiua, quæ est actio non libera, potest produci à voluntate: ergo actio libera & non libera necessariò exigunt produci à diuersis potentiis. Secundò, quia, vt actus sit liber, debet procedere à potentia hîc & nunc potente operari, & potente non operari: & contrà, vt actus sit non liber, debet procedere à potentia hîc & nunc non potente non operari: atqui fieri nequit vt potentia secundùm se omnino eadem, sit modò potens

tens non operari, modò impotens non operari; ergo actus liber & non liber nequeunt procedere ab eadem potentia. Vt autē minorem huius syllogismi probent, notant se per potentiam operandi, & non operandi, non intelligere solam voluntatem aut habitum ei inhærentem, sed voluntatem simul cum omnibus iis, quæ necessaria sunt vt ipsa sit potens hîc & nunc operari; ad quod etiam requiritur cognitio obiecti. Dictam igitur minorem probant, quia in voluntate agente potentia agendi nullo modo distinguitur à potentia non agendi: ergo hæc ab illa manente eadem separari nequit.

133 Obiiciunt Secundò, Diuersa obiecti cognitio necessariò causat diuersam volitionē ipsam consequentem: at qui, volitio libera, &, non libera necessariò sequūtur diuersas obiecti cognitiones: ergo inter se sunt necessariò diuersæ.

Maior probatur Primò, quia cognitio rationalis qua mouemur vt aliquid amemus propter finem, causat amorem distinctum ab ea, qui sequitur cognitionem irrationalem, qua amentes mouentur vt aliquid ament non propter finem: ergo omnis amor sequens distinctam cognitionem est necessariò distinctus ab eo, qui aliam cognitionem sequitur; quia non est maior ratio in vno quàm in alio. Secundò, quia amor Dei in patria essentialiter distinguitur ab amore Dei in via: ergo omnis diuersa obiecti cognitio causat diuersam volitionem.

134 Obiiciunt Tertiò, Amor honestus liber est meritorius, & consequenter obiectum complacentiæ diuinæ: & amor eiusdem obiecti non liber non est meritorius, & consequenter non est obiectum complacentiæ diuinæ: ergo in illo debet esse aliquid quod non reperitur in hoc. Item actus malus non liber non meretur pœnam, necest moraliter malus, nec Deo displicet: talis verò actus liber meretur pœnam, & est moraliter malus, & Deo displicet: ergo ille habet aliquid in se quod hic non habet.

Nec sufficit si dicas hanc bonitatem aut malitiam illis actibus aduenire à libertate voluntatis tamquam à conditione requisita, sicut actibus Christi à dignitate personę operantis aduenit infinitus valor. hoc inquam non sufficit, quia cùm libertas voluntatis secundùm se moraliter nec bona sit, nec mala, nequit illis actibus moralem bonitatem aut malitiam tribuere.

135 Sed horum facilis est solutio, vt ex dicendis patebit: vt tamen ea sit clarior, Nota Primò, actum voluntatis aut intellectus dupliciter considerari posse. Primò, quatenus est terminus ipsius actionis; siue quædam qualitas in voluntate aut intellectu producta. Secundò, quatenus dicit formaliter ipsam actionem: quæ secundùm quosdam identificatur ipsi potentiæ agenti: secundùm alios, est quidam modus ipsius termini modaliter ab hoc distinctus: secundùm alios, est ipse terminus prout concipitur in fieri, siue vt dependens & egrediens ab ipsa causa, atque ita intrinsecè connotans respectum ad certam causam. Ex quibus communiter omnes inferunt, eandem actionem formaliter sumptam non posse procedere à diuersis causis efficientibus. Atque ita etsi Deus idem omnino verbum mentis, quod iam à meo intellectu producitur, possit solus producere, id tamen faciet actione diuersa ab ea, qua ego illud iam produco. Auctores autem illarum obiectionum, volunt ipsum actum liberum, etiam quatenus est talis qualitas, intrinsecè distingui ab actu non libero. vt patet ex P. Hurtado suprà, iuncta sectione præcedente. *Hurtado.*

Actus potest dupliciter considerari.

Quid sit actio.

Nota Secundò, etsi voluntas nostra, vt possit aliquid velle, necessariò prærequirat obiecti cognitionem, quia non potest ferri in incognitum; ipsa tamen cognitio non influit in ipsius actum, sed solùm est conditio requisita, vt voluntas possit aliquid velle, sicut approximatio ligni est conditio requisita, vt ignis ipsum possit calefacere: vt bene docet Vasquez 1.2. disp.36. n.14. & patebit ex dicēdis disp.4.n.114. & fatetur Hurtado in 9.disput.Physic. sect.5.num.52. Ex quo sequitur, mutata cognitione obiecti non necessariò variari causam, siue potentiam effectiuam, ipsius volitionis. nam potest fieri vt illa cognitione variata, hæc ab eadem voluntate, ac ab eodem habitu procedat. Ex quo patet Auctores contrariæ sententiæ, sub ipsa potentia operandi malè ea omnia comprehendere, quæ sunt necessaria vt illa possit hîc & nunc operari, quia sic sub illa deberent comprehendere propositionem obiecti, quæ tamen se non tenet ex parte potentiæ actiuæ. 136 Cognitio obiecti non influit in actum voluntatis. *Vasquez.* *Hurtado.* Non omnia necessaria ad agendum se tenēt ex parte potentiæ.

Nota Tertiò, ex duplici capite posse contingere vt actus aliquis sit necessarius. Primò, ex essentia ipsius actus, qui ex natura sua postulat produci à potentia non libera; quales sunt omnes actus, qui non producuntur immediatè à voluntate, quæ sola est potentia formaliter libera. Et de his nulla potest esse difficultas, quin differant essentialiter ab omni actu immediatè libero. Secundò, ex aliquo accidente ipsi potentiæ, à qua producuntur, extrinseco; quales sunt actus voluntatis, qui ob insufficientem considerationem obiecti, aut ob similes causas eliciuntur non liberè: & de his est tota difficultas. Simili modo ex duplici capite, aliquis actus potest non esse vitalis. Primò, quia ex se ineptus est qui à potentia vitaliter operante producatur; qualis est generatio ignis. Secundò, quia, etsi aptus sit vt ab eiusmodi potentia producatur, tamen de facto ab ea non producitur: tale est verbum mentis à Deo solo in nobis productum. 137 Actus aliquis potest dupliciter esse non liber.

Ad primam obiectionem, nego minorem; 138 est enim apertè falsa, vt patebit ex dicendis, nisi intelligatur de actibus qui essentialiter exigunt produci à potentia à voluntate distincta: qua ratione nihil facit ad rem.

Ad primam probationem, nego secundam partem maioris generatim sumptam: est enim solùm vera in actibus, qui ideo non sunt liberi, quia nequeunt à voluntate elici: & si intelligatur de aliis actibus, apertè sumit quod probandum est. Ad secundam probationem, nego minorem. Primò, quia quòd voluntas sit modò potens operari ac non operari, modò non sit potens ad vtrumque, potest prouenire ex sola diuersitate cognitionis ipsius obiecti. v.c. ponamus me initio aliquod obiectum nullo modo

cogno-

cognoscere, non potero illud vlla ratione velle. deinde cognoscam illud subitò sub sola ratione valdè appetibilis, & voluntas in illud, tamquam tale subitò feratur antequam id aduertam sufficienter, vt possim eius actum cohibere, vt contingit in motibus primò primis, & tunc illud ita appetam vt non possim id non appetere: deinde aduertam me illud obiectum appetere, & cognoscam in eo aliquid ob quod possum ipsum nolle, & nihilominus pergam illud appetere; iam ita illud appetam, vt possim id non appetere. hoc casu sola diuersitas cognitionis est causa cur initio nequeam vllam volitionem circa illud obiectum elicere, & deinde cur ita sim potens illud velle, vt non possim id non velle; & demum cur fiam potens illud velle & non velle. cùm autem hæc cognitio non pertineat vlla ratione ad potentiam actiuam, sed sit conditio ei extrinseca, vt ostendi nu. 136. sequitur apertè per eius variationem potentiam actiuam secundùm se non variari: atque ita in notabili pro probatione illius minoris allato, malè hæc dicuntur comprehendi sub potentia actiua.

139 Secundò, quia, etsi cognitio obiecti qua ad hoc appetendum aliquo modo moueor, effectiuè concurreret ad eiusdem volitionem, atque ita se teneret ex parte potentiæ actiuæ; adhuc in dicto casu potentia actiua sine vlla sua variatione ex impotente non operari, fieret potens non operari. Quia, etsi cognitio tertio loco accedens, qua aduerto & me tale obiectum appetere, & esse sufficientem causam cur possim nolle illud appetere, constituat me suo modo potentem id non appetere, tamen nullo modo est causa cur id pergam appetere; nullo enim modo moueor ad hoc appetendum, quia aduerto me id appetere, aut quia video me id meritò posse non appetere, atque ita hæc nullo modo sunt causa cur id appetam; sed ad hoc me mouet sola bonitas obiecti priùs apprehensa, atque ita quidquid se tenet ex parte potentiæ actiuæ manet inuariatum: nam tertia illa cognitio nullo modo se tenet ex parte potentiæ actiuæ.

Quædam cognitio necessaria ad libertatem nulla ratione est causa cur agam.

Ad probationem dictæ minoris, nego antecedens: nam etsi potentia non agendi secundùm intrinseca non distinguatur à potentia agendi, (quia sic eadem voluntas est potentia agendi, & non agendi) distinguuntur tamen ratione conditionum extrinsecè requisitarum vt fiat potens agere, & non agere, vt patet ex dictis: atque ita sine sua mutatione potest fieri modò potens non agere, modò impotens. Sicut ignis per solam remotionem aut approximationem obiecti, fit potens aut impotens non agere, sine vlla sui mutatione.

140 Ad secundam obiectionem, nego maiorem; fallit enim in pluribus casibus, & generatim quoties accedit aliqua cognitio quæ voluntatem nullo modo mouet ad appetendum obiectum; vt accidit in casu suprà allato, in quo cognitio qua aduerto me illud obiectum appetere, & posse non appetere, nullo modo me mouet, vt id pergam appetere; atque ita nullo modo potest esse causa aut ratio cur id appetam.

Dices, Etsi illa cognitio non sit causa cur voluntas illud obiectum appetat, est tamen causa cur illud alio modo appetat, scilicet liberè: ergo variat ipsam potentiam, & consequenter actionem. 141

Respondeo, negando antecedens propriè loquendo: nam cognitio obiecti non efficit propriè voluntatem secundùm se potentem operari aut non operari, aut potentem liberè operari (hæc enim illa habet ex natura sua) sed solùm est conditio ad hoc requisita. Sicut approximatio obiecti, aut remotio impedimenti, non efficit propriè ignem in se potentem calefacere, nec est causa cur calefaciat: sed solùm est conditio ad hoc requisita: nec vim calefactiuam ignis aliquo modo immutat. Quòd igitur voluntas dicitur alio modo operari, quando operatur liberè, & alio modo quando operatur non liberè, non innuit aliquam variationem ipsi actioni intrinsecam, sed solam denominationem huic extrinsecam ab absentia vel præsentia conditionis requisitæ vt voluntas sit completè potens liberè operari.

Ad primam probationem maioris, nego consequentiam: nam dicta cognitio ideò præcisè est ratio cur varietur volitio, quia est ratio cur voluntas illud medium appetat propter distinctum obiectum formale, scilicet propter suam vtilitatem ad finem: qua ratione illud non appetit, qui hanc vtilitatem non cognoscit. quod non contingit in aliis volitionibus, in quibus idem obiectum propter eandem rationem formalem, modò liberè, modò non liberè appetitur. 142

Contrà obiiciunt aliqui, hanc diuersitatem formalitatum non esse in ipso obiecto, sed in ipsis cognitionibus. Sed hoc apertè falsum est; nam in actione aliqua simul iucunda & vtili, reperiuntur & ipsa iucunditas & vtilitas ad finem, quæ nullo modo sunt in ipsa cognitione, sed hæc illa solùm voluntati repræsentat. Nec refert quòd illa in obiecto eodem modo reperiantur siue cognoscantur, siue ignorentur; quia non eodem modo voluntati repræsentantur. Adde, ex dictis suprà diuersam cognitionem etiam in dicto casu non esse propriè causam cur varietur volitio; sed solùm esse conditionem ad hoc requisitam, & quidem talem ex qua dicta variatio non sequatur necessariò: nam apprehendens aliquam actionem primò præcisè vt iucundam, & ita illam appetens, & deinde cognoscens eam vtilem ad aliquem finem; potest pergere eam appetere præcisè propter suam iucunditatem, & consequenter sine variatione suæ actionis.

Diuersitas formalitatū ob quas aliquid appetitur, non est in cognitione, sed in obiecto.

Ad secundam probationē, nego consequentiam: est enim particularis ratio in visione beatifica, vt ostendam disp. 23 dub. 3.

Ad tertiam obiectionem, Respondeo illam solam probare in actu libero reperiri aliquam rationem moralem, scilicet bonitatem, aut malitiam formalem, quæ non reperitur in actu necessario; quod fieri potest sine vlla mutatione physica ipsius actus. nam etsi libertas secundùm se non sit moraliter bona vel mala, est tamen sufficiens conditio, cur actio quæ priùs 143

Qua ratione libertas immutet bonitatem aut malitiam actus.

solùm erat materialiter bona vel mala, nec imputabilis ad culpam vel meritum, fiat formaliter bona vel mala, & meritoria pœnæ aut præmii: nam libertas non efficit vt actus incipiat moraliter esse bonus vel malus qui antea talis non erat, sed solùm est ratio, cur is qui priùs solùm erat materialiter talis, fiat talis formaliter.

Actus non liber potest esse malus Deoque displicere.

Quare illa obiectio duo falsa supponit: Primò, actum non liberum nullo modo esse moraliter bonum aut malum; Secùdò, eum Deo nec placere, nec displicere. Quę vera non sunt: nam, vt ostendam disp.3 dub.3. odium Dei etiam non liberè elicitum est actio moraliter mala, Deoq; displicet: & amor Beatorum in cælo est actio moraliter bona, Deoque placet.

144 Ex his potest nostra sententia & alterius confutatio vlteriùs confirmari. Ponamus enim aliquem primò nullo modo aduertentem aliquam actionem sibi esse prohibitam, nec de eo vlla ratione cogitantē velle eam exercere, quia iucunda est aut vtilis ad commodum temporale; & deinde aduertat eam sibi esse prohibitam, ac ob eandem omnino rationem pergat velle eam exercere: tunc contra alteram sententiam dabitur aliqua actio manens eadem, priùs non mala formaliter; & postea formaliter mala, ac meritoria pœnæ.

Dices, fieri non posse, vt talis post eam aduertentiam priorem actionem continuet. Sed contrà Primò, hoc videtur repugnare experientiæ; nam experimur nos ob accessum eiusmodi cognitionis nullo modo impediri continuare priorem volitionem. quod maximè locum habet in iis, qui consueuerunt eiusmodi peccata committere, qui tali aduertentia non aliter mouentur quàm si non occurreret. Secundò, quia, vt iā ostendi, nulla potest vel probabilis adferri ratio cur talis per accessum eiusmodi aduertentiæ fiat impotens continuare eam volitionem, cùm ipsius obiectum pergat voluntati non minùs quàm priùs proponi sub ratione boni vtilis aut delectabilis, ob quam præcisè priùs expetebatur; nec per eam aduertentiam voluntas necessitatur ad vllum actum incompossibilem cum priore, quia nullum actum tunc necessariò elicit (vnde est diuersa ratio huius casus, & eius in quo aliquis viator amans Deum subitò eleuatur ad claram Dei visionem, quia sic necessitaretur ad eliciendum actum amoris beatifici.) quare non video vllam apparentem causam cur talis nequeat priorem actionem continuare, nisi fingamus Deum ipsi subtrahere concursum.

Et eodem planè modo possumus argumentari in casu posito num.138. quando quis priùs inaduertenter aliquid appetit, & deinde aduertens quid agat, pergit id appetere.

DISPVTATIO III.

De bonitate & malitia humanorum actuum.

NOn est nobis propositum, hîc disputare omnia quæ hac de re à Theologis in 1. disputari solent, sed ea solùm quæ ad naturam ac qualitatem actuum supernaturalium intelligendam necessaria sunt. Quare cùm in actibus supernaturalibus non possit reperiri vlla moralis malitia, de hac solùm disputabimus, quatenus huius explicatio aliqua ratione est necessaria ad intelligendam rationem bonitatis moralis, aut quatenus vnius explicatio cum explicatione alterius habet apertam connexionem.

DVBIVM I.

In quo consistat bonitas aut malitia humanorum actuum?

1 Bonitas alia est transcendentalis,

VT hîc clariùs procedamus, Nota Primò, duplicem esse bonitatem. Prima est transcendentalis, qua omnis res bona est in se sine vllo respectu ad aliam, & vnaquæque eo melior, quo perfectiorem habet entitatem. Et hac ratione etiam actus peccaminosus est bonus, & eo melior, quo est intensior: atque ita quandoq; est melior aliquo actu virtutis secundùm suam entitatem minùs perfecto. Et huic bonitati sola priuatio opponitur, eaque sola dicitur hac ratione mala.

2 alia respectiua.

Secunda est respectiua, qua aliquid alicui dicitur bonum. & hac ratione eadem res potest esse vni bona, & alteri mala, & eo peior, quo in se est perfectior. v.c. calor est bonus igni, malus aquæ, & eo peior, quo intensior. Item moderatus calor bonus est animali, minùs intensus est malus, & quo intensior atque adeò in se perfectior, & consequenter priore modo melior est, eo animali est magis noxius, & consequenter peior. Idque non solùm quia ipsum priuat necessario frigore, vt aliqui putant, sed per se immediatè. Nam temperamentum animali conueniens, non solùm consistit in eo, quòd nulla qualitas ei desit aut in eo minùs intensa sit, sed etiam in iusta omnium proportione, quæ tam læditur per excessum, quàm per defectum, & contrà perficitur non solùm positione alicuius, quo tollitur defectus; sed etiam negatione illius, cuius positione fieret excessus. Hinc si Deus poneret in me calorem intensum vt mille, & simul conseruaret omnes alias qualitates ad meam sanitatem requisitas, ille tamen esset mihi malus, eoque cruciarer. Confirmatur Primò, quia, vt per se patet, & omnes fatentur, calor & frigus sibi mutuo formaliter contrariantur ac repugnant: atqui quæ inter se pugnant, sibi mutuo hostilia ac mala sunt: ergo calor & frigus sibi mutuo per se immediatè mala sunt, & non solùm ratione alicuius priuationis.

Tēperamentum animalis non solū defectu sed etiam excessu læditur.

3 Confirmatur Secundò, quia tristitia est homini

Aliqua nobis secundùm se immediatè mala sunt.

mini mala, non solùm quia priuat eum aliquo gaudio, sed per se immediatè: nam aliàs somnus ea esset peior, quia magis priuat nos omni gaudio. Imò etiamsi (vt in Christo accidit) esset in homine simul tristitia cùm summo gaudio, hæc tamen esset ei mala. Item aliàs non esset homini peius tristari quàm non gaudere; quod apertè falsum est.

Dices, tristitiam ideo esse homini malam, quia priuat eum animi quiete. Sed contrà, hęc animi quies prout distinguitur à gaudio, nihil est aliud quàm negatio siue absentia tristitiæ aut similis passionis animum inquietantis; ergo ipsa non tollitur immediatè per priuationem, sed per positionem alicuius rei positiuæ, scilicet affectionis animum inquietantis. sicut igitur huius negatio est homini per se bona (quia illa quies, quæ bona est, in ea præcisè consistit) ita ipsa per se homini mala est.

Quies animi consistit ex parte in negatione siue absentia mali.

4 Confirmatur Tertiò, quia, si eiusmodi res solùm essent homini malæ præcisè, quia illum aliqua re bona priuant, eo essent ei peiores, quo pluribus eum rebus priuarent. saltem modò relinquerent ei aliquod esse, ita vt posset adhuc esse subiectum priuationis: atqui hoc est falsum: ergo & illud. Minor probatur, quia, si pœna inferni priuaret damnatos omni potestate aliquid actu intelligendi ac sentiendi, ita vt non magis quàm truncus possent ea, quæ circa illos aguntur percipere, pluribus eos priuaret, quàm modò priuet; & tamen hoc esset illis longè melius, & maximè optandum, quia sic liberarentur omnibus suis cruciatibus. Imò, vt apertè dicitur Matth. 26. v. 24. melius iis esset omnino non esse, quàm esse prout iam sunt. quod secundùm aliam sententiam nequit dici, quia secundùm eam si non essent nullum haberent bonum quod iam non habent, & iam multa habent bona quæ tunc non haberent.

Quædã ptiationes quibusdam expetendæ.

Matth.

5 Quidam similibus quibusdam rationibus pressi, aiunt malum consistere quidem in sola priuatione, non tamen in priuatione solius rei positiuæ, sed etiam in priuatione priuationis siue negationis rei noxiæ. cùm enim, vt aiunt, negatio talis rei sit bona, potest concipi per modum rei positiuæ, atque ita poterit aliqua ipsius priuatio dari, quæ sit mala. Sed hoc nihil est aliud quàm aliis verbis fateri talem rem secundùm se alicui esse malam. nam cuius negatio per se immediatè mihi bona est, id mihi debet immediatè secundùm se esse malum; nam negatio rei non secundùm se, sed solùm ratione alicuius priuationis mihi malæ nequit mihi per se immediatè esse bona. Item cùm priuatio absentiæ rei noxiæ nihil sit aliud, quàm præsentia rei noxiæ, si illa præcisè secundùm se sit mala, etiam præsentia rei noxiæ secundùm se erit mihi mala. v.c. priuatio negationis doloris nihil est aliud quàm præsentia doloris, sicut priuatio tenebrarum nihil est aliud quàm præsentia luminis: cùm igitur secundùm illos priuatio negationis doloris sit mihi secundùm se immediatè mala, præsentia doloris erit mihi secundùm se immediatè mala. Item cur negatio siue absentia doloris sit mihi per se immediatè bona, nulla potest fingi apparens ratio, nisi quia præsẽtia doloris est mihi per se immediatè mala: cùm igitur illi fateantur negationẽ doloris mihi per se immediatè esse bonam, implicitè fatẽtur præsentiam doloris, & consequenter aliquid positiuum mihi per se immediatè esse malum.

Priuatio absentiæ rei malæ nihil est aliud quã huius præsentia.

Consistit autem hæc bonitas in conformitate quadam vnius rei cum altera cui illa bona est, & malitia in tali difformitate siue repugnãtia. Ideo enim moderatus calor est bonus animali, quia conformis eius naturali constitutioni; immoderatus eidem est malus, quia huic est difformis & repugnans. Pulchrè hæc docet D. August. lib. 2. de Moribus Manichæorum c. 8. vbi ostendit nullam substantiam esse absolutè malam: quasdam tamen aliquibus esse malas. v.c. venenum est malum homini, ratione disconueniẽtiæ quam habet cum natura ipsius: quod tamen bonum est serpenti, cuius naturæ conueniens est. vnde infert, illud non esse per se & secundùm suam substantiam absolutè malum (quia sic nulli posset esse bonum) sed tantùm per accidens esse aliquibus malum ratione illius disconuenientiæ. 6

Auguſt. Nulla substantia absolutè mala: quædam tamen aliquibus malæ.

Est autem hæc bonitas aut malitia duplex; scilicet alia physica, quæ consistit in conueniẽtia vel disconuenientia cum re aliqua, quatenus est quoddam ens physicum; sic frigus est bonum aquæ, calor malus. Alia est moralis bonitas vel malitia, quæ ad mores pertinet, & quãtum est ex se, nata est eos bonos vel malos efficere. sicut autẽ sola natura intellectualis est capax bonorum aut malorum morum, ita illi soli potest aliquid hac ratione esse bonum aut malum. Et hac ratione virtus absolutè est bona, peccatũ malum. Hinc patet triplicem esse bonitatem & malitiã. Primò, transcendentalem; Secundò, respectiuam physicam; Tertiò, moralem. & de hac tertia bonitate ac malitia hîc solum agimus. 7

Bonitas respectiua duplex.

Soli naturæ intellectuali potest aliquid esse bonum aut malum moraliter.

Bonitas aut malitia triplex.

Nota Secundò, hanc moralem bonitatem ac malitiam quæ in actionibus nostris reperitur, esse duplicem. Prima, est materialis; Secunda, est formalis. Prior non requirit libertatem, ideoque æqualiter reperitur in actione externa ac interna, & est vtrique intrinseca. Secunda supponit aut etiam includit libertatem, ideoque formaliter reperitur in sola actione voluntatis, & actioni externæ solùm conuenit per denominationem extrinsecam ratione actionis voluntatis, à qua imperatur, & cum qua moraliter censetur idem actus. Quæ fusiùs probabo dub. 3. & 4. hîc autem propriè & præcipuè agimus de priore bonitate ac malitia, quam communiter materialem vocamus, quia accedente perfecta cognitione apta est vlteriore bonitate aut malitia informari, vt fit quando aliquis ob inaduertentiam primò elicit actum bonum aut malum non liberè, quẽ deinde cum cognitione plena liberè continuat. Alii vocant eã malitiam aut bonitatem fundamentalem, quòd sit proximum fundamentũ, ex quo posita deinde perfecta cognitione resultat bonitas aut malitia formalis. hîc autem non disputabo, an formalis ratio peccati dicat aliquã priuationem, quia hoc ad præsentem tractatum non est necessarium. 8

Bonitas aut malitia moralis alia materialis, alia formalis.

Nota Tertiò, ex iis quæ dixi disp. 1. dub. 2. in actu consideranda esse, in actibus intellectus & volun- 9

voluntatis bonitatem & malitiam maximè consistere in secundo explicato num.11. scilicet in illa tendentia potentiæ in obiectum: hac enim ratione præcipuè naturam rationalem decent aut dedecèt. Nam si quis aliquam eiusmodi actionem posset alicubi in vacuo producere, nulla in ea esset bonitas moralis vel malitia: quòd si autem aliquis me non cooperante actum malum, v.c. odium proximi, in mea voluntate produceret; haberet hæc quidem inde aliquam indecentiam (quia ille actus etiam vt est quædam qualitas, voluntati alicuius inhærens ei indecentiam adfert sicut macula in facie) hæc tamen indecentia nec esset vlla ratione peccatum, nec ita notabilis; cùm voluntas per illum actum verè nihil odisset: vnde nec haberet verè rationem odii. His positis

Malitia aut bonitas moralis nequeunt esse sine tendentia actus in obiectum.

Difficultas hîc est, in quo hæc bonitas aut malitia consistat. Agimus autem præcipuè de bonitate ac malitia, quatenus cõueniunt actionibus spectato præcisè iure naturæ. nam videtur per se satis clarum, bonitatem aut malitiam, quæ aliquibus actionibus conuenit ratione legis positiuæ, consistere in conformitate aut difformitate cum ea lege.

10 Medina 1.2.q.18.a.2.concl.4.& q.20.a.1. Cõrad.q.19.a.1.ad 3. & alij quos referunt Salas 1.2. tract.7.disp.2.n.11.& Vasquez disput.58.c.1. dicunt hanc bonitatem ac malitiam consistere in conformitate vel difformitate cum iudicio recto; siue ideo actionem aliquam esse bonam, quia est conformis iudicio recto, siue quia ea ratione fit, qua rectè sentientes aut saltem ipse operans prudenter agens iudicat, eam debere fieri: ideò verò esse malam, quia contra tale iudicium fit. ita vt iudicium rectum sit prima causa siue radix, ex qua nascitur bonitas aut malitia in actione, quæ ei conformiter aut difformiter fit. sicut in actionibus solo iure positiuo prohibitis, ipsa lex est prima ratio cur ea actio sit mala ac illicita. Probant Primò, quia D. Thomas 1.2.q.19.a.3. docet bonitatem actionis pendere à ratione. Secundò, quia omnis ille bene operatur, qui facit id quod omnino iudicat hîc & nunc esse bonum; ille verò malè operatur, qui facit quod iudicat esse malum: ergo bonitas & malitia consistunt in hac conformitate vel difformitate.

Medina. Conradus. Salas. Vasquez.

D. Thomas.

11 Sed hæc sententia visa mihi est semper valdè difficilis, & carere omni fundamento. Primò, quia repugnat communi sensui; quid enim videtur magis absurdum, quàm aliquod opus ideo præcisè esse licitum ac bonum, quia videtur aliquibus, aut etiam omnibus esse bonum? ac si dicas ideo parietem esse album, hominem rationalem, &c. quia omnes iudicant ea esse talia. Sæpè quidem cùm manifesta omnino ratio non obstat, colligimus propositionem aliquam esse probabiliter veram; quia multi sapientes iudicant eam esse veram, sed eorum iudicium nullo modo est causa cur sit vera. sicut viso fumo colligimus ibi esse ignem, fumus tamẽ nullo modo est causa cur ignis ibi sit. Similiter bene colligimus aliquod opus esse bonum, quia omnes sapientes iudicant id esse bonum: non est tamen ideo bonum, quia illi ita iudicant, sed quia est conforme illorum iudicio; sed contrà, ideo illorum iudicium est rectum & verum, quia est conforme rei iudicatæ, siue quia actio, quam iudicant esse bonam, verè bona est.

Etsi bene colligamus aliquod opus esse bonum quia multi iudicat esse tale: tamen nullo modo est tale, quia tale iudicatur.

Secundò, quia, vt aliquis bene operetur circa res solo iure positiuo præceptas aut prohibitas, eodem modo requiritur vt non faciat contra suam conscientiam siue iudicium, atque in rebus relictis soli iuri naturali: atqui comedere v.c. carnes in Quadragesima, non ideo est malũ, quia comedens iudicat esse malum, sed quia prohibitum est: ergo idem dicendum est in aliis actionibus. Tertiò, quia inde sequeretur numquam dari conscientiam inuincibiliter errantem, quia hoc ipso quo operans suum opus inuincibiliter iudicaret esse bonum, esset verè bonum, & sic conscientia non erraret. Quartò, quia illis difficillimum est coniicere quodnam iudicium debeat dici rectum, vt actio ideo sit bona, quia illi est conformis: vnde illius sententiæ auctores in diuersissimas sententias abeunt, vt fusè ostendit Vasquez 1.2.disp.58.c.1.& 2. 12

Vasquez.

Quidam dicunt illud iudicium esse rectum quod est cõforme appetitui recto; sed hi circulum committunt & petunt principium: docent enim appetitum esse rectum, quia est conformis iudicio recto; & rursus iudicium esse rectum, quia est conforme appetitui recto. quod est nugari. Aliqui alii dicunt illud iudicium esse rectum quod est conforme iudicio diuino. sed hîc & falsa redditur ratio cur aliquod iudicium sit rectum, nec vitatur difficultas. Nam etsi verum sit omne iudicium esse verum siue rectum, quod est conforme iudicio Dei, quod falli nequit; tamen non ideo est verum siue rectum, quia est conforme diuino. sed contrà, ideo est huic conforme, quia verum est. vnde si per impossibile nullus esset Deus, & tamen essent homines, essent aliqua vera & recta iudicia, & operationes bonæ, & tamen non essent conformia iudicio diuino. 13

Non ideo iudicium est rectum, quia conforme diuino.

Deinde si petas cur Deus potiùs iudicet dare eleëmosynam esse bonum, & adulterari esse malum, quàm contrà, certè nulla potest reddi ratio, quàm quia illud est à parte rei bonum, hoc verò malum: ergo hæc non ideo talia sunt quia Deus talia iudicat. 14

Respondent aliqui, Deum ideo hæc talia iudicare, quia talis est ipsius natura: ac si dicas ideo hominem esse rationalem, brutum irrationale, quia Deus talia esse iudicat, & ideo eum iudicare hæc esse talia, quia talis est ipsius natura. quæ refutatione non egent.

Ob similes difficultates quidam dicunt ideo hoc illudúe opus esse bonum, quia prudenter hîc & nunc iudicatur esse bonum: prudens autem iudicium esse, quod nititur probabilibus rationibus, ita vt operans possit illud prudenter sequi. 15

Sed contrà Primò, Hæc apertè repugnant 1. ac 3. argumento allatis num. 11. & 12. Secundò, non sunt generatim vera; nam accessus Iacob ad Liam ab eo prudenter iudicabatur honestus, & tamen erat adulterium ac peccatum, licet solùm materiale; & consequenter erat actus verè inhonestus, quamuis ei ob ignoran-

rantiam non imputaretur. vt magis patebit dubio 3.

16 CONCLVSIO I. Bonitas materialis actionis consistit in morali conformitate siue conuenientia ipsius actionis cum natura rationali, siue intellectuali, qua talis est: & malitia in eiusmodi morali difformitate. Ita Vasquez 1.2. disp.58.n.9.& disp.73.n.17. Ideo enim actio aliqua est bona, quia conueniens est vt à tali natura fiat; ita vt hanc deceat illam facere: & ideo est mala, quia est difformis naturæ rationali, ita vt hanc dedeceat illam facere. Patet Primò, ex refutatione præcedentis sententiæ: posito enim quòd bonitas & malitia non consistant in conformitate aut difformitate cum recta ratione; nequit alia ratio assignari, in qua consistant, præsertim præscindendo ab omni lege positiua. Secundò, quia præscindendo ab omnibus alijs, hoc ipso quo aliqua actio est dicta ratione difformis naturæ rationali est mala, non physicè (quia potest operanti physicè esse conueniens) ergo moraliter; & consequenter in ea difformitate consistit malitia moralis. Et simili omnino ratione hoc ipso quo actio iuxta dicta est conformis naturæ rationali, ei est honesta, & consequenter moraliter bona. quæ magis ex sequentibus patebunt. Quando autem aliqua actio est mala solùm, quia iure positiuo est prohibita, tunc eius malitia primò & per se consistit in repugnantia cum ea lege, & consequenter in repugnantia cum natura rationali, cui est prohibita: nam hæc repugnantia ex illa necessariò sequitur.

Vasquez.

17 Disputant autem hîc aliqui, an hæc conformitas aut difformitas sit relatio realis an rationis. Est autem verius eam secundùm præcisum suum conceptum esse quandam formalitatem moralem, quia hic propriè non est conuenientia aut repugnantia physica, sed moralis. fundamentaliter tamen includit ipsam actionem, quatenus vitaliter à natura rationali procedit circa tale obiectum: nam ipsa actio vt sic procedens, est immediatè conformis aut difformis naturæ rationali: sicut imago se ipsa est similis prototypo.

18 CONCLVSIO II. Iudicium operantis siue speculatiuum siue practicum, numquam est per se causa aut immediata ratio, cur aliqua actio eiusue obiectum sint bona vel mala. quamuis aliquando per accidens & remotè horum sit causa. vt infrà patebit.

Iudiciũ solum quãdoque per accidẽs & remotè est causa cur actio sit bona aut mala.

Probatur Primò, quia, vt patet ex dictis, actio est bona vel mala, quia conformis vel difformis naturæ intellectuali, &, vt ostendam dub.2. obiectum est bonum vel malum, quatenus est aptum vel ineptum, vt natura rationalis tali actione circa ipsum versetur: atqui quòd sint talia, non habent, quia iudicantur esse talia, sed ratione naturæ suæ aut alicuius moralitatis sibi connexæ, à qua obiectum quandoque redditur malum, vt dicam n.35. Probatur minor, quia mentiri, blasphemare & mœchari, &c. per se dedecent naturam rationalem, omniaque vitia sunt obiectum ineptum vt amentur. Contrà verò credere Deo, dare eleëmosynam, &c. sunt per se conformia naturæ rationali,& omnis virtus est obiectum aptum quod decenter ametur: ergo hæc non habent à iudicio operantis.

Secundò, quia, quantumuis operans iudicet 19
suum mendacium vel adulterium esse honestum, tamen erit verè inhonestum. Item quantumuis aliquis hæreticus credat esse malum dare pauperi catholico eleëmosynam. si tamen sine vlla alia mala circumstantia eam det, hæc externa actio (etsi fortè denominatione extrinseca, quia procedet à mala voluntate, poterit esse inhonesta) tamen intrinsecè & secundùm se erit honesta, vt ostendam nu.54. ergo dicta non habent hoc à iudicio sic vel sic iudicante.

Operans suo iudicio nequit efficere vt externa actio sit secundùm se bona aut mala.

Et hæc clara sunt & frequentia in actibus ex- 20
ternis, in actibus verò voluntatis rara sunt, possunt tamen quandoque & in his accidere vt si aliquis, quia videt hic & nunc esse necessarium reuelare alterius occultum crimen, vt innocens liberetur à morte, credat se ad hoc obligari, & tamen quia rudis est inuincibiliter putet se hoc non posse facere sine peccato: quia tamen credit hoc esse minus peccatum, quàm non impedire mortem innocentis non habens quem consulat, statuit hoc facere tamquam minus malum. hæc electio prudens est & bona, cùm tamen talis iudicet se eligere peccatum, & in eo peccare. quod cum contraria sententia nequit consistere; nam secundùm eam omnis ea actio est mala, quam operans iudicat hîc & nunc esse malam. Cùm igitur talis non obstante eo iudicio, quo putat se hîc & nunc teneri illud facere; simul tamen iudicet hanc suam actionem esse malam, facit aliquid quod iudicat esse malum, & consequenter secundùm illam sententiam in illa electione peccat. quod tamen dici nequit: illa enim electio cùm sit verè prudens (quia prudenter facit qui ex duobus malis quę simul euitare nequit, eligit minus) & ipse ad eam ponendam obligetur, nequit esse mala. quia neque mala electio potest esse prudens, nec ad eam possumus obligari.

Potest quis bene operari putans se peccare.

Nota tamen, etiamsi illo casu voluntas eligat id, quod operans iudicat esse peccatum, eam tamen in sua actione non dirigi eo iudicio, sed alio quo iudicat hominem ex duobus malis quæ simul euitare nequit, debere eligere quod credit esse minus: atque ita à recto iudicio immediatè dirigitur, & tale iudicium semper est remota aliqua ratio, cur actus voluntatis sit bonus, vt patebit ex dicendis. 21

Dices, Qui ob finem honestum, v.c. vt in se 22
sedet tentationes, & periculum peccandi vitet, cognoscit eam, quam falsò quidem sed inuincibiliter putat esse suam, honestè operatur: atqui hoc prouenit præcisè ratione recti iudicij, quod ipse habet: ergo hoc est causa bonitatis huius actionis.

Respondeo Primò, hæc nullo modo pro ad- 23
uersarijs facere; nam nullum hîc est iudicium rectum quod possit dici immediata ratio bonitatis illius actionis. Duplex enim hîc est iudicium. Prius speculatiuum, quo talis iudicat hanc esse suam: & hoc propriè non est rectum, sed falsum, nec immediatè dirigit operationem. Posset tamen alia quadam ratione dici re-

ctum in ordine ad praxim, & ad fundandum sequens iudicium; quatenus nimirum iudicans prudenter & rectè in iudicando procedit, ita vt error, aliaque quæ ex eo sequuntur, ei non imputentur ad culpam. Secundum iudicium est, quo iudicat esse honestum hîc & nunc velle hanc cognoscere. & hoc vel est verum, & tunc non faciet actionem siue obiectum suum bonum; sed supponet esse bonum, siue honestum, vt patet ex dictis initio: vel est falsum, & tunc non verum sed falsum iudicium erit causa bonæ actionis; imò tunc necessariò sequeretur, actionem esse inhonestam, aliàs iudicium esset verum.

Respondeo Secundò, talem ex parte operati honestè, ex parte non, neutrius autem cattsam esse vllum iudicium nisi remotè & per accidens. Pro quo

24 Nota, duplicem hîc esse actionem, scilicet, Primò, volitionem hanc cognoscendi, quia hoc vtile est ad vitandum periculum peccati; Secundò, externam copulam. Secunda actio secundùm se spectata est fornicatio vel adulterium, & consequenter inhonesta. Vnde qui nosset matrimonium esse nullum, non posset illum ad talem actum incitare, sed si commodè posset teneretur eum impedire. Prior verò actio est honesta, quia absolutè fertur in obiectum honestum. Obiectum enim huius voluntatis non est ille actus externus secundùm se spectactus, sed prout offertur voluntati, scilicet vt cognitio propriæ vxoris ob finem honestum, quæ actio sub hac ratione præcisè spectata est absolutè honesta, quia conformis naturæ rationali, quatenus talis est.

25 Iudicium autem intellectus solùm est illius honestatis aliqua ratione causa remota & per accidens. Primò, quatenus supponit inuincibilem ignorantiam omnis malitiæ illius actus externi, atque ita efficit vt hæc operanti nullo modo sit voluntaria. Secundò, quatenus proponit voluntati honestatem quæ creditur obiecto inesse, quam illa aliàs amare non posset, quia non potest ferri in incognitum. Et hac solùm ratione docet D.Thom. 1.2.qu. 19.a.3.5. & 6. bonitatem voluntatis pendere à ratione; vt apertè patet ex discursu, quem habet in corpore. Et simili ratione illud iudicium est causa cur actus externus per denominationem extrinsecam, quatenus est idem actus in genere moris cum interno, dicatur bonus.

Qua ratione iudiciũ possit esse causa honestatis ipsius actus.

D.Thomas.

26 Conclvsio III. Vt aliqua actio sit formaliter bona vel mala, requiritur libertas. quia aliàs non est formaliter actio moralis, atque ita cognitio intellectus, sicut est radicaliter causa libertatis, ita etiam similiter est causa cur actio quæ aliàs tantùm materialiter esset bona vel mala, sit formaliter bona vel mala, & imputetur ad culpam vel meritum.

27 Conclvsio IV. Formalis bonitas (quæ, vt ostendam dub. 4. intrinsecè solùm reperitur in actibus voluntatis) consistit in conformitate liberæ tendentiæ voluntatis in obiectum cum natura intellectuali: & malitia in simili difformitate. Probatur, quia præcisis omnibus alijs ideò aliquis actus est formaliter bonus & laudabilis, quia voluntas per eum liberè aliquid amat aut odit conformiter suæ naturæ, quatenus est potentia rationalis, siue prout decet naturam rationalem illud facere. Quænam autem ad hoc requirantur tam in obiecto & circumstantijs, quàm in ipsa ratione tendendi, qua potentia tendit in obiectum, patebit ex sequentibus dubijs.

In quo consistat formalis bonitas, aut malitia actus.

Ex dictis autem satis patet, bonitatem formalem necessariò includere libertatem ipsius actus, cui competit, siue respectum ad potentiam liberè operantem; atque ita sicut idem actus secundùm suam substantiam inuariatus potest modò esse liber, modò non liber; ita potest modò habere hanc bonitatem, modò non habere. Similiter formalis ratio peccati commissionis consistit in simili difformitate. An autem in sua formali ratione includat aliquam priuationem, alia est quæstio; quæ ad præsentem materiam, in qua naturam & conditionem bonorum actuum explicare intendimus, non ita necessariò spectat.

Idem actus potest modò esse formaliter bonus, modò non.

Ex his patet Primò, solutio argumentorum, quæ pro contraria sententia initio attuli nu.10. Ad primum, Respõdeo inde nullo modo sequi quod alij intendunt, vt iam ostendi n.25. Ad secundum, Respondeo antecedẽs non esse generatim verum, vt patet ex dictis nu.19. & consequentiam esse nullam, quia ex antecedente tantùm sequitur, illud iudicium esse occasionem cur voluntas bene vel malè operetur, vt suprà ostendi. 28

Patet Secundò, rectam rationem eatenus esse regulam nostrarum actionum, quatenus ostendit voluntati quæ actiones bonæ sint, & quæ malæ, eamque in ijs eligendis aut vitandis dirigit. Item quando dicitur eam actionem esse bonam, quæ est conformis rectæ rationi, non reddi rationem à priori, sed à posteriori; sicut cùm dicimus eam propositionem esse veram, quam communiter sapientes dicunt esse veram. 29

Quomodo recta ratio sit regula nostrorum actuum.

Patet Tertiò, actum internum & externum sibi mutuo communicare bonitatem vel malitiam, diuersa tamen ratione. nam internus ea accipit ab externo tamquam à suo obiecto: actus enim voluntatis habent pro suo obiecto actus aliarum potentiarum, quos imperant. contrà actus externus habet ab interno quòd sit formaliter moralis, & consequenter formaliter bonus vel malus. quæ magis explicabimus dub.5. 30

Actus internus & externus sibi mutuo communicant bonitatem aut malitiam.

DVBIVM II.

In quo consistat bonitas aut malitia obiectiua?

MEdina 1.2.q.18.a.2.cum multis alijs constituit bonitatem obiectiuam in conformitate cum recta ratione, & malitiam in simili difformitate. Sed, vt ostendi dub.1. hæc sententia non reddit veram & propriam rationem, quæ constituit aliquod obiectum bonum vel malum. nec enim ideo obiectum est bonum, quia recta ratio iudicat esse tale: sed cõtrà, ideò ratio 31

Medina.

ratio est recta, quia iudicat obiectum esse bonum, quod verè bonum est. Salas igitur 1.2.tractat.7.disp.2.sect.3.n.16. ait eam sententiam intelligendam esse de conformitate fundamenti, qua scilicet aliquod obiectum est ex se aptum vt iudicetur bonum aut malum. sed hoc nihil est aliud, quàm illud obiectum esse bonum quod est bonum, illud verò malum quod est malum. quæ rem non explicant.

Salas

32 Ratio cõstituens obiectiuam bonitatem aut malitiam.

Conclvsio I. Bonitas vel malitia obiectiua cuiusuis rei consistit in aptitudine vel ineptitudine quam res in se habet, vt talis aut talis actio circa eam versetur prout conuenit naturæ intellectuali. v.c. Deus est obiectum aptum vt à nobis ametur ac laudetur, ineptum vt odio habeatur vel vituperetur, &c. ideoque illud hominem decet & laudabile est, hoc dedecet & vituperabile est. Item vita innocentis est obiectum aptum vt conseruetur, ineptum vt à nobis perimatur; virtutes aptæ sunt vt eas amemus, vitia vt ea detestemur. Hãc insinuat Salas suprà n.16. vbi docet, hanc bonitatem consistere in eo quòd obiectum sit decens seu conueniens naturæ rationali in ratione obiecti. & videtur apertè sententia D.Thomæ 1.2.qu.18.a.2. vbi docet, bonitatem aut malitiam obiecti consistere in eo, quòd aliquod obiectum habeat aut non habeat debitam proportionem ad talem aut talem actionem. hæc autem conformitas non est relatio aliqua realis aut rationis; sed aliquid morale, vt dixi in simili, suprà n.17.

Salas.

D.Thom.

33 Qua ratione aliquid constituatur obiectum actionis.

Vbi Nota Primò, obiectum actionis esse id circa quod aliqua actio versatur: quod quandoque est res aliqua non operabilis, siue talis quæ per nostram actionem nec fieri debet nec perimi, aut secundùm sua intrinseca mutari: tale obiectum est Deus respectu amoris, vxor aliena respectu adulterij, &c. quandoque verò est aliquid operabile vel tollibile, siue quod potentia respicit quatenus per actum suum poni aut tolli potest: sic actus externi sunt obiectum actuum voluntatis, quatenus per hos aut imperantur aut odio habentur; & miseria pauperis est obiectum eleëmosynæ, quatenus per hanc tollitur; vita periclitantis ex fame est obiectum pascentis, quatenus ab eo conseruatur.

Alij dicunt obiectum eleëmosynæ esse partim rem ipsam quę datur, v.c. pecuniam, vestem, &c. partim personam cui datur: sed hæc sunt obiecta quasi materialia & remota. Inopia autem vt tollibilis est, proximum & quasi formale obiectum, quod eleëmosyna directè & per se spectat, & à quo habet quòd hominem deceat, ac laudabilis sit. nam ideo præcisè illa datio habet quòd sit actus externus eleëmosynæ, & expetenda ac laudabilis, quia est apta tollere vel saltem minuere eam miseriam.

Ex quo habeat eleëmosyna quòd sit laudabilis.

34 Ineptitudo obiecti in quo cõsistat.

Nota Secundò, per dictam ineptitudinem intelligi hîc quamdam repugnantiam cum ipsa decentia; ex qua sequitur, naturam intellectualem non posse nisi inhonestè circa talem rem tali actione versari.

35 Duplex est aptitudo aut ineptitudo obiecti.

Nota Tertiò, dictam aptitudinem vel ineptitudinem quandoque consistere in ipsa re secundùm se considerata: sic Deus omnesque virtutes sunt obiecta apta amari, inepta odio haberi, & contrà vitia sunt apta vt habeantur odio, inepta vt amentur. Aliàs consistit in re prout subest alicui accidenti physico aut morali ab ea separabili: sic res mea est apta vt à me licitè vsurpetur, aliena inepta; quæ autem modò est aliena atque ita inepta vt eam mihi licitè vsurpem, potest sine vlla physica sua mutatione fieri mea, atque ita apta vt eam licitè vsurpem.

Nota Quartò, etsi quæuis obiecta sint apta vt aliqui actus honestè circa ea versentur, & respectu aliorum inepta: nam Deus honestè amatur, inhonestè odio habetur; vitia inhonestè amantur, honestè odio habentur: atque ita quæuis obiecta aliqua ratione sunt obiectiuè bona, & alia ratione mala; tamen absolutè sola illa dicuntur obiectiuè bona, quæ honestè amantur, & obiectiuè mala, quæ honestè amari non possunt. Quare nec illa possunt dici obiectiuè mala, nec hæc obiectiuè bona, nisi addendo respectu odij & auersionis; sunt enim virtutes obiectum malum siue ineptum, vitia verò bonum siue aptum vt odio habeantur. hæc enim non significant illas in se aliquid malitiæ, aut hæc aliquid bonitatis habere; sed solùm illas malè, hæc benè odio haberi.

36 Sola ea, quæ apta sunt amari, dicuntur absolutè obiectiuè bona.

Quidam tamen asserentes omnem actum voluntatis esse prosecutionem & quoddam velle, nec vllum esse qui habeat rationem puræ fugæ, dicunt obiectum odij Dei aut virtutum non esse ipsum Deum aut virtutes, sed ipsum non esse Dei ac virtutum: ita vt hæc odisse nihil sit aliud, quàm positiuè velle ea non esse, aut Deo aliquod malum accidere. atque ita secundùm eos omne immediatum obiectum mali actus voluntatis erit aliquod malum.

37

Quidã actus mali versantur circa obiecta necessariò bona.

Sed quidquid hac de re sit respectu actuum voluntatis, hæc nequeunt generatim dici respectu actuum externorum. nam dubitans de veracitate Dei aut aliquo articulo fidei, habet hæc pro immediato obiecto suæ dubitationis; sicut fur rem alienam, adulter vxorem alienam, homicida vitam proximi. quæ res non sunt malæ secundùm se, sed tantùm respectu talium actuum sunt obiectiuè malæ, modo suprà explicato.

38 Qua ratione actio ab obiecto accipiat bonitatem aut malitiam.

Conclvsio II. Eatenus nostræ actiones accipiunt bonitatem vel malitiam ab obiectis, quatenus versantur circa ea prout, siue secundùm eam rationem, secundùm quam sunt apta vel inepta, vt honestè circa ea operemur modo suprà explicato. Dicta enim aptitudo vel repugnantia est ratio obiectiua cur illæ actiones bonæ vel malæ sint. v.c. ideo amor alicuius obiecti est honestus, quia in illud fertur secundùm eam rationem, secundùm quam aptum est honestè amari; alius verò est malus, quia circa illud versatur secundùm eam rationem, secundùm quam repugnat ipsum honestè amari.

DVBIVM

DVBIVM III.

Vtrùm actio externa secundùm se, & prout omnino præscindit ab actu interno, aut etiam facta ab ignorante ipsius bonitatem aut malitiam, sit verè moraliter bona aut mala?

39 QVidam aut quia putant bonitatem & malitiam moralem consistere præcisè in conformitate aut repugnantia cum actuali iudicio recto, aut quia non distinguunt inter malitiam moralem & culpam, id absolutè negant. Ratio eorum est, quia nihil potest habere rationem peccati, quod non sit voluntarium: nam, vt *August.* D. August. sæpè docet, sola voluntate peccamus aut meremur: atqui quando malitia actionis omnino ignoratur, nullo modo est voluntaria: ergo nequit efficere vt actio aliqua sit peccatum.

Vnde quidam ex his volunt eiusmodi actionem non aliter dici peccatum, quàm error contra grammaticam aliamùe artem dicitur peccatum. Ita videntur sentire *Durandus* in 2.d.36.q. *Durand.* 3. *Caietan.* 1.2.q 20.a.1.sub initium, & alij, qui docent leges non obligare ignorantes: si enim leges hos non obligant, eorum actio contra legem facta non erit peccatum; quia omne peccatum est contra aliquam legem hîc & nunc obligantem.

40 Sed hic modus loquendi semper est mihi visus valdè difficilis. Primò, quia eiusmodi actio habet veram moralem repugnantiam cum natura rationali, siue, vt alij volunt, cum recta ratione, quæ nullo modo talem actum secundùm se potest probare, sed eum omnino improbat: atqui malitia moralis consistit in tali difformitate siue repugnantia: ergo ille actus eam in se habet. *Actio mala ignoranter facta est peccatum.*

Secundò, quia aliàs liceret mihi ei, qui inuincibiliter ignorat aliquam actionem (v.c. fornicari aut se polluere, quando hoc ad sanitatem conseruandam esset necessarium) esse illicitam, suadere vt eam faciat: atqui hoc est apertè falsum, vt omnes fatentur: ergo etiam id, vnde sequitur. Maior probatur, quia existente rationabili causa possum alicui suadere vt in loquendo peccet contra grammaticam: atqui secundùm illos ista actio in tali homine non est aliter peccatum, quàm hæc: ergo eadem ratione potero vtrumque ei suadere.

41 Dices, etsi eiusmodi actio non sit peccatum respectu ignorantis, esse tamè peccatum respectu mei cognoscentis illius malitiam, ideoque me non posse eam ipsi suadere. Sed contrà, Inde tantùm sequitur, non licere mihi illam actionem facere; non autem me illicitè illi ignoranti suadere vt eam faciat, cùm hic eam possit licitè facere: nam licitè alteri suadeo actionem, quam ipse sine peccato potest exercere, etsi illa mihi sit illicita. v.c. non licet mihi in Quadragesima comedere carnes, licitè tamen id suadeo illi, qui lege id vetante non obligatur, vt, si non sit baptizatus, aut si cum eo sit legitimè dispensatum: ergo si ita ignorans eius malitiam possit verè eam actionem facere sine vero peccato, potero eam ipsi licitè suadere. *Rem mihi illicitam licitè suadeo ei, qui eam licitè potest facere.*

Confirmatur: vel enim illa actio est ei in his circumstantijs verè licita, & sic erit mihi etiam licitum eam ipsi suadere; nec enim est vlla ratio cur ob bonum finem non possim alteri suadere rem ipsi hîc & nunc verè licitam: vel non obstante illa ignorantia erit ei verè illicita, & tunc consequenter erit etiam moraliter mala. hæc enim sunt idem, illicitum & moraliter malum. 42

Loquor autè hîc spectato præcisè iure naturæ, siue quando illa suasio non est mihi speciatim iure positiuo prohibita. Qua ratione clericis præsertim in sacris constitutis prohibitum est suadere iudici vt occidat aliquem reum mortis, quem ille legitimè potest aut etiam tenetur occidere: idque ob peculiarem rationem illius status, quem Ecclesia vult ab omni sanguinis effusione, quantumuis aliàs licita, longissimè abesse. *Iure positiuo illud quandoque prohibetur.*

Probatur Secundò, quia illa actio, vt hîc & nunc fit, est verè mala (quia aliàs nulla omnino esset causa cur non possem eam ipsi suadere:) atqui non est mala physicè (nam physicè nec ei, nec alteri vllo modo nocet, sed prodest:) ergo est mala moraliter, & consequenter peccatum. 43

Confirmatur, quia nulla hîc est ratio cur illa actio sit mala, nisi quia repugnat moraliter naturæ rationali, siue, vt alij volunt, rectæ rationi; & consequenter asserendum est aut eam verè habere in se hanc repugnantiam, aut nullo modo verè esse malam: atqui, vt iam ostendi, dici nequit eam nullo modo esse malam, quia sic possem eam alteri suadere: item talis repugnantia est verè malitia moralis, & consequenter constitutiua peccati: ergo talis actio est verè moraliter mala & peccatum.

Alij quidam apud Salas tract.7. disp.6.n.12. docent, talem actionem non esse malam quatenus est actio, & consequenter nec esse peccatum, sed solùm esse malam obiectiuè, quatenus nemo eam cognoscens potest eam licitè velle. 44

Sed nec hoc videtur rectè dici: nam nulla est ratio cur illa actio prout fit ab illo ignorante, sit mihi obiectiuè mala, ita vt non possim velle eum illam ita facere, ipsamque ei suadere, nisi quia prout ab ipso fit, & consequenter quatenus est ipsius actio, repugnat naturæ rationali, siue rectæ rationi, & consequenter est moraliter mala: ergo prout ab illo fit, & quatenus ipsius est actio, est verè moraliter mala. Maior probatur, quia si verè à parte rei in illis circumstantijs licitè ab eo fieret, quantumcumque non posset à me licitè fieri, licitè eam illi ob bonum finem suaderem; vt patet ex dictis nu.41.& 42. Confirmatur, quia ista actio non est aliter obiectum meæ suasionis, quàm quatenus est alterius actio (nihil enim aliud suadeo quàm eam actionem ab eo fieri:) ergo si sit moraliter mala quatenus est obiectum meæ suasionis, erit etiam moraliter mala quatenus est illius actio. 45

Hæc quæstio posset alicui meritò videri magis de nomine, quàm de re. Quidam enim volunt 46

sunt illud solum verè dici peccatum quod habet veram rationem culpæ, & homini ad pœnam imputari potest ; atque ita negant quidquam posse esse verè peccatum , cuius malitia non sit operanti verè voluntaria , ita vt possit ei imputari. Quia tamen, vt iam ostendi, ex hoc modo loquendi sequuntur quædam incommoda, ideo alij distinguunt peccatum in materiale & formale. Materiale vocant actionem ex obiecto eiusque circumstantijs malam factam ab ignorante inuincibiliter hanc malitiam, quæ ipsi ideo est inuoluntaria, & consequenter nequit imputari ad culpam. Formale verò vocant id , cuius malitia est operanti saltem indirectè voluntaria. Quam distinctionem vt communem videtur supponere Curiel 1.2. qu.55.art.3. dubio 3. *Curiel.*

47 Aliud est excusari ab obseruatione legis, aliud verò est excusari à culpa.

Pro resolutione Nota, longè esse aliud , aliquem hîc & nunc aliqua lege siue positiua siue naturali non obligari, siue, quod idem est, ipsum ab eius obseruatione verè excusari : aliud verò aliquem transgredientem præcepta legis excusari à culpa , siue transgressionem legis ei non imputari ad pœnam siue culpam. Prius fit per legitimam dispensationem, aut omnimodam impotentiam hîc & nunc seruandi legem : secundum per omnimodam ignorantiam aut inaduertentiam obligationis legis. Hinc is quo cum est legitimè dispensatum, aut qui omnino est impotens obseruare legem, hanc non obseruando, nullo modo transgreditur legem , nec contra eam vllo modo peccat. ignorans verò legem , eam non obseruando verè eam transgreditur , atque ita aliqua ratione contra eam peccat, licet sine vera culpa. Vnde priori ex iusta causa possum suadere vt faciat rem aliàs lege vetitam; nullo tamen modo possum hoc suadere secundo.

48 Ignoranti suum matrimoniu esse inualidum licitè suadeo, vt reddat debitum, non tamen vt petat.

Vnde, sicut cum communiore sententia docuit tom.2.de Sacramentis disp.8.nu.139. inuincibiliter ignoranti suum matrimonium esse inualidum, atque ita omnino credenti se sub peccato teneri reddere debitum , si ei veritatem, quia eam ex sola confessione noui aut ob alias causas non possum aperire , licitè ei suadeo & quantum possum , cum compello vt debitum reddat; quia cùm nequeat id non reddere sine grauiore peccato & quidem formali, est moraliter impotens non reddere , atque ita excusatur ab obseruatione legis naturæ prohibentis accessum ad non suam, quatenus hoc est necessarium vt debitum reddat. nullo modo tamen possum ei suadere vt debitum petat, quantumuis ipse credat hoc sibi omnino licere; quia cùm ex hac parte possit legem seruare (nam potest absolutè non petere debitum) non excusatur ab eius obseruatione, sed solùm à culpa.

49 Conclvsio. Actio ex obiecto aut circumstantijs suis mala facta ab eo, qui inuincibiliter eius malitiam ignorat, est verè moraliter mala ac peccatum materiale , licet ob defectum voluntarij non habeat rationem culpæ, nec possit operanti ad pœnam imputari. Hanc sententiam iam multi tenent, qui distinguunt peccatum in materiale & formale. Item quidam apud Salas 1.2.tract.7.disp.6.nu.12. dum agnoscunt in tali actione veram malitiam moralem formaliter inesse. Eandem necessariò tenent ij, qui docent ignorantes verè legibus obligari , etsi earum transgressio ijs non imputetur ad culpam. ita Sotus lib.1. de Iustit.q.1.a.4.concluſ.3. Medina 1.2.q.90.art.4.concluſ.3. & illo articulo apertè insinuat D.Thomas. Sanchez lib.9. de Matrimonio disp.32.nu.3. Si enim tales verè obligentur lege , eorum actio contra eam facta est vera transgressio legis , & consequenter moraliter mala ac peccatum. *Salas.* *Sotus.* *Medina.* *D.Thom.* *Sanchez.*

Patet conclusio ex dictis suprà, quibus ostendi eam actionem continere veram repugnantiam cum natura rationali , recta ratione ac lege, & consequenter esse verè malam, moraliter illicitam ac peccatum. Et confirmatur , quia cognitio malitiæ non facit actionem malam, sed supponit eam esse malam, & solùm est conditio requisita vt malitia sit voluntaria, & consequenter imputabilis ad culpam.

Ex dictis sequitur Primò , peccatum tripliciter sumi : Primò , generatim & minùs propriè pro quauis actione facta contra præcepta alicuius artis. & hoc modo non continet malitiam moralē. Secundò, strictiùs & propriè pro quauis actione continente malitiam moralem , etsi ob ignorātiam operanti inuoluntaria sit, qua ratione præscindit à ratione culpæ. Tertiò, proprijssimè pro peccato formali & vera culpa. 50 Peccatum tripliciter sumitur.

Sequitur Secundò, cùm aliquid dicitur esse peccatum materiale , illud *materiale* non esse particulam alienantē, quia solùm significat, illud minùs perfectè participare rationē peccati. 51

Vnde sequitur Tertiò , diuisionem peccati in materiale & formale esse analogi in analogata, quia, vt ostendi, ratio peccati à priore minùs perfectè participatur. Peccatum analogicè dicitur de materiali & formali.

Vnde sequitur Quartò, peccatum absolutè positum communiter significare peccatum formale, quia analogum communiter sumitur pro principaliori significato : præsertim quando disputatur de peccato in ordine ad vituperium aut pœnam : vnde quandoque dicimus eum qui fecit aliquid quod inuincibiliter ignorauit esse peccatum, in eo non peccasse, scilicet ita vt possit ei ad culpam imputari. Ideoque D.Augustinus varijs locis, alijque Patres sæpè dicunt nos sola voluntate peccare , aut bene maleue agere ; loquuntur enim de actionibus præcisè, quatenus ad præmium vel pœnam, laudem vel vituperium imputari possunt : reliquarum enim actionum, cùm non facerēt ad eorum propositum, nullam habuerunt rationem. Sic sæpè dicunt nos id non facere quod non facimus liberè. vnde Mileuit. Arausican. & D. Augustinus sæpè dicunt Deum gratias præuenientes operari in nobis sine nobis , cùm tamen secundùm veriorem sententiam sint veri actus vitales intellectus aut voluntatis, atque ita verè physicè ad earum productionem concurramus. Item Apostolus ad Rom.7. agens de motibus concupiscentiæ, ait: *Si autem quod nolo illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Ex quibus patet solutio argumenti propositi n.39. maior enim solùm est vera de peccato formali, & de eo solo Augustinus loquitur. 52 Peccatum absolutè positum significat formale peccatum. *Augustin.* Sæpè dicimur non facere id quod non facimus liberè. *Mileuit.* *Arausican.* *Augustin. ad Roman.*

Sequitur

53 Actio in se mala potest extrinseca denominatione esse bona.

Sequitur Quintò, quando aliquis ob finem honestum facit id, quod inuincibiliter ignorat esse malum, sibique hîc & nunc prohibitum; actionem externam esse quidem bonam denominatione extrinseca, ratione actus interni boni, à quo extrinsecè secundùm æstimationem moralem informatur: intrinsecè verò & secundùm se spectatam esse malam, & materiale peccatum (quia est vera legis transgressio naturæ rationali siue rectæ rationi contraria siue repugnãs) atq; ita eam simpliciter esse malam. Vnde nullo modo possum tali suadere vt eam actionem faciat: imò, præsertim si eius Superior sim, aut aliàs meæ curæ speciatim commissus sit, nec habeam iustam causam eam actionem permittẽdi, teneor eam impedire. Quæ non essent vera si esset simpliciter siue absolutè bona aut non mala; quia eiusmodi actiones non teneor impedire, sed ob finem honestum possum eas suadere. Actio tamen voluntatis, qua illa exterior actio imperatur, est simpliciter bona, vt patet ex dictis dub.1.n.24.

54 Actio intrinsecè bona potest denominatione extrinseca esse mala.

Sequitur Sextò, actionem externam ex obiecto omnibusque circumstantijs, quæ ipsam secundùm se & prout præscindit ab actu interno afficiunt, bonam, factam tamen ex malo fine esse malam formaliter, forma sibi extrinseca ratione volitionis qua imperatur, atque ita moraliter informatur; intrinsecè tamen secundùm se spectatam esse moraliter bonam bonitate materiali, quia verè à parte rei est actus externus alicuius virtutis, v.c. abstinentiæ, eleëmosynæ, &c. nulla tamen ratione ad laudem meritumúe imputabilis est.

DVBIVM IV.

Vtrùm, vt actio, voluntatis sit bona siue honesta, necesse sit vt voluntas expresè feratur in obiectum, quia honestum est?

55 *Medina.*

MEdina 1.2.q.18.a.9.circa medium, & qu.19.a.3.§. *Vltimò sciendum est.* cum quibusdam alijs id negat, putatque vt voluntas, v.c. dandi eleëmosynam, sit bona, sufficere vt velim per eam subleuare miseriam pauperis, & non videam vllam circumstantiam ob quam hoc hîc & nunc possit esse inhonestum, etsi non cogitem eam donationem esse conformem rectæ rationi aut naturæ rationali, similemúe rationem, in qua consistat formalis ratio honestatis. Probat Primò, quia velle promouere honorem Dei, eumúe amare, sunt per se actiones bonæ; etsi eliciens non cogitet de earum honestate. Secundò, quia aliàs rustici vix facerent vllos actus bonos; quia vix vnquam reflectunt super eorum honestate. Tertiò, quia, vt actus sit malus, non est necessarium vt quis expresè velit ipsam malitiam, cùm pauci ita peccent: ergo vt sit bonus, non est necesse nos expresè velle eius bonitatem.

56 *Vasquez.* *Aristot.*

Vasquez verò 1.2.disput.51.c.3. & ferè communiter Theologi docent, illud ad bonitatem actus esse necessarium. Probant id Primò, quia videtur aperta sententia Aristotelis 2.Ethic.c.4. Secundò, quia, sicut obiectum voluntatis in genere est bonitas in genere, ita obiectum voluntatis honestæ est bonitas honesta: ergo sicut illa in omni volitione necessario expresè expetitur; ita hæc in volitione honesta. Tertiò, quia bonitas consistit in quadam perfectione: ergo vt volitio sit moraliter bona, debet perfectè in bonum morale tendere: ad quod requiritur vt tendat in illud qua tale est. Confirmatur, quia aliàs nulla posset reddi ratio, cur velle subleuare miseriam pauperis, vt eum ita inducas vt tibi seruiat, non sit actio honesta, sed indifferens: nam hîc verè expetitur actio aliqua externa in se bona, siue quæ sit obiectum honestum, nec illi volitioni aliquid ad honestatem deest, nisi quia non fertur in illud obiectum qua honestum est, sed sub alia ratione; quæ cùm nullam malitiam in se contineat, non potest tali volitioni ex se honestæ ipsam honestatem auferre.

57 Quædam obiecta intrinsecè & necessariò sunt honesta, alia non necessario.

Nota, obiecta voluntatis honesta esse duplicia: quædam enim ita sunt intrinsecè bona vt non possint appeti nisi benè & honestè; talis est actus fidei & omne bonum Dei, qua tale; vt clariùs ostendam dubio 7. sicut contrà omne peccatum quatenus Deo displicet, aut ab eo prohibetur, aut punitur, est tale, vt semper sit honestum id sub ea ratione odisse. Alia verò possint & bene & malè appeti; tales sunt ferè omnes actus externi virtutum, qui benè & malè fieri & appeti possunt.

58 Actus voluntatis bonus fertur in obiectum sub ratione necessariò honesta.

CONCLVSIO. Vt actus voluntatis sit moraliter bonus, hæc debet expresè ferri in obiectum sub ea ratione, sub qua non potest in illud ferri nisi honestè, v.c. amando illud sub ea ratione, sub qua necessariò honestè amatur; aut id odio habendo sub ea ratione, sub qua id necessariò honestè odimus. Probatur Primò, rationibus pro secunda sententia allatis, quæ hoc saltem probant, præsertim tertia eiusque confirmatio. Secundò, quia aliàs sequeretur actum vitiosum posse elici ab habitu virtutis: hoc autem absurdum est: ergo & id vnde sequitur. Maior probatur, quia omnis habitus naturaliter ac necessariò inclinat in suum obiectum formale, & concurrit ad actum à potentia, cui inest, circa illud elicitum: atqui secundùm alios totum obiectum formale habitus virtutis reperitur in actu vitioso: ergo habitus virtutis poterit ad huius amorem inclinare, eumque vnà cum potentia producere. v.c. secundùm illos totum obiectum formale actus virtutis eleëmosynæ est subleuare miseriã pauperis. Sit igitur aliquis habens eum habitum qui initio non aduertens sibi hîc & nunc illicitum esse dare eleëmosynam, incipiat id velle, vt subleuet miseriam pauperis; & deinde aduertens id sibi prohibitum continuet eandem volitionem; tunc, vt alij etiam fatentur, hîc semper erit formaliter eadem volitio, idemque obiectum formale: item secundùm illos initio erit actus virtutis, deinde actus vitiosus; ergo eo casu actus vitiosus elicietur ab habitu virtutis. Nam sicut ille actus initio ab habitu virtutis elicitur, ita etiam postea ab eodem elicietur, cùm physicè sit omnino idem actus. Nec refert quod varietur moraliter, quia habitus non inclinat ad esse morale, sed solùm ad physicum: quia habitus non agunt

agunt ex scientia & liberè, sed naturaliter omnino & necessariò, nec vllo modo discernunt an actus sit moraliter bonus, an non: quia aliàs non concurrerent ad actus non liberos. Illud autem absurdum esse, etsi aliqui videantur negare, tamen communiter conceditur, & videtur per se clarum. & probatur,

Quia aliàs sequeretur, quòd habitus virtutis possit gigni ac augeri per actus malos, quia habitus acquisiti per eosdem actus gignuntur & augentur, ad quos inclinant ac concurrunt: quare si habitus virtutis possit producere actũ vitiosum, poterit per hunc sæpiùs frequentatum gigni & augeri. Idem ex D. Thoma & Aristotele fusè probat Curiel 1.2.qu.55.art.3. dub. 2.§.3. *D.Thomas. Aristot. Curiel.*

59 Vt quidam actus sint boni necessariò amatur explicitè honestas obiecti: secùs est de aliis.

Hinc patet, vt volitio actus externi eleëmosynæ, & similium virtutum sit moraliter bona, eam debere ferri in obiectum qua honestũ est, siue decens creaturam rationalem. Secùs tamen esse in actibus qui habent obiecta prioris generis ex dictis num.57. Ratio est, quia, vt iam ostẽdi, vt actus voluntatis sit moraliter bonus, debet ferri in obiectum sub ea ratione, quæ necessariò includit honestatem: quod prioribus actibus non conuenit, nisi expresè ferantur in obiecta, quia honesta sunt. Secùs est de secundis actibus; qui cùm ferantur in obiectum sub ratione essentialiter honesta, sine vlla alia reflexione per se feruntur in ipsam honestatem, quamuis etiam communiter in ijs ipsa honestas expresè expetatur.

60 Ad primam rationem contrariam, Respondeo, eam, si vera sit, solùm probare eos actus, qui habent obiecta prioris generis, esse bonos, etsi non ametur expresè formalis ratio honestatis; quod nos etiam concedimus, negamus tamen idem esse in alijs.

Sincerè exercens virtutem amat honestatem.

Ad secundam, nego assumptum: quia quicumq; sincera intentione actus aliquos virtutũ exercẽt, communiter in ijs amant ipsam honestatem: quod vel inde patet, quia communiter existimant se aliquid agere dignum laude ac præmio, & gratiam apud Deum mire. Vnde si eos roges quare ea opera faciant, respondere solent, quia hominem probum & Christianum decet ita agere, aut, vt gratiam Dei mereamur, &c. nec ad hoc opus est vt cognoscant in quo consistat formalis ratio honestatis: sed sufficit quòd eam actionem apprehendant vt honestam, & vt talem expetant.

Ad tertiam, nego consequentiam: quia longè minus requiritur vt actus sit malus, quàm vt sit bonus. nam bonum est ex integra causa, malum ex quouis defectu. hinc qui rem aliquam, quam credit esse illicitam, vult facere, peccat, quacumque ratione & ob quemcumque finem id velit. secùs est in actione bona: nam qui vult bonum ob malum finem, absolutè peccat; nec vllo modo bene agit.

DVBIVM V.

Vtrùm bonitas vel malitia formalis in solo actu interno intrinsecè & immediatè reperiatur?

NOta Primò, nos hîc solùm agere de actione liberè & cum sufficiente cognitione bonitatis aut malitiæ ipsius facta. Secundò, satis constare inter omnes, bonitatem aut malitiam, quam actio exterior habet ex relatione ad finem extrinsecum, aut ex certa conditione voluntatis, à qua imperatur (vt si quis alterius rem destruat ex odio ipsius, aut ex contemptu faciat contra præcepta Superioris) solùm ei extrinsecè conuenire mediante actu interno. Sed difficultas est de bonitate & malitia, quam actio habet ex obiecto & circumstantijs sibi proprijs. 61

Primò ergo Medina 1.2.qu.20.a.3. docet actus intellectus & sensus interni esse intrinsecè & formaliter bonos aut malos: quia putat hos esse immediatè liberos ac voluntarios. sed hoc fundamentum satis refutaui disp.2 dub.4. Secunda sententia, etsi concedat actiones externas non esse formaliter liberas, nihilominus docet, bonitatem & malitiam ijs secundùm se comperere, & quidem priùs ratione quàm actui interno. ita Caiet.1 2.q.20 a.1. videtur autem loqui de bonitate & malitia formali; nam loquitur de bonitate & malitia, quæ actibus competit quatenus sunt voluntarij. Tertiò, quidam apud Salas 1.2.tract.7.disp.6.sect.2. docent, malitiam, quæ habetur ex obiecto & circumstantijs, primò & per se conuenire actui externo, & hoc mediante conuenire interno, à quo ille imperatur. Pro quo notant Primò, quosdam actus voluntatis versari circa obiecta, quæ ipsi non faciunt, vt quoties quis delectatur obiecto malo sine animo id faciendi, siue illud obiectum sit aliqua actio, siue non: & cum communi sententia docent has volitiones habere intrinsecam malitiam immediatè acceptã ab obiecto. Alias verò volitiones habere pro obiecto operationem externam à se faciendam, vt, quando quis efficaciter vult furari, fornicari, &c. & aiunt tunc malitiam formalem primò & per se conuenire operationi externæ, & hac mediante per denominationem extrinsecam actui interno; sicut, aiunt, medicina dicitur sanà à sanitate quam causat. 62 *Medina.* *Caiet.* *Salas.*

Notant Secundò, vt aliquis actus sit formaliter per se malus, non requiri vt sit immediatè liber, sed sufficere vt sit liber mediante alio actu; quia actus non accipit suam malitiam aut esse morale à libertate, sed ab obiecto supposita libertate tàm quam conditione necessariò requisita. His positis probant suam conclusionẽ. Quia illa actio est primò & per se immediatè mala quæ primò & per se prohibetur: atqui sola actio exterior ita prohibetur; nam lex diuina & humana propriè prohibent occidere, furari, &c. & mediatè solùm ac consequenter prohibent voluntatem ea faciendi. Item fornicatio per se repugnat naturæ rationali & consecuti- 64

uè voluntas fornicandi : ergo illa immediatè secundùm se mala est, & hæc solùm consecutiuè.

Confirmatur, quia ideo voluntas fornicandi,furandi, &c. est mala, quia fornicari,furari, &c.sunt mala,non contrà: ergo hæc immediatè secundùm se mala sunt, illa solùm his mediantibus.

65 Docent Secundò,formalem bonitatem Primò,conuenire soli actioni internæ, & hac mediante per denominationem extrinsecam actui externo. Ratio diuersitatis est, quia, vt actus sit formaliter bonus,potentia debet ferri in obiectum, qua honestum est, quod conuenit soli actui voluntatis. vt autem actus sit malus,non est opus potentiam ferri in obiectum quia est malum, sed sufficit quòd feratur in obiectum quod hîc & nunc malum est; etsi id non expetat quia malum est,siue ob rationem formalem intrinsecè malam;quia appetens malam rem ob finem non malum peccat.

66 Sed in his etiam quædam habent difficultatem: nam etsi communiter verùm sit potentias distinctas à voluntate non ferri in obiectum sub ratione formali intrinsecè honesta, fallit tamen in actu fidei theologicæ, qui etiam vt est actus intellectus,fertur necessariò in obiectum qua bonum,ita vt ipse non possit esse malus: secundùm communiorem sententiam, & tamen non est formaliter bonus.Pro resolutione

Volitio efficax dupliciter respicit operationẽ externam.

Nota, volitionem efficacem alicuius operationis hanc dupliciter respicere. Primò, tamquam obiectum, qua ratione etiam volitio inefficax eam respicit. Secundò,tamquam suum effectum : atque ita duplici ratione potest ex ea bonitatem aut malitiam accipere, vt infrà ostendam.

67 Soli actus voluntatis sunt formaliter boni. *Vasquez. Caietan.*

Conclvsio I. Bonitas formalis immediatè solùm conuenit actui voluntatis, & hoc mediante alijs actibus per denominationem extrinsecam. Ita Vasquez 1.2. disp.73.c.7. & omnes citandi concluſ.4. estque communis excepto Caietano, & paucis alijs, qui putant actus intellectus esse formaliter liberos : quos suprà refutaui,& clarè patebit ex dicendis concl.4.

68 Conclvsio II. Volitio efficax externæ operationis malæ habet malitiam formalem sibi intrinsecam, tum quatenus respicit externam operationem vt suum obiectum ; tum etiam quatenus eam respicit vt effectum suum. Prior pars patet Primò,quia,vt etiam fatentur Auctores contrariæ sententiæ, volitio inefficax talis obiecti est intrinsecè & immediatè mala præcisè,quia est libera volitio talis obiecti mali : atqui volitio efficax non minùs est libera volitio talis obiecti mali,quàm inefficax: ergo est simili ratione mala. Nec video quomodo qui vnum concedit possit alterum negare. Probatur Secundò,quia, vt ostendi suprà n.16.actio est mala præcisè,quia difformis naturæ rationali, qua talis est: atqui libera volitio obiecti mali est per se immediatè ita difformis naturæ rationali (hanc enim qua talem simpliciter dedecet tale obiectum velle:) ergo immediatè in se est mala, & quidem formaliter, cùm sit formaliter libera.

Secunda pars probatur,quia,sicut est difforme naturæ rationali sibi complacere in obiecto malo, ita & quidem magis est difforme illud sponte in se causare:ergo sicut voluntas,quatenus est præcisè complacẽtia in tali obiecto, per se immediatè est difformis naturæ rationali, ita etiam eidẽ est difformis, quatenus est eiusdem effectiua.Quòd autem eam malitiam non accipiat mediante actu externo, probatur; quia,vt vnus actus communicet alteri malitiam, debet eam priùs in se habere:atqui voluntas etiam qua efficax est mala priùs natura aut etiam tempore, quàm actus externus sit, & consequenter priùs quàm hic actu habeat in se malitiam:ergo hic non potest illi communicare malitiam. 69

Maior ab aduersarijs conceditur, & per se patet.nam hîc non agimus de communicatione malitiæ per modum obiecti, sed de communicatione ratione connexionis duorum inter se, siue qua aliquid dicitur malum,quia habet connexionem cum re actu mala : sicut actus externus est formaliter bonus, quia est connexus & formaliter vnus cum actu interno formaliter bono.

Minor probatur,quia,sicut actu efficere rem malam est malum, ita etiam efficaciter velle eam efficere, & ita esse ex se ipsius omnino effectiuum, & quasi in actu primo eam efficere est malum : atqui hoc competit actui interno priùs natura, aut etiam tempore quàm ponatur externa actio. nam actus internus imperans actionem externam semper priùs natura, & sæpè priùs tempore perfectè elicitur antequam hæc ponatur : ergo ille priùs est actu malus, quàm hæc ponatur in rerum natura, & consequenter priùs quàm hæc sit actu mala. Et similiter actus voluntatis ab honestate obiecti directè & efficaciter volita accipit bonitatem, non solùm quatenus est volitio talis obiecti, sed etiam quatenus est ipsius effectiuus, quia vt sic habet singularem conformitatem cum natura rationali, & eo maiorem quo maioris boni est effectiuus. 70 Esse effectiuum mali est malum. Esse effectiuum boni est bonum.

Hinc sequitur Primò,actum internum etiam qua efficacem longè aliter esse malum, quàm medicina sit sana:nam hæc solùm tropicè dicitur sana,nec vllam veram sanitatem, sed solùm vim hanc causandi in se habet. Actus verò internus qua efficax operationis malæ,habet in se veram difformitatem cum natura rationali, & consequenter veram malitiam. 71 Actus internus aliter bonitatem à suo effectu accipit,quã medicina à suo accipiat esse sanam.

Sequitur Secundò, medicinam tropicè quidem dici sanam, non tamen per denominationem extrinsecam à sanitate, quæ est in animali (nam medicina est priùs sana quàm animal) sed à forma sibi intrinseca,scilicet à virtute efficiendi sanitatem. Illam enim esse sanam, nihil est aliud, quàm ipsam esse effectiuam sanitatis. sicut vir generosus dicitur leo,non à forma quæ est in leone, sed à generositate sibi intrinseca. Quare Caietanus suprà & alij qui contrarium docent, falluntur in modo loquendi, putantes esse idem aliquod nomen tropicè transferri ab vna significatione ad aliam;& vnam rem ab alia sibi extrinseca denominari. 72 Medicina nõ dicitur sana per denominationem extrinsecã. *Caietan.*

Conclvsio III. Actio externa accipit ab obiecto 73

Qua ratione actio externa accipiat malitiam.

obiecto eiusque circumstantijs malitiam sibi intrinsecam, qua mala est non solùm obiectiuè, sed etiam quatenus actio quædam est: quia vt sic est difformis naturæ rationali, & consequenter moraliter mala, etiam prout præscindit & omnino distinguitur ab actu voluntatis, atque adeò independenter ab omni ipsius malitia. Eademque est ratio actionis externæ ex obiecto & circumstantijs bonæ. hæc tamen malitia & bonitas prout præscinduntà malitia aut bonitate actus interni, solùm sunt materiales, nec ad culpam aut meritum imputantur. Patèt hæc ex dictis suprà dub.3.n.49.& 54. nec aliud voluit D.Thomas 1.2.qu.20.a.1. Ex quo loco Cajetan. & quidam alij malè colligunt actionem externam, prout præscindit ab interno, habere in se verè formalem bonitatem aut malitiam. Sed D.Thomas solùm loquitur de malitia materiali.

D.Thom. Cajetan.

74 Malitia formalis soli actui voluntatis intrinseca.

Richard. Bonauent. Durand. Gabriel. Scotus.

CONCLVSIO IV. Malitia formalis, à qua actio habet propriè & immediatè rationem culpæ, siue quòd operanti ad ignominiam & meritum pœnæ imputetur, soli actui voluntatis intrinsecè & immediatè conuenit. alijs verò actibus solùm conuenit extrinsecè, scilicet ratione actus volũtatis, cum quo moraliter vnum actum conficiunt. Ita Richardus & Bonauentura in 2.dist.42.a.1.qu.1. Durandus ibidem qu.1. Gabriel a.1.& 2.Scotus q.4. §. *Ad istas quæstiones.* & est ferè communis. Probatur, quia nihil potest alicui imputari ad culpam vel demeritum, nisi quatenus est liberum & voluntarium: atqui actus externus solùm est liber & voluntarius per denominationem extrinsecam ratione actus interni: ergo similiter est culpabilis & demeritorius.

75 Actus volũtatis alius realis, alius interpretatiuus.

Nota, nos hîc vocare actum voluntatis non solùm verum & realem, sed etiam interpretatiuum, quo voluntas censetur id moraliter velle, quod non impedit, cùm tenetur. Qua ratione externa omissio rei debitæ, & fortè aliqui alij actus, quando tenemur eos non elicere, sic censentur voluntaria, sine vllo reali actu voluntatis.

76

Dices Primò, esse voluntarium solùm requiri vt conditionem, vt actus sit formaliter malus; nam cùm esse voluntarium non sit malum, non potest actui esse ratio cur sit formaliter malus siue culpabilis.

Sed contrà, sicut actus aliàs malus ideo præcisè non imputatur ad culpam, quia non est liber, & strictè voluntarius, sic libera actio mala ideo imputatur, quia est libera & strictè voluntaria. Item quamuis agere liberè in genere non habeat rationem mali, tamen liberè agere aliquid mali habet rationem mali, & quidem specialem quæ non reperitur in actione necessaria. nam liberè tendere in obiectum malum, siue liberè elicere actum malum, longè aliter repugnat naturæ rationali, quàm si id fiat non liberè; ergo esse voluntarium non est solùm conditio ad illud requisita, sed vera illius ratio. nec enim hîc est vlla ratio cur vna malitia sit imputabilis, & habeat rationẽ culpæ, alia non, quàm quia vna est voluntaria, alia non. Et ratio à priori est, quia, sicut quòd actio sit humana aut voluntaria, non habet à sua substantia aut obiecto, sed à certo modo procedendi à potentia liberè operante, vt ostendi disp.1.n.2.& 5. ita similiter ab eodem habet rationem culpæ, nam cùm ratio culpæ intrinsecum dicat ordinem ad actionem humanam, cui soli potest conuenire, etiam intrinsecè in se requirit id, per quod actio formaliter cõstituitur in esse actionis humanæ.

Actus malus fit culpabilis præcisè quia liber.

Confirmatur, quia aliàs nulla esset ratio cur assensus fidei theologicæ, prout est præcisè actus intellectus, non esset in se & intrinsecè formaliter bonus, cùm feratur directè in obiectum qua honestum, siue sub ratione intrinsecè honesta, non minùs quàm amor Dei. atque ita ratio allata n.65. cur externus actus nequeat intrinsecè esse formaliter bonus, hîc cesset: ergo sicut hic actus ideò præcisè non est secundùm se formaliter bonus, quia non est secundùm se formaliter liber, ita actus externi malitideo præcisè non sunt secundùm se formaliter mali, quia non sunt secundùm se formaliter liberi.

77

Hinc patet Primò, esse voluntarium secundùm se siue præcisè sumptum nec esse in se malum, nec efficere vt actus aliàs non malus fiat malus: & nihilominùs esse formalem rationem cur actio mala imputetur ad culpam, quæ aliàs non imputaretur: sicut etiam est formalis ratio cur actio bona alicui imputetur laudi.

78

Qua ratione actus internus & externus à se mutuo malitiã accipiant.

Patet Secundò, actum internum accipere malitiam ab externo tamquam ab obiecto, & quidem à se factibili, si efficax sit: & contrà externum ab interno accipere formalem rationem culpæ, siue quòd imputabilis sit.

79

Ex his facilis est responsio ad argumentum contrarium. Maior enim solùm probat actum externum esse per se malum materialiter, & actum internum accipere ab eo malitiam vt ab obiecto à se imperabili: ideo enim hic est malus, quia est efficax volitio obiecti mali. Cum quo optimè consistit quòd actus externus accipiat ab interno rationem culpæ siue malitiæ formalis: ideo enim est formaliter malus siue culpabilis, quia à voluntate culpabili imperatur. Ex quo vlteriùs patet responsio ad confirmationem: ideo enim voluntas furandi est mala, quia furari secundùm se est malum obiectiuè & materialiter; non autem quia secundùm se est formaliter malum, aut veram rationem culpæ habet.

DVBIVM VI.

Qua ratione actus internus accipiat bonitatem aut malitiam ab externo; aut hic ab illo?

HÆc difficultas facilè ex dictis poterit colligi, quare paucis eam hîc expediam, solùm ea quæ ex dictis in dubijs præcedentibus clarè possunt deduci, hîc expressiùs ponendo.

80 Actus internus efficax dupliciter accipit malitiam ab externo.

CONCLVSIO I. Actus internus ex se efficax accipit malitiam ab opere externo tamquam ab obiecto à se factibili; idque duplici ratione. Primò, quatenus est complacentia in malo obiecto. Secundò, quatenus ex se est effectiuus talis obiecti. vtraque enim ratione est difformis

naturæ rationali qua talis est ; vtraque autem difformitas seu malitia est ei intrinseca. Inefficax autem actus solùm priori modo accipit malitiam ab actu externo. Loquor autem de eo, qui est ex se inefficax, non autem ratione solius extrinseci impedimenti. Et simili modo actus internus bonus accipit bonitatem ab externo.

81 Externus nõ accipit malitiam sibi intrinsecam ab interno.

Conclvsio II. Actus externus non accipit malitiam sibi intrinsecam (quæ solùm materialis est) ab actu interno, sed ex obiecto & obiecti circumstantijs. Ideo enim propriè hanc malitiam habet, quia cum his circumstantijs circa tale obiectum versatur: hinc etiã eam habet, etsi actus internus, à quo imperatur, sit fortè bonus. Eademque est ratio materialis bonitatis. Patet ex dictis dub.1.concl.1.& 2.Bonitatem verò & malitiam formalem, qua ad laudem aut culpam imputabilis est, aut etiam quam habet ex relatione ad finem extrinsecum, accipit ab actu voluntatis per denominationem extrinsecam. patet ex dictis dub.1.

82 Malitia obiectiua est prior in actu externo secùs de formali.

Hinc sequitur malitiam obiectiuam & materialem esse priùs ratione in actu externo, non prout est in re, sed prout est obiectum factibile; quàm in actu interno: quia in hoc ab illo deriuatur. Cõtrà malitiam formalem semper priùs ratione, & sæpè priùs tempore esse in actu interno, quàm in externo. Eademque est ratio bonitatis.

Malitia obiectiua conuenit actui externo antequam existat formalis non.

Sequitur Secundò, malitiam materialem reperiri suo modo in actione externa etiam quatenus habet solùm rationem obiecti factibilis (vt sic enim habet repugnantiam vt licitè à voluntate appetatur, aut etiam imperetur) formalem verò malitiam solùm in eo reperiri, prout existit à parte rei; quia vt sic solùm est quid vnum cum actu interno, eiusque libertatem participat. Eademque est ratio bonitatis actus externi.

DVBIVM VII.

Vtrùm actus externus superaddat aliquam bonitatem aut malitiam interno, ita vt vterque simul sint quid melius aut peius quàm solus internus?

83 PRo Resolutione Nota, inter omnes satis conuenire, quando actus externus ex se nullam habet bonitatem aut malitiam, sed eam solùm habet, quia à voluntate in bonum aut malum finem refertur, eum tunc nullam bonitatem aut malitiam interno per se superaddere. Item satis inter omnes constare, actui interno per se inefficaci, semper accedere aliquid bonitatis aut malitiæ, per accidens siue consequenter accedente actu externo; quia hoc numquam fit, nisi actus internus fiat efficax, atque ita in se aliquid bonitatis aut malitiæ acquirat. nam ceteris paribus volitio efficax semper est aut peior aut melior inefficaci.

84 Dices, Actus efficax succedens inefficaci est necessariò distinctus à priore : ergo hic nullo modo fit melior per accessionem actus externi. Respondeo, quidquid sit de antecedente (de quo variè posset disputari) hoc argumentum nihil facere ad rem præsentem: solùm enim asserimus, dum actus inefficax mutatur in efficacem, siue idem sit numero siue non, aliquid bonitatis aut malitiæ in hoc statu reperiri, quod non erat in priore.

Quare tota difficultas est, quando actus internus est secundùm se perfectè efficax, ita vt externus de facto ex eo sequatur, aut saltem sequeretur, nisi adesset impedimentum; vtrùm tunc externus superaddat interno malitiam aut bonitatem? 85 Alensis p.4.q.77.memb.3.a.5.in fine. *Alensis.* Scotus quodlib.18.art.3. *Scotus.* Gregorius in 2. d. 42.& 43.q.1.concluſ.5. *Gregor.* & quidam alij id affirmant. Primò, quia D.Auguſt.13.de Trinit.cap. 5.ait, *Auguſt.* *Mala voluntate quisque miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur.* Secundò, quia D.Bernard.epiſt.77. ait *Bernard.* eum plus ad cumulum meriti addere, qui martyrium actu subit, quàm qui id solùm desiderat. Tertiò, quia actus externus secundùm se prohibitus & malus est: ergo superadditaliquid malitiæ ipsi interno. Quartò, quia aliàs non teneremur actum externum confiteri. Quintò, quia plus gratiæ debeo ei, qui mihi actu benefacit, quàm ei, qui solum habet voluntatem benefaciendi. Sextò, quia aliàs sequeretur, eum, qui vellet dare infinitas eleemosynas; infinitè mereri; aut eum qui vellet omnia feciſſe quæ fecit S.Paulus, tantum mereri quantum hic meritus est. Addunt aliqui contrariam sententiam fuisse vnum ex erroribus Petri Abiliardi. sed *Pet. Abiliardus.* falsò: nam inter eius errores à D.Bernardo alijsque antiquioribus recensitos non reperitur, vt *Bernardus.* bene ostendit Vaſquez 1.2.disp.76.n.11. *Vaſquez.*

Conclvsio I. Actus externus bonus aut malus ex obiecto, addit interno bonitatem aut malitiam materialem: quia hanc habet omnino distinctam à bonitate vel malitia actus interni. vt dixi dub.1.n.23.& 24. 86

Conclvsio II. Actus externus per se nihil bonitatis aut malitiæ formalis, siue quæ imputetur ad præmium aut pœnam, superaddit actui interno secundùm se perfectè efficaci. Est ferè communis Scholasticorum,& plurimorum Patrum. ita D. Thomas 1.2.q.20.a.4. Capreol. *D.Thom.* in 2.d.42.q.1.a.1. Bonauent.eadem d.a.1.q.1.& *Capreolus.* 2.Gabriel ibidem q.vn.a.2.concluſ.1.& 2.& fe- *Bonauent.* rè communiter alij. Idem expresè docet D. Au- *Gabriel.* guſt. epiſtola 49.ad Deogratias q.4. vbi ait: *Auguſt.* *In voluntate quippe propria metitur bonus homo bona facta, & in ea metietur ei beatitudo. Itemq; in voluntate propria metietur malus homo mala opera, & in ea metietur ei miseria.* Vbi fusiùs pergit docere, secundùm bonitatem aut malitiam voluntatis præcisè nos bonos aut malos esse, & præmia aut supplicia recepturos. Item Chryſoſt.hom.19.in *Chryſoſt.* Matth. *Propter quod*, inquit, *non omnino indiscretè factum ipsum, sed voluntatem aut coronat, aut punit.* & infrà: *Non fini operis, sed voluntati operantis mercedem damnumúe decernit.* Idem etiam docent alij Patres. 87

Probatur Primò, quia, vt ostendi dub.4. concluſ.1.& 4.actus externus non habet vllam bonitatem aut malitiam formalem sibi intrinsecam; sed hæc solùm reperitur in actu interno, & 88

& per solam extrinsecam denominationem conuenit actui externo: ergo hic non potest vllam eiusmodi bonitatem aut malitiam actui interno conferre. sicut, quia formalis sanctitas est solùm intrinsecè in ipsa anima sancta, in corpore autem ratione animæ; ideo tam perfecta sanctitas est in sola anima, atque in toto homine.

Secundò, quia actus externus prout distinguitur ab interno, nullam omnino habet libertatem, sed posito actu interno omnino efficaci, nisi adsit impedimentum, omnino necessariò ac naturaliter fit: ergo secundùm se prout distinguitur ab interno, non magis reputatur ad laudem vel vituperium, quàm actus qui in somnis fit, cui quis antè studio causam dedit.

Tertiò, quia qui accipit rem suam quam putat esse alienam, formaliter tantum peccat atque is qui rem verè alienam accipit, cùm tamen hic committat externum furtum, ille non.

89 Actus externus est causa cur internus sit melior aut peior: idque triplicitèr.

CONCLVSIO III. Actus externus communiter per accidens est causa maioris malitiæ aut bonitatis formalis, quatenus est causa cur internus sit in se melior aut peior. Idque Primò, quia est ferè causa cur actus internus diutiùs duret, aut sæpiùs repetatur, dum opus exteriùs perficitur. Secundò, quia ob delectationem aliaque iritamenta, quæ in opere externo occurrunt, actus internus fit communiter intensior. Tertiò, quia actus internus iunctus externo est cõmuniter magis absolutus & efficacior etiam secundùm se intrinsecè, quàm esset sine externo. Addit etiam communiter externus actus quædam alia mala vel bona. Primò, quia generat maiorem inclinationem ad actus similes, præcipuè quando cum aliqua voluptate aut vtilitate fit. Secundò, quia sæpè generat scandalum, si malus sit, alioquè ad virtutem excitat si sit bonus. Tertiò, per eum censuræ incurruntur, damnum proximo infertur, & obligatio restituendi contrahitur. Quartò, actus externus bonus quatenus pœnalis, per se valet ad satisfaciẽdum, vt ostendi tomo 2. de Sacramentis disp. 10. dubio 4. Quintò, in susceptione Sacramentorum ac martyrij, ex opere operato aliquid confert.

Quæ bona aut mala oriantur ex actu externo.

90 Ad primum argumentum contra 2. concluſ. Respondeo talem esse miseriorem propter iam dicta mala, quæ actus externus adfert. Ad secundum, Respondeo D. Bernardum hoc dicere quia martyrium ex opere operato auget coronam. Tertium verò solùm probat primam nostram conclusionem. Ad quartum, nego hoc sequi, quia qua ratione debeamus confiteri peccata pendet ex institutione Christi: patet autem ex vsu Ecclesiæ Christum præcepisse vt externa peccata confiteremur, idque quia aliter confessarius communiter non satis posset cognoscere statum pœnitentis, aut quid ei in pœnitentiam aut remedium deberet iniungere, propter ea quæ concluſ. 3. dixi ex actu externo causari, aut sequi.

Bernard.

91 Ad quintum, distinguo assumptum: nam si loquamur de relatione gratiarum solùm interna, siue de amore benefactoris, hunc quantum ad præsentem rem attinet, æqualiter à parte rei debeo omnibus, qui æqualiter mihi bene volunt. si autem loquamur de externa relatione gratiarum, quæ fit rependendo æqualia beneficia, plus debeo ei, qui me rejpsa iuuit, quàm ei qui solo affectu mihi benè vult. Primò, quia gratitudo exigit vt paria acceptis reddam. Secundò, quia is qui aliquem iuuat communiter id facit cum aliquo suo incommodo, labore, vel etiam impendio aut damno; quare gratitudo exigit vt hæc pro viribus compensemus. Adde, quia aliena erga nos merita ex nostra maximè indigentia & commodis spectamus, ideo nos solere nobis persuadere plurimum nos debere iis, qui potissimùm in graui necessitate plurimùm nobis profuerunt, etsi id non tam nostra quàm sui gratia, vel etiam ignorantes fecerint. Hinc solemus etiam iumentis singulariter bene facere, per quæ è graui periculo erepti sumus: secùs est in Deo, qui cùm nullius egeat, merita ex solo affectu metitur.

Qua ratione debeo maiores gratias referre pro actu externo, quàm pro interno.

Aliter Deus & aliter homo merita pensant.

92 Ad sextum, nego hoc sequi; quia eiusmodi voluntates etiam ex parte sua sunt omnino inefficaces, & meræ velleitates. quod vel inde patet, quia si tales verè efficaciter hæc vellent quantum possent ea exsequerentur dando omnem eleëmosynam sibi quacumque ratione possibilem, aut æquali cum D. Paulo amore omnibus viribus pro Christo laborando, ac aduersa quæuis subeundo, nec vllis difficultatibus frangerentur. Cùm tamen videamus in illis contrarium accidere. Facile autem est eiusmodi velleitates habere. Sed si quis haberet infinitas opes, & posset ijs infinitè frui, idq; distinctè cognosceret, sicut homines proportionaliter possunt, & cognoscunt se posse frui pecunia, quam de facto pauperibus largiuntur: nescio an esset vllus qui earum cupiditate non caperetur, aut qui vellet se omnibus ijs commodis amore Christi spoliare: nimiùm enim tantum bonum perfectè cognitum alliceret.

93 Pro quo Nota, bonitatem ac meritum eleëmosynæ, quam ex obiecto, secluso fine extrinseco habet, non tam consistere in nuda illa largitione pecuniæ, aut alterius rei, quàm in eo quod largiens se aliquo commodo priuet: in quo omnis difficultas, & consequenter omnis ferè ratio virtutis (quæ ardua spectat) ac meriti consistit. Aliàs dum herus per famulum eleëmosynam dat, vterque æqualiter mereretur. Confirmatur, quia donatio rei etiam aliàs optimæ, si donanti omnino inutilis sit, nec nomen virtutis nec veram laudem meretur; vt si quis cibos, quos nec absumere, nec seruare, nec vendere, nec iis alia ratione sibi commoda vti potest, pauperi largiatur: qui siue multos, siue paucos largiatur, eadem est difficultas, idemque inde colligitur interior affectus, eadem virtus. Nec enim opus est maiore aut in pauperes, aut in misericordiam, aliamue virtutem, & consequenter nec meliore affectu, siue voluntate, vt talis det multos eiusmodi cibos quàm vt det paucos. Secùs est in donatione rei vtilis; nam sicut maior est difficultas priuare se re valdè vtili, quàm parum vtili; ita etiam vt illam dones requiritur maior ac constantior amor erga virtutem, aut erga accipientem.

In quo præcipuè consistat meritũ eleëmosynæ.

Donans rem sibi inutilem non meretur laudem.

94 Vnde vlteriùs sequitur, quòd si duo essent, quorum vnus haberet solùm mille aureos, & alter haberet centum millia, & hic certò sciret exceptis mille aureis reliquos sibi fore omnino inutiles; ita vt iis nullo modo posset frui, aut sibi aliquod commodum ex iis comparando, aut amicos conciliando, aut alia ratione: vtrique fore æquè facile planè & consequenter eiusdem virtutis opus omnia sua Dei causa pauperibus relinquere; & solum internum affectum fore causam cur vnus ea relictione plus altero mereretur.

95 Sequitur Secundò, vt quis per impossibile dando infinitas eleëmosynas infinitè mereatur, requiri vt possit iis omnibus infinitè frui, ita vt per illam dationem infinitum commodum sibi detrahat: item vt sciat se iis ita posse frui. aliàs sicut magnitudine rei donatæ non augetur vllo modo arduitas donationis, ita nec virtus augetur, nec arguitur maior affectus, siue perfectior voluntas in donante.

96 Dices, hinc sequi nos non debere Deo maiores gratias pro magnis beneficiis ab eo acceptis, quàm pro paruis, quia sine vlla difficultate tam illa, quàm hæc confert.

Accipiens beneficium non debet in eo solum donantis affectum æstimare.

Respondeo, nego consequentiam. Primò, quia Deus maiora beneficia ex maiore benevolentia confert. Secundò, quia qui accipit beneficia, etsi ea debeat præcipuè pensare ex affectu donantis, tamen non ex hoc solo, sed etiam ex vtilitate quam ex iis percipit; & consequenter etiam ex maiore sua indigentia. Aliàs filii sæpè parentibus à quibus sine difficultate per nutrices sunt educari, nullas aut saltem valdè exiguas deberent agere gratias; nam parentes eos sæpè generant, non tam ex amore erga ipsos filios, quàm vt libidinem suam expleant, aut ex amore aliquo proprio vt posteritatem suam & nomen propagent, & ex simili affectu eos sæpè educant. quod vel inde patet, quòd filiis Dei honorem, & animæ suæ salutem quærentibus, ideoque Religionem ingredientibus, omnibus viribus obsistant, malintque eos certissimis damnationis periculis exponi, quàm iis commodis, quæ ex ipsis sperant, priuari. Filius tamen ideo non minùs tenetur seipsum omniaq; sua parenti integrè accepta ferre.

Parentes sæpè non tam suos filios quàm se in ijs amant.

Hîc autē non quærimus qua ratione crescat beneficium indigenti collatum; sed qua ratione crescat bonitas & meritum alicuius operis. quę, vt patet, longè diuersa sunt. nam qui dat eleëmosynam magis indigenti, cæteris paribus maius ei confert beneficium; non tamen facit opus absolutè melius, siue magis meritorium apud Deum, nisi id meliore affectu faciat.

DVBIVM VIII.

Vtrùm bonitas & malitia moralis sint differentiæ essentiales actuum nostrorum, prout considerantur secundùm esse naturæ?

97 NOta Primò, sensum quæstionis non esse, vtrùm bonitas & malitia ita sint differentiæ essentiales nostrorum actuum, vt eorum sint partes essentiales constituentes eos intra talem speciem physicam; hoc enim per se patet esse falsum: nam cùm bonitas & malitia consistant in morali conuenientia aut repugnantia cum natura rationali aut recta ratione, patet eas non constituere intrinsecè essentiam actus, sed hanc consequi. Nec enim ideo v.c. amor Dei est talis speciei, quia conueniens est rationali naturæ; sed ideo est conueniens, quia est talis speciei: sicut venenum non ideo est talis naturæ quia mihi malum est, sed ideo est mihi malum quia est talis naturæ.

Malitia & bonitas nequeunt esse partes essentiales actus physici.

Quæritur igitur, vtrùm bonitas & malitia sint differentiæ essentialiter consequentes naturam istorum actuum, ita vt ab hac separari nequeant.

Nota Secundò, præcipuam hîc esse quæstionem de actibus voluntatis: nam satis constat actus externos saltem communiter, non esse ita intrinsecè siue necessariò & inseparabiliter bonos vel malos; cùm idem omnino actus externus possit esse modò bonus, modò malus, vt omnes fatentur, & patet in celebratione Missæ, quæ facta ante Interdictum bona est, & postea mala. 98

Primò igitur Conradus 1.2.q.18.art.5. cum quibusdam alijs absolutè docet, bonitatem & malitiam esse differentias essentiales actuum voluntatis. Primò, quia, sicut actus voluntatis sunt per se & essentialiter voluntarij, ita per se pertinent ad genus moris: ergo per se sunt boni vel mali. Secundò, quia actus intellectus sunt essentialiter veri vel falsi: ergo actus voluntatis sunt essentialiter boni vel mali. Contrà Caietan.1.2 q.18.a.3. & Bonau.in 2.d.41.a.1.qu.2.& quidam alii, generatim docent, bonitatem & malitiam esse differentias merè accidentales nostrorum actuum tam internorum quàm externorum. Probant, quia idem actus etiam internus potest successiuè esse bonus, & non bonus aut etiam malus. 99 *Conradus.* *Caietan.* *Bonauent.*

Pro resolutione Nota Tertiò, ex dictis dub. 1.n.8. bonitatem & similiter malitiam esse duplicem, scilicet materialem, quæ non requirit libertatem; & formalem, quæ eam requirit.

CONCLVSIO I. Bonitas & malitia formales solùm sunt differentiæ accidentales nostrorum actuum etiam voluntatis, quia eadem volitio potest modò esse libera, & consequenter modò formaliter bona vel mala, modò non. Nec credo vllos huic cōclusioni contradicere: est enim nimis clara, suppositis iis, quæ dixi disp.2.dub.8. vbi ostendi actionem propriè solā denominatione extrinseca dici liberam, & contrarium refutaui. Vndè vt prima sententia habeat aliquid probabilitatis, intelligenda est solùm loqui de actibus propriè humanis, quales sunt soli liberi, & eius Auctores de his solis videntur loqui. 100

Ad primum argumentum primæ sententiæ, Respondeo omnem actum voluntatis esse quidem essentialiter voluntarium imperfectè siue spontaneum, non omnem tamen esse perfectè voluntarium siue liberum: quia hoc illi per accidens conuenit; & consequenter etiam formalis bonitas ac malitia, quæ libertatem, siue esse perfectè voluntarium essentialiter supponunt, ei per accidens conueniunt. 101

Ad

Ad secundum, Respondeo non omnem actum intellectus esse essentialiter verum vel falsum: nam omni opinioni hoc per accidens conuenit. nam opinio qua opinor v.c. Petrum hoc fecisse, siue ipse hoc fecerit, siue non fecerit, est omnino eadem, & tamen vno casu est vera, & alio falsa. Adde, etiam actum intellectus vt sit verus aut falsus, non pendere ab alio actu sibi per accidens coniuncto; sicut volitio, vt sit formaliter bona vel mala, pendet ab intellectione sufficiente ad libertatem: quare diuersa est vtrorumque ratio.

Eadem propositio potuit esse vera quæ iam est falsa.

Diuersitas inter actum voluntatis & intellectus.

102 CONCLVSIO II. Bonitas materialis intrinsecè & essentialiter consequitur essentiam actus voluntatis boni, ita vt ab eo separari nequeat.

Gabriel. Occam. Ita Gabriel in 2.d.41.qu.vnic.a.2. conclus.4. & in 3.d.41.q.1.a.1.lit.L. & Occam quodl.3.q.14. Probatur, quia, vt ostendi dub.4. vt actio voluntatis sit bona, necessariò debet tendere in obiectum qua honestum est, siue sub ratione intrinsecè & essentialiter honesta: atqui ita tendere in obiectū est per se & omnino intrinsecè conueniens naturæ rationali, qua talis est, nec vllo modo potest non esse conueniens, vt mox patebit: ergo omnis talis actio erit intrinsecè & essentialiter bona.

Idem secundùm probabiliorē sententiam est dicendum de actu fidei theologicæ, qui numquam potest esse non bonus. Confirmatur, quia aliàs sequeretur habitum virtutis posse concurrere ad producendum actum malum, vt ostendi dub.4. n.58.

103 Respondent aliqui habitum non concurrere ad substantiam actus, sed solùm ad modum facilitatis & delectabilitatis; cùm verò eo casu fiat actus repugnante conscientia, non poterit fieri faciliter & delectabiliter, & consequenter habitus ad eum non concurrer. Sed hinc sequitur Primò, quòd, quoties aliquis remordente conscientia peccat, licèt habeat intensissimum circa eum actum habitum, hunc tamen nullo modo concurrere ad eum actum: quia secundùm illam responsionem talis non peccat facilè & delectabiliter; atque ita in eo actu nullus est eiusmodi modus, ad quem habitus possit concurrere. Sequitur Secundò, etsi quis summum habeat habitum acquisitum alicuius virtutis, hunc tamen nullo modo concurrere ad illius actum, eumue facilitare, quoties operans ex singulari circumstantia reperit hîc & nunc in eo actu difficultatem; atque ita sequeretur quòd in vtroque casu habentes habitum per eiusmodi actus acquisitum quantumuis intensum, non exercerent eosdem actus faciliùs ac promptiùs, quàm si eum habitum non haberent. quæ apertè falsa sunt: cùm videamus multos contra suam conscientiam magna facilitate ac delectatione peccare: & habentes habitum virtutis faciliùs occurrentes inter operandum difficultates vincere, quàm alios; idq; etiam eo casu quo hi cum notabili difficultate, eas difficultates superant.

104 Dices, Poterit Deus internum virtutis actum aliàs ex se absolutè bonum prohibere, aut fieri poterit vt talis actus sit causa omittendi actum præceptum, cum quo nequit simul consistere: ergo tunc erit malus. Respondeo Primò, fieri non posse vt Deus actum voluntatis ex obiecto aut circumstantiis honestum, atque adeò actum veræ virtutis directè prohibeat; quia, sicut fieri nequit vt ipse amet actum vitiosum, eumque fieri velit, ita fieri nequit vt oderit actum internum veræ virtutis, eumque directè velet fieri; quia hic secundùm se nihil potest habere mali aut incommodi, ob quod possit esse obiectum odii aut prohibitionis, vt bene docet D.Thom.1.2.q.19.a.2.ad 2. Secùs est de actibus virtutum externis saltem communiter, qui sæpè ratione circumstantiarum possunt minus expedire, atque ita esse obiectum iustæ prohibitionis.

Deus nequit prohibere actum voluntatis aliàs absolutè bonum.

D.Thomas.

Respondeo Secundò, posito casu quòd amor alicuius rei honestæ non posset simul consistere cum alio actu præcepto, atque ita consequenter & indirectè esset mihi, siue iure naturæ, siue positiuo illicitum eum hîc & nunc elicere, fieri nullo modo posset vt hoc sciens eum elicerem propter suam honestatem. sicut enim fieri nullo modo potest vt medicinam, quam scio hîc & nunc nullo modo esse sanam, sed potiùs noxiam, appetam directè, quatenus siue quia sana est; ita impossibile est vt appetam aliquid quia honestum, quod scio mihi hîc & nunc esse inhonestum appetere. Et confirmatur, quia vt actio elicita eo tempore quo omittitur actus præceptus, ideo sit mala, non sufficiet quòd sit incompossibilis cum actu præcepto; sed requiritur vt sit causa illius omissionis, ita vt hæc saltem implicitè per illam actionem sit volita; & consequenter requiritur vt obiectum huius volitionis sit ex parte inhonestum, vt ostendam dub.15. Fieri autem nullo modo potest, vt sciens rem inhonestam appetam quia honesta est.

105 Nequeo actu illicito sciēs appetere honestatem.

Quòd si inuincibiliter ignorarem alterum actum mihi hoc tempore esse præceptum, aut hunc cum illo non posse consistere, tunc amor illius rei honestæ licitè & laudabiliter à me eliceretur; quia cùm non possit esse malus aut vetitus, nisi quatenus scitur esse causa omissionis actus præcepti, hoc ipso quo omnino nescitur esse causa huius omissionis, nulla ratione est illicitus. Quia, vt cum aliis bene docet Salas 1.2. tractat.13.disp.2.sect.5. vt actus quem facio eo tempore quo omitto actum præceptum, sit causa huius omissionis & peccatum, debeo hunc omittere vt illum faciam; quod fieri nequit si nullo modo aduertam me omittere actum præceptum. His adde, verius esse nullum amorem rei honestæ qua talis est, posse per se impedire alium actum præceptum, sed solum ratione alicuius actus coniuncti, v.c. vehementis meditationis talis honestatis, & conatus ad exirandum eiusdem amorem. vide dicenda infrà, disp. 14.num.27.

Salas.

Vnus actus voluntatis honestus per se non impeditalium.

Dices, Fieri poterit vt talis culpabiliter ignoret prohibitionem talis obiecti, atque ita illud apprehendat vt honestum, & vt tale amet. 106

Respondeo, vt quis velit efficaciter bonum honestum qua tale, non sufficere quamcumque apprehensionem honestatis (vt ostendi disp.2. n.79.) sed requiri talem apprehensionem quæ

faciat rem verè apparere honestam, ita vt nata sit causare iudicium quo iudicetur esse absolutè honesta; vt autem ignorantia culpabilis sit, ac actum peccaminosum faciat, requiritur vt operans dubitet aut aduertat se hîc & nunc habere iustam rationem dubitandi, an sibi liceat hîc & nunc operari, ita vt non possit sibi bona fide persuadere id sibi esse licitum: nam quamdiu hoc sibi bona fide persuadet, non peccat operando. Cum tali autem dubitatione de malitia rei nequit consistere sufficiens persuasio, qua credam rem esse honestam, vt eam qua talem præcisè possim efficaciter velle, quia honestas nequit me allicere vt velim id quod aliquo modo apprehendo vt inhonestum, aut etiam vt imprudenter ac perturbatè in aliqua re procedam, quia hac ratione se ipsam interimeret. Quare imprudens ac præcipitata rei alicuius electio numquam potest prouenire, nisi ex aliqua passione siue inordinato affectu, qui non excitatur ex præcisa apprehensione veroque amore honestatis, sed ex apprehensione & amore boni conuenientis parti inferiori. Ideo quoties mouemur ad aliquid de cuius malitia dubitamus, non mouemur amore honestatis, quantumcumque id nobis persuadeamus, sed amore alicuius commodi aut boni delectabilis.

Vt aliquid appetã quia honestum, necessariò inuincibiliter ignoro id esse illicitũ.

Ipsa honestas obiecti nequit me impellere vt imprudẽter ipsam appetam.

Inordinatè aliquid appetens numquam ad id mouetur verò amore honestatis.

107 Hinc patet Primò, eundem actum internum posse quidem esse modò bonum formaliter, modò non bonum formaliter, sicut potest modò esse liber, modò non liber; nullo tamen modo posse esse primò bonum, & deinde malum, aut etiam indifferentem, vel contrà. Quare argumentum secundæ sententiæ est ex parte verum, & probat primam conclusionem; ex parte falsum, quatenus repugnat secundæ.

Patet Secundò, qua ratione habitus veræ virtutis sint essentialiter boni, & necessariò inclinent ad actum bonum, non quidem qui sit necessariò formaliter bonus (quia habitus per se propriè non inclinat vt actus liberè fiat) sed qui sit saltem materialiter bonus, atque adeò necessariò fiat formaliter bonus, hoc ipso quo liberè fit. Ita Vasquez 1.2.disp.84.n.13.

Vasquez.

108 Conclvsio III. Malitia etiam materialis communiter est actibus voluntatis accidentaria, ita vt idem actus possit modò esse malus, modò non. vt si præcisè vt famem pellam, incipiam velle comedere carnes ante prohibitionem, & postea pergam eas velle comedere, cùm sciam id esse prohibitum.

Quidã actus nequeunt esse non mali.

Hoc tamen non est generale. nam quidam sunt ita mali, vt nequeant vnquam esse non mali, saltem materialiter; quale est odium Dei, & velle peccare, quia malum est, aut quia Deo displicet: hæc enim intrinsecam malitiam continent, nec vlla circumstantia cohonestari possunt. Imò credo eiusmodi esse etiam quædam peccata aliarum potentiarum, v.c. maledicere, malumúe imprecari vero Deo, & fortè præpostera libido, &c.

DVBIVM IX.

Vtrùm, quando aliquod medium bonum eligitur propter finem extrinsecum bonum, hæc electio habeat duplicem bonitatem, aliam à medio, aliam à fine?

109 NOta Primò, hac in re certum esse, Primò, siue medium in se bonum sit, siue non, modò non sit malum, electionem accipere bonitatem ab honestate finis intenta. Secundò, quando eligitur medium malum ob malum finem, v.c. homicidium vt possis furari, tunc electionem habere duplicem malitiam, scilicet homicidii & furti; quia, vt actio voluntatis ex obiecto aut mala circumstantia contrahat aliquam malitiam, sufficit quòd ipsa malitia indirectè aut interpretatiuè sit volita.

110 Dubium autem est, quando eligo v.c. exercere temperantiam vt acquiram castitatem, an illa electio habeat duplicem bonitatẽ siue honestatem, scilicet temperantiæ & castitatis. Curiel 1.2.q.18.a.6.dub.1.concluſ.1. Antonius Perez lect.1.Exam.p.3.n.84.& 85. & quidam alii generatim docent, eiusmodi electionem habere duplicem bonitatem quando ex duplici capite habet conuenientiam cum natura rationali, siue recta ratione. Contrà Occam in 3.q.12.a. 2.disput.3.gradu 4. Almain.in 13.d.23. & alii id generatim negant. Ratio eorum est, quia, vt actio voluntatis accipiat honestatem ab obiecto, debet hoc expetere propter suam honestatem: atqui in tali electione non expetitur temperantia propter suam honestatem; sed propter honestatem castitatis: ergo ab hac sola, & non ab alia, accipit bonitatem.

Curiel. Ant. Perez. Occam. Almainus.

111 Nota Secundò, aliud esse aliquem actum spectare ad certam virtutem, & ab ea elici, aliud verò eum habere in se formalem honestatem illius virtutis: nam amor temperantiæ non liber, verè à temperantia elicitur, & ad eam spectat, tamen non habet formalem illius bonitatem. Ratio est, quia, quòd actus aliquis ad certam aliquam speciem virtutis spectet, habet ratione obiecti sui formalis, à quo ipse specificatur: quòd autem habeat honestatem siue bonitatem moralem talis virtutis, prouenit ei ex speciali decentia & conuenientia quam habet cum natura rationali qua talis est, siue, vt alii volunt, cum recta ratione. Quare vbicumque specialiter eiusmodi conuenientia reperitur, ibi reperitur specialis bonitas.

112 Nota Tertiò, actum vnius virtutis dupliciter posse esse vtilem ad aliam acquirẽdam. Primò, ratione sui esse materialis: sic temperantia est vtilis ad acquirendam castitatem, etsi non liberè, aut etiam auaritiæ causa exerceatur. Secundò, præcisè ratione suæ honestatis: sic actus cuiusque virtutis est vtilis vt Deo placeamus, & aliam virtutem ab eo impetremus, atque ea ratione in hunc finem à nobis potest eligi. Sicut enim bonum delectabile etsi sit expetibile propter se, potest tamen etiam formaliter & qua tale esse vtile ad aliud aliquod bonum obtinendum,

Bonum honestum aut delectabile, qua tale potest esse simul vtile ad aliud, & ita eligi.

dum, aut malum vitandum, & vt tale expeti. v.c. oblectatio in aliquo lusu, spectaculo, aut cantu est vtilis ad pellendam melancholiam & animi quietem acquirendam, vnde etiam in hunc finem sæpè prudenter eligitur. Quo casu non solùm eligitur opus delectabile materialiter sumptum, sed formaliter & qua tale est; quia vt sic præcisè est vtile ad eum finem. Simili modo potest opus honestum formaliter sumptum, & qua tale esse vtile ad aliud, atque ita eligi, vt patet in exemplo dato: nam actus virtutis non est vtilis vt per eum Deo placeamus, aut aliquid à Deo impetremus, nisi quatenus bonus & honestus est.

113 Vasquez.

CONCLVSIO I. Quando actus vnius virtutis eligitur propter alteram, electio propriè solùm est actus illius virtutis quæ intenditur, & ab huius solius habitu elicitur. Ita cum communiore sententia Vasquez 1.2.disp.51.c.2. Ratio est, quia omnis actus specificatur à suo obiecto formali, & ad eam virtutē spectat cum qua habet idem obiectum formale: atqui illius electionis vltimum obiectum formale ac ratio mouēs est honestas virtutis intentæ, nullo autem modo honestas virtutis electæ, quæ solùm est obiectum materiale: ergo illa electio ad illam solùm pertinet, ab eaque sola elicitur.

114 Electio quādoque habet vnicam bonitatem:

CONCLVSIO II. Quando actus virtutis priore modo ex dictis notabili tertio eligitur ad aliam virtutem acquirendam, aut alium quemcumque finem bonum, electio solùm habet bonitatem virtutis intentæ, & consequenter vnicam habet bonitatem. Et in hoc consentio Auctoribus secundæ sententiæ. Probatur, quia, vt actio voluntatis accipiat bonitatem ab obiecto, debet in hoc ferri sub ea ratione, qua necessariò honestum est, ita vt eius honestas directè experatur, vt dixi dub.4. atqui eo casu electio non fertur ea ratione in actum virtutis electum secundùm se consideratum, hic enim non eligitur qua honestus, sed qua vtilis ad illum finem; qua ratione abstrahit ab honesto aut non honesto siue indifferenti, vt patet ex dicto notabili: ergo ab hoc non accipit specialem bonitatem. Ex quo patet solutio argumenti pro priore sententia allati, quatenus contra nos facit: talis enim electio ex vnico solo capite habet conuenientiam cum natura rationali sufficientem ad constituendam bonitatem moralem; & consequenter habet vnicam bonitatem.

115 quandoque duplicem.

CONCLVSIO III. Quādo actus vnius virtutis eligitur secundo modo ex dictis n.112. ad aliam virtutē acquirendam, aliumúe finē extrinsecum secundùm se bonum, electio ex vtroque capite accipit specialem bonitatem, atque ita duplicem. Et in eo casu consentio cum Auctoribus primæ sententiæ relatis n.110. Probatur Primò, quia, vt ostendi suprà dubio 1. bonitas moralis actus consistit in conuenientia ipsius cum natura rationali qua tali: atqui in ea electione, quatenus est præcisè libera electio talis medii, reperitur specialis eiusmodi conuenientia (quia homini per se conueniens est appetere honestum qua tale) ergo ex eo capite in ea reperitur etiam specialis bonitas. Confirmatur, quia si illud medium sub ea ratione formali siue quatenus honestum est, expeterem propter se, non referendo illud ad alium finem, volitio mea haberet inde singularem conuenientiam cum natura rationali, & consequenter singularem honestatem: atqui hæc non tollitur per hoc, quòd honestas obiecti referatur in alium finem honestum, quia hoc nullo modo efficit vt actus ille, etiam præcisè quatenus est appetitio talis honestatis, minùs hominem deceat: ergo nec impedit quo minùs etiam ex eo præcisè capite habeat aliquam specialem bonitatem. Probatur Secundò, quia, quo eo casu medium electum est melius, eo electio est melior: atqui hoc esset falsum, si hæc non acciperet specialem bonitatem à medio electo: ergo eam ab hoc accipit.

116 Negant alii minorem, dicuntque ideo tunc præcisè electionem esse meliorem, quia medium electum est efficacius ad finem procurandum. Sed contrà, in nostro casu ideo præcisè medium est efficacius ad finem procurandum, quia secundùm se & in ratione actus virtuosi est melius, & quidem bonitate absolutè honesta in ratione virtutis (hac enim ratione præcisè actio nostra Deo magis placet, eumque mouet vt aliquid nobis concedat:) ergo eiusmodi actus electio accipiet ab eo bonitatem, quatenus in se bonus est tali vel tali bonitate, siue quatenus in se habet bonitatem talis vel talis speciei siue virtutis. Probatur consequētia, quia, vt ipsi concedunt, electio accipit bonitatem à medio quatenus hoc est efficax ad finem obtinendum, & maiorem bonitatem quatenus illud ad hoc est efficacius: atqui in nostro casu, vt iam ostendi, medium electum habet totam suam efficaciam ad finem quatenus in se continet specialem honestatem actus virtuosi; & consequenter in eo idem sunt efficacia ad obtinendum finem & specialis honestas: ergo electio tunc accipiet ab eo bonitatem quatenus est actio talis aut talis virtutis, & maiorem quatenus est actus virtutis perfectioris; & consequenter accipiet ab eo specialem bonitatem distinctam à bonitate finis.

117 Secùs hæc se habent in casu 2. conclusionis, in quo medium non ratione maioris honestatis, sed ratione suæ naturalis conditionis est magis vel minùs efficax ad finem obtinendum. v.c. ieiunium est aptum ad causandam castitatem, non quatenus moraliter bonum est, sed ratione naturæ suæ, quatenus tollit superfluitatem humorum, & carnem debilitat; & eo efficaciùs hæc efficit, & consequenter est aptius ad consequendam castitatem, quo in se maius siue auctius est, etsi fortè ratione alicuius circumstantiæ, vt quia minùs discretè fit, aut ob aliam causam, sit opus in se minùs bonum.

118 Dices, Noster actus virtutis nō est honestus Deo, sed nobis, & consequenter vt sic est bonum nostrum, & solùm quoddam bonum Dei quatenus est bonum quoddam delectabile respectu Dei, qui delectatur in actibus honestis, & vt sic imperatur à caritate: ergo cùm eum volumus quatenus est honestus, volumus eum non ex amore Dei, & quatenus illi placet, sed ex amore nostri. Respondeo, negando consequen-

quentiam. Primò, quia, cùm simus quædam res Dei, id quod nobis est absolutè bonum præsertim honestum quatale, est etiam bonum Dei, eique delectabile, ideoque qua tale ei placet, & ex eius amore appeti potest. Sicut equo Iohannis possum velle bonum, quatenus est bonum equo ex amore Iohannis; quia illud eatenus est etiam Iohanni bonum, quatenus est equo bonum. Secundò, quia omnis qui perfectè amat aliquam virtutem, delectatur ea non solùm in se, sed etiam in alio: atqui Deus perfectissimè amat virtutem: ergo hæc eiusque honestas ei placent etiam in alio: & consequenter possum directè & expressè eius honestatem amare vt Deo placeam. Et confirmatur, quia multi exercent externos actus virtutum vt placeant hominibus, quanto magis eos possum exercere vt placeam Deo?

119 Ad argumentum initio pro altera sententia allatum, Respondeo, vt actio voluntatis accipiat bonitatem ab obiecto, non est opus vt hoc ita velit propter suam bonitatem, vt hanc vlteriùs non referat in alium finem honestum: hoc enim nulla ratione probari potest; sed solùm requiritur vt voluntas tendat in obiectum qua honestum est, siue sub ratione intrinsecè honesta. Illud autem prius solùm est necessarium vt actus à propria illa virtute eliciatur, iuxta dicta concluſ.1.

DVBIVM X.

Vtrùm actus internus voluntatis vnius virtutis, si imperetur ab alia virtute, accipiat ab actu imperante aliquam bonitatem?

120 EXempli causa, vt obtineam veniam peccatorum (quæ intentio ad spem pertinet) impero mihi actum caritatis. Qua in re certum est ipsam electionem medii siue volitionem, qua volo elicere actum caritatis vt obtineā veniam, habere suam bonitatem à fine. Sed vlteriùs petitur vtrùm etiam ipse actus caritatis præter propriam bonitatem accipiat aliquam bonitatem ab actu imperante; sicut externa datio eleëmosynæ accipit bonitatem ab actu spei, à quo imperatur. Medina 1.2.qu.18.a.4. id affirmat, *Medina. Caietan.* idemque ibidem insinuat Caietan. Primò, quia ideo actus externus accipit bonitatem ab imperante, quia ab eo imperatur ac pendet: atqui eo casu actus internus imperatur ab alio, & ab eo pendet: ergo ab eo accipit bonitatem. Se- *D.Thomas.* cundò, quia D.Thomas 1.2.quæst.19.a.2.ad 1. docet, bonitatem actus interni, quæ sumitur ab obiecto, non differre ab ea, quæ est ex fine, nisi fortè per accidens, prout finis dependet ex fine, & voluntas ex voluntate: vbi videtur dicere volitionem accipere aliquando bonitatem à fine, distinctam ab ea, quam habet ex obiecto.

121 CONCLVSIO. Verius est actum voluntatis internum qui tendit præcisè in aliquod obiectum propter proprium ipsius bonum, nullam accipere bonitatem ab actu imperante. Ita Va- *Vasquez.* squez 1.2.disp.51.c.5. & est ferè communis, & a- *D.Thomas.* pertè ipsius D.Thomæ 1.2.q.18.a.6. vbi in hoc distinguit actum externum ab interno voluntatis, quòd ille possit ab hoc moraliter informari, atque ita dum ab eo ad finem extrinsecum ordinatur, ab eodem bonitatem accipere: quod generatim negat de actu voluntatis; & fruſtra à Caiet. aliisque restringitur quasi solùm loquatur de actu qui ab alio non imperatur. Quia D.Thomas generatim loquitur, & ratio ipsius est generalis, scilicet intrinseca differentia actus voluntatis & externorum; quòd hi cùm in se non sint liberi, nec habeant ex se formaliter esse morale, vtrumque necessariò accipiant ab actu voluntatis eos imperante: vnde fit vt cum eo vnum actum in genere moris constituant, in quo ipsi se habent instar materiæ, & voluntatis actus instar formæ, vt ait D.Thomas suprà. vnde non est mirum si suam bonitatem formalem ab actu voluntatis accipiant; sicut materia in aliis rebus accipit suam perfectionem à forma. Secùs omnino est in omni actu voluntatis, qui quantumcumque ab alio imperetur, manet tamen in se formaliter liber, & consequenter habet proprium esse formaliter morale, aut etiam bonitatem aut malitiam formalem; ideoque ab actu imperante nec informari, nec supradicta accipere potest.

Caietan. *D.Thom.* *Cur actus externi potiùs accipiat bonitatem ab actu imperante, quā interni.* *D.Thom.*

122 Ex quo patet responsio ad primum argumentum contrarium; neganda enim est maior: nam ideo propriè actus externus accipit bonitatem aut malitiam ab interno eum imperante, quia ab hoc accipit omnem suam libertatem, & consequenter esse formaliter morale.

D.Thom. Ad secundum, Respondeo D.Thomam ibi solùm velle electionem obiecti ex se boni suam bonitatem accipere à fine, siue ab obiecto formali intentionis, à qua imperatur, & propter cuius finem suum obiectum vult, quod ei per accidens est, non quatenus est talis electio (vt sic enim ei est essentiale) sed quatenus est præcisè volitio talis obiecti, quod voluntas propter se appetere posset, quo casu volitio ab eo solo suam bonitatem acciperet.

Ex his demum sequitur, nō esse verum quod asserit Medina 1.2.q.18.a.4. actum voluntatis ex obiecto bonum posse vitiari, eò quòd imperetur ab alio actu voluntatis malo. hoc enim dici non posse patet ex dictis; quia, sicut actus voluntatis nec accipit libertatem ab actu imperante, nec potest ab eo moraliter informari, ita consequenter nec bonitatem nec malitiam ab eo potest accipere.

Medina. *Actus volitatis ex obiecto suo bonus nequit vitiari ab imperante.*

DVBIVM XI.

Vtrùm intentio bona aut finis boni vitietur mala electione; aut contrà electio bona mala intentione?

123 PRima opinio vel potiùs error est bonam intentionem omnino excusare ac bonam reddere mali medii electionem; de qua agam dubio sequenti.

124 Secunda opinio est Almaini tract.1.moral.c. *Almainus.* 11.& tract.3.cap.18.posit.3. vbi docet, intentionem efficacem boni finis tunc esse malam quādo intendens videt vnicum esse medium quo finis potest acquiri, idq; malum: vt si intendens dare

dare eleëmosynam videat se eam non posse dare nisi ex furto. secùs tamen esse quando varia occurrunt media, partim mala, partim bona: vt si intendens dare eleëmosynam videat se eam posse dare tam ex suo quàm ex furto, & eligat eam dare ex furto. quo casu ait intentionem esse bonam, etsi electio sit mala: quia hæc non sequitur necessariò ex illa intentione, sed ex libertate & malitia tale medium eligẽtis. Et hanc sententiam sequuntur Gregor. in 2.d.38.q.vnic. a.2. Conrad.1.2.q.19.a.7.ad2. Medina ibid. Hic tamen addit, etsi illa intentio quatenus est præcisè intẽtio, sit bona, quatenus tamen est simul etiam volitio medii, eam esse malam. Sed minùs consequenter loquitur: nam eadem actio interna nequit simul esse bona & mala.

Gregorius. Conradus. Medina.

125 Tertiò, D. Bonau. in 2.d.40.a.1.q.1. Gabr. ibidem a.1.not.2.& art.2.conclus.3. docent, finem bonum dupliciter posse intendi. Primò, sine vllo ordine ad vllum medium, præsertim determinatum ac malum. Secundò, cum ordine ad medium malum. & priore casu volunt intentionem esse bonam; in secundo verò malam; quia implicitè est volitio talis medii. Sed etsi hæc sententia bene intellecta sit vera, tamẽ non satis explicat præsentem difficultatem. nam in secundo casu intentio est mala ratione obiecti sui, in quod virtute siue implicitè fertur, scilicet in malum medium: atque ita intentio ex se bona non vitiatur à mala electione. quod disputandum relinquitur.

Bonauent. Gabriel.

126 Quartò, quidam apud Salas 1.2.tract.7.disp. 3.sect.11.nu.148. docent, intentionem ex obiecto bonam posse vitiari, & absolutè reddi malam præcisè, quia est causa malæ electionis: quia hoc ipso quo aliqua actio est effectiua rei moraliter malæ, est mala; vt ostendi suprà n.70.

Salas.

127 Pro resolutione Nota, me dupliciter posse intendere finem honestum. Primò, formaliter, ita vt ipsum intendam propter propriam honestatem, siue ob rationem formalem necessariò honestam: quod dub.4. ostendi esse necessarium vt intentio sit honesta, siue laudabilis. Secundò, materialiter, vt si velim pauperi dare eleëmosynam, eiusue miseriam subleuare, non quia id honestum est aut hominem decet, aut Deo placet; sed ob finem aliquem indifferentem aut malum: qualis intentio est indifferens aut mala. Ex quo sequitur longè esse aliud nos intendere finem bonum, aliud verò nos eum intendere intentione ex se, siue ex obiecto suo moraliter bona & honesta, qualis illa sola est, quæ priore modo tendit in obiectum: quia hæc sola habet obiectum formaliter honestum.

Dupliciter possum intendere finẽ honestum, scilicet formaliter, & solùm materialiter.

Aliud est nos intendere finem bonum, aliud id fieri intẽtione bona.

128 Nota Secundò, cùm intentio propriè dicta significet voluntatem finis ex parte sua efficacem, omnem intentionem includere implicitè siue virtute volitionem alicuius medii; atque ita ipsum medium suo modo est partiale obiectum ipsius intentionis: illud enim omne est necessariò aliqua ratione obiectum nostræ volitionis quod per eam aliqua ratione verè volumus. Similiter cùm omnis eligens aliquod medium, hoc velit quatenus vtile est ad finem, & propter huius bonitatem & consecutionem, omnis electio necessariò est implicita volitio ipsius finis, atque ita finis est etiam obiectum ipsius electionis, & quidem formale, cùm sit ratio cur medium eligamus.

Omnis intẽtio est implicita volitio medij.

Omnis electio est implicita volitio finis.

Hæc tamen inter hos actus est differentia, 129 quòd, quia electio numquam ponitur nisi præcedente determinata intentione, quæ necessariò fertur in finem aliquo modo determinatum, saltem in bonum in communi (quod tunc in ratione obiecti est determinatum, quia determinatè expetitur) electio etiam necessariò virtute fertur in finem determinatum. Contrà cùm intẽtio semper natura, & sæpè etiam tempore præcedat electionem, & finis possit sæpè obtineri per varia media, & consequenter per varias electiones; hinc intentio non dicit necessariò ordinem ad certam electionem, aut determinatum medium, sed solùm ad medium aut electionem aliquam in confuso. Quia tamen nemo potest finem de facto intẽtum consequi, nisi certa aliqua media eligendo, & consequenter per determinatam electionem (quia nulla actio potest de facto poni nisi certa & determinata;) hinc quando intentio iam actu causat ipsam electionem, sicut necessariò causat certam electionem, & circa certum medium, ita etiam necessariò implicitè in illa determinatè fertur, eaque simili ratione habet pro obiecto: iuxta iam dicta.

Electio necessariò respicit certũ finem.

Intentio nô respicit necessariò certum mediũ:

nequit tamen causare electionem nisi certum mediũ respiciat.

Et ratio est, quia intentio non aliter causat electionem, nisi quatenus inclinat voluntatem vt eam eliciat, nec aliter ita voluntatem inclinat, nisi quatenus est volitio ab ea procedens, siue quatenus voluntas per eam aliquo modo ipsam electionem vult: nam intentio non inclinat voluntatem ad eligendum medium efficiẽter, siue aliquid in ea producẽdo, sed se ipsa formaliter. Confirmatur Primò, quia voluntatem per intentionem inclinari in electionem medii in confuso, est ipsam in confuso electionem velle: ergo eam inclinari in electionem determinatam, est ipsam hanc determinatè velle, non quidem expressè, sed implicitè; sicut qui vult currere implicitè vult mouere pedes. Confirmatur Secundò, quia eiusmodi inclinatio continet absolutam repugnantiam cum nolitione talis electionis, ita vt nulla ratione possit cum ea consistere: cuius non est alia causa, quàm quia est virtualis eiusdem volitio; idque non solùm interpretatiua & secundùm moralem æstimationem (sicut volens causam vult effectum ei necessariò coniunctum) sed vera & realis. nam aliàs sicut possum efficaciter velle talem causam, & simul absolutè desiderare illum effectum ex ea non sequi: ita possem tali intentione efficaciter inclinari ad hanc electionem, & tamen absolutè desiderare eam non sequi. quæ apertè implicant.

130 *Qua ratione intẽtio causet electiõnem medij.*

Hinc sequitur, fieri non posse vt aliquis priùs 131 intendat finem consequi sine ordine ad certum medium, & deinde intendat eum consequi per certum medium, nisi intentio aliquo modo in se mutetur, varietque obiectum; nam non possum rem aliquam velle priùs solùm in confuso, & deinde determinatè in particulari, sine eiusmodi volitionis & obiecti variatione.

Volẽs primò medium in confuso, & deinde determinatũ, necessariò mutat intẽtionem.

Con-

132 Ex bona intentione nequit sequi mala electio.

CONCLVSIO I. Fieri nequit vt ex intentione ex se, siue ex obiecto suo formali verè honesta, siue qua intendo finem honestum qua talem, sequatur mala electio. Probatur Primò, quia sicut se habet conclusio ad antecedens, ita se habet electio ad intentionem: atqui ex antecedente vero impossibile est sequi malam conclusionem: ergo ex intentione honesta nequit sequi mala electio. Secundò, quia cùm intentio non aliter moueat me ad electionem medii; nisi quatenus hoc vtile est ad finem (vnde etiam de essentia ipsius electionis est vt feratur in medium qua vtile ad finem) fieri nullo modo potest, vt intentio moueat me ad medium quod sciam ad finem intentum omnino inutile esse, multoque minùs si sciam id esse noxium & euersiuum ipsius finis: atqui medium malum est inutile, imò etiam noxium ad acquirendum finem honestum qua honestus est: ergo ex huius intentione nequit scienter eligi. Et confirmatur, quia aliàs possem scienter eligere medicinam sanitati noxiam præcisè vt sanitatem acquirerem, & amputationem tibiæ aut compedes vt celeriter currerem. quæ nemo sanus asserat.

133 Dices Primò, Etsi ex vera præmissa nequit per se sequi falsa conclusio, poterit tamen sequi per accidens, ratione alterius præmissæ ei adiunctæ: ergo similiter ex intentione bona poterit sequi mala electio ratione alterius intentionis malæ ei coniunctæ. Confirmatur exemplo; potest enim fieri vt quis ex amore iustitiæ velit satisfacere creditoribus, quia tamen simul est auarus, hæc voluntas per se esset inefficax; sed quia simul offertur occasio furandi atq; ita nocendi inimico, partim vt huic noceat, partim vt illis satisfaciat furatur. vbi est duplex intentio, vna bona, altera mala, quarum neutra per se, vt suppono, eum ad furtum sufficienter moueret: ergo tunc bona intentio coniuncta alteri malæ mouet ad malam electionem.

134 Aliter sequitur electio ex intentione, aliter cõsequens ex præmissis.

Ad argumentum Respondeo, negando consequentiam. Primò, quia numquam ex aliqua propositione siue per se, siue etiam ratione cõiunctionis cum altera potest sequi consequens directè ipsi repugnans, siue contradictorium: mala autem electio directè repugnat honestæ intentioni: ergo ex ea nullo modo potest sequi. Secundò, quia, vt duæ præmissæ constituant vnum antecedens, ex quo per bonam consequẽtiam conclusio inferatur, non est opus vt hæc cum vtraque separatim sumpta habeat aliquam veram connexionem, sed sufficit quòd habeat connexionem cum vtraque simul sumpta; vt patet in hoc syllogismo, *Omnis homo est animal, lapis est homo: ergo lapis est animal.* in quo consequẽs cum maiore secundùm se sumpta nullam omnino habet connexionem. Et ratio est, quia præmissæ ne quidem partialiter & inchoatiuè conficiunt consequentiam prout separatim sumuntur, sed solùm prout sunt coniunctæ & cum omnimoda dependentia inter se. Secùs est in duabus intẽtionibus, præsertim non ita subordinatis, vt vnius finis sit vtilis ad acquisitionem alterius, mouentibus ad electionem eiusdem medii: quæ singulæ per se & sine respectu ad alteram, necessariò mouent ad electionem eiusdem medii, & quidem sub speciali ratione quatenus medium est vtile ad proprium finem & non aliter, etsi fortè singulæ per se sine alterius accessu non moueant sufficienter ad electionem ponendam: quare vtraque per se immediatè & vt distincta ab altera debet habere aliquam connexionem cum electione. sicut cùm duo diuersa ratione eándem nauem mouent, vnus remigando, alter trahendo, necesse est vt vterque per se immediatè impetum nauiimprimat, etsi fortè insufficientem ad eius motum. hinc simul cupiens audire Sacrum in templo, & diligenter studere, numquam vtraque intentione simul poterit moueri ad eligendam mansionem in cubiculo, aut itionem ad templum, sed solùm alterutra ad alterutrum mouebitur. Electio autẽ mala nullo modo potest esse vtilis ad finem honestum, qua talis est, cùm eum potiùs euertat. sicut mansio in cubiculo nequit esse vtilis vt eo tempore audias Sacrum in remoto templo. Quare ad confirmationem Respondeo, etsi talis possit moueri ad furandum, vt soluat debita, quatenus hæc solutio aliquod commodum annexum habet, aut ob similem finem; numquam tamen ad hoc moueri poterit ob honestatem iustitiæ, quæ per furtum nullo modo comparatur, sed euertitur: atque ita casus ibi positus est impossibilis.

Electio procedẽs ex duplici intentione necessariò cum vtraq; separatim sumpta habet connexionem.

135 Dices Secundò, Qui intẽdit solutionem debiti qua honesta est siue ob suam honestatem, intendit etiam ipsam solutionem secundùm suam substantiam: atqui illud furtum ad hanc potest esse vtile: ergo poterit ex illa intentione eligi. Confirmatur, quia potest quis vna actione intẽdere solutionem debiti propter honestatẽ iustitiæ, & quia ipsi ex alia parte commoda est: atqui furtum ex hac parte potest ad illam intentionem esse vtile: ergo poterit ex ea eligi.

136 *D.Thom.*

Respondeo, quidquid sit de maiore in confirmatione sumpta (quam cum D.Thoma 1.2. q.12.a.3. meliùs negaris) nego vtramque consequentiam: scilicet tam obiectionis, quàm confirmationis, quia, cùm per talem intentionem verè intendatur ipsa honestas quæ per eam electionẽ euertitur, ipsa nequit me ad hanc mouere. Quare vt habens eiusmodi intentionem, eligat furtum, necessariò debet priùs desinere efficaciter intendere illam honestatem, ac pergere amare solutionem præcisè propter commodum aliquod, aut ob similem finem. Sicut si quis intendens simul commodè viuere & seruire Deo, videret transitum ad hæresim esse vtilem ad prius, repugnare tamen secundo; non posset illum eligere, nisi priùs desineret efficaciter velle seruire Deo. atque ita ex hac intentione neque per se, neq; per accidens posset ad illud medium eligendum moueri.

137 Dices Tertiò, Medicina ex vna parte noxia sanitati, poterit ex alia parte esse vtilis: v.c. quædã generantia arthritidem sunt vtilia contra calculum, & hac ratione ab eo qui vtroque morbo laborat illa medicina poterit ex amore sanitatis eligi: ergo similiter actio vni particulari honestari repugnans, poterit alteri acquirendæ esse vtilis, v.c. furtum ad honestatem eleëmosynæ,

atque

atque ita poterit propter hanc eligi. Respondeo, negando consequentiam, quia illa medicina non habet in se formalem & immediatam repugnantiam cum sanitate, sed solùm ratione alicuius sui effectus & dispositionis ipsius sumentis, atque ita non omnino & totaliter eius sanitati repugnat: quare ratione diuersorum effectuum quos habet, & ratione diuersæ dispositionis ipsius ægri potest eius sanitati partim repugnare, partim conducere. Secùs est de mala electione, quæ sicut est formaliter & absolutè in se inhonesta, ita formaliter & absolutè omni morali honestati repugnat.

138 Numquam intētio prōpriè vitiatur per electionem.

Conclvsio II. Etsi ex intentione finis materialiter honesti possit sequi mala electio, nulla tamen vnquam intentio finis honesti propriè loquendo vitiatur per electionem malam, tamquam per sui circumstantiam aut effectum ex se secutum, ita vt ratione huius fiat mala, quæ aliàs ex se & obiecto suo erat bona aut indifferens, siue non mala. ita Salas 1.2. tractat. 7. disp. 3. sect. 11. n. 147. & videtur aperta sententia D. Thomæ 1.2. q. 19. a. 2. vbi docet actum voluntatis ex obiecto bonum non posse fieri aliunde malum. Probatur, quia vel illa electio ingreditur aliqua ratione obiectum illius intentionis, & cùm hæc tunc versetur circa obiectum malum, nullo modo potest ex obiecto esse bona, aut etiam indifferens (nam omne obiectum quod continet in se aliquid absolutè malum, simpliciter in ratione obiecti est malum) vel nullo modo ingreditur rationem illius obiecti, & tunc etiam nequit verè sequi siue causari ex illa intentione, sed ad eam se omnino per accidens habet, vt ostendi nu. 129. & consequenter nequit ei tribuere malitiam tamquam illius effectus aut circumstantia: nam ad hoc requiritur vt aliquo modo per se, & non omnino per accidens eam sequatur. Ex quo sequitur solutio argumenti allati pro quarta sententia num. 126. quia intentio quæ non est mala ex obiecto, nequit esse effectiua malæ electionis.

Salas. *D. Thom.*

Intētio nullo modo mala ex obiecto nequit esse causa malæ electionis.

139 Vt hæc clariora sint, Nota aliquem tripliciter posse intendere finem ex se honestum. Primò, cum determinato ordine ad medium malum; vt si intendat dare eleëmosynam ex furto, saltem implicitè, vt si videat se non posse eam aliter dare. & patet hanc intentionem habere partiale obiectum malum, scilicet vsurpationem iniquam rei alienæ.

Secundò, sine vllo determinato ordine etiam implicito ad medium illicitum; vt si velit dare eleëmosynam eo tempore quo id honestè facere potest, nullo modo cogitando de medio illicito ad id vsurpando: & deinde ex auaritia, aliáue occasione eligat eam dare ex furto. quo casu prior intentio non fuit mala, sed ex ea manente omnino eadem & inuariata non sequitur illa electio, sed ex alia intentione mala ei succedente, vt ostendi n. 129. & 130.

Tertiò, cum directo ordine ad medium licitum, intendendo dare eleëmosynam ex suis, & ex hac intentione multò minùs potest sequi mala electio; sed vt hæc sequatur necessaria est alia intentio.

140 Dices, Etsi ex priore intentione per se sumpta nequeat sequi talis electio, poterit tamen ex ea sequi prout erit coniuncta alteri volitioni malæ, sicut ex propositione vera & falsa sequitur consequens falsum. Respondeo, negando assumptum, quia, vt ostendi nu. 134. numquam ex aliqua intentione, ratione alterius volitionis coniunctæ sequitur electio, nisi illa etiam secundùm se, dicat ordinem & inclinet ad eam electionem. quo casu, vt iam ostendi, intentio quæ priùs non dicebat ordinem ad illud medium, necessariò in se mutatur, vt possit ordinem ad illud dicere.

141 Conclvsio III. Omnis electio medii quātumuis ex se boni, si fiat ob malum finem, intrinsecè & ex obiecto suo est absolutè mala, nec vllo modo bona. Idem dicendum est de electione mali medii ob finem bonum saltem materialiter (quia, vt dixi, nequit fieri ob finem formaliter bonum.) Ita Vasquez 1.2. disp. 68. initio. Salas tract. 7. disp. 3. sect. 11. nu. 150. Curiel q. 18. a. 6. concluſ. 2. & 3. Et est per se clara. quia, vt patet ex dictis, talis electio habet obiectum aut formale aut materiale absolutè malum, & consequenter totale eius obiectum siue compositum ex vtroque est absolutè obiectiuè malum. vt patet ex dictis dubio 2. atqui volitio habens obiectum ita absolutè malum, est absolutè & simpliciter mala: ergo illa electio est talis.

Vasquez, Salas. Curiel.

Et ex his est facile soluere obiecta quæ à quibusdam contra hanc & secundam conclusionē obiiciūtur, quia omnia supponunt talē electionem aut intentionem esse ex obiecto absolutè bonam, quod iam ostendi esse falsum.

142 Actus voluntatis imperatus ob aliquem finem non semper est electio.

Hoc solùm hîc Notandum, quosdam in hac materia falli, non distinguentes hæc duo, *Me vnum actum voluntatis alio actu referre*, *aut etiam imperare ob finem ei extrinsecum bonum vel malum*; & *Me eligere aliquod medium ob finem ei extrinsecum siue bonum siue malum.* Quia in priore casu actus relatus nullo modo fertur in obiectum actus referentis aut imperantis, ideoque ab eo non accipit intrinsecam vllam bonitatem aut malitiam; nec etiam ab actu imperante accipit bonitatem aut malitiam extrinsecam, quia hoc solùm potest conuenire actibus externis, vt ostendi dub. 10. In secundo verò casu illa electio habet pro obiecto formali ipsum finem intentum, & in eum implicitè fertur, ideoque ab eo intrinsecam malitiam accipit, si malus sit; aut bonitatem, si tam medium quàm finis bona sint. si tamen medium electum sit malum cognitum tale, electio nequit vllam bonitatem accipere ex fine (etsi hic per impossibile esset formaliter honestus) quia cùm in se mala sit, omnis bonitatis moralis est incapax: quia idem actus nequit esse intrinsecè bonus & malus; &, vt suprà ostendi, actus internus non est capax bonitatis extrinsecæ.

DVBIVM XII.

Vtrùm intentio boni finis minuat malitiam electionis malæ?

143 *Auctor operis imperf.* AVctor operis imperfecti inter libros Chrysost.hom.19.in illud Matth.7.*Omnis arbor bona bonos fructus facit*; docet bonam intentionem tollere omnem malitiam electionis medii mali.his verbis:*Nam ex proposito bono, etiam quod videtur malum, bonum est*; *quia propositum bonum malum opus excusat*.quod pluribus ibi allatis exemplis comprobat. Idem sentit Cassianus collatione 17.cap.17.18.19.& sequentibus,vbi docet,licere ob finem bonum notabilis momenti mentiri. *Cassianus.*

Intelligendi autem sunt hi Auctores non de quibusuis operibus malis,sed de mendacio officioso, & similibus operibus, quæ non continent ita grauem repugnantiam cum natura rationali:nam omnino incredibile est, eos hoc de idololatria, adulterio, & similibus facinoribus vnquam sensisse.

Almainus. Alii, quos citat Almainus tract.2.Moral.c. 12.diffic.2. senserunt talem intentionem nullo modo minuere malitiam operis.

144 CONCLVSIO I. Intentio boni finis numquam per se est causa cur opus aliàs malum licitè fiat. Hæc conclusio apertè sequitur ex dictis dub.11.& patet expresè ex Scriptura. Nam Apostolus ad Romanos 3.v.8. ait eos blasphemare & habere iustam damnationem, qui dicunt: *Faciamus mala vt eueniant bona.* vnde Eccli.34.v. 24.dicitur: *Qui offert sacrificium de substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Ratio est, quia bonum debet esse ex omni parte bonum, & quouis defectu vitiatur: & quia, vt ostendi dub.11.concluf.3. volitio talis operis habet obiectum absolutè malum, & consequenter est mala. *ad Roman.* *Eccli.*

145 Bona intentio quandoque per accidens est causa cur malum medium bene eligatur. Dixi,*numquam per se est causa*. Quia quandoque per accidens ratione inuincibilis ignorantię operâtis,omnino credentis licere aliquando ob finem bonum facere opus aliàs malum, fieri posset,vt ita operans omni prorsus culpa vacaret.

146 *Matth.* Dices Primò, Matth.6.dicitur, *Si oculus tuus simplex fuerit,totum corpus tuum lucidum erit*,id est si intentio fuerit recta & bona,opus quod inde sequetur erit etiam bonum: ergo intentio boni finis iustificat malam electionem. Secundò,licitè occidis inuasorem quando hoc necessarium est ad tui defensionem: ergo bona intentio iustificat malam electionem.

147 Qua ratione bona intẽtio faciat omnia opera bona Ad primum, nego consequẽtiam:quia Christus ibi loquitur de hypocritis qui faciunt multa opera ex obiecto bona ob vanam gloriam, atque ita ea vitiant,ob malam intentionem. & dicit horum vitam futuram bonam, si haberent bonam intentionem. Respondeo Secundò, & magis literaliter, Christum ibi solùm docere id quod docui suprà, scilicet malum opus numquam posse sequi ex bona intentione, & consequenter quamdiu nostra intentio in se recta permanet, futurum vt caueamus ab omni opere prauo, atque ita totum corpus nostrum, siue omnia opera nostra fore lucida, non quidem ita vt opera aliàs mala ratione bonæ intentionis fiant bona; sed ita vt bona intẽtio quamdiu perseuerat,faciat vt quantum in ipsa est nulla mala opera faciamus: quia,etsi ex bono fine malè intento possit sequi mala electio, numquam tamen ex intentione secundùm se recta & bona potest sequi mala electio, vt ostendi dub.11. atque ita generatim omnia opera quæ verè fiunt ex bona intentione,sunt bona; non tamen ea omnia quæ fiunt ex intentione boni finis;quia huius intentio sæpè est mala.

Ad secundum, nego consequentiam: quia tunc occisio non est propriè licita, quia fit bona intentione, sed quia est occisio iniustè inuadentis necessaria ad vitæ defensionem, quæ per se & ex obiecto in dictis circumstantiis licita est.

CONCLVSIO II. Intentio boni finis minuit malitiam malæ electionis. Est iam communis. & expresè eam docet D.August.l.contra mendacium cap.8.vbi ait: *Peior est qui concupiscendo, quàm qui miserando furatur*, vt scilicet det eleëmosynam. Ratio est, quia illa intentio reddit malitiam medii electi minùs voluntariam, & consequenter electionem minùs malam. Idque Primò,quia medium malum quatenus vtile ad bonum finem,induit quamdam speciem boni, atque ita ipsius malitia ex parte occultatur, & redditur eligenti minùs voluntaria,quia minùs cognita. Qua ratione fieri posset vt eius malitia alicui omnino occultaretur, atque ita illud eligens ob inuincibilem ignorantiam omnino excusaretur.Et hac ratione probabile est quandoque aliquos non peccare officiosè mentiendo, non præcisè ratione bonæ intentionis; sed quia inuincibiliter credunt se hîc & nunc ad euitandum graue malum ad hoc teneri.Secundò,quia quando medium malum appetitur ob finem bonum, bonitas finis magis appetitur, quàm malum medium,& eligens hoc non appetit nisi compulsus quodammodo ex necessitate & amore boni finis, atque ita minùs voluntariè id appetit,quàm si id propter se appeteret. 148 *Auguſt.* Qua ratione intentio boni finis minuat malitiã electionis.

Dices Secundò,D.August.l.50. homiliarum hom.7. sub finem, de furante vt det eleëmosynam, ait: *Si totum det pauperibus, quod abstulerat, addit potiùs peccatum quàm minuat*; ergo ea inteutio non minuit peccatum. Secundò,si intentio boni finis minuat peccatum, intentio finis melioris magis minuet: ergo poterit esse intentio finis tam boni vt omnem malitiam tollat. 149 *Auguſt.*

Ad primum, nego consequentiam, quia D. August. non dicit ipsum furtum eo casu esse peius quàm si alio fine fieret(hoc enim falsum est, ipsique,vt patet ex dictis, repugnat) sed ipsam largitionem rei furtiuæ non esse bonam,sed nouum pẽccatum. quia est noua attrectatio rei alienæ inuito domino, qua ipsius recuperatio redditur difficilior. sicut esset etiam nouum peccatum, & quidem peius, si fur in alios vsus eandem rem consumeret. 150

Ad secundum, Respondeo meliorem finem per se non minuere malitiam electionis, sed solùm aliquando per accidens quatenus magis occultat

occultat malitiam medii, aut maius sui excitat desiderium, atque ita efficit vt malitia medii sit minùs voluntaria: quamdiu tamen hanc non omnino occultat, non tollit omnino voluntarium, & consequenter nec peccatum.

DVBIVM XIII.

Vtrùm electio medij ac opus electum, sint semper tam bona, quàm sit ipsa intentio finis?

151 D. Thom. HAnc difficultatem disputat D. Thomas 1.2.qu.19.a.8. eamque 4. conclusionibus explicat, quas hic solùm breuiter ponam, & paucis explicabo. Pro earum tamen intelligentia cum ipso D. Thoma Nota Primò, intentionem posse esse dupliciter meliorem electione ac opere externo. Primò, ratione obiecti, vt si intendas maius bonum quàm possis per medium electum consequi. Secundò, ratione maioris perfectionis intensiuæ, vt si finem intensè ames, & medium remissè eligas ac exequaris, ob difficultatem quam in eo reperis.

Intentio potest dupliciter esse melior electione.

Electio habet duplex obiectum.

Nota Secundò, electionem habere duplex obiectum, scilicet proximum siue medium vtile ad finem: & remotum siue finem ipsum: nam qui expetit medium quia vtile ad finem, implicitè appetit finem.

Vna electio potest dupliciter esse melior alia.

Nota Tertiò, vnam electionem dupliciter posse esse meliorem altera. Primò, in ratione physica, & efficacia ad finem consequendum. Secundò, in ratione perfectionis moralis & meriti.

152 CONCLVSIO I. Bonitas quam habet electio ex obiecto proximo, non semper respondet bonitati finis intenti. Dupliciter enim potest deficere. Primò, quia eligimus medium fini improportionatum: vt si intendam extruere templum quod constaret centies mille aureis, & tantùm vellem dare mille. Et tunc electio opusque electum nec in ratione meriti, nec in ratione efficaciæ respondent fini intento: vt per se patet.

Intentio sæpè non respondet fini intento.

sed eo casu ipsa etiam intentio in se inefficax est, & ex parte solùm quædam velleitas, atque ita nec ipsa respondet bonitati finis siue obiecti sui, præsertim quando hic defectus non prouenit ex impedimento extrinseco, v.c. ex impotentia tantum dandi, aut simili. Atque ita hoc casu propriè loquendo electio non deficit à perfectione ipsius intentionis, sed solùm à perfectione finis intenti. Secundò, quando quis ex parte sua eligit medium efficax ad finem, sed executio impeditur: vt si mittam sufficientem pecuniam pro templo extruendo, sed hæc ab aliis rapiatur. Et tunc etsi electio & executio medii in ratione efficaciæ non omnino respondeant fini intento; respondent tamen in ratione bonitatis moralis ac meriti: quia talis tantum meretur ac si pecunia non fuisset intercepta.

153 CONCLVSIO II. Bonitas tamen quam electio habet ex obiecto remoto, respondet bonitati quam intentio habet ex obiecto. Patet, quia hac ratione ipse finis intentus est etiam obiectum electionis, & quidem ex quo hæc præcipuè bonitatem moralem accipit.

154 CONCLVSIO III. Perfectio intensiua electionis non semper respondet perfectioni intensiuæ intentionis. Quia sæpè finem feruenter amamus, & tamen eius media ob difficultatem, quam in iis apprehendimus, tepidè amplectimur, ac exequimur. Electio tamen etiam illam bonitatem intentionis semper aliquo modo participat. Primò, verè & intrinsecè, quatenus feruentior intentio semper est causa cur voluntas feruentiùs & efficaciùs medium eligat & exequatur, quàm aliàs faceret si intentio esset remissior.

Electio sæpè remissior intentione.

Electio dupliciter participat bonitatem intentionis.

155 Secundò, secundùm quamdam denominationem extrinsecam & communem apprehensionem, qua intentio finis & electio ac executio medii censentur quasi vnus actus, in quo præcipuum locum & quasi rationem formæ obtineat intentio, atque ita toti aggregato suam bonitatem aut malitiam tribuat. Et hac ratione electio censetur aliqua ratione accipere bonitatem aut malitiam ab intentione; sed, vt dixi, impropriè. nam propriè loquendo sunt duo omnino distincti actus non modò in genere physico, sicut actus internus & externus, verùm etiam in genere moris: & consequenter vnus non habet se per modum formæ respectu alterius, nec vllam bonitatem aut malitiam ei propriè communicat, iuxta dicta dub.10.

156 CONCLVSIO IV. Quandoque perfectio electionis, vel potiùs volitionis imperatæ, & perfectio operis externi habent rationem obiecti respectu intentionis siue actus imperantis: vt quando volo feruentem actum pœnitentiæ elicere, multa bona facere, &c. & tunc actus imperati non semper sequuntur quantitatem intentionis siue actus imperantis; quia sæpè proponimus multa bona feruenter agere, & tamen pauca, & quidem tepidè facimus. Ratio est, tum quia voluntas imperans est sæpè ex parte sua inefficax, & ex parte solùm quædam velleitas, quæ occurrentibus in executione difficultatibus statim remittitur ac frangitur. tum etiam quia voluntas nostra non semper habet sufficientes vires, vt quæuis opera heroica prout vellet operetur: sed ad hoc requiritur singularis Dei gratia.

Meliùs sæpè proponimus quàm exequamur.

Sæpè proponimus quæ supra vires sunt.

157 Dices, Ergo tunc in secundo casu tantum quis merebitur, ac si ea opera faceret: quia voluntas pro facto reputatur, quando deest facultas. Respondeo, hoc solùm verum esse quando voluntas est ex se perfectè efficax, & aliunde ab opere externo impeditur. Secùs autem esse quando in se imperfecta & inefficax est, etsi non sit tunc in nostra potestate vt sit perfectior. Quamquam vix credo contingere, vt vnquam tam perfectè amemus virtutem, vt præcisè defectu gratiæ tunc non possimus eam amare perfectiùs; sed semper aliquis defectus est ex nobis. nã Deus qui nos semper cupit in perfectione proficere, ad hoc ex sua parte nõ deest.

Quando voluntas reputetur pro facto.

Vix vnquam amamus virtutem quantum possimus.

DVBIVM XIV.

Qua ratione bonitas actus interni pendeat à circumstantijs?

HOc dubium hîc præcipuè proponitur, vt possimus cognoscere, an actus internus ex obiecto bonus possit fieri malus ratione alicuius veræ circumstantiæ; aut an bonitas eius possit per eam retinentem veram rationem circumstantiæ augeri, vel minui.

158 *D.Thom.* Quid dicatur circumstantia actionis.

Vt hæc meliùs intelligantur, Nota Primò, ex D.Thoma 1.2.qu.7.a.1. id propriè dici circumstantiam alicuius actionis humanæ, quod ei ita coniungitur ac aliquam cum ea connexionem habet, vt eam quidem aliquo modo afficiat, eamque aliqua ratione immutet, & tamen non pertineat ad eius essentiam siue substantiam, neque intrinsecè vt pars essentialis, neque extrinsecè vt obiectum, aliaue similia à quibus actus essentialiter pendet. Atque ita omnis circumstantia se habet instar accidentis respectu actus cuius est circumstantia.

Circumstãtia est accidens actionis.

Nota Secundò, aliquid dupliciter posse alicui actui accidere. Primò, considerato secundùm esse suum naturale. Secundò, considerato secundùm esse morale. & de his solis nobis hîc est disputatio, quia aliæ circumstantiæ non pertinent ad Theologum.

159 Circumstãtia actionis hãc necessariò immutat.

Ex quibus sequitur Primò, id quod actionem nullo modo afficit, siue quod eam neque secundùm esse naturale, neque secundùm esse morale immutat, etsi tempore vel loco ei coniunctum sit, non esse tamen propriè ipsius circumstantiam. vt quòd, dum aliquis dat eleëmosynam, sol luceat aut non luceat. Item ea quæ immutant quidem actionem secundùm esse suum physicum, non tamen secundùm esse moris, non esse huius circumstantias, quatenus consideratur secundùm esse morale. vt quòd aliquis alium hasta aut gladio occidat. quare de his hîc nulla nobis est quæstio.

160 Potest aliquid sub vna ratione esse actioni essẽtiale, & sub alia circumstantia.

Sequitur Secundò, id à quo actus substantialiter pendet, ita vt eo absente nequeat manere idem specie aut etiam numero actus, non posse esse propriè ipsius circumstantiam, saltem secundùm eam rationem, secundùm quam hic ab eo ita pendet. quamuis alia ratione, secundùm quam ab eo non pendet, possit ei esse circumstantia. quæ infrà exemplis illustrabimus.

161 Vnde sequitur Tertiò, sæpè contingere vt aliquid alicui actui sit accidentarium & circumstantia, quatenus consideratur secundùm esse naturæ; quod ei est essentiale, quatenus consideratur in esse moris, vt quando actio ab aliquo extrinseco primo accipit quòd sit bona vel mala. Item aliquando quod actioni secundùm vnam speciem moralem est essentiale, secundùm aliam ei est accidentale.

162 Patet exemplo. furatur quis rem alienam depositam in loco sacro, quæ sit magni pretii. rem hãc esse alienam, aut depositam in loco sacro sunt accidentaria ipsi acceptioni considerate secundùm esse naturæ; quia physicè esset eadem acceptio, etsi hæc abessent. Eam autem esse alienam, constituit eam actionem in specie furti: vt enim hæc acceptio sit furtum necessariò debet esse acceptio rei alienæ: atque ita quatenus habet rationem furti, hoc non est ei accidentale aut circumstantia, sed essentiale. Est tamen ei sub ea ratione accidentale, & consequẽter circumstantia, quòd ea res sit deposita in loco sacro; nam ea acceptio esset verè furtum & iniustitia, etsi res non esset deposita in loco sacro. hoc tamen est necessarium, vt acceptio habeat rationem sacrilegii, ideoque ei sub ea ratione est essentiale. Quòd autem sit magni pretii, est illi accidentarium tam quatenus habet rationem furti, quàm quatenus habet rationem sacrilegii. atque ita hoc simpliciter est circumstantia tam furto, quàm sacrilegio.

163 Qua ratione circumstantiæ dent primam speciẽ moralem.

Sequitur Quartò, aliquas circumstantias dare actui primam speciem moralem, eæ scilicet quæ faciunt vt actio quæ ex obiecto alias esset indifferens, fiat bona vel mala. v.c. ambulare est ex se actio indifferens, si tamen fiat ob bonum finem, erit actio bona moraliter, & contrà erit mala si fiat ob malum finem. Item acceptio alicuius rei ex se indifferens est, si tamen sit acceptio rei alienæ inuito domino erit furtum. vt autem patet ex dictis, etsi hæc possint esse circumstantiæ ipsius actionis quatenus consideratur secundùm esse naturæ, non tamen quatenus consideratur secundùm esse moris: quia ipsa primam speciem moralem ab ea circumstantia accipit: atque ita ei essentialis est. Aliæ verò circumstantiæ transferunt actionem ad aliam speciem in genere moris vel potiùs superaddunt ei secundam speciem: sic rem furtiuam esse depositam in loco sacro, superaddit furto rationem sacrilegii.

Circumstãtia quandoque mutat speciem, quandoque non.

Quædam verò non transferunt rem ad aliam speciem, sed solùm augent vel minuunt eius bonitatem aut malitiam intra eandem speciem. vt quòd res in eleëmosynam data aut furto accepta, sit magni vel parui pretii.

164 Quæ circũstantiæ mutent speciẽ.

Vbi Nota Tertiò, eas circumstantias superaddere actui nouam speciem bonitatis aut malitiæ, quæ, quia ex se habent specialem conuenientiam aut repugnantiam cum natura rationali siue recta ratione, efficiunt vt actui insit aliqua bonitas aut malitia specie distincta ab omni ea, quam priùs secluſa ea circumstantia habebat, siue quæ priorem in suo conceptu formali non inuoluit.

165 Id fit tripliciter.

Potest autem hoc tripliciter fieri. Primò, ita vt actio sine ea nec esset bona nec mala, & tunc dat ei primam speciem moralem: & talis circumstantia est rem, quam accipis, esse alienam; vt patet ex dictis.

Secundò, vt actus secundùm se malus acquirat nouam specie malitiam, quæ priorem non supponit, & potest sine ea existere. vt si quis fornicetur in templo. hæc actio præter fornicationem continet malitiam sacrilegii, quatenus per eam locus sacer violatur: quæ malitia specie distinguitur à priore, & potest sine ea esse. nam si quis in templo sine iusta necessitate cognosceret propriam coniugem, eodem modo violaret

laret sanctitatem loci, & tamen non committeret fornicationem.

166 Tertiò, vt malitia ex circumstantia necessariò supponat in actu aliam malitiam priorem, à qua tamen secundùm intrinsecum suum conceptum distinguitur: talis est malitia adulterii vt sic, quæ consistit in speciali iniuria erga maritum, & contra honorem Sacramẽti in Christianis, atque ita secundùm suum intrinsecum quidem conceptum est distincta à malitia fornicationis, hanc tamen supponit; quia nemo potest in se admittere malitiã adulterii, siue committere illam iniuriam in maritum & Sacramẽtum, nisi simul admittat malitiam fornicationis. Quòd tamen hæ malitiæ secundùm intrinsecos conceptus specie differant, patet, quia prior est præcisè contra castitatem, alia est contra iustitiam & honorem Sacramento debitum.

167 Quæ circũstantiæ non mutent speciem. Contrà verò illæ circumstantiæ non mutant speciem moralem ipsius actus, sed solùm eius bonitatem aut malitiam intra eandem speciem augent aut minuunt; quæ quia ex se non habẽt specialem conuenientiam aut repugnantiam cum natura rationali, etiam actui nullam specialem bonitatem aut malitiam tribuunt, quæ in suo conceptu differat ab omni alia bonitate aut malitia quam ex obiecto secundùm se considerato habet. v.c. rem furto ablatam esse magni pretii, non dat actioni specialem malitiam distinctam ab iniustitia ipsius furti, sed hanc solùm auget, eamque ita intrinsecè includit, vt concipi nequeat vt ab ea distincta.

168 Dices, ex dictis nu.159.& 160. sequi Primò, quantitatem rei furto ablatæ aut in eleëmosynam datæ non esse circumstantiam actus: nam ad eius substantiam pertinet; alia enim numero est acceptio, qua quis accipit 10. aureos, alia qua accipit vnum.

Secundò, ea quæ dant actui speciem moralem bonitatis aut malitiæ, communiter non esse veras circumstantias actionis consideratæ in esse naturali, quia communiter eius esse naturale nullo modo immutant, atque ita respectu illius habent se omnino impertinenter.

169 Qua ratione quantitas rei acceptæ sit circũstantia. Ad primum, Respondeo quantitatem talis rei posse dupliciter variari. Primò, ratione magnitudinis materiæ, vt in exemplo ibi allato. Secundò, præcisè ratione diuersitatis pretii rei acceptæ aut datæ: sæpè enim fit vt eadem res modò sit vilis, modò pretiosa; & tunc patet physicè esse eandem omnino dationem aut acceptionem, siue vilis sit, siue pretiosa; atque ita in hoc casu res non habet difficultatem.

170 In priore autem casu si physicè & propriè loquamur, non potest omnino esse eadem numero actio, quando res in parua, & quando in magna quantitate datur aut accipitur, sed semper necessariò saltem ex parte est diuersa. tamen secundùm æstimationem moralem hæc diuersitas censetur accidẽtalis, quia secundùm hanc non tam æstimatur quantitas rei acceptæ, quàm pretium, ideoque quantitas censetur inter circumstantias non variantes species; quia in ordine ad iudicium morale eodem modo se habet, & eadem ratione illud variat ac si esset vera circumstantia intra eandem speciem, bonitatem aut malitiam augens: ideoque communiter vt talis censetur. Et similis ferè est ratio in duratione ac intensione ipsius actus: quãquam hæc magis accidentalis est actui; nam actus perseuerans absolutè idem secundùm substantiam potest esse modò remissior, modò intensior: atque ita intensio & remissio possunt absolutè dici veræ circumstantiæ actus.

171 Qua ratione circumstantia moralis variet actũ. Ad secundum Respondeo, etsi eiusmodi circumstantiæ non mutent physicè actionem secundùm esse naturæ, hoc secundùm se variando; tamen mutant illud moraliter, efficiendo vt habeat certum esse morale, quod antea non habebat, atque ita illud esse naturale actionis verè moraliter afficiunt. sicut physica accidentia substantiæ suo accessu non mutant hanc substantialiter, verè tamen eam afficiunt & mutant accidentaliter. Et simile est de circumstantijs, quæ actioni habenti vnam speciem moralẽ addunt secundam. v.c. rẽ ablatam furto esse sacrã, non mutat furtũ in specie furti, mutat tamẽ illud furtum afficiendo vt sit simul sacrilegium.

172 Nota Quartò, satis inter omnes constare dari veras circumstantias actionis externæ, tam quæ addant ei nouam speciem bonitatis aut malitiæ, quàm quæ has intra eandem speciem augeant. Sed tota difficultas est de actibus voluntatis, vtrùm in iis dentur etiam veræ circumstantiæ, quæ ipsius bonitatem aut malitiam intra eandem speciem aut etiam extra eam variant. Qua de re variæ sunt sententiæ.

173 Prima docet, nullam dari veram circumstantiam actionis voluntatis, sed omnem variationem quæ in eius bonitate aut malitia reperitur, prouenire ex parte obiecti. Pro hac sententia communiter citantur Gabr. in 2.d.41.a.2.in probatione concluſ.4. & in 3.d.23.q.1.a.1.lit.L. & M. & Durand. in 2.d.28.q.1.a.3. Sed hi loquũtur solùm de actionibus bonis. & in conclusionibus videntur solùm intendere nullas dari circumstantias, quæ dent actioni bonitatem specificam; tamen in probationibus videntur generatim concludere bonitatem actionis internæ non variari nisi ex solo obiecto. & fortè senserunt idem contingere in actionibus malis ipsius voluntatis, quia si eorum rationes absolutè sumptæ essent veræ & efficaces, valerent etiam in actionibus malis. *Gabriel.* *Durand.*

174 Probatur hæc opinio Primò, quia nihil dat actioni internæ bonitatem aut malitiam, nisi sit volitum: atqui quidquid est volitum, est obiectum actus voluntatis: ergo non potest esse eius circumstantia: quia obiectum habet se essentialiter respectu actus, circumstantiæ verò accidẽtaliter. Confirmatur, quia sicut se habet cognitum ad cognitionem, ita se habet volitum ad volitionem: atqui omne cognitum habet ratione obiecti respectu cognitionis; & si mutetur, hanc substantialiter variat, ideoque nequit esse eius circumstantia: ergo idem dicendum est de quouis volito respectu volitionis.

Probatur Secundò, quia D. Thomas 1.2.qu. 19.a.2. docet, bonitatem actus voluntatis pendere ex solo obiecto. *D.Thom.*

175 Secunda sententia generatim docet, actui interno conuenire circumstan-

tias,non solùm quæ varient eius bonitatem aut malitiam intra eandem speciem; sed etiam quæ decet ei certam speciem bonitatis vel malitiæ.

Medina. Ita Medina 1.2.qu.18.a.4. vbi generatim docet, omnem circumstantiam actus externi esse etiam circumstantiam actus interni.

Probat Primò, quia actus internus & externus sunt in genere moris eiusdem speciei, imò vnus idemque actus: ergo circumstantiæ vnius sunt etiam circumstantiæ alterius. Secundò, quia valor & meritum operum primò & præcipuè conuenit actui interno: ergo circumstantiæ quæ augent meritum, sunt circumstantiæ actus interni. Tertiò, quia actus interior potest imperari ab alio actu interiori: atqui ille tunc accipit ab hoc bonitatem aut malitiam distinctam ab ea, quam habet ex obiecto: ergo tunc actus imperans est circumstantia actus imperati.

176 Sed hæ rationes nihil conuincunt. Ad primam, nego consequentiam: nam sicut non obstante, quòd illi actus sint idem actus in genere moris, manent tamen secundùm se & in esse naturæ actus absolutè distincti habentes diuersa omnino obiecta, & distinctas essentias; ita etiam habent diuersa accidentia, & quod vni est essentiale potest alteri esse accidentale: v.c. vult aliquis ire ad templum vt oret, finis intentus est omnino extrinsecus & accidentarius tali actui externo (nam hic esset omnino eadem actio, si fieret ob alium finem) est tamen obiectum formale ipsius volitionis; nec potest finis ille mutari, nisi mutetur essentialiter dicta volitio. Quod non solùm verum est de ipsa intentione finis (vt vult Medina suprà) sed etiam de ipsa electione medii: nam hæc fertur in obiectum qua vtile ad talem finem, atque ita habet pro obiecto formali ipsam vtilitatem ad finem, quæ necessariò ad diuersos fines, diuersa est; & consequèter obiectum formale electionis & ipsa electio sunt diuersa, quoties diuersi fines intenduntur.

Ex diuersò fine non solùm intētio, sed etiam electio mutatur. Medina.

Ad secundam, nego consequentiam: quia hæ circumstantiæ possunt solùm esse circumstantiæ respectu actus externi, & pertinere ad obiectum actus interni, vt patet ex fine extrinseco, ad quem actus externus refertur.

Ad tertiam, nego minorem. suprà enim dub. 10. ostendi non esse veram.

177 Probatur ergo hæc sententia Quartò, quia quando quis vult furari rem in templo depositam præcisè quia ipsi commoda est; hanc rem esse depositam in templo est eius volitioni consideratæ secundùm esse naturæ omnino accidentale. nam eadem omnino esset volitio si illa res ibi casu esset & non deposita, aut si locus ille non esset sacer: ergo hæc conditio est illi volitioni consideratæ secundùm esse naturæ vera circumstantia. Consequentia patet: nam id quod actionem consideratam secundùm esse naturæ accidentaliter afficit, mutans eam in genere moris, est eius circumstantia: atqui illud est tale respectu actus interni: ergo est eius circumstantia.

178 Dices, Talis fur non solùm vult accipere eam rem secundùm se, sed etiam vult eam circumstantiam: quia vult accipere rem depositam in loco sacro; atque ita ipsa circumstantia & violatio loci sacri se tenent ex parte obiecti. Respondeo, ipsum solùm interpretatiuè velle eam circumstantiam siue violationem loci sacri, formaliter autem & directè eam nullo modo velle: atque ita ea circumstantia sicut solùm accidentaliter pertinet ad obiectum illius volitionis, ita etiam solùm accidentaliter pertinet ad ipsam volitionem, siue hanc spectes præcisè secundùm rationem suam physicam, siue etiam quatenus habet præcisè rationem furti; vnde etiam secundùm vtramque rationem maneret omnino eadem, etsi abesset ea circumstantia, non minùs quàm actus externus maneret idē: ergo respectu vtriusque est eodem modo accidentalis, & consequenter circumstantia. Confirmatur, quia illa circumstantia non minùs pertinet ad obiectum actus externi quàm interni: nam sicut hic est volitio acceptionis rei loco sacro depositæ, ita ille est acceptio rei loco sacro depositæ: ergo respectu vtriusque eodem modo aut est aut non est circumstantia.

Et hinc patet solutio primi argumenti allati pro prima sententia. nam vt aliquid det malitiam actioni internæ, sufficit quòd sit volitum interpretatiuè, quod ipsi volitioni secundùm se accidentarium est, & consequenter circumstantia. 179

Ad confirmationem, nego maiorem: nam nihil potest esse cognitum nisi cognitio physicè & realiter in illud saltem implicitè feratur: quod non requiritur vt aliquid possit dici quacumque ratione volitum, vt patet in iis quæ solùm sunt volita interpretatiuè & secundùm æstimationem moralem. Adde, etsi, vt aliqua circumstantia det volitioni speciem malitiæ, necesse sit vt sit aliquo modo volita, secùs tamen esse de circumstantiis quæ eius malitiam solùm augent aut minuunt intra eandem speciem. vt ostendam conclus. 1. Ad auctoritatem D. Thomæ respondebo infrà concl. 1.

Differentia inter volitionem & cognitionē.

Vt autem hac in re clariùs procedamus, & veritatem eruamus, distinguendum est Primò, inter circumstantias mutantes speciem, & eas quæ solùm augent bonitatem aut malitiam. Quia priores se tenent ex parte obiecti, & hoc immediatè afficiunt, ipsam verò volitionem solùm mediante obiecto, & quatenus in eo aliqua ratione saltem interpretatiuè volitæ sunt. secùs ferè est de secundis: quare hæ magis propriè dicuntur circumstantiæ ipsius actionis, quàm illæ. 180

Differentia inter circūstantias mutantes speciē, & alias.

Idem distinguendum est inter actiones bonas & malas: est enim inter hæc omnia valdè diuersa ratio, vt mox patebit.

Conclvsio I. Dantur veræ propriæ, & immediatæ circumstātiæ actus interni tam boni quàm mali, augentes aut minuentes earum bonitatem aut malitiam. Est ferè communis, vt patet ex Vasquez 1.2.disp.30.n.3. & disp.57.c.1. & Salas 1.2.tractat.4.sect.1. Patet, quia intentio & remissio actus, maior aut minor libertas, personæ operantis dignitas, &c. augent vel minuunt ipsius bonitatem aut malitiam, & tamen non sunt de substantia ipsius actus: nam manente actu secundùm suam substantiam eodem numero, imò omnino inuariato (vt, si sola digni- 181

Vasquez, Salas.

dignitas personæ mutetur) illa possunt variari: ergo sunt ei accidentaria, & consequenter circumstantiæ.

182 Dices, Omnes hæ circumstantiæ habent rationem obiecti respectu actus voluntatis: ergo non sunt ipsius circumstantiæ saltem immediatè. Antecedens probatur, quia eliciens v.c. amorem castitatis, non solùm vult ipsam honestatem castitatis, sed etiam vult eam tam intensè aut remissè amare; item cum tanta dignitate, aut indignitate suæ personæ, aliisque similibus personæ aut obiecti circumstantiis: ergo hæc omnia sunt ab eo volita, & consequenter habent rationem obiecti. Confirmatur, quia nihil potest augere bonitatem aut malitiam actus, nisi sit volitum: atqui quidquid est volitum, habet rationem obiecti respectu volitionis: ergo quidquid huius bonitatem aut malitiam auget, habet rationem obiecti.

183 Non omnis circumstantia actus auges eius bonitatem aut malitiam, debet esse volita.

Ad argumentum contrarium eiusque probationem, nego antecedens. Primò, quia videtur per se absurdum dicere intentionem aut remissionem ipsius actus, cùm sint aliquid ipsius actus, habere rationem obiecti respectu ipsius actus, atque adeò hunc esse obiectum sui ipsius. Item videtur omnino absurdum, elicientem amorem castitatis habere pro obiecto suo etiam partiali dignitatem suæ personæ, & eodem actu hanc velle. Secundò, quia, etsi eliciens talem actum posset aliqua ratione dici velle circumstantias augentes eius bonitatem, non tamen eã minuentes, v.c. indignitatem suæ personæ, &c. Tertiò, quia eliciens talem actum sæpè aut non aduertit quàm intensè aut remissè, aut quàm dignus aut minùs dignus actum eliciat; aut etiam hæc omnino ignorat: ergo saltem tunc hæc non possunt habere rationem obiecti, quia nihil potest esse volitum, nisi sit actu cognitum; & certum est etiam eo casu bonitatem aut meritum ipsius actus augeri aut minui ex illis circũstantiis. Nam aliàs maximi Sancti, qui ex summa humilitate reputãt se habere minimam gratiam, aut etiam se esse peccatores, non magis cæteris paribus, suis bonis operibus mererentur, quàm si reuera tales essent quales se reputant. Item existens in peccato mortali, qui omnino crederet se esse in gratia, eliceret actum castitatis tam bonum & meritorium, ac si esset in gratia. Item habens actum valdè intensum, si super hoc non reflecteret, aut etiam quia ex humilitate omnia sua parui facit, verè crederet suum actum esse remissum, non plus mereretur, quàm si verè remissus esset. Quæ omnia absurda sunt.

Ex quibus patet responsio ad confirmationem. Maior enim solùm est vera in circumstantiis, quæ se tenent immediatè ex parte obiecti, ideoque non afficiunt volitionem, nisi quatenus saltem interpretatiuè volitæ sunt.

184 Dices Secundò, Actus voluntatis super se ipsum reflectitur: eodem enim actu quo aliquid volo, etiam volo me hoc velle: ergo ipse vnà cum circumstantiis quibus hîc & nunc fit, siue quibus ipse afficitur & aliqua ratione mutatur, habet rationem obiecti respectu sui ipsius; atque ita saltem hac ratione omnes eæ circumstantiæ se tenent ex parte obiecti. Respondeo Primò, hæc saltem non habere locum in iis circumstantiis, quæ ab operante ignorantur: hæ enim nulla ratione possunt ab eo etiam per actum reflexum esse volitæ; & tamen, vt iam ostendi, hæ etiam verè augent vel minuunt bonitatem aut malitiam actus voluntatis.

Actus non habet suam bonitatem aut malitiã prout reflectitur super se.

Respondeo Secundò, actum voluntatis habere suam bonitatem aut malitiam propriè, non prout reflectitur virtute super seipsum, sed prout talis operans per eum directè tendit in tale obiectum; vt sic autem seipsum non habet pro obiecto; & consequenter hac ratione, atque adeò quatenus habet propriè bonitatem aut malitiam, supradicta erunt ei veræ circumstãtiæ.

185 *D. Thom. Medina. Vasquez.*

Ad auctoritatem D. Thomæ allatam n. 174. varii variè respondent, vt patet apud Medinam in eum articulum, & Vasquez disp. 51. c. 1. Quibus omissis Respondeo Primò, D. Thomam ibi non agere de quibusuis circumstantiis, sed solùm de iis, quæ mutant speciem: vt patet ex §. *Sed contra*, & responsione ad 2. Nullibi igitur negat bonitatem aut malitiam posse augeri aut minui per circumstantias; sed solùm asserit, *Bonitatem voluntatis pendere ex eo solo, quod per se facit bonitatem actus, scilicet ex obiecto.* clarè ostendens se loqui de bonitate, qua actus primò & per se bonus est; non autem de ea, qua est minùs vel magis bonus. Respõdeo Secundò, etsi D. Thomas ibi quandoque per accidens faciat mentionem actionis malæ; tamen nullibi negat huius malitiam pendere à circumstantiis; loquendo etiam de malitia, mutante speciem. Quare D. Thomas ibi solùm docet secundam nostram conclusionem.

186 Dices, D. Thomas ibi distinguit actum internum ab externo, docetque huius bonitatem pendere à circumstantiis, illius autem non: atqui hoc nequit intelligi de bonitate specifica, quia hanc etiam actus externus habet ex solo obiecto: ergo debet intelligi de augmento bonitatis. Respondeo, nego minorem, eiusque probationem. nam quando actus externus refertur ad finem extrinsecum, accipit ab hoc bonitatem aut malitiam specificam, & quidem sæpè eam, qua primò malus est vel bonus, vt quã do actus ex obiecto indifferẽs refertur ad finem bonum aut malum: & tamen eo casu ille finis eiusque intentio nullo modo ingrediuntur rationem obiecti illius actus externi.

Actus externus potest habere primam speciẽ bonitatis aut malitiæ ex circumstantiis.

187 Circumstantia nequit tribuere primam speciẽ bonitatis.

Conclvsio II. Actus internus numquam accipit primam aut etiam specificam bonitatem ab aliqua circumstantia, loquendo de vera circumstantia etiam ipsius subiecti, siue quæ quacumque ratione ita sit circumstantia vt actus ab ea etiam secundùm esse suum naturale essentialiter non dependeat, siue quę possit abesse manente actu eodem, etiam secundùm esse suum naturale. & hoc est quod docet D. Thomas dicta q. 19. a. 2. Ratio est, quia, vt ostendi suprà dub. 4. & dub. 8. concluſ. 2. vt actus voluntatis sit bonus, debet expresè & directè ferri in obiectum qua bonum, ideoque sine physica sua mutatione nequit fieri de non bono bonus, aut contrà. Quare nihil potest ei tribuere specificam bonitatem, nisi sit ei aliquo modo essen-

D. Thom.

tiale; & consequenter quidquid tribuit ei specificam bonitatem, nequit ei esse circumstantia; quia hæc debet ei esse accidentalis.

188 tribuit tamè malitiam specificam.

Conclvsio III. Respectu actionis voluntatis malæ non solùm dantur circumstantiæ augentes malitiam, sed etiam ad nouam malitiæ speciem eam transferentes. Ita Salas 1.2. tract. 4. sect. 1. Patet ex dictis suprà n. 177. in 4. probatione secundæ sententiæ. Quia tamen hæ circumstantiæ quatenus tribuunt actioni talem speciem malitiæ, sunt interpretatiuè volitæ, eique omnino essentiales, sub ea ratione non sunt circumstantiæ. atque ita non sunt omnino absolutè circumstantiæ, sed solùm ex parte, & secundùm certam considerationem, vt ibidem etiam latiùs ostendi. Quare alii nolunt eas vocare circumstantias: sed eadem ratione debent similes circumstantias negare etiam in actionibus externis, atque ita contra communem sententiam tollere omnes circumstantias mutantes speciem: nam circumstantiæ transferentes actum ad certam speciem bonitatis aut malitiæ, non sunt circumstantiæ respectu actus considerati in tali specie; vt ostendi n. 161.

Salas.

Circumstantiæ mutātes speciem sunt solùm circumstantiæ secundùm quid.

189

Conclvsio IV. Fieri nequit vt actus internus ex obiecto suo essentiali, siue à quo speciem suam physicam accipit, bonus, fiat ex aliqua circumstantia malus. Hæc est etiam aperta sententia D. Thomæ dicta qu. 19. a. 2. ad 2. vbi eam apertè docet. & sequitur ex dictis dub. 8. concluſ. 2. vbi ostendi omni actui interno bono, bonitatem omnino necessariò annexam esse, ita vt ab eo manente secundùm speciem eodem separari nequeat. Et confirmatur, quia, vt actus internus sit bonus, debet ferri in obiectum qua honestum; & vt sit malus, debet saltem interpretatiuè ferri in malitiam, ita vt hæc per eum sit volita: atqui fieri nequit, vt eodem actu simul velim eandem rem qua honestam, & qua inhonestam (hæc enim tam respectu ipsius actus, quàm respectu ipsius obiecti contrarietatem inuoluunt, ita vt simul eidem inesse nullo modo possint:) ergo fieri nequit vt actus internus secundùm speciem suam physicam sit honestus, & ex circumstantia malus.

D. Thom.

DVBIVM XV.

Vtrùm omnis actio quæ fit eo tempore, quo sponte omittitur actus præceptus, si sit incompossibilis cum actu præcepto, debeat dici causa illius omissionis & peccatum?

Hæc difficultas hîc nobis explicanda est, vt meliùs intelligantur ac firmiùs probentur dicta dub. 8. & 14. scilicet actum internum ex obiecto bonum non posse vitiari ex circumstantiis.

190 Prima sententia docet, nullum eiusmodi actum si aliàs ex obiecto sit bonus, esse malum præcisè quia fit eo tempore, quo omittitur actus præceptus, siue sit causa huius omissionis, siue non. Pro hac citatur Durand. in 2. d. 35. q. 2. vbi videtur eam insinuare; tamen verba eius possent in bonum sensum accipi. & sententia illa ita generatim intellecta non est probabilis.

Durandus.

Secunda docet, omnem eiusmodi actum esse causam ipsius omissionis, & consequenter peccatum. Ita videtur tenere Capreolus in 2. d. 35. qu. 1. a. 3. ad 2. probationem primi argumenti contra Durandum. 191 *Capreolus.*

Probatur Primò, quia facere aliquem actum tempore prohibito est peccatum: atqui eodem præcepto, quo præcipitur aliquis actus certo tempore fieri, prohibetur eodem tempore fieri omnis actus cum actu præcepto incompossibilis: ergo si talis actus tunc fiat, erit peccatum: quia fiet tempore prohibito. Secundò, quia omnis actio, ex qua necessariò sequitur peccatum, est peccatum: atqui ex tali actu necessariò sequitur illa omissio, quæ est peccatum: ergo ille actus est peccatum.

Sed hæc sententia est valdè difficilis. nam hinc sequitur eum, qui quia imaginatur sibi in templo non tribui satis honestum locum, aut ob similem vanam causam, statuit primò die Dominica illud non adire, & Sacrum omittere; & deinde ne tempore Sacri vagando per plateas aliis scandalo sit, statuit manere domi, ac ne tempus otiosè trahseat, domi orat Deum, aut eleemosynam largitur pauperibus, aliaúe similia opera facit: sequitur, inquam, talem in his omnibus peccare. quod nimis durum est, & sine ratione dicitur, vt patebit ex solutione argumentorum, quæ pro secunda sententia adferuntur. 192

Ad primum igitur argumentum contrarium, nego, minorem vniuersaliter sumptam & per se loquendo esse veram: nam eiusmodi actus non prohibentur, nisi fortè per accidens, quatenus sunt causa omissionis; & consequenter quando ipsius non sunt causa, nullo modo prohibentur. Non omnis actus incōpossibilis cũ actu præcepto, est prohibitus.

Ad secundum, nego minorem generatim sumptam: nam quandoque illa omissio nullo modo sequitur ex illis actibus, sed potiùs contrà illi actus sequuntur ex omissione tamquam ex occasione, vt patet in dicto exemplo.

Tertia sententia inter has media docet, non omnem eiusmodi actum esse peccatum, sed illum solùm, quem statuens omittere actum præceptũ primò decernit exercere incompossibilẽ actui præcepto. Actum autem latè sumit prout complectitur etiam stationem, sessionem, mansionem domi, & similia. Itaque in dicto exemplo aiunt solam mansionẽ domi esse peccatum, reliquas verò actiones posse esse bonas. Ratio eorum est, quia prima illa actio est omnino necessaria in se aut in alia simili vt omissio possit poni, & consequenter vt voluntas omittendi sit efficax: fieri enim nequit, vt quis de facto omittat audire Sacrum, nisi ponat aliquem actum illi incompossibilem, atque ita huius positio est executio illius omissionis, & consequenter est causa illius; sicut acceptio gladii aut similis instrumenti est medium necessarium, & consequenter causa percussionis inimici. Reliquæ verò actiones cùm non sint necessariæ vt omissio fieri possit, non sunt ipsius causa, & consequẽter nec peccatum. Ita Sayrus in Thesauro Casuum l. 2. c. 6. n. 11. 12. 13. & quidam alii. 193 *Sayrus.*

Sed

194 Sed nec hæc sententia satisfacit : nam si eius ratio aliquid probaret, probaret omnes omnino illas actiones, quæ tempore illius omissionis exercentur, esse peccata. Quia sicut prior illa actio vel alia ei similis est necessaria vt omissio poni possit, ita eodem modo reliquæ omnes, aut iis similes necessariæ sunt vt prima actio possit poni, & consequenter vt possit poni omissio. Nam sicut nequeo omittere Sacrum nisi aut maneã domi, aut aliò eam, ita nequeo manere domi, nisi aut sedeam aut iaceam aut stem; item nisi vigilem aut dormiam, aut studeam aut orem, aut eleëmosynam dem, aut aliam actionem his repugnantem exerceam, aut otiosum me contineam; item nisi manus pedesque moueam, aut quietos habeam, loquar aut sileam. Quare aut hæc omnia erunt executio illius omissionis, eiusque causa & peccata, aut consequenter dicendum est fieri posse vt nihil horum sit peccatum.

195 Quænam actiones tempore omissionis factæ sint peccata.

Conclvsio I. Actiones quæ fiunt eo tempore, quo actio præcepta omittitur, sunt peccata. Primò, quando ideo hanc omitto vt illas exerceam. vt si omittam Sacrum vt studeam: tunc enim studium est causa finalis illius omissionis. Secundò, quando eas expresè ideo facio vt omittam actionem præceptam. vt si maneam domi, aut vrbe excedam ne audiam Sacrum : quia hæ actiones assumuntur vt media ad malum finem, atque ita expressa intentione mala fiunt. & de his actionibus nequit esse dubium : omnesque fatentur esse malas.

196 Conclvsio II. Quando quis primò absolutè statuit ob alium finem omittere actum præceptum, & postea ob alium omnino finem facit alias actiones etiam actui præcepto incompossibiles; hæ non vitiantur ex illa omissione, & consequenter si aliàs bonæ sint, nihil prohibet, quin benè fiant ; nisi omittens per eum actum reddat se omnino impotentem implere actum præceptum. vt si nauigans sacerdos proiiciat breuiarium in mare, quod vnicum in naui est; aut tempore quo tenetur audire Sacrum aliquis, tam procul recedat à templo, vt sit ei impossibile tempestiuè redire vt Sacrum audiat. Tunc enim illa proiectio breuiarii, aut recessio à templo esset peccatum etiam in eo, qui priùs omnino statuisset non legere Horas, nec Sacrũ audire. Ita Medina 1.2.q.71.a.5.§. *Sed magna est quæstio.* Angles in 2.d.37.qu.2.diffic.4. Azor to.1.Moral.l.4.c.3.q.5. Salas 1.2. tract.13.disp.2. sect.6. & alij.

Medina. Angles. Azor. Salas.

Prior pars probatur, quia talis actus nequit ex illa omissione vitiari nisi eius aliquo modo sit causa, vt per se patet, & ferè communiter omnes fatentur : atqui in casu præsenti ille actus nullo modo est causa omissionis : ergo ab ea non vitiatur. Minor patet, quia omissio non sequitur ex hac actione, nec ideo illa ponitur quia hæc posita est, sed potiùs contrà hæc ex illa sequitur: ideo enim talis hanc actionem facit quia omittit Sacrum, atque ita omissio Sacri est potiùs, licet per accidens, causa illius actionis.

Confirmatur, quia illa actio nec est causa finalis illius omissionis, quia omissio non fit vt actio illa ponatur, vt iam suppono : nec etiam effectiua aut quasi effectiua per modum medii, quia, vt iam suppono, illa actio non exercetur vt actus præceptus omittatur, sicut assumitur gladius vt aliquis percutiatur: nec etiam per modum executionis, quia illa omissio non consistit in aliquo positiuo, sed in pura non positione actus præcepti : ergo nullo modo est eius causa.

197 Nec refert quòd non possit illa omissio poni, nisi simul ponatur illa actio, vel alia similis. Quia inde solùm sequitur illi omissioni per accidens ratione conditionis ipsius omittentis, cui impossibile est tunc nullibi esse, aut ab omni omnino actione ita latè sumpta cessare, necessariò annexam esse aliquam eiusmodi actionẽ. vnde non sequitur eo casu omissionem sequi ex hac actione, sed potiùs hanc actionem per accidens necessariò sequi ex illa omissione, aut saltem ei coniunctam esse. Ex quibus patet solutio argumenti allati pro tertia sententia. nam talis actio nullo modo est executio omissionis, aut similis illi acceptioni gladii, quo alter verberatur.

Dixi, *Nisi omittens per eum actum*, &c. quia eodem præcepto quo talis tenetur legere Horas, implicitè vetatur se reddere impotentem eas legere, atque ita se reddens impotentem contra illud præceptum peccat. præsertim cùm per hoc omnimodam sibi necessitatem imponat exequendi malam voluntatem, siue omittendi rem præceptam. quod sine dubio est malum.

198 Dices, Omnis exercens actum incompossibilem actui præcepto eo tempore quo hunc tenetur facere, per illum reddit se impotentem hunc facere. v.c. manens tempore Sacri domi reddit se impotentem id audire : ergo peccat. Confirmatur, quia, sicut qui instante tempore audiendi Sacri longiùs à templo recedit quàm vt possit tempestiuè ad id redire, illo recessu se reddit impotentem audire Sacrum ; ita etiam diutiùs manens domi donec nequit tempestiuè templum adire, reddit se impotentem audire Sacrum : ergo sicut ille peccat suo recessu, ita hic sua mansione.

199 Ad obiectionem eiusque confirmationem, nego antecedens: solus enim ille actus me propriè reddit impotentem facere actum præceptum, qui ex se me ponit in aliquo statu hîc & nunc repugnante cum impletione præcepti, vt fit, cùm quis proiicit suum breuiarium, ita vt nec illud nec aliud possit recuperare. aut quando longiùs recedit à templo, ita vt non possit tempestiuè redire vt audiat Sacrum. nam per talem proiectionem aut recessum directè reddit sibi actum præceptum impossibilem. Per has enim actiones ponit se in statu incompossibili cum impletione præcepti, ita vt non sit in eius potestate eum statum quatenus est impedimentum impletionis præcepti, tempestiuè tollere.

Secùs est in manente domi dum Sacrum audiendum est, quia hic non ponit se in nouo statu incompossibili cum actu præcepto, sed solùm omittit adhibere media necessaria vt possit audire Sacrum : atque ita non redditur impotens implere præceptum propriè & formaliter per

per illam mansionem, sed partim per lapsum temporis, partim per omissionem istorum mediorum, siue per non itionem ad templum. Vnde hæc omissio est peccatum, non autem illa mansio formaliter sumpta.

200 Nec refert quòd studium cui tunc fortè incumbit, positiuè repugnet auditioni Sacri aut lectioni Horatũ, quia cùm in eius potestate sit hoc continuò abrumpere, per hoc non ponit se in statu incompossibili cum præcepti impletione; sicut nec is qui suum breuiarium deponit tali loco, vnde cùm libuerit possit illud recipere. Quia neuter per eiusmodi actum præcisè reddit sibi impletionem præcepti difficiliorem, multò minùs impossibilem: quod tamen requiritur, vt quis dicatur se ponere in statu repugnante cum præcepti impletione.

201 Omissio actus præcepti communiter coniũcta actui malo, potest tamen nõ esse ei coniũcta.

Ex his patet Primò, etsi communiter libera omissio actus præcepti sit coniuncta cum aliquo actu, qui eius sit causa, & consequenter peccatum; quia communiter spõte eum actum omittentes id faciunt positiua volitione, quæ sine dubio peccatum est; & ex amore alicuius actus, qui cum impletione præcepti aut nullo modo, aut difficulter possit consistere; ideo que illud omittunt, vt hunc faciant. Tamen absolutè loquendo potest contrarium fieri non solùm in omissione actus interni; sed etiam externi. vt si quis parum curans præcepta Ecclesiæ, ideoque solitus omittere auditionem Sacri, aduertens iam esse tempus illud audiendi maneat domi: atque ita illud omittat sine vlla positiua circa illud volitione aut nolitione: nec ob amorem alicuius alterius rei auditioni Sacri incompossibilis, sed quia præcepta Ecclesiæ non curat.

202 Patet Secundò, vt actus internus factus eo tempore quo omittitur alius actus præceptus, sit huius causa, ac ratione illius peccatum; necesse esse vt per eum expressè velim eam omissionem, aut ideo omittam actum præceptum vt alium illum actum eliciam, eiúe liberiùs inhæream, atque ita per hunc actum implicitè saltem velim eam omissionem, sicut volens efficaciter finem implicitè vult medium. Vnde sequitur, implicare actum internum ex obiecto honestum esse causam omissionis actus hîc & nunc præcepti, vt ostendi dub.8.n.105.

Petes demum, vtrùm actus siue internus siue externus, qui est causa omissionis actus præcepti, sit peccatum omissionis an commissionis? Gabriel in 2.d.41.a.3. dub.3. Valentia 1.2. disp.6.qu.1.puncto 4. & quidam alii aiunt esse peccatum commissionis. quia consistit in aliquo actu. Contrà Vasquez 1.2.disp.93.c.3. docet esse peccatum omissionis.

Gabriel. Valentia.

Vasquez.

203 Vtrùm actio causans omissionem sit peccatum omissionis an cõmissionis.

Sed dicendum Primò, voluntatem qua explicitè vel implicitè volo illam omissionem, metaphysicè loquendo esse peccatum commissionis; quia est verus realis actus difformis naturæ rationali, in quo consistit ratio peccati cõmissionis. Tamẽ secundùm æstimationem moralem & in ordine ad confessionem, potest dici peccatum omissionis, quia habet eandem specie malitiam cum nuda omissione, etsi fortè paulò grauiorem. Ratio est, quia, vt illa omissio sit peccatum formale siue culpabilis, debet esse voluntaria & libera, & consequenter interpretatiuè volita; quòd autem aliquid sit volitum expressè, aut solùm interpretatiuè, non mutat speciem peccati, præsertim quando vtrumque est voluntarium in se, & non solùm in causa. Et ad summum quod expressè est volitum, est aliquanto grauius peccatum: sed hic excessus non est tantus. Eadem que hîc est ratio, quando quis sponte facit aliquid quo fit impotens implere præceptum.

Dico Secundò, actus externus, qui est causa finalis ipsius omissionis, siue ex cuius amore actus præceptus omittitur, habet omnino eandem malitiam cum ipsa omissione, siue cum volitione siue expressa, siue interpretatiua, qua omissio est volita. Patet, quia hic solùm est malus denominatione extrinseca participata ab illa volitione, qua omissio alterutro modo est volita. 204

Quare in omnibus his casibus, nisi aliunde aliquod peccatum contrahatur (vt quia actus interim commissus habet specialem malitiam) sufficiet confiteri ipsam omissionem actus præcepti, nec est opus addere in quem finem omissus sit, aut an omissio expressè an solũ interpretatiuè sit volita. Ita Vasquez suprà, & Salas 1.2. tract.13.disp.2.sect.7. & 8. & alii communiter. vide plura tomo meo 2. de Sacramentis disp.7. nu.24. Addiderim tamen, quando quis nauigaturus, postquam statuit non legere Horas, abiicit breuiarium, illudúe sponte domi relinquit, ex directa intentione se reddendi impotentem legere Horas, & vt nequeat postea efficaciter mutare voluntatem non legendi; eiusmodi circumstantiam valdè augere malitiam peccati, præsertim cùm videatur includere aliquem contemptum erga præceptum Ecclesiæ: atque ita saltem omnino consulendum esse, vt hoc in confessione exprimatur. 205 Sufficit confiteri omissionem actus præcepti. *Vasquez. Salas.*

DVBIVM XVI.

Qua ratione, vt voluntas nostra recta sit ac bene operemur, teneamur eam conformare voluntati diuinæ, idem cum hac volendo? siue, an teneamur omnia velle quæ Deus vult?

D.Thomas 1.2.q.19.a.10. docet, nostram voluntatem debere semper conformari diuinæ in volito formali, siue in ratione formali volendi (ita scilicet vt ei numquam repugnemus) non tamen in materiali, quatenus scilicet possumus aliquid sub vna ratione nolle, quod Deus sub alia vult. 206 *D.Thomas.*

Pro quorum ac totius dubii explicatione Nota Primò, ex D.Thoma suprà, nostram voluntatem cum diuina posse quatuor modis cõformari. Primò, in volito materiali, ita scilicet vt idem obiectum materiale velimus quod Deus vult. Secundò, in obiecto formali, siue volendo aliquid ob eandem rationem ob quam Deus id vult. Tertiò, ita vt velimus id quod Deus vult nos velle, quam D.Thomas vocat conformitatem secundùm causam efficientem, quia *D.Thom.* Voluntas nostra quatuor modis conformatur diuinæ.

quia nimirum voluntas efficit id quod Deus vult eam efficere siue velle. Quartò,in ratione principii quasi formalis: vt quando volumus aliquid ex habitu caritatis, quæ est forma animæ inhærens,& tribuens actibus moralem dignitatem.

207 Constat autem inter omnes Primò, vt actio nostra sit bona, nos non teneri hoc quarto modo conformare nostram voluntatem cum diuina: nam possumus elicerè actus aliarum virtutum,qui à caritate nullo modo eliciuntur, imò eiusmodi actus possunt esse in eo qui non habet habitum caritatis; & tamen sunt actiones verè virtuosæ & absolutè bonæ,& in eo qui habet habitum caritatis de condigno meritoriæ vitæ æternæ. Constat Secundò,nos non teneri positiuè primo aut secundo modo velle ea,quæ Deus vult, saltem per se loquendo, siue nisi aliunde ad hoc obligemur.

Est igitur difficultas Primò, an possimus positiuè nolle quæ Deus vult; aut iis velle contrarium.

Secunda difficultas est, vtrùm semper teneamur velle ea omnia,quæ Deus vult nos velle.In quibus explicandis variæ sunt opiniones, quas fusè referunt in 1.2.Vasquez disput.72. & Salas tract.7.disp.5.sect.2. sed plurimæ ex his magis discrepant in modo loquendi, quàm in ipsa re, in qua, si bene explicetur, nequit esse difficultas. Quare aliorum opinionibus omissis,rem ipsam ex maximè communi Doctorum sensu explicabo.

Vasquez. Salas.

208 Pro quo Nota Secundò,Deum quatuor modis posse velle nos aliquid velle. Primò, solùm approbando, vt quando volumus aliquid ex se quidem bonum, tamen impeditiuum maioris boni.Secundò,consulendo;qua ratione vult omnes amplecti Euangelica consilia. Et patet nos ad hæc duo volenda per se non obligari, nisi aliunde votum aut præceptum accedat. Tertiò,præcipiendo; & tunc constat nos teneri velle id,quod Deus vult nos velle.Quartò,prædefiniendo, vt si Deus liberum nostrum in aliquam rem consensum ante omnem præuisionem determinationis nostræ voluntatis prædefiniat; qua ratione probabiliter consensum beatæ Virginis in incarnationem,& fortè pauciſſimos alios actus prædefiniuit.Et tunc est difficultas, vtrùm sciens talem Dei prædefinitionem obligetur in eam positiuè consentire. Addunt aliqui quintum modum, scilicet permittendo, sed impropriè. nam quæ Deus solùm permittit, non vult fieri, sed solùm vult non impedire.

Deus quatuor modis potest velle nos aliquid velle.

Quæ Deus solùm permittit, non vult fieri.

209 Nota Tertiò, Deum dupliciter quædam velle. Primò, voluntate antecedente & omnino absoluta; sic vult omnia quæ ex se vult independenter à causis secundis. & hæc omnia sunt absolutè bona. Secundò, voluntate consequente; qua ratione vult ea, quæ solùm vult accepta occasione ex creaturis, à quibus ad ea volenda impellitur, & quasi necessitatur, quatenus hoc est necessarium vt iustitia in puniendis delictis, & decens, ac semel ab eo decretus in gubernatione totius vniuersi ordo conseruentur; quæque aliàs ex se nullo modo vellet. Et hac sola ratione vult pœnas, quas ob peccata nostra patimur, vt docet Damascenus l.2.de Fide cap.29. Item quædam ex his vult omnino immutabiliter, v.c. omnes homines semel mori, pœnas damnatorum esse æternas. Et alia vult mutabiliter & quasi sub conditione, scilicet nisi hominum pœnitentia, precibus aut etiam industria auertantur.sic vult peccatorem nondum defunctum perpetuò priuare gratia,damnare,&c. Item sic vult communiter ea, quæ solùm vult in suis causis, v.c. tali vel tali tempore esse aëris intemperiem ac tempestatem, & consequenter multos mori, submergi, &c. quæ tamen precibus aut etiam industria hominum possunt auerti.Similiter quędam possumus velle absolutè & ex parte nostra efficaciter,alia verò solùm simplici complacentia,aut sub conditione.

Damascen. *Deus quædã vult immutabiliter, quædã mutabiliter.*

Conclvsio I. Quæ Deus vult voluntate antecedente, nullo modo possunt nobis licitè displicere: quia sunt ita absolutè bona, vt non possint nisi malæ voluntati displicere. Talia sunt creatio mundi, destinatio creaturæ rationalis ad gloriam,&c. 210

Conclvsio II. Quæ Deus vult voluntate subsequente,quamquam non possint nobis displicere sub ea ratione sub qua Deus ea vult, exceptis tamen paucis,v.c.Verbi incarnatione, institutione Sacramentorum, & quibusdam similibus, quæ absolutè bona sunt, licitè secundùm se considerata nobis displicent. Et hæc est propriè conclusio D.Thomæ, & patet exemplo. quia Deus ita vult omnes pœnas quibus peccata punit, quæ aliàs secundùm se ei displicent; ideoque has secundùm se spectatas licitè odimus, atque ita honestè dolemus, si audiamus aliquem nostrum amicum pœna temporali, aut etiam æterna obpeccata sua puniri; & pœnam secundùm se siue præcisè vt est malum illius hominis, auersamur ac cupimus non esse. Illicitè tamen eam auersamur, quatenus habet rationem iustæ punitionis;quia sic nobis displiceret quòd Deus peccata punit,& auersaremur ipsius iustitiam.quod patet esse malum. 211 *D.Thomas.*

Dices, Deus vult peccatori pœnam qua pœna est,& consequenter quatenus ei mala est; ergo non potest nobis vt sic displicere. Respondeo, nego consequentiam; quia Deus non vult pœnam secundùm se consideratam (qua ratione dixi eam nobis posse displicere.) sed quatenus est coniuncta cum bono iustitiæ, & propter bonum iustitiæ; & vt sic, siue quatenus est iusta,& exercitium iustitiæ, vt hæc seruetur, necessarium,nobis illicitè displiceret. 212

Conclvsio III. Licitè omnia mala, quæ nobis etiam ex voluntate Dei scimus impendere,conamur quocumque modo aliàs licito siue precibus,siue humana industria à nobis aliisque auertere: donec cõstet Deum omnino immutabiliter decreuisse ea inferre. Patet,quia tam Ecclesia in genere, quàm omnes pii in particulari laudabiliter orant vt Deus nobis peccata & pœnas iis debitas tam temporales quàm æternas remittat. Item etiam Scriptura hortante medicis contra morbos vtimur, omnique industria pestem,incursiones hostiles, ignem, naufragia 213

&

& alia similia conamur à nobis auertere; meritoque arguuntur, qui id non faciunt. Cùm tamen sciamus nobis hæc sæpè immitti, aut aliàs in suis causis esse volita à Deo, qui tales causas instituit, ex quibus sciebat eiusmodi mala oritura, eaque cùm facilè posset, noluit impedire.

214 Cur honestè auertamus pœnas nobis à Deo immissas.

Et ratio est. Primò, quia sicuti ad Deum, quatenus est vniuersi gubernator, & communis omnium iudex, spectat per se primò curare ordinem & cursum vniuersi, eumque sine singulari grauique causa non immutare; atque etiam omnium peccata punire: ita ad hominem (cuius est non supradicta, sed suum suorumque bonum curare) spectat omnia mala à se ac suis quacumque ratione licita auertere, atque ita ad eum spectat, quæ Deus sub vna ratione vult sub alia nolle. Secundò, quia, cùm Deus supradicta non velit omnino absolutè hominibus euenire, sed solùm sub conditione, scilicet nisi precibus aut hominum industria auertantur; nullo modo repugnat ipsius voluntati, eiùs contrariatur qui dictam conditionem conatur ponere, qua posita Deus non vult ea fieri.

215 Quandoque licitè impedimus executionem diuinæ iustitiæ.

Dices, Talis cupit Deum non punire peccata, & consequenter cupit impedire diuinam iustitiam: ergo malè facit. Respondeo, nego consequentiam: quia non est semper & omni modo illicitum velle impedire iustitiæ executionem, sed tunc solùm quando volumus eam impedire modo illegitimo, & contra ipsius exigentiam: quia iustitia non exigit vt omnia peccata sine vlla remissione puniantur, sed solùm sub conditione, nisi aliàs legitima satisfactione aut remissione debitum pœnæ deleatur.

Qua ratione iustitia exigat peccata puniri.

216 Conclvsio IV. Quoties nobis constat Deum absolutè aliquid velle, non licet nobis absolutè id nolle, siue ex parte nostra efficaciter id velle impedire: nam hæc volitio esset & omnino stolida (quia esset volitio rei planè impossibilis, sicut si conarer digito cælum tangere) atque etiam impia, quia tali conatu innueremus Dei absolutam voluntatem posse à nobis mutari aut vinci; quod impium est. Talis autem fuit voluntas Saulis conantis Dauidem occidere, atque ita impedire ne hic decretum sibi diuinitus regnum consequeretur.

217 Quædam illicitè à Deo petimus.

Hinc patet omnino illicitum esse orare pro damnatis vt saluentur, aut etiam mitiùs puniantur, quia pœna æterna omnino immutabiliter ijs decreta est. Item orare Deum, vt remittat alicui peccata sine pœnitentia, vt aliquis numquam moriatur, &c.

Hinc etiam sequitur, nos pro omnibus peccatoribus in genere, & singulis in particulari quamdiu sunt in hac vita, licitè & meritoriè orare, vt Deus eos conuertat, & ad hoc omnibus viribus collaborare; nam Deus neminem absolutè vult damnare, aut à gratia excludere ante præuisam ipsius mortem in peccato mortali, quam ipse etiam ex se nullo modo cupit, sed solùm permittit.

218 Ad quid teneatur cuius actio à Deo est præfinita.

Conclvsio V. Si mihi certò constaret Deum meum consensum in rem aliquam absolutè prædefiniuisse; Primò, impiè conarer aut vellem eum impedire; quia sic conarer euertere optimam Dei voluntatem. Secundò, illicitè id mihi displiceret; quia ille consensus non potest esse nisi absolutè bonus. Tertiò, amicitia exigeret vt omnino sponte in eum consensum propenderem; quia amicitia maximè exigit vt vnus amicus alterius voluntati quantum commodè potest promptè obsequatur. Secluso tamen præcepto non video hîc vllam strictam obligationem, vt ex me sponte velim omnino consentire, aut me ad hoc excitem. Quia nec talis obligatio oritur ex voluntate Dei, quia si vellet me ad hoc obligare, esset ei facilè præceptum imponere; nec etiam ex iure naturæ, quia nullum tale hîc reperiri potest: ergo nulla talis obligatio est.

219 Dices Primò, me ideo teneri sponte niti in hunc consensum, quia nisi consentiam irrita erit Dei prædefinitio; quod absurdum est. Respondeo, omnino impossibile esse vt tempore definito non consentiam, atque ita vanè timeri periculum ne irrita fiat Dei prædefinitio. quare hac de re non debeo esse sollicitus; nec vllo modo opus est vt ad hoc obliger, quia sine vlla obligatione Deus æquè commodè ac infallibiliter poterit efficere, vt stato tempore consentiam.

Dices Secundò, Hoc ipso quo Deus eiusmodi prædefinitionem reuelaret, censeretur mihi præcipere vt consentirem. Respondeo Primò, hoc nihil facere contra nos, quia solùm dicimus me tunc non obligandum secluso omni præcepto. Respondeo Secundò, nego assumptum: quia Deus posset eam reuelare alicui alteri, qui sua sponte eam mihi indicaret: aut etiam mihi eam ita reuelare, vt simul innueret se mihi nolle præcipere eum consensum.

DVBIVM XVII.

An laudabiliter velimus omnia quæ Deus vult?

220 Tostatus.

Tostatus in 2. caput Iosue q.38. cum quibusdam aliis ait, Deum quædam velle quæ nos non possumus licitè velle. Quia Deus vult v.c. tuum parentem occidi à latrone. Item vel eum vel te existentem in peccato mortali, carere gratia, & in eo morientem æternùm damnari. Item Deus vult multas ciuitates funditus euerti omnibus ciuibus occisis, quæ tu licitè velle non potes: sed teneris pro viribus impedire.

221 Conclvsio. Deus multa vult quæ nobis secundùm se considerata illicitè placerêt (quia vt sic nec ipsi Deo placent, nec etiam placere possunt) atque adeò caritas sæpè exigit vt ea quantum possumus conemur impedire: qualia sunt omnia ferè mala pœnæ, præsertim repugnantia fini nostro supernaturali. Quòd si tamen ea consideremus sub ea ratione sub qua Deus ea vult, ipsa vt sic laudabiliter volumus. Ita cum aliis Vasquez 1.2.disp.72.c.5. Vasquez.

Probatur Primò, quia vt sic considerata sunt formaliter absolutè honesta, & expetenda; nam aliàs Deus qui nihil nisi qua absolutè honestum est potest velle, non posset ea velle (ideoque suprà ostendi talia nobis illicitè sub ea ratione displicere) ergo etiam nos honestè possumus

ea

ea ita velle : quia omne honestum qua honestum laudabiliter appetimus. Secundò, quia Beati, quorum voluntas semper est rectissima, & nobis pro viribus imitanda, laudabiliter volunt omnia, quæ Deus vult: ergo & nos possumus ea eadem ratione velle. Nec refert quòd ipsi meliùs quàm nos sciant in particulari rationes cur Deus talia velit; quia vt nos eadem honestè velimus, sufficit nos in genere scire, Deum habere honestissimas rationes, cur ea velit, & nos ob easdem ea velle.

222 Ad argumentum contrarium, Respondeo, etsi non possim absolutè velle, vel me, vel alium carere gratia aut damnari, &c. sed, vt iam dixi, tenear ea pro viribus impedire quamdiu impediri possunt; tamen laudabiliter volo, siue me, siue alium peccatorem, qua talem siue in sensu composito carere gratia, & morientem in peccato mortali damnari, quatenus hoc & per se iustum est, & vtile ad diuinam iustitiam ostendendam; qua sola ratione Deus ea vult.

223 Aliquos autem à latronibus occidi, ciuitates euerti, &c. Deus communiter nō vult positiuè, sed vult solùm permittere, aut solùm vult sub conditione, scilicet nisi licita via impediantur, vt dixi dub.16.concluſ.3. Quare nec nos possumus ea licitè absolutè velle. quia caritas postulat, vt ea pro viribus impediamus, saltem quoties hæc illicitè ab hominibus inferūtur. Quòd si nobis certò constaret (quod sine particulari reuelatione fieri nequit) Deum talia absolutè omnino decreuisse fieri, possemus eadem sub eadem ratione velle, & illicitè vellemus ea absolutè impedire, vt dixi dub.16.concluſ.4. Possemus tamen etiam eo casu in periculo patris aut patriæ, quantum sine alterius iniuria id fieri posset, præstare ea omnia, quæ aliàs ad id auertendum viderentur vtilia; non quidem ex intentione id verè auertendi (hoc enim sciremus esse impossibile) sed vt ostenderemus animi affectum & studium in patrem & patriam. Secluso tamen scandalo ad hoc non teneremur, quia sciremus esse inutile.

DISPVTATIO IV.

An dentur actus verè supernaturales?

DVBIVM I.

Quid sit supernaturale?

1 HÆc difficultas primò nobis est explicanda, vt possimus actuum ac habituum supernaturalium naturam conuenienter explicare. Eius autem intellectio admodum vtilis, atque adeò necessaria est, vt possimus varias tam theologicas, quàm etiam philosophicas materias exponere: ideoque varii variis locis eam attingunt, strictim tamen, nec eam exhauriunt. Quare statui eam hîc quantum potero, totam clarè exponere.

2 Pro quo Nota Primò, tam ex ipsa voce, quàm communi Doctorum consensu constare, *supernaturale* connotare respectum quendam ad aliud: idem enim est ac supra naturam. cùm autem hoc possit variè accipi, difficultas est ad quid dicat hunc respectum.

Scotus. Scotus qu.1.prologi, §. *Ad quæstionem igitur.* docet, *supernaturale* solùm dicere respectum ad virtutem productiuam, non autem ad subiectum: siue ideo præcisè aliquid dici supernaturale, quia superat vires alicuius agentis; non autem quia est supra exigentiam subiecti. Probat Primò, quia omnis potentia subiecti ad actum siue formam aut est naturalis, aut violenta, aut neutra; vel potiùs receptio formæ respectu subiecti, aut est naturalis aut violenta, aut neutra: ergo nulla est supernaturalis. Probat Secundò, ibid. paulò superiùs. Quia D. Augustinus. lib.1. de Prædest. cap.5. ait, posse habere fidem, esse naturæ; habere, esse gratiæ: ergo habitus fidei prout respicit potentiam receptiuam siue subiectum, non est supernaturalis.

Communior tamen Theologorum sentētia 3
cum D. Thoma 1.p.qu.12.a.4.ad 3. docet, virtutes theologicas, sicut etiam lumen beatificum, & similia accidentia nobis infusa esse supernaturalia, etiam respectu potētiæ in qua recipiuntur. Ita Caietan.1.p.q.1.a.1. Bañez q.12.a.5.dub. 2.ad 2. Vasquez disp.44.c.1.& disp.214.c.2. Turrianus de fide, spe & caritate, disp.46.dub.1.& 2. & alii. Vnde hi Auctores docent supernaturale in genere dicere duplicem respectum; scilicet ad virtutem productiuam, & ad subiectum susceptiuum. Priore modo aiunt esse supernaturale, quod superat omnem virtutem agendi, quæ sit ordinis naturalis, ita vt à nulla creatura ordinis naturalis, virtute propria cum solo concursu Dei generali produci possit. Secundo modo aiunt dici supernaturale, quod est supra naturalem exigentiam cuiusuis subiecti, siue quod nullum subiectum naturaliter exigit sibi infundi.

D. Thom. *Caietan.* *Bañez.* *Vasquez.* *Turrianus.*

Sed hæc patiuntur difficultatē. Primò, quia 4
hinc sequetur omne violentū fore supernaturale respectu subiecti patiētis, quia hoc illud nullo modo exigit sibi infundi, siue in se produci.

Dices Primò, etsi hoc secundùm se spectatum illud non exigat, exigit tamen illud ratione causarum efficientium violentiam, ad quarum actionem illius formæ violenter productæ receptio naturaliter consequitur. Sed contrà Primò, hinc solùm sequitur illud violentum esse naturale respectu causarum agentium, non autem respectu subiecti, cuiid etiam in his circumstantiis manet violentum & ipsius naturæ repugnans, & consequenter hoc illud nullo modo exigit. Secundò, quia simili modo Deo volente animæ infundere lumen gloriæ, ipsa

ratione illius circumstantiæ, siue causæ efficientis exigit illud sibi infundi: ergo respectu ipsius illud lumen non erit in his circumstantiis supernaturale.

5 Dices Secundò, subiectum illud solùm dici naturaliter exigere quod in eo per causas creatas potest produci; non autem illud quod solus Deus ei potest infundere, qui est super omnem naturā, ideoq; agens supernaturale. Sed contrà Primò, iam ostendi subiectum numquam verè posse dici exigere aliquod accidens violenter in se productum, cùm ipsius productioni quantum potest resistat. Secundò, quia inde sequitur, supernaturale propriè & præcisè loquendo solùm dici respectu virtutis productiuæ: quia secundùm illam responsionem tota ratio supernaturalitatis tandem in eo præcisè consistit, quòd aliquid viribus naturæ produci nequeat; atque ita vera erit illa sententia Scoti.

6 Secundò, supradicta patiuntur difficultatem, quia non comprehendunt, nec explicant supernaturale generatim sumptum: nec enim ex iis intelligi potest quare concursus Dei particularis, quo cum causa secunda concurrit ad effectum supernaturalem, sit potiùs supernaturalis, quàm concursus generalis, quo Deus ad omnes nostras actiones concurrit. Item quare conseruatio accidentis extra subiectum sit potiùs supernaturalis, quàm eiusdem conseruatio in subiecto, quando in eo à solo Deo conseruatur; sicut conseruatur albedo in pariete. Nec enim priora possunt dici supernaturalia, respectu subiecti ea naturaliter non exigentis; quia cùm in nullo subiecto recipiantur, non possunt vllum subiectum ea ratione respicere. nec etiam quia superant vim causæ creatæ: quia etiam concursus generalis quo Deus res omnes conseruat, & cum causis secundis producit ea omnia quæ hæ producunt, superat omnem vim causæ creatæ.

7 Quidam alii dicunt tunc aliquid fieri naturaliter quando fit secundùm naturalem rerum ordinem. sed his tunc laborandum est vt explicent quis ordo dicendus sit naturalis, quis verò supernaturalis. Dices eum ordinem esse naturalem, qui à Deo initio fuit institutus, & communiter in rerum productione & conseruatione seruatur. Sed contrà hinc sequetur, si Adam non peccasset statum innocentiæ homini futurum fuisse naturalem: quia is fuerat initio à Deo constitutus, & fuisset communiter cum homine seruatus. Item inde sequeretur, monstra generari supernaturaliter, quia non fiunt secundùm illum ordinem. Nec sufficit dicere ea generari nec secundùm ordinem naturæ, nec etiam supernaturaliter, sed solùm præter ordinem naturæ. nam inde sequeretur, illam definitionem ordinis naturalis, prout opponitur supernaturali, non fuisse sufficientem. nam ordo naturalis, prout opponitur supernaturali, debet complecti omnem ordinem non supernaturalem: aliàs enim ex eius definitione non poterimus cognoscere, quid debeat dici supernaturale. Si dicas eum ordinem esse naturalem, qui secundùm naturalem naturæ exigentiam est institutus; iterum tibi erit explicandum quæ naturæ exigentia sit naturalis, quæ non. qua in re consistit tota difficultas, vt iam ostendi.

Omne non supernaturale potest dici naturale.

Pro resolutione Nota Secundò, aliquid posse dici supernaturale Primò, solùm respectu particularis alicuius agentis, cuius vires superat. sic puero supernaturale est ingens pondus leuare, quod viro esset naturale. Secundò, absolutè, quod omnes creaturæ vires ac exigentiam superat. & de hoc hîc maximè agimus. Supernaturale aliud secundū quid; aliud absolutè.

Nota Tertiò, aliquid tripliciter posse dici alteri naturale, siue connaturale. Primò, quia ipsius naturæ conueniens est, cui opponitur non supernaturale, sed noxium siue naturæ repugnans. sic frigus est aquæ naturale, calor noxius. & hac ratione etiam habitus supernaturales possunt dici naturales ipsi potentiæ; quia ipsi admodum conueniunt. Secundò, quia creaturæ viribus cum Dei concursu generali potest produci: siue per veram efficientiam, qua ratione calor producit calorem; siue per quamdam emanationem aut resultantiam, qua ratione secundùm quosdam potentiæ ab essentia, & relationes à fundamentis emanant. Tertiò, id dicitur rebus creatis naturale, quod necessariò exigunt vt possint secundùm se, aut secundùm suam speciem conseruari, aut aliquid aliud producere; siue sine quo nullo modo possunt aut agere, aut in rerum natura conseruari, & suo modo perpetuari: hoc enim tamquam sibi omnino necessarium dicuntur naturaliter exigere. Qua ratione concursus Dei generalis est rebus omnibus creatis naturalis, quia sine eo nec existere, nec etiam quidquam agere possunt. Et his duobus modis opponitur supernaturale, & ex iis erit facile hoc definire. 8 Vnum alteri tripliciter potest esse naturale. Quo modo supernaturale opponatur naturali.

Conclvsio. Illud dicitur absolutè supernaturale, quod creaturis ordinis naturalis (qualis, vt ex dicendis patebit, est omnis substantia creata, & omne accidens huic secundo aut tertio modo ex dictis naturale) nec secundo nec tertio modo est naturale, siue quod nec viribus alicuius creaturæ, quæ sit ordinis naturalis, cum solo concursu Dei generali produci potest, nec rebus creatis absolutè, siue generatim, & abstrahendo ab his & illis circumstantiis est necessarium vt possint secundùm se aut secūdùm suam speciem in rerum natura conseruari. Hæc apertè sequuntur ex dictis, & patent vel ex ipso nomine *supernaturale*, quod significat id, quod est absolutè supra naturam; illud autem est absolutè tale. Confirmatur, quia illa definitio complectitur omnia, quæ constat esse absolutè supernaturalia, & excludit ea omnia, quæ constat non esse talia. vt patet discurrenti per singula, & ex dicendis magis apparebit. 9 Quid sit supernaturale.

Dixi, *quæ sit ordinis naturalis*. quia, etsi (vt infrà ostendam) intellectus illustratus lumine gloriæ, huius auxilio cum solo Dei concursu generali producat visionem beatificam, atque ita hic effectus possit totali illi causæ dici connaturalis, vt docet Bañez 1.p.q.12.a.5.dub.2.ad 3. tamen debet absolutè dici supernaturalis, quia ratione luminis beatifici illa causa est simpliciter ordinis supernaturalis: atque ita ille effectus absolutè omnem vim causæ naturalis superat. 10 Bañez.

Hinc sequitur Primò, supernaturale necessariò 11

riò dicere aliquem respectum ad aliquid respectu cuius sit supernaturale, vt communiter etiam ferè omnes fatentur, & ex ipso nomine patet.

Nulla substantia est supernaturalis.

Secundò, nullam substantiam posse dici supernaturalem: quia substantia ex se dicit aliquid absolutum omnino, nec vllum respectum connotat. vt patet in nomine Angelus, Homo, &c. supernaturale autem dicit aliquid respectiuum. Similiter etsi substantia verè dicitur natura, tamen non potest propriè dici naturalis, quia hoc etiam dicit aliquid respectiuum, & quod alicui naturale est.

Patent hæc clarè discurrenti per singulas substantias: v.c. angelus nullo est naturalis aut supernaturalis; idemque est de homine, bruto, &c. hoc autem intelligendum est de substantiis integris & perfectis; nam quæ significantur per modum partis, vt forma, oculus, manus, &c. Item modi substantiales, vt subsistentia, vnio hypostatica, &c. cùm ex se significent respectum ad aliud, possunt alicui esse naturales, aut supernaturales.

Ex quo etiam patet, etsi Deus hoc sensu possit dici substantia supernaturalis, quatenus est supra omnem naturam creatam aut creabilem, tamen eum non posse ita vocari eo sensu quo aliqua accidentia, aut actiones dicuntur supernaturalia; quia Deus non dicit aliquid respectiuum.

12 Actiones & accidentia propriè sunt supernaturalia.

Sequitur Tertiò, *esse supernaturale*, propriè conuenire actioni (quia hæc expresse dicit respectum ad virtutem actiuam, cui est supernaturalis) & accidenti, quia hoc ex se dicit respectum ad subiectum ad cuius perfectionem natura sua ordinatur. Quædam autem accidentia sunt cuiuis subiecto, atq; ita absolutè supernaturalia: quia, vt ostendam dub.2. quædam sunt quæ nec vlli subiecto sunt generatim absolutè necessaria, vt possit aut in rerum natura conseruari aut sibi proportionata agere, nec viribus vllius creaturæ possunt produci: talia sunt lumen gloriæ, habitus caritatis, &c.

Quædam accidētia sunt absolutè supernaturalia.

Concursus Dei generalis cur debeat dici cōnaturalis creaturis.

Cur particularis sit supernaturalis.

Quartò, cōcursum Dei generalem esse creaturis naturalem, quia sine eo nec conseruari nec quidquam agere possunt: secùs est de concursu Dei particulari, quo Deus cum potentia carente habitu infuso concurrit ad actum supernaturalem: quia potentia sine tali concursu potest absolutè conseruari, & aliquid agere, scilicet actiones sibi connaturales producere.

13 Cur accidēti sit supernaturale conseruari extra subiectū.

Quintò, conseruationem accidentis extra subiectum ideo præcisè esse supernaturalem, quia illud nulla virtute creata cum solo Dei concursu generali potest ita conseruari: atque adeò si virtute creata cum solo Dei concursu generali posset ita conseruari, siue, si posset eodem influxu conseruari extra subiectum quo conseruatur in subiecto, sequeretur eius conseruationem extra subiectum non fore supernaturalem. Quia cùm hic influxus sit ei absolutè necessarius vt possit in rerum natura conseruari, ei absolutè est connaturalis, atque ita eo casu posset cum solo influxu sibi connaturali extra subiectum conseruari, & consequenter naturaliter.

Quod autem aliqui dicūt eundem influxum, qui ei est connaturalis existenti in subiecto, esse ei supernaturalem existenti extra subiectum; sine fundamento dicunt, cùm, vt patet ex definitione *supernaturalis*, nullā possint reddere rationem cur idem influxus in vno statu sit ei magis supernaturalis, quàm in alio: aut cur eum in vno statu magis exigat, quàm in alio: vt fusiùs ostendi tom.1.de Sacramentis q.77.a.1.n.19. atque inde meritò intuli opus esse singulari ac supernaturali Dei concursu vt accidens ita conseruetur.

14 Infusio animæ in corpus cur sit naturalis.

Sextò, infusionem animæ rationalis in corpus humanum ad eiusdem susceptionem vltimò dispositum, etsi sola Dei animam creantis virtute fieri possit, debere tamen dici naturalem: tum quia dispositio illa corporis eam exigit (nam hæc & à natura ad eam ordinatur, ita vt aliàs tam ipsa materiæ eiusmodi dispositio, quàm vis generatiua in homine omnino frustra à natura esset instituta, & sine ea conseruari naturaliter non potest) tum etiam quia omnino necessaria est ad hominum generationem ac speciei conseruationem, non minùs quàm concursus Dei generalis.

Quæ sint supernaturalia secundùm substantiam:

Septimò, quædam esse supernaturalia secundùm substantiam, quæ scilicet ad creaturarum conseruationem non sunt necessaria, & secundùm se spectata, ac seclusis omnibus circumstātiis eorum productionem difficiliorem reddentibus, à nulla virtute creata, quæ sit ordinis naturalis, cum solo Dei concursu generali produci possunt. qualia sunt lumen gloriæ, visio beatifica, &c. Alia verò solùm esse supernaturalia secundùm modum, quæ scilicet absolutè naturali virtute cum Dei concursu generali fieri possunt, non tamen eo modo quo de facto fiunt. qualis est productio aut conseruatio accidentis extra subiectum, instantanea curatio grauis morbi, &c. quæ vt sic fiant specialem Dei concursum requirunt.

quæ secundū modum.

15 Supernaturale ac naturale quadruplicem dicūt respectum.

Octauò, tam supernaturale, quàm etiam naturale, prout huic opponitur, generatim sumpta dicere quadruplicem respectum. Primò, ad virtutem productiuam, cui dicitur naturalis omnis effectus, quem cum solo Dei concursu generali potest producere; & ille effectus dicitur supernaturalis, ad quem producendum necessariò requirit specialem Dei concursum aliudue auxilium supernaturale. Ex quo vlteriùs infertur, etsi substantia qua talis, nec sit naturalis, nec supernaturalis, quia vt sic nō dicit respectum; tamen quatenus significatur nomine effectus, eam alicui esse naturalem, aut supernaturalem, quia vt sic dicit respectum.

Quid cuiuis rei debeat dici supernaturale, aut naturale.

Productio substantiæ est naturalis aut supèrnaturalis, non tamen ipsa substantia.

Secundò, ad subiectum in quo recipitur, cui hac ratione potest dici naturalis omnis forma, quæ virtute naturali in ea potest produci; propriissimè tamen ei dicitur naturalis infusio formæ, quam subiectum, siue materia ad eius receptionem vltimò disposita ad sui aut speciei alicuius conseruationem naturaliter exigit; iuxta dicta n.8. Qua ratione infusio animæ rationalis embryoni vltimò dispositi est naturalis, vt ostēdi n.14. Ea verò forma, eiusque infusio dicitur subiecto supernaturalis, quam ita non exigit,

quæque virtute naturali in eo produci non potest.

Tertiò, ad concausam: sic concursus Dei generalis omnibus causis secundis est connaturalis; particularis verò, quo ad effectum earum virtutem superantem eleuantur, est supernaturalis.

Quartò, ad terminum: sic influxus Dei, quo res omnes in statu ipsis connaturali conseruat, est his naturalis; particularis verò influxus, quo quasdam extra statum ipsis connaturalem, v.c. accidens extra subiectum, conseruat, his est supernaturalis.

16 Quæ actio sit supernaturalis.

Nonò, sequitur actionem propriè ac præcisè dici supernaturalem, quia superat virtutem agentis, siue quia ab agente naturali sine auxilio ipsi supernaturali nequit produci. Atque ita ideo aliquem actum esse absolutè secundùm suam substantiam supernaturalem, quia à nullo agente ordinis naturalis cum solo Dei concursu generali potest produci. Ideò verò aliquem esse solùm supernaturalem secundùm modum, quia secundùm suam substantiam, si nullum aliunde sit impedimentum, potest ab agente ordinis naturalis cum solo concursu Dei generali produci, non tamen eo modo, quo de facto producitur. talis est productio accidentis extra subiectum. Patent hæc, quia actio, qua actio, propriè & intrinsecè dicit respectum ad virtutem agentis: ergo eatenus propriè dicitur naturalis, quatenus est intra virtutem agentis naturalis, ita vt ab eo produci naturaliter possit; & eatenus dicitur supernaturalis, quatenus est supra talem virtutem, ita vt ab ea cum solo auxilio naturaliter ei debito, produci nequeat. nec refert quòd actio etiam dicit respectum ad terminum sibi intrinsecum; v.c. productio caloris ad calorem: quia respectu huius non potest aliter dici supernaturalis, quàm quatenus hic in tali statu producitur aut cõseruatur, in quo virtute merè naturali produci aut conseruari nequit. atque ita tota ratio supernaturalitatis tandem refunditur in dictum respectum ad causam producentem.

17 Addunt his aliqui, habitus per se infusos alia ratione dici supernaturales respectu potentiæ cui infunduntur, quia nimirum hæc debet eleuari, vt eos possit sustentare. Pro quo notant, aliud esse formam subiecto aut materiæ vniri, aliud verò eam ab hac sustentari: nam anima rationalis vnitur materiæ, & tamen ab ea non sustentatur, quia hoc in forma aliquam dependentiam, ac in subiecto aliquam actionem significat. Ideoque volunt subiectum naturale debere supernaturaliter eleuari, vt possit sustentare formam supernaturalem: quia aliàs aliquid supernaturale dependeret à naturali; quod aiunt absurdum esse.

Quid sit formam sustentari à subiecto.

Sed hæc non videntur posse dici. Primò, quia formam aliquam vniri subiecto, eamq; ab hoc sustentari, non dicit diuersitatem ex parte subiecti, sed ex parte formæ: hanc enim à subiecto sustentari solùm dicit eam ita vniri subiecto, vt propter suam imperfectionem, siue quia nequit per se subsistere, nequeat naturaliter existere sine ea vnione; atque ita existat dependenter ab ea vnione: quare hìc nulla est propriè efficientia ex parte subiecti. Secundò, quia satis apertè repugnant D. Augustino loco citato n.2. si enim potentia vt fides ab ea recipiatur, siue sustentetur, indigeat ex parte sua eleuari, non magis erit naturæ posse habere fidē, quàm sit naturæ posse producere actum fidei; quia natura eleuata vtrumque poterit, non eleuata neutrum. Tertiò, quia videtur apertè falsum rem supernaturalem non posse pendere à re naturali. nam nostra actio supernaturalis producitur immediatè ab auxilio supernaturali & potentia naturali, vt ostendam disp.5.dub.5. ita vt potentia considerata secundùm vires suas naturales sit causa partialis illius actus supernaturalis, atque ita hic necessariò pendet ab aliquo naturali, & quidem vt à causa efficiente, atque etiam vt causa materiali siue subiectiua, quia in ea totus recipitur. Quare cum Vasquez 1.part. disp.174.n.10. dicendum est hanc receptionem siue sustẽtationem habitus supernaturalis non aliter esse potentiæ supernaturalem, quàm quia eam nec naturaliter exigit, nec viribus naturæ acquirere potest. *Augusti.* *Vasquez.*

Ex his est facilis responsio ad argumẽta Scoti. Ad primum, Respondeo eam diuisionem non esse plenam, nisi addatur, *aut supernaturalis*, vt patet ex dictis n.8. Ad secundum, Respondeo Augustinum ibi non dicere, nos naturaliter recipere fidem (imò apertè hoc negat dum docet nos eam per gratiam Dei habere) sed solùm nos naturaliter esse tales, siue habere tales potentias, scilicet intellectum & voluntatem, quæ ex se naturaliter aptę sunt recipere in se fidem & caritatem, si quis has iis infundat; siue si quod agens siue naturale, siue supernaturale has in iis producat. Cum quo optimè consistit, quòd harum receptio siue infusio sit illis potentiis supernaturalis, quatenus nec iis naturaliter debita est, nec virtute naturali fieri potest. Et fortè Scotus nihil aliud voluit, quàm negare id quod docet sententia relata n.17. & in eo sensu facilè explicari & defendi posset. 18 *Scotus.* *Augusti.* *Scotus.*

DVBIVM II.

Vtrùm visio beatifica & amor patriæ sint in sua substantia omnino supernaturales?

19 *Beguardi.* *Clementin.*

BEguardi id olim negarunt, vt patet ex quinto eorum errore olim damnato in Concilio Viẽnensi, relato Clementina *Ad nostram*, de hæreticis. quo illi asserebant *quòd qualibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodq; anima non indiget lumine gloriæ ipsam eleuante ad videndum Deum, & eo beatè fruendum.* Quamuis si ipsorum error & intentio ex adiũctis bene consideretur, ipsi videãtur potiùs negasse nos posse verè intuitiuè videre essentiam Dei, aut saltem Beatos in cælo eam de facto videre. nam errore quarto apertè docent, nos in hac vita posse tam perfectè assequi beatitudinem, atque in altera. quare videntur Beatis solùm concedere cognitionem quamdam Dei abstractiuam, qualem hìc habent perfectè contemplatiui, dum intensa contemplatione toti in Deum feruntur. In eiusmodi

Quid senserint Beguardi de visione beatifica.

eiusmodi enim contemplatione videntur constituisse omnem nostram beatitudinem; vt colligitur ex octauo eorum errore, in quo docent esse imperfectionis contemplationem (qua scilicet secundùm eos beati sumus) interrumpere, vt Venerabili Sacramento reuerentiam exhibeamus: nec enim videtur credibile eos asseruisse aliquos hîc ordinariè clarè intueri Deum.

20 Quamuis autem Catholici omnes fateantur, nullam esse de facto creaturam, quæ naturaliter possit videre Deum; tamen est aliquod dubium, an saltem diuina virtute possit aliqua fieri creatura tam perfecta, quæ sine auxilio supernaturali possit videre diuinam essentiam.

Pars affirmatiua probatur Primò, quia nihil diuinæ potentiæ est negandum, nisi in eo ostendatur clara implicantia: atqui nulla implicantia adferri potest, cur talis creatura Deo sit impossibilis: ergo id non est asserendum. Secundò, quia intellectui illustrato lumine gloriæ, siue illi composito ex intellectu & lumine beatifico, prout integram vim agendi constituit, est connaturale videre Deum. vt cum Caietano & Ferrariensi docet Vasquez 1.p.q.44.c.2. Bañez 1.p. q.12.a.5.dub.2. ad 3. & alii. & sequitur ex dictis dub.1. Atqui Deus potest creare aliquem intellectum, qui naturaliter sit tam perfectus, quàm totum illud compositum: ergo hic poterit naturaliter videre Deum. Minor probatur: quia, cùm illud compositum, in virtute intelligendi sit aliquid finitum, & cùm Deus possit creare naturam intellectualem, & consequenter intellectum siue vim intelligendi quocumque intellectu dato, semper in infinitum non solùm accidentaliter, sed etiam substantialiter & specie perfectiorem; videtur apertè sequi, ipsum posse creare intellectum secundùm se perfectiorem in virtute intelligendi, quàm sit totum illud compositum. Consequent. probatur, quia inter vim naturalem intelligendi, v.c. supremi angeli de facto creati, & illud compositum est finita distantia: ergo si perfectior atque perfectior intellectus creetur, hæc distantia paulatim minuetur, & tandem tota exhauretur, aut etiam superabitur.

Caietan. Ferrarienſ. Vasquez. Bañez.

21 Dices, illud compositum ratione luminis beatifici esse superioris ordinis, quàm sit quiuis intellectus creatus, atque ita inter vtrumque esse quasi infinitam distantiam; sicut inter brutum & hominem, & inter hominem & angelum: quare sicut brutum, quantumcumque perficiatur in ratione cognoscendi etiam intra diuersas species, numquam tam perfectè intelliget quàm homo, nec homo tam perfectè quàm angelus; ita nec intellectus naturalis vmquam tam perfectè intelliget quàm intellectus illustratus lumine gloriæ.

22 Sed contrà, Illud compositum dicitur superioris ordinis quouis intellectu naturali, vel quia illius obiectum est extra latitudinem obiecti intellectus naturalis, sicut obiectum visus, est extra latitudinem obiecti auditus. vel Secundò, quia intellectus naturalis in suo conceptu dicit negationem virtutis agendi, quam illud compositum habet, ita vt illi repugnet eam vim habere, sicut bruto repugnat intelligere, vel Tertiò, quia illud compositum est agens speciei perfectioris, sicut angelus respectu hominis. Primum & secundum dici non possunt, quia sic intellectus naturalis non posset eleuari ad videndum Deum, sicut nec auditus ad videndum, nec brutum ad intelligendum eleuari possunt. Tertium autem nihil facit ad rem, quia, etsi illud compositum ea ratione sit superioris ordinis quouis intellectu de facto creato, etiam ille intellectus possibilis erit eadem ratione superioris ordinis, quouis intellectu iam creato: atque ita poterit esse eiusdem ordinis cum illo composito. vnde patet exemplum bruti comparati cum homine nihil facere ad rem, quia omne brutum prorsus caret vi intelligendi, imò cum hac essentialem habet repugnantiam: quare quantumuis siue intra, siue extra eandem speciem perficiatur, numquam in eo potest perfici vis intelligendi, quæ in eo non est, nec etiam potest in eo poni; quia hoc ipso quo in eo poneretur, deineret esse brutum.

Tripliciter vna res dicitur superioris ordinis respectu alterius.

Et simile est de intellectu humano respectu 23
angelici, quamdiu ille concipitur ita perfici, vt semper maneat in operando dependens à phantasmatibus & organis corporis; hoc ipso enim quo sic dependet, includit repugnantiam cum perfectione intellectus angelici, aut animæ separatæ, quæ consistit in virtute intelligendi independenter à phantasmatibus, ita vt possit spiritualia intueri: quod nostro intellectui nequit communicari, nisi ita perficiatur, vt tollatur ab eo hæc dependentia. Quòd si hac ratione sine termino perficiatur siue accidentaliter, siue substantialiter, siue intra eandem, siue in diuersa specie (quod aliqua ex dictis rationibus fieri posse patet in Christo, qui secundùm omnes intellexit independenter à phantasmatibus) tandem æquabit, aut etiam superabit vim intelligendi angelicam. quare hoc exemplum contra dictam obiectionem facit.

Vnde patet id, quod multi tamquam axioma sumunt, scilicet res altioris aut perfectioris speciei infinitè distare à rebus inferioris speciei, ita vt hæ nequeant vmquam ad perfectionem illarum pertingere; solùm esse verum quâdo res inferior in sua essentia includit repugnãtiam cum perfectione rei superioris ordinis, vt fit in bruto respectu potentiæ intelligendi, qua ab homine superatur; secùs autem esse in aliis: nam aliàs vis intellectiua humana numquam posset ita perfici, vt superaret angelicam. quod falsum est: vt patet in virtute intellectiua Christi, ac multorum Beatorum, qui res tam naturales quàm supernaturales perfectiùs, quàm multi angeli intelligunt. Nec refert quòd id fiat supernaturaliter, quia inde solùm sequitur intellectum humanum non posse propria virtute ita perfici, vt superet angelicum, non autem quòd nequeat absolutè ita perfici. quod tamen esset necessarium, vt illud axioma esset vniuersaliter verum. sicut verum est in potẽtia cognoscendi brutorum, quæ nec naturaliter nec supernaturaliter potest ita perfici, vt æquet potentiam cognitiuam hominis.

24 *An res superioris ordinis infinitè distet ab alia.*

Probatur Tertiò, quia, etsi concedamus cui- 25

uis intellectui impossibile esse videre Deũ sine lumine gloriæ, tamen poterit creari aliquis intellectus tam perfectus, cui hoc lumen sit connaturale: nulla enim videtur ratio cur non possit creari aliqua substantia tam perfecta in genere substantiæ, quàm illud accidens sit in genere accidentis, & cui consequenter illud sit connaturale.

26 CONCLVSIO I. Nullus intellectus de facto creatus potest suis naturalibus viribus videre Deum, atque ita hæc visio est omnibus de facto creatis supernaturalis. Est communis Catholicorũ. Et de intellectu humano est expressè definitum in Concilio Viennen. citato n. 19. & patet ex Scripturis. Ioann. 1. *Deum nemo vidit vnquam.* vbi non solùm significatur id non esse factum, sed etiam naturaliter fieri non posse. vnde Apostolus 1. Timoth. 6. ait: *Qui lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit vnquam, sed nec videre potest.* scilicet viribus naturæ, & sine singulari Dei auxilio. Vbi etiam apertè innuitur id superare etiam vires naturales angeli: nam aliàs his Deus non esset inaccessibilis; & consequenter non habitaret lucem absolutè inaccessibilem, prout Apostolus docet. vnde D. August. l. 12. de Ciuit. c. 9. & de Corrept. & gratia c. 11. expressè docet, angelos indiguisse gratia & auxilio Dei, vt ad beatitudinẽ peruenirẽt. loquitur autẽ de auxilio supernaturali, siue naturæ indebito, quia hac in re cõparat eos primis hominibus in statu innocẽtiæ, qui sine dubio eguerunt auxilio supernaturali: illud autẽ esset falsum, si potuissent naturæ viribus Deũ videre.

Concil. Viennense. Ioan. 1. — *1. Timoth. 6.* — *August.*

27 CONCLVSIO II. Multò verius est nullam creaturam esse possibilem quæ naturæ viribus possit videre Dei essentiam. Probatur Primò, quia est ferè communis omnium Doctorum. Secundò, quia est apertè D. Augustini, tum locis proximè citatis (vbi etsi loquatur propriè de angelis, qui de facto creati sunt, tamen ex toto ipsius discursu patet, eum idem sentire de quauis creatura possibili) tum clarissimè lib. 12. de Ciuit. c. 1. vbi docet creaturam non ex se, sed ex solo Deo posse habere suam beatitudinem, quia ex nihilo creata est; quod cuiuis creaturæ possibili æqualiter conuenit, quia nulla potest existere nisi ex nihilo creata. Tertiò, apertè colligitur ex Apostolo 1. Timoth. 6. vbi absolutè docet, Deum habitare lucem inaccessibilem: quod non videtur solùm intelligendum respectu creaturarum quæ de facto sunt, sed etiam respectu cuiusuis possibilis. si enim aliqua esset possibilis, quæ suis viribus posset diuinam illam lucem Deum intuendo accedere, hæc lux non esset absolutè inaccessibilis, sed solùm respectiuè siue comparatione eorum, quæ de facto creata sunt.

August. — *1. Timot. 6.*

Si Deus à creatura naturaliter videri posset, non habitaret lucem absolutè inaccessibilẽ.

28 Nec refert quòd illud compositum ex intellectu & lumine beatifico sit verè creatura, & tamen ei sit connaturale elicere visionem beatificam: quia Apostolus solùm agit de accessu creaturæ intellectualis secundùm se & sua naturalia consideratæ: quia solùm volebat ostendere, creaturam non posse Deum eiusq; secreta videre nisi quatenus ipse se illi ostenderet, quod facit per lumen gloriæ, aut per reuelationem.

Multi hanc conclusionem variis rationibus probant, quæ eam non videntur satis probare. 29
Prima est, quia, cùm modus operandi atque adeò cognoscẽdi sequatur modum essendi, quando modus essendi alicuius rei cognitæ excedit modum essendi ipsius cognoscentis, hic illam non potest suis viribus cognoscere. quod patet in intellectu humano, qui quia existit in materia, non potest naturaliter intueri immaterialia siue spiritualia. Quare cùm Deus sit ens à se, & essentialiter actu existens, & omnis creatura essentialiter habeat esse ab alio dependens, & quod potest non esse, hæc nequit suis viribus intueri diuinam essentiam. Sed si hæc aliquid probarent, etiam probarent nos non posse eleuari lumine gloriæ ad videndum Deum, nisi hoc nobis tribuat esse in se ab omni alio in existendo ac operando independens; sicut intellectus noster nequit fieri potens intueri spiritualia, nisi cõstituatur in suis operationibus independens à corpore. & aliàs modus existendi in Deo semper erit superioris ordinis, quàm erit modus existendi ipsius creaturæ quantumuis eleuatæ. Simili modo refellitur ratio dicentium creaturam non posse naturaliter videre Deũ, quia esse Dei infinitè excedit esse omnis creaturæ possibilis. quia similiter excedit esse illius compositi ex intellectu & lumine gloriæ.

Secunda ratio est. Quia impossibile est intellectum esse causam visionis, nisi intellectus habeat in se obiectum cognitum, vel aliud in quo eminentiùs continetur: sed nulla creatura habet Deum ita in se: ergo nulla creatura eum ita potest videre. Sed nec hæc ratio satisfacit, quia cùm Deus ex se sit intimè præsens cuiuis intellectui, quiuis intellectus eum habet sufficiẽter per modum obiecti in se, vt eum possit intueri, si aliunde non sit defectus ex parte virtutis actiuæ ipsius intellectus. Quòd si dicas non sufficere obiectum esse localiter præsens nisi informet intellectum per se, aut per aliquid quo eminenter continetur; sequitur, angelum inferiorem non posse naturaliter intueri superiorem, quia nihil in suo intellectu habet quod illum formaliter aut eminenter contineat. Deinde qui illam rationem adferunt, videntur tenere, solum Deum producere visionem beatificam in intellectu se merè passiuè habente. quod omnino improbabile est, vt infrà ostendam. 30

Quâ ratione obiectũ debeat esse præsens intellectui.

Tertia ratio est. Quia, si daretur angelus qui naturaliter posset videre Deum, hic esset naturaliter sanctus, & filius Dei: atqui hoc est absurdum, quia omnis creatura ex se est naturaliter serua & mancipium Dei: ergo, &c. Sed in maiore sumuntur duo, quæ alii meliùs negant. nam, vt ostendam disp. 22. dub. 8. probabilius est nullam creaturã per vlla dona creata, excepta vnione hypostatica, necessariò & sine libera Dei acceptatione, fieri amicam & filiam Dei: nulla enim potest ostendi implicantia, cur Deus non possit peccatori, relinquendo eum in peccato mortali, infundere lumen gloriæ, quo essentiam diuinam possit videre, quamuis id fortè minùs deceret. Quare si daretur aliqua creatura quæ haberet intellectum ex se sufficientem ad videndum Deum, etsi esset sine vllo peccato, non 31

Potest quis non filius & sine iure ad hereditatem esse potens videre Deũ.

non tamen esset necessariò filia Dei, nec haberet vllum propriè ius ad hereditatem, sicut iusti iam habent. Quare Deus posset liberrimè ei subtrahere concursum necessarium ad sui visionem, aliaúe ratione eam impedire, nec in hoc faceret vlla ratione contra vllum ius talis creaturæ. Secùs est de iis, qui iam sunt filii Dei adoptiui, contra quorum ius ac fidelitatem iis promissam Deus faceret, si iis sine eorum culpa negaret sui visionem. Etsi secundùm probabilem multorum sententiam negantium inter Deum & hominem posse esse veram iustitiam, iis non faceret veram iniuriam.

32 Quarta ratio est. Quia talis creatura esset naturaliter impeccabilis: atqui hoc est absurdum: ergo, &c. Respondeo, maiorem posse dupliciter intelligi. Primò, propriè, ita vt talis creatura ex natura sua præcisè esset impeccabilis, siue ita vt naturæ ipsius repugnaret peccatum. & hoc sensu est falsa: nam si Deus cum tali non concurreret ad sui visionem, aut alia ratione non permitteret se ab ea videri, esset omnino peccabilis. Secundò, quatenus talis viribus naturæ cum concursu generali posset videre Deum se non subtrahentem eius aspectui, atque ita reddi per accidens impeccabilis, ratione illius visionis. quod, qui vellent tenere contrariam sententiam, negarent esse absurdum, nec id vlla ratione satis probari posset, præsertim si auctoritates Patrum & Doctorum secludas: his tamen satis conforme est, nullam creaturam vel hac ratione posse esse naturaliter impeccabilem. Qua ratione etiam tertia ratio satis probabilis est. nec enim credo D. Augustinum aut vllum ex sanctis Patribus vnquam concessurum, vllam creaturam posse creari tam perfectam quæ suis viribus cum solo concursu Dei generali posset intuendo Deum fieri beata ac impeccabilis, atque ita acquirere hereditatem, & statum solis filiis Dei debitum: quod etiam Scripturæ hæc omnia tribuenti soli gratiæ Dei non est satis consonum. Quare iis satis probatur saltem prima conclusio, scilicet nullam esse creaturam de facto creatam quæ naturaliter potuit videre Deum.

Aliquis dupliciter potest esse impeccabilis.

33 Ex qua etiam plus quàm probabiliter infertur secunda conclusio: nam nulla potest reddi ratio cur angeli, qui toti intellectuales habent ex genere suo inter creaturas possibiles vim intelligendi perfectissimam, nequeant saltem remissè ac imperfectè Deum intueri; nisi quia hoc omni intellectui creabili, naturæ viribus est impossibile: nam quicumque intellectus creabitur, videtur necessariò futurus eiusdem rationis in genere cum creatis, ita vt hos solùm perfectione saltem specifica superet, sicut supremus angelus iam superat infimum. Ex quo sequitur, sicut, quidquid vnus angelus iam de facto naturaliter videre potest, etiam alter videre potest, licèt minùs perfectè: ita angelos creatos posse aliqua ratione naturaliter videre, quidquid creabiles naturaliter videre possent.

34 Ad primum argumentum contrarium, Respondeo maiorē solùm esse veram, quando ex Scripturis & sanctorum Patrum dictis non colligitur illud fieri non posse. vt fit in re præsenti, adiuncta præsertim valdè probabili ratione à posteriori à nobis allata n. 33.

Ad secundum, quidquid sit de antecedente, nego consequentiam: quia quòd intellectus sit improportionatus ad hanc visionem, non prouenit tantùm ex eius imperfectione, vt argumentum supponit; sed quia, etsi diuina essentia vt abstractiuè cognoscibilis saltem conceptu confuso & non quidditatiuo sit obiectum omnis intellectus; tamen vt intuitiuè visibilis est obiectum omnino improportionatum naturali virtuti cuiusuis intellectus possibilis. sicut obiectum non illuminatum est obiectum improportionatum naturali potentiæ visiuæ cuiusuis oculi humani: quod potentiæ visiuæ bubonis, licet illa sit imperfectior, est proportionatum.

Cur nullus intellectus creatus possit naturaliter videre Deum.

Vnde liquet, illam improportionem non 35
prouenire ex solo defectu perfectionis potentiæ visiuæ humanæ: nam aliàs illud obiectum esset oculo bubonis magis improportionatum quàm oculo hominis; sed ex aliis causis nobis occultis. Eademque est ratio cuiuscumque naturalis intellectus respectu visionis diuinæ. Sicut igitur posset creari oculus humanus perfectior ac perfectior in infinitum, qui tamen non posset videre in meris tenebris: ita potest creari intellectus semper in infinitum perfectior atque perfectior, qui tamen nequeat intueri diuinam essentiam. Item, sicut quiuis oculus humanus potest aliqua qualitate sibi à Deo indita eleuari, vt videat in tenebris (vt patet in corporeis oculis Beatorum qui non indigent lumine vt videant) ita quiuis intellectus potest eleuari, vt videat Deum.

Obiectum improportionatum potētiæ perfectiori potest esse proportionatū imperfectiori.

Ad tertium, Respondent aliqui, lumen beatificum 36
ideò nemini posse esse connaturale, quia est quædam participatio ipsius esse diuini, ideoque supra conditionem omnis substantiæ creatæ. Sed hoc non satisfacit; quia omne esse, quod creatura habet, est quædam participatio ipsius esse Dei, & eo perfectior, quo creatura est perfectior. cùm igitur substantia maximè intellectiua sit in genere suo perfectior accidente, clarè sequitur, posse creari perfectiorem substantiam quouis accidente, & consequenter quæ sit perfectior participatio diuini esse. Respondeo ergo, ideo præcisè lumen gloriæ non posse vlli substantiæ siue intellectui esse naturale, non ob excessum in perfectione, siue quia non potest creari substantia, quæ ei in perfectione sit par; sed quia nec naturæ viribus illud potest acquiri, siue quia id nulla vi creata produci potest, nec vlli substantiæ siue intellectui est necessarium vt possit in rerum natura existere aut conseruari, aut etiam vt possit simpliciter aliquid agere, prout ei necessarius est concursus generalis, sine quo nihil potest agere; ideoque illud lumen nulli substantiæ potest esse naturale, vt patet ex dictis dub. 1. n. 9. Sicut potentia volandi nequit homini esse naturalis; est tamen aui (quæ est longè imperfectior homine) naturalis, quia huius naturam necessariò consequitur, non tamen naturam hominis.

Cur lumen beatificum nequeat esse naturale vlli intellectui.

DVBIVM III.

Vtrùm actus quibus ad iustitiam ac salutem peruenimus, sint supernaturales?

37 PRæter errorem Pelagii, de quo agam dub.4. fuit quidam Doctor neotericus, qui putabat angelos ac primos parentes in paradiso non indiguisse gratia Dei siue auxilio supernaturali, ad eliciendos actus quibus beatitudinem mererentur: vt patet ex eius propositione 24. inter damnatas à Pio V. & Gregorio XIII. quæ sic habet: *Absurda est eorum sententia qui dicunt hominem ab initio dono quodam supernaturali & gratuito super conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, vt fide, spe & caritate Deum coleret.* Similiaque habet propositione 25. & 27. Ex quibus apertè sequitur, secundùm eum actus illos respectu primorum parentum non fuisse supernaturales: nam aliàs sine auxilio gratuito & supernaturali dono non potuissent eos elicere. Idemque sine dubio debuit consequenter dicere de angelis.

Pius V. Greg. XIII.

38 Secunda opinio est Caietani 2.2.qu.171.a.2. §. *Ad horum euidentiam.* vbi docet, actus fidei, spei & caritatis secundùm suam substantiam esse naturales, & tantùm secundùm quemdam modum moralem esse supernaturales, quando meritoriè & laudabiliter eliciuntur. vnde ait, nos eos secundùm substantiam suam posse viribus naturæ elicere; vt tamen eos eliciamus meritoriè, necessarium esse vt procedant ab habitu infuso, & consequenter supernaturali. Idem sentit Sotus l.1. de Gratia c.22. sub finem coroll.2.

Caietan.

Sotus.

Tertia opinio est eorum qui solos actus virtutum theologicarum volunt esse supernaturales, præsertim in substantia: quam videntur sequi ii omnes qui negãt dari habitus infusos virtutum moralium: quos citabo infrà disp.6. dub. 2. Si hi enim agnoscerent nos harum virtutum actus supernaturales in substantia elicere, non negarent nobis ad eos eliciendos infundi habitus, quibus reddamur intrinsecè potentes eos elicere.

39 CONCLVSIO I. Actus fidei, spei & caritatis, quibus beatitudo nobis promerenda proponitur, sunt in substantia sua supernaturales. Ita Molina in sua Concordia disp.36. §. *Cùm autem.* sub finem, & Turrian.2.2.disp.46.dub.3. & est iam communior sententia Theologorum. Probatur, quia ille actus est supernaturalis in substantia, qui secundùm se præcisè consideratus, & abstrahendo ab omni circumstantia, aut modo eum reddente difficiliorem absolutè viribus naturæ nequit elici, vt patet ex dictis n.9. & 16. Atqui dicti actus sunt tales: ergo sunt in sua substantia supernaturales. Minor probatur Primò, ex Scriptura. Ioan.6. vbi Christus fusè docet, nos non posse ad ipsum venire, nisi Pater nos traxerit, scilicet dando nobis gratias præuenientes, aliaque auxilia ad id necessaria: venimus autem ad eum per actus fidei, spei & caritatis. Item c.15. expressè docet, nos sine eo, siue sine eius auxilio nihil posse facere, scilicet ad salutem pertinens. hinc Apostolus ad Rom. sæpissimè docet, fidem esse donum Dei, & nos Deum amare per caritatem dono Spiritus sancti diffusam in cordibus nostris. Ex quibus liquidò patet, nos eiusmodi actus non posse elicere sine Dei singulari auxilio.

Molina. *Turrianus.* *Ioan.6.* *Ioan.15.* *Roman.*

Secundò, ex Conciliis. nam Mileuit.c.4. & Arausic.II.c.5. & 6. apertè docent, & initium & profectum fidei esse ex diuina gratia, sine qua nihil in his possumus. & Trident.sess.6. can.3. dicit anathema dicentibus nos sine adiutorio Dei posse credere, sperare, aut pœnitere sicut oportet, vt nobis iustificationis gratia cõferatur. 40

Concil. Mileuit. *Concil. Arausican.* *Trident.*

Et ne dicamus hoc solùm posse dici de peccatoribus, eò quòd suis peccatis impediantur à bene operando; D. Augustinus lib. de Natura & gratia c.26. (cui consonat Arausicanum c.10. & 19.) expressè docet, nos non ideò præcisè indigere gratia ad bene operandum, quia peccatis ab eo impedimur; sed simpliciter, & per se, & quantumuis ab omni peccato simus liberi. & subiungit: *Sicut oculus corporis etiam perfectissimè sanus, nisi candore lucis adiutus, non potest cernere; sic homo etiam perfectissimè iustificatus* (scilicet iuxta sensum Pelagii, contra quem ibi agit, per nudam ablationem omnis omnino peccati, sine habituum supernaturalium infusione) *nisi æterna luce iustitiæ diuinitus adiuuetur, rectè non potest viuere.* vnde tam ipse quàm Prosper contra Collatorem, aliiq; Patres ac Concilia sæpè docent, nos nullum omnino opus ad salutem pertinens, posse facere sine gratia. hinc Arausic.c. 20. *Multa* (ait) *in homine bona fiunt, quæ non facit homo* (vt sunt gratiæ præuenientes, quas Deus dicitur operari in nobis, sine nobis; quia ad eas non concurrimus liberè & humano modo, siue ita vt possint nobis aliquo modo tribui) *nulla verò bona facit homo, quæ non Deus præstet, vt faciat homo.*

Augustin. *Concil. Arausican.* *Prosper.* *Concil. Arausican.* Cur Deus dicatur gratias præuenientes operari in nobis sine nobis.

Probatur Tertiò, quia si hi actus essent solùm supernaturales secundùm aliquem modum, hic vel consisteret in aliquo extrinseco, v.c. in difficultate aliqua, quæ in operando ratione tentationis, aut similis alicuius circumstantiæ occurreret: vel in aliqua realitate ipsi actui intrinseca, distincta tamẽ ab ipsius substantia: vel tertiò, in aliquo morali. nihil autem horum dici potest: ergo ipsi non sunt solùm supernaturales secundùm modum. 41

Minor probatur. nam si primum dicitur, tũc ablata illa difficultate (vt si nulla hîc & nunc occurrat tentatio, aut simile impedimentum, aut saltem non ita graue) posset homo sine gratia eiusmodi actus elicere, & ita sine gratia & adiutorio Dei homo saltem cum difficultate posset aliqua bona opera facere ad salutem pertinentia: atqui hoc est falsum, vt patet ex c.20. Arausic. citato. & Trident. sess.6. can.2. vbi ex Mileuit.c.5. & Afric.c.8. dicit anathema ei, qui dixerit, *Ad hoc solùm diuinam gratiam per Iesum Christum dari, vt facilius homo iustè viuere, ac vitam æternam promereri possit; quasi per liberum arbitrium sine gratia, vtrumque sed ægrè tamen & difficulter possit.* vbi apertè ostendit, gratiam Dei ad eiusmodi opera non solùm ratione alicuius extrinseci, sed per se requiri.

Concil. Arausic. *Trident.* *Mileuit.* *Afrisan.*

Confirmatur Primò, quia si gratia Dei solùm requi- 42

requireretur vt talis extrinseca difficultas tolleretur, sufficeret saltem sæpè gratia Dei extrinseca; qua Deus compesceret dæmonis tentationes, & mediantibus creaturis, siue externis obiectis, aut etiam per concionatores nobis suam voluntatem, exempla, beneficia, promissa benè operantibus præmia, &c. clarè & accommodatè proponeret, & ita in nobis pias aliquas cogitationes excitaret, quibus nos ad eiusmodi opera exercenda inflammaret. hac enim ratione communiter eiusmodi extrinseca difficultas sufficienter tolleretur: atqui illud est falsum; *Pelagius.* nam Pelagius eiusmodi gratias admittebat, & tamen est damnatus ab Ecclesia, requirente vt præterea confiteretur gratiam internam, quam Deus immediatè in nobis operatur, quaque vires operandi nobis tribuit. vt patet ex August. *August.* epist. 95. 96. 105. 107. & toto ferè libro de Gratia Christi, præsertim c. 9. 10. & 13. & magis patebit dubio 4. ergo gratia non requiritur solùm propter eiusmodi difficultates, sed quia eiusmodi actus secundùm se nostras vires naturales superat.

43 Confirmatur Secundò, quia aliàs neque angeli, neque primi parentes in paradiso ad eiusmodi actus exercendos, & consequenter ad merendam beatitudinem eguissent gratia; quia ipsi non paticbãtur eiusmodi difficultates, cùm & angeli naturaliter, & primi homines ex Dei prouidentia, rebellione carnis omnino carerẽt: atqui, vt ostendam conclus. secunda, hoc est falsum: ergo & illud vnde sequitur.

44 Secundum etiam dici nequit, quia nequit excogitari quis ille modus sit, nisi fortè dicatur esse, aut aliqua intensio ipsius actus (& hoc dici nequit: quia nulla certa intensio in his actibus requiritur, quia ad iustificationem sufficit quæuis vera contritio quantumuis remissa, modò habeat alia omnia requisita, vt ostendi tomo 2. de Sacramentis disp. 2. dub. 7.) aut aliqua facilitas aut delectatio in operando: sed ad hæc non requiritur semper necessariò gratia illa interna; sed sufficerent communiter habitus acquisiti, præsertim accedente gratia externa, de qua egi n. 42. Adde, sic gratiam solùm fore necessariam vt faciliùs, non autem vt simpliciter possemus *Trident.* eiusmodi opera facere: contra Trident. suprà.

45 Nec etiam tertium dici potest; quia nequit excogitari, quid sit illud morale, quo differat actus meritorius à non meritorio, nisi quædam dignitas quam actus accipit ab operante; qua ratione opera Christi ob dignitatem personæ operantis fuerunt infiniti valoris. Ex quo sequeretur Primò, omnia opera quibus peccator se ad iustificationem disponit, & præsertim fidei & spei, cùm fiant à peccatore, atq; ita non possint eam dignitatem à persona operantis accipere, non indigere vlla gratia; sed viribus naturæ fieri posse. quod apertè repugnat Trident. *Trident.* sess. 6. c. 5. & can. 3. Sequeretur Secundò, falsum *Arausicam.* esse quod docet Arausican. c. 25. & cum eo communiter Patres aliaque Concilia, scilicet ideo post peccatum Adæ liberũ arbitrium non posse sine auxilio gratiæ elicere eos actus, quia per illud debilitatum est & attenuatum. Quibus verbis apertè significat nos habere impotentiam physicam eliciendi eiusmodi actus; siue potentiam liberi arbitrij verè in ratione potentiæ eliciendi illos actus esse imminutam. secundùm aliam autem sententiam non esset verè ita imminuta: nam eos actus in se tam perfectos produceret quàm antea. Confirmatur. quia, si aliquis deponeretur à regia dignitate, & omni nobilitate spoliaretur, non ideo posset potentia generandi in eo dici attenuata, siue imminuta, quia antea poterat gignere filios nobiles & participes regiæ dignitatis, & postea id non posset: ergo similiter si liberum arbitrium posset iam actum amoris Dei in se tam perfectum producere, quàm ante peccatum Adæ poterat, non deberet dici per hoc attenuatum, præcisè quia non potest producere eos cum ea dignitate morali. Sequeretur Tertiò, frustra nobis infundi habitus supernaturales operatiuos; sed sufficere si nobis infundatur aliqua qualitas non operatiua, qua iustificemur; qualem volunt esse gratiam iustificantem ij omnes, qui hanc distinguunt à caritate. Adde, omnia opera quibus peccator se ad iustificationem disponit, præsertim fidei & spei, non esse verè & propriè meritoria, cùm fiant à peccatore: vnde sequitur ea non esse supernaturalia, nec ad ea requiri gratiam, *Caietan.* cùm secundùm Caietan. ideo præcisè opus aliquod sit supernaturale, quia est meritorium.

Ex quibus etiam confirmatur confutatio reliquorum modorum. nam cùm hi habitus non infundantur nobis, vt possimus certo modo operari. v. c. faciliter, delectabiliter, &c. (hæc enim, vt ostendam disp. 6. dub. 6. non conferuntur nobis per habitus supernaturales, sed per acquisitos, aut per gratias præuenientes) sed vt simpliciter possimus operari, siue eiusmodi actus facere; sequitur apertè hos actus secundùm se, siue secundùm suam substantiam superare nostras vires naturales, nosque ideo ad eos exercẽdos indigere præsidio supernaturali. 46

CONCLVSIO II. Actus fidei, spei & caritatis, quibus angeli ac primi homines salutem meriti sunt, etiam respectu ipsorum erant absolutè supernaturales. Est communis & omnino certa. Probatur, quia aliàs potuissent eos elicere sine gratia siue auxilio supernaturali: atqui hoc est falsum: ergo, &c. Minor patet Primò, ex damnatione propositionis contrariæ allatæ n. 37. Secundò, ex August. l. de Corrept. & gratia *August.* cap. 11. & 12. & l. 12. de Ciuit. c. 1. & 9. vbi sæpiùs apertè docet nec angelum nec hominem in paradiso sine gratia Deique auxilio, potuisse ad salutem peruenire. loquitur autem de auxilio ordinis supernaturalis & naturæ indebito, quia agit contra Pelagianos qui alia auxilia admittebant. Idem apertè de Adamo definit Arausicanum cap. 19. *Arausic.* 47 Actus theologici sunt etiam angelis supernaturales.

CONCLVSIO III. Probabilius est actus virtutum moralium, quibus iusti merentur vitam æternam, esse in sua substantia supernaturales. Ita Molina in sua Concordia, disp. 6. vbi docet omnia media, quibus vitam æternam acquirimus, esse absolutè supernaturalia. & quidam apud Vasquez 1. 2. disp. 217. n. 54. & consequẽter *Vasquez.* loquendo. id debent admittere qui admittunt habitus infusos virtutum moralium; quos citabo 48 Actus virtutum moralium sunt in substantia supernaturales. *Molina.*

bo disp.6.dub.2. Probatur conclusio Primò, quia omnia opera meritoria vitæ æternæ necessariò procedunt ex gratia, siue ex auxilio Dei supernaturali: atqui hoc esset falsum, nisi in sua substantia essent supernaturalia: ergo sunt talia. Minor satis patet ex probationibus primæ conclus. quia aliàs nulla esset ratio, cur eiusmodi opera sine tali gratia numquam possent fieri. Maior probatur ex Arausic. cap. 18. vbi dicitur: *Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia quæ non debetur, præcedit vt fiant.* Item cap. 20. dicitur nos nulla facere bona (scilicet vitæ æternæ meritoria) quæ Deus non præstat vt faciamus. &c. 7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ cogitare vt expedit, aut eligere, siue saluari, id est Euangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione spiritus, & est hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Euangelio dicentis, Sine me nihil potestis facere.* & cap. 9. *Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum vt operemur operatur.* & c. 20. *Nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet vt faciat.* Quibus decisionibus apertè omnia bona opera, quibus vitam æternam meremur, comprehenduntur.

Arausic.

49 Ex quibus patet nos indigere diuino auxilio ad facienda opera meritoria vitæ æternæ, non solùm ob moralem aliquam dignitatem in ijs ad hoc requisitam, sed propter operum ipsorum excellentiam, quæ naturales nostras vires superat. Aliàs non esset opus vt Deus nos in singulis supernaturali auxilio iuuaret, eaque nobiscum operaretur, sed sufficeret, quòd nos per gratiam habitualem quantumuis non operatiuam in filios adoptasset: quo posito possemus opera meritoria per naturæ vigorem, siue solis naturæ viribus elicere, non minùs quàm alia opera: quod tamen apertè dictis Arausicani definitionibus repugnat. Ratio autem harum conclusionum est: quia omnino decet media esse proportionata suo fini. cùm igitur finis noster, scilicet visio beatifica, sit in substantia sua omnino supernaturalis, planè decet etiam opera nostra, quibus tamquam medijs eam acquirimus, esse etiam in sua substantia supernaturalia. vt bene docet Molina citatus n. 48. Confirmatur, quia probabilior est, & iam communior sententia, iustificatis etiam infundi habitus virtutum moralium: atqui, vt in simili ostendi n. 45. & 46. hoc frustra fieret, nisi opera ab ijs procedentia, siue opera moralia bona, quibus cælum meremur, essent secundùm suam substantiam supernaturalia: ergo dicendum est esse talia.

Arausic. Actus nostri debent esse in substantia supernaturales vt proportionētur suo fini.

Molina.

50 Dices, Concilia non negant nos absolutè posse eiusmodi opera elicere sine gratia, sed solùm nos posse ea elicere vt oportet, siue vt expedit ad salutem consequendam. vt patet ex Arausic. can. 7. & Trident. sess. 6. can. 3. ergo insinuant nos posse ea viribus naturæ, secundùm suam substantiam producere, non tamen eo modo, quo conducunt ad salutem. Respondeo, nego consequentiam: solùm enim innuunt nos viribus naturæ posse elicere quædā bona opera similia ijs, quibus salutem consequimur; non tamē eiusdē ordinis. sicut angelus infimus naturæ viribus potest quidē intueri aliquod obiectum omnino idem, quod angelus supremus intuetur, & sic elicere visionem huius visioni aliqua ratione similem: vt tamen illud intueatur sicut oportet, vt adæquet huius visionem, siue vt eliciat visionem huic in perfectione substantiali æqualem; necessariò aliquo auxilio supernaturali debet iuuari. Et similiter vt liberum arbitrium eliciat actionem proportionatam fini omnino supernaturali, debet aliquo auxilio ei supernaturali iuuari: quia aliàs non posset actionem tam perfectam elicere.

Arausic. Trident.

Quid sit nos non posse elicere actus virtutum vt oportet sine gratia Christi.

Quo exemplo nostræ conclusiones multùm illustrantur ac confirmātur: nam, vt patet in dictis angelis, potentia absolutè & secundùm suā speciē perfectior producit effectum secundùm suam substantiam perfectiorem: atqui potentia cum habitu infuso est potentia absolutè perfectior & altioris ordinis, quàm sit potentia merè naturalis: ergo producit effectum secundùm suam substantiam perfectiorem & altioris ordinis, & consequenter supernaturalem in substantia. Quæ magis patebunt disp. 5. dub. 3. vbi explicabo an actus naturalis & supernaturalis necessariò differant obiecto formali: & exibi dicendis facilè soluentur quædam dubia, quæ hîc possent obijci. & quomodo D. Thomas 2.2. q. 171. a. 2. ad 3. dicat eos actus esse solùm supernaturales secundùm modum. 51

D. Thom.

Demum obijcitur hîc nobis auctoritas D. Augustini qui l. 2. de Prædestinatione cap. 14. ait, quosdam habere in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem si congrua suis mentibus, vel audiunt verba, vel signa conspiciunt; & tamen si Dei altiore iudicio à massa damnationis non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa adhibentur ijs dicta vel facta, per quæ possent credere, si vtique audirent talia vel viderent. vbi D. Augustinus præter naturalem cōstitutionem ipsius intellectus in istis, ad credendum non requirit aliam gratiam, quàm merè externam, scilicet Euangelij annunciationem, & confirmationem per miracula: quæ gratia non potest efficere vt actus sit supernaturalis in substantia, cùm in eum effectiuè non influat. 52

Augustin.

Quidam hunc locum ita explicant, quasi Augustinus velit externa illa auxilia opera hominum aut angelorum nobis subministrata sufficere, vt remotè aliquo modo disponamur ad conuersionē. & ita videntur eum intellexisse Cunerus l. de Gratia Christi c. 7. & Driedo l. 1. de Gratia & lib. arbit. c. 7. vbi docent, per eiusmodi auxilia conferri homini remotam quamdam salutem, & potentiam veniendi ad fidem, quæ tamen alia verè interna gratia debeat adiuuari, vt fides & vera salus acquirantur. & sunt quædam loca D. Augustini quæ huic explicationi fauent. Secundò, & meliùs alij intelligunt D. Augustinum ibi alijsque similibus locis sub illis externis auxilijs semper comprehendere internam Dei gratiam, quam præsertim non resistentibus semper simul interiùs inspirat, & gratiam adiuuantem, qua cum potentia ad actum supernaturalem concurrit. Sed hæc fusiùs disputare, spectat ad materiam de gratia.

Cunerus. Driedo. Augustin.

DV-

DVBIVM IV.

Quid senserit Pelagius de supernaturalitate actuum, quibus ad salutem pertingimus?

53 CVm qualitatem actuum quibus ad salutem pertingimus, maximè debeamus discere ex ijs, quæ Concilia sanctique Patres contra Pelagianos ac Semipelagianos disputantes de ijs definierunt: item cùm hæc perfectè intelligere nequeamus, nisi priùs intelligamus quid illi senserint, hoc breuiter hîc duxi explicandum. Rursum cùm, vtrùm & qua ratione aliquis actus sit supernaturalis, non possimus iudicare, nisi ex auxilijs supernaturalibus ad eum eliciendum necessarijs, vt intelligamus quid illi senserint de supernaturalitate istorum actuum, priùs explicandum nobis est, quid senserint de gratia ad dictos actus eliciendos necessaria, quæ hoc & sequenti dubio explicabimus. non quidem omnes eorum errores prosequendo (hoc enim ad tractatum de gratia spectat, à quo quantum fieri potest statui abstinere) sed eos solùm qui ad præsentem materiam explicandam spectant.

54 Quorum explicationem eo magis duxi necessariam, quòd ex eorum ignoratione videam multos tam in hac quàm in materia de gratia in grauissimas difficultates incidere, credentes in ijs quædam esse damnata quæ verè sunt catholica. Huic autem errori causam dedit, quòd tam Pelagiani, quàm Semipelagiani (vt D. Augustinus & Prosper sæpè de ijs testantur) quò eorum errores magis speciosi, & minùs à Scripturæ definitionibus abhorrentes apparerent, sæpè obscurè & ambiguè loquerentur, vt ita plus diuinæ gratiæ viderentur tribuere, quàm reuera tribuebant; vnde quod vno loco pro gratia catholicè asserebant, alio ita explicabãt vt totum euerterent. vnde multi quædam eorum dicta ab alijs aulsa per se considerantes, putant eos omnia alia sensisse, quàm reuera senserint, atque ita credunt quædam in ijs esse damnata, de quibus inter eos & Catholicos nulla vnquam fuit controuersia, aut etiam quæ ipsi numquam senserunt: vt patebit ex dicendis.

Augustinus. D. Prosper. Cur multi errent circa errores Pelagii, & Semipelagianorum.

55 Quod autem ad Pelagianos spectat, præcipua hîc est difficultas, vtrùm ipsi agnouerint veram gratiam internam, quam Deus non mediantibus externis creaturis, v.c. librorum lectione aut concionatoribus, sed immediatè per se nobis inspirat; quaque liberum arbitrium fiat potens liberè elicere actus ad salutem necessarios, ad quos eliciendos ex suis præcisè viribus est impotens. Cuius difficultatis solutio, (cùm Pelagianorum scripta non extent) ex ijs quæ D. Augustinus de ijs scribit, nobis eruenda est. Spero autem me ex his talia relaturum, ex quibus res ita clarè pateat, vt nulli veritatis amanti restet vlterior ea de re dubitandi locus.

Præcipua difficultas circa sententiam Pelagianorum.

Augustinus.

55 Didacus Aluarez l. 1. de Auxilijs disp. 1. docet Pelagium eiusque sectatores quadrupliciter diuersis temporibus de gratia sensisse, aitque eos Primò, omnem gratiam negasse. Deinde admisisse gratiam necessariam vt faciliùs Dei mandata seruaremus, quæ aliàs viribus naturæ absolutè possemus seruare, & hanc gratiam constituisse in sola doctrina externa, & Christi exemplo, docuisseque gratiam ad opera bona omnino necessariam esse solùm liberum arbitrium nobis gratis à Deo datum. Et hæc bene probat ex D. Augustino l. de Hæresibus hæresi 88. vbi dicit, Pelagium increpitum à Patribus, quòd nihil gratiæ Dei tribueret, dixisse: ad hoc eam dari hominibus, vt quæ facere per liberum iubentur arbitrium, faciliùs possint implerè per gratiam. Subdit autè Augustinus: *Dicendo vtique vt faciliùs possint, voluit credi etiamsi difficiliùs, tamen posse homines sine gratia diuina facere iussa. Illam verò gratiam Dei, sine qua nihil possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab eo accepit nostra natura, ad hoc tantùm adiuuante ipso per suam legem & doctrinam, vt discamus quæ facere & quæsperare debeamus.* Ex quibus apertè patet, Pelagianos per gratiam quæ dat nobis posse facere, intellexisse nudam naturam liberi arbitrij: per gratiam verò quæ iuuat ipsum posse, siue ipsam possibilitatem (vt aliàs vocant liberum arbitrium) quæque dat faciliùs posse, intellexisse nudam propositionem mandatorum & promissorum Dei. Idem de eo docet Augustinus lib. de Gratia Christi cap. 41. vt ostendam n. 64.

Augustinus.

56 Tertiò, ait eum postea conuictum aliorum argumentis concessisse etiam gratiam interiorem requiri ad posse bene operari, scilicet intellectus illustrationem ac voluntatis motionem: semper tamen negasse gratiam, qua Deus facit nos facere. Probat hæc Primò, ex varijs locis D. Augustini l. 1. de Gratia Christi, vbi cap. 7. adfert hæc verba Pelagij: *Adiuuat enim nos Deus per doctrinam & reuelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit: dum nobis ne præsentibus occupemur futura demonstrat: dum diaboli pandit insidias: dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cælestis illuminat.* Et ibidem c. 10. adfert hæc ipsius verba: *Operatur in nobis* (scilicet Deus) *velle quod bonum est, velle quod sanctum est: dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium tantùm præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit: dum reuelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem: dum nobis (quod tu alibi negare non metuis) suadet omne quod bonum est.*

Augustinus.

57 Probat Secundò, quia D. Augustinus alloquens Pelagianos eodem l. c. 14. ait: *Legant ergo & intelligant, intueantur & fateantur, non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna atque occulta mirabili atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solùm veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates.* Vbi Augustinus supponit, admisisse Pelagium Deum operari in nobis veras reuelationes, & solùm negasse ab eo fieri bonas voluntates. Sed hic locus meo iudicio contrarium probat. nam D. Augustinus ibi opponit doctrinam sonantem forinsecus internæ Dei operationi, apertè insinuans Pelagium illam solam admittere, & hanc negare. Nec refert quòd videatur supponere, Pelagiũ fateri Deum in nobis operari veras reuelationes, quia hę tam possunt fieri per externam locutionem, quàm per internam: nam dum alteri secreta aliqua pandi-

pandimus ac explicamus, excitando, adiuuando, & per scientiæ communicationem illuminando eius intellectum, veras in eo operamur reuelationes ; & tamen id facimus per solam doctrinam extrinsecus sonantem. Atque ita sine concessione gratiæ verè internæ facilè potuit Pelagius admittere, Deum in nobis operari veras reuelationes, suam nimirum voluntatem, legem ac promissa nobis per Prophetas & Scripturas reuelando. Adde, ex dictis D. August. verbis, nullo modo necessariò colligi Pelagium concessisse Deum in nobis operari veras reuelationes (hoc enim, vt illa verba in obuio & plano sensu vera sint, nullo modo requiritur) sed ex dictis D. Augustini verbis solùm necessariò infertur, Deum de facto præter illuminationem intellectus, etiam interna motione cordis operari in nobis bonas voluntates.

58 Quartò, ait discipulos Pelagij admisisse, veram internam gratiam esse absolutè necessariam, non quidem ad initia bonorum actuum, sed ad ea perficienda. Probat hoc ex varijs locis *August.* D. August. quibus inducit Pelagianos fatentes nos incipere bona opera, & Deum deinde nos iuuare. vt l. 1. contra duas epistolas Pelagianorũ c. 18. & l. 2. c. 5. & 6. & præsertim c. 8. vbi ait : *Isti* (scilicet Pelagiani) *volũt in homine ab ipso homine incipere cupiditatem boni, vt huius cœpti meritum gratia subsequatur, si tamen hoc saltem volunt. Pelagius enim facilius dicit impleri quod bonum est, si adiuuet gratia. Quo additamento, id est addendo facilius, vtique significat hoc se sapere, quòd etsi gratiæ defuerit adiutorium, potest, quamquàm difficilius impleri bonum per liberum arbitriũ.* & infrà: *Hoc enim nobis obijciendum putarunt, quòd inuito & reluctanti homini Deum dicamus inspirare, non quanticumque boni, sed ipsius imperfecti cupiditatem. fortassis ergo ipsi eo modo saltem seruant locum gratiæ, vt sine illa putent hominem posse habere boni, sed imperfecti cupiditatem ; perfecti autem non facilius per illam posse, sed nisi per illam omnino non posse.*

59 Sed nec hæc loca quidquam probant. Primò, quia dum August. in priore testimonio dicit: *Si tamen hoc saltem volunt*; & in secundo, *Fortassis ergo ipsi, &c.* apertè indicat esse dubium an senserint gratiam ea ratione esse necessariam. Secundò, quia, vt infrà apertis testimonijs probabo, quantumuis quandoque admitterent aliquam gratiam, qua voluntas nostra à Deo iuuetur, siue vt facilius, siue vt absolutè possit bene operari ; tamen hanc non volebant esse aliam quàm doctrinam nobis extrinsecus per legem, concionatores, exempla Christi, aut per similes modos propositam. Adde, etsi daremus eos Pelagianos agnouisse eiusmodi gratiam verè internam, inde tamen nullo modo sequeretur, quod Aluarez intendit, scilicet eos agnouisse veram internam gratiam qua reddamur verè potentes elicere actus quibus disponimur ad iustitiam. Quia, vt patet ex Mileuit. cap. 4. & Arausic. c. 5. ad hoc non solùm est necessaria illustratio intellectus, sed etiam motio voluntatis, qua Deus hanc immediatè mouet & adiuuat. Ex omnibus autem quæ Aluarez pro sua sententia adfert, etsi secundùm ipsius sensum explicentur, vt summum sequitur, aliquos Pelagianos admisisse aliquam internam illustrationem intellectus à Deo nobis immitti, vt facilius aut perfectius possimus operari : cum quo optimè consistit, eos negasse Deum immediatè infundere gratiam ipsi voluntati, qua ipsa fiat potens bene operari, quæque ad bene operandum sit absolutè necessaria. quod Augustinus semper ab ijs exegit : & illi semper negarunt.

Aluarez. *Concil. Mileuit.* *Concil. Arausican.* *Aluarez.*

Conclvsio I. Pelagius eiusque discipuli nullam omnino agnouerunt gratiam verè internam, siue quam nobis Deus immediatè interius inspirat ; sed omnem gratiam ponebant in donis naturæ, externa doctrina, exemplis Christi, &c. & per hæc sola dicebant Deum nos illuminare, mysteria sua reuelare, & stupentem nostram voluntatem excitare ; sicut præceptor in scholis, aut concionator è pulpito suos auditores illuminat, mysteria Dei reuelat, eos ad pietatem mouet, &c. Patet Primò, quia omnia eorum verba, quibus gratiam exprimunt, si bene considerẽtur, verè nihil aliud sonant, quàm externam doctrinam, vt patet ex ijs, quæ Aluarez vt contrarium probet, suprà attulit. 60 Pelagiani solam externam Dei gratiam ad, miserunt. *Aluarez.*

Secundò, quia D. August. id pluribus locis expressè docet, & maximè in libro de Gratia Christi, & epistola 107. atque adeò ijsipsis locis ex quibus Aluarez maximè conatur contrarium docere. Nam in dicta epistola initio sæpè testatur, Vitalem Pelagianum docuisse, Deum non aliter operari in nobis bonam voluntatem, ac gressus nostros dirigere, quàm proponendo nobis legem & doctrinam per prædicationem Euangelij, & quando nos ei assentimur, id naturali libertate facere. & deinde subiungit: *Si ergo ita præpararet ac operaretur Deus hominis voluntatem, vt tantummodo legem suam atque doctrinam libero eius adhiberet arbitrio, nec vocatione illa alta atque secreta ita eius ageret sensum, vt eidem legi atque doctrinæ accommodaret assensum ; proculdubio ea legere vel intelligere legendo, vel etiam exponere aut prædicare sufficeret, nec opus esset orare, vt Deus ad fidem suam infidelium corda conuerteret.* Vbi sic argumentatur: Si Deus non aliter præpararet voluntates infidelium, quàm proponendo ijs suam legem & promissa ; volentibus eos conuertere sufficeret ita ijs proponere ac explicare Scripturas, vt possent eas intelligere, nec esset opus rogare Deum, vt eos ad fidem conuerteret. Quæ argumentatio nulla fuisset, si Pelagiani credidissent Deum nobis legentibus aut audientibus Scripturas interius immediatè illuminare intellectum, aut excitare voluntatem : nam Augustino respondissent, non sufficere legere aut prædicare Scripturas; sed requiri præterea internam illam gratiam, & Deum orandum vt hanc det. 61 *August.* *Vitalis Pelag.*

Item l. de Gratia Christi c. 9. *Quid enim*, ait, *iuuat Pelagium, quia diuersis verbis eandem rem dicit, vt non intelligatur in lege atque doctrina gratiam constituere, qua possibilitatem naturæ asserit adiuuari?* Ex quibus patet, Pelagium admisisse quidem gratiam adiuuantem, sed solam externam. Patet Secundò, responsio ad loca suprà pro contraria sententia allata: nam varia illa verba, quibus Pelagiani aliquando videntur veram gratiam 62 *August.*

tiam significare, ex eorum sensu teste D. Augustino solam externam doctrinam significant.

63 *Augst.* Item capite 13. ibidem ait : *Hæc gratia si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, vt altiùs & interiùs eam Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere, nec solùm per eos, qui plantant & rigant extrinsecus* (vt scilicet volunt Pelagiani) *sed etiam per seipsum, qui incrementum administrat occultus.* Sanè si Pelagiani concesserint Deum non solùm per concionatores, libros, & similia obiecta externa, sed etiam per se immediatè suam doctrinam nobis interiùs inspirare, ac intellectum illuminare ; iniuriam illis facit D. Augustinus, qui solùm prius illis tribuit, & vt secundum etiam fateantur, toties, ac tam importunè, quasi id pertinaciter negarent, ab ijs efflagitat.

64 *Augst.* Item ibidem cap. 41. de Pelagio ait : *Tria illa constituit, possibilitatem, voluntatem, & actionem* (id est, vt August. infrà c. 47. explicat, naturam liberi arbitrij, volitionem, & operationem) *& solùm possibilitatem dicit diuino semper adiuuari auxilio, voluntatem autem, & actionem nullo Dei adiutorio æstimat indigere. ipsum verò auxilium quo possibilitatem naturalem perhibet adiuuari, in lege constituit atque doctrina, quam nobis fatetur etiam à S. Spiritu reuelari* (scilicet per Scripturas) *propter quod & adorandum esse concedit* (scilicet vt Scripturas nobis integras conseruet, nec permittat interire, aut vt infidelibus concionatores, qui Scripturas explicent, destinet:) *sed hoc adiutorium legis atque doctrinæ etiam Propheticis fuisse temporibus; adiutorium autem gratiæ, quæ propriè gratia nuncupatur, in Christi arbitratur esse exemplo. quod nihilominus ad doctrinam pertinere perspicuis, quæ nobis Euangelica prædicatur, vt videlicet tamquam via demonstrata, qua ambulare debeamus, iam viribus liberi arbitrij, adiutorio nullo vlteriùs indigentes sufficiamus nobis, ne deficiamus in via: quamuis ipsam viam contendat, & sola inueniri possenatura, sed faciliùs si adiuuet gratia.*

Pelagius gratiam nouo testamento propriè ponebat in Christi exemplo.

65 Ex quibus patet Primò, cùm Pelagiani, teste Augustino, gratiam præcipuam, & Christo propriam constituerint in solo Christi exemplo (quam patet non posse dici gratiam, siue doctrinam nobis intrinsecus inspiratam) eos multò magis per omnem aliam gratiam, solam externam doctrinam intellexisse, quibuscumque nominibus eam erroris sui occultandi gratia vocarint: vt etiam docet August. c. 9. suprà citato n. 62. Patet Secundò, Pelagium etiam ipsam gratiam, quæ datur vt faciliùs bene operemur, constituere in sola externa doctrina.

Augst.

66 Cur Pelagius admiserit gratiam quæ iuuaret possibilitatem, non tamen volitionem aut operationem.

Patet Tertiò, cur Pelagius concesserit gratiam, qua iuuetur possibilitas, non tamen eam qua iuuetur volitio, & operatio. & contrà cur August. ibidem c. 47. ita ab eo exegerit gratiam qua hæc iuuentur: quia scilicet ille admittebat solam externam doctrinam, quæ iuuat nos quidem in ijs cognoscendis, quæ facienda sunt, tamen non influit in ipsam volitionem aut operationem, nec dat voluntati vires, quibus possit implere quæ facienda sunt; sed hoc fit per gratiam internam & caritatem, quam Spiritus sanctus diffundit in cordibus nostris, vt docet Apostolus ad Roman. c. 5. & 7. & Mileuitanum cap. 4. & August. pluribus locis. quam gratiam Pelagius negabat. *Augst.*

Roman. 5. & 7. Mileuit.

Conclvsio II. Quæstio præcipua Catholicis cum Pelagianis fuit, an ad facienda opera pertinentia ad salutem, sufficiat sola doctrina externa, an verò præterea requiratur gratia, quam Deus immediatè cordibus nostris inspiret, quaque intellectus illuminetur, & voluntas confortetur, ac iuuetur in sua volitione & operatione? quod Catholici asserebant, illi negabant. Patet Primò, ex dictis concluſ. 1. Secundò, quia D. August. sæpissimè illam gratiam quam admittebat Pelagius, opponit gratiæ internæ, quasi ille hanc nullo modo admitteret, vt patet ex epistola 107. suprà citata, & epistola 95. vbi ait: *illam confiteatur* (scilicet Pelagius) *apertissimè gratiam, quam doctrina Christiana demonstrat & prædicat esse propriam Christianorum, quæ non est natura, sed qua saluatur natura, non auribus sonante doctrina, vel aliquo adiumento visibili, sicut plantatur quodammodo & rigatur extrinsecus, sed subministratione spiritus & occulta misericordia, sicut facit ille qui dat incrementum.* Vbi distinguit gratiam extrinsecam ab intrinseca, docetque Pelagium illam solam agnouisse, ideoque ab eo exigit vt veram internam gratiam fateatur nobis esse necessariam: apertè insinuans tunc fore vt Catholici nullam ampliùs ei de gratia Christi moueant difficultatem, & consequenter totam quæstionem de gratia Christi inter eos in hoc puncto consistere, vtrùm ad bene operandum nobis interna gratia sit necessaria, sine qua bonum opus nec incipere, nec perficere possimus. Vnde etiam lib. de Gratia Christi c. 47. expressè docet, nullam sibi cum Pelagio de gratia fore vlteriùs quæstionem, si cõfiteatur eam gratiam, qua roboretur & iuuetur voluntas vt velit & faciat id, quod per legem nouit faciendum, iuxta dicta in fine concl. 1.

67 Quæ fuerit præcipua quæstio inter Catholicos & Pelagianos.

Augst.

68 Hinc patet eos decipi, qui putant olim Catholicis cum Pelagianis præcipuam fuisse quæstionem non de gratia præueniente, qua datur nobis posse bene operari, sed de gratia huic superaddita, quæ ita datur priùs natura, quàm operemur, vt faciat nos operari, quasi prior non detur nobis vt operemur, & vt iuuet nos in operando, sed solùm vt det posse operari.

Probant tamen suam sententiam primò, quia D. August. epistola 107. dicit hanc inter eos esse quæstionem, vtrùm præcedat hæc gratia, an subsequatur nostram voluntatem. *Hoc est, vt planiùs, ait, loquar, vtrùm ideo nobis detur quia volumus, an per ipsam etiam Deus efficiat vt velimus?* Confirmatur, quia ibidem reprehendit Vitalem, docetque eum Ecclesiæ orationi contradicere, eò quòd diceret Deum in nobis ita operari bonam voluntatem, vt si velimus fiat ; si autem nolimus, nihil in nobis valere Dei operationem faciamus. Ergo fuit inter eos quæstio, vtrùm præter gratiam, quæ verè dat nobis posse bene operari, requiratur alia, quæ faciat nos benè operari. Secundò, quia S. August. libro de Gratia Christi cap. 47. requirit gratiam, qua iuuentur non solùm posse, sed etiã volitio & actio. Tertiò, quia fuit inter eos præcipua quæstio de gratia propria Christo : atqui talis non est gratia

August.

excitans, quæ solùm dat nobis posse bene operari; quia hæc fuit etiam collata Adamo : ergo de hac non fuit quæstio, sed de gratia quæ facit nos operari, quæ est propriè gratia Christi. Quartò, quia Pelagius respuebat gratiam, quia putabat eam tollere libertatem : atqui facilè videbat hoc non conuenire gratiæ excitanti, cum qua satis patet consistere libertatem: ergo fuit illis solùm quæstio de gratia, quæ efficaciter facit nos operari.

69 An S Augustinus distinguat gratiam quæ dat posse ab ea quæ facit nos operari.

Sed eos hac in re decipi clarè patet ex dictis. Adde, duplicem illam gratiam actualem præuenientem, quarum altera det solùm posse, & non iuuat in imperando, altera verò faciat nos velle & operari, numquam fuisse ab Augustino assertam, aut cognitam : etsi enim Augustinus eam gratiam quæ facit nos velle & operari, sæpè distinguat ab ea gratia, qua Pelagius dicebat nobis dari posse bene operari (quam, vt ostendi suprà ex c.41.& 47.de Gratia Christi, ipse constituebat in solo libero arbitrio) nullibi tamen eam distinguit à gratia actuali, quam Deus nobis interiùs immediatè confert, quaque voluntatem corroborat, ac vires operandi præbet. Imò lib.de Gratia & libero arbitrio c.16.& alibi apertè indicat eandem esse gratiam quæ nobis dat vires operandi, cum ea quæ facit nos operari. docet enim Deum facere vt faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati : quod nihil est aliud quàm ipsum huic dare eam gratiam, qua ita corroboretur vt fiat potens facilè operari. Hanc igitur gratiam solùm distinguit à natura, quam Pelagius vocabat gratiam, qua datur nobis posse. & à doctrina externa, quam ille vocabat gratiam, qua datur faciliùs posse, vt patet ex dictis concluſ.1. vnde etiam Trident. sess.6. c.5.& canon. 4. apertè insinuat eandem esse gratiam, qua Deus voluntatem præuenit excitando, & cui iam excitati liberè cooperamur.

Trident.

70

Ad primum argumentum contrarium, Respondeo ibi solùm dici Pelagium sensisse Deum dare nobis gratiam, quia priùs habuimus bonam voluntatem, atque ita ex meritis: Augustinus verò contrà asserere Deum dare gratiam priùs, quàm bene velimus, atque ita sine meritis quæ nihil contra nos faciunt. Ad confirmationem, nego assumptum. nec enim D.Augustinus ibi reprehendit Vitalem eò quòd negaret Deum ita in nobis operari assensum, vt non relinqueret in nostra potestate dissentire, atque ita facere eius operationem inefficacem (sic enim ei Tridentinum sess.6.c.5.apertè repugnaret) sed quia dicebat Deum solùm in nobis operari bonam voluntatem, dando nobis legem, & deinde nos omnino relinquere nostro arbitrio sine alio auxilio. nam Vitalis apud Augustinum ibidem ad illud Apostoli, *Deus operatur in nobis velle & perficere*; respondet : *Per legem suam, per Scripturas suas, Deum operari vt velimus, quas vel legimus, vel audimus; sed ijs consentire vel non consentire, ita nostrum est, vt si velimus, fiat; si autem nolimus, nihil in nobis valere Dei operationem faciamus.* Quæ pro aduersarijs nihil omnino faciunt, sed nostram conclusionem clarè probant; nam Vitalis ibi apertè negat omnem gratiam præter doctrinam.

Trident.

Augustin. Vitalis.

71

Ad secundum, Respondeo id apertè pro nobis facere. quia, vt patet ex dictis concluſ.1. Augustinus ibi solùm requirit, vt Pelagius præter naturam liberi arbitrij (quam vocat possibilitatem, quia putabat nos per eam absolutè posse seruare mandata) & præter externam doctrinam (qua Pelagius dicebat liberum arbitrium adiuuari vt faciliùs benè ageret) concedat veram gratiam internam, quæ voluntatem iuuet cùm volumus & operamur: quod dicimus fieri per gratiam excitantem secundùm mentem Augustini & Tridentini. Agimus autem hîc solùm de gratia præueniente, abstrahendo ab eo an præter eam requiratur aliqua concomitans ab illa distincta.

Augustin. Trident.

72

Ad tertium, nego minorem: neque enim vnquam Augustinus aut vllum Concilium negauit gratiam internam, qua voluntas nostra redditur verè potens benè operari, esse gratiam Christi; nec Pelagius vnquam talem gratiam concessit, vt suprà ostendi; neque huic aliisue hæreticis cum Catholicis fuit tunc vlla quæstio, qua ratione gratia verè sufficiens ad operandum distingueretur ab efficaci (vt volunt aduersarii;) sed vtrùm ad omnia opera bona ac ad initium fidei esset necessaria vera interna gratia, quæ nobis sine vllo merito detur, & quæ voluntati det vires ad bene operandum, & in eo iuuet, vt patet ex dictis. vnde etiam D.Augustinus l.de Gratia & lib.arbit.c.16.sæpè docet, Deum facere vt aliquid velimus & faciamus, nihil esse aliud, quàm ipsum præparare nostram voluntatem, eique dare efficacissimas vires bene operandi, quibus scilicet ita confortetur, vt res etiam difficillimas facilè faciat.

Augustin.

73

Videntur autem contrariæ sententiæ Auctores maximè hîc niti auctoritate D.Augustini in cap.10.11.& 12.lib.de Correptione & gratia, vbi distinguit gratiam nobis datam à Christo, qua fit vt perseueremus, à data Adamo in paradiso, qua potuit perseuerare, non tamen perseuerauit. quod illi ita accipiunt, quasi hæc fuerit cum Pelagianis difficultas, quòd ipsi concederent hanc nobis dari, illam verò negarent. Sed vel ex hoc ipso loco facilè potuissent contrarium colligere, si eum diligenter & attentè legissent. Primò, quia ibi solùm est quæstio de dono perseuerantiæ, quod dicitur nobis dari, tamen non fuisse datum Adæ in paradiso. Augustino autem cum Pelagianis fuit quæstio non tam de dono perseuerantiæ, quàm de gratia necessaria ad singula bona opera, vt patet ex pluribus ipsius locis. Quæstio autem de dono perseuerantiæ postea excitata est à Semipelagianis.

Secundò, quia Augustinus ibidem cap.10. apertè contrarium docet his verbis: *Hinc exoritur alia quæstio non sanè contemnenda.* & infrà: *Quæritur enim à nobis quantum attinet ad hoc donũ Dei, quod est in bono perseuerantiæ vsque in finem, quid de primo homine sentiamus*, &c. vbi apertè docet, occasione aliarum difficultatum, quas contra Pelagium disputabat, posse quidem moueri, atque adeò aliquos fortè mouisse quæstionem de gratia Adami, qualis fuerit, & an acceperit donum perseuerantiæ : hanc tamen esse distin-

distinctam à quæstione quam ipse contra Pelagium tractabat.

74 Distinguit autem ibidem gratiam Adami à nostra. Primò, quasi ab effectu, quòd illa non fecerit eum perseuerare, hæc autem faciat nos perseuerare, dependẽter tamen à libero vtriusque arbitrio. vt apertè ibidem docet. vnde infert Secundam differẽtiam, quòd nostra sit efficacior; quia ille cũ sua gratia non perseuerauit, cùm facilè posset; nos cum nostra in summis difficultatibus perseueramus. Tertiò, capite 11. initio insinuat differentiam maximè intrinsecam, quòd Adam habuerit solùm gratiam habitualem, nos autem continuò ferè accipiamus actuales, quibus præcipuè fit vt perseueremus. verba ipsius sunt: *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam, sed disparem. Ille in bonis erat, quæ bonitate sui conditoris acceperat: neque enim ea bona & ille suis meritis compararat, in quibus nullum patiebatur malum; Sancti verò in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum, Libera nos à malo. Ille in illis bonis Christi morte non eguit; istos à reatu & hereditario & proprio illius agni sanguis absoluit. Ille non opus habebat eo adiutorio, quod implorant isti, cùm dicunt: Video aliam legem in membris meis, repugnãtem legi mentis meæ,* &c. Deinde fusè pergit ostendere nobis ob luctam carnis contra spiritum frequenti & potentiore gratia opus esse, qua ille liber ab illa lucta, aliisque molestiis vt perseueraret in bono non indigebat.

75 Vbi notandum quod dicit, *Ille in bonis erat quæ bonitate conditoris sui acceperat.* Quia scilicet vt libro 12. de Ciuit. c. 9. de angelis ait: *Deus in eo erat simul condens naturam, & largiens gratiam.* vbi apertè indicat ipsum initio suæ creationis accepisse gratiam habitualem (neque enim hæc possunt de actuali gratia, quæ non simul ab initio, sed pro diuersis occasionibus diuerso tempore datur, intelligi) qua posset perseuerare si vellet. & deinde his conformiter negat ipsum ad perseuerandum eguisse eo auxilio (actuali scilicet) quod quotidie imploramus, & sine quo non possumus perseuerare. vnde consequenter inferiùs ait: *Tunc ergo dederat Deus homini bonam voluntatem: in ea quippe cum fecerat rectum. dederat & adiutorium sine quo in ea non posset permanere, si vellet.* (ecce quomodo docet hoc totum adiutorium initio creationis datum fuisse; quod de gratiis actualibus, quæ sæpiùs debent dari, dici nequit) *vt autem vellet, in eius reliquit arbitrio.* & infrà: *Sed quia noluit permanere, profectò eius culpa est, cuius meritum fuisset, si permanere voluisset: sicut fecerunt angeli sancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium per idem liberum arbitrium steterunt ipsi,* &c. Vbi hominem creatum in bona voluntate accepto semel auxilio ad perseuerandum necessario, ideo dicit suo deinde relictum arbitrio, & angelos per idem liberum arbitrium steriisse, per quod alii ceciderunt: quia Deus donatos semel gratia habituali, nullis ampliùs gratiis actualibus ad perseuerandum excitauit, sicut nos quotidie excitat, atque ita illos sibi suoque arbitrio relinquit; nos verò facit vincere, quoties vincimus, quia scilicet quotidiana sua gratia nos ad consensum impellit, illos non. Possunt hæc explicari pulchro exemplo. ponamus enim aliquem principem, qui duos mittat vt occidant duas feras, quarum vna sit ligata, vt non possit lædere nisi volentem, & facillimè possit superari: altera verò sit soluta & libera. Detque vtrique arma necessaria, vt suam feram quisque superet. sed missum ad priorem suæ industriæ planè relinquat: secundo verò diuersa consilia ac modos pugnandi suggerendo, actrepidanti animos addendo, & defatigato vires refocillando, eumque ad pugnam excitando assistat. Quo casu etsi vterque vincere armis à principe acceptis, tamen ille propriè diceretur secundum fecisse vincere, non autem priorem; sed hunc reliquisse suæ industriæ & arbitrio, quantumuis ligando priùs feram ei fecerit pugnam longe faciliorem quàm secundo. Sic Adam pugnauit cum sensualitate planè ligata ac domita, nos cum soluta & ferociente. Ideoque continuis auxiliis nobis opus est, quibus Deus nobis pugnam facilitet & ad eam impellat, atque ita faciat nos vincere. Hæc pluribus explicui, quia video multos in horum capitum intelligentia magnas pati tenebras, & ex illis plurima inferre à veritate ac mente D. Augustini penitus aliena. Multas tamen difficultates, quæ commodè hîc potuissent tractari, & sine quarum explicatione res hæc non potest plenè intelligi, sponte omitto; quia nullo modo intendi hîc explicare naturam gratiæ, aut quæ debeat dici sufficiens, quæ efficax; & quomodo hæc ab illa differat; sed solùm volui explicare difficultatem merè historicam, scilicet quid tam Pelagiani, quàm Semipelagiani de natura ac necessitate actuum supernaturalium senserint. quod ad præsentem tractatum directè spectabat.

Cur angeli ab Augustino dicantur potiùs stetisse libero arbitrio, quàm nos.

Cur Deus sua gratia dicatur nos facere vincere, non tamen Adamum.

Quare nos potius egeamus gratijs actualibus, quã Adam.

Ad quartum, nego primam partem minoris. 76
nam, etsi hæc concordia gratiæ etiam verè internæ cum nostra libertate facilis sit ei, qui gratiæ munus & naturam bene intelligit; est tamen difficilis iis, qui illa non capiunt, sed putant omnino esse alia, quàm reuera sint. vt olim contigit Pelagianis, qui ideo negarunt veram gratiam internam, ne cogerentur negare liberum arbitrium, sicut nostri iam hæretici negant liberum arbitrium, ne negent gratiam: sed vtrique ex crassa ignorantia, & maligna voluntate id faciunt; Catholici verò quia facilè vident gratiam cum libertate posse consistere, vtraque asserunt.

Conclvsio III. Pelagiani nullos agnouerunt in hac vita actus supernaturales nobis necessarios vt ad iustitiam disponamur, aut vitam æternam mereamur. Sequitur ex dictis. quia illi actus non sunt supernaturales, quos possumus elicere viribus naturæ sine vllo speciali diuino auxilio, quo vires nostræ adiuuentur, & corroborẽtur siue eleuentur: atqui, vt patet ex dictis, secundùm illos possumus ea ratione solis viribus naturæ elicere omnes actus nobis vt ad iustitiam disponamur, & vitam æternam mereamur, necessarios: ergo secundùm illos omnes hi actus non sunt supernaturales. nec video positis præcedentibus conclusionibus quid contra hanc possit obiici. 77

DVBIVM V.

Quid senserint Semipelagiani de actibus supernaturalibus hîc ad salutem necessarijs?

78 HI, Pelagii damnatione edocti, cautiùs de gratia & libero arbitrio loquuntur, & sæpè verbis vim & necessitatem gratiæ maximè extollunt, & Pelagium eam negantem damnãt, cùm tamen in hoc puncto reipsa parum, aut nihil ab eo recedant. Quandoque enim damnantes penitus Pelagium loquuntur omnino catholicè, ad omnem omnino actum conducentem ad salutem præuiam gratiam necessariam asserentes: quod tamen paulò pòst aliis verbis euertunt. vt Prosper lib. contra Collatorem ex Cassiani collat. 13. sæpè ostendit. vnde factum, vt multi in eorum erroribus recensendis, & in Conciliis quibus damnati sunt, explicãdis multùm à scopo aberrent, multaque tamquam in iis damnata enumerent, de quibus nulla iis vnquam cum Catholicis fuit controuersia. Quæ omnia facilè ex eorum scriptis demonstrarem, nisi statuissem hîc ea solùm persequi, quæ ad actuum supernaturalium naturam explicãdam pertinent. Quare hîc solùm inquiremus qualem gratiam illi crediderint esse necessariam, vt eos actus possimus elicere, quibus ad iustitiam disponimur, & vitam æternam promeremur; vt inde colligamus, an, & qua ratione agnouerint, actus nostros, ad salutem necessarios, esse supernaturales.

Semipelagianorum fraus.

Prosper.

79 Didacus Aluarez de Auxiliis disp. 2. multas & varias eorum de necessitate gratiæ sententias ex Fausto Regiensi, & Cassiano recenset. sed in iis multæ sunt, quibus idem omnino dicitur; quædam etiam quæ ad præsentem materiam non pertinent. Quare aliis omissis, ex ijsdem pauculas seligam ad nostrum spectantes propositum, & de quibus est aliqua difficultas quomodo ab illis intellectæ sint.

Did. Aluarez. *Faustus Regiens.* *Cassian.*

Prima propositio. *Liberum arbitrium sine gratia Dei ad salutem sibi non sufficit.* ita Faustus l. 1. de Libero arbitrio c. 1. vbi ait: *Ego arbitror quòd libertas arbitrij sibi sola sufficere sine præsidio gratiæ non potuerit, etiam antequam illius priuilegium trãsgressio violaret. Quo modo verò nunc potest sibi sola sufficere, ad cuius arrogantiam dicitur: Quia sine me nihil potestis facere?* & c. 11. ait: *Qui verò vel initium operis sibi præsumit arrogare, vel finem, ad illum meritò dicitur, Nisi Dominus ædificauerit domum, &c.* Vnde etiam ibidem c. 6. explicans illud 1. ad Corinth. 15. *Gratia Dei sum id, quod sum,* docet in nostris bonis operibus primas partes gratiæ tribuendas.

Faustus *1. Cor. 15.*

80 Consonat his Cassianus collat. 13. c. 3. vbi ait: *Ex quibus manifestè colligitur, non solùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium: qui nobis & initium sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum quæ rectè cupimus, tribuit peragendi: omne enim datum bonum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à Patre luminum. Qui & incipit quæ bona sunt, & exequitur & consummat in nobis.* Quæ referens Prosper lib. contra Coll. *In qua* (inquit) *sententia si auctor ipsius permaneret, Ecclesiasticam regulam non excederet.*

Cassian. *Prosper.*

Secundò, docuerunt initium fidei & virtutis esse ex nobis, consummationem ex Deo. Ita de iis testantur Hilarius & Prosper litteris ad August. præfixis libro de Prædestinatione. Idem insinuat Faustus lib. 1. de Libero arbitrio cap. 7. quamuis ibi obscurè & implicatè loquatur. Sed clarissimè id docet l. 2. c. 10. vbi lumen rationis vocat ignem à Deo nobis infusum, qui ab homine cum Dei gratia nutritus operatur fidem & desiderium promissionum. & subdit: *Ostendit itaque gens illa* (scilicet Niniuitæ) *ea quæ saluti hominis competunt ipsa ordinatione factura Deum intra hominem collocasse, & ante munera Redemptoris* (id est ante gratiam Christi) *circa rationabilem creaturam semper auctoris dona viguisse: à conditore quidem summo præscita per naturam, sed confirmanda per gratiam. Per gratiam inquam, in cuius tempore præteritorum salus erat consummãda sæculorum: quia nihil ad perfectum adduxit lex, vel literæ, vel natura.* Vbi docet antiquos ante Christum sine huius gratia per dona naturæ potuisse facere quæ erant saluti necessaria. vnde ibidem docet, Nabuchodonosorem solis naturæ viribus potuisse Danielis consilium amplecti & sequi. & plura similia habet.

81 *Hilarius.* *Prosper.* *Faustus.*

Item Cassianus collat. 13. c. 12. ait: *Dubitari ergo nõ potest ineſſe quidem omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio creationis inserta; sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incremẽtum perfectionis non poterunt peruenire.* & cap. 8. *Qui* (scilicet Deus) *cum in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim, & incitat ad salutem: incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantauit, vel nostro conatu viderit emersisse.*

Cassian.

Tertiò, docuerunt facienti viribus naturæ quod in se est, Deum dare gratiam. Faustus l. 1. c. 13. explicans illud ad Romanos 9. *Miserebor cui voluero,* ait: *Ita hæc elocutio intelligenda est. Miserebor cui voluero, id est quem iustum esse cognouero, cuius promptam fidem videro, quem præceptis meis obedire perspexero, quem meam facere probauero voluntatem.* & cap. 16. *Nam Deum quolibet tempore qui quæsuit inuenit, & qui inuenisse nõ visus est, non quæsiuit.* & l. 2. c. 8. *In centurione Cornelio quia præcesit voluntas gratiam, ideo præuenit & gratia regenerationem.* Idem pluribus locis habet Cassianus, quibus docet Deum exspectare nostras voluntates, & pulsantibus atque clamantibus dare gratiam.

82 *Faustus.* *Ad Rom. 9.* *Cassianus.*

Quia tamen hæc propositio: *Facienti viribus naturæ quod in se est, Deus dat gratiam,* etiam à multis Catholicis asseritur; videndum quo sensu ab illis asserta sit. multis enim eos minùs cautè legentibus videntur docere, nostros illos conatus qui gratiam præcedunt, hanc nullo modo mereri, ne quidem de congruo, atque ita eos omnino idem sensisse, quod iam multi Catholici docent. Quia Faustus l. 1. c. 17. ait: *Sed ante omnia arrogãtiam laboris fugiamus, ne nobis quidquam de eius meritis vindicemus, ne Pharisæum imitari mortifera iactantiæ præsumptione videamur. Nam cùm ille orans indubitanter verum diceret, Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo; euacuauit veri fidem, quia veritati misceit vanitatem. non ergo*

Faustus.

operatio,

Cassianus. *operatio, sed cordis elatio declinanda est.* Item Cassianus collat. 13.cap.16. *Nemo autem æstimet hæc à nobis ob hoc fuisse prolata, vt nitamur astruere summam salutis in nostræ fidei ditione consistere, secundum quorumdam profanam opinionem, qui totum libero arbitrio deputantes gratiam Dei dispensari secundùm meritum vnius cuiusque definiunt.*

83 Proponitur triplex difficultas circa sensum Semipelagianorum.

Quod igitur ad rem præsentem attinet, triplex hìc est difficultas. Prima, vtrùm illi senserint facienti viribus naturæ quod in se est, ita dari gratiam, vt illius opera sint verè per se causa, cur Deus daret gratiam, saltem per modum dispositionis. Secunda, vtrùm in operibus viribus naturæ factis agnouerint veram rationem meriti. Tertia, vtrùm agnouerint veram gratiam internã ad exercenda opera quibus ad salutem pertingimus necessariam. De hac tertia tamen difficultate Auctores non ita agunt: nam ex eo quòd hi damnarent Pelagium, & absolutè requirerent gratiam, vt voluntas possit in virtute perfici & ad finem suum pertingere, sine vlteriore inquisitione communiter ferè supponunt eos agnouisse veram internam gratiam ad supradicta necessariam: solumque negasse, eam semper esse necessariam ad initium fidei bonorumue operum. Si quis tamen eorum verba, quibus supradictam gratiam (quam dicunt à Deo credentibus, desiderantibus, petentibus conferri) describunt, attentè consideret, meritò dubitabit, an aliam gratiam agnouerint, quàm externam, quam ipse etiam Pelagius concedebat; vt patebit ex dicendis concl.2.

Cur aliqui circa sensum Semipelagianorum sint decepti.

84 *Aluarez.*

Quod ad primam & secundam difficultatem attinet; Aluarez disp.2.n.15 & 26 disp.49. nu.12. & quidam alii putant eos numquam sensisse opera viribus naturæ facta posse dici veram causam cur Deus det gratiam, aut ex se conducere ad salutem, aut habere vllam rationem meriti. Probant, quia Faustus & Cassian. citati n.82. expressè dicunt opera nostra viribus naturæ facta non mereri gratiam. Item Cassian. ibidem c.13. ait: Gratiam Dei ita semper adiuuare liberum arbitrium, *vt nonnumquam etiam ab eo quosdam conatus bonæ voluntatis vel exigat vel exspectet; nec pœnitus dormienti, aut inerti otio dissoluto, sua dona conferre videatur: occasiones tantummodo quærens quibus humanæ segnitiei torpore discusso, non irrationabilis munificentiæ suæ largitas videatur. dum eam sub colore cuiusdam desiderij ac laboris impertit: & nihilominus gratia Dei semper gratuita perseueret; dum exiguis quibusdam paruisq; conatibus tantam immortalitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona inæstimabili tribuit largitate.* & infrà: *Quantumlibet ergo emisa fuerit humana fragilitas, futuræ retributioni par esse non poterit; nec ita laboribus diuinam imminuit gratiam, vt non semper gratuita perseueret.*

Faustus.

Cassian.

Vnde Auctores illi inferunt illam multis celebratam sententiam, *Facienti viribus naturæ quod in se est, Deus dat gratiam.* quantumuis *ipsum facere quod in se est* dicatur nullam habere rationem meriti, sed solùm esse occasionem, siue conditionem sine qua non, cur Deus det gratiam; nihilominus in Fausto & Cassiano esse damnatam ab Arausicano cap.6. vbi damnantur dicentes nobis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus misericordiam Dei conferri.

Arausic.

Sed quidquid sit de veritate illius propositionis, *Facienti quod in se est*, &c. de qua hìc nolo disputare, mihi difficile videtur dicere eam ab Ecclesia vnquam fuisse damnatam, cùm plurimi maximi nominis Theologi eam semper tenuerint, vt fusè ostendit Vasquez 1.p.disp.91.c.10. & apertè eam tenuit D. Thomas q.14. de Veritate a.11. ad 1. vbi ait: *Si enim aliquis taliter (id est in filuis) nutritus ductū naturalis rationis sequeretur in appetitu boni & fuga mali, certissimè tenendum est, quòd Deus ei vel per internam inspirationem reuelaret ea, quæ ad credendum sunt necessaria: vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.* Et ad secundum ait: *Quamuis nõ sit in potestate nostra cognoscere ea quæ sunt fidei ex nobis ipsis; tamen si nos fecerimus quod in nobis est, vt scilicet ductum naturalis rationis sequamur, Deus non deficiet nobis ab eo, quod nobis est necessarium.* & q.24.a.1.ad 2. *Gratiam autem quæ opera meritoria facit, quamuis homo non possit ex libero arbitrio acquirere; potest tamen se ad gratiam habendam præparare, quæ ei à Deo non denegabitur, si fecerit quod in se est. & ideo non est omnino extra potestatem liberi arbitrij opera meritoria agere, quamuis ad hoc per se potestas liberi arbitrij non sufficiat.*

85

Vasquez. D. Thom. Quid senserit D. Thomas de hac propositione, facienti quod in se est, &c.

Respondent aliqui, D. Thomam ibi agere de faciente quod in se est, priùs moto gratia præueniente. Sed hoc dici nequit loquendo de gratia strictè sumpta, & verè interna, de qua contra Pelagium fuit disputatio. Primò, nã D. Thomas ibi loquitur de faciente quod in se est, sequendo ductum rationis naturalis: qui autem agit ex gratia præueniente, non sequitur ductum naturalis rationis, sed ductum gratiæ eum illuminantis. Secundò, quia aliàs tam esset in nostra potestate habere gratiam, & cognoscere quæ sunt fidei, quàm sit facere quod in nobis est: quia secundùm illam responsionem neutrum possumus sine gratia, & certum est nos vtrumque per gratiam posse. cùm tamen D. Thomas apertè doceat magnum inter hæc esse discrimẽ; & secundùm longè aliter esse in potestate liberi arbitrii, quàm prius, quod docet per se non esse in potestate liberi arbitrii, sed solùm quatenus est in eius potestate facere quod in se est: ergo vult hoc immediatè esse in potestate liberi arbitrii. Vnde etiam q.24. citata, intendens ostendere qua ratione nullus sit impossibile consequi gratiam, qua opera meritoria faciat, apertè docet, liberum arbitrium ex se quidem non posse eam habere; posse tamen ad eam se præparare, & hac ratione esse in eius potestate eam habere. Quæ omnino nugatoria sunt, si intelligatur solùm velle liberum arbitrium posse se, non ex se, sed per gratiam ad habendam gratiam præparare. planè ac si vellet probare nudum & famelicum posse habere cibos & vestes, si velit, quia si eas emerit, statim eas habebit; & interim supponeret eum nihil habere, vnde eas emeret.

86

Confirmatur, quia in 2.d.28.a.4. expressè 87
docet, hominem vt se præpararet ad gratiam recipiendam, non indigere alio Dei auxilio quàm concionatoris aut alterius externi obiecti, quo

ad huiusmodi cogitationem & voluntatem excitetur: & huius auxilij indigentiam non aliunde nasci, quàm quia non possumus incipere aliquid cogitare nisi priùs ab aliquo extrinseco ad hoc excitemur. vocat autem illud auxilium gratiam, quia ex Dei prouidentia (sicut etiam creatio, gubernatio, & cursus totius mundi) in salutem nostram ordinatur. cùm autem D. Thomas hoc loco agat de præparatione ad gratiam habitualem; intelligendus omnino est de præparatione remota, quatenus nimirum homo agens viribus naturæ quod in se est, à Deo accipit gratiam, qua se proximè ad gratiam habitualem disponat. Nec his obstat quod 1.2.q.109.a. 6. & q.112.a.3. docet, nos non posse nos præparare ad gratiam per liberum arbitrium sine actuali gratia, quia agit apertè de proxima dispositione ad gratiam habitualem: quam fides docet, sine gratia haberi non posse.

D. Thom.

88 Semipelag. agnouerunt verum meritum in operibus naturalibus.

Conclvsio I. Semipelagiani agnouerunt verum meritum in operibus viribus naturæ factis. Ita eorum dicta intellexit Prosper contra Collatorem pluribus locis, & ita sentiunt ij omnes, qui docent viribus naturæ facienti quod in se est infallibiliter conferri gratiam: quia hi communiter distinguunt suam sententiam à sententia illorum, quòd illi sentirent se suis operibus mereri gratiam, quod hi negant.

D. Prosper.

Faustus.

Conclusio autem ex verbis Semipelagianorum probanda est. Probatur igitur ex Fausto, quil.1. de Libero arbitrio c.17. cùm explicuisset qua ratione nos Pater trahat ad Filium, tandem subdit: *Hoc loco sollicitiùs requiratur vtrùm quisque trahi velit, an nolit. si non vult, absolutè, attrahentis beneuolentiam non meretur. si autem vult, ecce iam cum Deo & hominis consensus operatur. nemo, inquit, venit ad me nisi Pater traxerit eum. quomodo attrahentem vides, cur dissimulas videre venientem? & ideo sicut gratia est quod attrahitur, ita obedientia probatur esse quod sequitur. Hæc attrahentis Dei misericordia si dignis datur, aduertis quia iam & studio humanæ vtcumque seruitutis impenditur: si verò indignis, consequens est, vt etiam improbis non negetur. & euidenti miseratione bonitas Dei indifferenter & iustis & peccatoribus offeratur. sed is, quem perspicis attrahentem, requirit omnimodis præcepta seruantem, vt per quãdam voluntatis ansulam comprehendi & attrahi valeat, qui vocatur.* Vbi dum ait, hanc misericordiam dignis dari, & studio humanæ seruitutis impendi, apertè agnoscit eam dari propter merita. Et l.2. de Libero arbitrio c.8. fusè docet, Deum data nobis gratis libertate voluntatis, vt vlteriorem gratiam conferat, prærequirere in nobis bonam voluntatem siue vsum bonum datæ libertatis. & subdit: *Et in centurione Cornelio, quia præcessit voluntas gratiam, ideò præuenit etiam gratia regenerationem. nihil hic, vt opinor, redolet præsumptionis, cùm & hoc ipsum necessariliter asseram, quòd Deo ipsam debeam voluntatem. Præsertim cùm in omnibus eius motibus ad opus gratiæ referam vel inchoationis initia vel consummationis extrema.*

89 Deinde pergit eadem confirmare ex obsequio Abrahæ, quem propria voluntate, sine auxilio gratiæ Deum vocantem dicit secutum; & ex pugna Iob, quem propria libertate aut hosti restitisse, & iunxisse magnitudinem cordis cum auxilio protectoris. quo scilicet Deus propria libertate pugnantem ne diabolus hanc ei auferret, impediebat. & subdit: *Ac sic iustitia remunerantis deuotionem pugnantis ostendit.* & infrà de Raab ait: *Hæc etiam in salutem cum omni domo sua fide operante suscipitur. de qua legimus, Fide Raab meretrix non periit cum incredula. vnde hic extra legem positi accusantur increduli, nisi quia legem naturæ, cui fides iuncta est, seruare noluerũt? vnde obijcitur incredulitas, nisi quia in promptu fuit credendi facultas? liberi itaque arbitrij ratio facit, vt remuneretur credens, & damnetur incredulus.* Vbi Nota illa verba, *Iustitia remunerantis*; & *Vt remuneretur credẽs*; quę apertè meritum respiciũt. Deinde tã hoc quàm sequentibus capitibus fusè conatur probare, omnibus inesse bene operandi facultatem, qua ad Dei cognitionem, fidem ac gratiam peruenire possint. Ex quibus patet, illum istorum Sanctorum præclara illa virtutis ac fidei opera in sacris Literis ita laudata, & in quibus Scriptura verum meritum agnoscit, naturæ viribus adscribere: ijsque nihilominus verum meritum, & quidem de condigno tribuere, dum docet, Deum illorum operum fuisse iustum remuneratorem: nam iusta remuneratio soli merito, de condigno datur.

Consonat his Cassianus collat.13.cap.11. vbi ait: *Sin verò gratia semper inspirari bonæ voluntatis principia dixerimus, quid de Zacchæi fide, quid de illius in cruce latronis pietate dicemus? qui desiderio suo vim quamdam regnis cælestibus inferentes, specialiter vocationis monita præuenerunt.* Potuitne vnquam Cassianus credere actibus ita in Scriptura laudatis, quibusque tanta præmia sunt tributa, nullam inesse vim merendi? aut quomodo potuit dicere eas actiones intulisse vim regnis cælestibus, si omnem rationem meriti ijs negarit, imò nisi magnam vim merendi ijs tribuerit? certè talia nequeunt dici de actione, quæ sit mera occasio siue causa omnino per accidens gratię.

90 *Cassian.*

Idem cap.12. cùm fusè conatus esset docere, hominem ita à Deo factum, vt posset naturaliter bene agere, addit: *Vnde cauendum nobis est, ne ita ad Dominum omnia Sanctorum merita referamus, vt nihil nisi id quod malum atque peruersum est, humanæ adscribamus naturæ.* Item l.6. de Spiritu fornicat. cap.18. ait: *Quia & diuersa sunt dona, & non omnibus vna gratia Spiritus sancti tribuitur, sed ad quam se vnusquisque studio vel industria sua dignum aptumq; præbuerit. Denique cùm in omnibus Apostolis sanctis virtus integritatis perfecta fuisse credatur, abundantiùs tamen scientiæ donum exuberauit in Paulo, quia se ad hanc aptum solerti studio atque industria præparauit.* Potuitne clarius dicere humanæ naturæ aliqua merita ita asscribenda esse, vt in Deum eiusque gratiam referenda non sint, quàm dicendo, *Cauendum nobis, ne omnia Sanctorum merita in Deum referamus?*

Cassianus.

Probatur conclusio. Secundò, quia illi videntur omnino credidisse, nulla opera facta ex vera gratia posse esse laude digna aut meritoria. Quod de Cassiano clarissimè patet ex dicta collat.cap.14. vbi agens de fide Centurionis ita à Christo laudata Matth.8. ait: *Nullius omnino laudi esset ac meriti, si id in eo Christus, quod*

91 *Cassian.* *Matth.8.*

ipse

ipse donauerat præstitisset : alioqui dixisset, Non dedi tantam fidem in Israël. Vbi eò quòd Christus ita laudat fidem Centurionis, & quia dixit, *Non inueni tantam fidem in Israël*, conatur probare eam non fuisse donum Dei, nec processisse ex gratia, sed ex solo libero arbitrio, quia aliàs non fuisset laude digna; & Christus debuisset dicere, Non dedi tantam fidem in Israël. Hinc etiam cap.13. operibus viribus naturæ præuenientis gratiam Dei factis, docet dari æternam retributionem: & sic fidei latronis quæ Dei gratiam & vocationem secundùm eum præcesserat, ait promissum paradisum. & Dauidi, quia dixerat *Ego peccaui* (quod ibidem docet propriæ voluntatis ipsius, scilicet sine adiutorio gratiæ, fuisse opus) peccata remissa esse. Quæ clariora fient ex solutione obiectorum & conclusione sequenti.

92 *Faustus.* Eadem omnino videntur sensisse Faustus & reliqui Semipelagiani, quia commune omnibus fuit huius erroris principium, scilicet veram gratiam internam, qua voluntas interiùs roboratur, & quam D. Augustinus cum alijs Catholicis asserebat ad opera meritoria esse necessariam, euertere libertatem. Vnde, vt patet ex Cassiano suprà, inferebant opera ita facta non esse laude digna aut meritoria. Hinc etiam Faustus l.1.cap.17. & sæpè alibi, tacitè culpans sententiam D. August. sæpè pro defensione gratiæ adferentis illud Ioannis 6. *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum*; ait impiosse qui hoc violenter & duris nexibus fieri putant; & deinde totam rationem trahendi in externa gratia ponit, vt infrà ostendam. hinc etiam l.2. c.8. fidem Raab & Centurionis, Abrahæ in sequendo Deum promptam voluntatem, & constantiam Iob tribuit naturæ viribus, ne aliàs nullius meriti vel laudis sint. Ex his facile erit soluere argumenta contraria, quæ ostendam nostram conclusionem apertè probare.

August. Semipelagiani putarunt internã gratiã euertere libertatem. *Cassian.* *Faustus.* *Ioan.6.* *Faustus.*

93 *Faustus.* Ad locum igitur citatum num.82. ex l.1. Fausti cap.17. Respondeo illum ibi nullo modo negare, eiusmodi opera viribus naturæ facta esse verè meritoria apud Deum: sed solùm asserere nos non debere de meritis nostris gloriari instar Pharisæi illius, quem merita sua iactantem non dicit mentitum fuisse, sed indubitanter vera dixisse, euacuasse tamen veri fidem, quia veritati miscuit vanitatem; scilicet de suis meritis gloriando. Vnde subdit, *Non ergo operatio* (scilicet meritoria & ad salutem pertinens) *sed cordis elatio vitanda.* Respondeo Secundò, eum etiam dicere nos non debere nobis nostra merita tribuere, sed Deo; quia, vt docet l.2.c.8. ipsam naturam voluntatis & naturale lumen, quibus ea opera facimus, à Deo accepimus, ideoque totum quidquid boni facimus debemus ei adscribere.

94 *Cassianus.* Ad primum locum Cassiani citatum nu.82. Respondeo eum ibi nullo modo negare, nos operibus ex solo libero arbitrio factis aliquid mereri, aut gratiam ob eiusmodi merita tribui (cùm ibi apertè contrarium asserat) sed solùm negare, summam nostræ salutis ita totaliter nostræ fidei tribuendam, aut gratiam Dei secundùm merita ita dispensari, vt Deus nobis non amplius tribuat quàm mereamur. vnde subdit: *Sed absoluta planè pronunciamus sententia, etiam exuberare gratiam Dei, & transgredi interdum humanæ infidelitatis angustias.* Vbi non dicit, gratiam Dei nulla ex parte respondere nostræ fidei viribus naturæ elicitæ: sed solùm eam etiam exuberare & transgredi. Quo sensu Theologi dicunt, Deum remunerare nostra merita supra condignum. Additque *Interdum*, vt ostendat id non semper fieri.

95 *Cassian.* Similiter ad secundum locum citatum num. 84. ex ipsius cap.13. Respondeo eum ibi non dicere, nos illis conatibus ex libero arbitrio procedentibus nihil omnino mereri; aut Dei gratiam, quæ illis præcedentibus cõfertur, ideo esse gratiam, quia per illos conatus eam nulla ex parte meremur: sed quia Deus exiguis conatibus tantam gloriam tribuit, quæ nostra merita incomparabiliter superat. vnde sententiam suam probat ex illo ad Romanos 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* *Roman.8.*

96 Vbi Nota, eum ipsam gratiam, quam ibidem dicit intuitu talium conatuum conferri, non constituere in aliquo auxilio quo voluntas hîc iuuetur ad operandum; sed in collatione sanitatis, & remissionis peccatorum, & donatione vitæ æternæ, quæ ipse docet nostris operibus viribus naturæ factis à Deo tribui. Vnde ad probandam suam sententiam, adfert exemplum Reguli, Iohannis 4. & Paralytici Matth.9. qui plus obtinuerunt quàm sperabant: & Dauidis 2.Regum 12. qui dicendo, *Peccaui*, obtinuit veniam peccatorum. Quare dicendum aut ipsum omnino negasse nos nostris operibus vllo modo mereri vitam æternam, aut fatendum eum in operibus viribus naturæ factis aliquod meritum agnouisse. Nec refert quòd ibi eos conatus non vocet merita, sed solùm occasionem dandi gratiam: quia id facit inuidiæ declinandæ, & erroris sui magis occultandi causa. vnde etiam cùm esset quæstio de gratia præueniente, qua Deus voluntatem hîc iuuat vt bene operetur, subitò transfert disputationem ad munificentiam Dei in remittendis peccatis, & æterna gloria conferenda, vt hac ratione omnia miscendo & turbando facilius lateat. *Iohan.4.* *Matth.9.* *2.Reg.12.*

97 Ex quibus patet nostram conclusionem vel ex ijs ipsis locis, quæ alij contra nos citant, multùm confirmari. Quare sæpè mecum miratus sum viros aliàs doctos hoc non aduertisse: atq; adeò sibi persuasisse ex ijs locis contrarium nostræ conclusionis posse probari.

Prosper. Patet Secundò, iure optimo Prosperum toties objecere Collatori, siue Cassiano, ipsum docere gratiam Dei dari ex meritis. Item quo sensu ab Arausicano cap.6. iustissimè damnati sint dicentes, *Sine gratia Dei credentibus, desiderantibus & pulsantibus nobis misericordiam conferri.* Quia illud Concilium maximè fuit congregatum cõtra Cassian. & Faustum, ijsque adhærentes, quorum sensum iam satis explicui, quemque solùm damnare Concilium intendit. *Arausic.*

98 Conclvsio II. Quantumuis Cassianus & Faustus, erroris sui occultandi causa, sæpissimè gratiæ vim & necessitatem deprædicent; ta-

Semipelagiani negarunt omnem gratiã actualem internã.

men videtur probabilius eos nullam veram gratiam quam Deus nobis immediatè interiùs inspiret, quaque voluntatem corroboret ad opera, quibus nos hîc ad iustitiam disponimus, aut gloriam meremur, necessariam agnouisse: sed (saltem præter remissionem peccatorum) solam externam gratiam, quæ in lege, doctrina, gloriæ pollicitatione, gehennæ minitatione, contra diaboli vim aliasque externas iniurias protectione, alijsque similibus auxilijs externis consistat, concessisse.

Probatur Primò, quia, vt ostendi suprà n. 91. ipsi credebant veram libertatem, & consequẽter veram rationem meriti & actionis laudabilis cum alia gratia non posse consistere; hinc omnia Sanctorum facta, quibus in Scripturis laus & meritum tribuitur, asscribebant soli libero arbitrio, vt ostendi nu. 88. 89. & 90. ergo ipsi sentiebãt eiusmodi internam gratiam non esse necessariam ad exercendos actus meritorios.

99 Probatur Secundò, quia, etsi sæpè multùm deprædicent necessitatem gratiæ, quæ vel præueniat nostros conatus, ac bona desideria, vel ea sequatur ac iuuet, quoties tamen explicant quid per eiusmodi gratiam intelligant, nihil aliud proferunt, nisi externas illas gratias suprà recensitas, aut etiam ipsum liberum arbitrium & naturale lumen gratis nobis datum: quam

Faustus. solam gratiam Faustus l. 2. de Libero arbitrio c. 8. docet, ipsi fidei, qua ad Deum accedimus, alijsque bonis operibus necessariò præponi: & sic explicat quæ dixerat lib. 1. c. 1. citatus n. 79.

Quomodò Semipelag. credebant nos trahi à Deo.

Hinc lib. 1. cap. 17. ait: *Nemo, inquit* (scilicet Christus) *venit ad me nisi Pater meus traxerit eum: numquid velut insensibilis vel inepta materies, de locó ad locum mouendus est & trahendus? sed assistenti & vocanti domino famulus manum fidei qua trahatur extendit, & dicit: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.* Vbi Primò sugillat Catholicos, dicẽtes non sufficere externam vocationem, sed præterea requiri vt Deus interiùs immediatè intellectum & voluntatem excitet, & ad se trahat: ideoque docet ipsos nos facere similes ligno, quod voce vocantis non attrahitur, sed opus est alia motione immediatè ei impressa. Cõtrà verò ipse comparat nos famulo qui vocem domini vocantis audiens, statim mouetur, & credit ei obediendum esse, atque ita fide tamquam extensa manu apprehensus quocumque iubentis voluntas eum traxerit, pergit. Hinc inferiùs subdit: *Quid est autem attrahere, nisi prædicare, nisi Scripturarum consolationibus excitare, increpationibus deterrere, desideranda proponere, intentare metuenda, iudicium comminari, præmium polliceri?* Ex quibus clarè patet, eum non aliam Dei nos attrahentis gratiam, quàm illam externam agnoscere: si enim aliam nouisset, eam etiam hîc recensuisset. Deinde infrà docet hanc attractionem quandoque dignis dari, & humanæ seruituti impendi, quandoque etiam indignis.

100 Similiter Cassianus collat. 13. cap. 13. 14. 15. 16. totam Dei gratiam in eo ponit, quòd Deus per externam vocem vocauit discipulos suos, quando in terris fuit, aut aliàs absens per Prophetas, Scripturas, concionatores, similesque modos aliquem vocet; aut magna benè operantibus promittat aut tribuat; quòd tentationes auertat & moderetur, ne supra vires nostras grauemur; quòd vim dæmonis, ne pro voluntate nos expugnet, cohibeat. Hinc cap. 14. describens heroicam illam Iobi contra diabolum pugnam, & in tentationibus patientiam ac constantiam, Primò, docet expressè ipsum non Dei auxilio, sed suis viribus cum diabolo congressum, eumq; superasse. Deinde subdit: *Licet etiam gratia Dei non in totum illi defuisse credenda sit, quæ tantam tentatori tentandi tribuit facultatem, quantam & illum resistendi nouerat habere virtutem. non eum ab illius impugnatione sic protegens, vt nullum virtuti humanæ relinqueret locum* (prout scilicet secundùm ipsum dicunt Catholici, qui internam gratiam ad victoriam requirunt) *sed hoc tantùm procurans, ne violentissimus inimicus animam eius amentem faciens & impotem sensu imparem atque iniquo certaminis pondere prægranaret.* Ecce, in quibus ponat omne Dei auxilium in tanta victoria Iobo exhibitum. Similia his sunt quæ habet cap. 13. de Dauidis peccato & pœnitentia. Vbi cùm laudasset Dei gratiam, quæ tam facilè tam grauia peccata Dauidi pœnitenti remiserat, subdit: *Quòd igitur homicidium adulterio addidit, liberi vtique arbitrij fuit; quòd autẽ arguitur per Prophetam, diuinæ dignationis est gratia. Rursum quòd peccatum suum humiliatus agnouerit, propriæ libertatis est opus; quòd verò sub breuissimo temporis puncto indulgentiam tantorum criminum promeretur, Domini miserentis est donum.* Cernis quomodo hîc non aliam agnoscat gratiam in laudatissima illa Dauidis pœnitentia, quàm externam Prophetæ admonitionem, & Dei in remittendis peccatis facilitatem; ipsam verò pœnitentiam iuxtà ac homicidium libero Dauidis tribuat arbitrio; & consequenter in vtroque actu æquale Dei agnoscat auxilium, id est omnino nullum.

101 Semipelagiani solis ferè verbis à Pelagio discrepant.

Ex quibus patet, quantumuis Faustus, Cassianus, alijque ijs adhærentes verbis sententiam Pelagij damnarint, & gratiæ vim & necessitatem deprædicarint, vt Catholicis persuaderent se longè aliter quàm Pelagianos de gratia sentire, illudque fortè Prospero, Hilario, alijsque Catholicis ex parte persuaserint; tamen re vera aut nihil, aut valdè parum ab illius sententia discessisse: nisi fortè quòd Pelagius docuerit nos viribus naturæ, etiam sine doctrina legis, Prophetarum & concionatorum, aliaque simili externa gratia posse peruenire ad salutem; & hi id negarint. Ne autem hac ratione viderentur Gẽtibus quibus Euangelium prædicatum non est, reddere salutem impossibilem, docebant etiam in horum potestate esse hanc gratiam consequi, si, prout ingenij & naturalis luminis virtute poterant, in Deũ crederent, opera bona exercerẽt, à Deo adiuuari peterent, atque ita manum qua attraherentur Deo porrigerent. vt expressè docet Faustus l. 2. c. 8. 9. & 10. & insinuat Cassianus locis suprà citatis.

Faustus. Cassian.

CONCLVSIO III. Probabilius est Semipelagianos, præsertim Cassian. & Faustum, nõ agnouisse vllum ex ijs actibus, quibus nos ad iustitiam disponimus, & gloriam meremur, esse verè supernaturalem. Sequitur ex dictis, quia omnis 102

nis actus supernaturalis requirit necessariò principium supernaturale: atqui illi, vt patet ex dictis, voluerunt nos omnes eiusmodi actus posse viribus naturæ producere: ergo voluerunt eos non esse supernaturales.

DVBIVM VI.

Vtrùm assensus theologicus, sit supernaturalis, eiusq; habitus infusus?

103 Quæ cõclusio dicatur theologica.

NOta Primò, Auctores communiter vocare illam conclusionem theologicam, quæ deducitur ex duabus præmissis quæ sunt de fide, aut ex vna de fide & altera naturali lumine cognita. sed prior pars huius descriptionis habet aliquam difficultatem: quia omnis conclusio, quæ per necessariam consequentiam deducitur ex duabus præmissis de fide necessariò cõtinetur sub alterutra, tamquam particularis sub generali. sicut hæc, *Homo est sensibilis*; continetur sub hac, *Omne animal est sensibile*: quare si hæc sit de fide, etiam illa erit de fide (vt patebit ex dicendis disp.6.num.16.17.18.) & consequenter non erit propriè conclusio theologica; poterit tamen circa eam haberi assensus theologicus ab eo, qui non aduertens eam esse de fide, ei assentitur, non quia est reuelata, sed quia ex reuelatis clarè deducitur. Sed quidquid hac de re sit, inter omnes constat, vt aliqua conclusio sit theologica, necessariò saltem alterutram præmissam debere esse de fide. vnde plurimi inferunt, vt aliquis circa conclusionem theologicam eliciat assensum verè theologicum, requiri, vt vel vtramque præmissam (si vtraque de fide sit) vel saltem alterutram (si hæc sola sit de fide) vera fide diuina eredat: vnde vlteriùs inferunt, assensum verè theologicum non posse reperiri in hæretico. Et hanc sententiam sequitur Gilius in 1.p.l.1.tract.2.c.3.n.2.3.&4.& Turrian. 2.2.disp.46. dub.10. §. *Et hac opinione*. Contrarium tenet Vasquez 1.p.d.1.n.9.

Gilius. Turrianus. Vasquez.

104 Est igitur hîc difficultas Primò, an, vt quis habeat assensum theologicum, necessariò alterri præmissarum assentiatur fide diuina? Secundò, vtrùm assensus theologicus sit in substantia sua supernaturalis? Tenendo enim partem affirmatiuam in priore difficultate hoc videtur asserendum. nam ille effectus est in substantia supernaturalis, qui necessariò producitur à principio effectiuo supernaturali: atqui hic est talis: ergo est supernaturalis. Minor patet; nam assensus præmissarum, qui hîc necessariò est supernaturalis, influit effectiuè in assensum conclusionis. Tertiò, est difficultas vtrùm habitus theologicus sit supernaturalis in substantia? quidam enim tenentes partem affirmatiuam in secunda difficultate, credunt etiam consequenter hanc partem affirmatiuam esse tenendam. ita Heruæus quodl.5.qu.19. quibus etiam ex parte consentiunt, qui putant habitum theologicum esse eundem cum habitu fidei. Ita Scotus in 3.d.35.q.1. Aureolus q.1. prologi a.2. §. *In processu verò* 2.

Heruæus.

Scotus. Aureolus.

105 Pro horum autẽ resolutione Nota Secundò, assensum fidei, quo Catholicus credit v.g. Deũ esse trinum & vnum, ab eo, quo hæreticus idem credit, etsi ponamus vtrumque ob eamdem rationem formalem id credere (quod an fieri possit, Doctores disputant, & infrà suo loco videbimus) dupliciter tamen distingui. Primò, quòd prior eliciatur à principio supernaturali in substantia, atque ita sit in substantia supernaturalis: secùs verò fit in secundo. Secundò, quia prior tendit in obiectum modo omnino infallibili, ita vt eum esse falsum sit omnino impossibile, nõ solùm ratione obiecti quod nullo modo se aliter habere potest, sed etiam ratione modi tendendi; quia nimirum eo modo tendit in obiectum, quo implicat aliquid tendere in obiectum falsum. vt ostendã infrà disp.14.dub.5. secùs verò est in modo assentiendi quo hæreticus fertur in obiecta fidei: qui eodem modo credit falsa ac vera; atque ita assensus, quo credit vera obiecta fidei, est ex se natus tam tendere in obiectum falsum, atque in verum.

Assensus Catholici circa idem obiectum fidei dupliciter differt ab assensu hæretici.

Nota Tertiò, etsi in assensu Catholici dicta numquam de facto separentur, ita vt aliquis assensus circa obiecta fidei sit supernaturalis, qui dicto modo omnino infallibili non feratur in obiectum; aut vt aliquis dicto modo feratur in obiectum, qui non sit supernaturalis; tamen absolutè loquendo si Deus vellet hæc possent disiungi. nam si Deus crearet homines in statu puræ naturæ, ijsque quædam supernaturalia reuelaret ac credenda proposuisset, hi modo omnino infallibili ea credidissent, & tamen actu naturali. Idemque dicendum esset, si Deus in aliquo fideli impediret habitum supernaturalem, ne in actum fidei influeret; hic actu verè naturali, modo tamen omnino infallibili res fidei crederet. Quæ fusiùs in materia de fide explicabo ac probabo.

107 Aliquid dupliciter potest esse causa alicuius actus.

Nota Quartò, aliquid dupliciter posse esse principium siue causam actus intellectus aut voluntatis. Primò, solùm proponendo obiectum: qua ratione, qui mihi proponit rem pulchram, est causa cur eam videam, aut etiam amem. & qui mihi clarè rem aliquam mihi priùs obscuram explicat, est causa cur illam intelligam. Secundò, effectiuè in eum influendo: qua ratione tam potentia, quàm habitus supernaturales, sunt causa actus supernaturalis.

108 Actus dupliciter potest dici supernaturalis.

Hinc sequitur, actum aliquem posse dupliciter dici supernaturalem. Primò, generatim: qua ratione omnis actus, qui alterutro ex dictis modis necessariò pendet à principio supernaturali, potest dici supernaturalis. Secundò, strictiùs: qua ratione ille solus actus dicitur supernaturalis, qui ex se, siue ratione suæ perfectionis requirit principium effectiuum quo immediatè producatur, supernaturale, siue quod habeat hîc & nunc vim operandi supernaturalem. Et quidem inter omnes constat, assensum theologicum esse priore modo supernaturalem, quia constat eum pendere ab aliquo principio supernaturali modo reuelato: sed eadem ratione actus fidei, quo hæreticus credit mysterium Trinitatis, est etiam supernaturalis, quem tamen communiter Theologi solent vocare actum naturalem. Quæstio igitur hîc est, vtrùm assensus theologicus sit secundo modo supernaturalis?

109 Nota Quintò, vt actus hoc secundo modo sit.

sit supernaturalis, non sufficere eum quacumque ratione effectiuè produci à principio supernaturali: sed necesse esse vt hoc principium qua supernaturale, siue modo supernaturali in eum influat. Sicut enim vt aliquis effectus sit infinitus, non sufficit quòd producatur à causa infinita (nam aliàs omnia à Deo initio creata fuissēt infinita) sed requiritur vt hæc infinitè in eum influat. sic vt aliquis effectus sit in se supernaturalis, non sufficit quòd producatur à causa supernaturali, sed requiritur vt hæc in eum influat, qua supernaturalis est, siue modo supernaturali, & qui vires naturales superet. Hinc si Deus infunderet alicui v.c. artem sculpendi omnino supernaturalem, qua non solùm subitò fieret potens excellenter sculpere, sed etiam posset ita sculpere, vt eum nulla arte naturali possent alij imitari. & hic faceret deinde statuā ea ratione & perfectione qua ab alijs naturaliter fieri potest; hæc procederet quidem effectiuè ab arte supernaturali; non esset tamen opus in se supernaturale, sed verè in se naturale, & vt summum supernaturale per denominationem extrinsecam, quatenus ab arte supernaturali procederet.

Non omnis effectus causæ supernaturalis est in se supernaturalis.

110 *Ad assensum theologicū qualis requiratur assensus præmissarum.*

Conclvsio I. Vt aliquis eliciat assensum verè & propriè theologicum, non sufficit eum assentiri conclusioni per necessariam consequentiam deductæ ex principijs fidei, sed necesse præterea est eum assentiri præmissis de fide modo omnino infallibili, iuxta dicta n. 105.

Ratio est, quia sicut se habet actus veræ scientiæ respectu assensus principiorum naturalium; ita se habet assensus theologicus respectu assensus circa præmissas de fide: atqui, vt aliquis habeat veram scientiam alicuius cōclusionis, non sufficit quòd eam deducat ex veris ipsius principijs, prioribus, & ex se euidentibus: sed necesse est vt ijsdem assensu euidenti assentiatur, vt per se patet: ergo similiter vt quis habeat assensum verè theologicum, necesse est vt præmissis de fide, ex quibus deducit conclusionem, assentiatur dicto modo ex se omnino infallibili. Probatur consequentia, quia, sicut illud est necessarium vt assensus conclusionis accipiat ex assensu præmissarum euidentiam: ita hoc est necessarium vt assensus theologicus accipiat ex assensu præmissarum veram certitudinem & infallibilitatem: & sicut prior actus nequit esse vera scientia, nisi dicta ratione ab assensu præmissarum accipiat euidentiam; ita alter assensus nequit esse verè theologicus, nisi accipiat ab assensu præmissarum illam infallibilitatem.

111 *Hæreticus nequit elicere verum assensum theologicū.*

Hinc sequitur Primò, hæreticum non posse elicere verum & propriè dictū assensum theologicum: quia præmissis de fide assentitur assensu ex se incerto & fallibili. nam eodem modo assentitur veris & falsis: atque ita nequit conclusioni assentiri assensu ex natura sua omnino certo & infallibili: sicut qui assentitur principijs naturalibus assensu incerto, nequit habere scientiam conclusionis. Illa tamen infallibilitas necessaria est vt assensus sit theologicus.

112 *Assensus theologicus ex natura*

Sequitur Secundò, omnem elicientem assensum theologicum de facto quidem propter hunc rerum ordinem assentiri præmissis de fide assensu supernaturali: hoc tamen ex natura ipsius assensus non requiri, vt patet ex dictis n. 106. nam si quis in casibus ibi positis assentiretur præmissis assensu naturali, eliceret circa conclusionem assensum æquè infallibilem ac modò elicimus, & consequenter eiusdem omnino rationis. *sua non requirit assensum supernaturalem præmissarū.*

Conclvsio II. Etsi assensus theologicus sit necessariò supernaturalis priore modo ex dictis num. 108. quatenus præsupponit alteram saltem ex præmissis nobis supernaturaliter esse reuelatam, & secundùm præsentem ordinem assensu supernaturali creditam; tamen strictè & iuxta secundum modum ex ibi dictis loquendo est in se absolutè naturalis. Prior pars est clara & ferè ab omnibus admittitur. Secundam partem tenet Vasquez 1.p. disp. 1. n. 9. & Gilius 1.p. lib. 1. tractatu 2. cap. 3. qui quamuis in modo loquendi à nobis nonnihil differat, tamen in fine n. 5. docet, hunc actum à sola potentia naturali effectiuè produci: atque ita in re nobiscum sentit. Sequitur autem ex dictis. quia, vt ostendi num. 108. vt actus aliquis sit propriè supernaturalis, debet procedere ex vi agente supernaturali, modoque supernaturali, in eum influente: atqui in eliciente assensum theologicum, præsertim antequam compararit habitum theologicum, nullum tale principium huius assensus potest assignari: ergo non est in se supernaturalis. Minor probatur, quia hic assensus nec elicitur ab habitu fidei, vt infrà num. 118. ostendam, nec etiam ab actuali auxilio supernaturali: quia sine vllo fundamēto fingeretur nobis tale auxilium dari vt possimus eiusmodi assensus elicere; cùm hoc nulla ratione ad salutem sit necessarium, & gratia non datur nisi in ordine ad nostram salutem. vnde etiam non scio hoc vllum asserere. *Est propriè naturalis.* *Vasquez. Gilius.*

Dices eum assensum produci effectiuè ab assensu supernaturali præmissarum de fide. Respondeo Primò, multò verius esse assensum præmissarum non influere effectiuè in assensum cōclusionis, nec hunc aliter causare, quàm clarè huius veritatem intellectui proponendo: simili ferè modo, atque is, qui propositionem mihi obscuram clarè explicando efficit vt eam intelligam. Probatur, quia cùm intellectus ex se habeat sufficientem virtutem vt obiecto clarè sibi proposito assentiatur, atque ita sit sufficiens principium sui actus, frustra (vt bene in simili notat Vasquez 1.2. disp. 36. nu. 14.) dicitur priorem actum effectiuè cum eo concurrere ad productionem secundi, cùm hoc nulla ratione aut experientia probari possit. 114 *Assensus præmissarū non producit effectiuè assensum cōclusionis.* *Vasquez.*

Confirmatur, quia assensus præmissarum habet se instar obiecti formalis respectu assensus conclusionis: atqui obiectum non concurrit effectiuè physicè ad productionem actus circa se eliciti (vt patet ex obiecto voluntatis, quod eodem modo mouet voluntatem siue existat, siue non:) ergo nec assensus præmissarum effectiuè producit assensum conclusionis. Nec refert quòd posito assensu præmissarum ac consequentiæ necessariò sequatur assensus conclusionis; quia hoc accidit eò quòd intellectus obiecto sibi clarè proposito necessariò assentiatur. 115

Respon-

116 Respondeo Secundò, etsi assensus circa præmissam de fide supernaturalis effectiuè cõcurreret ad assensum conclusionis; hunc tamen non fore supernaturalem: quia ille assensus non aliter ad hunc concurreret, quàm si esset merè naturalis. nam assensus præmissarum non aliter concurrit ad assensum conclusionis, quàm quatenus perceptibiliter inclinat intellectum vt huic assentiatur: atqui siue assensus sit naturalis, siue supernaturalis, eodem modo eum in nobis percipimus (nam non possumus in nobis vllo modo distinguere, an noster assensus sit naturalis an supernaturalis) & consequenter eodem modo perceptibiliter intellectum inclinat ad assensum conclusionis: ergo eodem modo ad huius productionem concurrit. Vnde vlteriùs iuxta dicta nu.108. sequitur, eum concursum actus supernaturalis non sufficere vt assensus conclusionis sit supernaturalis.

117 Dices Secundò, Ille effectus est necessariò supernaturalis in sua substantia, qui necessariò requirit aliquod principium effectiuum supernaturale: atqui hic assensus est talis: ergo est supernaturalis. Respondeo, antecedens tantùm esse verum, quando actus per se requirit tale principium, & quidem modo supernaturali influens: vt autem iam ostendi, assensus theologicus nec per se requirit tale principium, sed solùm ratione status subiecti ac præsentis Dei ordinationis; nec requirit vt illud modo supernaturali in se influat.

Quãdo effectus requirens principium supernaturale sit supernaturalis.

118 Conclvsio III. Habitus theologicus est in se naturalis, & actibus nostris acquiritur, sicut alij habitus acquisiti. ita Vasquez citatus n.103. & Turrian. 2.2. disp.44. dub.2.§. *Tertiò, si habitus.* vbi ait esse communem. Sequitur ex dictis; nam si assensus theologicus sit in se naturalis, nulla est ratio, cur eius habitus sit supernaturalis, nobisque debeat infundi. His adde, per se videri parum veritati consonum, Deum nobis eum habitum etiam existentibus extra gratiam supernaturaliter infundere, cùm hoc nulla ratione ad salutem necessarium sit.

Vasquez. Turrian.

119 Respondent aliqui, habitum theologicum eundem esse cum habitu fidei. sed hoc dici nullo modo potest: nam cùm actus fidei habeat obiectum formale penitus distinctum ab obiecto formali assensus theologici (nam ille fertur in obiectum præcisè propter auctoritatem Dei reuelantis, hic propter euidentem connexionem conclusionis cum præmissis fide aut lumine naturali cognitis) non magis possunt habere eundem habitum quàm actus caritatis & spei. Adde, secundùm illam sententiam, quicumque haberet habitum fidei maiorem, eum fore maiorem Theologum; & contrà. quæ experimur falsa.

Assensus theologicus habet obiectũ formale omnino distinctum ab obiecto actus fidei.

120 Dices, Idem est habitus principiorum & scientiæ: ergo idem est habitus fidei & Theologiæ. Respondeo Primò, nego antecedens: nec enim est vlla ratio id affirmandi. Respondeo Secundò, etsi hoc in scientijs propriè dictis (in quibus tam assensus principiorum quàm conclusionis nituntur naturali euidentia, atque ita sunt aliquo modo eiusdem rationis) esset verum, secùs tamen dicendum esset in Theologia: nam in hac non solùm assensus conclusionis est omnino diuersæ rationis ab assensu fidei, sed etiam sæpè assensus præmissarum sunt inter se diuersissimæ rationis: nam vna est actus fidei, altera euidens cognitio; quæ habent habitus penitus diuersos, atque ita respectu assensus conclusionis nequeunt constituere vnum habitum.

Assensus principiorũ & conclusionis habent diuersos habitus.

Ex his demum sequitur, habitum theologicum posse manere in hæretico; in eo tamen nequit elicere verum assensum theologicum ob dicta nu.110. eliciet tamen assensum ei similem. sicut is qui ex principijs naturalibus non omnino euidenter cognitis deducit conclusionem, huic assentitur assensu simili scientiæ, non tamen vera scientia.

121 *Habitus theologicus manet in hæretico, non tamen actus.*

DVBIVM VII.

An dentur actiones morales, conducentes ad salutem secundùm solum modum supernaturales?

NOta Primò, actionem aliquam secundùm substantiam naturalem varijs modis posse secundùm modum esse supernaturalem. Primò, ratione alicuius modi ipsi termino intrinseci: vt cùm accidens producitur aut conseruatur extra subiectum: habet enim modum existendi supernaturalem, ideoque eius productio ac conseruatio sunt supernaturales, quia virtute naturali fieri nequeunt. Secundò, ratione modi soli ipsi actioni intrinseci: vt si ignis Deo singulariter concurrente in subiecto frigido produceret intensum calorem in instanti; tota supernaturalitas consisteret in celeritate productionis. Tertiò, ratione impedimenti aut defectus existentis in virtute actiua operantis: vt si quis lippis aut velatis oculis clarè videat, aut sine habitu facilè & expeditè operetur, aut claudus rectè & celeriter ambulet. Quartò, ratione intentionis operantis, qua ipsa actio ad finem supernaturalem dirigitur. sicut enim actio secundùm se indifferens facta ex bono fine dicitur bona, ita facta ex fine supernaturali dicitur aliquo modo supernaturalis per denominationem extrinsecam.

122 *Actio varia ratione potest esse supernaturalis secundùm modum.*

Nota Secundò, sicut homini, qua animali, naturale est viuere vita sensitiua, atque appetere quæ huic conueniunt, & fugere contraria; ita eidem qua rationali, naturale est viuere secundùm rationem, & sectari virtutem, eaque fugere quæ huic contraria sunt. Quatuor tamen sunt quæ hæc ei reddunt valdè difficilia; atque adeò omnino impossibile ea sine interruptione siue sine peccato longo tempore continuare, nisi ab extrinseco adiuuetur.

123 *Homini quà rationali cõnaturale est viuere secũdùm rationem: ad hoc tamẽ indiget auxilio ob quatuor impedimenta.*

Primum est, dependentia nostri intellectus à sensibus, sine quorum opera nihil potest concipere; vnde fit vt, nisi aliunde iuuetur, spiritualia (quia à sensibus remota sunt) valdè tardè, languidè, confusè & obscurè concipiat, ac voluntati repræsenter. Contrà verò bona ac mala sensibilia valdè citò, fortiter & viuaciter apprehendit, ac voluntati repræsentat. vnde vlteriùs fit, quòd voluntatem in horum amorem vel odium

Difficulter apprehendimus spiritualia, ijsque mouemur.

odium vehementer conciter, & ad amorem rerum spiritualium vix languidè ac tardè trahat.

Imaginatio nobis reddit viam virtutis difficilē.

Secundū, est conditio nostræ imaginationis, quæ bona spiritualia nequit apprehēdere, corporalia verò (sub quibus etiā comprehendo honorē, famam, & similia) facilè & ferè vehementer apprehendit, atque ita concupiscentiam ad ea appetenda vehementer impellit, ac simul humores ac spiritus vitales in nobis concitat, quibus concupiscentia magis inflammatur, & ratio impeditur.

Tertium, est connexio partis superioris cum inferiore, qua efficitur vt vnius passiones siue commotiones in alteram deriuentur. & Quartò, demum hanc difficultatem bene viuendi augent tentationes extrinsecus ortæ ex malo aliorum consortio, & dæmonis instigationibus.

124 Qua ratione supradicta reddant viā virtutis difficilem.

Ex quibus fit Primò, quòd intellectus ferè continuò impellatur, vt fortiter apprehendat bona vel mala sensibilia in quæ sensus vbique incurrunt, eaque imaginationi, & per hanc intellectui continuò ingerunt. atque ita voluntas ad corporalia bona amanda, & mala fugienda ferè continuò importunè concitatur.

Fit Secundò, quòd continua eaque summa vigilantia ac contentione opus sit vt impediamus ne intellectus neglecta boni honesti consideratione, totus feratur in considerationem alicuius boni delectabilis illiciti per imaginationem sibi propositi, aut ne voluntas à concupiscentia illecta hoc præ illo amet. hanc autem vigilantiam ac contentionem diu continuare, ita vt homo in tot ac tam varijs casibus semper sibi præsens sit, ac voluntas continuo nisu concupiscentiæ inuicta resistat, humanas vires ac industriam superat; quare liberum arbitrium nisi diuinjtus adiuuetur, infallibiliter sæpè cadet, nec poterit diu ex rationis præscripto in nobis agere.

125 Difficultas bene viuēdi ex nostra natura oritur.

Ex quibus sequitur, hanc difficultatem continuò viuendi ex præscripto rationis, siue omnia vitia fugiendi, prouenire ex ipsa hominis naturali constitutione; quia tres priores fontes, ex quibus suprà ostendimus eam oriri, homini naturales sunt. quare hæc difficultas saltem ex hac parte, siue ex tribus illis prioribus capitibus omnino eadem fuisset in statu puræ naturæ, quę iam est saltem in ijs, qui vitiosis habitibus nondum sunt infecti. & consequenter in vtroque statu eadem fuisset necessitas diuini auxilij ad totam legem naturæ seruandam.

126

Nota Tertiò, hæc auxilia esse partim externa, partim interna. Prioris generis sunt talis gubernatio totius vniuersi, ex qua constet Deum habere rerum omnium prouidentiam, & punire peccata, ac virtutes præmiare: quod vel ex Dei testimonio, vel aliunde constare potest. Item cohibitio dæmonis, ne nos plus tentet, quàm possimus ferre. Tertiò, exempla & adhortationes bonorum hominum: bonæ diuinæ aut humanæ leges, quæ nos timore pœnæ & spe præmij à vitijs ad virtutes auocent, & similia. Secundi generis sunt illustrationes intellectus, quibus fit vt hic malitiam peccati, & bonum virtutis vehementiùs apprehendat; item commotiones voluntatis ad vitia fugienda, & virtutes sectandas, quæ illas intellectus apprehensiones communiter sequuntur, nisi in voluntate sit aliquod impedimentum. Non est autem (nisi fortè in ordine ad dispositionem ad iustificationem, aut meritum gloriæ æternæ) necesse, vt hæ illustrationes & commotiones sint ordinis supernaturalis; sed sufficit quòd sint similes ijs, quas inopinatus & acerbus alicuius peccatoris casus, aut vehemens & ingenio nostro accommoda concionatoris oratio in animis nostris excitare naturaliter solent.

127

Nota Quartò, ex dictis suprà num. 8. illud dici alicui naturale, sine quo nullo modo secundùm naturæ suæ exigentiam esse aut conseruari potest; atque ita concursum Dei generalem ei dici naturalem. Sicut autem homo qua animal, exigit naturaliter ea omnia auxilia, quæ ei simpliciter necessaria sunt vt vita animali viuat, ideoque hoc ipso quo Deus eum talem creauit, ad eum tamquam naturæ auctorem spectat, ei subministrare auxilia ad illud necessaria, scilicet concursum generalem. Ita homo, quatenus est rationalis, naturaliter exigit ea auxilia, quæ ei omnino necessaria sunt, vt possit secundùm rationem viuere, omnia peccata rationi contraria, saltem mortalia, vitando; & ad Deum tamquam auctorem naturæ rationalis spectat, hæc ei subministrare. Quare sicut illa auxilia sunt homini connaturalia considerato secundùm esse naturæ, ita hæc sunt ei suo modo connaturalia secundùm esse rationale, siue secundùm esse moris considerato, & quatenus virtutis ac vitij est capax.

128 Auxilia ad bene viuendū necessaria fuissent homini in statu puræ naturæ connaturalia: iam tamen sunt supernaturalia.

Vnde sequitur, si Deus hominem creasset in statu puræ naturæ, istiusmodi auxilia ad viuendum secundùm dictamen rationis necessaria, ei futura fuisse debita, & consequenter etiam connaturalia, ferè eodem modo atque concursus generalis ei debitus ac connaturalis est. Secùs tamen est in statu præsenti, in quo nobis secundùm modum sunt supernaturalia; præsertim auxilia interna. Idque Primò, quia per peccatum primi parentis facti sumus omnino indigni omni diuino auxilio; & consequenter quæcumque eiusmodi auxilia dantur, dantur nobis indebita, & quidem propter merita Christi, atque ita ex causa supernaturali. Secundò, quia dantur ex fine supernaturali, vt scilicet ijs adiuti bene viuamus, & paulatim ad gratiam ac æternam gloriam perueniamus.

129

Conclvsio I. Actiones iustorum externę, vitæ æternæ meritoriæ sunt maxima ex parte secundùm substantiam naturales, & secundùm modum supernaturales. Prior pars patet, quia secundùm substantiam eodem modo fiunt, ac si non essent meritoriæ, imò similes actiones possunt ex malo fine fieri; vt patet in donatione eleëmosynæ, ieiunio, & similibus; quæ patet malè fieri posse.

Secunda pars probatur, quia imperantur ex fine supernaturali, & à volitione supernaturali: nam, vt ostendam disput. 8. dub. 4. concluſ. 4. omnis actus internus, vitæ æternæ meritorius, est in sua substantia supernaturalis. Dixi, *maxima ex parte*, &c. Quia fides, operatio miraculorum, & similes quædam actiones

nes externæ sunt in substantia supernaturales.

130 Conclvsio II. Existentes in peccato mortali, tam fideles, quàm infideles sæpè faciunt aliqua opera etiam interna remotè conducentia ad salutem, secundùm modum solùm supernaturalia. Probatur, quia secundùm communem Theologorum sententiam sæpè faciunt aliqua opera moraliter bona, v.c. volendo dare eleëmosynam, audire concionem, & similia, quæ sunt causa cur Deus ijs inspiret vlteriorem gratiam, qua conuertuntur; atque ita illa opera ipsis ad salutem conducunt. Item, Deus sæpissimè priùs sua gratia etiam interna eos ad eiusmodi opera facienda excitat. Imò hoc semper fit, quoties ea opera ipsis directè, siue per se sunt causa cur Deus ijs vlteriorem gratiam det, quia tuncijs directè & propriè ad
Arausic. salutem conducunt. &, vt patet ex Arausicano can.3.4.5.6. omnia opera ita ad salutem conducentia necessariò fiunt ex gratia. Vnde sequitur, ea saltem secundùm modum esse supernaturalia, tum ratione sui principij, tum ratione finis, in quem ab operante, aut ipso Deo diriguntur.

Quòd autem eiusmodi opera sint secundùm 131
suam substantiam naturalia, inde patet, quia cùm nec meritoria sint vitæ æternæ, nec ab habitu supernaturali proficiscantur, nec ad statum supernaturalem hominem transferant, nec habeant obiectum quod virtute naturali nequeamus attingere, nulla est ratio cur dicamus ea esse in substantia supernaturalia; præsertim facta ab infideli: nam omnes fatentur, primum actum in substantia supernaturalem in nobis esse fidem, sub qua comprehendo volitionem qua hæc imperatur. Nec refert quòd hæc opera necessariò procedant à principio supernaturali, scilicet gratia præueniente; quia hoc principium potest esse solùm secundùm modum supernaturale iuxta dicta n.128.

DISPVTATIO V.

De differentia & excellentia actuum supernaturalium, respectu naturalium?

Cvm inter omnes, qui admittunt actus supernaturales in substantia, constet, hos necessariò essentialiter distingui à naturalibus, & esse his perfectiores; magna tamen difficultas est, vnde hi actus hoc primò & per se habeant, an scilicet ab obiecto; an à principio suo effectiuo? Quæ difficultas hîc nobis explicanda est, vt possimus naturam illorum actuum, & qua ratione circa suum obiectum versentur, agnoscere.

DVBIVM I.

Vtrùm actus perfectior habeat semper perfectius obiectum, saltem formale?

1 Qvidam id generatim affirmant. Primò, quia actio accipit speciem ab obiecto formali: ergo etiam perfectionem. Secundò, quia ideo actus virtutis theologicæ sunt alijs perfectiores, quia habent perfectius obiectum. Tertiò, quia ideo scientia est perfectior opinione, quia habet perfectius medium: atqui medium est obiectum formale respectu assensus conclusionis: ergo perfectius obiectum causat actum perfectiorem. Huius sententiæ videtur
Caietan. Caiet.2.2.qu.27.a.7. vbi probat dilectionem amici esse meliorem & perfectiorem dilectione inimici, quia illa habet perfectius obiectum. sed ipse ibi agit de perfectione morali, & in ratione meriti, nos autem hîc agimus de perfectione physica.

2 Dicta autem sententia visa mihi est semper valdè difficilis: nam inde sequeretur Primò, duos habentes inæquales in perfectione potentias, v.c. lippum & acutum habentē visum, circa idē obiectum præsertim æqualiter propositum elicere æquè perfectam visionem. Secundò, me nō posse idē obiectum amare modò perfectiùs, modò imperfectiùs, nisi mutetur ratio eius formalis, siue nisi id ob rationē formalē aliquo modo diuersam amem. Quę tamen apertè absurda sunt: nā, sicut pro sola mea libertate possum obiectum eodē modo mihi propositum modò amare, modò non amare: ita possum id modò perfectiùs, modò imperfectiùs amare. Illa autem sequi, probatur: quia si perfectio actus sit sumenda à sola perfectione obiecti, quoties erit omnino idem obiectum, erit eadem actus perfectio: quòd si non sit sumenda ab eo solo, sed simul etiam à perfectione potentiæ, aut maiore ipsius conatu in actum; poterunt hæc tantum in perfectione crescere, vt circa imperfectius obiectum perfectiorem actum eliciant.

Dices, hinc tantùm sequi, me circa idem obiectum posse elicere actionem perfectiorem aut imperfectiorem accidentaliter: illam autem sententiam esse intelligendam de perfectione substantiali ipsius actus, quæ sumitur ex sola diuersitate ipsius obiecti formalis, à quo illa essentialiter pendet. 3

Sed contrà facit, quòd ex dicta sententia sequeretur Primò, mathematicas cognitiones inter omnes humanas esse imperfectissimas, cùm earum obiecta sint numeri & proportiones, quæ sunt res nullius ferè entitatis, atque adeò imperfectissimæ. Item cognitionem quam naturaliter habemus de rebus spiritualibus, esse inter omnes nostras cognitiones perfectissimā, quia eius obiectum perfectissimum est. Cùm tamen contrà accidat: nam illæ cognitiones in- 4

Circa obiecta perfectiora elicimus sæpè cognitionem minùs perfectam.

ter omnes non intuitiuas, quas hîc naturaliter habere possumus, euidentissimæ ac certissimæ sunt; contrà hæ maximè obscuræ ac in multis incertæ; cùm in cognitione rerum spiritualium ferè palpando & conijciendo procedamus, & sæpè de ijs disputemus sicut cæci de coloribus.

5 Nec refert quòd secũdùm Aristotelem præstet etiam obscuram habere cognitionem de rebus spiritualibus, quàm claram de rebus alijs. Quia inde solùm sequitur, illam cognitionem ob præstantiam sui obiecti esse nobiliorem, siue magis dignam homine, non autem eam esse perfectiorem. nam perfectio essentialis cognitionis non consistit in eo, quòd sit nobilis, aut homini valdè expetenda (quæ sæpè in solo aliquo respectu extrinseco, aut in ente morali consistunt) sed in intrinseca ipsius entitate, & realibus proprietatibus ei intrinsecis, quales sunt euidentia & certitudo cognitionis, quæ eam maximè essentialiter perficiunt. Similiter in sacerdote potestas absoluendi & consecrandi, & in rege potestas regia sunt secundùm entitatem imperfectissimæ, cùm sint tantùm entia moralia, & tamen sunt digniores multis rebus physicis in sua entitate sine comparatione perfectioribus.

Nobilitas scientiæ valdè differt ab eius perfectione.

6 Confirmatur, quia clara cognitio malitiæ & distinctionis peccatorum est perfectior & etiam nobilior multis cognitionibus rerum physicarum; cùm tamen illa cognitio habeat obiectum in entitate longè imperfectius & vilius: ergo non solùm perfectior, sed etiam nobilior scientia potest versari circa obiectum imperfectius & vilius.

Occam. Occam igitur quodlib. 2. qu. 13. ait dictam opinionem hac sola ratione esse veram; quòd perfectissimus actus, qui potest haberi circa obiectum perfectius, sit semper perfectior actu perfectissimo, qui potest haberi circa obiectum imperfectius.

7 Sed si hæc intelligantur de actibus elicitis ab eadem potentia (vt videtur etiam Occam intelligere) non est generatim vera, vt patet ex exemplis datis. nam actus perfectissimus, quem hîc elicimus circa res mathematicas, est longè perfectior quàm actus perfectissimus, quem elicere naturaliter possumus circa res spirituales.

Potentia elicit actum perfectiorẽ circa obiecta sibi magis proportionata, etsi imperfectiora. Item cognitio, qua anima separata naturaliter intuitiuè cognoscit suam essentiam eam comprehendendo, non est imperfectior ea cognitione, qua naturaliter cognoscit perfectissimum angelum, quem præsentem intuetur. Imò cùm prior cognitio versetur circa obiectum magis proportionatum potentiæ, videtur esse perfectior. sicut etiam inter nos perfectior est visio, qua video lignum mihi clarè propositum, quàm qua video solem; qui tamen est obiectum perfectius ligno.

8 Conclvsio I. Actus primariò maximè immediatè & per se habet suam perfectionem à potentia, à qua producitur, & hac mediante ab obiecto. Probatur, quia cùm perfectio actus vel identificetur cum ipsius esse, vel hoc immediatè consequatur, ab eo actus præcipuè & immediatè accipit suam perfectionem, à quo accipit suum esse: sed esse suum immediatè accipit à potentia effectiua, & ab obiecto solùm quatenus hoc excitat, aut etiam determinat potentiam ad ipsius actus productionem: ergo à potentia accipit præcipuè & immediatè suam perfectionem.

Actus ab eodem accipit perfectionẽ & esse.

9 Conclvsio II. Cur vna cognitio aut volitio sit aliâ perfectior, primò & maximè per se est causa maior perfectio ipsius potentiæ, aut maior ipsius conatus in actum: qua ratione rem viliorem quandoque intensiore & perfectiore amore amamus, quàm rem meliorem: & angelus supremi ordinis rem minùs perfectam perfectiore intellectione cognoscit, quàm infimus angelus rem longè perfectiorem. Quæ non solùm intelligenda sunt de perfectione accidentali, sed etiam de perfectione essentiali. Sequitur ex prima conclusione. nam cùm actus totam suam essentiam ac perfectionem habeat immediatè & præcipuè à causa efficiente, ille qui producitur à potentia siue vi actiua essentialiter perfectiore, etiam erit essentialiter perfectior: præsertim si illa influat quantum potest, nec aliunde sit aliquod impedimentum. Confirmatur, quia sicut ideo propriè aliqua potentia in ratione potentiæ siue virtutis actiuæ est aliâ perfectior, quia potest præ ea perfectiorem effectum producere; ita illa est essentialiter in ratione potentiæ perfectior, quæ potest effectum essentialiter perfectiorem producere; quia aliàs non esset perfectior in ratione potentiæ, sed solùm in ratione entis.

Res in entitate perfectior potest esse imperfectior potentia. Vbi Nota, aliquid alio posse esse perfectius in ratione potentiæ siue virtutis agendi, quod eo est imperfectius in sua entitate. Nam vis visiua humana in sua entitate, siue in ratione entis est perfectior virtute visiua aquilæ: nam illa ex parte est spiritualis, scilicet anima humana, aut potentia ei inhærens. Aquila tamen melius videt quàm nos, atque ita eius visus in ratione virtutis agendi est perfectior nostro. Item quædam gemmæ lucidæ sunt in entitate sua perfectiores flamma ignis, & tamen in ratione virtutis illuminandi sunt imperfectiores. Hîc igitur

Potentia essentialiter perfectior producit actum essentialiter perfectiorem. assero potentiam essentialiter perfectiorem in ratione potentiæ, si agat quantum potest, nec aliunde impediatur, circa idem obiectum æqualiter sibi propositum producturam effectũ essentialiter perfectiorem, quàm produceret potentia in ratione potentiæ essentialiter imperfectior: quia illam dicta ratione esse hac essentialiter perfectiorem, nihil est aliud, quàm præ hac posse talem effectum producere. Cùm igitur intellectus supremi angeli in ratione virtutis intelligendi sit essentialiter perfectior intellectu animæ separatæ, circa idem obiectum producet intellectionem essentialiter perfectiorem. Vnde vlteriùs sequitur, quòd talis potentia possit etiam circa obiectum minùs perfectum, producere perfectiorem actum: v.c. dictus angelus perfectiùs intelligit animam rationalem, quàm hæc illum.

10 Secundariò verò illius causa est maior proportio ipsius obiecti in ratione cognoscibilis, aut appetibilis, aut etiam detestabilis respectu talis potentiæ. Quæ proportio quandoque prouenit ex parte obiecti, quod ex se est magis ac faciliùs

faciliùs cognoscibile; sic obiectum magnum & sufficiẽter illuminatum est magis visibile, quàm paruum & parum lluminatum. quandoque ex diuersa propositione obiecti; sic res remota est minùs visibilis quàm propinqua. Quò etiam spectat diuersitas medij, per quod res aliqua cognoscitur, quæ non cognoscitur in se immediatè, sed in alio; vt cùm Cæsar videtur in sua imagine, aut cùm conclusio cognoscitur ex præmissis. in quo casu illud medium habet se etiam per modum obiecti formalis, quatenus est ratio mouẽs ad assensum siue cognitionem obiecti: & etiam per modum proponentis, quia proponit obiectũ potentiæ vt cognoscibile: vnde quo hoc mediũ ipsum obiectum perfectiùs repræsentat, & potentiæ cognoscitiuæ clariùs obijcit, eo perfectior cognitio sequitur.

11 Tertiò, illa proportio aliquando prouenit ex conditione ipsius potentiæ. Experimur enim multas res à nobis perfectiùs cognosci, quæ in se tam secundùm entitatem, quàm in ratione cognoscibilis, sunt longè imperfectiores alijs, quas imperfectissimè cognoscimus. Sic multa alia obiecta videmus perfectiùs quàm solem, & corporalia meliùs intelligimus, quàm spiritualia; & quidam capiunt faciliùs & perfectiùs mathematica, quã metaphysicalia, alij verò contrà; idq; ex sola diuersitate ingeniorum.

Perfectio obiecti quãdoque est causa cur minùs perfectè cognoscatur.

Hinc patet Primò, obiecti perfectionem sæpissimè esse causam cur ipsum minùs perfectè intelligamus. Quod etiam in angelis accidit; quoties ipsum obiectum est ipsis multò perfectius: tunc enim cùm illud nequeant comprehendere, cognoscunt illud quadam cognitione non omnino ex omni parte euidenti, cùm ei quædam ignorantia, & quasi tenebræ quædam admixtæ sint, quatenus illorum intellectus non satis capit ea quæ ipsum excedunt. atque ita illa cognitio est minùs perfecta, quàm sit illa qua se ipsos comprehendunt, quæ ex omni parte clara est & perfecta. Secùs fit in cognitione earum rerum quæ ipsis sunt imperfectiores: quo enim hæ sunt perfectiores, eo sunt eorum ingenio magis proportionatæ, & sicut magis sunt cognoscibiles, ita eas perfectiore cognitione cognoscunt, si cetera paria sint. loquor autem semper de cognitione naturali.

12 Patet Secundò, dictam proportionem non esse per se & directè causam maioris perfectionis ipsius actus, sed solùm indirectè, & quidem sæpè per accidẽs, quatenus est occasio aut conditio requisita vt potentia perfectiùs in actum influat. quod maximè patet, quando hæc proportio est maior & actus perfectior præcisè ratione maioris propinquitatis localis ipsius obiecti, aut quia hoc alia ratione perfectiùs potentiæ obijcitur; aut etiam quia est in se imperfectius, vt accidit in exemplis allatis. quibus casibus tota immediata, & per se causa cur actus sit perfectior, debet peti ex perfectiore influxu ipsius potentiæ: cùm obiectum perfectius ex se potiùs natum sit causare actum imperfectiorem.

13 Ad primum argumentum contrarium allatum num.1. nego antecedens generatim esse verum de omni specie actionis, vt ostendam dub.2. Nego etiam consequentiam: quia circa obiectum perfectius potest versari actio specie imperfectior ob diuersitatem potentiarum eos actus elicientium, aut improportionem obiecti perfectioris cum ipsa potentia. sic spiritualia obscurè, dubiè, & per alienos conceptus cognoscimus, atque ita cognitione essentialiter & secundùm speciem imperfectiore, quàm sit ea qua cognoscimus multa corporalia per proprios conceptus & omnino euidenter.

Ad secundum, nego assumptum: si quando enim hæ actiones in tua entitate alijs sunt perfectiores, hoc prouenit præcipuè ex principio actiuo, vt patet ex dictis. Vnde angelus actu perfectiore naturaliter amat virtutes, quàm nos naturaliter amemus Deum.

Ad tertium, Respondeo solùm probare secundam partem secundæ conclusionis.

DVBIVM II.

Vtrùm omnes actus intellectus aut voluntatis specie distincti necessariò habeant obiectum formale specie distinctum?

ALiqui id generatim affirmant; quia actus specificantur ab obiecto formali: ergo actus specie distincti habent obiecta formalia specie distincta. Hanc sententiam amplectuntur ij, qui ex eo, quòd actus caritatis naturalis & supernaturalis differant specie, inferunt necessariò etiam differre obiecto formali: quos referam dub.3. Item qui ex eo, quòd caritas in via & in patria habeat idem obiectum formale, inferunt vtriusque actum esse eiusdem speciei. 14

Conclvsio. Actus intellectus & voluntatis variant speciem non solùm ratione diuersi obiecti formalis, sed etiam ratione diuersi principij effectiui, aut ratione diuersi modi, quo idem principium effectiuum tendit in idem obiectum. Ita Hurtado in lib. de Anima disput.5. sect.5.§.32. & ij qui fatentur actum naturalem & supernaturalem differre specie, & tamen posse habere idem obiectum formale. quos citabo dub.3. Huius etiam sententiæ videtur Lorca 2.2. d.12. ad 4. vbi ait specificationem non pendere à solo obiecto, sed etiam à potentia. 15

Actus diuersæ speciei possunt habere idem obiectum formale. & ex quo diuersitas specifica actus contingat. *Hurtado.* *Lorca.*

Prior pars huius conclusionis sequitur ex dub.1. vbi ostendi potentiam effectiuam essentialiter perfectiorem habere etiam effectum essentialiter perfectiorem, præsertim quando influit in effectum, quantum potest; vnde sequitur, potentiam in essentiali specie altera perfectiorem, effectum specie perfectiorem producere. Quia vnam potentiam in ratione potentiæ esse alia perfectiorem secundùm essentialem speciem, nihil est aliud quàm illam habere vim producendi effectum essentiali specie perfectiorem. Quod non solùm debet intelligi quãdo ipsa versatur circa obiectum specie distinctum, sed etiam quando vtraque potentia habet idem obiectum formale: nam in vtroque casu vna potentia est essentialiter altera perfectior; & consequenter perfectiùs agit, ac effectum essentialiter perfectiorem producit.

Confirmatur, quia ponamus summum an- 16

gelum & infimum naturaliter comprehensiuè intuerianimam rationalem, tunc vterque habebit idem obiectum formale (scilicet ipsam essentiam animæ secundùm se immediatè ijs obiectam) & cùm vterque videat quidquid in ea videri potest (aliàs enim eam non comprehenderet) neuter aliquid videt quod alter non videat: & tamen dubitari nequit quin prioris visio sit essentialiter perfectior & alterius speciei, quàm secundi: nam aliàs possemus dubitare an vnius visio sit vllo modo perfectior visione alterius. nam nulla hîc est ratio cur dicamus vnam esse perfectiorem altera, nisi quia vna procedit à principio essentialiter perfectiore, ex quo vel nullam, vel essentialem perfectionem maiorem debemus colligere.

17 Secunda pars probatur, quia amor simplicis complacentiæ, qua scientia aliqua, aut dignitas v.c. mihi placet, & desiderium inefficax, quo eam mihi desidero, & spes, qua eam spero; habent idem obiectum formale, scilicet bonitatem earum rerum, qua mihi bonæ & conuenientes esse possunt (hæc enim sola, & nihil aliud, in omnibus ijs actibus me ad illarum rerum amorem excitat, vt fusiùs ostendam in materia de spe:) & tamen sunt actus diuersæ speciei, ob solam rationem tendendi, qua potentia in singulis actibus diuersimodè in obiectum tendit.

Ad rationem contrariam, Respondeo antecedens non ita intelligendum, quasi omnis actus omnem suam speciem à solo obiecto accipiat; sed quòd omnes actus, qui habent obiectum formale distinctum, sunt diuersæ speciei; atque ita neganda est consequentia.

DVBIVM III.

Vtrùm omnis actus in substantia supernaturalis habeat obiectum formale specie distinctum ab omni actu secundùm substantiam suam naturali?

18 NOta, satis constare dari aliquos actus supernaturales, qui necessariò habeant obiectum formale distinctum ab omni actu naturali: quia certum est nullam creaturam posse Deum naturaliter in se intueri, aut per proprium conceptum, & sicut in se est intelligere; qui tamen vt sic est obiectum visionis beatificæ.

Quæritur igitur, vtrùm aliqui actus secundùm substantiam suam supernaturales possint habere idem obiectum formale cum aliquibus actibus secundùm substantiam suam naturalibus, v.c. vtrùm amor Dei naturalis & supernaturalis possint habere idem obiectum formale? Quidam id negant, quia tota perfectio & differentia substantialis actuum est sumenda ex parte obiecti formalis. ita Curiel 1.2.q.109.a.1. dub.3.§.4.cõcl.2. vers. *Secundò, ex parte vtriusque.* vbi docet, actum procedẽtem simul à principio naturali & supernaturali non fore in substantia supernaturalem si obiectum sit ordinis naturalis. & art.3.in initio, vers. *Secundò notandum*, & *Curiel.*

alibi vult dilectionem Dei naturalem & supernaturalem necessariò distingui obiecto formali. Fauent Alexander p.2.qu.31.membr.3.& Richard.in 2.d.3.a.7.qu.1.ad 1. & alij. sed dictam eorum rationem satis in superioribus refutaui. *Alexand.* *Richard.*

CONCLVSIO. Actus naturalis & supernaturalis secundùm substantiam non differunt necessariò obiecto formali. Hæc est aperta sententia Molinæ in Concordia disp.7. præsertim §. *Nostram sententiam*, in fine, & disp.13.& 14. Vbi fusè docet, nos viribus naturæ posse elicere actus fidei, spei, & dilectionis Dei, etsi insufficientes ad salutem circa eadem obiecta, circa quæ eiusmodi actus prout requiritur ad salutem per auxilium gratiæ elicimus. docetque esse ferè communem sententiam omnium antiquorum Theologorum. Et disp.32. docet actus supernaturales, quòd tales sint, habere non à diuersitate obiecti, sed à singulari Dei auxilio actuali aut habituali, quo producuntur. & disp. 14. membr.1. §. *In eadem sententia*, fusè probat hanc esse sententiam D. Thomæ, qui 2.2.q.171. ar.2.ad 3. & alibi sæpiùs docet dilectionem Dei naturalem & supernaturalem esse eadem secũdùm substantiam: quod non videtur vllo modo intelligendum quasi actus caritatis qua iusti Deum diligunt sit solùm accidentaliter, siue secundùm aliquem modum supernaturalis (sicut enim hoc verum non est, ita parum est credibile D. Thomam hoc sensisse) sed quia habent idem obiectum formale, atque ita secundùm speciem, quam præcisè ab obiecto accipiunt, inter se conueniunt. 19 *Molinæ.* *D. Thom.* Qua ratione D. Thom. dicat amorẽ Dei naturalem & supernaturalem esse eosdem. Probatur Primò, quia, vt ostendi dub.1.& 2. etsi duo actus habeant idem obiectum formale, si tamen vnus procedat à principio in ratione principij siue virtutis effectiuæ essentialiter perfectiore, ipse erit essentialiter perfectior: atqui potentia coniuncta habitui alijue auxilio secundùm substantiam suam supernaturali est principium essentialiter in ratione principij perfectius sola potentia naturali: ergo si vtraque potentia agat circa idem obiectum formale, illius actus erit substantialiter perfectior, & consequenter supernaturalis in substantia. nulla autem est ratio cur negemus vtrumq; actum posse versari circa idem obiectum. vt magis ex dicendis patebit. 20

Probatur Secundò, quia dilectio qua Deus propter se diligitur, siue sit naturalis, siue supernaturalis, habet idem obiectum formale, scilicet bonitatem Dei, qua in se bonus est, quæ est eadem siue quis diligat Deum amore naturali, siue supernaturali: ergo vterque actus potest habere idem formale obiectum. Quidam negant anteced. voluntque Deum esse obiectum amoris supernaturalis prout est auctor rerum siue donorum supernaturalium; amoris verò naturalis, quatenus est auctor rerum naturalium. Sed hæc optimè refutat Scotus in 3.d.27. §. *Contra primam viam.* Quia etsi hæ considerationes siue rationes formales possint excitare in nobis diuersos amores concupiscentiæ, quibus Deum diligimus tamquam nobis bonum, siue vt bonum nostrum; tamen sunt omnino impertinentes ad diuersitatem amorum amicitiæ, 21 *Scotus.*

Caritas tendit in Deum nõvt auctorem doni naturalis aut supernaturalis,sed præcisè qua in se bonus est.

tiæ,quibus Deus amatur propter se, & qua in se bonus est. qua ratione omnino abstrahit ab eo quòd sit auctor rerum naturalium aut supernaturalium;nam qua talis potiùs est bonus nobis, quàm in se.

22 Dices, Deum esse auctorem istorum bonorum non habere rationem obiecti formalis, respectu amoris amicitiæ ratione iam dicta, quasi Deum ideo amaremus vt hæc vel illa nobis conferret (sic enim pertineret ad amorem concupiscentiæ) sed quia illa indicant in Deo diuersam bonitatem,ob quam dignus est amari.

23 Sed contrà Primò, Deus non solùm est bonus,& amore dignus,ac caritate amandus,quia est auctor istorum bonorum, sed etiam ab his abstrahendo, quia in se bonus est. hinc etsi per impossibile hæc non ab eo,sed aliunde haberemus,tamẽ esset verè propter suam bonitatem amabilis;& caritas sub hac ratione,siue quatenus in se præcisè bonus est, propriè in eum tendit. nam etsi consideratione donorum ipsius excitemur ad considerationem bonitatis,& amabilitatis ipsius, tamen postea caritas in eum fertur sine respectu ad dicta, purè ob intrinsecam ipsius bonitatem.

Consideratio donorũ excitat nos immediatè ad considerandam eius bonitatem, & hæc ad eũ amandum.

24 Secundò præcipui Sancti sæpè excitabantur in amorem Dei ex consideratione creaturarum; inde concludentes quàm ipse in se bonus, pulcer & amabilis sit,qui hæc tam bona, pulcra,& amabilia fecit:atq; ita non considerabant tunc eum vt auctorem rerum supernaturalium : & cùm tunc in feruentissimos amoris actus erumperent; incredibile omnino est eos solùm elicuisse actus amoris naturalis.

25 Tertiò, ponamus aliquem sine habitu quidem caritatis supernaturalis,ita tamen aliàs ex interna aliqua dispositione constitutum, vt ex consideratione bonitatis Dei possit facilè in se amorem erga eum excitare, si ei vt propter se amabilis commodè obijciatur. ac deinde aliquis ei valdè accommodatè ad ipsius sensum, proponat quanta Deus ipsum amãtibus bona promiserit, & inde ostendat quàm in se bonus & amabilis sit; illeque hæc firmiter credat, quacumque demum fide : Deusque ei solùm det auxilia necessaria ad amorem in substantia naturalem eliciendum. Peto vtrùm tunc poterit Deum propter se amare ? sanè ego nullo modo video, si talis possit induci in amorem Dei ex consideratione donorum ipsius naturalium, quare non possit in eum induci ex consideratione supernaturalium. quod si concedamus, etiam concedendum erit, Deum vt auctorem rerum supernaturalium posse amari amore naturali.

26 Respondet ad hæc Curiel 1.2.q.109.a.3.dub. 1.§.3.vers.*Respõdetur negando*,&c. talẽ posse quidem habere Deum qua auctorem rerum supernaturalium pro obiecto amoris materiali, non tamen pro formali : quia hoc obiectum est supernaturale, atque ita improportionatum actui naturali. Sed contrà, etsi Deus vt talis sit obiectum supernaturale, Primò, respectu consecutionis, quia nimirum non possumus eo viribus naturæ frui, eumq; hac ratione, aut ipsius dona consequi; Secundò, aliquo modo respectu cognitionis, quatenus sine vlla reuelatione non potest vt talis cognosci; tamen posita reuelatione possum alicui id mihi narranti, viribus naturæ assentiri, eumque vt talem amare. nam respectu huius amoris non est obiectum supernaturale:nulla enim est ratio id dicendi. Simili modo etsi clara Dei visio nequeat à nobis naturaliter obtineri, hoc ipso tamen, quo quacumque fide credimus eam multis à Deo supernaturali ratione conferri,possumus naturaliter desiderare,vt eam nobis ea ratione conferat: quia respectu talis amoris non est obiectum supernaturale.

Curiel.

Ob has rationes alij negant nos posse amore naturali Deum verè propter se diligere. Sed in hoc repugnant communi sententiæ Theologorum agnoscentium amorẽ Dei naturalem.& quãuis fortè nequeamus iam Deũ purè propter se, super omnia diligere sine vlla gratia; tamen hoc certum est, ad hoc sufficere gratiam secundùm substantiam naturalem, qualis in statu puræ naturæ suffecisset; quo casu ille actus absolutè fuisset naturalis, quia tunc illa gratia fuisset verè ordinis naturalis; quia illi statui quasi annexa ac debita,& ob finem merè naturalem data: iam verò est supernaturalis secundùm modum, quia non datur nisi propter merita Christi, & in ordine ad finem supernaturalem. sed hæc intrinsecam speciem actionis non variant: imò cùm eam nobis ob hunc vel illum finẽ dari sint respectus ipsi gratiæ omnino extrinseci,eã in se physicè nullo modo variant,& consequenter nec variant actum inde procedentem: quamuis vtraque varient aliquo modo moraliter. 27

Idem ostendi potest in actu spei,& fortè etiam fidei,vt suo loco probabimus. Sed hæc clarissima sunt in virtutibus moralibus: si enim viribus naturæ possum velle castè viuere,quia hoc homini honestum est; quare similiter non potero id velle,quia homini Christiano honestum est ? qua ratione erit etiam obiectum castitatis infusæ. Item si possum naturaliter velle seruare promissa homini, quia fidelitas hoc exigit; ac facere præcepta Superioris, quia obedientia hoc exigit; quare non potero similiter seruare promissa Deo,& facere præcepta à Deo, quia fidelitas & obedientia Deo debita id exigunt? 28

29 Dices, D. Thom.1.2.q.109.a.3.ad 1.distinguit dilectionem Dei naturalem à supernaturali: quòd illa Deum diligat super omnia prout est principium & finis naturalis boni; hæc verò prout est obiectum beatitudinis: ergo ipse sentit has dilectiones necessariò distingui obiecto formali. *D.Thom.*

Respondeo, nego consequentiam. quia D.Thomas ibi non distinguit eas dilectiones ratione diuersorum obiectorum, neq; assignat ijs diuersa obiecta; sed distinguit eas, quia vna fertur in Deum eminentiore modo, siue actu in se longè perfectiore,quàm altera;atque vna diligit Deum, prout conuenit diligi auctorem & finem bonorum supernaturalium, siue amore ad hoc proportionato. Vnde non dicit caritatem diligere Deum prout est obiectum amoris supernaturalis, *Sed secundùm quòd est obiectum beatitudinis* (id est amore ad huius consecutionem

Qua ratione intelligendũ quòd Deus amore supernaturali diligitur vt auctor rerũ supernaturalium.

nem proportionato) *& secundùm quòd homo habet quamdam societatem specialem cum Deo.* id est, quatenus est per habitum supernaturalem eleuatus ad esse quoddam diuinum, & factus potens elicere actus supernaturales. Vbi satis apertè totam differentiam horum actuum refert in diuersitatem principiorum siue causarum efficientium; atque ita nostræ sententiæ omnino fauet: & sic fortè multi alij auctores, qui horum actuum obiecta videntur distinguere, explicari possent. Quod vel ideò faciendum puto, quia si eorum verba omnino propriè accipias, non tam definiunt obiectum amoris amicitiæ, quàm concupiscentiæ siue spei, vt ostendi num.21.

DVBIVM IV.

Vnde actus supernaturalis accipiat specificam suam differentiam, qua à naturali distinguitur?

30 HOc dubium duplicem potest habere sensum: potest enim intelligi Primò, de intrinseca ratione formali, à qua actus supernaturalis tamquam à forma sibi intrinseca habeat quòd sit essentialiter perfectior, adeoque excellentioris speciei, & superioris ordinis, quàm naturalis. Secundò, de causa extrinseca, à qua prouenit quòd ille talem formam habeat, hic autem non. & in vtroque sensu facilis erit solutio ex superioribus dubijs.

31 Actus supernaturalis per sua intrinseca differt à naturali. Respondeo igitur Primò, actus supernaturalis intrinsecè & formaliter specie differt à naturali, ratione intrinseci sui esse, & cuiusdam substantialis excellentiæ ac perfectionis, qua actu naturali essentialiter est perfectior; sicut homo differt à bruto per rationalitatem.

32 Actus habet suam supernaturalitatẽ à principio actiuo. Respondeo Secundò, hæc excellentia, qua actus supernaturalis alterum superat, non prouenit semper ab obiecto formali, quod sæpè in vtroque idem est, sed sæpissimè præcisè à principio effectiuo, siue ab auxilio supernaturali actuali vel habituali; quod vnà cum potentia cõstituit principium effectiuum in ratione virtutis actiuæ essentialiter perfectius, & altioris ordinis, quàm sit potentia naturalis secundùm se; ideoque vnà cum ea effectum essentialiter perfectiorem, & altioris ordinis producit, quàm illa se sola produceret. Sequitur ex dictis num. 9. & 20.

33 Verbũ mentis est viua imago rei intellectæ. Vt autem supradicta omnia clariùs intelligãtur, præsertim in actibus intellectus (ex quorum analogia possumus ratiocinari de actibus voluntatis) Nota actum intellectus esse quasi quamdam viuam picturam, siue imaginem rei intellectæ, hanc formaliter repræsentantem, sicut imago repræsentat suum obiectum, siue prototypon. atque ita sic se habet obiectum respectu actus intellectus, sicut prototypon respectu imaginis. Sicut enim actus intellectus procedit aliquo modo tamquam à causa obiectiua & exemplari, à suo obiecto, ita eodem modo imago procedit à suo prototypo. Item sicut externa imago habet quidem à prototypo ad cuius similitudinem depicta est, quòd sit imago hominis, aut leonis, aut equi, &c. & hac ratione accipit ab eo speciem: quòd tamen sit tam perfecta, tam pulchra, &c. habet à præstantia pictoris, & pulchritudine ac perfectione colorum. vnde sæpè fit quòd imago canis sit absolutè perfectior & præstantior imagine Regis, quia illa ab artifice præstantiore facta fuit. Hinc si duo pictores, quorum vnus haberet artem pingendi specie præstantiorem alio, depingerent eiusdem rei imaginem quàm possent excellentissimè, ita vt prior quantum excellit artificio pingendi, tanto etiam melioribus vteretur coloribus; clarum omnino est huius imaginem fore specie perfectiorem imagine alterius.

Quænam imago accipiat ab obiecto; quæ aliunde.

Simili modo intellectio habet quidem ab obiecto formali, quòd sit intellectio talis aut talis rei, atq; hac ratione ab eo accipit aliquam diuersitatem specificam (intellectio enim hominis & bruti, necessariò sunt diuersæ speciei) tamen quòd sit multùm aut parum perfecta, habet à principio effectiuo. Certum enim est, perfectiorem intellectum perfectiorem intellectionem producere; idque non solùm perfectiùs rem intellectam exprimendo, & quasi perfectiore modo illius lineamenta ducendo, sicut pictor præstantior, qui eisdem cum alio vtens coloribus, perfectiùs tamen prototypon exprimeret; sed sicut is qui quanto præstantiorem habet artem, tanto perfectioribus coloribus vteretur.

34 Qua ratione intellectio accipiat speciem ab obiecto, qua ratione à principio effectiuo.

Perfectior intellectus duplici ratione perfectiorem elicit intellectionem.

Hæc enim est differentia inter imaginem pictoris, & illam quam intellectus conficit, quòd cùm illa constet lineamentorum ductione & coloribus, illam quidẽ pictor ex se conficit, hos verò aliunde accipit; atque ita colores non semper respondent artificio pictoris. Contrà verò intellectio totum omnino suum esse à potentia intellectiua accipit, atque ita fit, vt quæ procedit à potentia perfectius agente, se tota sit perfectior, &, vt ita loquar, secundùm colores & lineamenta, siue secundùm entitatem & rationem imaginis.

35 Differentia inter pictorẽ & intelligẽtem.

Dices, Effectus sequitur debiliorem partem suæ causæ: ergo effectus causæ partim naturalis, partim supernaturalis, erit solùm naturalis, sicut cõclusio sequẽs ex propositione certa & solùm probabili, est solùm probabilis. Respondeo, antecedens posse dupliciter intelligi. Primò, vt solùm dicat eiusmodi effectum semper esse minùs perfectum, quàm esset si causa ex omni parte esset æquè perfecta: v.c. quando duo leuant aliquod pondus, quorum vnus habet vim agendi vt viginti, alter vt sex; sequitur minor effectus, quàm si vterque haberet vim agendi vt viginti. & in eo sensu antecedens est quidem generatim verum, tamen nihil facit ad rem; nam solùm probat actum productum à potentia instructa habitu supernaturali, esse minùs perfectum, quàm esset si ipsa potentia in virtute agendi correspondaret perfectioni ipsius habitus. Ex quo nullo modo sequitur, eum actum esse naturalem, siue non esse perfectiorem, eo quẽ potentia sine illo habitu posset producere.

36 Qua ratione effectus sequatur debiliorem partẽ suæ causæ.

Secundò, potest intelligi, vt dicat eiusmodi effectum numquam esse perfectiorem, quàm sit virtus agendi partis debilioris ipsius causæ, siue

37

siue semper esse eiusdem ordinis cum parte causæ debiliore ; & in hoc sensu facit quidem ad rem, sed generatim sumptum est apertè falsum. vt patet in exemplo leuantium illud pondus; imò etiam in exemplo habentis quidem perfectam vim motiuam, claudicat tamen ob distortam tibiam ; cuius ingressus est quidem imperfectior, quàm esset, si tibia esset recta: est tamen melior quàm esset, si virtus motiua esset tam imperfecta in suo genere, quàm tibia sit in suo. Fallit igitur illud antecedens, quoties duæ causæ ita vnam integram constituunt, vt vna alterius virtutem agendi augeat, siue ita vt simul constituant virtutē agendi perfectiorem, quàm vna sola per se habeat: tūc enim semper effectus est perfectior, non solùm quàm sit virtus agendi partis inferioris; sed etiam quàm sit virtus agendi partis perfectioris: nam supradicti non solùm leuant pondus vt 20. sed vt 26.

Quando illud axioma fallat:

38 quando non.

Illud igitur antecedens solùm est verum, quando vna pars causæ non adiuuat modo iam dicto vim agendi alterius : vt fit in syllogismis (in quibus fere solis hoc axioma habet propriè locum) in quibus præmissæ non augent mutuam certitudinem, nec constituunt vnum antecedens certius, quàm sit minùs certa propositio secundùm se sumpta; & consequenter nec simul sumptæ constituunt maiorem vim probandi, quàm sit infirmioris propositionis certitudo secundùm se sumpta. atque ita solùm se mutuo iuuant ad constituendam ipsam consequentiam: quæ per vnam solam propositionem constitui nequit.

Qua ratione præmissæ se iuuent in ordine ad illationem.

DVBIVM V.

Qua ratione auxilium supernaturale, siue habituale, siue actuale, vnà cum potentia concurrat ad productionem actus supernaturalis?

39 *Molina. Suarez.*

NOta, nos hîc non agere de illa quæstione quam tractant Molina in sua Concordia disp.36. & Suarez de Auxilijs l.3.cap.4.n.16. scilicet vtrùm gratia præueniens, prout significat præcisè illustrationem intellectus, aut motionem voluntatis diuinitus immissam, immediatè physicè influat in actum liberum, sicut asserit Molina : an verò solùm inclinet potentiam in actum; opusque præterea sit singulari Dei influxu supplente vicem habitus, quo potentia ad productionem actus eleuetur, vt asserit Suarez. Quæ quæstio ad materiam de gratia spectat; nec eius explicatio hîc nobis est necessaria. Solùm ergo quærimus, vtrùm auxilium diuinum, quo potentia ad producendum actum supernaturalem eleuatur, (siue hoc consistat in habitu, siue in actu vitali non libero, siue in aliqua qualitate transeunte à solo Deo in nobis producta, vt aliqui volunt, siue in singulari Dei concursu) & ipsa potentia tamquam causæ partiales ipsum actum supernaturalem ita producant, vt vtraque pars immediatè in eum effectiuè influat ? Quæ difficultas nobis hîc explicanda fuit, vt suprà dicta clariùs possint intelligi.

40 *Bañez. Aluarez.*

Bañez 1.p.qu.12 a.5. dub.2.ad 5. Aluarez de Auxilijs disp.64. & 85. & quidam alij Thomistæ putant actum supernaturalem immediatè producì à solo habitu aut gratia supernaturali, tamquam à principio formali immediatè in actum influente, ita vt potentia secundùm se, siue vi sua naturali immediatè nullo modo influat, sed solùm mediante auxilio supernaturali, sicut aqua calida rem aliam calefacit mediante calore sibi inexistente; vt ait Bañez suprà; vel, vt alij volunt, sicut secundùm multorum sententiam distinguentium potentias ab essentia animæ, hæc per illas actus suos vitales producit.

Bañez.

Probatur Primò, quia illi actus sunt sē totis supernaturales : ergo potentia naturalis nullo modo secundùm se immediatè potest in eos influere. Consequentia patet, quia potentia secundùm se est omnino improportionata, vt influat in eiusmodi actum: ergo hoc fieri nequit.

Secundò, quia aliàs perfectior potentia cum æquali auxilio produceret perfectiorem actum: atqui hoc est falsum (vt patet in visione beatifica, quam omnes habentes æquale lumen gloriæ æqualem producunt:) ergo etiam id, vnde hoc sequitur, est falsum.

41

Tertiò, quia aliàs actus supernaturalis non esset totus tribuendus gratiæ, sed partim huic, partim libero arbitrio; quia produceretur partim ab hoc, partim ab illa; sicut quando duo trahunt eandem nauem, tractio partim tribuitur vni, partim alteri : atqui illud est falsum. nam Patres & Concilia tribuunt totum actum gratiæ, arguuntque Semipelagianos quòd dicerent opera bona partim produci à gratia, partim à libero arbitro : ergo etiam falsa est ea sententia, ex qua hoc sequitur. Minor patet ex Augustino l.1. de Prædestin. sanct. c.2. & 7. vbi reprehendit Semipelagianos quòd actum fidei non tribuerent totum gratiæ, sed ex parte etiam libero arbitrio. & l.2.c.6. ait: *Tutiores igitur viuimus, si totum Deo damus: non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Similia habent alij Patres.

Augustin.

42

Ex hac autem sententia inferunt, fieri non posse vt Deus sine vllo habitu, aliaue qualitate voluntati intrinseca, solo suo singulari concursu, vnà cum voluntate immediatè producat actum vitalem supernaturalem : quia cùm voluntas non possit immediatè per se in eum influere, Deus deberet eum solus immediatè producere; atque ita ille actus non esset vitalis; quia non procederet à potentia vitali.

Vt autem facilius oppugnent sententiam eorum qui dicunt auxilium supernaturale & potentiam simul immediatè influere in actum supernaturalem, tamquam duas causas partiales, sicùt cùm duo eodem fune trahunt eandem nauim, aiunt eos docere, liberum arbitrium producere vnam partem illius actus, & alteram partem produci à gratia : sicut dum domus extruitur, alius murum, alius tectum conficit. Itaque semper argumentantur, quasi fieri nequeat vt duæ causæ partiales immediatè ad productionem vnius effectus ita concurrant, vt effectus, etsi non totaliter, tamen verè totus procedat à singulis, ita vt neutra aliquid in eo producat,

quod non producatur etiam ab alia ; atque ita illæ causæ sint quidem partiales partialitate causæ (quia simul vnam integram causam constituunt) non tamen partialitate effectus ; quia non producunt singulæ diuersas huius partes, sed singulæ totum. Hoc enim fieri posse vel ex ipso exemplo quod adferunt, debuissent discere : quando enim duo eodem fune nauim trahunt, ita ab vtroque simul & nauis tota trahitur, & eius motus totus producitur, vt nulla pars sit assignabilis aut nauis, quæ non ab vtroque trahatur; aut motus, quæ non ab vtroque producatur.

Potest idem effectus à duabus causis ita procedere, vt à singulis procedat totus.

43 Similiter quando duæ candelæ producunt idem lumen, hoc ita totum à singulis producitur, vt nulla sit eius pars, quæ solùm ab vna producatur. Quod hac ratione clarè demonstrari potest: nam illæ candelæ æqualiter illuminatiuę in puncto v.c. A distante quatuor pedibus ab vtraque, producent maius lumen, quàm vna sola æqualis virtutis, in æquali distãtia produceret. Ponamus ergo quòd singulæ per se in eo pũcto produceret lumen vt 4. & coniunctæ producãt vt 5. aut 6. tunc autem nulla erit causa cur vnus gradus potiùs producatur ab vna, quàm ab alia, præsertim si simul tempore accendantur, aut illi loco admoueantur. Ergo lumen secundùm omnes suos gradus à singulis producetur. Idemque est quãdo auxilium supernaturale vnà cum potentia producit actum supernaturalem : hic enim ita totus ab vtraque causa producitur, vt nulla possit in eo pars assignari, quæ non producatur ab vtraque. Vt Molina, Suarez, alijque qui hanc sententiam tuentur, sæpè expressè docent. Quod illi qui eos oppugnant, non potuerunt non aduertere: sed id dissimularunt; quia clarè videbant auctoritates Patrum quas contra eam sentẽtiam ita exaggerant, nullam contra eam sic explicatam habere vim.

Lumen productum à duabus candelis producitur totum à singulis.

Actus supernaturalis producitur totus à gratia, & totus à potentia. *Molina. Suarez.*

44 Nec refert quòd aliqui ex dictis Auctoribus dicant liberum arbitrium esse causam illius actus, quatenus est vitalis; gratiam verò esse causam cur sit supernaturalis : per hoc enim non significant, eum secundùm diuersas partes, à diuersis causis produci (hoc enim ipsi apertè negant) sed solùm indicant diuersos modos, quibus dictæ causæ in eundem effectum influant, ratione quorum effectus diuersimodè denominatur. Nec dicta eorum verba significant diuersas partes ipsius actus (cùm ipse se toto, & secundùm omnem sui partem sit & vitalis & supernaturalis) sed solùm significant diuersas rationes, sub quibus hic actus possit cõsiderari, & diuersimodè denominari. Simili modo, vt bene docet Molina in sua Concord. disput. 31. §. *Ad tertium*; actio nostra mala nullo modo habet à Deo quòd sit actus talis speciei, & tamen habet ab eo concursu vniuersali influente, id, quo est talis speciei : quia ab eo ita habet omne suum esse, vt tamen ille nullo modo sit causa cur hæc sit actio talis specici. Quæ quia aliqui confundunt, in grauissimas difficultates incidunt : ea tamen plurimum distingui clarissimo exemplo potest ostendi. Videmus enim quotidie duas naues eodem vẽto motu directè contrario moueri : quo casu totus vtriusque motus producitur à vento, & hic est causa totius motus, quatenus est quidam motus: quòd tamen illa potiùs moueatur in Occidentem, quàm in Orientem, & altera contrà, ventus nullo modo est causa, sed solus nauclerus partim motione claui, partim obliquatione veli.

Molina.

Potest quis esse causa totius actionis, etsi non sit causa cur sit talis speciei.

Secunda sententia hîc esse posset huic planè contraria, scilicet illum actum immediatè totaliter produci à sola potẽtia, ita vt gratia ad eum solùm concurrat mediatè, quatenus potentiam corroborando efficit, vt hęc perfectiùs in actum influat; sicut quidam cibi, aut etiam vehemens alicuius rei apprehensio solent quandoque ita vires corroborare, vt quis aliquid facilè faciat, quod ei aliàs esset impossibile. Potest autem hęc sententia probari Primò, quia hæc actio est secundùm se totam vitalis: atqui hoc esset falsum, nisi totaliter procederet à potentia vitali : ergo hoc dicendum est. 45

Secundò, quia actus supernaturalis non solùm est in se perfectior, quàm naturalis, sed potentia etiam per eum perfectiùs tendit in obiectum: atqui ad hoc requiritur vt ipsa per se præcisè perfectiùs influat in ipsum actum: ergo hoc dicendum est. Minor probatur, quia potentia non tendit per aliquem actum in obiectum nisi eum per se immediatè producat (nam si Deus in intellectu solus aliquem actum produceret, ille per hunc nullo modo intelligeret:) ergo vt perfectiùs per eum tendat in obiectum, non sufficit hunc secundùm se esse perfectiorem, sed requiritur vt potentia per se immediatè perfectiùs eum producat. 46

Conclvsio. Nec sola gratia siue auxilium supernaturale, nec sola potentia immediatè producit actum supernaturalem: sed vtraque simul in eum immediatè effectiuè influit. Ita Molina in Concord. disp. 36. §. *His ita constitutis*, & Bekanus de Attributis diuinis c. 9. qu. 3. num. 5. Probatur Primò, quia apertè colligitur ex Scriptura, quæ docet in ijs actibus producendis gratiam collaborare libero arbitrio, & hoc vnà cum gratia laborare. Sapient. 9. *Mitte eam de cælis sanctis tuis & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit & mecum laboret.* 1. ad Corinth. 15. ait Apostolus : *Gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laborauì : non ego autem* (scilicet solus) *sed gratia Dei mecum.* Vbi expressè dicitur nos cum gratia Dei laborare, & gratiam nobiscum: atqui hoc propriè loquendo esset falsum, nisi tam gratia, quàm potentia in actum immediatè influeret: ergo hoc dicendum est. Minor patet; quia aliàs vna non laboraret cum alia, sed per aliam: sicut aqua non calefacit cum calore, sed per calorem; nec anima intelligit cum intellectu, sed per intellectum. 47

Molina. *Bekanus.* *Sapient.* *1. Corinth.*

Aliud est agere cum gratia, aliud agere per gratiam.

Probatur Secundò, ex Patribus, qui similiter docent, liberum arbitrium vnà cum gratia producere liberum consensum. Hinc D. Augustinus libro de Corrept. & gratia cap. 11. & alibi sæpè, gratiam vocat adiutorium, quo voluntas in operando adiuuatur : adiuuamur autem ab eo, quo cum simul laboramus. Item ad Simplicianum l. 1. qu. 2. *Vt velimus*, ait, *suum voluit esse & nostrum : suum vocando, nostrum sequendo.* & infrà: *Nam si propterea tantùm dictum est, Non volentis neque* 48

Augustin.

que currentis, sed miserentis est Dei; quia voluntas hominis sola non sufficit, vt iustè rectèq; viuamus, nisi adiuuemur misericordia Dei; potest & hoc modo dici: Igitur non miserentis est Dei, sed volentis est hominis: quia misericordia sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur. Deinde docet, ideo prius rectè dici, non tamen secundum; non quia gratia sola immediatè producit effectum; sed quia ipsa facit etiam vt velimus; siue quia gratia præuenit nostram bonam voluntatem, non tamen voluntas gratiam. Vbi apertè docet, in hoc opere sicut gratia iuuat voluntatem, ita gratiam requirere voluntatem, & neutram sine alia aliquid posse: quæ tamen falsa sunt secundùm aliam sententiam. nam calor inhærés aquæ, hanc non iuuat in producendo calore, sed solus totum producit, nec indiget aquâ propriè vt calorem producat, sed solùm vt ei inhæreat.

Cur bene operari potiùs sit Dei miserentis, quàm hominis volentis.

49 *Bernard.* Sed pulcerrimè & clarissimè hæc explicat D. Bernardus libr. de Gratia & libero arbitrio circa finem: vbi explicans locum Apostoli suprà citatum, inquit, *Non autem ego, ait, Sed gratia Dei mecum: potuit dicere, Per me; sed quia minus erat, maluit dicere Mecum; præsumens se non solùm operis esse ministrum per effectum; sed etiam operantis quodammodo socium per consensum.* & infrà: *Stigitur Deus tria hæc* (hoc est, bonum cogitare, velle, & perficere) *operatur in nobis, primum profectò sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit.* & infrà: *Ad hoc vtique præueniens* (scilicet voluntatem nostram) *vt iam sibi deinceps cooperemur: ita tamen quod à sola gratia cœptum est, pariter ab vtroque perficitur: vt mixtim, non sigillatim; simul, non vicissim per singulos profectus operentur: non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere in diuiduo peragunt. totum quidem hoc, & totum illa, sed vt totum in hoc, ita totum ex illa.*

50 Quæ vltima verba addit, vt ostendat quid in productione liberi consensus sit proprium gratiæ, scilicet, quòd totus actus hac ratione singulariter sit ex illa, quatenus ipsa præuenit voluntatem, eamque ad operandum excitat, atque ita primum initium ipsius operis sumendum est à sola præueniente gratia. Item quid sit proprium libero arbitrio, quòd scilicet totus actus in eo solo recipiatur. Quibus verbis Primò, clarissimè docet nostram sententiam, scilicet gratiam & voluntatem simul operari liberum consensum se mutuo adiuuando, ita vt voluntas sit socia gratiæ in operando, atque ita se iuuent sicut socius socium, qui sine dubio simul influunt in effectum tamquam causæ partiales. Item docet, effectum posse dicto modo ita à duabus causis produci, vt tamen totus sit à singulis. Secundò, explicat quid sibi velint Patres, dum negant opus bonum produci partim à libero arbitrio, & partim à gratia, vt num. 64. clariùs ostendam.

51 Probatur conclusio contra primam sententiam, ratione Primò, quia secundùm eam, vt etiam Bañez concedit, potentia non aliter concurreret ad productionem actus, quàm aqua, quæ habet in se calorem, concurrit ad calefactionem: atqui hæc secundùm se solùm materialiter & passiuè se habet respectu productionis caloris: ergo potentia similiter se haberet respectu productionis illius actus. Consequens autem & per se absurdum est, & videtur apertè sententia Lutheri damnata à Trident. sess. 6. c. 5. & can 4. ergo etiam id vnde hoc sequitur, est absurdum. *Bañez.* *Trident.*

Voluntas nō potest dici se habere mere materialiter respectu actus supernaturalis.

Minor probatur, quia id dicitur se habere merè materialiter respectu alicuius actionis, quod nulla ratione in illam per se immediatè influit, & principio formali nullam vim agendi confert; sed solùm eatenus ad actionem concurrit, quatenus formâ à qua effectus totaliter producitur in se sustentatur: atqui aqua, quæ habet in se calorem, ita se habet respectu alterius caloris producti: ergo se habet merè materialiter. Quid sit potentiam se habere merè materialiter.

52 *Aluarez.* Aluarez de Auxilijs disp. 64. nu. 6. negat maiorem prioris syllogismi. & assignat duplicem differentiam inter aquam calefacientem & potentiam producentem actum supernaturalem. Prima est, quòd aqua ex se nullam habeat vim producendi calorem ne quidem remotam & radicalem; secùs autem esse in potentia respectu actus supernaturalis. Secunda est, quòd aqua per calorem non eleuetur ad producendum actum intra latitudinem propriæ actiuitatis, & obiecti proprij; secùs autem esse in potentia respectu actus supernaturalis.

53 Sed neutra differentia secundùm eam sententiam potest consistere. non prior: nam vel ideo voluntas dicitur habere remotam & radicalem potentiam productiuam actus supernaturalis, quia habet verè aliquam potentiam per se immediatè effectiuè influẽdi in illum actum, licet per se insufficientem quæ per gratiam adiuta vnà cum ea immediatè in effectum influat, sicut nos fieri dicimus. Sed hoc Aluarez cum suis negat. Vel dicitur eam vim ita habere, quia potest producere aliquam formam, vel saltem eam naturaliter requirit, quæ potens sit talem effectum immediatè producere: sicut multi aiunt, potentias realiter ab anima distinctas naturaliter ex ea manare, quibus ipsa actus vitales producit. Et hoc dici nequit; quia sic potentia esset causa siue principium gratiæ, & hæc ei esset naturalis. Vel demum ideò anima dicitur habere potentiam remotam producendi eos actus, quia Deus potest ei infundere gratiam, quæ est forma productiua talium actuum: & sic aqua eodem modo habet potentiam remotam producendi calorem. imò multò maiori ratione: nam aqua potest naturaliter acquirere formam productiuam caloris; potentia solùm supernaturaliter potest acquirere formam productiuam actus supernaturalis.

54 Secunda etiam differentia nulla est: nam actum aliquem esse intra latitudinem propriæ actiuitatis alicuius potentiæ, nihil est aliud quàm potentiam posse eum aut se sola, aut saltem cum alterius adiutorio ita producere vt per se immediatè in eum influat, aut saltem mediante aliquo suo effectu, aut connaturali instrumento. Secundùm Aluarez autẽ nihil horum dici potest, de potentia respectu actus supernaturalis: nam nec secundum, vt per se patet: nec etiam prius. nam secundùm illum nec potentia magis immediatè influit effectiuè in actum supernaturalem, quàm aqua in calorem, nec ex se magis *Aluarez.*

gis est effectiua illius, quàm aqua huius. Quòd autem potẽtia producat illum actum mediante gratia, nihil facit ad rem, quia eodem modo aqua producit calorem mediante calore: ergo vel vtraque causa eleuatur ad producendum effectum intra latitudinem suæ actiuitatis, vel neutra.

55 Dices, ideo actum supernaturalem dici esse intra latitudinem actiuitatis ipsius potentiæ, quia hæc potest ex se circa obiectum illius actus agere. Sed contra Primò, sic non ipse actus, sed solùm obiectum erit intra latitudinem actiuitatis illius potentiæ. Secundò, quia sicut potentia potest ex se circa Deum producere alium actum: ita etiam aqua potest circa id quod calefacta calefacit, ex se edere aliam actionem, scilicet frigefactionem: ergo hactenus in vtroque est paritas.

56 Confirmantur hæc omnia: nam vel potentia in productione illius actus est partiale principium formale, vel nõ. Si prius dicatur, sequetur contra illam sententiam, gratiam non esse totale principium formale; si secundum dicatur, sequitur potentiam secundùm se esse principium merè materiale illius actus, atque ita se habere merè materialiter ac passiuè in eius productione. Probatur sequela, quia in præsenti casu, esse merum principium materiale alicuius actus, nihil est aliud quàm nulla ex parte esse eius principium formale: sicut alicubi esse meras tenebras, nihil est aliud quàm ibi nihil esse lucis. Item aliquem in aliquo actu ex parte sua se habere merè passiuè, nihil est aliud quàm ipsum ex parte sua nihil in eo producere.

57 Hinc probatur concl. Secundò. vel enim potẽtia secundùm se, & prout distinguitur à gratia, aliquid agit vnà cum gratia, influẽdo in illum actũ; vel nihil omnino agit. Si prius dicatur, nostra sententia erit vera, & potentia non solùm erit principium materiale illius actus, sed etiam ex parte formale, & in eum influet virtute sua naturali, siue ea quam ex se habet. quod Auctores contrariæ sententiæ negant. Si secundum dicatur, sequetur solam gratiam producere actum supernaturalem, & liberum arbitrium secundùm se nihil agere, sed habere se merè passiuè. sicut in actionibus substantiarum materia prima ex parte sua, & secundùm se sumpta, & prout distinguitur à forma, nihil omnino agit, ideoque habet se merè materialiter & passiuè. Illud autem videtur aperta sententia Lutheri damnata à Trident. sess. 6. c. 5. & can. 3.

Trident.

58 *Aluarez.* Dices Primò, cum Aluarez suprà disp. 85. nú. 2. & 7. non solam gratiam, sed etiam liberum arbitrium simul cum ea effectiuè ad actum supernaturalem concurrere; solum tamen Deum & gratiam efficere, vt liberum arbitrium cooperetur; non solùm dando ei vires quibus fiat proximè potens operari, ipsumque ad hoc alliciendo, sed etiam efficiendo ipsum conatum, quo influit in actum, ita vt conatus liberi arbitrij non sit distinctus à conatu gratiæ.

59 Sed vel ex similibus loquendi modis tam in hac quàm in alijs aliquorum sententijs satis videas eas parum aut nihil probabilitatis habere, quæ aliter nequeant defendi, nisi ita ad obiectiones respondendo, vt quid dicatur nequeat intelligi, & vno verbo negetur quod alio asseritur. nam potentiam vnà cum gratia efficere ipsum actum, est ipsam conatu & influxu partiali proprio in eum influere; aliàs, vt suprà dixi, non influet simul cum gratia, sed per gratiam. Item potentiam verè liberè efficere ipsum actũ necessariò & intrinsecè, dicit ipsam seipsam saltem partialiter mouere ad agendum; ita vt per gratiam priùs excitata non solùm per hanc, sed simul etiam cum hac per se immediatè in effectum influat. Quod, si Aluarez fieri concedat, ei nobiscum conueniet; si neget, frustra quæritur inuolucra verborum, quibus suum sensum tegat, vt videatur sentire potentiam aliter producere actum supernaturalem, quàm aqua calorem producat: quia etiam calor inhærens aquæ huic vires calefaciendi tribuit, & efficit omnem conatum, quem aqua ad calefaciendum exhibet, quia non est aliud quàm conatus ipsius caloris. Quare omnino est impossibile me non solùm per gratiam, sed vnà cum ea liberè aliquam actionem producere, nisi eius sim verè immediata causa; siue nisi sim causa saltem partialis, cui illa à me immediatè procedat. Quibus apertè repugnat solam gratiam ita facere vt faciam vt conatus meus siue influxus in effectum nullo modo procedat à me, nisi quatenus procedit à gratia: sic enim non agerem nisi per gratiam; sicut aqua calefacit per calorem. Quod quantumuis Aluarez conetur negare, tamẽ ei cum Bañez fatendum est, si suam sententiam velit tueri, vt patet ex dictis.

Aluarez. *Bañez.*

60 Dices Secundò, cum Aluarez superiùs, nu. 5. Pater & Filius simul producunt Spiritum sanctum, & tamen id non faciunt vt duæ causæ partiales, aut ex parte sua distincto & partiali influxu: ergo hoc non requiritur, vt duæ causæ eundem effectum simul producant.

Aluarez.

61 Sed hoc exemplum potiùs à nobis facit, & alteram sententiam refutat: nam Pater & Filius non ita producunt Spiritum sanctum, vt vnus solus eum immediatè producat, & alter solùm eo mediante, sicut Aluarez vult voluntatem producere actum supernaturalem mediãte gratia, quæ sola immediatè eum producat: sed vterque æquè immediatè Spiritum sanctum producit, sicut nos dicimus gratiam simul cum voluntate producere actum supernaturalẽ. hac tamẽ differẽtia: quòd Pater & Filius habeant eandẽ omnino essentiam & voluntatẽ, quæ est totale principium formale productionis Spiritus S. & ideò nõ producunt eum tamquam duo principia, aut simpliciter tamquã duo, sed tamquam vnũ principium; quare mirum nõ est quòd non sint duæ causæ partiales. Secùs est in voluntate & gratia; nam vtraque est potentia actiua distincta, atque ita sunt duæ potẽtiæ actiuæ, quæ non possunt dici sibi mutuo cooperari, simul producendo eundem effectum, si vna sola eum immediatè producat. Sicut Pater & Filius non possent dici simul producere Spiritum sanctum, si solus Filius eum immediatè produceret. sed tunc Pater solùm produceret Spiritum sanctum per Filium, sicut iam eum producit per voluntatem, non autem vnà cum voluntate:

Aluarez.

Quare gratia & voluntas sint potius duæ causæ partiales, quàm Pater & Filius in spiratione Spiritus sancti.

&

& generat Filium per intellectum, non autem vnà cum intellectu.

62 Ad primum argumentum prioris sententiæ allatum n. 40. nego consequentiam. Ad probationem, Respondeo potentiam esse quidem omnino improportionatam, vt sola sine alio auxilio talem actum producat, aut in eum influat; non autem vt hæc faciat adiuta auxilio supernaturali: sicut habens solam potentiam leuandi vt 10. nequit per se leuare lapidem ponderantem 100. & habet potentiam ad id improportionatam, habet tamen potentiam proportionatam vt eum cum alio leuet, qui potentiam habet vt 90.

63 Nec refert quòd hic solus possit illi lapidi aliquê impetum imprimere, licet insufficientem ad eius leuationem. Item quòd possit solus leuare pondus vt decem, atque ita facere actionem eiusdem speciei cum illa. Quæ secùs habent in potentia respectu actus supernaturalis. quia inde solùm sequitur, hunc actum esse alterius speciei siue ordinis quàm sit vllus actus, quem potentia per se possit producere; atque ideo vt eum possit producere, debere eleuari siue admuari aliquo principio altioris ordinis: quod nos libenter concedimus. nullo autem modo inde sequitur, eam adiutam tali principio nõ posse simul cum eo vnam integram causam cõstituere, qua talis actus producatur. nam sicut illa potentia vt 10. potest per se producere in eo lapide aliquem impetum imperfectum: ita potentia naturalis potest, v.c. circa Deum producere amorem aut cognitionem imperfectam & inferioris ordinis. & sicut illa potest per auxilium eiusdẽ ordinis eleuari ad actum perfectiorem intra eandem speciẽ: ita hæc potest eleuari per auxilium superioris ordinis ad actum superioris ordinis. Aliud exẽplum adferri potest in intellectu & specie intelligibili, quorum vtrumque secundùm se est omnino improportionatum ad producendam intellectionem: & vtrumque simul sumptum est proportionatum vt eam cum altero producat.

Ad secundum, nego maiorem generatim sumptam: nam aliquando fallit, vt ostendam dub. 6. vbi eam difficultatem tractabo.

64 Ad tertium, distinguo maiorem: vel enim solùm dicit actum supernaturalem non ita tribuendum esse gratiæ, vt nullo modo tribuatur libero arbitrio tamquam veræ ipsius partiali causæ, & à cuius influxu & libertate verè pendeat. & hoc sensu verissima est, eamque apertè
Trident. docent Trident. sess. 6. c. 5. & can. 4. & Scripturę ac Patres citati num. 47. 48. &c. Vel dicit actum secundùm aliquam sui partem produci à solo libero arbitrio, & secundùm aliam à gratia, prout dicebant Semipelagiani, qui volebant nos incipere priùs bene agere, & postea à gratia iuuari, atque ita initium & priorem partem boni operis tribuebant soli libero arbitrio, & posteriorem gratiæ. quod hæreticum est, nec vllo modo ex nostra sententia sequitur. & hoc solùm in Semipelagianis dicti Patres locis suprà citatis damnarunt, vt illi ipsi in ijsdem locis a-
Bernard. pertè docent. Vnde etiam D. Bernardus suprà tam studiosè inculcat, gratiam & liberum arbitrium non producere actum supernaturalem per partes & vicissim, sed simul & singula totum.

Locus autem Augustini ex lib. 2. de Prædest. 65
cap. 6. nihil facit ad rem: quia ibi non agit de vno actu, sed de serie actuum totius vitæ. docetque Deum non solùm dare nobis initium vitæ bonæ, scilicet fidem & caritatem, qua initio iustificamur (prout aliqui videbantur velle) sed dare etiam nobis donum perseuerantiæ, siue iam iustificatis sæpè subministrare auxilia actualia, sine quibus non possemus perseuerare. vt docet Trident. sess. 6. c. 22. *Augustin.* *Trident.*

Ad primum argumentum secundæ sententię 66
allatum num. 45. nego minorem. nam vt actio tota sit vitalis, sufficit quòd tota procedat à potentia vitaliter operante; nec vllo modo requiritur vt ab ea sola immediatè procedat: nam aliàs sequeretur, actiones vitales non procedere immediatè à Deo per generalem concursum. Ad secundum, nego minorem; & ad probationem, nego consequentiam. Quia potentia vitalis tendit in obiectum non solùm per productionem sui actus, sed etiam per eiusdem in se receptionem: quare sicut illa, quo hic est perfectior, eo perfectiore forma informatur; ita etiam perfectiùs in obiectum tendit. Potentia vitalis perfectiore actu perfectiùs tendit in obiectum, etsi ipsa in eum perfectiùs non influat.

Nec his obstat, quòd hîc non percipiamus 67
nos aliter tẽdere in obiectum per actum supernaturalem, quàm per naturalem: quia hoc accidit ex eo quòd intellectus noster in suis operationibus hîc multùm pendet à phantasia, ideoque merè spiritualia, & consequenter eiusmodi actus non ita clarè percipimus, nisi aut ratione conatus, quo potentia in eos influit; aut ratione maioris claritatis ipsorum actuum, quando hi euidentes sunt; aut quia per eos potentia in obiectum sensibiliter rapitur; aut quia spiritus vitales concitantur; aut ex similibus causis: quæ cùm in hac vita sæpè in vtrisque actibus paria sunt, non possumus satis distinguere inter actum naturalem & supernaturalem. Quare hîc nõ percipiamus perfectionẽ actus supernaturalis.

Hinc sequitur Primò, potentiam naturalem 68
in hac vita ex parte sua communiter non aliter influere in actum supernaturalem, quàm in naturalem circa idem obiectum: sicut cùm duo habentes singuli vires vt 50. simul leuant pondus vt 100. eodem modo singuli in actum influunt, ac si soli leuarent pondus vt 50. Potentia ex sua parte eodem modo influit in actũ naturalẽ & supernaturalem.

Dixi *communiter*, quia ratione gratiæ præue- 69
nientis potentia sæpè vehemẽtiùs in obiectum influit, quàm aliàs influeret. Imo quandoque, quando Deus aliqua spiritualia clarè alicuius intellectui obijcit (quod Mosi in mõte, D. Paulo in raptu, Beato Patri nostro in reuelatione mysterij Trinitatis, alijsque quibusdam miraculosè accidit) hîc altiore & perfectiore modo in obiectum influit, quàm aliàs naturaliter influere posset ob defectum sufficientis propositionis, & consequenter proportionis ipsius obiecti respectu potentiæ. quo enim aliquod obiectum clariùs proponitur potentiæ cognoscitiuæ, eo est ei magis proportionatum, & hæc perfectiùs in eius cognitionem influit. Idemque multò potiore ratione dicendum est de influxu potentiæ in claram visionem Dei & amorem bea- Gratia tamẽ præueniens efficit vt potentia vehementiùs, aut altiore modo in obiectũ influat.

beatificum, vt ostendam disput.23.dub.3.n.18.

70 Potentia potest elicere actum supernaturalem per auxilium sibi extrinsecum.

Sequitur Secundò, vt potentia ad actum supernaturalem etiam vitalem eliciendum eleuetur, non esse opus hoc fieri per aliquid ei inhærens, sed sufficere Deum cum ea immediatè in ipsum actum singulari ac supernaturali concursu influere. nam vt actus sit totus vitalis, sufficit quòd totus potentiæ inhæreat, totusque ab ea etsi non sola producatur: quòd autem principium illud supernaturale, quo potentia adiuuatur, illi inhæreat, aut non inhæreat, nihil facit ad rem. vnde si secundùm priorem sententiam actus immediatè procederet à solo auxilio supernaturali, siue hoc esset aliquid potentiæ intrinsecum, siue non, actus esset absolutè non vitalis.

DVBIVM VI.

Vtrùm perfectior potentia cum æquali auxilio perfectiorem actum supernaturalem eliciat?

71 PRæcipua hîc difficultas est de actibus patriæ: nam de actibus huius viæ Auctores hoc non ita tractant: & inter vtrosque actus magna est differentia, vt ex dicendis patebit.

Scotus. Scotus igitur in 4.d.13.qu.3.& d.14.q.4.& in 4.d.50.qu.6.concluſ.4.& 5.cum suis, & quidam alij absolutè affirmant, perfectiorem potètiam cum æquali habitu supernaturali perfectiorem actum elicere. Probant, quia perfectius principium producit perfectiorem effectum: atqui perfectior potentia cum æquali lumine constituit perfectius principium: ergo producit perfectiorem effectum.

72 Sed hoc non videtur posse dici. quia visio beata est merces meritorum, quæ pro horum magnitudine datur maior; vt omnes Catholici docent, & patet ex Apostolo 1.ad Corinth.3. vbi ait: *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.* (merita autem hîc accipio paulò latiùs, prout includunt etiam susceptionem Sacramentorum, qua gratia ex opere operato confertur) atqui angelus & homo possunt habere æqualia merita: ergo habebunt æqualem beatitudinẽ siue visionem beatificam. quod verum non esset, si ille cum æquali lumine videret perfectiùs Deum: nam cùm angelus habens æqualia merita cum aliquo homine, habeat æqualem cum eo caritatem, & consequenter æquale lumen gloriæ, secundùm illam sententiam deberet perfectiùs videre Deum.

1 Corinth. Habentes æqualia merita æqualiter videbunt Deum.

73 Respondent aliqui, immediatum meritorum præmium esse ipsum lumen gloriæ, & hoc æquale conferri æqualibus meritis; quòd autem sequatur inæqualis visio, esse per accidẽs ratione perfectioris naturæ, quam gratia non destruit. Sed contrà, nostra beatitudo immediatè consistit in visione Dei, & hæc vbique promittitur vt merces, quæ essentialiter respicit merita, non autem naturam, & pro illorum perfectione maior promittitur. Confirm. quia ipse Deus vt merces laborum nobis promittitur *Genes.*15.v.1. non est autem aliter operum nostrorum merces, nisi quatenus à nobis possidetur, quod fit præcisè per visionem & amorem beatificum: ergo est nostra merces, qua visus & amatus; & sicut quo in patria perfectiùs videtur & amatur, eo magis possidetur, ita eo maior est merces. & consequenter vt merces respondeat meritis, habentes maiora merita debent eum clariùs videre.

Ipsa visio beatifica est propriè merces meritorum.

Genes.

Respondent alij, minus lumen dandum perfectiori naturæ, vt sic fiat æqualitas in visione. 74

Habentibus æqualia merita datur æquale lumẽ gloriæ.

Sed nec hoc potest dici: quia sequeretur, etiam tali pro æqualibus meritis hîc dari minorem gratiam, siue caritatem. quod dici nequit: nam caritas semper est maior in eo qui habet maiora merita, & æqualis in habentibus æqualia merita. Lumen autem gloriæ in intensione respondet caritati: alioqui in patria visio non responderet amori. quod est falsum.

Ob hæc argumenta alij concedunt quidem habentes æquale lumen de facto æqualiter videre Deum, eò quòd Deus intellectus imperfectioris defectum singulari concursu suppleat; visuros tamẽ inæqualiter nisi Deus hoc faceret. 75

Deus non supplet defectum intellectus imperfectioris.

Quæ sententia non potest tam clarè refutari: displicet tamen Primò, quia sic omnis intellectus inferior intellectu supremi angeli indigeret dupliciter eleuari ad suam beatitudinem, scilicet per lumen gloriæ, & per singularem illum concursum; & sic per lumen gloriæ non absolutè, sed tantùm inchoatiuè eleuaretur ad visionem Dei sibi debitam; cùm tamen Concil. Viennense dicat absolutè eum eleuari per lumẽ gloriæ ad videndum Deum. Secundò, quia sic per lumen gloriæ fortè solus intellectus vnius angeli constitueretur intrinsecè potens ad visionem sibi debitam, atque ita in alijs lumen gloriæ frustra esset; quia sola causa cur illud detur est, vt intellectus sit intrinsecè potens ad visionem sibi debitam eliciendam, quam aliàs sine eo per singularem Dei concursum facilè posset elicere. Quare si vno fortè, aut saltem vnica specie angelorum excepta, reliqui omnes vt debitam suis meritis gloriam assequantur, non obstante lumine gloriæ debent præterea singulari Dei concursu ad illud eleuari; frustra hoc lumen dabitur, cùm illi sine eo, per singularem Dei concursum, possint sufficienter eleuari ad visionem Dei sibi debitam. 76

Conc. Viennense.

Quòd autem eo casu alij omnes deberent singulari illo Dei concursu ita eleuari, patet: quia, sicut posito quòd summus angelus habeat merita, & consequenter lumen gloriæ vt centum, omnes inferiores habentes cum eo æquale lumen, deberent singulari concursu eleuari, vt possent tantum videre Deum quantum ille videt cum lumine vt centum: ita qui haberent lumen vt 90.80.aut 70. deberent eleuari vt tantum viderent Deum, quantum ille eum videret cum simili lumine: hi enim proportionaliter debent videre Deum tam perfectè quàm habentes lumen vt 100. ita vt qui ab his tantùm distant 10 gradibus in lumine, etiam distẽt solùm 10 gradibus in visione, & sic consequẽter in alijs. v.c. ponamus perfectissimum angelum cum lumine intenso vt centum elicere visionem perfectam vt 100. talis cum lumine perfecto 77

fecto vt 80. eliciet visionem perfectam vt 80. & sic consequenter: quare secundùm illam sententiam omnes habentes imperfectiorem intellectum, debebunt singulari Dei concursu eleuari, vt cum lumine vt 100. eliciant visionem perfectam vt 100. & vt cum lumine vt 80. eliciant visionem vt 80. & sic in cæteris.

78 CONCLVSIO I. Quiuis intellectus cum æquali lumine & æquali Dei concursu æqualiter videt Deum. Sequitur ex dictis: nam ex incommodis quæ ex contraria sententia iam ostendi sequi, hæc conclusio satis apertè à posteriore probatur, & est D. Thomæ, & communior Doctorum, qui totam rationem diuersitatis visionum constituunt in diuersitate luminis.

Ratio à priori est, quia omnis intellectus creatus est ex se omnino improportionatus vt videat Deum: idque non solùm ob substantialem perfectionem illius actus, quæ excedit vim productiuam cuiusuis potentiæ naturalis (qua ratione actus supernaturales huius viæ sunt etiam improportionati potentijs merè naturalibus) sed etiam ratione modi tendendi ipsius potentiæ in obiectum, quatenus nimirum intuitiuè tendit in diuinam essentiam, intelligendo eam per proprium conceptum. qui modus ex se & abstrahendo ab omni alia perfectione adeò sublimis est, vt sit omnino improportionatus omni naturali potentiæ, ita vt sine auxilio supernaturali nullus quantumcumque perfectus intellectus possit vel minimùm Deum videre; quare omnes ex se æqualiter sunt improportionati, atque ita omnem proportionem accipiunt à lumine gloriæ: & consequenter in omnibus habentibus æquale lumen, est æqualis proportio siue vis videndi Deum: hæc enim in præsenti sunt eadem. Quamuis ergo vnus intellectus habens æquale lumen sit quid perfectius altero in entitate; non tamen in ratione principij siue virtutis visiuæ respectu essentiæ diuinæ. Ex quo patet solutio fundamenti contrarij: nam neganda est minor.

Omnis intellectus creatus ex se est æqualiter improportionatus videre Deum.

79 Secùs autem est de specie intelligibili, quia cùm hæc non perficiat intellectum in ratione potentiæ, sed tantùm suppleat absentiam obiecti, potest perfectior intellectus cum æquali specie perfectiùs cognoscere rem absentem specie illa repræsentatam; sicut etiam sine ea videret perfectiùs rem præsentem.

80 CONCLVSIO II. Simili ratione amor beatificus est æqualis in omnibus habentibus æqualem habitum caritatis, siue inæqualiter videntibus Deum: hæc enim semper sunt coniuncta & sibi mutuo respondent. Hæc est eorum Auctorum qui tenent priorem conclusionem. & eadem est vtriusque ratio: quia nimirum potentia etiam per hunc actum supposita visione beatifica non solùm ratione habitus caritatis, sed etiam ex parte sua tendit in Deum modo adeò sublimi, cui nullius non videntis Deum voluntas naturaliter potest esse proportionata, vt fusiùs ostendam disp.23.dub.3. vbi hinc probabo actum caritatis in patria specie distingui ab actu caritatis in via, & quouis essentialiter esse perfectiorem.

Ex quibus patet, voluntatē hanc proportionem ad tam sublimem modum amandi Deum, non accipere ex solo habitu caritatis (quia aliàs cùm hic sit idem in via & in patria, etiam modus amandi esset vtrobique idem: quod loco citato ostendam non esse verum) sed præcipuè ex visione beatifica. vt ibidem ostendam. 81

Vnde voluntas fiat proportionata amori beatifico.

CONCLVSIO III. Valdè probabile est perfectiorem voluntatem in via cum æquali habitu caritatis (idem est de alijs virtutibus in via) perfectiorem actum amoris elicere. Ratio est, quia, vt ostendi n.68. potentia instructa habitu supernaturali ex parte sua communiter hic eodem modo influit in actum supernaturalem ac si hic esset naturalis, adeò vt in nobis inter vtrumq; actum non possimus deprehendere vllam differentiam. quare etsi potentia per se sit improportionata tali actui ratione ipsius perfectionis, non est tamen ei ita improportionata spectata præcisè ratione tendendi in obiectū, atque ita non est tam improportionata, quàm est improportionata actibus patriæ. Sicut igitur ex parte sua confert aliquid ad proportionem illius actus, ita etiam si in se perfectior sit, confert aliquid ad maiorem perfectionem illius actus. 82

Potentia minùs est improportionata actibus supernaturalibus viæ, quàm patriæ.

Dices, Hinc sequitur, Deum posse creare angelum ita perfectum, qui naturaliter, sine vllo auxilio supernaturali poterit elicere actum amoris Dei super omnia, tam perfectum, quàm nos eum elicimus per habitum caritatis. Vnde sequitur Secundò, talem naturaliter eliciturum actum proportionatum ad merendam vitam æternam siue visionem beatificam: quod videtur omnino absurdum. 83

Respondeo Primò, hoc argumentum reddere contrariam sententiam etiam satis probabilem, præsertim in re nobis valdè obscura, quamque naturali via perfectè cognoscere non possumus. ideoque dixi conclusionem solùm esse valdè probabilem. 84

Respondent aliqui Secundò, non videri ita incommodum si cōcedamus Deum posse creare angelum, qui sine auxilio supernaturali producat amorem Dei secundùm physicam entitatem tam perfectum, quàm sit hic amor noster supernaturalis: nec enim hac in re potest à priore aut posteriore ostendi vlla implicantia. Ille tamē amor in ratione dignitatis ac perfectionis moralis, & in proportione respectu meriti præmij supernaturalis nullo modo erit comparandus cum actu caritatis nostro supernaturali: quia hæc proportio & moralis perfectio non tam ex perfectione physica ipsius actus, quàm ex statu & dignitate ipsius operantis, Dei ordinatione, & similibus circumstantijs sumenda est, vt ostendam disp.8.dub.4. Quare neganda omnino est secunda consequentia. Et præter alios ita necessariò sentiunt omnes ij qui docent nostros actus tantùm esse supernaturales secundùm modum, quos citaui disp.4.n.38. 85

DISPVTATIO VI.

De habitibus supernaturalibus.

DVBIVM I.

Vtrum in iustificatione infundantur nobis habitus fidei, spei & caritatis supernaturales, & quàm certum hoc sit?

1 *Lutherus, Caluinus.* VTherus, Caluinus, eorumque sequaces negant, nobis in iustificatione quidquam reale infundi, quo verè iustificemur, asserunt que nos iustificari sola peccati non imputatione, ac extrinseco Dei fauore atque acceptatione. vt ex eorum scriptis docet Bellarm. l.1. de Gratia & libero arbitrio c.3.

Bellarm.

2 Nos iustificari solo extrinseco Dei fauore ac peccati non imputatione repugnat Scripturis.

Sed hi nec vllo fundamento nituntur, & apertis Scripturis repugnant, quæ docent in iustificatione peccata in nobis penitus tolli, & nos ab ijs mundari, dealbari, & renouari, cor mundum in nobis creari, caritatem nobis infundi, &c. Psalmo 102. *Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras.* Psal. 50. *Dele Domine iniquitatem meam.* & infrà: *Mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor.* & infrà: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Quæ, nisi valdè contortè ea interpretemur, nequeunt intelligi de solo Dei extrinseco fauore (quo nec interiùs dealbamur, nec cor mundum in nobis creatur, nec spiritus rectus in nobis innouatur;) sed apertè significant aliquid nobis à Deo infundi quod nobis insit, ac nos interiùs immutet. de quo Apostolus ad Roman. 5. *Caritas*, inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Psal.102. *Psal.50.* *Roman.5.*

3 *August.* In quem locum D. Augustinus libr. de Spiritu & littera cap. 31. ait: *Caritas quippe Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos.* Quæ nullo modo possunt intelligi de extrinseco Dei fauore, sed necessariò significant aliquid nobis inhærens, de quo etiã dicitur Iohan. 4. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Quæ aqua, teste Iohanne ibidem, significat donum Spiritus sancti. hoc autem Spiritus sancti donum nobis in iustificatione conferri testatur Apostolus ad Titum 3. vbi ait: *Saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde.* Idem docuerunt vno consensu omnes Patres, vt fusè docet Bellarm. suprà. Vnde meritò contrarium damnatum est à Trident. sess. 6. c. 7. & can. 11.

Iohan.4. *Tit.3.* *Bellarm.* *Trident.*

4 Quare inter omnes Scholasticos iam omnino certum est non solùm nos iustificari per donum aliquod reale nobis inhærens (quod concedunt esse de fide) sed etiam nobis infundi habitus supernaturales fidei, spei & caritatis. Quæstio tamen inter eos est, vtrùm hoc sit de fide: aut an contrarium sit saltem erroneum. Qua in re variæ sunt sententiæ. Prima est Soti l.2. de Gratia cap.18. initio, & cap.19. in fine, & quorumdam aliorum, qui distinguunt tria tempora. docentque Primò, ante Concilium Viennense sub Clemente V. non fuisse ita constanter assertum à Theologis, eos habitus nobis infundi, nec ab Ecclesia hac de re quidquam fuisse decretum. Probant id aliqui ex Innocentio III. c. *Maiores*, de Baptismo. vbi videtur asserere hoc suo tempore fuisse dubium inter Theologos, & reliquisse indefinitum. Secundò, docent in dicto Concilio fuisse definitum, probabilius & sanctorum Patrum ac Theologorum sententiæ magis consonum esse, eos habitus nobis infundi. Tertiò, docent post Trident. non esse quidem de fide dari habitus infusos, esse tamen ingentissimam (vt ait Sotus) temeritatem id negare.

Sotus. *Innoc.III. c.Maiores* *Sotus.*

5 Semper inter Catholicos fuit indubitatum adultis in iustificatione infundi habitus.

Sed hi Auctores apertè falluntur in prima & secunda assertione, dum putant Innocentium dicere fuisse dubitatum suo tempore, an dicti habitus nobis infundantur, & in Viennensi fuisse definitum partem affirmatiuam vt probabiliorem esse eligendam. nam tam Innocentius quàm Concilium apertè tamquam certum & inter Theologos indubitatum supponũt, adultis in iustificatione infundi dictos habitus, & solùm aiunt fuisse controuersum, an etiam paruulis infunderentur. Verba Innocẽtij sunt: *Illud verò, quod opponentes inducunt, fidem aut caritatem aliasq; virtutes paruulis, vtpote non consentientibus, non infundi, à pleriscq; non conceditur absolutè: cùm propter hoc inter Doctores Theologos quæstio referatur, alijs asserentibus per virtutem baptismi, paruulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri: nonnullis dicentibus dimitti peccatum, & infundi virtutes habentibus illas quoad habitum, non quoad vsum, donec perueniant ad ætatem adultam.* Vbi apertè supponit, ab omnibus vt certum & indubitatum haberi, adultis vtpote consentientibus suo baptismo ac diuinæ vocationi, dictos habitus, dum baptizantur, infundi, solumque esse dubium an idem accidat in infantibus.

Innoc.III.

6 *Conc. Viennense.* Similiter Concil. Viennense relatum Clementina de summa Trinitate, cùm docuisset baptismum tam paruulis quàm adultis prodesse ad salutem, disputari tamen inter Theologos an etiam paruulis in baptismo præter culpæ remissionem infunderentur virtutes ac gratia informans, subiungit: *Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi (quæ per baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem secundam (quæ dicit tam paruulis, quàm adultis conferri in baptismo gratiam informantem & virtutes) tamquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem, sacro approbante Concilio duximus eligendam.* Vbi apertè tamquam indubitatum sup-

supponit adultis dictos habitus infundi; & deinde quia efficacia mortis Christi generatim tam paruulis, quàm adultis in baptismo applicatur, ex eo quòd virtutes infundantur adultis, infert has etiam infundi paruulis (hoc enim significant illa verba, *Nos attendentes*, &c. quibus redditur ratio secuturæ decisionis) illudque vt magis consonum Patribus & Theologis eligendum esse.

7 Concil. Viennens. æquè certum putauit nobis infundi virtutes, ac infûdi gratiam informantē.

Vbi aduerte Primò, Concilium in æquali gradu certitudinis ponere, & quasi pro eodem habere hæc duo, scilicet, *Gratia informans in baptismo infunditur*; &, *Virtutes infunduntur*. apertè insinuans vnum sine altero nec negari, nec asseri posse.

Secundò, etsi Concilium non definiat esse omnino certum paruulis virtutes in baptismo infundi; tamen definire id esse probabilius & dictis Sanctorum magis consonum. & consequenter contra definitionem illius Concilij peccat, qui contrarium docet esse probabilius.

8 Secunda sententia docet, post Tridentinum esse de fide, nobis in iustificatione infundi donum aliquod reale: tamen non esse de fide hoc donum esse aliquid habituale siue permanens: quia verba Concilij possunt intelligi de dono aliquo actuali. Ita Soto l.2. de Gratia c. 19. circa finem, & quidam alij, qui putant actum caritatis habere ex natura sua vim expellendi peccatum mortale, eosque qui eum eliciunt, hoc ipso, sine vllo alio, necessariò constitui formaliter iustos, & amicos ac filios Dei: idque non solùm dum actus de facto elicitur, sed etiam cùm iam transijt: quare etsi nobis in iustificatione nihil aliud infunderetur, per eum maneremus habitualiter iusti, donec peccaremus mortaliter; sicut peccantes mortaliter manemus habitualiter iniusti, donec illud nobis remittatur. Putantque ad explicationem Tridentini sufficere si dicamus hunc actum esse gratiam, quæ nobis in iustificatione infunditur, quaque formaliter iustificamur.

Soto.

9 Addunt ijdem, hoc solùm posse habere locum in iis qui iustificantur per actum contritionis, siue caritatis; quia in aliis præter gratiam habitualem nihil potest fingi, quod habeat necessariam repugnantiam cum peccato, ita vt nequeat cum eo consistere, & quod consequenter habeat vim nos iustificandi. Sed hi Auctores supponunt falsum, scilicet actum caritatis habere eam vim, vt ostendam disp. 21. dub. 8.

10 Curiel. Tertia sententia est Curielis 1.2. qu. 110. a. 2. vbi docet Primò, ante Trident. non fuisse de fide, nobis in iustificatione infundi aliquod reale donum permanens, quia id nec in Scriptura, nec in vllo Cōcilio fuerat clarè definitum. Addit tamen id sine magna temeritate non potuisse negari propter Concilium Viennense, & communem Doctorum sententiam; quia, vt iam ostendi, hoc de adultis habebatur ab omnibus omnino certum.

11 Docet Secundò, post Trident. esse de fide, gratiam iustificantem esse formam creatam existentem intrinsecè & permanenter in anima nostra, eique inhærentem. aitque in hoc omnes conuenire. Sed hoc vltimum non est generatim verum: nam Auctores secundæ sententiæ id negant, aiuntque ad explicationem Concilii sufficere, si admittamus donum aliquod actuale nobis infundi. Priorem partem docet etiam Lorca 2.2. sect. 3. d. 3. n. 8. in fine & nu 15. & Malderus 2.2. q. 23. a. 2. in fine. *Lorca. Malderus.*

12 Docet Tertiò, non esse tamen de fide dictam formam esse habitum, aut qualitatem, aut etiam accidens: quia Concilium hoc sub dictis verbis non definit, & definitio Concilii tantùm comprehendit ea, quæ eius verba expressè significant. Ait tamen esse conclusionem theologicam, quia ex iis quæ Concilium definit per euidentem ac necessariam consequentiam deducitur: nam Concilium definit eam gratiam esse formam nobis inhærentem: atqui hoc non conuenit nisi soli accidenti: ergo illa forma est accidens.

Sed in priore huius assertionis parte non loquitur satis consequenter: nam ex eius probatione sequitur, non esse de fide gratiam esse donum permanens: hoc enim non habetur expressè in Concilio; sed solùm ex diuersis circumstantiis colligitur Concilium de tali dono loqui: & simili ratione colligitur ipsum loqui de dono habituali siue de habitu. quare vtrumque æqualiter aut est aut non est de fide.

13 Aliquæ propositiones dupliciter possunt esse contradictoriæ.

Pro resolutione Nota Primò, aliquas propositiones dupliciter posse esse contrarias aut cōtradictorias. Primò, directè & formaliter siue immediatè, quando scilicet vna directè affert quod altera negat. vt *Omnis homo est animal*; &, *Aliquis homo non est animal*. Secundò, solùm indirectè & mediatè, vt quando ex vna sequitur cōtradictoria alterius. quales sunt hæ: *Christus est verè homo*; &, *Christus non habet voluntatem humanam*. cùm enim omnis verus homo habeat necessariò voluntatem humanam, ex secunda sequitur contradictoria prioris, scilicet, *Christus non est verus homo*.

14 Propositio directè contradicens propositioni definitæ est hæretica; secus est de ea, quæ solùm indirectè illi contradicit.

Nota Secundò, vt aliqua propositio sit hæretica; non requiri vt directè in propriis terminis sit à Scriptura aut ab aliquo Concilio damnata; sed sufficere quòd formaliter & directè contradicat propositioni definitæ: non sufficit tamen quòd ei indirectè & mediatè contradicat. v.c. ponamus hanc solam propositionem expressè esse definitam, *Christus est verus homo*; hæc propositio nihilominus erit hæretica, *Christus non est verus homo*. secùs tamen eo casu erit de hac, *Christus non habet voluntatem humanam*: quæ solùm erit periculosa aut erronea. nam sciens priorem propositionem esse definitam, poterit ei fide diuina assentiri, & tamen hanc negare; si credat non esse necessarium quòd verus homo habeat voluntatem humanam: quare vt vltima propositio esset hæretica, necessarium fuit eam in Scripturis aut ab Ecclesia damnari, aut hanc definiri, *Christus habet voluntatem humanam*.

15 Directè contradictoria propositionis damnatæ est de fide.

Similiter vt aliqua propositio sit de fide, sufficit ei directè contradictoriam esse sub anathemate damnatam. v.c. hoc ipso quo Concilium ita damnat hanc propositionem, *Christus non habet voluntatem humanam*; efficit vt hæc sit de fide, *Christus habet voluntatem humanam*, nisi enim per hoc præcisè quòd illam vt hæreticam dam-

damnet, definiret hanc esse de fide, sequeretur quòd posita præcisè prioris damnatione, posset secunda sine hæresi negari: quod falsum est.

16 Contradictoriæ non requirunt eadem verba.

Nota Tertiò, vt aliquæ propositiones sint directè contradictoriæ, non requiri vt ijsdem verbis sibi contradicant: sed sufficere quòd immediatè significent contradictoria. v.c. huic propositioni, *Christus est homo*, non solùm hæc contradicit, *Christus non est homo*: sed etiam hæc, *Christus non est animal rationale*. quia hæc idem significat. Similiter huic, *Omne animal est sensibile*, hæ duæ directè contradicunt, *Aliquod animal non est sensibile*; &, *Homo non est sensibilis*. quia hæc determinatè idem significat, quod altera indeterminatè. Et confirmatur, quia aliàs posita præcisè definitione huius propositionis, *Deus creauit omne animal*; non esset hæreticus qui negaret Deum creasse hominem, & de facto non esset hæreticus qui negaret Deum creasse leopardos aut lapides, quia hoc sub his præcisè terminis nullibi in Scriptura, aut Concilii definitionibus continetur.

17 Vna propositio ex alia potest inferri aut ob identitatem significationis, aut ob connexionē significatorum.

Nota Quartò, ex dictis sequi, longè esse aliud vnam propositionem ex alia inferri præcisè ratione significationis vtriusque, siue quia vtraque immediatè idem significat. aliud verò vnam ex alia inferri ratione connexionis, quam res significatæ inter se habent. nam, vt iam ostēdi, in priore casu ex damnatione vnius sequitur damnatio alterius. v.c. quia Concilium definiens hanc propositionem, *Christus est verus homo*; virtute damnat hanc, *Christus non est verus homo*: consequenter etiam damnat hanc, *Christus non est animal rationale*. secùs est in secundo casu: nam ex eo præcisè quòd damnetur hæc, *Christus non est verus homo*; non sequitur, hanc esse hæreticam; *Christus non habet voluntatem humanam*. sed ad hoc opus fuit particulari damnatione.

18 Vt propositio aliqua sit de fide, sufficit eam definiri verbis æquiualentibus.

Ex quibus vlteriùs sequitur, vt aliqua propositio sit de fide, non requiri vt ijsdem verbis expresè sit definita; sed sufficere quòd sit definita verbis æquiualentibus, siue quæ secundùm communem vsum, & præsertim spectatis circumstantijs in quibus à Concilio proferuntur, & connexione cum antecedentibus & consequentibus idem significent: vel ita vt ex vi significationis vnius, omnibus supradictis spectatis secundùm communem loquendi vsum inferatur significatum alterius, iuxta priorem modum inferendi ex dictis n.17.

Hinc quando Concilium vel Scriptura docet, hominem à Deo esse creatum, hoc ipso docet aliquod animal à Deo esse creatum, quia ex vi significationis vnius immediatè infertur significatum alterius. Confirmatur, quia aliàs propositionem in Scripturis, aut ab aliquo Cōcilio definitam verbis Hebræis aut Græcis, sine hæresi negaremus propositam verbis Latinis, quia sub his præcisè verbis non esset definita: quod cùm absurdissimum sit, omnino dicendum est, vt aliqua propositio censeatur à Concilio definita, sufficere quòd sit definita alijs verbis, quæ in his circumstantijs idem cum ea significant.

19 Nota Quintò, sicut secundùm regulam Tichonij apud Augustinum verba Scripturæ sunt accipienda in proprio & vsitato sensu, quando nullum apertum inde sequitur absurdum, nec ex circumstantijs colligitur contrarium: ita idem dicēdum esse de verbis Conciliorum, quibus aliquam propositionem definiunt. Quod non solùm intelligendum est de sensu in quo eiusmodi verba aliquando fuerunt olim vsurpata: sed de sensu in quo tunc temporis quando fit definitio, ea solent communiter ab omnibus accipi, præsertim quando prior acceptio iam aut numquam, aut rarissimè est in vsu. Quod patet, quia aliàs vix vmquam posset dari aliqua definitio tam expressa, quæ sufficeret vt aliqua propositio in certa significatione esset de fide. Item aliàs quando Concilia & Patres dicunt eos qui docent nos viribus naturæ posse credere vt oportet ad salutem, esse hostes gratiæ Dei, possent intelligi quasi dicerent eos esse gratiæ vicinos, quia Hostis olim significabat vicinum.

Tichonius. Definitio Concilij in proprio sensu accipienda est. Et quidem tunc vsitato, quando definitio editur.

Ex quo vlteriùs sequitur Primò, vt res aliqua per verba Concilij, præsertim secundùm communem vsum accepta, significata censeatur ab eo esse definita, non requiri vt Concilium dicat se sua verba in eo sensu accipere, siue se per ea intendere eam rem significare, sed sufficere quòd ex circumstantijs clarè colligamus verba Concilij in eo sensu accipi. aliàs nulla in ijs esset certa definitio; quia Concilia nullibi definiunt se sua verba in hoc aut illo sensu accipere, sed hoc ex communi vsu & circumstantijs colligendum relinquunt.

Sequitur Secundò, vt clarè probem esse de fide nobis habitualem caritatem infundi, sufficere me clarè ostendere, verba, quibus Concilium definit nobis infundi caritatē, debere intelligi de caritate habituali; siue ea non posse commodè intelligi de alia. Item vt probem hoc esse probabiliter de fide, sufficere me probabiliter supradicta probare. nam aliàs nihil vmquam possemus ex Scripturis aut Concilijs probare esse de fide.

Qua ratione probari possit aliquid esse de fide.

20 Conclvsio I: Est de fide nobis in iustificatione infundi formam aliquam intrinsecam siue inhærentem: item nobis infundi fidem, spem & caritatem. siue hæc ab illa forma distinguantur, siue non; de quo hîc non agimus. Et hæc conclusio est certa apud omnes Catholicos; & habetur expresè in Trident. sess. 6. c. 7. *Trident.*

21 Ex quibus sequitur, fide tenendum esse Primò, nobis in iustificatione infundi formam aliquam realem: tum quia Concilium intendit damnare hæreticos, negantes nos esse iustos per aliquam formam realem nobis intrinsecam: atque ita Concilium nequit hîc intelligi de sola forma morali (sicut sess. 5. §. 2. vbi docet peccatum originale transfundi in posteros Adæ) nam aliàs non satis damnaret hæreticos huiusmodi formam realem expresè negantes. Tum etiam quia fides, spes, caritas significant aliquid reale. vnde hoc omnes Catholici fatentur. Secundò, hanc formam non consistere in solis gratijs præuenientibus, siue actualibus Dei auxilijs, quibus ad actus fidei, spei & caritatis eliciendos à Deo excitamur & adiuuamur. Primò, quia Cōcilium docet, nos per eam formam formaliter iusti-

Est de fide nobis in iustificatione infundi aliquid reale.

Gratia præueniens nequit esse forma iustificans.

iustificari: constat autem secundùm omnes nos nõ iustificari formaliter per dicta auxilia actualia, cùm ipsa præcedant actum contritionis, quo ad iustitiam disponimur, & hæc eundem actum sequatur.

22 Secundò, quia Concilium expressè hanc formam ab illis auxiliis distinguit: nam capitulis præcedentibus dixit ab iis sumi exordium iustificationis, hîc verò docet nos hac forma formaliter iustificari. Tertiò, quia docet, nobis infundi fidem, spem & caritatem, quæ secundùm communem modum loquendi nullo modo significant dicta auxilia, sed actum aut habitum ab iis distinctum. vnde etiam hac in re iam consentiunt omnes Theologi, præter Sotum l. 2. de Gratia cap. 19. paulò ante finem. vbi insinuat non esse contra fidem nobis non aliam gratiam iustificantem infundi, præter dicta auxilia; sed, vt iam ostendi, verba Concilii apertè contrarium docent. *Sotus.*

23 Conclvsio II. Hæc forma, qua Concilium docet nos iustificari, nequit intelligi de solis actibus fidei, spei aut caritatis. De actibus fidei & spei omnes fatentur, & Concilium expressè etiam docet, eos per se non sufficere ad nostram iustificationem. De actu caritatis id probatur Primò, quia Concilium docet, eam formam nobis à Deo infundi: atqui hoc propriè nequit dici de actu à nobis liberè elicito: ergo illa forma nequit consistere in tali actu. Minor probatur. quia secundùm communem Theologorum modum loquendi (secundùm quem, vt ostendi num. 19. verba Concilii sunt intelligenda) illa sola dicuntur nobis infundi, quæ ipsi in nobis non producimus; hinc omnes distinguunt habitus infusos ab acquisitis, nec vnquam hos vocant infusos: atqui illum actum nos liberè elicimus: ergo non potest propriè dici nobis infundi. *Illa propriè nobis infunduntur, quæ ipsi liberè non producimus.*

24 Dices, Ecclesia in oratione Dominicæ 5. post Pentecosten rogat Deum vt nobis infundat sui amoris affectum: ergo liberi actus possunt dici nobis à Deo infundi. Respondeo Primò, nego consequentiam: quia illa verba optimè possunt intelligi aut de affectu habituali, quem Ecclesia cupit nobis infundi & in nobis augeri (videtur enim ibi petere aliquod donum non transiens, sed permanens.) aut etiam de gratiis præuenientibus, siue subitis affectibus, ac piis motibus voluntatis, quibus Deus nos ad sui amorem excitat; qui cùm nobis liberi non sint, nobis nullo modo tribuuntur, ideoque à solo Deo nobis immitti ac infundi dicuntur. secùs est de amore libero, qui nobis vt veris ac liberis ipsius causis partialibus tribuitur. *Actus non liber melius dicitur nobis infundi, quam liber.*

Respondeo Secundò, etsi Deus metonymicè posset dici nobis infundere actum sui amoris, quatenus infundit nobis gratias quibus ad eum excitamur, & ita fateremur illam orationem hoc modo esse intelligendam: tamen inde non sequitur, verba Concilii ita posse intelligi. Quia ille modus loquendi nec proprius, nec communiter vsitatus est; verba autem Concilii sunt propriè & secundùm communem modum loquendi intelligenda, nisi aliud cogat; nihil autem hîc potest fingi, quo cogamur verba Concilii minùs propriè intelligere.

Confirmatur, quia Concilium docet, non solùm caritatem nobis infundi, sed nos eam infusam suscipere, & iustificari per susceptionem donorum: quæ propriè & vsitato modo loquêdi significant nos ista in nobis non producere, sed extrinsecus infusa accipere; nec aliter nisi impropriè & contortè possunt intelligi. Cùm igitur secundùm aliam sententiam iustificaremur propriè per solam & propriam actus caritatis productionem, non possemus propriè dici iustificari per doni infusi susceptionem, quia hæc secundùm communem sensum inter se opponuntur. 25

Probatur Secundò, quia Concilium ibidem docet, causam efficientem nostræ iustificationis esse ipsum Deum, & instrumentalem Sacramenta; apertè insinuans præter ipsum Deum nullam esse aliam causam efficientem nostræ iustificationis: atqui hoc esset falsum, si nostra iustitia consisteret in actu caritatis, quia, vt Concilium docet ibidem c. 5. & omnes fatentur, homo est etiam propriè causa efficiens huius actus; & consequenter iuxta illam sententiam deberet dici causa efficiens suæ iustificationis: ergo secundùm mentem Concilii nostra iustitia siue forma nos iustificans non consistit in eo actu. Confirmatur, quia Concilium expressè docet, baptismum esse causam instrumẽtalem illius formæ quæ nobis in iustificatione infunditur; & consequenter docet, hanc nobis in baptismo & per baptismum infundi siue in nobis causari: atqui hoc nequit intelligi de actu caritatis, quia hic nullo modo nobis infunditur per baptismum aut in baptismo: ergo debet necessariò intelligi de caritate habituali. 26

Tertiò, quia Concilium non solùm docet, nobis in iustificatione infundi aliquod reale donum, sed etiam nos postea per id formaliter non modò nominari, sed verè esse iustos: vnde in fine capitis hoc donum vocat stolam candidam nobis per Christum donatam, quam iubemur immaculatam seruare. quæ apertè significant aliquod donum permanens, nec possunt conuenire vni actui, qui statim transit: nam aliàs eo transacto non essemus formaliter iusti per donum reale nobis intrinsecum. 27

Confirmatur Primò, quia Concilium ibidem can. 28. definit fidem amissa per peccatum gratia non semper amitti, & eam quæ remanet post peccatum mortale, esse veram fidem: quæ nullo modo possunt conuenire actui (hic enim nec peccato amittitur, nec idem ante & post peccatum remanet) sed apertè significat rem aliquam permanentem, & huic soli conueniunt: ergo Concilium per gratiam & fidem, quæ docet nobis infundi, & per peccatum mortale partim amitti, partim post illud remanere, necessariò intelligit rem aliquam permanentem. Confirmatur Secundò, quia can. 24. & 32. docet, nostra bona opera esse causam augmenti gratiæ, & hoc mereri. quod dici nullo modo verè & propriè posset, si augmentum gratiæ non esset aliquid distinctum ab ipsis operibus. quia opera non possunt dici esse causa suiipsius, aut mereri seipsa formaliter sue suum effectum. Nec refert *Trident.*

quòd per peccatum mortale verè dicamur mereri expulsionem gratiæ, quia peccatum mortale non expellit gratiam formaliter, sed solùm meritoriè; & aliàs falsum esset nos per illud mereri expulsionem gratiæ.

28 Dices, actum caritatis transire quidem realiter, manere tamen in nobis secundùm quoddam esse morale, quo manemus formaliter iusti: sicut peccatum mortale secundùm suum esse reale transit, manet tamen in nobis moraliter, nosque formaliter reddit peccatores, ratione entis moralis in nobis relicti.

Peccatum transactum solùm effectiuè constituit nos peccatores.

Sed contrà, vel ex eo exemplo sequitur nos secundùm eam sententiam actu transacto non fore formaliter iustos per aliquid reale nobis inhærens: nam transacto actuali peccato non sumus formaliter peccatores per aliquid reale, sed per aliquid morale ex actuali peccato relictũ, aut secundùm alios per aliquam priuationem. per actum autem transactum solùm sumus peccatores effectiuè, quatenus ipse est causa peccati habitualis permanentis.

29 Dices, actum præteritum etsi à parte rei verè desierit esse, tamen secundùm æstimationem moralem censeri adhuc in nobis permanere ac inhærere, donec contrario actu reuocetur, atque ita nos per eum constitui formaliter peccatores aut iustos. Respondeo, hanc responsionem nullo modo sustineri posse. Primò, quia caret omni prorsus fundamento, nec satis concipi potest, qua ratione actus omnino præteritus in me moraliter maneat, & tamquam forma inhærens me formaliter iustum aut peccatorem constituat, nisi ratione alicuius effectus physici aut moralis in me relicti. Secundò, quia nimiùm fauet ac similis est sententiæ hæreticorum dicentium nos per iustitiam siue opera iusta ac merita Christi esse formaliter iustos: nam sicut secundùm eam sententiam non solùm opus proprium omnino transactum, sed etiam actus alienus, v.c. peccatum Adami censetur postea secundùm se moraliter in nobis manere, nosque formaliter & intrinsecè peccatores efficere; eadem planè ratione possunt hæretici dicere, merita Christi censeri moraliter nobis inhærere nosque iustos facere. & Spiritum sanctum ac gratiam nobis in iustificatione infundi, nihil esse aliud quàm ex imputatione Dei merita Christi incipere nobis moraliter inhærere, ac formaliter iustos efficere. Cùm igitur Concilium hanc sententiam damnet, necessariò censet nos esse iustos per aliquid nobis inhærens, distinctum ab actu præterito, & fieri nullo modo posse vt dicta ratione simus verè iusti. Et idem est de peccatis; nam si dicta ratione possimus verè constitui peccatores, nulla est ratio cur non possimus simili modo constitui iusti, ex denominatione extrinseca actus præteriti. Quare omnino dicendum est, peccatum habituale nullo modo posse dici consistere in illa denominatione extrinseca ab actu præterito: sed necessariò consistere in aliquo morali aut priuatione peccatori intrinseca.

30 Probatur Quartò, quia, vt etiam aduersarij fatentur, paruuli, alijque qui solùm attriti iustificantur susceptione Sacramenti, secundùm definitionem Tridentini necessariò dicendi sunt recipere sibi infusum donum aliquod permanens, distinctum ab omni actu; quia in ijs nullus est actus, qui vel per vmbram ex mente Concilij habeat rationem gratiæ iustificantis: ergo idem dicendum est de alijs, tum quia Concilium eodem modo generatim loquitur de forma, qua iustificamur: tum etiam quia aliàs qui contriti iustificarentur transacto actu aliter & imperfectiùs essent iusti quàm alij. quod nemo dixerit.

CONCLVSIO III. Est iam de fide formam 31
qua formaliter iusti sumus, esse qualitatem permanentem, & per modum habitus nobis inhærentem. Ita Bellarm. l.1. de Gratia cap.3. §. *Concilium etiam.* Probatur, quia etsi Concilium in sua definitione non dicat, dictam formam esse qualitatem, tamen verbis æquiualentibus hoc expressit: atqui, vt ostendi supràn.18. hoc sufficit vt res aliqua censeatur esse definita: ergo hæc est definita. *Bellarm.*

Maior patet, quia secundùm communem vsum loquendi per formam nobis infusam ac inhærentem, intelligimus qualitatem aut saltem quantitatem: certum autem est Concilium non loqui de quantitate; & verbum *infundi* huic nequit conuenire, quia hæc numquam solet infundi: ergo Concilium per illam formam intelligit qualitatem. Secundò, quia dicit nobis infundi caritatem, qua necessariò secundùm communem vsum loquendi nequit aliud intelligi, quàm qualitas aliqua habitualis aut actualis: iam autem ostendi non posse intelligi actualem: ergo debet intelligi habitualis & permanens. quod clarè etiam confirmatur ex can. 18. sess. 6. citato nu. 27. vbi dum definit gratiam amitti per peccatum mortale, non tamẽ fidem, sed hanc in nobis remanere; apertè indicat se, dum dicit fidem & caritatem nobis infundi, loqui de re permanente.

CONCLVSIO IV. Probabilius est iam esse de 32
fide nobis in iustificatione infundi veros habitus. ita Valent. 1.2. disp. 4. qu. 3. puncto 4. citans Gabr. Scotum, Almain. & Vegam. & Pesantius 1.2. q. 10. a. 1. disput. 2. concluſ. 4. Probatur, quia Concilium expresse definit nobis infundi fidem, spem & caritatem: atqui secundùm communem loquendi vsum hæc necessariò significant aliquem actum vel habitum: ergo Concilium definit nobis infundi vel actum, vel habitum: atqui, vt iam ostẽdi, ipsum nequit intelligi de actu: ergo definit infundi habitũ. Confirmatur, quia si definiret Deum creasse hominem, etiam definiret ipsum creasse aliquod animal, quia homo & est & significat idem quod aliquod animal, vt ostendi num. 16. atqui eadem ratione qua homo significat idẽ quod aliquod animal, caritas quæ non est actus, siue caritas permanens, significat idem quod aliquis habitus: ergo hoc ipso quo Concilium definit nobis infundi caritatem permanentem, definit nobis infundi aliquem habitum. His adde, vt ostendi num. 7. æqualiter semper in Ecclesia fuisse creditum Deum nobis in iustificatione infundere gratiam informantem, ac infundere habitus virtutum, & hæc semper pro eodem sunt habi-

Valentia. Gabriel. Scotus. Almainus. Vega. Pesantius.

ta.

Trident. ta. vnde etiam Tridentinum hæc inter se confundit ac pro eodem habet; quare æqualiter videtur vtrumque definiuisse.

33 Dices, non haberi expressè in Concilio nobis infundi habitum, sed solùm ex aliquibus eius dictis inferri: ergo hoc solùm est conclusio theologica. Respondeo, negando consequentiam: quia hoc non inferimus ratione cõnexionis quam habet cum re in Concilio definita, sed ex vi significationis verborum & identitate significati; siue quia res vtriusque verbis significata, accipiendo vtraque propriè & secundùm vsum communem, & prout id verborum contextus aliæque circumstantiæ exigunt, est eadem. Nam, vt iam ostendi, dicta Concilij verba si propriè accipiantur, in ijs circumstantijs nihil aliud possunt significare, quàm caritatem habitualem; quæ est verius habitus. qua ratione, vt ostendi nu.17.& 18. ex eo quòd vna propositio sit de fide, rectè inferimus aliam, quæ idem cum ipsa significat, etiam esse de fide.

34 Dices Secundò, Concilium solùm intendit damnare hæreticos, docentes nos esse formaliter iustos sola iustitia Christi nobis extrinseca: ergo solùm intendit definire nos esse formaliter iustos aliqua forma intrinseca, siue hæc sit actus siue habitus. Respondeo, negando consequentiam. Primò, quia hæretici non solùm hoc docebant, sed etiam peruersè negabant nos esse iustos per aliquos habitus nobis intrinsecos; & damnabant sententiam (quæ, vt ostendi n.5. saltem respectu adultorum semper fuit communis totius Ecclesiæ) quæ docet nobis infundi habitus fidei, spei & caritatis. & consequenter sicut Concilium intendit eos damnare, ita intendit etiam hanc sententiam definire. Secundò, quia sæpè Concilia in suis definitionibus non solùm damnant sententias hæreticorum, sed simul etiam explicãt quid circa propositam materiam sentiendum sit, vt etiam ex verbis ipsius Concilij patet.

35 Obijciunt aliqui Tertiò, Concilium consulto abstinuisse nomine habitus, quia nolebat hanc quæstionem hactenus inter Theologos
Conc. Viennense. dubiam, & à Concilio Viennensi indecisam relictam definire. Respondeo hanc obiectionem parui momenti esse. Primò, quia nullo modo probari potest totum Concilium consulto ab eo nomine abstinuisse: cùm longè probabilius sit eos qui hoc primò dixerunt solùm ex priuatis aliquorum dictis id collegisse, quorum non erat mentem Concilij explicare. Secundò, quia varias alias ob causas potuit Concilium illud nomen omisisse, & præcipuè, quia sicut definitiones maximè ex Scripturis deducit, ita voluit vti verbis Scripturæ vsitatis, in qua sæpè dicitur nobis infundi fidem & caritatem; non tamen habitum. Tertiò, illa obiectio supponit apertè falsum, scilicet olim in Ecclesia semper fuisse dubitatum an nobis in iustificatione habitus infundantur. nam, vt ostendi n.5. Ecclesia partem affirmatiuam in adultis semper vt certam supposuit. quare nominis illius omissio parum curanda est, cùm, vt iam ostendi, ipsa res satis sit expressa.

DVBIVM II.

Vtrùm in iustificatione nobis infundantur virtutes morales supernaturales?

DVrandus in 3.d.33.q.6. Scotus d.36.q. vnica ar.3. post medium, & quidam alij id negant. Primò, quia non dantur virtutes morales distinctæ ab acquisitis: atqui hæ saltem ordinariè non infunduntur: ergo nullæ ordinariè infunduntur. 36 *Durand. Scotus.*

Secundò, quia illæ virtutes neq; sunt necessariæ ad iustificationem; quia hæc potest fieri per infusionem fidei, spei & caritatis: nec etiam in ordine ad operationem; quia virtus acquisita potest versari circa omnia obiecta circa quæ possent versari illæ virtutes infusæ: ergo illæ virtutes nobis non infunduntur.

Tertiò, quia si illæ virtutes nobis in iustificatione infunderentur, expellerent habitus vitiorum oppositorum & darent facilitatem in operando: atqui experientia docet hoc esse falsum: nam attritus per Sacramentum iustificatus æqualem ferè sentit inclinationem ad vitia, & difficultatem in exercitio virtutum, atque antea: ergo illæ virtutes ei non infunduntur. 37

Marsilius verò in 4.qu.10.a.1.in 2. parte ante solut.argument. concedit quidem virtutes morales nobis infundi; negat tamen has esse distinctas ab acquisitis. *Marsilius.*

Conclvsio. Multò probabilius est nobis in iustificatione infundi virtutes morales supernaturales siue infusas per se, qualesque nostris actibus nõ possumus acquirere. Ita D. Thomas 1.2.qu.63.a.3. & omnes Thomistæ; estque longè communior sententia Theologorum: & vel hoc nomine ceteris paribus magis amplectenda. 38 *D.Thom.*

Ratio autem D.Thomæ est optima; quia sicut homo in iustificatione eleuatur ad statum omnino supernaturalem, ita conuenit eum reddi intrinsecè potentem ad exercendas actiones illi statui proportionatas, & consequenter ad actiones supernaturales, idque non solùm circa Deum, sed etiam circa obiecta virtutum moralium, quia harum etiam actus debet exercere suo statui conuenientes: ergo sicut necessarium fuit ei infundi virtutes theologicas, vt posset debitè versari circa Deum, ita necesse est ei infundi alias virtutes, vt circa harum obiecta debitè & conuenienter suo statui versetur.

Confirmatur, quia, vt ostendi disp.4.nu.48. non meremur augmentum gloriæ, nisi per actus in substantia supernaturales: atqui, vt ostendam disp.8.dub.4. illud meremur etiam per actus virtutum moralium: ergo eos elicimus supernaturales in substantia, & consequenter vt intrinsecè simus potentes eos elicere, necesse est nobis infundi habitus supernaturales. 39 *Actus meritorij præmij supernaturalis debent esse supernaturales.*

Ad primum argumentum contrarium, nego maiorem: nam cùm, vt ostendi disp.5.dub.3. actus naturalis & supernaturalis possint habere idem obiectum formale, nulla est ratio cur negemus eiusmodi virtutes supernaturales esse 40

possibiles: &, vt iam ostendi, eas dari conuenit.

Ad secundum argumentum, nego antecedens. ex dictis enim patet, ad perfectam iustificationem, qua constituimur in statu supernaturali ordinato ad beatitudinem supernaturalem promerendam, requiri vt constituamur intrinsecè potètes elicere actus, non solùm theologicos, sed etiam aliarum virtutum in substantia supernaturales: ad quod necessarium est, vt infundantur nobis earum habitus supernaturales.

41 Ad tertium, nego maiorem. Quia habitus supernaturales, eò quòd non inclinent sensibiliter in obiectum, nec propriè & immediatè siue per se repugnant vllis habitibus naturalibus, nec dant subiecto veram facilitatem in operando, sed tantùm vim eliciendi actũ supernaturalem, cùm aliàs non posset elicere nisi naturalem. vt fusiùs ostendam dub.6. Et confirmatur, quia aliàs ex eo argumento sequeretur, nobis non infundi habitus theologicos: quia qui acquisiuit habitum infidelitatis, desperationis aut odij Dei, postea per attritionem cum Sacramento iustificatus, communiter ferè eãdem inclinationem sentit in dicta vitia, & difficultatem in exercitio contrariarum virtutum atque antea: & si aliquando accidat contrarium, hoc fit ratione gratiarum præuenientium, quæ conuerso abundantiùs dantur: vnde nulla experientia quis potest deprehendere sibi eos habitus esse infusos.

42 Nota, quosdam putare nostram conclusionem esse adeò certam, vt contrariam dicant esse aut erroneam, aut valdè temerariam. Primò, *Clementin. Conc. Viennense.* quia Clementina de summa Trinitate ex Concilio Viennensi definitur, esse probabilius, & Sanctorum dictis conformius, nobis in iustificatione infundi gratiam & virtutes. Sed hoc nihil facit ad rem: nam Concilium loquitur de virtutibus theologicis, vt patet ex verbis ipsius *c. Maiores. Trident.* præcedentibus, & ex cap. *Maiores*, de baptismo, & ex Trident. sess. 6. c. 7. vbi de ijsdem virtutibus agens definit nobis infundi fidem, spem & caritatem.

43 Dices, Concilium Viennense ibi docet, probabilius esse eas virtutes nobis in baptismo infundi, de quibus tunc erat controuersia inter Theologos: atqui numquam fuit controuersia de virtutibus theologicis, quas omnes semper senserunt nobis infundi: ergo agit ibi de virtutibus moralibus.

Respondeo, hanc obiectionem procedere, ex opinione eorum qui putant Concilium ibi & Innocentium c. *Maiores*, de baptismo, disputare an virtutes infundantur adultis: quos suprà n.5. & 6. ostendi apertè falli, & tam Innocentium quàm Concilium solùm ibi disputare, an eæ virtutes, quas omnes communiter concedebant infundi adultis, dum iustificantur, etiam paruulis infunderentur in baptismo. Ex quibus nostra responsio confirmatur. Nam Concilium, vt ostendi, solùm agit ibi de virtutibus, quas Theologi omnes concedebant infundi adultis: atqui hæ sunt solùm theologicæ, nam de alijs inter eos erat controuersia: ergo Concilium agit de solis theologicis.

Probant id Secundò, ex quibusdam locis Scripturæ, Conciliorũ & Patrum: sed ex quibus vt summũ potest probari, nos actus istarum virtutum non posse meritoriè aut perseueranter exercere sine aliqua gratia. quod nihil facit ad rem. Imò quædam loca ab ijs citata habent sensum omnino impertinẽtem ad præsentem materiam, vt benè ostendit Curiel 1.2.qu.63.a.4. *Curiel.* dub.vnico §.3. ideoq; meritò infert, contrariam sententiam non esse dignam vlla censura, solumque esse multò minùs probabilem. 44

DVBIVM III.

An habitus supernaturales in nobis creentur?

MVlti olim putarunt, gratiam habitualem propriè in anima creari. Primò, quia non potest dici educi de potentia materiæ, aliàs deberet in ea contineri, & consequenter non esset supernaturalis. Secundò, quia in Scripturis dicitur creari in nobis. Psalmo 50. *Cor mundum crea in me Deus.* Ad Ephes.1. *Creati in Christo Iesu in operibus bonis.* ita Bonau. in 2.d.26.qu.4 Richard. ibidem a.1.qu.2. Scotus in 4.d.1.quæst.5. §. *Contra istam opinionem.* Sotus libr.2. de Gratia cap.9. & alij. 45 *Psal.50. Ad Ephes.1. Bonauent. Richard. Scotus. Sotus.*

Sed vtrumque hoc fundamentum facilè soluitur. Ad primum, Respondeo cum Vasquez 1.p.disp.174.nu.10. gratiam verè educi de potentia materiæ siue subiecti (quia hoc nihil aliud significat, quàm eam produci dependenter à subiecto eam sustentãte, quod suprà disp. 4.n.17. ostendi verissimum esse:) quia tamen educitur modo omnino supernaturali, nec ab vllo agente naturali educi potest, non potest dici contineri in potentia ipsius naturali, (quia sic significaretur eam potentiam virtute naturali posse reduci in actum.) sed in potentia obedientiali: quia sola virtute diuina in actum reduci potest. 46 *Vasquez.* Gratia educitur de potentia materiæ. Quid sit educi de potentia materiæ. Gratia solũ continetur in potentia obedientiali materiæ.

Ad secundum, Respondeo cum D.Thoma 1.2.q.110.a.2.ad 3. hoc dici, quia gratia nobis infunditur nullis præcedentibus nostris meritis, atque ita quodammodo ex nihilo fit secundùm moralem æstimationem; vt satis etiam colligitur ex dicto loco Apostoli: vbi probat nos per fidem saluatos esse non ex nobis, nec ex operibus nostris, quia Dei factura sumus creati in Christo Iesu in operibus bonis: quasi hæc essent idem, nos creatos esse in operibus bonis, & nos accepisse virtutem ea faciendi sine nostris meritis. 47 *D.Thomas.*

Conclvsio. Gratia iustificans alijque habitus supernaturales, etsi moraliter & tropicè possint dici creari in nobis, quatenus sine nostris meritis nobis primò infunduntur, atque ita secundùm æstimationem moralem ex nihilo fiunt, iuxta iam dicta; tamen physicè & propriè loquendo non possunt dici creari in nobis, sed produci, sicut alia accidentia. Ita apertè D.Thomas & Vasquez suprà citati. 48 *D.Thomas. Vasquez.*

Sequitur ex dictis, quia ideo alia accidentia dicuntur non creari, quia educuntur ex potentia materiæ, atque ita non producuntur planè ex nihilo: atqui, vt iam ostendi, hoc etiam conuenit

uenit gratiæ, alijsque habitibus supernaturalibus: ergo verè non creantur, nec etiam concreantur magis quàm alia accidentia.

DVBIVM IV.

Vtrùm omnes virtutes infusæ nobis infundantur simul?

Difficultas hæc præcipuè versatur circa fidem & spem, & quæritur vtrùm hæ aliquando infundantur ante caritatem. De virtutibus autem moralibus nulla hîc est difficultas: nam quicumque fatentur has nobis infundi, etiam fatentur eas infundi simul cum caritate.

49 *Durandus. Bonauent. Richard. Scotus. Gabriel. Vega.* Prima sententia docet, fidem & spem numquam infundi ante caritatem. Ita Durand. in 3. d.23.q.6.a.3. Bonauent. ibid. in expositione textus lit. F. Richard. a.6.q.3. Scotus d.36.art.4. Gabriel ibid. q.vn. a.2.p.3. Vega l.7. ad sess.6. Concil. Trident. c.28. & quidam alij.

Probatur Primò, quia aliàs cùm adulti semper credant antequam legitimè baptizentur, sequeretur, fidem numquam iis infundi in baptismo: atqui hoc repugnat Concilio Vienn. quod docet probabilius esse hanc iis in baptismo infundi: ergo illud dici nequit. Secundò, *Trident.* quia Trident. sess.6. cap.7. docet, nos in iustificatione fidem, spem & caritatem simul infusa suscipere: ergo fides non infunditur ante caritatem. Tertiò, quia cùm homo ante iustificationem sit inimicus Dei, non conuenit ei fidem, quæ est magnum Dei donum ac animæ ornamentum, infundi. Quartò, quia aliàs Deus hominem ante iustificationem imperfectè sanaret: *Augusti. D.Thom.* quod repugnat Augustino lib. de Vera & falsa pœnitentia cap.9. Quintò, quia D. Thomas 1.2. qu.62.a.4. docet, actus fidei & spei esse priores generatione actu caritatis; habitus tamen simul infundi. Sextò, quia aliàs sequeretur, habitus virtutum infusos non esse æquales in omnibus iustis.

50 Secunda sententia docet, quando quis credens quidem, sed tamen sine sufficienti dispositione ad iustificationem suscipit baptismum, ipsi infundi habitum fidei sine caritate; aliàs verò eos habitus semper simul infundi. ita *Sotus.* Sotus l. 2. de Gratia c. 8.

51 CONCLVSIO. Multò probabilius est infidelibus dum incipiunt conuerti, ac fidei & spei actus priùs tempore eliciunt, quàm habeant actum caritatis, aut baptizentur, atque adeò communiter priùs etiam infundi habitum fidei & spei, quàm habitum caritatis. Ita *Caietan. Bañez. Medina. Suarez. Salas. Vasquez. Valentia. Turrian. Lorca. Pesantius. D.Thom.* Caiet. & Bañez 2.2.q.6.a.2. circa respons. ad 3. Medin. 1.2.q.62.art.4. Suarez 3.p.tom.3. disp.28 sect.3. sub finem. Salas 1.2. tractat.11. disput.5. sect.3. Vasquez 1.2.disp.203.c.9.n.117. Valentia 2.2.d. 1.q.6.punct.2. Turrian. 2.2. disp.41.dub.9. Lorca ibid. disp.32. Pesant. q.4.a.7. concl.3. & alij. & videtur apertè sententia D. Th. 2.2.q.6.a.2. ad 3. vbi apertè admittit, fidem nobis aliquando infundi ante caritatem. Nec refert quòd in præcedentibus videatur aliquando loqui de actu fidei, quia sub hoc comprehendit etiam habitum fidei: quia hic propriè dicitur nobis infundi. & quæst. præcedente, nomine virtutis & fidei formatæ & informis, intellexerat habitum: ergo etiam hîc.

Probatur Primò, quia videtur aperta sententia Trident. sess.6. c.7. vbi cùm docuisset nobis 52 *Trident.* in iustificatione infundi fidem, spem & caritatem, subdit: *nam fides, nisi ad eam spes accedat & caritas, neque vnit perfectè cum Christo, neque corporis eius viuum membrum efficit. qua ratione verissimè dicitur, fidem sine operibus mortuam & otiosam esse.* Vbi apertè supponit, fidem quandoque nobis priùs infundi quàm caritatem: agit enim de totali hominis conuersione & iustificatione, qua infidelis conuersus iustificatur per infusionem fidei, spei & caritatis. aitque fidem infusam (de hac enim apertè loquitur) nisi accedat spes & caritas, nõ efficere nos viuum membrum Christi, sed otiosam & mortuam esse. quæ incongruè dicerentur, si fides numquam nobis infunderetur ante caritatem.

Dices, Concilium solùm insinuare fidem in peccatore fideli manere sublata caritate. Sed hoc nullo modo congruit menti aut textui Cõcilij. nam, vt iam ostendi, & patet ex tota sessione, Concilium disputat qua ratione ad iustitiam ab infidelitate conuertamur; & quæ in tali iustificatione nobis infundãtur. & dictis verbis reddit rationem cur non sufficiat solam fidem nobis infundi, sed necesse sit simul infundi caritatem: ergo loquitur, non de conseruatione fidei in peccante, sed de eius infusione in eo qui conuertitur. Nec etiam potest intelligi de solo actu fidei, quia hic non dicitur nobis propriè infundi, aut nos Christo vnire, eiusque membrum efficere, aut sine caritate manere otiosus: sed hæc propriè soli habitui conueniunt.

53 Tridentinũ docet conuersũ ab infidelitate infundi habitũ fidei ante caritatem.

Infundi & manere otiosum non actui, sed habitui conuenit.

Probatur Secundò, quia videtur aperta sententia D. Augustini l. 1. ad Simpl. q.2. sub initium, 54 *Augusti.* vbi ait: *In quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cælorum.* Et hanc ait esse catechumenorum habentium fidem sine caritate. Et infrà: *In quibusdam verò tanta est vt iam corpori Christi, & sancto Dei templo deputentur.* Et infrà: *Fiunt ergo inchoationes quædam fidei conceptionibus similes; non tamen solùm concipi, sed & nasci opus est*, &c. Vbi clarè docet, aliquem initio suæ conuersionis posse habere fidem antequam habeat caritatem qua viuum Dei templum fiat. Quòd autem non loquatur de solis actibus, patet; quia loquitur de ea fide, qua initio concipimur, & crescente eius perfectione accedente scilicet caritate nascimur filij Dei, & viuum Christi membrum ac templum constituimur. quæ non conueniunt actibus transeuntibus, sed habitibus permanentibus.

Habitibus, non actibus cõstituimur formaliter mẽbra Christi & templa Dei.

Probatur Tertiò, quia cùm fides & spes remaneant in peccatore sine caritate, & fides possit manere sine spe, constat planè nec fidem à spe, nec spem à caritate in suo esse pendere: ergo sicut sine caritate conseruantur, ita etiam sine ea legitimè dispositis infunduntur: alia autem dispositio non potest hic esse necessaria, quàm eorum actus. Sicut enim actus caritatis disponit ad habitum caritatis, ita etiam actus fidei & spei disponunt ad harum habitum. 55

Dices, fidem & spem posse quidem conseruari sine caritate; non tamen primò produci: quia

quia plura requiruntur ad rei alicuius productionem, quàm ad eius conseruationem. Respondeo, nos etiam plura requirere; nam ad illorum habituum productionem prærequirimus eorum actus, ad conseruationem verò solùm requirimus negationem omnis actus contrarij.

56 Probatur Quartò, quia in fideli peccatore ideò relinquitur habitus fidei & spei, quia cùm adhuc verè sit fidelis, cõuenit eum aliquid reale in se habere, quo etiam dum nihil agit intrinsecè sit fidelis, & potens actus fidei exercere: atqui, dum quis ab infidelitate conuersus priùs quàm habeat actum caritatis verè & ex animo credit, est verè fidelis: ergo similiter conuenit ei infundi habitum fidei; nam aliàs dum actu non credit, non esset verè formaliter ac realiter fidelis, sed solùm denominatione quadam extrinseca ab actu præterito. Quare dicendum est hos habitus ei infundi, præsertim cùm nulla sit ratio id negandi, vt patebit ex solutione argumentorum.

Cur in peccatore fideli debeat esse habitus fidei.

57 Ad primum, nego minorem. Concilium enim solùm docet, eos habitus nobis in baptismo infundi, quantũ est ex vi Sacramenti, siue nisi antè nobis infusi sint. Vtrùm autem hoc casu in baptizato hi habitus augeantur, atque ita possint dici infundi, videbimus dub.5.

Ad secundum, Respondeo Tridentinum solùm velle nobis hæc omnia in iustificatione infundi siue eodem tempore siue diuerso. vnde verbis immediatè sequentibus apertè insinuat ea non semper simul tempore infundi, vt ostendi n.52. *Simul* itaque ibi non significat ea simul siue eodem tempore infundi, sed necessariò simul esse in eodem, vt quis perfectè iustificetur, vt apertè in sequentibus docet.

Ad tertium, nego assumptum. Quia secundùm id sequeretur, eos habitus non debere relinqui in peccatore; quia non magis dedecet eos peccatori infundi, quàm in eo à Deo conseruari.

Quomodo Deus perfectè sanet, quos sanat.

Ad quartum, Respondeo Deum, quantum est ex parte sua, semper hominem perfectè sanare, quãdoque tamen id non perficere, ob nostrum defectum. Adde, librum illum non esse D. Augustini, & eius auctorem solùm velle vnum peccatum mortale non remitti sine alio; atque ita illud nihil facere ad præsentem quæstionem.

58 Ad quintum, Respondeo D. Thomam ibi non agere de prioritate temporis, quæ per accidens inter dictos habitus potest intercedere; sed de prioritate, quæ per se & ex natura rei inter eos reperitur; qualis est prioritas naturæ. solumque negare vnum habitum esse priorem natura altero, siue vnum naturaliter supponere alterum, sicut vnus actus supponit alterum.

59 Ad sextum, Respondeo nullum esse incommodum si habitus fidei aut spei in quibusdam iustis sit intensior alijs habitibus infusis: neque enim illi habitus horum normaregi debent, cùm ab his in suo esse ac conseruari nullo modo dependeant; quare sicut sine his possunt absolutè in aliquo esse, ita possunt his esse intensiores. Quod igitur multi dicunt, omnes habitus infusos in eodem semper esse æquè intensos, intelligendum de habitibus habentibus inter se mutuam dependentiam, ita vt vnus numquam sine alio reperiatur. quales sunt omnes habitus infusi virtutum moralium inter se & respectu caritatis, cum qua simul infunduntur, augentur, pereunt.

Soli illi habitus infusi sunt semper æquales in eodem, qui inter se connexi sunt.

Ex quibus sequitur Primò, habitus fidei & spei posse quidem in eodem esse intensiores aliis habitibus infusis; numquam tamen esse his remissiores. Quia cùm hi ab illis ita pendeant, vt secundùm Dei constitutionem sine illis nec infundi nec conseruari queant; nullo modo cõuenit aut possibile est hos illis in eodem esse intensiores. Sed contrà omnino conuenit, vt sicut primus gradus caritatis necessariò præsupponit, aut saltem simul secum requirit primum gradum fidei & spei; ita secundus gradus caritatis præsupponat aut secum requirat secundum gradum fidei & spei, & sic deinceps. 60

Habitus fidei & spei possunt in eodem esse intensiores aliis habitibus infusis, non tamen remissiores.

Sequitur Secundò, in iusto qui habet habitum caritatis æqualem habitui fidei, per quosuis actus virtutum æqualiter augeri habitum fidei & reliquarum virtutum: quia tunc nec alij habitus possunt magis augeri, quàm habitus fidei, ne sint hoc intensiores, nec est ratio cur habitus fidei magis augeatur, quàm reliqui. Secùs tamen videtur dicendum de eo qui habet habitum fidei reliquis intensiorem, scilicet hunc eo casu non intendi per actus aliarum virtutum. Quia tota ratio cur vnius virtutis habitus per actum alterius virtutis intendatur, excepto habitu caritatis, est mutua inter eas connexio & dependentia, vt dixi suprà, & n.63 magis explicabo. cùm ergo reliqui habitus eatenus solùm sint connexi habitui fidei, ab eoque dependeant, quatenus nequeunt in eodem esse intensiores; nihil impedit eos sine hoc intendi, quamdiu sunt eo remissiores; & consequenter habitus fidei eo casu non necessariò intenditur per eorum actus. Idemque proportionaliter dicendum de habitu spei, respectu caritatis & virtutum moralium. 61

Habitus fidei in iusto per alia opera bona quãdoque augetur, quandoque non.

Sequitur Tertiò, habitus fidei & spei in peccatore per harum actus augeri, sine augmento aliarum virtutum quæ tunc non sunt. nam sicut illi actus disponunt suum subiectum ad primam habituum infusionem, ita etiam id disponunt ad eorum augmentum. In iustis tamen hi habitus numquam augentur, nisi simul augeantur alij habitus infusi: quia cùm in his actus fidei & spei sint meritorij de condigno, non minùs merentur augmentum caritatis, & consequenter virtutum moralium, quàm actus aliarum virtutum. vnde vlteriùs probabiliter infertur, habitum fidei per actum fidei æquè intensum magis augeri in iusto, quàm in peccatore, quia illius actus ob dignitatem operantis est moraliter multò melior, & meritorius de condigno, cùm actus peccatoris vt summum sit meritorius de congruo. quæ infrà in materia de merito fusiùs probabo. 62

Habitus fidei & spei possunt augeri in peccatore sine augmento aliorum habituum, non tamen in iusto.

Dices, Actus caritatis aut alterius virtutis moralis in iusto non minùs meretur augmentum habitus fidei in eo qui hunc habet intensiorem aliis habitibus, quàm in habente eum æquè 63

inten-

intensum: ergo hoc augmentum debet aut vtrique conferri aut neutri. Respondeo, antecedens solùm esse verum de merito directo, & per se, qua ratione in neutro talis actus meretur augmentum habitus fidei: si autem intelligatur de merito indirecto & per accidens, tunc est negandum.

Actus virtutis in iusto quædam meretur directè, quædam solum indirectè.

Pro quo Nota, actum virtutis in iusto directè & per se solùm mereri augmentum sui habitus, ad quod directè tendit, & augmentum præmij essentialis, quod est propria merces bonorum operum. ad hoc autem essentialiter spectant lumen gloriæ & gratia iustificans siue caritas. quare horum augmentum est præmium per se bonis operibus debitum: hac differentia, quòd augmentum caritatis statim detur, vt infrà ostendam; lumen autem gloriæ post hanc vitam. Augmentum verò reliquarum virtutum per eiusmodi actum solùm meremur indirectè & per accidens, quatenus earum augmentum annexum est augmento caritatis, tamquam huius fundamentum aut ornamentum. vt autem patet ex dictis, augmentum fidei tunc solùm annexum est augmento caritatis, quando aliàs illa esset hac minùs intensa, nisi simul cum ea augeretur.

DVBIVM V.

Qua ratione habitus infusus sit subiectus ipsi potentiæ, siue voluntati, in operando: siue, qua ratione sit in potestate voluntatis habitu suo vti, aut non vti?

64 HAnc quæstionem Doctores communiter expressè non tractant: quia communiter supponunt, habitum ita subiectum esse voluntati, vt possit eo prout voluerit vti, aut non vti. Sed hæc suppositio vt absolutè vera sit, aliqua limitatione aut explicatione indiget. Quidam enim eam minùs benè intelligentes ex ea quædam falsa concludunt, vt infrà patebit.

Quædā sunt immediatè in potestate voluntatis, quædā solum mediatè.

Nota Primò, aliquid dupliciter posse esse in potestate voluntatis: Primò, immediatè & per se: qua ratione ipsius actus est in eius potestate, sicut etiam actus potentiæ motiuæ non impeditæ, quam immediatè ad agendum suo arbitrio applicat, aut ab eo cohibet. Secundò, solùm mediatè & per aliud: qua ratione in nostra potestate est obiecta nobis clarè proposita videre aut non videre, quatenus est in nostra potestate claudere aut aperire oculos.

65 *Molina.*

Habitus est agēs omnino necessarium.

Nota Secundò, cum Molina in Concordia q.14.a.13.disp.44. §. *Vt verò hæc.* habitum esse agens nullo modo liberum, sed naturaliter quantum est ex se determinatum ad agendum, & ad hoc inclinans; vnde quoties non impeditur, necessariò ferturin suum obiectum sibi debitè propositum, idque quantum potest, siue secundùm totam suam intensionem, & producendo quantum in præsentibus circumstantijs potest actum perfectissimum. Sicut corpus luminosum naturaliter est ad agendum determinatum, & nisi impediatur quoduis illuminabile sibi obiectum necessariò quantum potest illuminat.

66 Habitus per se sine cooperatione potentiæ nihil potest agere.

Nota Tertiò, quemuis habitum tam naturalem quàm infusum esse per se insufficientem vt aliquem actum producat, nisi potentia in qua subiectatur simul cum eo in ipsum influat: vnde hac non agente nihil omnino potest producere, & hac remissè agente nequit producere actum intensum. sicut, quia quoduis agens creatum in sua actione pendet à concursu Dei generali, hoc cessante illud nihil omnino agere potest. Item quia intellectus in visione beatifica necessariò pendet à lumine gloriæ, illam nulla ex parte producere potest, si hoc ei non cooperetur: & si hoc habeat remissum, quantumuis conetur Deum intensè videre, tamen solùm videbit remissè, nec vllo modo intensiùs, quàm sit ipsum lumen gloriæ. vt ostendi disp.5.dub.6.

67 Habitus est indirectè in potestate voluntatis.

CONCLVSIO I. Habitus siue infusus, siue acquisitus, eatenus est potentiæ, cui inest, in operando subiectus, ac in eius potestate, quatenus est in huius potestate agere vel non agere, vel agere intensè aut remissè. Sequitur apertè ex dictis: nam cùm habitus non possit vllo modo agere, nisi potentia etiam simul & æquè intensè agat, si hæc habeat in sua potestate agere aut non agere, ac agere remissè vel intensè prout libuerit, necessariò erit in eius potestate consecutiuè efficere vt habitus agat, aut non agat, & intra suam latitudinem agat intensè aut remissè, prout illi libuerit agere aut non agere. Cùm igitur habitus siue acquisiti, siue infusi, in hac vita non necessitent potentiam ad agendum, sed relinquant eam suæ naturali libertati; si hæc sit libera, sequitur, habitum indirectè & consecutiuè esse ei subiectum in operando, atque ita in eius potestate esse efficere vt habitus operetur aut non operetur, & vt producat actum intensum aut remissum. Et sic intelligendum est commune illud suppositum, scilicet habitum esse in potestate voluntatis.

68 Habitus non est immediatè in potestate voluntatis. *Molina.*

CONCLVSIO II. Habitus siue acquisitus, siue infusus, non est directè & immediatè in potestate voluntatis, siue potentiæ cui inest. Ita videtur apertè sentire Molina citatus in notabili 2. & ex dictis clarè sequitur. Nam cùm habitus sit agens omnino necessarium, & ex se perpetuò determinatum ad agendum, hoc ipso quo ponuntur omnia vt agat requisita omnino necessariò agit, nec voluntas hoc potest impedire, nisi auferendo aliqua ei vt possit agere necessaria; v.c. desinendo ei proponere suum obiectum, aliò auertendo cogitationem, aut nolendo circa eius obiectum agere. Sicut, quia potentia visiua est agens ex se omnino necessarium, voluntas non aliter potest eius actionem impedire quàm claudendo oculos, eosue ab aliquo obiecto auertendo.

69 Potentia agens circa obiectum sui habitus nequit impedire quin hic simul agat.

Hinc sequitur Primò, quoties potentia agit circa aliquod obiectum habitus sibi inhærentis siue naturalis siue infusi, v.c. ob huius obiectum formale aliquid apprehendo, aut alicui propositioni assentiendo, dictum habitum semper necessariò in eundem actum simul cum ea quantum potest influere. Quia hoc ipso quo potentia circa illud obiectum ita agit, ponuntur necessariò omnia requisita vt habitus agat, quia

ad

ad hoc nihil aliud requiritur, quàm vt potentiæ cui ineſt, obijciatur ipſius obiectum formale, & hæc circa illud operetur.

70 Habens habitum ſupernaturalem nequit circa huius obiecti formale producere actum naturalem.

Sequitur Secundò, quoties potentia aliqua habens in ſe habitum infuſum, elicit aliquem actum circa ſiue propter obiectum illius formale, hunc actum neceſſariò eſſe ſupernaturalem. v.c. quoties intellectus aſſentitur propoſitioni reuelatæ, præcisè quia à Deo reuelata eſt, aut voluntas vult Deo bonum, quia ei bonum eſt, aut efficaciter deſiderat eo frui tamquam vltimo ſuo fine; hi actus ſunt neceſſariò ſupernaturales in ſubſtantia, aut fidei, aut caritatis, aut ſpei in eo qui his habitibus eſt inſtructus. Quia, vt iam oſtendi, in eiuſmodi caſu dicti habitus in ſubſtantia ſupernaturales, neceſſariò in eiuſmodi actus, quantum poſſunt influunt. Item, vt oſtendi diſp.5.nu.9.20.& 32. actus productus à principio ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturali qua tali ſiue ſupernaturaliter operante, eſt in ſubſtantia ſupernaturalis: ergo dicti actus ſunt neceſſariò in ſubſtantia ſupernaturales, cùm neceſſariò procedant à principio in ſubſtantia ſupernaturali ſupernaturaliter operante. quæ vera ſunt etiam poſito caſu quòd potentia merè naturalis poſſit circa eadem obiecta formalia actus merè naturales elicere: vt ex locis iam citatis apertè ſequitur. Et hæc diligenter notanda ſunt, quia valdè vtilia ſunt ad ſoluendas varias difficultates inter Theologos controuerſas, vt ſuis locis infrà etiam notabimus.

DVBIVM VI.

An habitus ſupernaturalis conferat ſuo ſubiecto facilitatem operandi?

71 *Turrian.* Eadem res poteſt dare facultatem & facilitatẽ operandi.

QVidam apud Turrianum 2.2. diſp.46.d.8. id affirmant. Primò, quia eadem res poteſt alicui conferre abſolutè potentiam agendi, & ſimul facilitatem, ita vt quo perfectior eſt, eo ſuo ſubiecto tribuat maiorem facilitatem: vt patet in ſpeciebus impreſſis, quæ ſimul tribuũt intellectui poteſtatem aliqua intelligendi, ita vt hæc ſine illis non poſſet intelligere; & ſimul tribuunt facilitatem: nam quo ſunt perfectiores, eo intellectus per eas faciliùs intelligit: ergo ſimiliter habitus infuſi non ſolùm dant potentiam ſiue poteſtatem eliciendi actus ſupernaturales, ſed etiam facilitatem, præſertim quando intenſi ſunt. Secundò, quia qui multis & intenſis actibus acquiſiuerunt ſibi habitum infuſum intenſum, faciliùs eliciunt ipſius actus, quàm alij qui habent habitum minùs intenſum: ergo hoc eſt ſignum quòd habitus infuſi ſaltem intenſi dent facilitatem operandi. Et huius etiam ſententiæ ſunt ij omnes, qui ex eo quòd is, qui poſt magnam ſanctitatem labitur in grauia crimina, in iiſque diu verſatur, ac poſtea per actum remiſſum conuertitur, experiatur magnam difficultatem in exercitio virtutum, colligunt eum per pœnitentiam non recipere omnem gratiam per peccatum amiſſam. de quibus egi tom.2. de Sacramentis diſput.2.dub. 20. Sed argumenta pro ea allata nihil conuincunt, & facilè poſſunt ſolui.

Ad primum, nego conſequentiam. nam ex eo quòd hoc fieri poſſit, & in certo caſu fiat, malè infertur id ſemper, aut in caſu de quo diſputamus, fieri. Ad ſecundum, nego conſequentiam: quia hæc facilitas non naſcitur ex habitibus infuſis, ſed ex acquiſitis, qui per actus etiam ſupernaturales gignuntur, vt oſtendam diſp.7. dub.3.

72 Habitus ſupernaturalis non facilitat actionem.

CONCLVSIO. Probabilius eſt habitus ſupernaturales, quantumuis intenſos, non conferre potentiæ facilitatem in operando, ita vt ſiue habeat eos intenſos, ſiue remiſſos, cæteris paribus æqualem in operando ſentiat difficultatem, aut facilitatem. Ita Vaſquez 1.2. diſp.83. c.1. & quidam alij apud Turrian. ſuprà. vbi ipſe etiam putat eam eſſe probabilem. *Vaſquez.*

Probant hoc aliqui; quia hi habitus habent ſe inſtar potentiæ, cuius non eſt dare facilitatẽ operandi, ſed ſolùm dare poteſtatem operandi. Sed hoc argumentum non conuincit; nam, vt patet ex primo argumento contrariæ ſententiæ, id quod dat ſimpliciter poſſe operari, ſæpè præſertim quando creſcit in perfectione, dat etiam facilè poſſe, ſiue facilitatem in operando. hoc igitur argumentum ſolùm probat, fieri poſſe, vt eiuſmodi habitus in ſe perfectior non det maiorem facilitatem operandi: ſiue ex ipſius natura & fine quo datur, non poſſe probari ipſum conferre facilitatem in operando.

73 Tepidè diu viuentes ſine peccato mortali & Sacramenta frequentantes augent habitus infuſos, non tamen facilitatem operandi.

Probatur igitur Secundò, quia aliàs quicũque haberent eiuſmodi habitus magis intenſos, deberent cæteris paribus in operando experiri maiorem facilitatem, quàm ij qui habent eos minùs intenſos, aut etiam non habent: atqui hoc repugnat apertæ experientiæ: ergo etiam id vnde ſequitur. Minor patet Primò, in ijs qui diu tepidè ſine peccato mortali viuunt, & ſæpè Sacramenta frequentant, qui continuò, cùm per horum ſuſceptionem ex opere operato, tum etiam ex bonis operibus, quæ etſi remiſsè tamen ſæpè faciunt, gratiam ac habitus infuſos in ſe augent; & tamen in fine non ſentiunt maiorem facilitatem in exercitio virtutum, quàm initio. Item quando quis dicta ratione, aut etiam per heroicos virtutum actus intenſos habitus infuſos ſibi comparauit, ſi poſtea labatur in peccatum mortale, & diu in eo neglecto omni virtutum exercitio perſeueret, ita vt ferè omnino amiſerit omnes habitus virtutum acquiſitos, & tandem per attritionem, & Sacramenti ſuſceptionem iuſtificetur, hic omnem gratiam amiſſam recipit. vt oſtendi tom.2. de Sacramentis diſp.2.dub.20. atque ita ſtatim habet habitus virtutum valdè intenſos, & nihilominus in exercitio virtutum aut tantam, aut ferè tantam experitur difficultatem atque ante iuſtificationem. Quod patet fore falſum, ſi eiuſmodi habitus conferrent facilitatem in agendo. Nam ſi talis haberet tam intenſos eiuſmodi habitus acquiſitos, facillimè virtutem exerceret.

Pœnitentia reſtituitur ſemper omnis gratia deperdita non tamen facilitas operandi.

74 Reſpondent aliqui Primò, ideo tales ſentire hanc difficultatem in exercitio virtutum, quia contraxerunt habitus vitioſos, qui hoc iis reddunt difficile.

Sed hoc nõ ſatisfacit. Primò, quia cùm prior ille de quo egi initio n.73. toto illo tempore, vt ſuppo-

suppono, abstineat à peccato mortali, & interim sæpè, etsi remissè, multa opera bona faciat, nulla est ratio cur dicamus eum in fine illius temporis necessariò habere habitus vitiosos maiores, quàm initio (cùm facilè fieri possit vt sint æquales, aut etiam minores) & consequenter non reddunt ei operationem virtutis difficiliorem in fine quàm in initio. cùm igitur in fine habitus infusi in eo sint longè maiores, & ex nullo alio capite possit dici in eo esse aucta saltem notabiliter difficultas operandi, secundùm aliam sententiam hi deberent ei conferre longè maiorem facilitatem in operando: quod, vt dixi, experimur esse falsum.

Secundò, quia clarè patet secundum ex dictis non habere habitus vitiosos intensiores statim post conuersionem, quàm habuerit immediatè ante, & tamen ferè æqualem experitur in opere virtutis difficultatem & consequenter cæteris existentibus paribus, eandem experitur difficultatem aut facilitatem in opere virtutum, siue hos habitus habeat intensos, siue remissos, aut etiam nullos: quod secundùm aliam sententiam esset falsum. nam quando duo habent æquale impedimentum respectu alicuius operationis, si vnus recipiat aliquod adiutorium, quo alter caret, quodque natum est eius operationem multùm facilitare, hic longè facilius aget, quàm alter qui tali adiutorio caret. Quare cùm supradictus immediatè ante conuersionem habeat habitus vitiosos tam intensos ac immediatè post conuersionem; si habitus infusi valdè intensi operationem facilitarent, cùm post conuersionem haberet tantum adiumentum operationem facilitans, quo priùs carebat, & cùm impedimentum agendi sit æquale, deberet iam longè faciliùs agere, quàm antè.

75 Respondent alij Secundò, ideo tales non sentire maiorem facilitatem in exercitio virtutum post acquisitos eos habitus, quàm antè; quia est difficultas ex parte intellectus, cui desunt species necessariæ ad exercitium illarum virtutum.

Sed contrà Primò, talibus eodem modo hæ species desunt antequam habeant dictos habitus tam intensos, quàm postea, & consequenter par in ijs est difficultas ex parte intellectus siue harum specierum: ergo vera manet nostra propositio, scilicet cæteris paribus æqualem in virtutis exercitio experiri difficultatem eum qui hos habitus habet intensos, & eum qui hos habet remissos aut etiam non habet.

Ad virtutū actus sufficiunt species requisitæ ad cognitionem obiecti.

Secundò, quia frustra omnino fingũtur eiusmodi species ad tales actus necessariæ præter eas quæ necessariæ sunt ad sufficientem subiecti cognitionem: in talibus autem communiter sufficiens omnino est virtutum cognitio. Fateor quidem vehementem aut aliàs ingenio operantis accommodam honestatis ipsius obiecti apprehẽsionem, multùm facilitare operationem: sed hoc planè per accidens est intensioni ipsius habitus infusi, & siue hæc adsit, siue absit, illa quoties adest eodem modo operationem circa suum obiectum facilitat. Ex quibus omnibus dicta minor clarè probatur.

Commoda apprehensio obiecti multùm facilitat operationẽ.

Probatur conclusio Tertiò, quia si habitus infusi facilitarent ipsam operationem, hac ex parte directè contrariarentur habitibus vitiosis, quatenus hi hanc operationem reddunt difficiliorem: atque ita hos expellerent, aut saltem multùm imminuerent: atqui hoc est falsum, vt patet experientia, & communiter omnes fatentur: ergo etiam id vnde sequitur est falsum. 76

Vt aliqua simul posita se mutuo interimant sufficit quòd habeant proprietates contrarias.

Secunda pars maioris probatur: quia, vt aliqua simul posita se mutuo interimant, non est opus vt per se immediatè sint contraria, sed sufficit quòd habeant proprietates contrarias, ac virtutes agendi inter se pugnantes (vt patet in igne & aqua, & sexcentis alijs similibus:) atqui secundùm aliam sententiam, virtus infusa & habitus vitiosus quãdo versantur circa idem obiectum, haberent propriè tales vires agendi contrarias ac inter se pugnantes (vt per se, & ex priore parte nostræ maioris patet:) ergo se mutuo interimerent.

Quartò, quia si eiusmodi habitus facilitarent operationem virtuosam, id facerent vel per se immediatè potentiam inclinando ad eiusmodi operationem, prout habitus voluntatis acquisiti eam facilitant: vel efficiendo vt vehementer obiecti bonitatem vt commodam ac expetendam apprehenderemus: qua ratione commoda oratio sæpè animos audientium ad aliquod opus valdè inclinat, illudque in iis facilitat: neutrum autem horum dici potest: ergo habitus infusus non facilitat. Minor probatur, quia secundum illud esse falsum ex ipsa experientia satis patet, & per se notum est; quia habitus voluntatis numquam in nobis eiusmodi apprehensionem excitat, nisi priùs per se immediatè voluntatem in amorem obiecti inclinando, atque ita efficiendo vt hoc placeat, & consequenter efficiendo vt intellectus hoc vt expetendum apprehendat; & tandem etiam hac ratione affectus magis in eius amorem excitatur. Illud verò prius illatum in maiore esse falsum etiam patet, tum quia aliàs possemus in nobis sentire eiusmodi inclinationem, atque ita deprehendere nos habere habitus infusos, præsertim quando scimus nos non habere acquisitos: quod tamen experientia docet esse falsum; tum etiam quia aliàs habitus infusus directè contrariaretur habitui vitioso, eumque formaliter expelleret. quia habitus acquisitus virtuosus ideo præcisè ita contrariatur vitioso, eumque formaliter expellit, quia vterque per se formaliter ad actus contrarios inclinat. vnde apertè sequitur, si habitus infusus similiter inclinaret in actum contrarium actui habitus vitiosi, futurum vt hunc eodem modo expelleret: quod tamen omnes fatentur esse falsum. 77

DVBIVM VII.

An primus actus caritatis, quo peccator ad Deum conuertitur, procedat ab habitu caritatis, simúlque ad eius infusionem disponat?

78 SAtis constat inter Doctores, habitum caritatis eodem instanti temporis, quo eius actus à peccatore elicitur, eidem infundi: sed est difficultas vtrùm habitus caritatis peccatori infundatur priùs natura, quàm ipse eliciat actum caritatis, atque ita hic etiam primo suo instanti producatur ab habitu caritatis.

Plurimi ex schola S. Thomæ id asserunt, voluntque habitum caritatis in genere causæ efficientis esse priorem natura ipso actu caritatis quo peccator se ad gratiam disponit; & rursum hunc in genere causæ materialis, tamquam quamdam dispositionem, esse priorem natura suâ causâ efficiente, siue habitu à quo producitur.

Præcipua eorum ratio est, quia putant hanc esse sententiam D. Thomæ 1.2. qu. 113. ar. 8. vbi ponit duplicem ordinem naturæ, qui seruatur in iustificatione impij. Primum ex parte agentis, siue quatenus iustificatio concipitur fieri à Deo. Secundum ex parte passi, siue hominis iustificati. Secúdùm priorem ordinem ponit Primo loco infusionem gratiæ. Secundo, motum liberi arbitrij in Deum, eum amando. Tertio, eiusdem motum in peccatum, id detestando. Quarto, remissionem peccati. Iuxta secundum ordinem ponit Primò, liberationem à peccato; Secundò, receptionem gratiæ.

D. Thomas.

Probant deinde suam sententiam Secundò, quia Concil. Arausicanum & D. August. sæpè dicunt gratiam aut caritatem nobis infundi, vt amemus Deum: ergo priùs hæc nobis infunditur, quàm Deum amemus.

Arausic. August.

79 Tertiò, quia voluntas nequit vitaliter elicere actum caritatis, nisi priùs natura fiat potens eum elicere: atqui hoc nequit fieri nisi per habitum ei infusum; nam aliàs ille actus non esset vitalis: ergo ille habitus debet ei priùs natura infundi.

Quartò, quia fieri potest, vt duæ res diuerso respectu sint sibi vicissim priores in diuerso genere causæ, atque ita fieri potest vt diuerso respectu sint sibi vicissim priores ac posteriores: ergo non est negandum hoc fieri in habitu caritatis eiusque actu. Anteced. probant in materia & forma, quæ vicissim sunt sibi causa, & vna est vicissim alterâ prior ac posterior natura. Item quando ignis aquam calefacit, ex parte ignis agentis prior natura est introductio caloris quàm expulsio frigoris, quia ignis introducit calorem vt expellat frigus; contrà ex parte aquæ patientis prior est expulsio siue amissio frigoris, quàm receptio caloris: ideo enim hæc amittit frigus vt possit recipere calorem: & sicut ignis per productionem caloris tamquam per medium quoddam expellit frigus; ita aqua per amissionem frigoris fit apta vt recipiat calorem. Illa autem particula *vt* semper denotat id, quod posterius est. Item id quod alicui vtile est vt aliquid efficiat aut recipiat, est ex parte ipsius prius eo, ad quod est vtile; quia medium in executione est prius fine.

80 Quidam autem, vt hæc meliùs possint defendere, notant hos duos ordines numquam debere confundi: atque ita malè quæri, v.c. vtrùm sit prius natura Deum peccatori infundere gratiam, an hunc liberari à peccato? dicuntque neutrum horum posse dici altero prius, quia prioritas naturæ nihil est aliud quàm ordo diuersorum ad vnum, quare ea quæ dicunt ordinem ad diuersas causas (v.c. vnum ad causam efficientem, & alterum ad causam materialem) nequeunt inter se esse priora aut posteriora: nisi considerentur quatenus dicunt ordinem ad vnam causam.

81 Sed in hac sententia mihi & pluribus alijs multa videntur valdè difficilia, & quæ videntur apertæ rationi contradicere. vt ex dicendis patebit.

Et in primis vt incipiam ab vltimo, illud notabile videtur merè confictum vt argumenta pro ea sententia allata habeant aliquam speciem probabilitatis, & contraria possint facilius eludi: nam aliàs nulla videtur ratione niti, sed potiùs cum ea apertè pugnare. Primò, quia in eo sumitur prioritatem naturæ nihil esse aliud, quàm diuersorum ordinem ad vnum, quasi vt inter aliqua duo sit prioritas & posteriotitas naturæ, necesse sit hæc respicere aliquod tertium, ad quod dicant ordinem vnum alio propinquiorem: quod illi videntur, atque adeò necessariò debent asserere, si suam sententiam velint tueri: quodque infrà ostendam esse falsum. Secundò, in eo asseritur, vt inter duo sit prioritas naturæ, vtrumque debere sumi aut ex parte causæ efficientis, aut ex parte causæ materialis, atque ita tenens se ex parte huius non posse dici prius aut posteriùs eo quod respicit causam efficientem. Hæc autem dici non posse probatur. Quia ex ijs sequitur Primò, causam efficiétem non esse priorem suo effectu, quia hæc vt sic considerata nullum dicunt ordinem ad aliquod tertium. Secundò, solem nec esse, nec habere vim illuminandi priùs natura quàm aër ab illo illuminetur, siue quàm hic lumen ab eo recipiat. Nam vnum tenet se ex parte causæ efficientis, alterum ex parte causæ materialis. aër enim illuminatus tenet se ex parte causæ materialis & passi, sol verò eiusque vis illuminandi sunt causa efficiens illuminationis; atque ita secundùm illos inter hæc nulla potest esse prioritas naturæ. Supradicta autem sunt apertè falsa. nam secundùm omnes causa efficiens est prior natura suo effectu; & cùm sol sit causa non solùm luminis producti, sed etiam cur aër illuminetur, siue cur hic lumen in se recipiat, (nam sol non producit lumen extra subiectum, quod aër postea in se recipiat, sed in ipso aëre ipsique inhærens, vnde hic dicitur ab illo illuminari ac lumen recipere;) & consequenter sol debet priùs natura esse, ac habere vim illuminandi, quàm hic sit illuminatus, aut lumen in se receperit.

Prioritas naturæ non dicit necessariò ordinem plurium ad vnum.

Secun-

82. Secundò, difficultatem habet quòd illa sententia pro fundamento sumit, duas respõsse sibi mutuo esse causas in diuerso genere causæ, ita vt secundùm idem esse reale vna sit alteri causa in vno genere causæ, atque ita à parte rei prior natura existat; & in altero genere causæ sit ipsius effectus, eaque natura posterior. hoc enim manifestam videtur inuoluere implicantiam: scilicet eandem rem secundùm idem omnino esse, eodem instanti naturæ concipi absolutè existere, & absolutè non existere. nam rem aliquam aliquid physicè causare supponit eam absolutè esse: & rursus eam nondum esse causatam supponit eam pro illo instanti absolutè non esse. quæ magis ex dicendis num. 90. patebunt; &, vt infrà n. 86. & 87. ostendam, nulla huius rei vel probabilia possunt adferri exempla. Finis est quidem causa suorum mediorum, à quibus rursum causatur: sed secundùm esse omnino diuersum, nec his vllo modo est prius secundùm esse quod ab iis causatur. nam solùm est causa mediorum secundùm suum esse obiectiuum, & secundùm hoc solùm est prius suis mediis; à quibus causatur non secundùm illud esse obiectiuum, sed secundùm suum esse reale quo posterea existit; & secundùm hoc nullo modo verè à parte rei est causa mediorum, nec vllatenus existit priùs natura ipsis mediis, per quæ producitur. Contingit quidem sæpè rem, quam intendimus acquirere, existere ante ipsa media; sed tunc hæc non causant rem illam, sed solùm eius acquisitionem, quæ nullo modo à parte rei existit ante ipsa media. Argumenta autem præsertim quæ ex ratione pro ea sententia adferuntur, nihil habent difficultatis cùm apertè falsa supponant; vt mox ostendam.

Duæ res considerate secundùm esse actuale nequeunt sibi mutuo esse causæ.

Finis secundùm diuersum esse causat media, & ab iis causatur.

83 Ad primum, ex auctoritate D. Thomæ Respondeo eum nullibi dicere, gratiam habitualem nobis infundi priùs natura quàm conuertamur, aut contritionem primo instanti ab ea produci. solùm enim dicit Deum priùs natura quàm conteramur infundere nobis gratiam qua nos moueat ad sui amorem & ad contritionem; quod fit per gratiam actualem, non autem per habitualem: nam, vt patet ex dictis dub. 6. habitualis gratia propriè nos non mouet aut excitat ad amandum Deum, sed sola actualis hoc facit: nam aliàs iusti continuò deberent ad amorem Dei excitari, cùm continuò in se habeant gratiam habitualem. His adde, secundùm D. Thomam gratiam habitualem iustificantem realiter distingui à caritate, nec esse habitum operatiuum, nec infundi nobis in ordine ad operationem; sed vt animam à peccato mundet eamque ornet. vnde etiam secundùm eum inest immediatè essentiæ animæ, non autem potentiis: quare cùm dicit, Deum nos infusione suæ gratiæ mouere ad contritionem, non potest intelligi de hac gratia. Nec refert quòd simul tempore cum ea gratia infundatur habitus caritatis. Quia D. Thomas hunc non comprehendit sub nomine gratiæ iustificantis, siue nomine eius gratiæ cuius infusione peccatum remittitur, nec de hoc habitu hîc vllo modo agit. atque adeò hîc debet intelligi aut de gratia habituali prout distinguitur à caritate (quod iam ostendi dici non posse) aut de gratia actuali.

Sola gratia actualis, non autem habitualis nobis datur ante contritionem, & ad hanc nos excitat.

D. Thomas.

D. Thomas.

Contrà verò, quando dicit contritionem 84
esse priorem receptione gratiæ, loquitur de habituali, ad quam contritio disponit. Quòd autem ipse de vtraque gratia hîc loquatur, præter dicta vel inde patet, quòd hîc intendat explicare ea omnia quæ per se concurrunt ad nostrã iustificationem eodem instanti, quo fit; inter quæ constat vtramque gratiam numerandam esse. Et confirmatur, quia aliàs omisisset præcipuam causam qua Deus nos primò excitat ad contritionem, & à qua incipit necessariò huius motus, quæ secundùm omnes est necessariò gratia actualis. nam etsi concedamus etiam in sententia D. Thomæ gratiam habitualem debere numerari inter gratias operantes, aut cooperantes; tamen omnino certum est eam nõ esse primam gratiam à qua in peccatore incipit motus contritionis, sed hoc conuenit soli gratiæ actuali: vt patet ex Trident. sess. 6. c. 5.

Conuersio peccatoris nequit sumere initiũ à gratia habituali.

Trident.

Dices, D. Thomas hac ratione vtetur vitiosa 85
æquiuocatione cùm de diuersis gratiis sub eodem nomine quasi de vna loquatur. Respondeo, nego assumptum: nam loquitur de gratia in genere prout comprehendit tam actualem, quàm habitualem, ipsique secundùm diuersa inferiora diuersa attribuit. Quod non quidem explicitè, sed implicitè satis ostendit, dum describit duplicem ordinem, qui inter concurrentia ad iustificationem à peccatis considerari potest, scilicet vnum ex parte agentis; in quo primum locum obtinet datio gratiæ præuenientis, qua Deus voluntatem à peccato ad se conuertit, vt omnes fatentur, & docet Trident. sess. 6. c. 5. Alterum ex parte passi: in quo docet, vltimũ locum obtinere susceptionem gratiæ. quod propriè soli gratiæ habituali conuenit: nam respectu huius homo se habet merè passiuè: cùm tamen ad productionem gratiæ actualis, etsi nõ liberè, tamen verè concurrat secundùm multorum & probabiliorem sententiam, docentium hanc consistere in interna illuminatione intellectus ac motione voluntatis, qui sunt quidam actus istarum potentiarum. Item hæ gratiæ dantur homini in ordine ad actionem, nempe vt per eas excitetur ad agendum, atque ita se tenent ex parte agentis. gratia verò iustificans secundùm D. Thomam non est actiua, nec datur ad agendum, sed ad animæ ornamentum, ideoque se tenet purè ex parte patientis. quare dum exprimit se in priore ordine loqui de iis quæ se tenent ex parte agentis, & in secundo de iis quæ se tenent ex parte patientis, satis innuit se priùs loqui de gratia actuali, & secundò de habituali.

D. Thomas.

Cur gratia actualis se teneat ex parte agẽtis, & actualis ex parte passi.

D. Thomæ.

Quod confirmatur vel ex eo quòd D. Thomas doceat, ex parte agentis non modò infusionem gratiæ, sed etiam contritionem esse priorem remissione peccati, item ex parte patientis liberationem à peccato esse priorem receptione gratiæ. numquam tamẽ vel leuiter insinuat, liberationem à peccato esse priorem contritione; quod sciebat esse falsum, & tamen ex altera sententia apertè sequitur: secundùm quam liberatio à peccato est prior susceptione

D. Thomæ.

gratiæ habitualis; & hæc est prior contritione; vnde apertè infertur, contritionem esse posteriorem liberatione à peccato.

Vbi Nota, etsi ex parte Dei infusio gratiæ habitualis, ac remissio peccati; & ex parte hominis huius receptio, & liberatio à peccato sint à parte rei simul natura (vt infrà ostendam) tamen secundùm quamdam considerationem & modum nostrum concipiendi, liberationem à peccato posse dici priorem susceptione gratiæ, scilicet secundùm perfectam iustitiæ denominationem, siue quatenus ipsa gratiæ susceptio, siue informatio habet perfectam rationem iustitiæ, quæ & gratiæ susceptionem (quatenus hæc consideratur vt distincta à peccati ablatione) & ipsam peccati ablationem includit, & ita hanc tamquam suam partem quodammodo supponit.

86 Ad secundum argumentum, Respondeo hoc nihil facere ad rem. nam Patres & Concilia agentes contra Pelagianos loquuntur præcipuè de gratia actuali, aut saltem de gratia in genere, prout est necessarium principium actuum conducentium ad vitam æternam: & solùm volunt alterutram, scilicet actualem vel habitualem, necessariò requiri vt possimus eiusmodi actus elicere: vnde etiam negant nostros actus vllo modo præcedere susceptionem eiusmodi gratiæ. Dicunt autem nobis infundi caritatem, quia priùs quàm amemus infunditur nobis aliquis subitus affectus erga Deum, quo ad eum amandum excitamur.

Quo sensu Patres dicãt nobis infundi caritatem antequam Deum amemus.

Ad tertium, nego minorem. nam disp.5.dub.5.num.70. ostendi contrarium absolutè dicendum esse, scilicet voluntatem sine vllo habitu, singulari Dei concursu sufficienter eleuari, vt possit actum caritatis vitaliter producere.

Ad quartum, nego antecedens loquendo de ijs, quæ physicè sibi mutuo sunt causæ, ita vt vtrumque vicissim, prius altero verè à parte rei existat. Ad primam eiusdem probationem, nego assumptum. nam nec forma vllo modo est causa materiæ, siue cur hæc existat, sed solius compositi; nec etiam est vllo modo prior, sed simpliciter posterior materiâ, si dependenter ab ea existat.

Forma nõ est causa materiæ, sed compositi.

87 Ad secundam probationem, nego etiam assumptum: nam, vt mox ostendam, multò verius est productionem caloris & expulsionem frigoris esse simul natura, aut saltem eadem ratione qua illa dicitur hac prior, etiam receptionem caloris debere dici priorem amissione frigoris. Nam sicut agens expellit frigus ex aqua, quia in ea producit calorem; ita aqua amittit frigus, quia recipit calorem, non contrà. etsi enim vt aqua possit in se recipere calorem, necessarium sit vt frigus expellatur; hoc tamen non expellitur nisi per ipsam receptionem caloris, siue per calorem receptum: cùm enim calor formaliter expellat frigus, eius receptio, siue existentia in subiecto est causa cur frigus expellatur, non tamen contrà: atque ita etsi huius expulsio ad illius receptionem requiratur tamquam quædam conditio, non tamen requiritur prior natura, sed simul: nam debet fieri per ipsam receptionem, atque ita concipi nequit vt priùs natura facta; quia sic aut deberet concipi facta per aliud, aut calor receptus deberet cõcipi formaliter expulisse frigus antequã concipiatur existere. quod implicat fieri. Et eodem modo, quo aqua ad receptionem caloris requirit expulsionem siue amissionem frigoris, etiam ignis eandem requirit ad introductionem caloris: nam sicut aqua nequit recipere calorem, nisi amittendo frigus, ita ignis nequit illum in aquam introducere, nisi expellendo frigus.

Quod autem in eodem argumento dicitur, 88
ignem inducere calorem vt expellat frigus, & aquam hoc amittere vt recipiat calorem, est apertè falsum: nam ille modus loquendi denotat finem ab agente intentum (ea saltem ratione qua agentia naturalia dicuntur etiam agere propter finem) ignis autem nullo modo tamquam finem intendit expulsionem frigoris, sed introductionem caloris; atque ita potiùs expellit frigus vt hunc possit introducere; & ad hunc finem illa expulsio est ei vtilis, imò necessaria tamquam conditio requisita. multò minùs aqua potest dici amittere frigus vt calorem recipiat; quia ipsa nullo modo intendit receptionẽ caloris, cùm ei sit violẽta, & ad ipsius corruptionem tendens. Nec refert, quòd illa amissio ad hãc receptionem sit vtilis: quia similiter illa receptio est vtilis ac necessaria ad hanc amissionẽ.

Ignis non inducit caloré in aquam vt expellat frigus, sed hoc expellit vt illã inducat.

Pro huius difficultatis maiore explicatione 89
Nota Primò, quando aliquid dicitur alio prius natura, non significari prioritatem in quo (quasi esset aliquod instans temporis in quo vnum sine alio verè existeret: hoc enim in ijs quæ sunt simul tempore omnino falsum est) sed prioritatem à quo; quia nimirum vnum significatur in sui productione pendere ab alio tamquam à sua causa, aut saltem tamquam à conditione ad suam existentiam prærequisita. Sic lumen productum à candela pendet ab hac vt à causa efficiente, & à subiecto vt à causa materiali, & ab huius propinquitate vt à conditione necessariò prærequisita vt candela hoc possit illuminare. ideoque hæc tria sunt necessariò priora natura ipso lumine candelæ. Posset his adiungi alius modus prioritatis naturæ, quando scilicet duo ita causantur ab eodem tertio, vt vnum magis per se, necessariò ac immediatè ab illo causetur, quàm alterum: tunc enim illud dicitur hoc prius natura. qua ratione in peccatore contrito priùs natura esset detestatio peccati infusione gratiæ, etsi solus formalis amor Dei ad hanc disponeret, quia illa magis per se magisque immediatè sequitur actum caritatis in peccatore peccatorum suorum memore quàm infusio gratiæ. vt ostendi tom.2. de Sacramentis disp.2.dub.6. Sed hæc prioritas naturæ ad explicationem præsentis materiæ nõ spectat: nam hîc solùm agimus de illis, quorum vnum est alio prius per modum causæ aut dispositionis: & consequenter quatenus hoc ab illo pendet.

Quid sit prioritas naturæ.

Alius modus prioritatis naturæ.

Nota Secundò, vt aliquid verè & absolutè 90
dicatur altero prius, non sufficere hoc ab illo quacumque ratione pendere, ita vt sine illo nequeat existere, sed simul etiam requiri vt illud non pendeat ab hoc: nam si sit mutua inter ea dependentia, tunc neutrum erit altero prius, sed

Prioritas naturæ requirit dependentiã non mutuã.

sed erunt simul natura. qua ratione correlatiua dicuntur esse simul natura: quia nimirum inter ea qua talia necessariò est mutua dependentia; ita vt neutrum sine altero possit existere. Quòd si inter ea quæ à se mutuo pendent in existendo posset vnum dici prius natura altero, nulla esset ratio cur vnum correlatiuum non posset dici prius natura altero, quatenus hoc ab eo pendet tamquam à termino ac conditione ad suam existentiam necessariò requisita. Et rursum, hoc posset iterum dici simili ratione prius altero; atque ita non deberent dici simul natura, sed vicissim se mutuo priora ac posteriora, quod repugnat communi sensui & modo loquendi Doctorum.

Mutua dependentia constituit simultatem naturæ.

91 Ratio horum est, quia, vt aliquid verè dicatur altero prius natura, debet ita existere vt possit concipi existens eo modo quo existit, non concipiendo alterum existere: si enim nequeo concipere hoc existere, nisi concipiendo simul alterum existere, cùm hæc tunc sint conceptu & ratione simul, quomodo vnum erit altero natura prius? atqui id quod verè à parte rei existit dependenter ab existentia alterius, nequit concipi existere eo modo quo existit, nisi simul concipiatur existentia alterius: ergo nequit hoc esse prius natura.

Cur mutua dependentia tollat prioritatem naturæ.

92 Dices, Potero concipere vnum existere, non quatenus dependet ab altero, sed præcisè quatenus hoc dependet ab illo; ergo hac ratione illud poterit concipi esse prius natura quàm hoc. Respondeo, nego consequentiam. Quia tunc non concipiam illud existere eo modo quo existit, scilicet dependenter ab altero: & aliàs vnum correlatiuum posset esse prius natura altero, quatenus concipitur præcisè prout hoc ab illo pendet. Item effectus posset dici esse simul natura cum sua causa. v.c. lumen cum sole, si concipiamus illud vt non dependens à sole, sed præcisè quatenus est quædam res: res enim inter se independentes possunt esse simul natura, sicut species eiusdem generis. Vt igitur aliquid verè dicatur altero prius natura, non est curandum qua ratione possit concipi abstrahendo ab hoc vel illo modo existendi, sed qua ratione possit concipi esse eo modo, quo de facto existit in rerum natura. Cùm igitur inter ea quæ à se mutuo in existendo pendent, neutrum in vllo instanti de facto existat independenter ab alio, nulla est causa cur vnum sit prius alio, sed vtrumque debet dici simul naturâ.

93 Nota Tertiò, vt aliquid verè à parte rei agat, aut aliquid in se recipiat, aut subiectum ad formæ susceptionem disponat, debere absolutè & verè à parte rei existere secundùm eam rationē qua agit, siue ita, vt si agat quatenus est à parte rei, necessariò existat à parte rei (qua ratione necessariò agunt causa efficiens, formalis & materialis in rebus physicis;) si verò agat per modum obiecti (qua ratione finis mouet voluntatem) debet necessariò esse obiectiuè præsens ipsi potentiæ. vnde etiam voluntas nullo modo potest ferri in incognitum, & quæuis res necessariò priùs natura cognoscitur quàm appetatur.

Vt aliquid agat, aliúdue in se recipiat debet prius esse.

94 Ex quibus sequitur Primò, causam efficientem, formalem, materialem & dispositiuam siue dispositionem c usare suos effectus dependēter ab ijs, à quibus dependent in existendo, siue à quibus ipsæ aliquo ex dictis modis causantur; & consequenter illæ suos effectus causant posteriùs natura quàm hæc existant: quia dictæ causæ non causant nisi quatenus verè à parte rei existunt, nec existunt nisi dependēter à causis suis: ergo causant dependenter à suis causis, à quibus sicut suum esse, ita etiam vim causandi acceperunt. Item vt causent supponuntur esse, & vt sint supponunt suas causas esse: ergo vt causent supponunt suas causas verè à parte rei esse, si vno ex dictis modis ab ijs fuerint causatæ. sicut enim vt calor calefaciat supponitur necessariò esse, ita etiam supponitur eius subiectum esse (modo existat dependenter à subiecto) & eius causam productiuam esse vel fuisse.

Causa formalis, efficiens, & dispositiua, causant suos effectus posteriùs natura ea re, à qua dependent in produci.

95 Sequitur Secundò, causam efficientem, materialem & formalem respectu materiæ siue sui subiecti non posse sibi mutuo esse causas cur primò incipiant existere, etsi causa materialis & formalis possint sibi mutuo esse causæ cur in rerum natura conseruentur. De causa formali patet, quia hæc, vt suprà dixi, non est causa cur sua materia siue subiectum incipiat primò existere, nec ad eius productionem potest vllo modo concurrere: nam non causat nisi informando, aut simul cum materia aliquid componendo, aut ex suo subiecto formam sibi contrariam expellendo; & in omnibus his casibus supponit materiam aut subiectū suum esse. De alijs duabus causis etiam patet, quia vt causent supponuntur esse, & consequenter supponunt omnes suas causas, à quibus sunt productæ, iam esse aut extitisse: quare non possunt ad earum productionem concurrere. v.c. visio producitur à potentia visiua, dico fieri non posse vt visio disponat videntem vt recipiat potentiam visiuam: quia vt visio sit dispositio, debet necessariò esse, & consequenter causata esse à potentia visiua; atque adeò vt sit dispositio, supponit potentiam visiuam tamquam suam causam iam esse.

96 Sequitur Tertiò, productionem aut receptionem caloris in aqua non esse verè à parte rei priorem expulsione aut amissione frigoris; nec contrà hæc illis esse priora: sed vtraq; esse simul natura: quia cum mutua dependentia ponūtur in rerū natura, ac esse incipiunt; & consequēter sunt simul natura. patet ex dictis num. 90. Quare siquando D. Thomas insinuet vnum esse priùs altero, debet commodè explicari, vt solùm velit hoc fieri secundùm quemdam modum concipiendi, quo possumus concipere, v.c. calorem in aqua produci non concipiendo id fieri dependenter ab expulsione frigoris, aut contrà: atque ita possumus modo aliquo confuso concipere vnum priùs altero. Sedinde malè infertur ita à parte rei esse, vt iam ostendi.

Calor non producitur priùs in aqua, quàm frigus expellatur. nec hoc priùs expellitur, quàm ille producatur. *D. Thom.*

97 Sequitur Quartò, maiore adhuc ratione esse simul natura productionem caloris in aqua ita vt ille producatur huic inhærens, & eiusdem in hac receptionem. Quia hæc non solùm omnino dependenter à se mutuo fiunt, ita vt implicet vnum siue alio esse; sed vnum inuoluitur in

Productio caloris eiusdemque receptio sunt simul natura.

intimo conceptu alterius, ita vt vnum sine altero nequeat concipi: nam calorem inhærere aquæ intrinsecè dicit eum in hac receptum esse; & eum incipere huic inhærere est incipere ab hac recipi.

Dices, hęc dicere diuersos respectus; nam vnũ dicit respectum ad causam efficientem, & aliud ad causam materialem. Respondeo Primò, inde non sequi, ea non dicere simul aliquid saltem ex parte omnino idem, atque ita ex parte saltem includere se mutuò in intrinseco conceptu. Respondeo Secundò, Etsi vnum explicitè dicat respectum quem alterum non dicit explicitè, tamen vtrumque eosdem respectus dicit implicitè, licet diuerso ordine. nam sicut calefacere dicit aliquod agens calefacere, ita calefieri dicit ab aliquo calefieri.

98 Sequitur Quintò, inter ea, quorum vnum se tenet ex parte agentis, & alterum ex parte patientis, vnum alio posse esse prius natura. Primò, quia si, vt iam ostendi, hæc possunt esse simul natura, nulla est ratio cur nequeant etiam inter se esse priora aut posteriora natura. Secũdò, quia quando vnum ita supponit aliud, vt nequeat fine eo esse, siue ita vt de facto hoc sit illius causa, & tamen hoc nullo modo supponit illud, certum est hoc illo esse prius, vt apertè patet ex dictis nu. 89. & 90. Atqui duo, quorum vnum se tenet ex parte agentis, & alterum ex parte passi, possunt se dicto modo inter se habere: ergo vnum ex his potest altero esse prius natura. Minor probatur: quia aquam in se recipere calorem ab igne productum necessariò supponit ignem esse, & habere vim calefaciendi, & hæc sunt verè causa non modò cur calor producatur, sed etiam cur in aqua recipiatur: & secundùm se nullo modo hanc receptionem supponunt, aut ab ea pendent; cùm tamen vis productiua sit ex parte agentis, & receptio caloris ex parte patientis. his autem positis facile erit propositam difficultatem soluere.

99 Conclvsio I. Actus caritatis siue cõtritionis primo quo peccator se disponit ad gratiam siue caritatem recipiendam instanti, nullo modo producitur ab habitu caritatis; sed à sola potentia adiuta singulari Dei auxilio actuali supplente defectum habitus: nec hic priùs natura infunditur, quàm ille eliciatur. Ita Halens. 3. p. q. 73 memb. 3. Bonau. in 4. d. 17. 1. p. dist. a. 2. q. 2. Molina in sua Concordia qu. 14. ar. 13. disp. 44. Vega l. 6. in Trident. c. 28. & sequent.

Halensis. Bonauent. Molina. Vega.

Sequitur apertè ex dictis, vbi ostendi id quod subiectum disponit ad aliquam formam, nullo modo posse ab hac primò produci: nec duas res secundùm idem suum esse reale posse sibi mutuo esse causas, aut se mutuo vicissim priores natura. Deinde probatur Primò, quia gratia habitualis non potest producere contritionem nisi actu sit, & quidem priùs natura quã sit contritio, sicut potentia visiua est necessariò priùs natura sua visione; & consequenter in illo priore naturæ contritio nondum est; quomodo ergo potuit tunc disponere subiectum ad gratiæ susceptionem? certè hoc non potest magis fieri quàm fieri possit vt visio videntem disponat ad susceptionem potentiæ visiuæ.

Respondent aliqui contritionem non disponere ad gratiæ productionem & infusionem, quæ se tenent ex parte agentis, sed ad eius receptionem, quæ se tenet ex parte passi: atque ita supponere quidem gratiæ productionem & infusionem, non tamen eius receptionem. Sed vt hæc responsio habeat aliquam probabilitatem necessariò debet supponere quorumdam opinionem dicentium gratiam habitualem priùs natura à Deo produci quàm animæ inhæreat. Quos meritò refutat Vasquez 1. 2. disput. 111. n. 39. quia gratia non producitur nisi nobis inhærens, atque ita simul natura est producta, & nobis inhæret. quod multò magis debet intelligi de infusione gratiæ: nam hæc in intrinseco suo conceptu connotat nos eam recipere; ideoque simul omnino natura & conceptu sunt gratiam nobis infundi, & nos eam recipere, vt ostendi num. 97. ideoque qua ratione contritio disponit ad gratiæ receptionem, eadem disponit ad eius infusionem, vt etiam ostendi num. 87. His adde, voluntatem non agere vnà cum habitu nisi eam priùs natura in se receperit.

Gratia non est priùs quàm nobis inhæreat.

Vasquez.

Probatur Secundò, quia ex contraria sententia sequitur Primò, actionem liberam qua talem esse natura priorem sua causa efficiente, scilicet gratia, à qua procedit. Secundò, dispositionem qua talem esse natura posteriorẽ forma siue gratia habituali ad quam disponit. Tertiò, eandem rem sub eadem ratione esse eadem gratia priorem & posteriorem. Quartò, idem secundùm idem esse reale esse causam suiipsius. Hæc autem sunt apertè absurda: ergo etiam id, ex quo sequuntur, est absurdum. 100

Prima pars maioris probatur, quia dispositio est natura prior gratia habituali ad quam disponit, vt per se patet, & alij etiam concedunt: atqui secundùm illos actio libera qua talis, scilicet contritio liberè procedens à gratia habituali tamquam à sua causa efficiente, est dispositio ad eandem gratiam habitualem, à qua procedit: ergo actio libera, scilicet contritio qua talis, siue quatenus est actio libera, est natura prior suâ causâ, scilicet gratia habituali à qua procedit. Item secundùm illos dispositio ad gratiam habitualem est prior sua causa efficiente: atqui contritio quatenus est actio libera, est dispositio ad gratiam habitualem: ergo contritio quatenus est actio libera, est prior sua causa efficiẽte. Secunda pars probatur, quia contritio quatenus est actio libera, procedens à gratia habituali, est natura posterior ipsa gratia habituali, ad quam disponit: atqui contritio quatenus est dispositio ad gratiam habitualem, est actio libera ab eadem gratia procedens: ergo contritio quatenus est dispositio, est posterior natura gratia habituali ad quam disponit.

Tertia pars sequitur apertè ex dictis: quia secundùm illam sententiam contritio quatenus est dispositio ad gratiam, esset prior eadem gratia, vt probat prius argumentum; & simul quatenus est talis dispositio, esset posterior eadem gratia, vt probat 2. argumentum.

Quidam vt hæc argumenta effugiant, docent contritionem esse dispositionem ad gratiam, non quatenus est libera actio à gratia & libero arbi- 101

arbitrio procedens, sed præcisè quatenus est quædam qualitas voluntati inhærens.

Sed hoc dici nullo modo potest. Primò, quia D.Thom. Contritio nos disponit ad gratiam quatenus est libera actio.

D.Thomas 1.2.q.113.a.4.ad 1.& a.8. in corpore expressè docet, contritionem nos disponere ad iustificationem quatenus est motus liberi arbitrij. Secundò, quia repugnat Tridentino sess.6. c.6. vbi docet, nos disponi ad iustificationem dum liberè mouemur in Deum, siue per liberam nostram motionem in Deum: voluntas autem non mouetur liberè in Deum, quatenus præcisè recipit in se actionem, sed quatenus eam elicit. nam si voluntas aliquam volitionem ita in se reciperet, vt tamen eam non produceret, hæc ei nullo modo esset voluntaria, nec verè immediatè in se libera, sed vt summum immediatè, quatenus fortè in eius potestate esset eiusmodi receptionem impedire: qua ratione etiam susceptio gratiæ habitualis est ei libera. Omnino autem constat contritionem, qua ad gratiam disponimur, debere nobis in se immediatè esse liberam. Tertiò, quia aliàs sequeretur, contritionem nullo modo liberè ab aliquo peccatore elicitam ipsum sufficienter disponere ad iustitiam. quod apertè videtur repugnare Tridentino sup.c.5.& 6. vbi ad nostram iustificationē absolutè requirit, vt liberè nos ad eam disponamus. Item sess.14.c.4. de Sacramento pœnitentiæ ait: *Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* vbi apertè supponit, contritionem impetrare remissionem peccatorum, quod ab ea fieri nequit, nisi quatenus est actio libera.

Trident.

102 Dices, dicta loca Tridentini intelligenda esse non de contritione perfecta & vero actu caritatis; sed de contritione imperfecta, siue attritione, aliisque actibus fidei & spei hanc præcedentibus. Quia Concilium agit illis locis de dispositionibus requisitis vt quis cum Sacramento Baptismi aut Pœnitentiæ iustificetur, ad quod non est necessaria perfecta contritio aut actus caritatis, vt Conciliū dicto c.4.apertè docet. Sed hoc nullo modo satisfacit, quia etsi Conciliū dictis locis agat de iustificatione quæ fit per ea Sacramenta, tamē non agit de ea sola, sed generatim de omni omnino iustificatione, etiam ea quæ fit sine Sacramento. Quod patet Primò, quia aliàs nullibi ab eo esset definitum quòd iustificatio peccatoris extra Sacramentum prærequirat motum liberi arbitrij in Deum, aut quòd fiat per infusionem gratiæ; cùm enim nullo alio loco hæc definiat, si ea dictis locis (sub quibus comprehendo canones ijs capitibus respondentes) non definiat, nullibi ea definiet. Secundò, quia dicto c.4. dicit motum cōtritionis omni tempore, & consequenter etiam eo quod institutionem Baptismi ac Pœnitentiæ præcesserit, fuisse necessarium ad impetrandam remissionem peccatorum; quod pro hoc tempore nequit intelligi de contritione imperfecta. quia, vt ibidem inferiùs docet, hæc sine susceptione Sacramenti, non impetrat remissionem peccati.

103 Caritas habitualis infunditur

Ex quibus etiam infertur, id quod aliqui dicunt, caritatem peccatori non infundi, quia cōtritus est, sed vt conteratur, apertè verbis Concilij repugnare: nam hoc dicto c.4. apertè docet, peccatorem per contritionem impetrare remissionem peccati, & consequenter gratiæ habitualis siue caritatis infusionem, sine qua illa remissio numquam fit, vt docet Concilium sess. 6.c.7. Fieri autem nequit, vt nostra contritio impetret infusionem gratiæ, nisi hæc detur quia conterimur. Adde, dictos Auctores cùm admittant contritionem nos disponere ad gratiæ infusionem, & tamen simul dicant gratiam nobis non infundi, quia conterimur, sed vt conteramur, apertè sibi contradicere. Nam cùm omnis dispositio sit aliquo modo causa formæ ad quam disponit, & cur hæc in subiectum introducatur, & hac ratione non habeat se per modum finis, sed per modum medij ad illius infusionem prærequisiti; clarum est formam non infundi vt dispositio ponatur (quia sic dispositio esset finis formæ ad quam disponit) sed quia illa posita est.

peccatori nō vt conteratur, sed quia contritus est, Trident.

104 Dispositio est causa non solùm susceptionis, sed etiam inductionis ipsius formæ.

Dices, dispositionem subiecti non esse causam introductionis formæ, sed solùm susceptionis eiusdem in subiecto, quia hoc aptum & promptum reddit vt formam facilè suscipiat. Sed hoc dici non potest: nam id quod facilitat susceptionem formæ in subiecto, etiam facilitat eiusdem inductionem: & sicut bona subiecti dispositio est medium necessarium vt forma possit recipi in subiecto; ita est medium necessarium vt possit induci in subiectum: quia qua ratione sine ea dispositione forma nequit recipi in subiecto, eadem omnino sine ea nequit induci.

105 Demum probatur quarta pars illius maioris positæ n.100. Quia id quod est causa causæ, est causa effectus: atqui contritio est causa gratiæ habitualis, tamquam dispositio ad eam requisita, & tamquam eam impetrans, vt ostendi ex Tridentino suprà. Item secundùm aliam sententiam eadem contritio est effectus eiusdem gratiæ, quam dicto modo causat: ergo est causa sui ipsius, atque ita se ipsa absolutè natura prior, tamquam causa suo effectu: idque secundùm idem esse reale prout existit à parte rei.

106 Dices, idem fieri in causa finali, quia hæc est causa mediorum, & rursus media sunt causa ipsius. Item introductio caloris in aquam est causa formalis expulsionis siue amissionis frigoris: & hæc rursum est causa materialis introductionis caloris, nam disponit subiectum ad huius introductionem.

Respondeo, nego assumptum pro vtraque parte. nam finis non est causa mediorum prout existit à parte rei, siue secundùm esse suum reale, quo actu existit: sed secundū esse obiectiuum & possibile; secundùm quod non causatur à medijs, sed ab ijs solùm causatur secundùm esse reale, prout postea existit à parte rei. nihil autem est incommodi aliquid existere secundùm esse obiectiuum antequam producatur à parte rei. Similiter expulsio siue amissio frigoris in aqua non est causa introductionis caloris, nec aquam ad hanc disponit (quia sic deberet esse prior ipsa inductione caloris, & consequenter non causari ab ea) sed est conditio necessariò concomitans introductionem caloris, & effe-

Quomodo se habeat expulsio frigoris respectu inductionis caloris.

actus quasi formalis, non propriè introductionis caloris, sed ipsius caloris à quo frigus formaliter expellitur; introductio autem caloris sicut est via ad ipsum calorem, ita est via ad expulsionem frigoris.

107 Actus habitu intensior quomodo producatur.

Ex dictis demum patet solutio alterius dubij, scilicet quando aliquis elicit actum caritatis intensiorē suo habitu, atque ita meretur augmentum habitus, vtrùm tunc illa actio secundùm gradus quibus superat priorem habitum, producatur ab illo augmento superaddito? patet, inquam, respondendum esse negatiuè; quia cùm ille actus disponat subiectum ad hoc augmentum recipiendum, illudque de condigno mereatur, atque ita sit necessariò eo natura prior, nullo modo potest ab eo produci. sed totus actus producitur partim ab habitu priùs existente, partim à singulari Dei auxilio vnà cum potentia in dictum actum influente, & defectum intensioris habitus supplente; sicut totius habitus defectum supplet, quando carens habitu actum caritatis elicit.

108 Turrian.

Nota quosdam apud Turrian. 2.2. disput. 38. dub. 4. putare hac ex parte esse diuersam rationem habitus fidei: aiuntque etiamsi caritas non possit dici peccatori infundi priùs natura quàm conteratur; tamen secùs esse dicendum de habitu fidei, quem putant infideli conuertenti se ad Deum infundi antequam assensum fidei supernaturalem eliciat, quia hic priùs natura quàm eliciat hunc assensum, elicit actum fidei humanæ, quo iudicat fidei mysteria esse credibilia, & pium affectum voluntatis quo assensus fidei imperatur; quibus se ad suscipiendum habitum fidei satis disponit.

Habitus fidei non infunditur ante actum fidei.

Sed nec hoc videtur probabile, quia nullo fundamento nititur. nam illa fides humana siue iudicium ad assensum fidei prærequisitum cùm sit in substantia sua naturale, & versetur circa obiectum formale omnino distinctum ab obiecto fidei, nullo modo disponit ad habitum fidei in substantia supernaturalem: motus verò voluntatis etsi hanc disponat ad infusionem sui habitus, tamen non disponit intellectum ad infusionem habitus intellectualis: & cùm eliciatur à peccatore, non potest hunc de condigno mereri.

DVBIVM VIII.

Vtrùm actus caritatis disponens peccatorem ad habitus infusionem, reliquo tempore, quo infuso iam habitu durat, effectiuè ab ipso habitu conseruetur?

109

COnstat in eorum sententia, qui dicunt eum actum primo instanti produci ab ipso habitu, respondendum esse affirmatiuè; sed difficultas procedit in nostra sententia, siue posito quòd contritio primo suo instanti non producatur ab habitu. Quidam enim apud Turrian. 2.2. disput. 38. dub. 3. putant eo casu actum non conseruari ab ipso habitu, sed ab ijsdem causis, à quibus antè fuit productus. Quia actus siue res producta pendet à potentia productiua, vel per suam essentiam, sine actione media distincta à termino, vel media actione distincta: atqui neutro modo actus potest conseruari ab habitu à quo non est productus: ergo, &c. Minor probatur. Quia si prius dicatur, tunc ille actus essentialiter dependebit à prioribus suis causis, & consequenter hæc dependentia non poterit mutari, nisi mutetur ipse actus. Quòd si secundum dicatur, tunc saltem actus non poterit incipere conseruari ab illo habitu nisi mutetur actio; videtur autem esse contra rectam philosophiam, quòd eadē res secundùm idem suum esse incipiat conseruari alia actione, corrupta priore, qua producebatur.

Turrian.

110

Sed hic modus philosophandi videtur mihi in duobus aperte falli. Primò enim supponit eos, qui negant actionem esse modum aliquem à parte rei distinctum ab agente & termino, dicere rem productam essentialiter pēdere à suis causis, à quibus de facto iam producitur, ita vt nequeat omnino eadem ab alijs produci aut conseruari. quod credo nemini vnquam horum Auctorum in mentem venisse: nec potuerunt hoc dicere, nisi diuinam negando potentiam. Quis enim vnquam Catholicus dubitauit an Deus possit se solo idem numero lumen producere, aut conseruare, quod iam à sole producitur ac conseruatur; aut eundem numero equū creare, qui iam ab alio equo generatur? Et sicut hæc longè diuersa sunt: *Potentia visiua immediatè per suam substantiam siue essentiam hanc visionem producit; & Ipsa essentialiter eam producit, ita vt sit de eius essentia hanc visionem producere*: ita etiam hæc sunt longè diuersa: *Hæc visio immediatè per suam substantiam inproduci hic & nunc pendet à potentia visiua, à qua producitur; &, Essentialiter ab ea pendet.* & secundum potest facilè separari à priore: nam etsi res necessariò immediatè in sua substantia pendeat in produci ab aliqua causa; non tamen necessariò pendet ab hac vel illa, sed ab aliqua in genere; & quod hic & nunc potiùs pendeat siue producatur ab hac, quàm ab alia, præcipuè prouenit à varijs circumstantijs, ratione quarum potest produci potiùs ab hac causa, quàm ab alia; quamuis in omnibus circumstantijs Deus possit rem quamuis solus producere, & res quæuis ab eo essentialiter in produci & conseruari, saltem tamquam à causa partiali dependeat: quia implicat aliquam sine eius concursu produci.

Aliud est aliquid ab alio pendere immediatè per suam substantiam; aliud ipsum essentialiter ab eo pendere.

Quæuis res à solo Deo essentialiter pendet.

111

Supponit Secundò, esse cōtra philosophiam, aut communem rerum cursum ac operandi modum, eandem rem ab alijs causis produci, & ab alijs conseruari, & consequenter (præsertim secundùm sententiam eorum, qui distinguunt actionem modaliter ab agente & termino) alia actione rem produci & alia conseruari. Quod tamen clarè potest ostendi esse vsitatissimum, atque adeò necessarium, ne causarum communis modus operandi inuertatur. Pro quo suppono hic, quod suprà disp. 5. n. 42. & 43. satis probaui, scilicet duas causas partiales sæpè ita concurrere ad eundem numero effectum, vt hic totus à singulis producatur, nec sit in eo assignare vllam partem quæ producatur ab vna, & non ab alia. Vbi etiam ostendi id fieri, quando

Eadem res potest ab vna causa produci, & ab alia conseruari.

duæ

duæ candelæ producunt simul aliquod lumen, præsertim in aliquo puncto æqualiter ab vtraque distante. Ponamus igitur primò, vnam candelam in puncto A distante duobus pedibus producere lumen vt 3. & deinde ei addi alterã candelam æqualiter luminosam, & æqualiter ab eo puncto distantem, quæ simul cum ea in puncto producet lumen, v.c. vt 4. vel 5. ita vt totum lumen secundùm omnes suos gradus ab vtraque producatur. Quo casu illud lumen secundùm priores tres gradus primò producetur ab vna sola candela, & postea producetur siue conseruabitur à duabus, & si prior candela auferatur manente secunda, tunc totum conseruabitur à causa planè distincta à priore. Item, quando aqua calefacta ab vno igne deinde admouetur alteri, calor ab vno productus ab alio conseruabitur: & consequenter actione distincta, præsertim in sententia distinguentium actionem modaliter à termino, prout eam distinguunt ij contra quos agimus. Innumera autem eiusmodi exempla quotidie accidunt.

112 Dices, esse distinctum lumen quod initio ab vna candela producebatur, ab eo quod postea ab vtraque, aut ab vna sola producitur. Sed hoc dici nullo modo potest. Primò, quia nulla est causa cur lumen ab vna candela productum aduenientе secunda corrumpatur. cùm hoc necessariò deberet fieri ob defectum, aut subiecti, aut causæ producentis. quorum neutrum hîc potest assignari: nam manet idem subiectum, & causa eadem producens, scilicet prior candela, nec per hoc quòd ab altera iuuetur, redditur impotens suum effectum conseruare; sed fit potens eum magis perficere. Et quamuis in priore exemplo ea responsio posset habere aliquâ apparentiam probabilitatis; patet tamen eam secundo exemplo nullo modo conuenire posse: nimis enim clarum est esse eundem calorem, qui primò ab vno igne in aqua producitur, & postea per alterum in ea conseruatur. Quod cùm cõsentaneè naturis rerum fiat, nulla potest reddi ratio cur simili modo non possit consentaneè suæ naturæ, actus caritatis primò produci à potentia cum singulari Dei concursu supplente defectum habitus, & deinde infuso habitu ab hoc simul cum potentia continuari siue conseruari.

Lumen ab vna candela productum nequit corrumpi accessione secundæ.

113 Conclvsio. Omnino dicendum est, etiam posita sententia quam dub. 7. defendi, habitum posteriùs natura ipso actu infusum, sequenti tempore vnà cum ipsa potentia eundem effectiuè continuare siue conseruare. Ita Molina in sua Concordia q. 14. art. 13. disp. 44. sub finem, §. *Illud postremò.* Probatur Primò, quia, vt iam ostendi, hoc connaturaliter & secundùm causarum communem modum operandi fieri potest, nec hîc est vlla ratio cur id negemus fieri. Secundò, quia, vt ostendi dub. 5. quoties potentia influit in aliquem actum, habitus ei inhærens necessariò etiam in eundem influit, si potentia propter ipsius obiectum formale operetur: atqui voluntas in illo posteriori tempore pergit elicere actum caritatis propter obiectum formale habitus caritatis sibi inhærentis: ergo hic tunc simul cum ea necessariò in eundem actum influit, nisi à Deo impediatur. quod sine vllo fundamento fingeretur fieri. Quare tunc Deus desinit eum potentia singulari illo concursu supplente defectum habitus concurrere, cùm hoc iam nullo modo sit necessarium, imò esset superfluum: nam potentia simul cum suo habitu & concursu Dei generali est sufficiens principium sui actus.

Molina.

Præsente habitu Deus subtrahit suũ concursum, quo priùs eius defectũ supplebat.

Peres, vtrùm tunc actus conseruetur distincta actione ab ea, qua antè fuit productus? Respondeo Primò, hanc actionem saltem ex parte semper esse eandem: quia voluntas ex parte sua in eum semper eodem modo influit; & hic ab illa semper eodem modo pendet. 114.

Vtrùm actio mutatis causis necessariò mutetur.

Respondeo Secundò, si actio modaliter distinguatur ab agente & termino, certum esse, actionem qua ille actus postea conseruatur, esse ex parte distinctam ab ea, qua initio producebatur: quia modus dependentiæ partialis qua actus in fieri dependebat à singulari Dei concursu, omnino esse desinit, & ipse accipit alium modum dependentiæ ab ipso habitu: vt fatentur qui hanc sententiam tenent.

Respondeo Tertiò, idem dicendum si actio identificetur ipsi agenti, prout multi volũt: quia sicut mutatur ex parte ipsum agens, ita secundùm hanc sententiam necessariò debet ex parte mutari actio.

Respondeo Quartò, Etsi dicamus actionem secundùm sua intrinseca nullo modo à parte rei distingui à suo termino, tamen verius est, eo casu dictam actionem ex parte esse aliam. Quia etsi res, quæ est actio, tũc nullo modo intrinsecè varietur, variatur tamẽ extrinsecè ratione alicuius respectus, quem actio essentialiter connotat, & consequenter mutatur in ratione actionis: sicut in Deo etsi eadem omnino simplicissima res sit idea leonis, & idea hominis; hæ tamen in ratione ideæ distinguuntur, & sunt diuersæ. Ratio est, quia, etsi secundùm eam sententiam res immediatè per se dependeat à suis causis, & hæc dependentia nihil sit verè à parte rei distinctum ab ipsa rei substantia; tamen hæc dependentia non est ipsa res nudè secundùm se considerata (quia alius omnino est conceptus actionis, alius verò conceptus ipsius rei) sed est res dependens, siue vt inuoluens quemdam respectum ad causam, à qua ipsa producitur aut conseruatur. Qui respectus quatenus concipitur distinctus ab ipsa re, nihil propriè dicit reale, sed denominationem extrinsecam ad ipsum agens, à quo res dependet: sicut agens vt habeat rationem agentis, necessariò inuoluit quẽdam respectum ad effectum. Quia autẽ actio qua talis, essentialiter illũ respectum connotat, hoc variato, etiam ipsa necessariò variatur. Sicut quia idea in Deo non dicit nudam essentiam secũdùm se consideratam, sed prout hæc respicit rem, cuius ipsa est idea, siue quam repræsentat, ideo ideæ in Deo multiplicantur, secundùm varios respectus, quos essentia ad varias res dicit, eas ita repræsentando. 115

Quæ autem ex his sententijs sit probabilior, aliàs fauente Deo tractabimus, sed ad præsentem difficultatem est impertinens, cùm secundùm omnes sententias nostra conclusio facilè possit defendi.

DISPV-

DISPVTATIO VII.

De causis habituum supernaturalium.

CVM disputatione precedente disputatum sit, qualis sit natura habituum supernaturalium, ac eorum inter se connexio, & qua ratione actus supernaturales ab ijs producantur: hac disputatione explicandum est, qua ratione ipsi producantur ab actibus supernaturalibus, an physicè, an verò solùm meritoriè. Vt autem quæ hac de re dicenda sunt, fiant clariora, priùs breuiter explicandum est, qua ratione habitus naturales à nostris actibus producantur.

DVBIVM I.

Vtrùm habitus acquisiti producantur ab actibus tamquam à suis causis efficientibus?

1 *Durand.* DVrandus in 3.d.33.qu.3.lit.I. docet, habitus acquisitos immediatè effectiuè produci ab ipsa potentia; actus verò solùm disponere potentiam, vt possit habitum in se producere; sicut mollities disponit ceram, vt in ea possit imprimi sigillum.

Mart. de Magistris. *Buridanus.* Eandem sententiam ex parte tenent Martinus de Magistris, & quidam commentator Aristotelis, quos citat & sequitur Buridanus in 2. Ethic.c.3.q.1.disp.2. Qui dicunt potentiam propriè producere ipsum habitum, & actiones esse solùm viam ad producendum habitum. Probat *Durandus.* Durandus suam sententiam: quia causa æquiuoca alicuius rei non potest vicissim à re eiusdem speciei produci, quia ipsa debet esse perfectior re quam producit: sed habitus est causa æquiuoca ipsius actus: ergo nequit ab actibus eiusdem speciei produci.

2 Ad hoc argumentum quidam respondent, habitum acquisitum non producere efficienter ipsam substantiam actus, sed solùm quemdam modum facilitatis. idque probant, quia cùm potentia sit sufficiens principium sui actus, quoad substantiam frustra daretur aliud principium eiusdem productiuum; frustra enim fit per plura quod fieri potest per pauciora. Sed tã hæc responsio quàm eius probatio mihi semper sunt visa difficilia. Primò, quia non videtur posse concipi aut explicari, quid sit ille modus in ipso actu, qui à particulari causa debet produci. Item nequit sufficiens reddi ratio, cur cùm potentia possit producere ipsum actum, non possit tamen producere hunc modum.

Facilitas operationis non est modus ab ea distinctus. Secũdò, quia quòd aliquid facilè aut difficulter ab aliquo producatur, sæpè nõ tam prouenit ex variatione ipsius effectus, quàm ex variatione causæ. Nam quando aliquis habens præcisè vires vt sex, eleuat pondus vt sex, id toto conatu & difficulter facit; si eius vires crescant vt 12. & leuet illud pondus eadem planè celeritate, id faciliter facit, non propter vllam varietatem effectus, sed præcisè propter variationem virtutis efficientis. similiter si habenti præcisè vires vt sex, accedat alius habens vires vt sex, simulque leuent hoc pondus eadem omnino celeritate, secundus facilitabit prioris actionem, non producendo in ipso effectu aliquem nouum modum, sed concurrendo ad substantiam ipsius actus. quia nulla est ratio cur ille modus producatur potiùs ab vno quàm ab alio.

Tertiò, quia sicut duæ candelæ in eadem distantia producunt lumen perfectius siue intensius, quàm vna potest producere, ita potentia cum habitu eodem conatu ac ceteris paribus producit in se actum perfectiorem: atqui hæc perfectio non est modus aliquis, sed pertinet ad substantiam ipsius actus (non quidem ita vt qualitas dum intenditur fiat substantialiter omnino alia, sed quòd substantialiter, siue secundùm aliquid ad suam integralem substantiam pertinens varietur, sicut quando homo crescit.) nam sicut in lumine, ita etiam in actu, qui intenditur, tertius & quartus gradus non minùs pertinent ad substantiam rei quæ intenditur, quàm primus aut secundus: ergo habitus non concurrit solùm ad modum aliquem actionis, sed ad ipsius substantiam; præsertim cùm non sit probabile, potentiam producere vnam partem illius actus, & habitum aliam; sed sicut illud lumen secundùm omnes suas partes producitur ab vtraque candela, ita actus secundùm omnes suas partes producitur simul à potentia & ab habitu. 3 *Habitus cõcurrit ad substantiã actus producti.*

Et hoc omnino videtur dicendum, nisi velimus negare communem sententiam, scilicet habitum acquisitum concurrere effectiuè ad productionem actus; ac dicere ipsum solùm esse dispositionem ex parte potentiæ requisitam vt hæc possit promptè ac facilè agere, sicut approximatio obiecti est causa cur potentia faciliùs & perfectiùs agat. quod, vt dixi, communi sententiæ repugnat, nec sufficienter probari potest.

Ad argumentum tamen Durandi facilè aliter responderi potest, maiorem solùm esse verã in causis totalibus, in quibus causa debet formaliter vel eminenter continere totam perfectionem effectus; secùs verò esse in causis partialibus, in quibus singulæ non debent continere totam perfectionem effectus, sed sufficit quòd simul iunctæ eam contineant. hinc duæ virtutes leuandi vt sex possunt leuare pondus vt 11. vel 12. Etsi autem habitus secundùm se esset imperfectior ipso actu, simul tamen cum potentia constitueret aliquid perfectius ipso actu: non solùm in entitate (quod hîc non sufficit) sed etiam in ratione virtutis agendi. 4 *Causa æquiuoca totalis nequit produci à causa eiusdem speciei cum suo effectu, secùs est de partialibus.*

Alia tamen ratione videtur supradicta sentẽtia 5

tia posse probari. Quia si solus actus esset causa effectiua habitus, sequeretur Primò, ipsum producturum habitum, etsi potētia per ipsum verè non ageret, nec hic ab illa produceretur, sed solùm modo mortuo eidem inhęreret, vt contingeret si Deus solus eum in potentia produceret hac se solùm passiuè habente. Sequeretur Secundò, quoties actus in ratione entis æquè perfectus in potentia quacumque ratione poneretur, ipsum æquè perfectum producturum habitum, præsertim quoties non impediretur maiore aliqua contraria dispositione: atqui hæc sunt falsa: ergo etiam illud vnde sequuntur. Minor probatur Primò, quia habitus debent acquiri operando: in priore autem illo casu potentia non operaretur. Secundò, experiētia docet habitum non tam augeri perfectione ipsius actus secundùm suam entitatem, quàm magnitudine conatus ipsius potentiæ: quo enim quisque plus conatur vt aliquem actum perfectè faciat, eo cęteris paribus maiorem in eo postea producendo facilitatem acquirit. Docet autem hoc experientia Primò, iniis qui discunt scribere; ponamus enim magistrū habere duos discipulos naturaliter æquè aptos ad scribendi artē, & vnius apprehensa manu simul cum eo formare perfectos characteres, discipulo languidè in id conante; contrà verò alterum per se magno conatu formare characteres ad exemplar præceptoris sibi propositum longè imperfectiores illis aliis. Item ponamus vtrumque æqualiter applicare intellectum vt videat quomodo characteres sint formandi: prior sine dubio formabit characteres meliores; atque ita manus ipsius motio erit perfectior in ordine ad eos formandos, & tamen secundus longè plus proficiet. Imò si prior numquam aliter disceret scribere, numquam acquireret habitum bene scribendi. Nec refert quòd ars scribendi non sit fortè verus habitus: quia est saltem aliquid simile, & ferè eodem modo acquiritur atque veri habitus.

Magnitudo conatus plus iuuat ad acquirendum habitum, quàm perfectus actus.

6 Secundò, si duo æqualiter natura sua ad aliquam virtutem moralem propensi, eiusdem quisque duos vel tres actus eliceret; ita tamen vt vnus propter graues aliquas difficultates quas ob tentationes dæmonis, aut ob similem aliquam causam ab extrinseco prouenientem experiretur, magno conatu actus remissos eliceret; alter autem, quia tunc fortè ratione circumstantiarum nullam in operando sentiret difficultatem, exiguo conatu actus secundùm entitatem paulò perfectiores eliceret: prior sine dubio maiorem habitum ac facilitatem eliciendi eiusmodi actus acquireret quàm secundus, & cessante postea ea difficultate multò faciliùs eodem conatu perfectiores actus eliceret.

Tertiò, videmus sæpè aliquos initio suę cōuersionis aut ingressionis in Religionē, dum Deus eos multis gratiis præuenit, & ad opera pietatis excitat, magna facilitate & exiguo labore quædam opera excellentia facere, & quandoque feruentes virtutum affectus elicere; & nihilominus longè minùs in virtute proficere alijs, qui magnam vim naturæ suæ inferendo toto nisu ad virtutem contēdunt, & tamen quia carent tam abundantibus gratijs, aut quia alias ob causas magnam in exercitio virtutum, ac earum affectibus in se excitandis difficultatem sentiunt, magno conatu & labore eiusmodi affectus minùs intensos eliciunt, ac opera secundùm entitatem minùs perfecta faciunt. Quòd si tamen postea vtrique in ijsdem circumstantijs constituantur, hi longè perfectiùs & faciliùs circa eiusmodi obiecta operantur, quàm illi, qui deserti postea ab illa copiosa gratia, valdè languidè ac remissè operantur, & occurrentes difficultates difficillimè superant, & sæpiùs ab ijs vincuntur. Vnde clarè patet, secundos, ob maiorem conatum actibus physicè siue in entitate sua imperfectioribus, longè maiorem habitum sibi comparasse. Quod videtur fore falsum, si habitus produceretur immediatè à solis actibus; quia quo hi in entitate sua essent perfectiores, eo perfectiùs operarentur, & consequenter perfectiorem habitum producerent.

Hæ similesque rationes videntur illam sententiam reddere vtcumque probabilem: vt tamen defendi possit, alia ratione explicanda est; ita vt actio non censeatur esse dispositio ad habitus receptionem, sicut mollities in cera hanc disponit ad receptionem sigilli: sed potiùs vt sit quædam conditio requisita ex parte agentis, siue potentiæ habitum in se producentis, sicut in brachio proijcientis lapidem necessariò requiritur motio, vt possit lapidem proijcere. videtur enim operatio potentiæ prærequisita ad productionem habitus, eodem modo se habere sicut se habet motio brachij ad proiectionem lapidis. nam sicut proijciens lapidem nequit in hoc producere impetum, nisi priùs moueat brachium; ita potentia nequit in se producere habitum, nisi in se producat actum, quo in illius obiectum tendat. 7

Dices, Hinc sequetur, productionem habitus esse actum vitalem. Respondeo Primò, si quis totum concedat, non facilè posse probari hoc esse absurdum, nisi à communi sensu eorum qui negant habitum produci immediatè à potentia, qui non conuincit illud esse absurdum. Respondeo Secundò, nego hoc sequi: nam vt aliqua actio sit vitalis, non sufficit quòd quacumque ratione à viuente procedat, sed debet ab eo procedere per se & directè qua viuēs est. productio autem habitus eo casu non procederet à viuente directè, & per se; nam potentia directè & per se producit solum actum, & in eo casu solùm consecutiuè, & quasi præter intentionem habitum produceret: sicut qui ob alium finem se celeriter mouet, producit in se calorem. Si quis autem velit contendere, vt actio sit vitalis, sufficere quòd immediatè procedat à potentia viuente; erit quæstio de nomine: & tunc consequenter poterit productio habitus dici actio vitalis, sicut nutritio, & similia. Atque hac ratione explicata dicta sententia posset facilè defendi. Quia tamen sententia ferè communis docet, habitum immediatè produci per actum, non puto facilè ab ea recedendum, cùm benè explicata etiam possit facilè defendi. vt ex dicendis patebit.

An productio habitus sit actio vitalis.

Nota igitur Primò, actum vitalem dupliciter 8

ter posse considerari: Primò, præcisè quatenus est quædam qualitas potentiæ inhærens: qua ratione posset à solo Deo in ea produci, ita vt ipsa hûc nullo modo perciperet, sicut habitus infusi in ea producuntur. Secundò, quatenus ipsâ potentiam sensibiliter afficit, ipsaque per eum vitaliter tendit in obiectum: ad quod requiritur vt actus ab ea effectiuè procedat. nam si solus Deus in voluntate produceret amorem alicuius rei, voluntas per eum nullo modo amaret, nec in illud obiectum tenderet. Aliàs enim sequeretur, eo casu voluntatem verè aliquid velle per actionem sibi nullo modo vitalem aut voluntariam; nam actio nequit voluntati esse voluntaria aut vitalis, nisi ab ea procedat: illa autem sunt apertè absurda.

Potentia nequit velle aut intelligere per actum à se nõ productum.

Quidam tenentes contrarium, scilicet vt per eiusmodi actum aliquid velimus sufficere quòd ipse voluntati nostræ inhæreat, respondent implicare Deum se solo producere amorem in voluntate: idque probant argumentis iam allatis. Sed illud non potest probabiliter dici. nam nulla vel probabilis ratio adferri potest, cur Deus aut nequeat solus eiusmodi qualitatem producere tam bene quàm aliam quamuis creaturam: aut cur nequeat eam producere in voluntate, cùm naturaliter postulet huic inhærere. Nec illud ex dictis argumentis vllo modo sequitur, sed solùm id quod suprà ex iis intulimus; scilicet quòd voluntas per eiusmodi actum nullo modo vellet.

9 Habitus est vestigium actus, & habitualis potentiæ inclinatio.

Nota Secundò, habitum esse quoddam vestigium ipsius actus ab hoc in potentia relictum, ac impressum, eamque inclinans in obiectum ipsius actus, vt similes actus eliciat. Sicut enim actus actualiter & transeunter formaliter inclinat ac mouet potentiam in suum obiectum; ita habitus est quædam habitualis inclinatio, potentiam quantum est ex parte sua continuò mouens in idem obiectum, præsertim quando hoc ei obiicitur. Nam experimur quando frequenter aliquos actus circa aliquod obiectum elicuimus, nos paulatim magis & magis ad similes actus exercendos inclinari; & præsente obiecto, quodammodo violenter in id rapi, ita vt debeamus sæpè nobis vim inferre, vt ab eiusmodi actibus abstineamus; ad quos tamen sæpè ante eiusmodi contractum habitum nullam sentiebamus inclinationem. Habet se igitur habitus in potentia, quodammodo sicut plica in charta; quæ est vestigium actualis plicationis: hæc enim in charta sibi antè resistente relinquit quoddam sui vestigium & permanentem inclinationem ad similes plicationes: ita vt charta postea valdè facilè eo modo plicetur; atque adeò sæpè sponte sua nisi cohibeatur.

10 Qua ratione actus producat habitum.

Dicendum igitur, actum producere immediatè habitum in ipsa potentia, non quatenus consideratur præcisè vt qualitas ei inhærens; sed quatenus vitaliter ab ea procedit, eamque sensibiliter afficit. hinc quo potentiam magis sensibiliter afficit, eamque maiore impetu ac conatu facit tendere in obiectum, eo maiorem in ea habitum producit. Et hoc solùm probant argumenta allata num.5.& 6 & exemplum n.7. aliatum de sigillo. vtitur enim potentia suo actu vt sigillo, vt sibi eius vestigium imprimat; ideoque sicut sigillo debet priùs imprimi vis vt ceræ suum vestigium imprimat, sic potentia vt in se habitum exprimat, debet priùs suo actui quasi vim imprimere; quod facit dum magno conatu eum elicit. Sicut autem vt actus sit vitalis, aut sensibiliter potentiam afficiat, debet ab ea procedere; ita quò potentia conatu ex parte sua maiore eum actum elicit, sicut reddit eum aliquo modo magis sensibilem, ita maiorem ei vim addit ad imprimendum sui vestigium.

11 Diuersitas in productione habitus voluntatis & intellectus.

Nota Tertiò, hîc aliquam distinctionem esse ponẽdam inter actus aut habitus potẽtiæ intellectiuæ vel apprehensiuæ, & inter actus voluntatis seu potentiæ appetitiuæ: nam, vt iam ostẽdi, in his præcipuè gignitur aut augetur habitus per vehemẽtem earum conatum in obiectum; contrà verò in prioribus potentijs per claram ac expressam rei apprehensionem, qua clarè ac viuaciter sibi eam proponunt: quia hac ratione rem apprehensam siue eius apprehensionem maximè sibi imprimunt. Cuius vlterior ratio est, quia tota difficultas quam intellectus patitur in re aliqua intelligẽda, quæq; per habitum potest tolli, prouenit ex eo quòd non possit eam sibi clarè proponere. hinc quæcumque ei clarè & appositè ad ipsius captum proponuntur, facilè intelligit; eaque communiter fortiter sibi imprimit, si non negligenter & per transitum, sed attentè & aliquanto tempore ea consideret. Secùs est in potentijs appetitiuis, in quibus omnis difficultas exercendi aliquem actum ferè nascitur ex earum inclinatione in contrarium; quæ vehementi contraria inclinatione superari debet, sicut baculus curuus vehementi inclinatione in contrarium suam curuitatem debet amittere, aut contrariam figuram accipere.

Aliunde intellectus, & aliunde voluntas in suis actibus difficultatem patiuntur.

DVBIVM II.

Vtrùm actus in substantia supernaturales effectiuè concurrant ad productionem vel augmentum habituum supernaturalium?

12 Habitus infusi non producuntur ab actibus. *Trident.*

NOta, inter Doctores satis constare eiusmodi actus effectiuè nec producere nec augere habitus in substantia supernaturales; & de fide, spe & caritate, Concilia præsertim Tridentinum satis apertè hoc innuunt, dum docent hæc nobis à Deo infundi, nosque ea nobis à Deo infusa accipere, & ad eorum receptionem per nostros actus nos disponere: vt ostendi suprà disp.6.dub.1. Quibus verbis satis apertè insinuatur, nos ad eorum productionem non concurrere effectiuè; sed per nostros actus nos solùm disponere. Et aliàs sequeretur, nos nosipsos effectiuè iustificare: nam mediantibus nostris actibus produceremus in nobis formam iustificantem, scilicet habitum caritatis. quod repugnat apertè Trident. sess.6.c.7. Vbi apertè insinuat, solum Deum esse causam efficientem nostræ iustificationis. Et inde inferiùs infert, nos

nos in iustificatione fidem, spem & caritatem nobis à Deo infusa accipere; apertè ostendens nos per hæc iustificari: & solum Deum ea in nobis efficere. vide plura hac de re dicta disp.6. dub.1. vbi ostēdi, videri esse de fide quòd Deus nobis eos habitus infundat. Quare communiter ferè Doctores in hoc conueniunt. Turrianus tamē 2.2.disp.46.du.7. tacito nomine citat quosdam docentes esse dubium an solus Deus in nobis hos habitus producat, & docentes, contrarium esse probabile. Item alios docētes, habitus quidem theologicos nobis à solo Deo infundi; habitus verò supernaturales virtutum moralium nostris actibus produci. Sed priores, vt suprà ostendi, satis apertè repugnant Tridentino: alij verò sine vllo fundamento id asserunt: nec enim est vlla ratio cur posteriores habitus (posito quòd hi sint supernaturales, prout esse ostendi disp.6. dub.2.) possint potiùs produci per nostros actus, quàm priores. Adde, vtrosque, vt infrà ostendam, etiam cum ipsa ratione pugnare.

Turrian.

13 Supposito igitur, dictos habitus non posse produci per nostros actus, tota difficultas est, quare id fieri nequeat: cùm enim videatur eadem proportio inter actus supernaturales & habitus supernaturales, quæ est inter actus naturales & habitus naturales, videntur illi eodem modo posse produci à suis actibus, sicut hi à suis actibus producuntur. nam sicut illi habitus sunt superioris cuiusdam ac diuini ordinis, ita etiam eorum actus: quare illo non obstante videtur sufficiens inter eos esse proportio, vt hi habitus possint à suis actibus produci. Qua de re, vt patet apud Turrian. sup. & Vasqu. 1.2.disp. 79.c.10. & Valentiam ibid.disp.4.q.3. puncto 4. variæ sunt sententiæ: hîc solùm vnam atque alteram adferam quæ videtur habere plus probabilitatis.

Turrian. Vasquez. Valentia.

14 Primò igitur quidam docent, huius rei causam esse, quia cùm hi habitus sint quædam formæ supernaturales, non continentur in potētia materiæ naturali; sed debent educi è potentia materiæ siue subiecti obedientiali. quod à solo Deo fieri potest.

Sed contrà Primò, hinc sequeretur, habitum supernaturalem simul cum potentia non posse producere actum supernaturalē, quia cùm hic sit forma in substātia supernaturalis, secundùm illam sententiam debet educi è potentia subiecti obedientiali, quod à solo Deo (vt aiunt) fieri potest. Respondent aliqui, actum supernaturalem immediatè inhærere ipsi habitui, atque ex eius potentia, cui naturalis est, educi. Sed hæc responsio supponit tria falsa. Primò, actum supernaturalem immediatè produci à solo habitu; quod clarè refutaui disp.5.dub.5. Secundò, contritionem qua peccator se ad gratiam disponit, elici ab habitu caritatis, & hunc ante illam potentiæ infundi; quod sufficienter refutaui disp.6.dub.7. Tertiò, supponit actum immediatè non inhærere potentiæ, sed soli habitui: quod & sine fundamento dicitur; & ex eo, ac præcedente suppositione sequeretur, habitum caritatis recipi in ipsa potentia priùs, quàm ipsa contritio in ea recipiatur: & consequenter priùs quàm hæc potentiam ad habitus receptionem disponat. nam antequam disponat potentiam, debet in ea recipi. si autem non inhæreat potentiæ nisi mediante habitu cui immediatè inhæret, hic necessariò debet priùs recipi in potentia, quàm actus eo mediante in ea possit recipi: dispositionem autem recipi in aliquo subiecto posteriùs natura, quàm in eo recipiatur ipsa forma, ad quam disponit, apertissimè implicat. Ex ijsdem alia etiam absurda sequerentur, quæ breuitatis causa hîc non refero, quia iam dicta ad illius responsionis refutationem sufficiunt.

Actus supernaturalis immediatè inhæret potentiæ.

15 Secundò, contra illam sententiā facit, quòd, vt ostendi suprà disp.4.n.17.& 18. eiusmodi habitus ideo præcisè sunt potentiæ supernaturales; quia ipsa nec eos ad suam conseruationem aut naturalem modum agendi necessariò requirit, nec potest eos acquirere per agēs aliquod merè naturale. atque adeò posito agente sufficienter potente eos producere, eam esse naturaliter potentem eos recipere, vt apertè etiam docet D. August. l. de Prædestin. c.1. vbi ait: *Proinde posse habere fidem, sicut posse habere caritatem, naturæ est hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere caritatem, gratiæ est fidelium.* Vbi, vt ostendi locis mox citatis, clarè docet potentiam naturaliter in se eos habitus siue actus supernaturales suscipere, posito quòd sit aliqua causa sufficiens eos producere.

Potentia naturaliter est apta in se recipere habitus supernaturales posito agēte eos producente. Augusti.

16 Secunda sententia huic affinis docet, ideo actum supernaturalem non posse producere habitum supernaturalem, quia potentia debet priùs supernaturaliter eleuari siue disponi, quàm possit in se recipere formam supernaturalem: ad habitum autem recipiendum nequit sufficienter disponi per actum: quia cùm hic sit diuersa qualitas, non disponit physicè ad ipsum habitum recipiendum. nec etiam potentia per priorem gradum habitus disponitur ad recipiendum. Secundò, quia habitus solùm disponit potentiam in ordine ad actum, non autem ad suum incrementum, siue ad gradum vlteriorem recipiendum.

17 Sed hæc etiam sententia satis refutatur ex dictis contra primam sententiam. Deinde contra eam facit Primò, quòd ex ea sequeretur, quòd potentia carens habitu infuso excitata sola gratia præuenienti secundùm modum supernaturali, cum singulari Dei concursu supplente defectum habitus, non posset elicere actum supernaturalem, quia non esset eleuata forma supernaturali ad eum suscipiendum: illud autem videtur improbabile: quia clarum est, quòd tunc aliquem actum posset elicere (nulla enim est ratio id negandi) & tamen hic non esset naturalis, quia procederet à virtute actiua supernaturali, scilicet à potentia adiuta tali concursu, quæ sine dubio constitueret virtutem agendi perfectiorem quàm sit potentia naturalis, & consequenter perfectiorem actum eliceret, quàm hæc per se posset elicere, & consequenter supernaturalem. Quòd si concedamus potentiam sine vlla dispositione supernaturali posse in se aliquam formam supernaturalem recipere, nihil est cur negemus eam ita posse recipere

habitum supernaturalem. Sequeretur Secundò, habitum non posse disponere voluntatem ad recipiendum in se actum supernaturalem: quia si actus ideo nequit eam disponere vt suscipiat habitum, quia est diuersa qualitas; nec habitus eam poterit disponere ad actum, quia etiam est diuersa qualitas. Adde, communiter omnem dispositionem ad aliquam formam esse diuersæ speciei à forma ad quam disponit: quare ex eo, quòd actus sit diuersæ speciei ab habitu, malè probatur, illum non posse potentiam

18 disponere ad hunc recipiendum.

Secundò, contra eam facit, quòd, etsi potentia indigeret dispositione supernaturali ad recipiendam in se formam supernaturalem; tamen cùm actus & habitus sint eiusdem ordinis quoad supernaturalitatē, & cùm sit mutua inter ea sympathia & aliqua connexio, dispositio prærequisita ad actum videtur omnino sufficere etiam ad habitum recipiendum. Item dispositio requisita ad primum gradum omnino sufficiēs erit ad receptionem secundi, nec vlla potest adferri probabilis ratio cur id negetur, præsertim quando in potentia nulla est qualitas vlteriori gradui repugnans, vt in præsenti casu accidit. Imò primus gradus subiectum disponit ad recipiendum secundum, & hic ad tertium; vt docet

D. Thom. D. Thomas 2.2. quæst. 24. a. 4. in corpore: vbi ait, crescente caritate hoc ipso crescere subiecti habilitatem ad vlterius incrementum.

19 Tertia sententia docet, ideo habitus supernaturales non posse effectiuè produci aut augeri per suos actus, quia sunt perfectiores suis actibus: nullum autem imperfectius potest producere aut effectiuè perficere aliquid se perfectius. Quòd autem tales habitus sint perfectiores suis actibus probant, quia eos effectiuè producunt; quod fieri non posset nisi ijs essent perfectiores. Et hanc sententiam tenent omnes qui docent, habitus acquisitos non posse effectiuè producere suos actus secundùm substantiam; quia res diuersæ speciei siue causæ æquiuocæ nequeunt se vicissim effectiuè producere etiam secundùm diuersa individua. Quam sententiam eiusque rationem refutaui suprà n. 4. vbi ostendi dicta solùm esse vera in causis totalibus, non autem in partialibus. & n. 2. vbi ostendi habitus acquisitos effectiuè concurrere ad substantiam sui actus producendam.

20 Deinde contra hanc sententiam facit, quòd, etsi concederemus ob dictam rationem actus supernaturales non posse producere aut augere habitus, à quibus secundùm substantiam producuntur; tamen non posset vlla probabilis reddi ratio, cur non producerent alios habitus dictis quidem imperfectiores; perfectiores tamen ijs quos producunt actus naturales, atque ita etiam in substantia supernaturales: hoc enim videtur necessariò dicendum, posito quòd actus possint esse immediatum principium suorum habituum. Quia perfectius principium producit perfectiorem effectum: atqui actus supernaturales sunt principium substantialiter perfectius, quàm sint naturales: ergo producunt effectus siue habitus substantialiter perfectiores.

Dices Primò, Inauditum est dari aliquos habitus medios inter infusos & acquisitos: ergo non sunt tales admittendi. Respondeo, nos hic non quærere, an dentur tales habitus, sed inuestigare rationem cur actus supernaturales tales non producant, quam illa sententia non reddit. 21

Dices Secundò, actus non producere habitus nisi similes ijs, à quibus producuntur: dicti autem actus non possent ab eiusmodi habitibus produci. Sed contrà, vel hoc ita intelligendum est, quòd actus nequeat producere habitum, nisi qui possit producere similes actus concurrendo effectiuè ad eorum substantiam; & hoc dicta sententia non admittit: quia illius Auctores putant habitus acquisitos non concurrere effectiuè ad productionem substantiæ suorum actuum, sed tantùm ad quemdam in ijs modum producendum. vel intelligendum est, quòd habitus ab actibus producti debeant posse concurrere ad similes actus producendos solùm quoad modum quemdam facilitatis: & nulla potest vel probabilis adferri ratio, cur eiusmodi habitus medij si darentur, non possent ita concurrere ad productionem actuum supernaturalium.

22 Vera igitur ratio cur actus supernaturales nequeant producere habitus supernaturales, pe- Ratio cur actus supernaturales nō producant habitus supernaturales. tenda est ex ijs, quæ dixi dub. 1. vbi ostendi, actū non aliter habere vim producendi habitum, quàm quatenus sensibiliter siue perceptibiliter afficit potentiam, & quatenus hæc perceptibiliter per eum tendit in obiectum. Quare cùm potentia ex parte sua non aliter influat in actus supernaturales quàm in naturales, nec illi eam sensibiliter aliter afficiant quàm hi, ita vt nullo modo possimus percipere an producamus actū supernaturalem, an verò solùm naturalem; sequitur, actus supernaturales non habere maiorem vim producendi habitus, quàm habeant actus naturales: & consequenter illos non producere perfectiores habitus, quàm hi possint producere qui sunt merè naturales. nam vt aliqua causa possit producere effectum perfectiorem quàm alia, non sufficit quòd illa sit perfectior in entitate, sed requiritur vt habeat perfectiorem vim agendi: vt autem iam ostendi, vis agendi in vtrisque actibus est par. ex quo principio etiam infrà probabo, tales actus producere habitus eiusdem rationis cum productis ab actibus naturalibus, & hos etiam pari modo intendere.

Ad rationes igitur contrarias propositas n. 13. & 20. Respondeo actus supernaturales in hac vita (de his enim solùm hîc agimus) nullam habere proportionem ad producendos habitus supernaturales; quia etsi sint principium supernaturale, & eiusdem ordinis cum ipsis habitibus infusis in ratione entitatis, non tamen in ratione principij siue virtutis agendi, in qua, vt iam ostendi, sunt omnino pares actibus naturalibus. 23 Actus supernaturales in virtute producendi habitum sunt æquales naturalibus.

Ex dictis apertè sequitur Primò, actus supernaturales non disponere potentiam physicè ad recipiendos habitus supernaturales; tum quia non videtur posse dari eiusmodi dispositio: nam, 24 Actus non disponit potentiā physicè ad receptionē habitus supernaturalis.

nam, vt ostendi num.15.& sequentibus, potentia nulla physica dispositione indiget, vt eiusmodi habitus in se recipiat, cùm naturâ suâ ad hoc sit satis disposita, nec habeat in se quidquam ijs physicè repugnans; atque ita non magis requirit ad eorum receptionem disponi, quàm aër ad receptionem luminis. Deinde, etsi posset ad eiusmodi dispositionem physicè disponi, hoc deberet fieri per aliquam sensibilem affectionem, vt patet ex dictis dub.1. Cùm igitur hi actus non aliter sensibiliter afficiant potentiam quàm naturales, non possunt eam aliter disponere, quàm hi.

Actus supernaturalis solùm moraliter concurrit ad productionem habitus supernaturalis.

Sequitur Secundò, actus supernaturales solùm moraliter concurrere ad infusionem habituum supernaturalium, scilicet aut per modum dispositionis moralis & meriti de congruo siue impetrationis in peccatoribus, & tamquam meritum de condigno in iustis.

DVBIVM III.

Vtrùm actus supernaturales producant habitus naturales similes iis, qui per actus naturales circa idem obiectum gignerentur.

25 QVidam id negant. Primò, quia sequeretur habitum productum per actus supernaturales remanere in homine deficiente ad hæresim. Secundò, quia actus non producunt habitus nisi similes ijs, à quibus possunt produci aut facilitari: atqui actus supernaturales non possunt produci aut facilitari ab habitibus naturalibus: ergo illi nequeunt eiusmodi habitus producere. Tertiò, quia actus scientiæ non producit habitum opinionis, sed solùm habitum scientiæ: ergo assensus fidei elicitus propter auctoritatem Dei, non gignit habitum credendi propter auctoritatem humanam.

26 Sed hærationes facilè soluũtur. Ad primam, concedo totum: nullum enim in eo est absurdum. Ad secundam, nego minorem. nam etsi habitus naturales per se non reddant potentiam idoneam vt sine auxilio supernaturali possit actus supernaturales elicere; efficiunt tamen vt adiuta eiusmodi auxilio actuali vel habituali, faciliùs eos eliciat, vt experientia docet: quod fieri poterit, etsi ipsi ad productionem horum actuum effectiuè physicè & immediatè non cõcurrant. Quia ad illud sufficit quòd potentiam formaliter inclinent ad eliciendum circa obiectum formale illorum actuum aliquem actum abstrahendo à naturali vel supernaturali: hoc ipso enim quo potentia ita inclinatur, faciliùs eiusmodi actum elicit, & quidem supernaturalem, si ad hoc habeat sufficientes vires ratione habitus supernaturalis sibi inhærentis, aut singularis Dei concursus. Qua ratione Suarez l.3. de Auxilijs cap.4.num.16 & multi alij docent, gratias præuenientes facilitare actum supernaturalem, & tamen non concurrere physicè & effectiuè ad eius productionem. An autem dicti habitus etiam effectiuè immediatè concurrant cum voluntate ad productionem actuum supernaturalium, non ita patet. Sed quamuis hoc ita fieri clarè probari non possit, posito tamen quòd ita concurrant ad productionem actuum naturalium, nulla est ratio quæ satis probet eos simili modo non concurrere ad productionem actuum supernaturalium: nam cùm potentia ex parte sua ad horum productionem eodem modo concurrat, atque ad actus naturales; non video cur illi habitus non possint simili ratione cum ea concurrere. Sed, vt iam ostendi, ad præsens dubium soluendum non est necessarium hoc asserere. quare vlteriùs id non discutio.

Habitus physicè productus per actus supernaturales potest manere in hæretico.

Habitus naturales facilitant potentiam in eliciendo cum gratia actus supernaturales.

Ad hoc non requiritur vt hos immediatè efficiãt.

Suarez.

Ad tertiam, concedo totum; quia nihil facit ad rem: nam dicta obiectio supponit, actum naturalem & supernaturalem necessariò semper differre obiecto formali. quod disput.5. dub.3. ostendi non esse verum.

27 CONCLVSIO. Actus supernaturales in hac vita generant in nobis habitus naturales similes ijs, quos per actus merè naturales circa idem obiectũ formale elicitos acquireremus. Ita Molina. *Molina.* *Bergomensis*
Molina 1.p.q.1.art.3. sub finem, & Bergomensis in Cõcordantiis locorũ D. Thom. dub.697. Prob. Primò, quia, vt iam ostendi, nulla est ratio id negandi. Secundò, quia, vt ostendi dub.1. actus producit habitus, quatenus potentia per eum sensibiliter mouetur, siue fertur in obiectum: atqui, vt ostendi dub.2. potentia eodem planè modo ex parte sua & quantum ad sensibilitatẽ attinet, fertur in obiectum per actum supernaturalem ac per naturalem: ergo vterque eodem modo in ea habitum gignit. Patet consequentia; quia vbi est eadem causa, sequitur idem effectus; vt autem patet ex dictis, vterque actus secundùm eam rationem, qua actus causant habitum, habet se eodem modo: & consequenter est eiusdem virtutis quoad hanc causationem.

Facilitatio actus probat habitum acquisitum.

Tertiò, quia patet experientia, iustos, qui sæpiùs se exercent in aliquo actu virtutis supernaturali, acquirere magnam in eius exercitio facilitatem. quod est apertum signum, eos acquirere habitum naturalem: ergo actus supernaturales huiusmodi habitum gignunt.

28 Ad hoc argumentum respondent aliqui Primò, habitum illum acquiri per actus naturales, quos habentes habitum supernaturalem sæpè circa eiusmodi obiecta eliciunt. Sed hoc dici non posse patet ex dictis disp.6. dub.5. concl.2. n.70. vbi ostendi, habentem habitum supernaturalem necessariò semper elicere actum supernaturalem, quoties circa obiectum illius habitus operatur. His adde, si habitus naturales possint facilitare actus supernaturales, nullam esse rationem cur negemus illos per hos produci, si versentur circa idem obiectum formale.

Alij respondent Secundò, eiusmodi habitus gigni per actus naturales habẽtes quidem idem obiectum materiale, non tamen formale. v.c. quando fidelis sæpè elicit actus fidei, non omnes elicit præcisè propter auctoritatem Dei, sed sæpè etiam ob motiua humana, qui actus gignunt habitum eliciendi alios similes. Isque habitus deinde iuuat ad eliciendos actus fidei diuinæ, siue propter auctoritatem Dei: non quidem directè, sed remouendo prohibens, aut effi-

efficiendo vt res credenda apprehendatur vt vera.

29 Sed contrà Primò, etsi huiusmodi habitus ea ratione posset aliquo modo actus fidei diuinæ reddere minùs difficiles, nullo modo tamen posset in eos directè inclinare. Experimur autem elicientem sæpè actus fidei diuinæ, sentire quamdam inclinationem vt eosdem data occasione propter diuinam auctoritatem eliciat, siue vt huic statim toto conatu adhæreat: quod fieri non potest nisi per habitum genitum ex actibus elicitis propter diuinam auctoritatem.

Secundò, ea responsio gratis omnino sumit, homines, præsertim pios & doctos, eiusmodi actus sæpè elicere ob rationes merè humanas: cùm tamen communiter explicitè intendant eos elicere ob auctoritatem Dei. Item supponit, eum qui sæpè eliceret eiusmodi actus præcisè ob auctoritatem Dei, & numquam ob rationes humanas, nullam acquisiturum facilitatem eiusmodi actus eliciendi: cùm tamen contrà videatur longè probabilius talem maiorem acquisiturum facilitatem & inclinationem ad eiusmodi actus, quàm si sæpiùs assentiretur iisdem mysteriis propter rationes humanas. Et aliàs ad acquirendam promptitudinem in eliciendis actibus fidei, aliarumq; virtutum theologicarum, præstaret potiùs circa earum obiecta materialia elicere actus ob diuersa obiecta formalia, quàm propter eorum obiectum formale proprium: quod apparet planè paradoxum, nec vllo modo suadendum in praxi.

30 Tertiò, quia etsi dicta responsio posset habere aliquam probabilitatem in assensu fidei, non tamen in actu caritatis: nam, vt ostendi disp. 5. dub. 3. non potest dari ratio secundùm quam Deus possit amari amore amicitiæ naturali, ob quam non possit etiam amari amore supernaturali. Idemque planè videtur dicendum de actu spei; nam secluta ignorantia, ob quodcumque obiectum formale possum honestè sperare beatitudinem actu naturali, ob eandem rationem possum eã sperare spe supernaturali, si habitum spei habeam. vt suo loco infrà magis patebit.

Idem est obiectum caritatis & spei naturalis, & supernaturalis.

Alij respondent Tertiò, hoc fieri ratione habitus supernaturalis, qui per eiusmodi actus meritoriè augetur. Sed & hoc refutatum est disp. 6. dub. 6. vbi ostendi, habitum supernaturalem non conferre subiecto facilitatem in operando, sed solùm potestatem operandi supernaturaliter. His adde, eiusmodi facilitatem manere postea in eo, qui per peccatum mortale aut etiã per hæresim amisit habitus supernaturales.

Nota hîc tandem, nos propter connexionẽ partis superioris cum inferiori, quæcumque hîc intelligimus, quantumuis spiritualia sint, eaque sub ratione spirituali intelligamus, tamen simul ea modo quodam corporali per phantasiam apprehendere. vnde etiam sicut voluntas in ea fertur sub ea ratione, qua per intellectum ei proponuntur; ita pars inferior appetitiua in ea fertur sub ea ratione, qua per apprehensionem siue imaginatiuam ei proponuntur. vnde etiam accidit vt quando magno pietatis sensu voluntas fertur in Deum, sentiamus etiam in parte inferiori magnam quandam delectationem: iuxta illud psalmi 83. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Hinc etiam in eadem parte contrahitur quædam inclinatio ad similes apprehensiones & affectus inde sequentes, quibus etiam multùm iuuatur & facilitatur voluntas in suis actibus etiam supernaturalibus eliciendis: tum quia hac ratione aufertur omne impedimentum quod ei ex parte inferiori in suis actibus eliciendis solet obuenire: tum etiam quia intellectus hac ratione excitatur & iuuatur vt voluntati suum obiectum perfectiùs & fortiùs proponat; quod ideo etiam voluntati tunc apparet magis appetendum ob inclinationem affectus sensitiui in obiectum aliquo modo simile corporali modo apprehensum. 31

In omnia, quæ intelligimus aut volumus, imaginatio & appetitus sub modo corporeo feruntur.

Psal.83.

Ex actibus partis superioris consecutiuè generantur quædam inclinationes in parte inferiore, ipsam voluntatem facilitantes.

Et possent quidem aduersarij ad tertiam nostram rationem suprà allatam respondere, omnem dictam facilitatem ortam ex frequentatione actuum supernaturalium oriri ex hac causa. Sed simili ratione deberemus etiam tollere omnes habitus acquisitos in voluntate; & dicere nostris actibus nihil aliud gigni, quàm eiusmodi inclinationem in parte inferiori. Quare si cum communi sententia velimus defendere dari in voluntate habitus acquisitos, debemus etiam concedere eos gigni per actus supernaturales, vt rationes allatæ probant: omnes enim rationes, quæ probant per actus naturales gigni aliquos habitus inclinantes ad eiusmodi actuum productionem, idem probant de actibus supernaturalibus; nam omnes eæ rationes maximè nituntur experientia, quæ in vtrisque est omnino eadem.

DISPV-

DISPVTATIO VIII.

De effectu morali actuum supernaturalium, siue de merito.

DVBIVM I.

In quo consistat ratio meriti, siue de condigno, siue de congruo?

1 NOTA Primò, Theologos communiter diuidere meritum in meritum de condigno, & meritum de congruo. de quibus nobis hac disputatione agendum est. Vt autem postea dicenda clariora sint, hoc dubio generatim & in communi disputabo de ratione vtriusque meriti, & eorum inter se distinctione; dubijs verò sequentibus expressiùs explicabo omnes conditiones ad meritum de condigno requisitas, & consequenter ipsius naturam.

Ratio meriti propriè solis liberis actibus conuenit. *D.Thom.*

Nota Secundò, etsi rebus à libera actione distinctis possit inesse quidam valor, ratione cuius possint impropriè dici hoc vel illud mereri, tamen propriè loquendo ratio meriti conuenit solis liberis actionibus. vt docet D.Thomas 1.2.q.21.a.3.& a.4.ad 2.& cum eo communiter Theologi.

2 Nota Tertiò, etsi omnis actio bona præcisè qua talis est, possit aliquo modo dici mereri aliquod præmium, quatenus per hoc solùm significatur eam esse dignam cui detur præmium; tamen vt propriè & absolutè id mereatur, necessariò dicere ordinem ad aliquem, à quo id mereatur, siue qui illud debeat operanti dare: vt docet D.Thom.locis citatis: quia aliquem aliquid verè mereri, significat hoc illi verè deberi; omnes enim concipiunt id nobis deberi quod sumus meriti, præsertim si loquamur de merito de condigno, cui, vt omnes communiter fatentur, necessariò respondet aliqua merces; quæ significat præmium alicuius labori debitum: fieri autem nequit vt mihi aliquid propriè sit debitum nisi ab aliquo debeatur. Præcipua igitur difficultas hîc disputanda est, quale debitum merito necessariò respondeat, siue an ad rationem meriti requiratur vt merces ei sit debita ex iustitia, an ex gratitudine, an verò alia ratione.

D.Thom. Meritum propriè dictum necessariò respicit debitorem præmij.

3 Primò, igitur quidam docent, ad rationem veri meriti de condigno requiri vt merces sit ei debita ex iustitia. Ita D.Thomas 1.2.qu.114.a.1. vbi etiam addit, ideo hominem non posse aliquid à Deo strictè loquendo de condigno mereri, quia inter Deum & hominem nequit huiusmodi iustitia intercedere. Idem docent Scotus in 1 d.17.q.2. §. *Hic potest*, vers. *Contra rationem meriti.* Gabriel in 2.d.27. q.1.a.2.in probatione 1.conclus. Caietan.1.2.qu.114.a.1. Ratio eorum est, quia merito de condigno debetur merces, quæ respicit debitum iustitiæ. Auctores autem citati ad rationem veri meriti de condigno videtur requirere debitum iustitiæ commutatiuæ, excepto D.Thoma, qui videtur loqui de iustitia in genere prout abstrahit à commutatiua & distributiua.

Quale debitum gignatur ex merito. *D.Thom.* *Scotus.* *Gabriel.* *Caietan.*

Secundò, alij volunt meritum de condigno necessariò respicere debitum iustitiæ commutatiuæ aut distributiuæ. ita Sotus l.3. de Natura & gratia, cap.7. Hosius in Confess. Cathol.cap. 73. Tapperus in art.11. Louanienſi, §. *Tertia difficultas.* *Sotus.* *Hosius.* *Tapperus.*

Tertiò, Bonderius apud Vasquez in 1.2.dist. 213.nu.22.docet, meritum de condigno saltem necessariò respicere debitum fidelitatis. *Bonderius.* *Vasquez.*

4 Quartò, quidam volunt ad meritum tam de condigno quàm de congruo requiri & sufficere si in alio oriatur debitum ex gratitudine; adduntque eius naturæ omnino repugnare, vt ex eo debitum iustitiæ oriatur. Ratio eorum est, quia ratio meriti non consistit in valore operis pretio æstimabili (qualem valorem respicit iustitia commutatiua) sed oritur ex bonitate morali ipsorum operum quatenus laude digna sunt. Vnde etiam inferunt, operarium propriè non mereri suo labore stipendium quod pro eo recipit, sed solùm lato modo, sicut merces dicuntur mereri pretium, quo iustè venduntur. Ideoque aiunt stipendium quod talis operarius recipit, propriè non debere dici mercedem, sed pretium laboris.

Vt autem hoc probent, notant esse per accidens quòd tali operario pro labore detur potiùs pecunia, quàm quiduis aliud: nam si ita conuentum esset, posset ei dari cibus, aut aliqua vestis, &c. quo casu quæ darentur non magis haberent rationem pretij quàm ipse labor: nam sicut conducens alterius operam, dicitur illa pro hac tamquam pretium soluere; ita potest dici ea vendere operario, & hic potest dici ea labore suo emere; atque ita huius labor habebit rationem pretij. Quæ sunt contra rationem veri meriti, in quo meritum nulla ratione potest habere rationem pretij respectu eius quod meretur.

5 Dicti autem Doctores in hoc præcisè distinguunt meritum de condigno, à merito de congruo: quòd illud absolutè sit omnino dignum suo præmio; ita vt ei minori præmio nequeat condignè satisfieri: hoc verò sit dignum minore longè præmio quàm de facto recipiat. Addunt tamen totum ei deberi ac dari, ex gratitudine, quæ sæpè postulat, vt beneficio affectus longè plus det quàm acceperit. Vnde vlteriùs inferunt, implicare vt id quod aliquis de congruo meritus est, ei gratis siue liberaliter de-

tur, quia quod gratis siue liberaliter datur, non potest esse debitum ex gratitudine.

6 Sed hæc vltima sententia habet multa meo iudicio valdè difficilia. Primò, quia, vt patet ex dictis, repugnat ferè communi sententiæ requirenti strictius debitum ad rationem meriti de condigno.

Stipendium operarij propriè dicitur merces.

Secundò, quia etiam repugnat communi hominum conceptui in sacris Litteris fundato: nam omnes concipiunt operarium verè mereri suum stipendium, & hoc vocant mercedem, sicut etiam Scriptura id vocat Luc.10.vers.7. *Dignus est operarius mercede sua.* Iacobi 5. *Ecce, merces*

Luc.10.
Iacob 5.
Matth.20.

operariorum qui messuerunt, &c. Matth.20. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Quòd autem his locis merces & meritum debeant propriè sumi, patet Primò, quia non solùm tam in Scripturis pluribus locis, quàm communiter ab hominibus absolutè dicitur merces, sine vlla omnino additione aut restrictione; sed etiam ex comparatione cum hac mercede & merito operarij tam Scriptura quàm Patres & Doctores solent explicare meritum & mercedem regni cælestis: vt patet ex parabola patris-familias conducentis operarios pro vinea sua Matth.20. & ex ijs, qui dictum locum aut scriptis aut verbo pro concione explicant. quod incongruè fieret, si illa non haberent veram rationem meriti ac mercedis. nec enim per locutiones improprias solemus propriè explicare, sed contrà illas per has; & contrarium incongruè fieret. Secundò, quia nomen meriti ac mercedis videtur primò omnium impositum merito operarij & stipendio quod accipit; & inde deriuatum ad significandum meritum quo honorem aut similia meremur: ergo illis ea nomina propriè conueniũt: quia nomina non deriuantur à metaphorica significatione ad propriam; sed potiùs contrà. quare si alterutrum ex dictis meritis deberet impropriè ita dici, hoc potiùs conueniret secũdo quàm priori: verius tamẽ est vtrumque propriè dici meritum, vt vsus communis habet. Antecedens probatur, quia prius meritum notius & familiarius est; verba autem primò sunt imposita ad significandas res magis notas ac obuias, & deinde deriuata ad significandas minùs notas, minúsue obuias. Confirmatur Primò, quia ij qui aliis suam operam elocant, ideo semper dicti sunt mercenarij, quia mercedem merentur ac accipiunt. Secundò, quia, vt docet Varro l.4.de Lingua Latina, & ex eo Vasquez 1. 2.disp.213.c.6.n.34. *merces* deriuatur à merendo, & ære, quod operarij suo labore merentur: ita vt merces idem sit ac meritum æs. Ex quo secundùm Varronem & Vasquez necessariò dicendum est, hoc nomen primò & propriè significare stipendium operatiorum.

Verba primò imposita sunt ad significandas res vulgo magis notas, & deinde deriuata ad significandum minùs notas.
Varro.
Vasquez.

7 Tertiò, ex illa sententia sequeretur, neminem vnquam posse verè mereri præmium sibi sub cõditione alicuius operis promissum, præsertim eo opere, cui præmium promissum est; nec hoc respectu illius habere veram rationem mercedis: hoc autem est apertè falsum; quia cùm gloria iustorum bonis operibus sit promissa, sequeretur, ipsos hanc non mereri: ergo etiam illud est falsum vnde hoc sequitur. Maior probatur, quia hoc ipso quo aliquod præmium ita promissum est, posito opere debetur, aut ex iustitia, si hæc possit inter promissarium & promittentem existere (promissio enim onerosa impleta conditione inducit obligationem iustitiæ;) aut saltem ex fidelitate: secundùm illam autem sententiam quidquid alicui operi ita debitum est, nequit respectu illius habere rationem mercedis.

8 Quartò, ex illa sequitur, nos nihil verè posse mereri à Deo, præsertim per opera ab eo nobis præcepta: quia secundùm illam non possum aliquid ab alio mereri nisi obligando eum ex gratitudine vt det mihi præmium: ad hoc autem requiritur vt præstem ei aliquod liberale beneficium. qui enim alteri præstat aut reddit aliquid ipsi absolutè debitum, sicut non confert ei propriè beneficium, ita nec obligat eum sibi vt gratus sit, aut vt ex gratitudine aliquid rependat. Quis enim creditor putat se accipere beneficiũ si mutuatarius ei reddat rem mutuo acceptam? Aut quis dominus putat se ex gratitudine teneri suo mãcipio aut famulo aliquid supra stipendiũ aut conuenientem sustentationem rependere; si illi præcisè operas, ad quas obligantur, præstent? Quare cùm Deus habeat ius exigendi quæuis à nobis officia, idque magis absolutum, quàm dominus aut creditor habeant ius exigendi supradicta; quæcumque ei possumus præstare, & infinities maiora sunt ei absolutè debita; & consequenter hæc ei præstando, præsertim quando suo præcepto ea à nobis exigit, nullum ei præstamus beneficium, nec possumus eum ad vllam gratitudinem obligare. Quæ expresè etiam docet Christus Luc.17. vbi ait: *Quis autem vestrùm habens seruum arantem aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi, Statim trãsi, recumbe: & non dicat ei, Para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi, donec manducem & bibã: & post hæc tu manducabis & bibes? numquid gratiã habet seruo illi, quia fecit quæ imperauit? non puto. Sic & vos cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus* (quibus scilicet nulla à Deo debeatur gratia siue gratitudo) *quod debuimus facere fecimus.* Vbi clarissimè docet, & dominum seruo & Deum nobis præcepta facientibus ad nullam gratitudinem obligari. Et sanè per se patet, omnino absurdum esse Deum nobis tamquam pro beneficio accepto debere agere aut referre gratias, quòd ei diligenter seruiamus.

Deus nequit nobis obligari ex gratitudine.

Luc.17.

Potest quidem sæpè fieri, vt is qui aliquid ab alio meretur, hunc sibi ex gratitudine obliget vt det præmium; nec hoc hic negamus, sed solùm dicimus, hoc non esse necessarium ad rationem meriti siue de condigno, siue de congruo; quod argumenta allata probant.

9 Pro horum explicatione Nota Quartò, vt aliquis mihi aliquid debeat ex iustitia, me debere habere ius vt id ab eo exigam, siue vt ipse mihi hoc det. Item posse contingere, vt faciam aliquod opus quod ex se & spectatis aliis omnibus circumstantiis est natum parere mihi tale ius ad aliquam mercedem, & in altero obligationem iustitiæ eam mihi dandi, si hic esset capax eiusmodi obligationis respectu mei; qui tamen

tamen hanc de facto non contrahat, quia eius est incapax. Exempli causa, si Petrus alicui homini liberè promittat certam mercedem pro aliquo operè faciendo, & hic accepta conditione hoc faciat, Petrus ei ex iustitia obligabitur promissam mercedem dare. Quòd si tamen ille esset mancipium Petri, & posita veritate illius sententiæ, quæ docet dominum non posse suo mancipio ex iustitia ad res eiusmodi obligari; etsi opus serui ex se aliisque circumstantiis sit hîc & nunc natum parere in promittente obligationem iustitiæ; tamen ob rationem dictam eam non pariet, sed aliquam ei similem, v.c. fidelitatis, quæ à perfecta ratione iustitiæ deficiet.

10 Conclvsio I. Meritum de condigno necessariò debet ex se esse tale, iisque circumstantiis fieri, vt sit natum inducere obligationem iustitiæ commutatiuæ, eamque de facto inducat, si is à quo operans præmium meretur, sit capax talis obligationis respectu operâtis; aut si huius non sit capax, vt inducat obligationem fidelitatis. Et hac ratione puto primam sententiam posse conciliari cum tertia ex suprà recensitis.

Meritum de condigno inducit in alio obligationẽ aut iustitiæ aut fidelitatis.

Probatur Primò, quia, vt patet ex dictis, est D.Thomæ & communior. Secundò, quia satis constat omne meritum de condigno necessariò parere aliquam obligationem in præmiante, quia aliàs nec hic deberet ei vllum præmium, necesset ratio cur illud opus posset dici ab hoc vllum præmium mereri: atqui præter dictas non potest probabiliter dici parere aliam obligationem: ergo pariet vnam ex dictis.

D.Thom.

Minor probatur: quia aliàs hæc obligatio deberet aut esse gratitudinis aut iustitiæ distributiuæ (nec enim auctores vllam hîc aliam obligationem agnoscunt, nec alia potest probabiliter assignari:) atqui meritum de condigno, vt iam ostendi, ex se non respicit obligationem gratitudinis, quod etiam ex dicendis n.47. magis patebit; nec etiam obligationem iustitiæ distributiuæ, quia, vt ostendam dub.5. hæc communiter non reperitur in datione præmiorum, nec ad meritum vllo modo per se requiritur. His adde, vt ibidem ostendam, omnem obligationem iustitiæ distributiuæ supponere obligationem commutatiuæ; quare si meritum possit vnam parere, necessariò poterit etiam aliam parere.

11 Explicatur sententia D. Thomæ.

Hinc patet, qua ratione debeat intelligi sententia D.Thomæ relata n.3. Quod enim dicit meritum de condigno necessariò respicere siue parere obligationem iustitiæ, intelligendum est quantum est ex se, siue illud natũ esse in præmiante parere talem obligationẽ, & de facto eam parere, si hic illius sit capax. Item quod inde infert, ob illius obligationis defectum nos non posse à Deo aliquid simpliciter & perfectè de condigno mereri, non est intelligendum de merito secundùm se, quasi nostrum meritum non habeat veram rationẽ meriti de condigno: sed secundùm effectum ipsius, quia scilicet nostrum meritum non parit eandem obligationem in Deo, quam pareret in alio homine, qui ei aliquam mercedem promisisset. & hac ratione 1. & 3. sententia possunt facilè conciliari.

12 Conclvsio II. Meritum de congruo in hoc propriè differt à merito de condigno, & consequenter à ratione veri meriti deficit, quòd non respiciat veram mercedem, nec pariat vllã veram obligationem in eo, à quo aliquid meretur; sed solùm respiciat quamdam conuenientiam siue decentiam, quatenus nimirum hunc decet ita operanti aliquid largiri. Ita expressè D.Thomas in 2.d.27.ar.4.ad 4. vbi addit, remunerantem tale meritum hoc liberaliter facere. Idem insinuat D.Bonauent. in 4. d.15.p.1. distinctionis a.1.q.5. vbi docet, meritum de congruo comparatum merito de condigno nihil esse, quia nimirum nullam inducit in alio veram obligationem.

Differentia inter meritũ de congruo, & de condigno.

D.Thomas.

Bonauent.

Probatur Primò, quia nec inducit obligationem iustitiæ, vt per se patet, & omnes fatentur; nec etiam obligationem fidelitatis, quia ad hanc requiritur promissio præmiantis: meritum autem de congruo non requirit eiusmodi promissionem, quia aliàs respectu Dei haberet omnino infallibilem ac necessarium effectum, siue consecutionem eius quod meretur. quod tamen non est verum, quia possumus alteri de congruo mereri gratiam efficacem, etsi ea de facto non semper detur. Nec etiam necessariò inducit obligationem gratitudinis, quia aliàs, vt suprà ostendi, nihil apud Deum possemus mereri de congruo, quia Deus non potest nobis obligari ex gratitudine. Nulla autem alia vera obligatio hic videtur posse interuenire. & consequenter solùm interuenit dicta conuenientia.

Meritum de congruo nõ supponit promissionẽ præmiantis.

Probatur Secundò, quia si necessariò respiceret veram aliquam obligationem, omnino infallibiliter & necessariò obtineremus à Deo quidquid ita meremur; quia Deus omni suæ obligationi necessariò satisfacit: illud autem, vt iam ostendi, non est verum.

Dices, Deus etiam necessariò facit omne id quod conuenit siue decet eum facere: ergo si meritum de congruo inducat eiusmodi decentiam, sequetur, Deum necessariò nobis dare quidquid ita meremur. Respondeo, nego antecedens. Quia Deus potest habere infinitas causas easque iustissimas, ob quas non faciat aliquid quod per se spectatum & seclusis alijs rationibus, vel potiùs seclusa libera eius decreto, quo statuit id non facere, omnino deceret eum facere. Secùs est de vera obligatione, quia cùm nulla ei possit occurrere necessitas huic non satisfaciendi, nulla potest ei esse iusta causa ei non satisfaciendi.

13 *Deus non facit necessariò omne id, quod per se spectatum conuenit eũ facere.*

Hinc sequitur Primò, meritum de congruo non supponere vllam promissionem præmij, quia aliàs necessariò supponeret obligationem in præmiante. Ei tamen non repugnat operanti etiam sub conditione operis de facto aliquid esse promissum, modò opus tunc nullo modo neque in totum, neque ex parte sit rei promissæ condignum. Quia tunc ipsum opus nullo modo ex se est natum inducere eiusmodi obligationem, sed sola promissio promittentem obligat, idque ex mera fidelitate: adeò vt tunc & ipsa promissio & ipsa impletio sint actus veræ liberalitatis, vt infrà ostendam. Secùs est in merito de condigno, quia hoc ex se inducit veram

14 *Promissio præmij meriti de congruo nec necessaria est, nec reputat.*

obligationem in præmiante, & quidem iustitiæ si hic eius sit capax, vt suprà ostendi: atque ita quod ei rependitur, non potest dici gratis dari.

15 Meritum de congruo non tollit gratuitam donationem præmij. *D. Thomas.*

Sequitur Secundò, meritum de congruo nõ repugnare necessariò gratiæ, & posse consistere cum donatione absolutè liberali ex parte eius qui huius occasione aliquid tribuit operãti. Ita D. Thomas citatus nu. 12. Et probatur Primò, quia id quod datur sine vlla obligatione, & propter opus rei datæ nulla ex parte cõdignum, simpliciter datur liberaliter: atqui quod datur merito de congruo, potest hoc modo dari: ergo potest liberaliter dari. Secundò, quia qui sine sua culpa ex honesto statu incidit in grauẽ paupertatem, ex qua omni modo sibi conuenienti conatur emergere, & ad hoc humiliter implorat opem alicuius diuitis; meretur de congruo ab eo iuuari: & tamen hic eum iuuando exercet opus meræ liberalitatis ac eleëmosynæ. Idem est de paupere studioso bono ingenio multumque laborante, vt possit in studiis ad honorem Dei & Ecclesiæ bonum proficere; qui sine dubio de congruo meretur iuuari: & tamẽ qui illum iuuat, absolutè dicitur gratis & liberaliter id facere.

16 Donatio præmij liberaliter promissi est liberalis.

Nec his obstat, quòd res donanda sit quandoque alicui operi promissa, modò hoc tunc nulla ex parte sit cõdignum tali præmio, saltem respectu promittentis, vt si non fiat propriè in huius gratiam, nec in ipsius, sed potiùs in operantis vtilitatem cedat; vt contingit quando promittitur aliquid tali studioso: aut si valor rei promissæ ita superet valorem ipsius operis, vt hic ne quidem secundùm aliquotam partem possit illi æquiualere; vt contingit quando contrito remittitur peccatum mortale, vt infrà dub. 6. ostendam. Quia etsi tunc præmium sit debitum ex fidelitate ratione promissionis; quia tamen tunc operans pro ipso præmio secundùm æstimationem moralem præmianti nihil dat, sicut ipsa promissio præmij verè dicitur gratis ac liberaliter fieri, ita etiam ipsius datio.

17 Meritum de congruo est meritum secũdùm quid.

Quòd si valor operis facti in gratiam promittẽtis præmium huius valori ex aliqua parte præsertim notabili respondeat; tunc saltem ex parte erit meritum de condigno, & solutio præmij erit partim liberalis, partim ex iustitia debita.

Sequitur Tertiò, meritum de congruo non esse simpliciter & propriè dictum meritum, sed solùm secundùm quid, & cum particula diminuente: quia vero merito debetur merces (hæc enim sunt correlatiua;) id autem quod tribuitur merito de congruo, non habet rationem veræ mercedis, nec ei datur ex vera obligatione, sed liberaliter, vt iam ostendi. Id autem quod tribuitur alicui operi tamquam propriè dicto merito, non potest dici gratis siue liberaliter tribui, sed tamquam merces & ex debito, vt testatur Apostolus ad Romanos 11. vbi ait: *Si autem gratia, iam non ex meritis, alioquin gratia iam non esset gratia.* *Rom. 11.*

Ex quibus vlteriùs sequitur, quòd quoties in Scriptura aut Concilijs alicui operi absolutè tribuitur ratio meriti, aut dicitur ei merces esse debita, illud esse intelligendum de merito de condigno, nisi ex adiunctis apertè contrarium colligatur: quia, vt iam ostendi, meritum de congruo non potest dici simpliciter siue absolutè meritum, sed solùm cum aliqua particula diminuente: vnde quod ei tribuitur, sicut absolutè datur liberaliter, ita potest dici tribui immeritò, siue sine meritis. vt etiam ostendam dub. 6. vbi etiam soluam quædam quæ hîc dictis possunt obijci. Meritum simpliciter sumptum significat meritum de cõdigno.

DVBIVM II.

Vtrùm iusti hîc suis bonis operibus verè de condigno mereantur vitam æternam nobis in cælis promissam?

18 Hæreticorũ in suis assertionibus inconstantia. *Bellarm.*

NOstri temporis hæretici hac in re fuerunt varij & mutabiles. Nam initio bona opera tamquam omnino inutilia & impertinentia ad obtinendam vitam æternam penitus contemnebant. vt ex eorum scriptis docet Bellarm. l. 4. de Iustific. cap. 1. Postea verò quia videbant hoc esse nimis absurdum, nimisque & sacræ Scripturæ & omni pietati aduersari, cœperunt mitiùs loqui, & saltem simulare se aliquantulum bonis operibus tribuere. semper tamen negarunt, nos per ea verè mereri vitam æternam. Fundamentum eorum præcipuum est Primò, quia putant omnia nostra opera quantumuis ex obiecto suo bona secundùm se esse verè peccata, & solùm placere Deo ratione iustitiæ Christi, qua eorum defectus tegitur. Secundò, quia aiunt contrarium obscurare merita Christi quibus solis debemus fidere, & omnia nostra bona accepta ferre. Quæ fusè ex eorum scriptis docet Bellarm. l. 4. de Iustific. c. 1. & 10. & l. 5. c. 1. in principio, & cap. 5. in obiectione 6. & 8. Qui etiam toto illo libro 5. fusissimè & doctissimè hæreticorum errorem confutat. Ego hîc, quantum huius materiæ necessitas requirit, breuiter rem omnem complectar, eaque adferam ex quibus & nostra sententia clarè probari, & hæreticorum obiectiones refelli possint. *Bellarm.*

19 *Durandus.*

Catholici verò omnes fatentur nos per bona nostra opera mereri vitam æternam. Durandus tamen in 2. d. 27. qu. 2. cum quibusdam alijs putat, nos eam non mereri de condigno, quia opera nostra non sunt condigna tanto præmio, nec constituunt Deum verè nobis debitorem, qui non reddit nobis vitam æternam ex vero debito, sed ex liberalitate, propter opera ramẽ, quæ in nobis ad illam obtinendam requirit, ex quibus Durandus ait nos eã de congruo mereri, aut potiùs merito aliquo medio inter meritum verè condignum & meritum de congruo, siue eo, quo peccator contritus meretur remissionem peccati mortalis. Vult itaque meritum quo iusti merentur augmentum gloriæ, esse perfectius hoc secundo, sed imperfectius priore; atque ita posse dici meritum de condigno secundùm quid: non tamen absolutè & simpliciter.

20 *Trident.*

CONCLVSIO I. Iusti bonis suis operibus verè merentur vitam æternam. Ita Trident. sess. 6. cap. 16. & canone 32. Patet clarè ex Scriptura, quæ

quæ docet vitam æternam nobis reddendam tamquam mercedem operarijs debitam. Matt. 5. *Quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* & c. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Atqui hæc supponunt verum meritum (nam, vt iam ostendi, merces tantùm debetur vero merito:) ergo hoc in nostris bonis operibus reperitur. Respõdent hæretici, vitam æternam impropriè dici mercedem, quia nimirum Deus eam dat operantibus, non tamen propter eorum opera; sed propter suam promissionem. Et probant, quia vita æterna dicitur hereditas: ergo nequit esse merces.

Matth. 5. & 20.

21 Vita æterna est propriè merces, & propter opera datur. *Matth. 16.* *1. Cor. 3.* *Apoc. vlt.*

Sed hæc apertè repugnant Scripturæ, quæ absolutè vitam æternam vocat mercedem, eamque dicit nobis dari secundùm opera siue propter opera, & pro horum magnitudine plus minusque gloriæ nobis tribui. Matth. 16. *Et tunc reddet* (scilicet filius hominis) *vnicuique secundùm opera eius.* 1. ad Corinth. 3. *Vnusquisque propriam mercedem recipiet secundùm suum laborem.* Apoc. vlt. *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua.* Quæ apertè veram mercedem significant, præsertim cùm Matth. 20. hæc merces comparetur mercedi operariorum, quæ vera & propriè dicta est merces, & datur absolutè intuitu operum, siue propter opera.

Idem potest esse merces & hereditas.

Ad argumentum hæreticorum, nego consequent. quia filio paterna bona debentur, vt hereditas, & tamen hic saltem accedente patris promissione posset ea patri seruiendo etiam de condigno mereri. Adde, etsi initium gloriæ nobis debeatur vt filiis, tamen eius augmentum per bona opera purè meremur. Etsi enim omnes Sancti hoc ipso quo sunt adoptati in filios Dei, sint accepturi aliquam gloriam, si sine peccato mortali moriantur: tamen nullo modo acciperent tantam, quantam de facto accipiunt, si carerent suis meritis.

Initium gloriæ nobis debetur vt hereditas, non tamen eius augmentum.

Bellarm. *Caluinus.*

Idem omnes olim Patres docuerunt, quos fusè citat Bellarm. l. 5. de Iustif. c. 4. quod etiam concedit Caluinus ab eodem citatus, ibidem c. 11. Sed ait Patres hac in re malè de fide nostra fuisse meritos: quo dicto non solùm Patribus, sed etiam Scripturæ iniurius est, quæ, vt iam ostendi, apertè in nostris operibus agnoscit meritum.

22 Omnia nostra opera esse peccata Scripturæ repugnat. *Iob 2.* *Psal. 16.* *Psal. 25.*

Ad primum argumentum contrarium, nego assumptum: est enim apertus error dicere omnia nostra opera esse peccata. Hoc enim multis Scripturæ locis repugnat, quæ expressè docent nos in quibusdam operibus non peccare, sed Dei voluntatem facere. Iob c. 2. dicitur *vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam.* & infrà vers. 10. sicut etiam c. 1. vers. vlt. postquam Scriptura narrasset quædam facta & dicta Iob, subdit: *In omnibus his non peccauit Iob labijs suis.* Item Dauid psalm. 16. ait: *Exaudi Domine iustitiam meam.* & infrà: *Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.* & psalm. 25. *Iudica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum.* Quę nullo modo sine mendacio dici possent, si illi in omnibus operibus suis peccassent: nã qui in operibus suis omnibus peccat, falsò dicitur in iis non peccare.

Adferunt quidem hæretici pro suo errore multa Scripturæ loca, quæ explicat Bellarm. suprà l. 4 c. 20. sed quæ vt summum probant, omnes homines sæpè peccare saltem venialiter. quod nihil facit ad rem præsentem: nam cum eo optimè consistit nos etiam facere aliqua opera bona, quibus aliquid à Deo meremur. Vnum obiiciunt quod prima facie videtur contra nos facere: quia scilicet Isaiæ 64. dicitur: *Facti sumus vt immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersa iustitiæ nostræ.* Sed Respondeo, Isaiam ibi loqui in persona impiorum Iudæorum, qui ob sua peccata erant tradendi Babyloniis: nec tamen loqui de omnibus eorum operibus; sed solùm de sacrificiis & obseruatione cæremoniarum legis (quæ tum ibi, tum sæpè aliàs in Scriptura vocantur iustitiæ) quæ illi Iudæi tunc valdè imperfectè faciebant, simul colendo deos alienos, & immiscendo iis multa contra mandata legis, vt patet ex c. 58. & Malachiæ 1. vers. 7. ideoque ea polluebant & reddebant immunda ac Deo displicentia. Quare ille locus nihil facit contra bona opera iustorum.

Bellarm.

Isaiæ 64.

Cæremoniæ legis in Scriptura dicuntur iustitiæ.

Malach. 1.

23 Illustrat merita Christi quòd nobis meruit vim merendi.

Ad secundum, nego etiam assumptum: quia potiùs illustrat merita Christi, quòd nobis meruerit, non solùm gratiam qua ad Deum conuerteremur; sed etiam vt conuersi in filios Dei eumque statum assumeremur, in quo per bona opera possemus augmentum gloriæ mereri. Sicut non solùm non minuit, nec obscurat, sed potiùs illustrat Dei potentiam, quòd ipse non solus omnia operetur, sed creauerit creaturas, quę valeant etiam aliquid cum ipsius generali concursu operari. Nam sicut Deus non solùm dedit nobis esse, sed etiam vim operandi: ita etiam Christus non solùm meruit nobis adoptationem filiorum, qua regeneramur, & spiritualiter incipimus esse, sed etiam meruit nobis vim spiritualiter operandi, & merendi augmentum gloriæ. Quare sicut illud non officit quo minùs omne bonum naturæ debeamus absolutè & ex integro acceptum ferre Deo creatori; ita nec hoc officit quo minùs debeamus omne bonum nostrum supernaturale ex integro acceptum ferre Christo redemptori.

Omne nostrum bonũ supernaturale debemus Christo.

CONCLVSIO II. Absolutè dici potest nos de condigno bonis nostris operibus mereri vitam æternam, siue gloriæ augmentum. Primò, quia est ferè communis omnium Scholasticorum. Secundò, quia apertè innuitur in Scripturis. Primò, quia dicunt gloriam nostris operibus reddi tamquam mercedem: hæc autem, vt suprà ostendi, propriè respicit solum meritum condignum. Secundò, quia docent, bene operantes fieri dignos vita æterna. 2. Thess. c. 1. *Vt digni habeamini regno Dei.* Apoc. 3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Probatur Tertiò, quia aliàs, vt ostendi dub. 1. n. 17. non possemus propriè & simpliciter dici mereri vitam æternam.

24

2. Thessal. 1. *Apoc. 3.*

Ad argumentum Durandi, nego assumptũ: nam dub. sequenti ostendam iustorum merita esse sufficienter digna tanto præmio. & dub. 5. Deum teneri hoc iis reddere.

CONCLVSIO III. Licitè benè operamur ob spem

25

spem æternæ mercedis. Est cõmunis Catholicorum contra nostros hæreticos. Probatur Primò, quia Scriptura sæpè nos ad bona opera excitat promissione æternæ mercedis. Matth.4. *Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cælorum.* Et c.6. *Primùm quærite regnum Dei,* &c. Luc.16. iubemur facere amicos, vt mortuos recipiant in æterna tabernacula.

Matth.4.

Luc.16.

Secundò, quia sanctissimi ac in Scriptura laudati viri id fecerunt. Dauid enim de se ait psal. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.* Ad Hebræos 11. Moyses maluit affligi cum populo Dei quàm haberi filius filiæ Pharaonis, quia aspiciebat in remunerationem, hanc scilicet à Deo pro suo opere sperando. Idem docent communiter Patres, vt docet Bellarm. suprà c.8.

Psalm.118.

Ad Hebr.11.

Bellarm. 26

Obijciunt hæretici Primò, operari propter mercedem est vile, abiectum & mercenariorũ, quos Scriptura Ioannis 10. & Patres passim reprehendunt. Secundò, Deus nobis amandus est amore amicitiæ, non autem amore concupiscentiæ: operari autem propter mercedem spectat ad amorem concupiscentiæ.

Ioan.10.

Vile est spectare solam mercedem temporalẽ, secùs de æterna.

Ad primum, Respondeo Primò, vile & abiectum esse operari spe solius mercedis temporalis, quæ omnino indigna est in qua spem nostrã ponamus: secùs esse de mercede vitæ æternæ, quę est summum bonum, & dignissima in quam tamquam in vltimum nostrum finem omnes actiones nostras dirigamus. Scriptura autem Ioannis 10. & Patres tantùm reprehendunt mercenarios qui priorem mercedem spectant; ideoque aiunt, eos fugere, siue stationem suam deserere occurrente vitæ periculo, ne scilicet vnà cum vita etiam speratam mercedem perdãt. Secùs sit in iis qui sperant vitam æternam, qui vt hanc assequantur libentissimè omnia pericula subeunt, quia sciunt se perdendo vitam temporalem non solùm non perdere speratam mercedem (sicut qui sperant mercedem temporalem) sed se eam cumulatiorem in cælo accepturos; & contrà se eam perdituros, si pericula fugiendo vitam suam cum peccato seruent.

Ioan.10.

Qui mercenarii reprehendantur.

Sperantes vitam æternam Scriptura non vocat mercenarios.

Respondeo Secundò, posse etiam dici mercenarios, qui ita operantur propter mercedem æternam vt ea non proposita nollent operari: qui sine dubio reprehendendi sunt. Secùs est est de iis, qui ita mercedem spectant, vt etiam ea non proposita ob Dei amorem operari vellent.

Ad secundum, Respondeo Deum nobis vtroque amore esse amandum: nam aliàs Christiana spes damnanda esset; quia per eam amamus Deum amore concupiscentiæ.

DVBIVM III.

Qualis sit, & vnde oriatur hæc operum nostrorum cum præmio vitæ æternæ condignitas?

27 Operis meritum ex duplici capite spectatur.

NOta Primò, opus aliquod ex duplici capite posse aliquid mereri. Primò, ratione vtilitatis, quam confert ei cuius causa fit: sic famulorum aliorumque subditorum opera eo plus merentur, quo ex se vtiliora sunt dominis, siue aliàs moraliter bona sint siue non: nam mercenarius etiam opere ex aliqua circumstantia malo in gratiam conducentis facto, meretur mercedem sibi promissam. Secundò, ratione bonitatis moralis, quam in se habent, aut similis alicuius excellentiæ. Sic dicimus virtutem mereri honorem, & in certaminibus quibus præmia proposita sunt, qui optimè certauit meretur maximum præmium; etsi eius actio aliàs nullam vtilitatem adferat.

28 Ex alio capite homines, ex alio Deus merita operum æstimat.

Ex priore capite homines, quia multis indigent, communiter valorem & meritum operũ spectant, atque ita prout crescit cuiusque operis in communitate indigentia, ita etiam crescit eius valor; sicut etiam valor aliarum rerum crescit ex eo, quòd plures iis multùm indigeant, & consequenter eas expetant. Vnaquæque enim res eo nobis, ceteris paribus, est vtilior, quo ea magis indigemus: nam vtilitas eiusmodi rerum maximè in eo consistit, quòd per eas nostris necessitatibus siue indigentiæ succurramus. Contrà Deus cùm nullius indigeat, valorem operum solùm spectat ex secundo capite; & quidem ex sola bonitate morali: quare etiam nos de hoc solo valore hîc agemus.

29 Opus dupliciter potest dici condignum præmio.

Nota Secũdò, opus aliquod posse dupliciter dici condignũ respectu alicuius præmij. Primò, quia eius valor per se & seclusa omni promissione est absolutè tantus, quantus est valor ipsius præmij, ita vt minore præmio non possit ei exactè satisfieri. Atque hac ratione condignitas consistit in absoluta commensuratione & æqualitate inter valorem operis & præmij. Et talem condignitatem necessariò requirit mera ac rigorosa iustitia commutatiua, aut etiam vindicatiua, quando iis nihil omnino liberalitatis aut misericordiæ admiscetur: nam si in illa præmiũ excedat valorem operis, miscetur aliquid liberalitatis aut donationis: in hac si pœna sit minor, quàm sit malitia peccati, miscetur aliquid clementiæ; si sit maior, est iniusta, aut saltem crudelitas.

Quidam autem putant nostra bona opera hac ratione esse condigna vitæ æternæ, adeoq; nos eodem modo per ea mereri æternam gloriam, sicut per peccatũ mortale meremur æternam pœnam. Et sicut hoc nequit absolutè puniri quantum meretur, minore pœna, quàm sit ea qua de facto punitur; ita secundùm eos opus bonum hominis iusti nequit præmiari quãtum absolutè in rigore meretur, nisi eo præmio quod de facto à Deo accipit, scilicet vita æterna.

Secundò, hæc condignitas solùm consistit in quadam proportione, quam opus in his circumstantiis habet respectu præmij; qua ratione opus aliquod dicitur verè & absolutè dignum aliquo præmio, quod rigorosè loquendo ipsius valorem longè excedit. Patet hoc in præmiis in aliqua concertatione propositis, quæ sæpè excedunt valorem operis requisiti; & tamen qui in eiusmodi certamine alios superauit, dicitur dignus primo præmio, illudque condignè meruisse.

Nota Tertiò, inter has condignitates esse 30 diffe-

differentiam, quòd prior numquam ratione alicuius circumstantiæ varietur, ita vt opus fiat dignum maiore præmio, nisi simul etiam varietur valor operis. v.c. labor diurnus mercenarij qui meretur 10. asses, ex nulla circumstantia fit dignus maiore mercede, nisi ipsius valor in se augeatur: qua ratione dicitur eius valor verè augeri, quoties eiusmodi operæ siue laboris est vulgò maior indigentia, & paucitas operariorũ. Item peccatum quod meretur pœnam vt sex, nequit ratione circumstantiarum mereri maiorem pœnam, nisi eius malitia in se augeatur. Dicitur autem malitia peccati ita augeri in ordine ad punitionem humanam, quando talis actio est communiter nata magis nocere communitati. Hinc leges humanæ communiter magis puniunt peccata quæ reipublicæ magis nocent, etsi sæpè moraliter sint minùs mala, quàm alia quæ minùs puniuntur. Secùs tamen hæc se habent respectu Dei & punitionis æternæ, qua peccatum moraliter peius semper grauiùs punitur.

Aliter Deus, aliter homo spectat grauitatem peccati in ordine ad punitionem.

31 Secùs est in secunda condignitate: nam si in aliqua concertatione duo principes ijsdem operibus præmia proponant, vnus longè maiora quàm alius: & duo æquali planè opere ac industria alios superent, vnus in vno certamine, & alter in altero; eorum opera erunt in se eiusdem valoris, & tamen vnius opus merebitur præmium longè maius, quàm opus alterius, solùm quia in huius certamine maius præmium fuit propositum. Item olim apud Athenienses bene de Republica meriti, tota vita nutriebantur publico sumptu in Prytanæo. Fuerint ergo duo, vnus decrepitus senex breui moriturus, & alter iuuenis diu victurus, qui æquali facto hoc præmium meriti acceperint: vterque acceperit suo facto condignum præmium, iuuenis tamen longè maius acceperit; nam senex fortè ibi vno anno nutritus fuerit, iuuenis verò quinquaginta. In quibus exemplis vnius principis maior in proponendis præmijs liberalitas, & iuuenis maior viuacitas sunt causa, cur aliqui æquali cum alijs facto, fiant digni maiore præmio, cùm tamen supradicta non efficiant eorum opera meliora aut maioris in se valoris.

Dignitas operis respectu præmij potest variari inuariato intrinseco valore operis.

Athenienses nutriebant publico sumptu bene de Republ. meritos.

32 Conclvsio. Opera nostra non sunt condigna vitæ æternæ priore modo ex dictis not. 3. sed solùm secundo modo. Ita Bellarm. lib. 5. de Iustificatione c. 14. & videtur aperta sententia D. Thomæ 1. 2. q. 114. a. 3. vbi expressè docet, nostra opera secundùm se & seclusa Dei ordinatione, non habere sufficientem condignitatem cum vita æterna; sed solùm quamdam proportionem.

Bellarm.

D. Thomas.

Prior pars probatur. quia dignitas nostri operis quantumuis boni, est absolutè finita; præmium verò est ipse Deus, qui est bonum absolutè infinitum. Nec refert quòd Beati eum solùm per visionem finitè intensam, & hac ratione finitè possideant; quia cùm visio qua æterna sit etiam infinita, Beati hac ratione eum verè infinitè possident, & consequenter hac ratione potest dici præmium verè infinitum. Hinc S. Paulus ad Romanos 8. docet passiones nostras non esse condignas ad futuram gloriam. & 2. ad Corinth. 4. esse *leue & momentaneum quod supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* & Deus Genes. 15. ait Abrahæ: *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* ostendés se per seipsum, quatenus est infinitũ quoddam bonum, fore præmium Beatorum, longè excedens valorem ipsorum operum.

Nostra beatitudo est præmium infinitum.

Ad Rom. 8.

2. Cor. 4.

Genes. 15.

Respondent aliqui, ista solùm dici, quia opus nostrum secundùm se, & quatenus procedit à libero arbitrio, non est condignum tanto præmio; secùs tamen esse si spectetur prout procedit à gratia & fit à filio, & sic volunt esse omnino æquale præmio. Sed hoc non satisfacit, cùm enim sic opus esset absolutè par ipsi præmio, non posset absolutè dici non esse condignum, aut meretedem esse magnam nimis, siue excessiuè magnam. Adde, Scripturam loqui de operibus filiorum & ex gratia factis, idque sub ea ratione qua talia sunt. vt patet ad Roman. 8. vbi Apostolus immediatè antè docuerat, nobis tamquam filiis gloriam æternam pro nostris laboribus in hereditatem ac meretedem promissam ac dandam esse; & tamen subdit, nostras passiones non esse condignas præmio, quod iis reddetur.

Ad Rom. 8.

33 Consonant his apertè sancti Patres. Athan. in vita S. Antonii, *Nec vniuerso*, ait, *orbi renuntiantes dignum aliquid habitaculis cælestibus compensare possumus.* & August. in psalm. 93. aliquantulum ante finem, explicans versum 20. *Numquid adhæret tibi*, &c. *Quanto*, inquit, *labore digna est requies, quæ non habet finem? si verum vis comparare, & verum iudicare, æterna requies æterno labore rectè emitur. Verum hoc est; sed noli timere, misericors est Deus.* & paulùm infrà: *Quia sempiterna requies est, æqua pretium: æterno certè labore digna est æterna quies comparari.* Vbi hoc fusè explicat, ac subdit immensam esse Dei misericordiam, siue liberalitatem, qui tantum præmium tantillo laboripromittat. Item S. Basilius in psalm. 114. cùm docuisset certantibus dari requiem, subdit: *Non secundùm debitum operum reddita, sed secundùm gratiam munifici Dei.* Item S. Bernardus serm. 1. de Annunciatione, *Quid sunt*, ait, *merita omnia ad tantam gloriam?* Quæ ita absolutè malè dicerentur, si opera nostra prout fiũt à filio, essent verè à parte rei tanti valoris, quãti est ipsum præmium: sicut etsi passio Christi secundùm se spectata, & abstrahendo à persona patientis, non sit condignè satisfactoria pro omnium peccatis; tamen quia est ita satisfactoria quatenus à tali persona suscipitur, malè omnino negatur esse talis. Clarissimè autem nostram sententiam docet S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 10. vbi docet, gloriam cælestem dici gratiam, non solùm quia donis suis Deus dona sua reddit (id est, non solùm quia opera quibus eam meremur, fiunt ex gratia, & ita sunt dona Dei) sed etiam, *quia tantum ibi gratia diuina retributionis exuberat, vt incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum quantumcumque bonæ & ex Deo datæ humanæ voluntatis atque operationis excedat.* vbi dictas aliorum euasiones apertè excludit.

Athanas.

August.

S. Basilius.

Bernard.

S. Fulgentius.

Secunda pars probatur Primò, quia gloria æterna proponitur nobis præmium sicut brauium currentibus in stadio (vt dicitur 1. ad Cor. 9. v.

34

1. Cor. 9.

Philipp.3. 9.v.24. & ad Philip.3. v.14.) Atqui hoc ipso quo aliqui constituuntur vt in stadio currant, eorum victoria fit proportionata & digna proposito præmio, quantumuis aliàs operis dignitatem superante: ergo etiam similiter nostra victoria fit proportionata & digna vita æterna. Secundò, quia opera quibus meremur cælum, cùm fiant ex gratia, sunt supernaturalis ordinis, adeoque hac ratione proportionata præmio supernaturali. Tertiò, quia fiunt à filiis, quibus legitimè certantibus non decet proponi aliud præmium, quàm hereditatem; & quia filius non ejicitur è domo paterna, sed in ea manet quamdiu viuit, idque status filij omnino exigit: adeò vt hereditas ex natura sua non competat ei solùm pro certo tempore, sed pro tota vita. hinc hoc ipso quo anima, quæ immortalis est, & naturaliter æternùm viuit, meretur sibi hereditatem; etiam meretur vt eam æternùm possideat: atque ita opera quæ ratione status ipsius animæ, siue ratione filiationis merentur hereditatem, ratione conditionis & immortalitatis ipsius animæ merentur vt hæc eam æternùm possideat. Item quia anima natura sua est forma corporis, ne perpetuò sit extra statum naturalem, opera eius etiam merentur vt corpus ei reunitum immortalitatem accipiat.

Vnde habeant nostra opera quod sint proportionata æterno præmio.

35 Quartò, quatenus fiunt à viuo Christi membro, eaque ratione ex ipsius meritis aliquam dignitatem & vim merendi participant, vt docet Trident. sess.6.c.16. & can.32. ac sess.14. c.8. vbi docet, nostra opera habere vim satisfaciendi ex meritis Christi. Quod non solùm (vt aliqui putant) verum est, quia Christus meruit nobis gratias præuenientes, quibus facimus opera meritoria; sed etiam quia meruit vt nobis verè pœnitentibus infunderetur gratia habitualis, qua in filios Dei adoptaremur, & vt nostra opera tantam vim merendi ac satisfaciendi haberent. vt apertè insinuat Trident. suprà, vbi non agit de gratia quæ nobis necessaria est vt faciamus bona opera (de hac enim sufficienter egerat in superioribus capitibus sess.6.) sed de ea, qua nostra opera reddũtur formaliter digna tanto præmio, & pro pœnis Purgatorii satisfactoria. Et aliàs valdè impropriè diceret nostra opera à Christi meritis accipere vim satisfaciẽdi aut merendi, cùm secundùm illos solùm accipiamus per Christi merita vim, qua possimus illa facere. quod longè diuersum est. qui enim operario ægroto dat sanitatem, dat ei vim qua possit facere opera denarii diurni meritoria; tamen non dat ipsius operi vim illum merendi. Vnde etiam dicto cap.8. dicitur nostra opera à Christo Deo Patri offerri, & ab hoc per illum acceptari; quod nequit intelligi præcisè ratione gratiæ præuenientis, quam Christus nobis meruit, sed eò quòd ipse nostris operibus meruerit tantam vim merendi, ideoque à Patre ad tantum præmium acceptentur.

Trident. *Qua ratione nostra merita accipiant dignitatem ex meritis Christi.*

36 Ex quibus patet Primò, opera nostra bona suam condignitatem siue proportionem cum præmio æterno præcipuè accipere ex statu & conditione operantis; quatenus nimirum fiunt à filio Dei & membro Christi, cui omnino decet à patre pro præmio laborum hereditatem proponi. quam semel adeptum ex natura hereditatis & filiationis, decet in æternum retinere.

Condignitas nostrorũ operumcum vita æterna præcipuè nascitur ex statu filiationis.

Patet Secundò, hanc condignitatem iuuari & augeri ex Dei ordinatione & promissione nobis quasi in stadio certantibus tale præmium proponentis. patet ex not.3.

Etaugetur ex promissione Dei.

Patet Tertiò, peccatum mortale longè aliter de condigno mereri pœnam æternam, quàm opus bonum hominis iusti mereatur vitam æternam. nam peccati malitia est omnino æqualis pœnæ æternæ, ita vt nequeat pœna finita tẽporali condignè puniri. quod verum esset, etsi animæ natura sua non viuerent in æternũ. hoc enim casu deberent ob peccatum mortale, aut puniri pœna infinitè intensa, si esset possibilis, aut supra naturam æternùm viuæ conseruari, vt condignè puniri possent; sicut ob hanc causam post diem iudicij corpora supernaturaliter æternùm conseruabuntur. de quo plura dixi tom. 2. de Sacram. disp.10. dub.2. Secùs est, vt iam ostendi, de opere bono, quod, si Deus aliter statuisset, posset minore longè beatitudine, v.c. quæ non cõsisteret in clara omnino visione Dei & amore ei respondente, de condigno præmiari. aut etiam beatitudine quæ certo tantùm tempore duraret, vt si Deus statuisset animas solùm certo tempore conseruare in esse, & præsertim si hæ natura sua essent mortales. Harum ratio à priori est diuersitas vtriusque meriti, scilicet pœnæ & præmij: nam malitia peccati ac meritum pœnæ crescunt pro magnitudine siue dignitate personæ offensæ; cùm contrà meritum præmij ac valor boni operis in ordine ad præmium, si in rigore procedatur, potiùs decrescãt ex magnitudine personæ, à qua meremur. vt ostendi tom. 2. de Sacram. disp.2. dub.3. n.21. & disp.10. dub.2. vbi hæc fusiùs probaui. Et hac ratione verissimum est Deum nostra bona opera præmiare supra condignum.

37 *Peccatum aliter meretur pœnam, quàm opus bonum gloriam æternã.*

Patet Quartò, hanc propositionem: *Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium; sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.* & quasdam alias similes meritò à duobus Pontificibus damnatas esse; cùm satis apertè Scripturis & Patribus ac apertæ rationi repugnent: præsertim cùm earum Auctor vellet bona opera esse meritoria vitæ æternæ, etsi fierent ab eo, qui nec filius Dei, nec membrum Christi esset. quod apertè repugnat Trident. sess.6.c.16. & can.32. & Apostolo ad Rom.8. vt patet ex dictis.

38

Trident. Ad Rom. 8.

DVBIVM IV.

Quæ aliæ conditiones requirantur, vt aliquod opus sit de condigno meritorium vitæ æternæ.

39 VAriæ à Doctoribus eiusmodi conditiones assignantur, inter quas quædam ab omnibus admittuntur, aliæ verò ab alijs reiiciuntur. Primò igitur hic omnes recensebo, quæ cõmuniter à variis solent requiri, deinde ostendam de quibus inter eos dubitetur, & quid dicendum sit quantum potero explicabo. Ex quo patet

patet hoc dubio varias difficultates nobis esse dissoluendas; de quibus alij sigillatim quæstiones proponunt, commodiùs tamen iudicaui omnes hoc dubio complecti.

40 Vt igitur aliquod opus sit de condigno meritorium vitæ æternæ, requiritur Primò vt sit opus moraliter bonum. quia per opus malum aut indifferens nullum à Deo præmium mereri possumus: neutrum enim Deo placet, aut in eius obsequium refertur. Nam prius necessariò Deo displicet, eiusque voluntati repugnat: secundum verò hoc ipso quo in Dei obsequium refertur, desinit esse indifferens, & fit bonum. Et de hac conditione nulla est controuersia.

Secundò, requiritur vt sit factū à viatore. quia alii omnes sunt extra statum merendi. Tertiò, vt sit aliquo modo supernaturale, quia aliàs non esset proportionatum præmio supernaturali.

41 Quartò, vt sit liberum libertate contradictionis, ita scilicet vt in potestate facientis sit illud omittere saltē spectatis cōditionibus quæ de facto ad ipsum concurrunt, siue vt sit saltem in potestate ipsius id non facere cum iis circumstantiis, eoque modo quo de facto fit, iuxta dicta suprà disp.2.dub.7.num.108. Et hanc conditionem paucis exceptis communiter omnes requirunt, quia aliàs opus non esset formaliter bonum, & consequenter nec præmio nec pœna dignum. Vnde etiam communiter omnes hanc etiam conditionem in meritis Christi requirūt; quamuis dissentiant in explicanda ratione qua iis competit.

42 Quintò, vt id fiat ab homine iusto siue filio Dei, quia aliàs non habet vllam proportionem cum tali præmio, nam, vt ostendi suprà num.33. bonitas nostri operis etiam supernaturalis est absolutè finita; præmium autem nobis promissum est verè infinitum, tum ratione rei possidēdæ, quæ est ipse Deus bonum absolutè infinitum: tum ratione possessionis infinitè durantis. Item cùm hoc præmium sit vera hereditas, non conuenit id dari nisi filiis, nec opera meri serui possunt ad id promerendum habere vllam proportionem: sicut, imò multò magis, ac vilis mancipii seruitium nequit habere porportionem, vt mereatur successionem in amplissimum regnum. Omnis autem homo, quamdiu non est filius Dei, respectu ipsius Dei solùm est vilissimum mancipium. Hanc conditionem omnes admittunt, vt de facto saltem necessariam: & contrarium à duobus Pontificibus damnatum est. Et videtur ita requiri, vt implicet sine ea vllum opus esse vitæ æternæ verè de condigno meritorium, quia aliàs nullam cum tali præmio potest habere proportionem, vt iam ostendi.

Quare meritum vitæ æternæ debeat fieri à filio.

Sextò, vt adsit promissio talis præmii. Septimò, aliqui requirunt vt sit actus elicitus aut imperatus à caritate: plurimi tamen id negant. Restat iam vt discutiam aliquot difficultates circa has conditiones occurrentes.

43 Difficultas igitur est circa sextam conditionem. Aliqui enim volunt eam non requiri vt opus bonum sit de condigno meritorium vitæ æternæ, aiuntque eam solùm esse necessariam vt Deus bene operanti teneatur dare præmium ex fidelitate; qui aliàs id solùm teneretur dare ex gratitudine, quæ strictam obligationem non inducit.

Probatur Primò, quia promissio Dei nullum addit nostris operibus valorem, quo in se meliora aut digniora efficiantur: ergo non est necessaria, vt habeant veram rationem meriti. Secundò, quia peccatum mortale sine vlla promissione meretur pœnam æternam: ergo etiam opus bonum vitam æternam. Tertiò, quia gratia habitualis per se sine alia vlla Dei acceptatione aut promissione reddit nos filios Dei adoptiuos & heredes vitæ æternæ: ergo similiter opera bona à iusto facta reddunt eum dignum augmento hereditatis. Quartò, quia Christus non indiguit vlla promissione vt de condigno nobis mereretur remissionem peccatorum, & restitutionem iustitiæ peccato Adami amissæ: ergo promissio ad meritum non est necessaria. Antecedens probatur: quia aliàs peccatum esset potentius ad inducendam nobis pœnam æternam, ad quod non indiget vlla promissione, quàm Christi meritum ad restituendam iustitiam: illud autem repugnat Patribus, qui docent donum libertatis fuisse potentius, quàm debitum seruitutis. Quintò, quia aliàs sequeretur, Christum non fuisse condignè meritum gratiam antiquis Patribus, quia hæc fuit illis data antequam Christo fieret vlla promissio de ea danda.

Sextò, quia aliàs sequeretur, iustos ignorantes hanc Dei promissionem suis bonis operibus non mereri vitam æternam, & similiter eos qui tenent per opera habitum remissiora nos non mereri augmentum gloriæ, hoc per talia opera verè non mereri; quia non acceptarunt talem Dei promissionem.

Septimò, quia qui iubente domino vineæ, aut saltem vidente & approbante in ea laborat, meretur denarium diurnum sine vllo alio pacto: ergo quicumque iustus facit aliquod opus bonum, cùm hoc faciat Deo iubente aut saltem approbante, sine alia promissione meretur vitam æternam.

Contrà Nominales volunt, opus bonum totaliter, aut saltem præcipuè suam condignitatem respectu vitæ æternæ accipere à promissione Dei, & aliàs ad tantum præmium secundùm se esse omnino improportionatum. Ita Gabriel *Gabriel.* in 1.d.17.q.3.a.3.dub.1.§. *Pro resolutione illarum.* *Occam.* Occam ibid.q.2.§. *Ideo dico aliter.* Scotus q.2. §. *Scotus.* *Hic potest dici*, v. *Contrà ratio meriti.*

Secunda difficultas est circa 3. conditionem. 44
Quidam enim putant vt opus de condigno mereatur vitam æternam, sufficere quòd sit moraliter bonum, & fiat ab homine iusto, & sit secūdùm modum supernaturale, etsi secundùm substantiam sit naturale. Probant Primò, quia Scriptura sæpè generatim promittit vitam æternam facientibus opera misericordiæ: atqui hæc sæpè fiunt ex motiuo honesto merè naturali, & consequenter sunt secundùm substantiam merè naturalia; ergo opera in substantia naturalia possunt mereri vitam æternam.

Secundò, quia Trident. sess.6.c.10.& 16. & *Trident.* sess.14.cap.8. generatim docet, iustos per bona opera mereri vitam æternam: atqui ipsi faciunt

multa bona opera non supernaturalia in substantia: ergo opera bona in substantia naturalia merentur vitam æternam.

45 Tertia difficultas est circa secundam conditionem: vtrùm scilicet hæc requiratur ex natura rei, an ex sola Dei ordinatione. Quidam enim eam putant requiri ex natura rei, ita vt omnis actio non viatoris, quantumuis bona, supernaturalis, ac libera, ex natura sua ratione status ipsius operantis sit omnino incapax omnis meriti, præsertim de condigno, adeò vt, etsi Deus tali operi augmentum gloriæ promitteret, id tamen nulla ratione de condigno posset mereri. Ratio eorum est, quia credunt Dei ordinationem aut promissionem esse omnino impertinentem ad rationem meriti. Quare cùm constet defunctos nihil amplius de condigno à Deo mereri, necessariò dicendum est eorum statum hoc ex sua natura habere.

46 Conclvsio I. Opera iustorum supernaturalia non accipiunt suam condignitatem siue proportionem cum præmio totaliter aut etiam præcipuè à promissione siue ordinatione Dei, qua ad tale præmium ordinantur: sed eam longè maxima ex parte habent ex natura sua & conditione operantis, quatenus scilicet hic est filius Dei & membrum Christi.

Patet ex dictis dub.3.& Confirmatur, quia, etsi promissio possit efficere vt opus quod ex se non habet omnino completam proportionem cum præmio, eam habeat ratione promissionis; necessariò tamen aliquam proportionem in ipso opere requirit, quam suo aduentu compleat. v.c. proponens præmia currentibus in stadio talia, quæ solent eiusmodi operibus proponi, ex parte efficit vt victoris cursus sit dignus suo præmio: secùs tamen esset si victori pro præmio proponeret opulentum regnum, aut leuantibus stramen centum millia aureorum. quo casu non efficeret illorum opera digna his præmiis, & postea supradicta iis largiendo, non daret iusta meritis præmia, sed stulta prodigalitate sua profunderet. Cuius non est alia causa, quàm quia illa opera non habent ex se sufficientem cum iis præmiis proportionem, vt posita promissione possint ea de condigno mereri. vide dictan. 16.

Promissio potest aliqua ratione complere, non tamen conferre proportionem operis cum præmio.

47 Conclvsio II. Secluſa Dei promissione iustus per sua bona opera nullum omnino ius etiam latè sumptum ad regnum cælorum aliudue præmium à Deo obtinendum haberet, nec Deus ex vllo capite ei teneretur quidquam pro operibus dare. Ita Auctores citandi pro 3.concl. & Scotus, Gabriel, Occam citati n.43.& expressè docet D.Augustinus serm.16.de verbis Apostoli, citandus infrà n.90.

Scotus. Gabriel. Occam. Augus.

Probatur, quia neque tenetur ex iustitia, neque etiam ex fidelitate (nam hæc supponunt promissionem) neque etiam ex gratitudine alioue simili capite: ergo nullo modo tenetur. Respondent aliqui, eum obligandum ex gratitudine, quia bona nostra opera cedunt in Dei honorem. Sed contrarium satis probaui dub.1. n.8.& Confirmatur Primò, quia Deus propriè nullum commodum ex nostris operibus accipit; nam externo illo honore, qui ei ex nostris bonis operibus aliquo modo accrescit, nec indiget nec aliquo modo in se beatior fit. Sed potiùs ipsa nostra bona opera nobis per se vtilia sunt & Dei dona, ideoque ipsi pro iis ab eo acceptis potiùs obligamur esse grati, quàm ipse nobis. Sicut etsi discipulum aliquem bene studentem multùm proficere cedat in honorem magistri, tamen magister non tenetur ideo discipulo esse gratus, siue habere gratias; sed contrà discipulus debet ipsum profectum acceptum referre suo magistro, eique pro eo gratias agere.

Quare Deus non teneatur ex gratitudine remunerari nostra bona opera.

Secundò, quia toti sumus ipsius Dei, & quidquid habemus aut facere possumus, mille modis ei debemus: nec vmquam vel minima ex parte ipsius in nos beneficiis ac debito, quo ipsi obligamur, satisfacere possumus. Quasigitur debebit nobis gratias, si aliquid boni faciamus? certè multò minores, quàm dominus deberet suo mancipio, quod ob sua scelera morti destinatum magno pretio non tam sua quàm ipsius causa redemisset, & morbis confectum ac moribus peruersum magnis impensis curasset ac instruxisset; si hoc post tot beneficia leuem operam domini seruitio impenderet. Absurdissimum autem est dicere talem dominum huic mancipio pro eo seruitio aliquid ex gratitudine debere.

Dices, Recta gubernatio postulat vt Superior bene facta aliquo præmio, & peccata supplicio afficiat: ergo Deus ad hoc tenetur.

Respondeo Primò, inde non sequi, quòd obligetur ipsis bene operantibus vt det iis præmium; sed solùm quòd sibi ac suo officio quodammodo obligetur vt illud faciat: sicut etsi iustitia exigat vt malos puniat, non obligatur tamen ipsis malis vt eos puniat.

Respondeo Secundò, antecedens solũ esse verũ quando subditi aliter nequeunt bene gubernari, & ad virtutẽ prouocari; Deus autẽ pro infinita sua sapiẽtia posset alijs modis si vellet nos optimè gubernare. Quamuis omnino fatẽdum sit illum gubernandi modum & diuinæ bonitati & nostræ naturæ esse conuenientissimum, quemque hoc rerum ordine æquitas ita manifestè exigit, vt naturali lumine clarissimè colligatur. Deum æquissimum iudicem eum sequi.

48 Conclvsio III. Omnino necessaria est Dei promissio, qua nos ad gloriam æternã promerendam ordinat, eamque nobis vt præmium operum addicit, vt eam de condigno mereamur. Ita Suarez de Reuiuiscentia meritorum disp.1. sect.3.nu.8. D.Thomas 1.2 q.114.a.1. vbi docet, actus nostros, quòd sint vitæ æternæ meritorij, habere ex Dei ordinatione. Et ex hac parte vera est sententia Scoti, Gabr. & Occam, quos n. 43. citaui. Probatur Primò, quia nos aliquid ab aliquo de condigno mereri, intrinsecè dicit nos ipsum aliqua ratione obligare vt illud nobis det: atqui, vt iam ostendi, secluſa promissione nulla ratione possumus Deum nostris operibus vt nobis det vitam æternam, vlla ratione obligare: ergo secluſa Dei promissione non possumus hanc de condigno mereri. Secundò, quia, vt ostendi suprà dub.3.nostra opera etiam vt facta à filio ex se non habent sufficientem condigni-

Suarez. D.Thomas. Scotus. Gabriel. Occam.

dignitatem cum tanto præmio, sed tantùm quamdam proportionem, vt per Dei promissionem possint ad tantum præmium promerendum ordinari: ergo illa secluſa hoc de condigno mereri non possunt.

49 Dices, Hoc ipso quo Deus aliquem adoptat in filium, dat ei aliquod ius ad vitam æternam: ergo sine vlla alia promissione eius opera eam de condigno merentur. Respondeo Primò, aliquem fieri filium Dei adoptiuum non consistere in sola infusione gratiæ habitualis, vt infrà ostendam, sed includere Dei promissionem qua tali vitam æternam promittit, eique ius ad illam confert. quare etsi totum concederemus, nihil propriè faceret contra nostram conclusionem, quia etiam in illo casu meritum non esset sine omni Dei promissione, quod nos solùm contendimus fieri non posse. Respondeo Secundò, negando consequentiam; quia, etsi Deus hoc ipso quo aliquem adoptat in filium, necessariò ei tribuat aliquod ius obtinendi beatitudinem, quia in hoc illa adoptio intrinsecè consistit, tamen non necessariò tribuit ei facultatem vt possit suis bonis operibus illud ius augere merendo maiorem beatitudinem. Nam posset eum ad certum gradum beatitudinis ita adoptare, vt nullis meritis possit maiorem acquirere: vt ex tertia ratione & concluſ.7. magis patebit. Adde, Deum aliquem adoptando in filium non necessariò eum destinare ad tam perfectam beatitudinem, quàm sit ea quam de facto speramus ac meremur.

Probatur Tertiò, quia aliàs nulla esset ratio cur Beati, & animæ existentes in Purgatorio non possent mereri maiorem beatitudinem, cùm illius secluſa contraria Dei ordinatione sint capaces, & multa opera eorum alias omnes conditiones ad meritum requisitas habeant. vt ostendam concluſ.7.

50 Ad primum argumentum contrarium, nego consequentiam: nam etsi Dei promissio non efficiat nostra opera in se meliora, tamen completeorum proportionem cum tali præmio, & ita ei condigna efficit. vt ostendi dub.3. not.3.

Ad secundum, nego consequentiam. Primò, quia peccatum mortale lõgè aliter est dignum pœna æterna quàm bonum opus vita æterna. vt ostendi dub.3.num.37. Secundò, quia merendo vitam æternam, acquiro mihi aliquod ius vt Deus eam mihi det, eumque aliquo modo ad hoc obligo, vt patet ex dictis, & fusius docebo dub.5. ad quod necessaria est ipsius promissio: merendo autem pœnam æternam nullum ius acquiro, nec Deo vllam obligationem impono; sed solùm in me resultat obligatio pœnam æternam sustinendi si Deus eam infligat; & in Deo ius eam infligendi, si velit. Quæ naturaliter consequuntur violationem diuinæ auctoritatis, quæ peccato violatur. Ad tertium, nego antecedens: quia, vt ostendam disp.21. dub.8. gratia habitualis siue caritas non habet ex natura sua, sed ex sola Dei ordinatione vim constituendi aliquem filium Dei adoptiuum, siue heredem vitæ æternæ. Et similiter actus caritatis ex eadem Dei ordinatione siue promissione habent vim merendi vitam æternam.

Cur potiùs requiratur promissio ad meritũ præmij, quàm ad meritum pœnæ.

Ad quartum, nego antecedens: quia, etsi Christi opera non indiguerint vlla Dei promissione, aut acceptatione, vt in se essent condigna eo præmio, aut etiam infinities maiore: ea tamen indiguerunt vt Deum obligarent vt nobis tale præmium conferret, & consequenter vt id absolutè de condigno mererentur. Confirmatur, quia aliàs sequeretur, Christum nobis de facto meruisse vt omnes homines efficaciter & absolutè eligerentur ad gloriam, & quidem infinitam: nam ad hoc eius merita fuerunt sufficientia. Illud autem apertè falsum est: nam, etsi Christi meritum fuerit absolutè secundùm suã dignitatem infinitum, tamen non meruit nobis gratiam aut gloriam nisi absolutè finitam: nec omnibus absolutam electionem ad gloriam meruit, sed ijs solis, qui de facto id merentur & in gratia moriuntur: quòd autem nobis illa non meruerit, causa est solus defectus promissionis. Nam si Deus Christo eiusmodi præmium promisisset, hic sine dubio fuisset meritus vt omnes homines de facto saluarentur; & consequẽter omnes fuissent saluati, quia Christus non potuit iusto meritorum suorum præmio priuari. Quare hinc etiam nostra conclusio apertè conuincitur esse vera. 51

Quòd Christus non meruerit omnibus omnino hominibus efficacem & absolutam electionem ad gloriam obtinat solus defectus promissionis siue decreti Dei.

Dices, Christum ideo ista nobis non meruisse, quia sua opera ad illum finem non obtulit Patri; quod tamen ad hoc erat necessarium. Sed contrà, nulla est causa cur ad rationem meriti potiùs ex mea parte requiratur vt mea opera offeram Deo ad tale præmium promerendum; quàm ex parte Dei, eiusdem promissio. Imò illa oblatio, si qua ratione necessaria sit, nulla alia ratione potest requiri, nisi quatenus est necessaria vt promissionem præmiantis acceptem. Vnde etiam promissio præmij longè potiore ratione est necessaria, quàm illa operum oblatio: nam in præmiante est necessaria expressa intentio tale præmium determinatè promittendi; in merente verò vt summum est necessaria confusa aliqua generalis ac omnino implicita intentio eam promissionem acceptandi: nam aliàs qui ignorant nos per quæuis nostra opera etiam habitu remissiora mereri augmentum gratiæ aut gloriæ, aut qui contrarium credunt; cùm sua opera in hunc finem determinatè non offerant, illud non mererentur. 52

Qua ratione merens præmiũ debeat sua merita ad hoc offerre.

In promittẽte præmium debet esse magis determinata intẽtio, quàm in merente.

Confirmatur & explicatur clarè exemplo. Quia, vt aliqui currendo in stadio mereantur certum brauium, necessarium est vt agonotheta certum præmium victoribus determinatè promiserit: hi tamen id determinatè ex condigno merentur, etsi nesciant, quale præmium propositum sit; imò etsi nesciãt aliud præmium fuisse propositum præter plausum spectatorum. Ad illud enim sufficit quòd illa præmia fuerint communitati proposita, & ab ea acceptata, & quòd victores intenderint eadem conditione cum alijs currere.

Ad probationem, nego assumptum: nam vt medicina dicatur potentior morbo, non est necesse, quòd ad restituendam sanitatem nihil requirat, quod morbus non requirit ad adferendã mortem (nam aliàs non esset opus vt æger medicinam sumeret) sed sufficit quòd ipsa habeat 53

vim expellendi morbum, si ægro debitè applicetur. Sic vt Christi meritum sit potentius nostris peccatis, sufficit quòd habeat ex se sufficientem vim ea tollendi, modò nobis debitè applicetur, ad quod requiritur Dei promissio de nobis danda gratia præueniente, & remissione peccatorum. & hoc vt summum docent Patres: quamuis ipsi propriè agant de peccato Adami, & seruitute quam per ipsum incurrimus.

54 Ad quintum, nego assumptum: nam vt Christus antiquis Patribus de condigno meruerit gratiam, sufficit quòd Deus illis dederit gratiam ob præuisa merita Christi ex pacto futuro facienda. Nam si quis daret vinitori indigenti aureũ intendens postea cum eo pacisci vt colendo suam vineam eum mereatur; hic postea ex pacto operando verè illum aureum meretur, idque ex iustitia; ad quod meritum patet requiri pactum. Adde, generi humano statim post lapsum Adami fuisse factam promissionẽ de mittendo Saluatore & danda hominibus gratia ob illius futura merita; quam homines cùm adipsos etiam spectaret, acceptare poterant, & de facto acceptarunt.

Ad sextum, patet solutio ex responsione ad quartum, vbi ostendi ad rationem meriti sufficere implicitam acceptationem promissionis, quam ignorantes habere possunt.

Ad septimum, Respondeo antecedens solùm esse verum quãdo illa iussio aut approbatio habet vim impliciti pacti: vnde multis casibus fallit: & præsertim quando operans ex alio capite tenetur gratis hortum alterius id petentis aut iubentis colere. Sicut accidit nobis respectu Dei, cui secluſa promissione tenemur in omnibus gratis obtemperare & seruire. Quare secluſa omni Dei promissione, quantumuis homo ſua opera faceret ſpe mercedis, & hanc per illa mereri intenderet, nullo tamen modo Deum ad eam ſibi dandam obligaret, nec ad eam vllum ius acquireret. Sicut quantumuis ſeruus ſuo ſeruitio intendat ſuum dominum obligare vt ſibi aliquod præmium conferat, fruſtra tamen id faciet, ſi hic ei nihil promiſerit; nec hoc caſu quidquam aliàs ſibi indebitum merebitur.

Cur secluſa promissione non sufficiat nos intendere nostris operibus mereri præmiũ Deumq; hoc scire.

55 Quod verum eſt etſi ipſe domino ſuo dicat ſe ea intentione hoc vel illud opus facere vt tale præmium mereatur, niſi hic oſtendat ſe id ſub ea conditione acceptare, quo caſu ei implicitè præmium promitteret. Ad hoc tamen non ſufficit dominum id audientem tacere: quia cùm habeat ius, vt ſeruus illud opus faciat ſine vlla mercede, non tenetur illam conditionem acceptare. Et conſequenter præcisè tacendo nõ magis poteſt dici eam acceptare, quàm eam contemnere, ſiue reiicere: iuxta regulam Iuris 44. in 6. vbi dicitur: *Is qui tacet non fatetur.* Ex quo communiter inferunt, tacentem non conſentire in ſuum præiudicium; ſed ſolùm in fauorabilibus, iuxta regulam 43. ibidem. vt fusè docet Sanchez lib. 1. de matrim. diſput. 5 n. 5. Quare dominus tunc tacens ſolùm cenſetur acceptare illud opus, quatenus ſibi commodum eſt. Adde, ſi vt ſeruus eſſet diligentior, dominus ſignificaret ſe conditionem eam acceptare, ſine animo præmium dandi, aut ſe ad hoc obligandi, peccaret quidem contra veracitatem, tamen nullam faceret ſeruo iniuriam, nec hic acquireret vllum ius ad præmium. quia nullum habebat ius vt dominus illud ſeriò promitteret. Sicut ſi quis ſuo debitori iniuſtè protrahenti ſolutionem, quo eum ad ſoluendum excitaret, aliquid fictè promitteret, accepta ſolutione, ei non teneretur, ſaltem ex iuſtitia aut fidelitate, promiſſum ſoluere.

Quando tacens censeatur consentire, & quando non.

Sanchez.

Fictè promittens non obligatur iniuſtè extorquenti præmiſſum.

Dices Primò, Multa ſunt opera bona, ad quæ non obligamur; qualia ſunt opera conſilij euangelici: ergo hæc faciendo ex ſpe mercedis, hanc ſine vlla promiſſione de condigno merebimur. Secundò, tacitum illud pactum non habet vim promiſſionis, quia non eſt materia iuramenti promiſſorij. Tertiò, quia qui alicuius operam valentem vno aureo conduceret expreſsè medio aureo, teneretur huic ex iuſtitia dare integrum aureum, & tamen hoc ei non promiſiſſet: ergo hic ſine vlla promiſſione integrum aureum mereretur. 56

Ad primum, nego conſequentiam. Primò, quia, etſi Deus de facto ea opera nobis non præcipiat, tamen habet abſolutum ius ea nobis præcipiendi: quare ea faciendo ſub ſpe mercedis non poſſumus Deum obligare vt ea cum illa conditione ſiue cum eo onere acceptet; aut impedire quo minùs iuſtè velit nos ea facere ſine vlla mercede. Secundò, quia etſi ad ea non obligemur ſub vllo peccato, tamen ex gratitudine ob beneficia à Deo accepta ſunt ei aliquo modo etiam debita, quatenus ſi velimus his prout conuenit ſatisfacere, debemus nos totos omniaque noſtra Deo offerre, omniaque bona quæ poſſumus, eius cauſa facere, cùm etiam hoc faciendo numquam poſſimus ei plenè ſatisfacere; ſed ſolùm ſecundùm quid, & quantum poteſt à nobis iure exigi. 57

Gratitudo in Deum multa à nobis exigit, ad quæ abſolutè non obligamur.

Ad ſecundum, nego aſſumptum, eiuſque probationem. nam qui ſciens alterum ſuum hortum colere ſpe mercedis, eius operam cum ea conditione oblatam acceptat, hoc ipſo promittit ei mercedem, &, ſi iuraret ſe eam ita acceptare, ex iuramento obligaretur ei mercedem ſoluere, eodem modo ac ſi id expreſsè iuraſſet.

Ad tertium, nego priorem partem antecedẽtis eſſe generatim veram. nam fallit quoties conducens operam alterius non obligatur ex iuſtitia ipſi pro ea integrum aureum promittere, ſiue quoties habet iuſtam cauſam eam medio pretio conducẽdi. vt accidit Primò, quãdo alter ex alio capite tenetur gratis ipſi id exigenti ſuam operã impendere, ſicut nos obligamur Deo. Secundo, quando eõducens nõ indiget opera alterius, eò quòd facilè gratis, aut exiguis expenſis poſſet aliunde ſimilem operam habere, atque ita huius operam magis conducit gratia ipſius locantis, quàm ſui, vt ſcilicet ille habeat occaſionem aliquid lucrandi, qui aliàs magno ſuo incommodo deberet omni lucro carere. Prout etiam accidit in noſtris meritis reſpectu Dei, qui ea magis noſtra, quàm ſua cauſa à nobis 58

Multis casibus licitè medio pretio alterius operam conducimus.

fieri

fieri cupit. Tertiò, quoties mercenarius sciens & prudens sine vlla necessitate ita alteri suam operam elocat: tunc enim alter ei nullam facit iniuriam eam eo pretio conducendo, nec ille tunc plus sua opera meretur. quòd si conducens sine locantis iniuria non poterat eius operam minore pretio quàm integro aureo conducere (vt ferè fit deficientibus omnibus causis suprà allatis) tunc tenetur ei integrum aureum persoluere. Quia cùm tunc non possit licitè eius operam conducere nisi promittendo ei integrum aureum, hoc ipso quo sciens eam conducit medio aureo, per iniuriam est ei causa damni, & consequenter tenetur hoc ei reparare. Ad quod tenetur etiam ratione rei acceptæ, si inde factus sit ditior, & alter non intenderit suam operam gratis dare; sicut is qui aliam rem valentem vno aureo ab ignaro aut coacto vendere, emisset medio. Sed hic casus nullo modo competit meritis nostris erga Deum, qui potest à nobis gratis omnia opera exigere.

59 His adde, ne quidem in hoc casu locantem operam strictè loquendo mereri de condigno integrum aureum: atque ita consequentiam esse nullam. Quia si conducens omnino putasset eius operam non valere nisi medio aureo, & ex ea aliquo casu nullam accepisset vtilitatem (vt si aratum ac satum agrum quem sine illius opera conducens non arasset, inundantes aquæ omnino reddidissent infructiferum) tunc ille non teneretur ei pluspquam medium aureum dare. quod esset falsum, si hic de condigno fuisset integrum meritus; nam si ei promisisset integrum, teneretur ei integrum dare, quia tunc fuisset de condigno eum meritus. Quare quòd talis conductor teneatur aliquando integrum aureum alteri dare, strictè loquendo, non prouenit ratione meriti de condigno; sed aut ratione damni alteri per iniuriam illati, aut ratione rei acceptæ, siue quia ab altero non gratis dante accepit rem sibi non debitam tanti valentem, quæ in suo effectu adhuc apud eum exstat, quatenus inde factus est ditior. Quod, vt per se patet, non includit necessariò rationem meriti: nam si ea ratione conduxisset operam alicuius equi, eodem modo obligaretur, cùm tamen equus non sit capax veri meriti.

60 Conclvsio IV. Probabilius est ad meritum vitæ æternæ requiri actum supernaturalem in substantia. Ita Molina in sua Concordia *Molina.* disp.6. & videtur apertè sententia D. Thomæ *D.Thom.* 1.2.q.114.art.3. vbi docet, nostros actus solùm habere rationem meriti quatenus procedunt à Spiritu sancto, siue à principio supernaturali: quod non aliter est necessarium, quàm quia illi debent esse supernaturales. vt ostendi disp.4. dub.3.

Pro quo Nota Primò, longè probabilius esse iustis præter virtutes theologicas infundi etiam habitus virtutum moralium. vt ex communiore Theologorum sententia ostendi disp.6. dub.2.

Secundò, habitum voluntati inhærentem, cùm sit agens naturale & necessarium, semper vnà cum ea in actum influere, quoties ipsa producit aliquem actum in quem habitus potest influere, siue quoties ipsa operatur circa ipsius obiectum formale. vt ostendi disput.6.dub.5. concluf.2.

Tertiò, actus naturales & supernaturales posse habere idem obiectum formale. vt ostendi disp.5.dub 3.

Probatur ergo Conclusio Primò, quia aliàs actus nostri non haberent proportionem cum præmio, quod in sua substantia est omnino supernaturale, & altioris ordinis. Nec sufficit, si dicas eos sufficienter habere hanc proportionem hoc ipso quo fiunt à filio; quia vt filiatio possit operibus nostris tribuere hanc proportionem cum præmio, debent ipsa ex se habere aliquam proportionem cum statu filiationis; qui cùm omnino sit supernaturalis, sola illa opera sunt illi proportionata & ad illum spectantia, quæ sunt etiam ordinis supernaturalis. 61 *Cur ad meritum requiratur actio supernaturalis in substantia.*

Probatur Secundò, quia, vt patet ex Iohannis 15. vers.5. Arausicano cap.6. Trident.sess.6. can.3. non possumus naturæ viribus sine auxilio gratiæ facere vllum opus immediatè conducens ad salutem, quale est omne opus meritorium vitæ æternæ: atqui huius nulla est alia ratio quàm quia talia opera necessariò sunt in substantia supernaturalia: ergo dicendum est, omnia opera, quibus meremur vitam æternam, necessariò esse in sua substantia supernaturalia. Minor probatur, quia ad opera solùm secundùm modum supernaturalia sæpè sufficeret gratia externa, siue pia aliqua motio, quam Deus mediantibus creaturis, v.c. concionatoribus, bonis aliorum exemplis, subitis ac horrendis aliquorum punitionibus, &c. in nobis excitaret. quod tamen dici non potest: quia, vt ostendi disp.4. dub.4. Pelagiani eiusmodi gratiam admittebant, & tamen fuerunt ab Ecclesia damnati. vide hac de re plura suprà disput.4. dub.3.concl.3. 62 *Iohan.15. Arausic. Trident.*

Probatur Tertiò, quia omnes actus virtutum moralium, qui ex obiecto suo & circumstantiis sunt proportionati ad merendam vitam æternam, si fiant ab homine iusto, fiunt ab habente eorum habitus supernaturales, atque ita necessariò ab his procedunt, iuxta dicta not. 2. & 3. & consequenter sunt supernaturalia. Confirmatur, quia, cùm dicti habitus nobis infundantur, vt per eos actus meritorios eliciamus; frustra id fieret si possemus mereri vitam æternam per actus secundùm suam substantiam merè naturales, quia ad eiusmodi actus eliciendos non indigemus habitibus infusis, sed ad summum aliqua gratia præueniente, v. c. pia aliqua cogitatione à Deo in nobis excitata. 63 *Omnes actus virtutum hominis iusti sunt supernaturales.* *Ad actus nō supernaturales in substantia non indigemus habitu infuso.*

Ex his patet responsio ad argumenta proposita pro contraria sententia numero 44. libenter enim concedimus iustos per opera misericordiæ, ac aliarum virtutum mereri regnum cælorum: sed dicimus hæc debere procedere ab habitu alióue principio supernaturali. quod etiam communiter saltem in omnibus iustorum bonis operibus fit: vt ex dictis patet.

64 CONCLVSIO V. Vt opus sit meritorium vitæ æternæ, non requiritur vt eliciatur aut imperetur à caritate. ita cum alijs Vasquez 1.2.disp. 217.c.2 .& Suarez disp.2. de Reuiuiscentia meritorum sect.3.num.53. Paret Primò, quia Scriptura & Patres sæpissimè absolutè docent, opera misericordiæ aliaque similia mereri vitam æternam : quod falsum esset, si sola opera caritatis elicita aut imperata eam mererentur. Quia sic non esset absolutè verum alia virtutum opera eam mereri ; nam solùm quandoque & per accidens eam mererentur , quando scilicet & quatenus à caritate imperarentur, quod ijs omnino per accidens est. Probatur Secundò, quia Scriptura satis apertè innuit contrarium. Nam Matth.10.dicitur, recipientem iustum in nomine iusti, aut dantem alicui calicem aquæ frigidæ in nomine discipuli , non cariturum mercede. Certè si esset necesse hæc fieri ex caritate in Deum, non sufficeret ea facere in nomine iusti aut discipuli. Tertiò, quia aliàs pleraque iustorum bona opera carerent sua mercede : quia communiter homines non solent operari ex caritate, sed ex motiuo aliarum virtutum, & sæpissimè ex virtute spei, siue ex spe mercedis; quos tamen spes secundùm aliam sententiam confunderet , quia nullam mercedem reciperent. Quartò , quia aliàs qui præcisè ex amore erga fidem Christianam, iustitiam, aut castitatem eligeret potiùs mori , quàm contra has virtutes peccare, & ideo de facto occideretur, nullam ideo à Deo mercedem acciperet : quod apertè est absurdum, & contra communem Ecclesiæ sensum; quæ ita occisos vt Martyres colit, & eorum facta vt summè heroica ac meritoria summis laudibus effert; nec vnquam solet inquirere, an hoc fecerint ex affectu caritatis. Qua de re plura dixi tom.1.de Sacramentis, quæst.66. num.150.

Vasquez. Suarez. *Matth.10.*

65 Dices Primò, Matth.10 dum dicitur, omnẽ qui reliquerit domum, patrem, aut matrem, &c. accipere centũ vitam æternã, additur, *propter nomen meum.* vbi insinuatur, eum hanc non accepturum, qui illa ob alium finem fecerit. Secundò, Matth.5.dicitur , *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis ?* ergo ad obtinendam mercedem necesse est vt diligamus amicos propter Deum. Tertiò, Matth.10.vt quis alium recipiendo mereatur vitam æternam, debet eum recipere in nomine Prophetæ , discipuli, aut iusti, id est propter Christum, cuius discipulus aut Propheta est. Quartò, quia, vt dicitur Iohannis 15.& à Trident.sess.6. cap.16. vt mereamur debemus manere in Christo , & ab eo virtutem accipere, sicut palmes à vite : illud autem fit per actum caritatis. Quintò , per omne nostrum meritum , quo meremur augmentum gloriæ, augetur in nobis habitus caritatis: atqui hoc solùm potest fieri per opera à caritate procedentia: ergo per alia opera non meremur augmentum gloriæ. Sextò, vt opus sit meritorium, debet referri in finem supernaturalem : ergo per actum caritatis.

Matth.5. *Matth.10.* *Iohan.15.* *Trident.*

66 Sed hæc omnia argumenta solùm probant sequentem nostram conclusionem : scilicet vt opus sit meritorium vitæ æternæ , debere aliquo modo referri ad Deum, siue ad aliquem finem supernaturalem : quod fit quoties aliquod opus aut habet Deum pro obiecto ; aut fit ex spe mercedis supernaturalis, aut ex motiuo aliquo spectante ad religionem aut statum hominis Christiani. Omnibus enim his modis fit propter Deum , quatenus omnis eiusmodi finis ex se ad Dei gloriam ordinatur. Et aliàs iustus qui ex affectu siue amore fidei Christianæ, quia hanc nollet negare , mortem pateretur, nisi simul eliceret actum caritatis, nihil mereretur: quod absurdum est.

Qui facit aliquid ob finẽ aliquo modo supernaturalem, facit id propter Christum.

Ex quo patet solutio primi & tertij argumenti: solùm enim probant, vt deferentes parentes, aut suscipientes discipulum Christi per hoc aliquid à Deo mereantur , non sufficere eos hoc facere ob commoda temporalia, aut similem causam; sed requiri vt id faciant aliquo ex dictis finibus: qui enim hos intendit, verè ea propter Christum dicitur facere.

67 Ad secundum , Respondeo ibi solùm dici, non sufficere nobis ad vitam æternam si solos amicos diligamus, & interim inimicos oderimus, atque ita peccemus mortaliter. Idemque & nihil aliud docet Apostolus 1.ad Corinthios 13.dum dicit neque fidem, neque opera misericordiæ, &c. nobis prodesse posse sine caritate, non quidem actuali, sed habituali: agit enim de ijs qui in schismate & mutuo odio viuunt; quibus etiam reliqua bona opera docet nihil prodesse , quamdiu volunt in schismate & dissensionibus persistere.

1.Cor.13.

Ad meritum requiritur caritas non actualis, sed habitualis, qua in Christo manemus.

68 Ad quartum, Respondeo ibi solùm dici nos nihil posse mereri sine habitu caritatis, quo in Christo manemus, & nisi opera nostra à Christo eiusque gratia virtutem merendi accipiãt; quæ conditio non solis actibus caritatis , sed etiam alijs iustorum operibus conuenire potest. omnia enim opera supernaturalia quæ iusti faciunt, faciunt manentes in Christo & virtute ab eo accepta.

Ad quintum, nego minorem: cùm enim habitus infusi per opera nostra solùm meritoriè augeantur, per quæuis opera meritoria omnes augentur: exceptis habitibus fidei & spei, quando hi aliis sunt intensiores, iuxta dicta disp.6. n.60.& 61.

Ad sextum, nego consequentiam: quia opera nostra etiam per alios actus præsertim fidei & religionis in talem finem referri possunt.

69 CONCLVSIO VI. Probabilius est vt opus aliquod sit meritorium vitæ æternæ, id debere aliquo modo referri in Deum saltem indirectè, quatenus fit ex fine spectante ad fidem, spem, caritatem , religionem , aut statum hominis Christiani.

Probatur Primò, ex argumentis contra 5. concl. allatis , præsertim primo & tertio; quæ hanc conclusionem valdè insinuant. Secundò, quia aliàs opera nostra nullo modo fiunt in obsequium Dei : atqui vt aliquid ab alio merear, debeo operari in obsequium ipsius (nam operando mea præcisè causa nihil ab alio possum mereri:) ergo vt opera nostra à Deo mereantur vitam æternam, debent ob aliquem ex dictis finibus fieri. Tertiò, quia Trident.sess.6.c.16. vt

Trident.

opus

opus sit meritorium gloriæ, requirit vt in Deo fiat & à virtute à Christo accepta: atqui opus cui supradicta conditio deest, non potest secundùm mentem Concilij dici hoc modo fieri: ergo non est meritorium vitæ æternæ. Minor probatur, quia neque fit propriè propter Deũ, eiusque obsequium, nec fit ex virtute quam Christus in nos vt in sua membra influit: nam sicut sumus solùm membra Christi, quatenùs sumus Christiani, ita Christus eam virtutem solùm influit in opera, quæ facimus vt Christiani: quæ autem illa conditione carent, ea non facimus vt Christiani, sed vt homines rationales & naturales philosophi.

Sola opera supernaturalia sunt in Christo.

70 Dices, Omne opus moraliter bonum cùm sit secundùm legem naturæ, & quoddam bonum naturæ rationalis qua talis est, naturaliter cedit in honorem Dei auctoris vtriusque: ergo sufficienter propter eum fit. Respõdeo, vt per aliquod opus aliquid ab alio merear, nõ sufficere quòd hoc quacumq; ratione in ipsius commodum siue honorem cedat, sed est necesse vt hoc aliquo modo intendam, aliàs nullo modo id faciam in obsequium ipsius. v. c. quando magna industria agendo causam meam lucror litem, & ita sum occasio cur Petrus, qui similem litem habet, hanc etiam lucretur, huic mea opera prodest; quia tamen eam non impendo in gratiam ipsius, per eam ipsi non obsequor, nec ab eo aliquid mereor. Idemque est quando aliquis operatur moraliter bene ob finem merè naturalem, nullo modo spectando aut Deum, aut quòd ita operari deceat hominem Christianũ, aut similem finem: tunc enim non videtur ea actione verè famulari Deo; & consequenter nõ meretur ab eo vitam æternam. Et confirmatur, quia tunc homo non operatur vt Christianus, nec eius actio est formaliter actio hominis Christiani, & consequenter non videtur esse meritoria, saltem vitæ æternæ; sed vt summum alicuius præmij temporalis: quia præmia supernaturalia tantùm sunt promissa operibus fidelium qua talia sunt.

Vt aliquid ab alio merear, non sufficit quòd opus meum præter meã intentionem in eius bonũ cedat.

71 Dices Secundò, hinc sequi, plurima opera bona iustorum manere sine mercede, quia multi, præsertim rudiores, in operando rarò spectant eiusmodi fines.

Respondeo negando assumptum, quia vix vmquam aut fortè numquam fideles faciunt aliquod opus absolutè bonum, nisi ex aliquo pio affectu, & sæpissimè ex motiuo spei, quia animirum aliquam mercedem à Deo sperant. Quod vel inde patet, quòd communiter ex iis aliquã fiduciam in Deum statim concipiant; quod non ita naturaliter & sine alia reflexione communiter accideret, nisi ex simili aliquo motiuo agerentur, ita vt actu sibi essent conscij se per ea opera Deo obsequi. Quod multò magis accidit in actibus heroicis, vt quando aliquis occiditur, quia non vult iustitiam aut castitatem deserere. Semper enim Christiani tunc reflectunt ad suum statum, siue quàm dedeceant ea peccata Christianum; aut ad supplicia, quæ eiusmodi peccata merentur: cùm enim tunc videant se constitutos in termino vitæ, ac debere statim coram Deo comparere, moraliter vix fieri potest, vt voluntas bene constituta (qualis est necessariò ea, quæ mortem peccato præfert) tunc nullum ad Deum, eiusque iudicium respectum habeat.

Fideles vix vmquam faciunt opus verè bonum non intendendo finẽ aliquo modo supernaturalem.

Conclvsio VII. Quòd opera non viatorum quantumuis aliàs bona, supernaturalia, ac libera, non sint meritoria augmenti gloriæ, prouenit ex sola Dei ordinatione. Ita Auctores pro 3. concl. citati. Probatur, quia cùm eiusmodi opera sint bona, libera, supernaturalia, & aliàs ex se proportionata tali præmio, nulla potest iusta ratio fingi, cur id nequeant mereri, nisi quia Deus ita statuit, siue quia ijs deest promissio quæ ad rationem meriti, vt suprà ostendi, requiritur. Quod maximè videtur clarum in operibus existentium in Purgatorio aut olim in limbo; qui nondum beatitudinem erant adepti, nec omnino positi in viæ termino. Quare nulla videtur alia esse ratio cur non potuerint maiorem gloriam mereri, quàm defectus promissionis & ordinationis diuinæ, siue quia Deus eorum actibus nullum præmium promisit, neque eos vlteriùs quidquam mereri voluit. Confirmatur, quia, vt dicitur 1. ad Corinth. 9. & ad Philip. 3. hoc tempus est nobis concessum ad merendum, sicut certantibus in stadio: atqui his ex sola agonotheræ voluntate præfigitur certum tempus, quo eorum industria possit mereri præmium, & post illud nullo modo est eo digna: ergo idem est de nostris operibus respectu vitæ æternæ.

72 Cur post mortem nequeamus mereri.

1. *Cor.* 9. *Philip.* 3.

Hinc sequitur, cùm peccata natura sua sine vlla Dei constitutione mereantur pœnam, etiam in inferno facta verè mereri augmentũ pœnæ: quamuis Deus statuerit hanc non augere; quia hoc ita conueniebat: nè illi qui ita sunt extremè miseri vt suam miseriam nullo modo possint aut tollere aut minuere, eam in perpetuum continuò sine vllo termino augerent; præsertim cùm ob defectum gratiæ impossibile ipsis sit non sæpè peccare, saltem aliquo peccato in genere. & hac etiam ratione eos Deus infra condignum punit.

Damnati suis peccatis verè merentur augmentum pœnæ, etsi Deus hoc iis non infligat.

DVBIVM V.

Vtrùm per nostra merita acquiramus verum ius ad vitam æternam, & qua ratione, siue ex qua virtute Deus obligetur eam nobis dare, & de facto det?

PRimò, quidam docent, Deum nullo modo obligari iustis pro suis meritis dare vitam æternam, nec hos ad illam vllum ius acquirere. Primò, quia is qui alteri aliquid debet, est hac ratione eo inferior eique subiectus: atqui Deus nulla ratione potest nobis esse inferior: ergo nulla ratione potest nobis aliquid debere. Secundò, quia si haberemus ius ad vitã æternam, eamque Deus obligaretur nobis dare, non posset sine nostra iniuria eam nobis negare: atqui hoc est falsum; quia, etsi Deus priuaret omnes Beatos sua beatitudine, nullam iis faceret iniuriam: ergo nullum ad eam habemus ius. Hanc tenet Durandus in 2. d. 27. q. 2.

73

Durandus.

74 Alij Secundò, volunt Deũ nobis nullo modo obligari dare vitam æternam, sed obligari sibi ipsi quatenus quod ipse ordinauit fieri, non potest non implere. Ita Medina 1.2.q.114.ar.3. Sotus lib.3.de Gratia c.7. in respons.ad 2. & videtur insinuare D.Thomas 1.2.q.114.a.1. Sed hæc sententia non videtur differre à priore, & iisdem argumentis nititur. Quidam tamen ex illis, vt Sotus, admittunt iustos habere verum ius ad gloriam, in quo à priore sententia differunt: in hoc tamen parum consequenter loquuntur, vt infrà magis ostendam.

Medina. *Sotus.* *D.Thom.* *Sotus.*

75 Tertia sententia docet, Deum ex iustitia cõmutatiua nobis obligari dare vitam æternam. Primò, quia meritum de condigno necessariò respicit debitum iustitiæ commutatiuæ in eo, à quo meremur: atqui verè de condigno meremur vt Deus det nobis vitam æternam: ergo hic ad illud obligatur ex iustitia commutatiua. Secundò, quia nos habemus verum ius vt Deus det nobis vitam æternam: atqui hoc respicit debitum iustitiæ: ergo vita æterna ex iustitia nobis est debita. Tertiò, quia Apostolus 2.ad Timotheum 4.ait: *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Vbi docet, iustis debitam coronam iustitiæ, quam reddet iustus iudex; apertè insinuans illam esse debitam ex iustitia, & Deum eam reddendo exercere actum iustitiæ. Confirmatur, quia idem ad Hebræos 6 ait: *Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri.* Vbi insinuat, Deum fore iniustum si obliuisceretur operis nostri boni non reddendo ei præmium. Hanc videntur tenere Scotus in 1.dist.17.qu.2. §.*Hic potest dici*, vers.*Contrà ratio meriti.* Gabriel in 2.d.27.q.1.a.2.in prob.1.conclus. Vbi docent, meritum de condigno necessariò respicere debitum iustitiæ commutatiuæ; & nos de condigno mereri à Deo gloriam. Eandem etiam tenent aliqui recentiores.

2.Tim.4. *Hebr.6.* *Scotus.* *Gabriel.*

76 Quarta sententia docet, Deum in distributione præmiorum exercere iustitiam distributiuam; quia pro proportione meritorum diuersis diuersam gloriã reddit. Ita Sotus citatus nu.74. Idem insinuant Hosius in Confessione Catholica cap.73. §.*Ceterum cùm dixit Paulus.* & Tapperus in art.11.Louanensi, & quidam alij. Quidam autem ex his Auctoribus docent, Deum nullo modo obligari nobis, vt det nobis gloriam. ita Sotus. An autem hac in re consequenter loquantur, patebit ex dicendis. Vt verò hæc difficultas possit clarè explicari primò alia examinanda est; scilicet in quo consistat ratio iustitiæ distributiuæ. Cùm enim hoc valdè controuersum sit inter Doctores, prius explicandum est, vt possimus videre an Deus reddendo nostris meritis gloriam exerceat iustitiam distributiuam.

Sotus. *Hosius.* *Tapperus.* *Sotus.*

77 Qua in re vt clariùs procedamus, notandum est secundùm communem sententiam, iustitiam, vt est communis commutatiuę & distributiuæ, spectare medium rei, siue æqualitatem inter datum & debitum. hoc autem est duplex; nam quandoque aliquid est debitum secundùm proportionem arithmeticam, quæ præcisè spectat æqualitatem duarum rerum inter se sine respectu ad alias, ideoque hæc proportio solùm necessariò respicit duas personas, scilicet debitorem, & eum cui debetur, sine respectu ad alias. Aliàs aliquid est debitum secundùm proportionem geometricam: quæ est proportio proportionum, & necessariò respicit plures personas, quibus aliquid debetur; vt talis sit proportio inter res distribuendas, qualis est inter personas accipientes. v.c. sint 14.aurei distribuendi inter tres studiosos secundùm proportionem doctrinæ eorum: inter quos primus sit duplo doctior secundo, & hic duplo doctior tertio. primus debebit habere 8.aureos; secundus 4. tertius 2. Vt sicut in prioribus respectu posteriorum est dupla proportio doctrinæ, ita sit etiam dupla proportio præmij. Et constat quidem iustitiam distributiuam communiter respicere hanc secundam proportionem; sed dubitatur, an hoc ei sit essentiale, & an per hoc propriè à commutatiua differat.

Iustitia spectat medium rei. *Proportio alia arithmetica, alia geometrica.* *Vtriusque descriptio.*

78 Quidam id negant Primò, quia quando aliquod beneficium confertur dignissimo, exercetur vera iustitia distributiua: atqui hic non reperitur illa proportio geometrica, quia hæc necessariò dicit plures recipere aliquod præmium; in eo autem casu vnicus id recipit: ergo distributiua non respicit necessariò talem proportionem. hoc autem argumentum maximè videtur vrgere quando vnicus se offert ad illud beneficium accipiendum.

Nec satisfacit, si dicas etiam hìc reperiri eiusmodi proportionem inter dignitatem accipientis beneficium, & indignitatem eorum qui id non accipiunt; quatenus sicut illius dignitas, spectatis omnibus circumstantijs, est proportionata beneficio accipiendo, horum verò non est proportionata, ita ille accipit beneficium, hi verò non accipiunt. hoc, inquam, non satisfacit, quia simili modo in omni commutatiua posset reperiri eiusmodi proportio. Nam debens alicui 100. dum ei soluit, ideo dat ei centum, quia tantum ei debitum est, & alijs nihil dat, quia ijs nihil est debitum: patet tamen in hoc casu interuenire solam iustitiam commutatiuam. Secundò, quia etiam in iustitia commutatiua sæpè reperitur eiusmodi proportio; vt patet in varijs operarijs, quorum vnus alio plus meritus est, ideoque plus accipit. Et præsertim quando aliquis multa varijs debens non potest omnibus integrè soluere, qui tunc tenetur proportionaliter plus soluere illi cui plus debet, & minus ei cui minus debet. Imò etiam in alijs virtutibus hæc proportio reperitur; vt in obseruantia, qua Superiores honoramus: quo enim quisque est in maiore dignitate, eo maior honor ei debitus est.

79 Addunt ijdem, iustitiam distributiuam per hoc propriè differre à commutatiua, quòd hæc respiciat ius omnino strictum in eo cui aliquid debitum est, & quod sit vel dominium, vel ei æquiualens; illa verò respiciat ius minùs strictum, & quod sine vera iniuria violari possit: nam illi, quibus beneficia aut officia publica conferri debent, antequam iis conferantur, non habent ad ea strictum ius; sed per collationem aut saltem per præsentationem aut denomina-

tio-

tionem tale ius illis confertur. Vnde fit quòd per violationem iustitiæ distributiuæ præcisè non incurratur obligatio restituendi. Ita quidam apud Rebell. de Obligationibus p.1. l.1. d. 3. sect 3. Eamque ex parte sequitur Malder. de Iustitia tract.1.c.1.dub. 4.

Rebell. Malderus.

80 Sed hæc patiuntur graues difficultates. Primò, quia apertè repugnant Aristoteli 5 Ethic. c. 3. & D. Thomæ 2.2.qu 61.art.2. & toti antiquitati, vt fusè docet Vasquez 1.2.disp.223. cap.4: à quorum sententia malè omnino discedituir, quando nulla vrgens ratio ad id cogit: hîc autem, vt patebit ex solutione argumentorum, nulla omnino ratio nos ad hoc vrget. Secundò, quia inde sequeretur, collationem beneficiorum aut officiorum publicorum communiter non fieri ex iustitia distributiua, nec posse ad eam pertinere. Quia ij quibus ea debent conferri, siue quibus legitimè conferuntur, ad illa nullum omnino habent ius: cùm enim non sint instituta in commodum recipientium, sed solius communitatis, nulla apparet ratio, vnde hi ante collationem, aut præsentationem, &c. habeant ius vt illa ipsis conferantur. Quod clarissimum est, quando ij quibus conferenda sunt, non sunt membra illius communitatis, cuius illa beneficia aut officia sunt, vt si beneficium alicuius Ecclesiæ conferatur clerico alterius Ecclesiæ, aut etiam patriæ. Nec enim tunc vlla ratio excogitari potest, cur hic habeat ius ad illam collationem, & tamen si sit reliquis omnibus dignior, ex vera iustitia distributiua ei conferatur, nisi particularis ratio obstet.

Aristot. D. Thom. Vasquez.

Clerici cõmuniter nullum omnino habent ius ad beneficia sibi cõferenda.

81 Dices, tales omnes habere aliquod ius ad talem collationem, hoc ipso quo ceteris sunt digniores quibus beneficium cõferatur; eò quòd ius hîc latè sumatur, vt significet solùm illam dignitatem, qua quis præ ceteris dignus est cui tale beneficium conferatur. Sed præterquam quòd hoc sine vlla ratione dicatur, contrà facit Primò, quòd repugnet communi conceptui & receptæ significationi illius nominis *Ius.* communiter enim omnes concipiunt hæc vt distincta, scilicet *aliquem esse dignum aliquare*, & *eum habere ius præsertim iustitiæ* (nam de tali iure illa responsio intelligenda est, vt faciat ad rem) *vt hæc ei detur.* Secundò, quia si dicta essent idem, sequeretur Primò, omnem pauperem dignum cui conferatur eleëmosyna, præsertim si ceteris sit dignior, habere ius iustitiæ vt ei eleëmosyna detur, & eum qui alteri gratis contulit aliquod beneficium, habere ius iustitiæ vt simile ei repẽdatur, quia hic eo dignus est: quisquis enim tibi bene fecit, hoc ipso dignus est, vt ei etiam bene facias. Imò hic longè verosimiliùs posset dici ad hoc habere ius iustitiæ, quàm ille clericus ad collationem beneficij. Sequeretur Secundò, actus gratitudinis ac eleëmosynæ, præsertim quando hæc digniori confertur, esse actum iustitiæ distributiuæ, quia redderent alijs id, ad quod habent tale ius iustitiæ, quale secundùm illos distributiua habet pro obiecto. hæc autem sunt apertè absurda: ergo etiam illa vnde sequuntur.

82 Tertiò, sequeretur ex illa sententia, violationem iustitiæ distributiuæ per se non esse peccatum mortale, quia eius obligatio solùm nasceretur ex iure alterius impropriè sumpto, nec vllo modo stricto: quale violare per se non est peccatum mortale, vt patet in faciente contra gratitudinem, quod per se non est peccatum mortale, nisi simul lædatur grauiter caritas, aut similis virtus. Vnde vlteriùs sequeretur, iustitiam distributiuam non inducere strictam obligationem, & consequenter non esse veram iustitiam, quia omnis obligatio veræ iustitiæ est stricta. Plura contra hanc sententiam possent adferri, sed hæc eam sufficienter refutant.

Quare omnino videtur cum Aristotele & S. Thoma suprà citatis, & communi antiquorum sententia dicendum, iustitiam distributiuam essentialiter respicere proportionem geometricam; & per hoc distingui à commutatiua. 83

Aristot. D. Thomas.

Iustitia distributiua essentialiter respicit proportionem geometricã.

Vt autem facilius & hoc intelligatur, & cõtraria argumenta soluantur; Nota Primò, hanc proportionem posse dupliciter in aliqua distributione alijsque actibus reperiri. Primò, per se, & cum mutuo & necessario accipientium inter se respectu & ordine; ita scilicet vt vnus ideo plus accipiat quia alteri minus est debitum, & contrà: v.c. in exemplo suprà dato primus studiosus ideo accipit 8. aureos, quia alij sunt eo tanto indoctiores, minus accepturus si alij essent doctiores, quantumuis ipse esset tam doctus quàm de facto sit, & similiter alij accipiunt minus, præcisè quia ille est ipsis doctior. Secundò, per accidens, vt quando varij operarij ratione diuersi laboris ac industriæ lucrantur diuersam mercedem, alius alio maiorem; v.c. vnus 10. alius 15. tertius 20. tunc enim in soluenda mercede plus datur ei, qui plus laboris ac industriæ adhibuit; sed sine vllo respectu siue necessario ordine ad reliquos: nec enim ideo ille accipit 20. quia alij minùs laborarunt minusque recipiunt (quantumuis enim hi tantum laborassent, quantum ipse, tamen ipse acciperet 20.) & similiter alij non ideò accipiunt solùm 15. aut 10. quia alter plus laborauit, sed præcisè quia ipsi non sunt plus meriti, sine vlla dependentia à merito alterius. In solo priore casu est vera & propriè dicta distributio pecuniæ, & vera proportio quàm distributio dicunt quamdam proportionem accipientium inter se cum mutuo ordine ac respectu. Qui respectus cùm non reperiatur in secundo casu, in quo singulis datur sua portio absolutè & sine respectu ad alium, non est vera distributio, sed mercedis solutio; nec proportio geometrica, sed eius solùm quæda mapparentia.

Proportio geometrica alia per se, alia per accidens.

Propriè dicta distributio, ac proportio geometrica, quid requirant.

84 Nota Secundò, bona communia ita distribuenda esse duplicis generis: quædam enim sunt instituta in vtilitatem & commodum ipsorum accipientium, ita vt certis aliquibus, posita certa conditione, debeãt distribui in præmium virtutis aut laboris, aut tamquam honorarium dignitatis aut officij quod gesserunt, aut in leuamẽ paupertatis, aut quia sunt pars talis communitatis, cuius illa bona sunt. Vt cùm assignata est summa pecuniæ distribuenda aut studiosis talis collegij, secundùm proportionem doctrinæ aut paupertatis: aut magistratui alicuius

vrbis

Violans iustitiã distributiuam quando & quibus teneatur restituere.

vrbis pro ratione dignitatis cuiusque, &c. & tũc vnicuique accipientium est debita sua portio ex iustitia commutatiua. ideoque malè distribuens tenetur restituere ei, qui minus quàm debuit accepit.

85 Alia sunt proprièe & per se instituta in commodum solius communitatis, aut in augmentum diuini cultus. Qualia sunt beneficia Ecclesiastica & officia publica: ad quæ communiter & per se loquendo nullum omnino habent ius ii, quibus distribuenda sunt, antequam iis sint collata, aut ipsi à patronis ad ea sint præsentati, aut electi, &c. habet tamen communitas strictum ius vt sui officiales quibus hęc distribuenda committit, ea conferant iis qui dignissimi sunt, quia bonum commune hoc exigit. Quare hæc malè distribuens communiter non tenetur neglectis quidquam restituere, quia nullum horum ius violat, nec iis iniuriam facit. Violat tamen ius ipsius communitatis, cui ex iustitia commutatiua ratione officii obligatur dicta bene distribuere; ideoque tenetur ei ad restitutionem, si quod damnum inde accipiat. Sicut œconomus alicuius patris familias iussus conducere varios operarios pro suo domino, si, neglectis melioribus conducat ignaros aut ignauos, non tenetur illis neglectis ad vllam restitutionem, quãtumuis hi ea ratione magnum lucrum perdant; tenetur tamen suo domino restituere omne damnum quod inde patitur: quia huic ex iustitia obligatur optimos conducere. distribuens autem nomine communitatis officia publica, omnino se habet instar illius œconomi, & ii, quibus ea distribuenda sunt, instar illorum operariorum. Ex quo multùm confirmantur dicta suprà num. 80. nam sicut hi operarii quantumuis aliis digniores nullum habent ius vt ab illo œconomo conducantur, ita nec clerici digniores habent ius vt ipsis beneficia conferantur.

86 Ex dictis patet Primò, rem ex iustitia distribuendam debere esse certam ac determinatam, & consequenter finitam, quæque non augeatur ex eo quòd plures sint magisque digni qui eam debeant participare: nam aliàs nequit inter accipientes reperiri supradictus respectus ac ordo: ita vt vnus ideo accipiat minùs, quia alter meretur plus accipere. Si enim cresceret res distribuenda pro numero aut dignitate participantium; tum semper æquè digni æqualiter acciperent, siue essent alij iis digniores, siue non.

87 Obligatio iustitiæ distributiuæ nascitur ex commutatiua.

Patet Secundò, obligationem iustitiæ distributiuæ semper supponere obligationem iustitiæ commutatiuæ, qua distribuens vel iis, quibus res distribuenda est, vel ipsi communitati, aut alicui alteri cuius nomine eam debet distribuere (iuxta dicta not. 2.) obligatur iustam proportionem in distributione seruare. Quia aliàs hîc nulla esset stricta obligatio eam proportionem seruandi, & consequenter nec esset vera iustitia, quæ necessariò strictam obligationem respicit.

Iustitia necessariò respicit strictã obligationẽ.

88 Dux militi bene agenti conferens præmium,

Paret Tertiò, ducem dantem militi siue vni, siue pluribus aliquod præmium vltra stipẽdium, eò quòd fortiter se in bello gesserit, non exercere iustitiam distributiuam, sed actum liberalitatis, si id det pro iis factis, quibus secundùm reipublicæ leges non obligabatur id dare: aut actum iustitiæ commutatiuæ, si legibus regni aut reipublicæ tale præmium iis factis erat statutum. Tunc enim illi ex condigno id sunt meriti. nisi fortè ea præmia sint statuta pro iis solis, qui optimè se gesserunt, ita vt quantumuis aliqui se strenuè gerant, ea tamen præmia nec accipiant nec mereantur, si alij fortè se meliùs gesserint. Aliàs enim si ij qui fortiter egerunt non ideo plus vel minus accipiant, quia alij plus minusue fortiter egerunt, non recipiunt ea præmia cum dicto respectu ad alios; quod tamen ad proportionem geometricam, & consequenter ad iustitiam distributiuam omnino necessarium est.

quandoque exercet actũ liberalitatis, quandoque iustitiæ cõmutatiuæ, quandoque distributiuę.

89 Patet Quartò, responsio ad argumenta contraria allata n. 78.

Ad primum, Respondeo ibi seruari hanc proportionẽ: quia talis accipit hoc beneficium cum respectu ad alios non accipientes, quia scilicet hi vel minùs digni sunt, vel se non offerunt, non acceptaturus, si essent digniores qui se offerrent. Secùs est quando quis soluit debitum creditori, quia huic tantum soluit præcisè quia tantum ei debet, eodem modo soluturus etsi alteri plus deberet. & ideo præcisè alteri nihil soluit, quia ei nihil debet, similiter non soluturus etsi nulli alteri deberet. Quòd si pluribus deberet, nec posset omnibus integrè soluere, soluendo singulis pro rata debiti, quantum posset, tunc simul cum iustitia commutatiua exercet veram distributiuam: quia bona ad quæ illi communiter haberent ius, ipsis proportione geometrica distribueret. Ex quo patet solutio instantiæ ad obiectionem.

In solutione debitorum quandoque reperitur distributiua.

Ad secundum, negandum est assumptum: nã soluens operarijs, aut honorans Superiores, id non facit cum mutuo illo respectu & dependẽtia, vt patet ex dictis. Aut si debitor aliquando suis creditoribus soluat cum dicto respectu, tũc simul admiscet iustitiam distributiuam, vt iam ostendi. His adde, etsi in alijs virtutibus quandoque ciusmodi proportio seruanda sit, id tamen ijs esse per accidens: & tum deficiunt à ratione distributiuæ iustitiæ ob diuersam rationem debiti, siue quia in ijs non reperitur debitum iustitiæ.

In aliis virtutibus potest reperiri proportio geometrica siue iustitia distributiua.

90 Deus nobis sua promissione constituitur debitor.

Conclvsio I. Deus promittendo nostris bonis operibus præmium æternum, his factis constituitur nobis verè præmij debitor, ita vt non solùm sibi, sed etiam nobis obligetur, id dare. Ita Bellarm. l. 5. de Iustific. c. 14. Suarez relect. de libert. diuina, disp. 2. sect. 2. n. 33. Idem apertè docet D. Augustinus serm. 16 de verbis Apostoli, paulò post initium, vbi ait: *In his enim quæ iam habemus, laudemus Deum largitorem: in his quæ nondum habemus, tenemur debitorem. Debitor enim factus est nobis, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo.* Deinde fusiùs ostẽdit, nos posse exigere à Deo promissum præmium, non quia aliquid ei primùs dedimus, sed quia id ipse promisit. Pro eadem plures alios Patres citant Bellarm. & Suarez suprà.

Bellarm. *Suarez.* *Augustin.*

Probatur Primò, quia verè de condigno meremur vt Deus det nobis vitam æternam: atqui, vt

vt ostendi suprà n.8.& 10.hoc supponit Deum nobis debere id, quod ita sumus meriti : ergo Deus hoc nobis verè debet. Secundò,quia vita æterna in Scriptura dicitur merces , & comparatur denario diurno quem operarij merentur, & dicitur reddi tamquam corona iustitiæ à iusto iudice, vt ostendi suprà n.20. & 75. atqui hæc valdè impropriè dicerentur si Deus nullo modo nobis obligaretur dare vitam æternam: ergo dicendum est eum aliquo modo ad hoc obligari. Tertiò, clarissimè id probatur ex c.4. ad Rom. vbi dicitur : *Ei autem qui operatur merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* vbi agit de mercede à Deo nobis danda pro bonis operibus , & docet eam dari secundùm debitum , & quidem excludente gratuitam donationem; quod dici non posset, si nobis non esset verè debita.

Roman.4.

91 CONCLVSIO II. Iusti suis meritis acquirunt verum ius ad vitam æternam. Ita Suarez suprà n.42. idemque supponit Bellarm.suprà,& videtur apertè sententia D. Augustini n.90 citati: vbi docet, Deum ita nobis debere promissa præmia, vt possimus ea ab eo exigere : nos autem posse hæc à Deo exigere, est nos habere ius ea ab ipso exigendi. Sequitur etiam apertè ex ibidé dictis. nam concipi nequit quomodo Deus nobis obligetur vt ea nobis det , idque propter nostra merita, nisi nos habeamus ad ea aliquod ius. Confirmatur,quia si per nostra merita non acquireremus verum ius ad vitam æternam; Deus nobis eã tribueret ex mera liberalitate ac gratia: quod enim alicui dono non habenti ad id ius, gratis dono: atqui, vt patet ex Apostolo ad Roman.4.citato n.90. Deus nostris meritis mercedem ita dat ex debito , vt non det eam gratis: ergo ad eam habemus verum ius.

Suarez. *Bellarm.* *August.*

Rom.4.

92 Ad primum argumentum contrarium allatum n.73. nego maiorem generatim sumptam: nam omnis Superior qua talis suis subditis obligatur legitimè eos gubernare , & tamen qua Superior non est ijs inferior. his adde, nos ità habere ius ad vitam æternam , vt tamen illud ipsum ius subiectum sit ipsi Deo , & sub ipsius dominio, quare ratione illius non potest nobis vlla ratione esse subiectus aut inferior. Ex quo etiam patet solutio 2.argumenti; nam cùm ius quod habemus ad vitam æternam sit multò magis ipsius Dei, quàm nostrum; ipse non facit nobis vllam iniuriam id nobis etiam sine vlla nostra culpa auferendo , quia aufert nobis id quod suum est , & quidem magis suum quàm nostrum: sicut enim vita nostra,& quidquid sumus vel habemus , magis est ipsius quàm nostrum ; ita illud ius & magis & perfectiùs est ipsius Dei, quàm nostrum. Deus autem auferendo à nobis quod suum est, nequit nobis facere iniuriam. Etsi enim habeamus ius ad vitam æternam, tamen non habemus ius ne Deus hoc nobis pro sua voluntate auferat: hoc ipso enim, quo ipse habet perfectum omnino ac plenum illius iuris dominium, habet etiam ius illud destruendi; quare id potest sine nostra iniuria facere: nemo enim vtendo suo iure facit alteri iniuriam.

Non omnis debitor qua talis est inferior creditore.

Omne nostrum ius est magis ipsius Dei, quàm nostrum;

Ideoque sine vlla iniuria id nobis potest auferre.

Vtens suo iure non facit iniuriam.

93 CONCLVSIO III. Obligatio, qua Deus tenetur iustis dare gloriam pro meritis , non est obligatio iustitiæ commutatiuæ propriè dictæ, sed iustitiæ latè sumptæ, prout includit fidelitatem ac alias suas partes potentiales. Hæc est D.Thomæ 1.2.q.114.a.1.eamque fusè defendit Vasquez ibidem disp.224.c.2. & sequentibus, vbi ostendit esse ferè communem. Omissis autem varijs rationibus , quibus alij probare solent inter Deum & hominem non posse esse propriè dictam iustitiam, hac vnica videor mihi conclusionem sufficienter probare. Quia scilicet omnis qui facit contra , siue violat obligationem iustitiæ commutatiuæ , facit veram iniuriam ei cui ex iustitia obligatur eam non violare: atqui Deus nobis inuitis & sine nostra culpa negando gloriam, facit contra obligationem qua nobis obligatur eam dare ; & tamen nullam nobis facit iniuriam , vt ostendi nu.92. ergo non obligatur nobis eam dare ex iustitia commutatiua. Maior patet; quia facere alicui iniuriam nihil est aliud quàm iniustè eius inuiti ius violare ; quod facit quisquis ita violat eiusmodi obligationem.

D.Thomas. *Vasquez.*

Cur Deus nequeat nobis obligari ex vera iustitia.

Ex dictis sequitur Primo , nostra merita ex natura sua alijsque circumstantijs esse quidem talia , vt sint nata nobis parere verum ius iustitiæ, si respicerent personam aptam nobis ex iustitia obligari ; huius tamen defectu parere ius minùs perfectum,& inferioris ordinis. 94

Merita parerent nobis ius iustitiæ, si Deus posset nobis ex iustitia obligari.

Patet Secundò , responsio ad argumenta allata n.75.pro tertia sententia. Ad primum,Respondeo maiorem fallere in meritis erga Deum, idque ob rationem iam dictam, ob quam in secundo argumento etiam neganda est minor. Ad tertium,Respondeo cum Cornelio Cornelii in illum locum ad Timoth. num.212. Apostolum vitam æternam vocare coronam iustitiæ;quia merita,quibus redditur,ex se nata sunt parere ius iustitiæ,idq; de facto parerent,si Deus nobis posset ex iustitia obligari: & ob eandem causam Deus dicitur nobis reddere gloriam vt iustus iudex; quia id facit ex virtute valdè simili iustitiæ strictè sumptæ , quæque lato modo iustitia in Scriptura vocatur. & ob similem causam ad Hebr.6.dicitur non esse iniustus vt obliuiscatur operis nostri: nam Scriptura omnem malitiam ac peccatum vocat iniquitatem, siue iniustitiam. 1.Ioannis 3. *Omnis qui facit peccatum, iniquitatem facit; & peccatum est iniquitas.* Consonat his D.Augustinus in serm.16. de Verbis Apostoli,paulò post initium,vbi ait: *Bonitas enim eius qui promisit, dabit, ne in malitiam fides conuertatur: qui autem fallit malus est.* Loquitur de Deo sua promissione se nobis debitorem constituente.

Cornelius. Ad Tim.3.

Hebr.6.

1.Ioan.3.

August.

95 CONCLVSIO IV. Deus reddens iustorum meritis præmia, non exercet propriè actum iustitiæ distributiuæ , sed solùm quamdam eius imaginem , quatenus pro diuersitate meritorum,diuersis diuersam gloriam tribuit. Ita Vasquez 1.2.disp.224.c.4. & sequentibus. Sequitur apertè ex dictis num.83. & sequentibus: vbi ostendi iustitiam distributiuam necessariò versari circa proportionem geometricam , secundùm quam diuersis aliqua tribuuntur, aut non tribuuntur cum mutuo inter se respectu: quod

Vasquez.

Deus

Deus in distributione præmiorum nullo modo obseruat; nam vnicuique dabit tantam gloriam quantam erit meritus sine vllo respectu ad alios. Nulli enim ideo dat maiorem aut minorem gloriam, quia alij plus minusue meriti sunt, sicut necessariò fit in exercitio iustitiæ distributiuæ.

DVBIVM VI.

Vtrùm possimus mereri primam gratiam iustificantem?

96 Nullus de facto potest mereri primam gratiã.

HAc in re satis constat inter Catholicos, Primò, nos de facto nullo modo mereri primam gratiam generatim sumptam tam pro actuali quàm habituali: nam omne opus nostrũ, quacumque ratione meritorium bonorum spiritualium debet procedere ex gratia, vt contra Pelagianos & Semipelagianos multis locis docent S. August. & Concilia Arausicanum & Mileuitanum. Constat Secundò, nos non posse de condigno mereri primam gratiam iustificantem. quia, vt ostendi dub.4. vt aliquid supernaturale à Deo de condigno mereamur, necessariò requiritur vt simus in statu gratiæ.

August. Arausic. Mileuit.

Non meremur de condigno primã gratiam iustificantem.

Duplex igitur restat difficultas. Prima, vtrùm secundùm præsentem rerum statum possimus de congruo mereri primam gratiam iustificantem? Secunda, vtrùm per potentiam Dei possimus mereri gratiam absolutè primã tam actualem quàm habitualem? & hanc disputabimus dub.7. hîc autem agemus de priore. In qua rursum inter Catholicos satis constat, ad hanc gratiam extra martyrium aut vsum Sacramenti suscipiendam, in peccatore prærequiri contritionem supernaturalem, saltem virtualem, qualis est omnis actus veræ caritatis erga Deum. Item hanc contritionem esse sufficientem ac vltimam dispositionem ad gratiæ habitualis infusionem, quamque hæc infallibiliter sequitur. Sed est dubium an illa hanc de congruo mereatur. vnde patet, hanc quæstionem esse magis de nomine quàm de re; est tamen necessariò explicanda, vt quædam Patrum ac Conciliorum loca possint intelligi.

Quæstiones de nomine sunt aliquãdo necessariò tractãdæ.

97 *Sotus.*

Sotus igitur l.2. de Gratia c.4. & quidam alij absolutè negant, nos posse vllo modo mereri primam gratiam habitualem. Primò, quia aliàs non iustificaremur gratis, sed ex operibus: atqui hoc est falsum: ergo etiam id vnde sequitur. *Trident.* Secundò, quia Trident. sess.6.cap.8. docet, nos ideo dici gratis iustificari, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera ipsam iustificationis gratiam meretur: ergo hanc de congruo nõ meremur. Tertiò, quia id, quod datur meritis, habet rationem mercedis: atqui prima gratia iustificans siue prima iustificatio, nequit habere rationem mercedis: ergo non datur meritis. Quartò, quia actus disponentes ad iustificationem, & gratia eos præueniens respectu gratiæ iustificantis se habent sicut motus ad terminum: atqui id quod est causa termini, est etiam causa motus: ergo si possimus mereri primam gratiam iustificantem, poterimus etiam mereri primam gratiam præuenientem. quod apertè falsum est.

CONCLVSIO. Probabilius est peccatorem præuentum gratia actuali posse de congruo mereri primam gratiam iustificantem, siue suam iustificationem, ac peccati remissionem. Hanc cum multis alijs fusè defendit Vasquez 1.2. disp. 218. c.2. &c. Et pro ea adfert multas sententias Patrum docentium nos per fidem, & humilem peccati confessionem (quatenus scilicet hæc includunt debitam illius detestationem siue contritionem) mereri illius remissionem; quod non potest intelligi nisi de merito de congruo. Ex quibus etiam quasdam citabo nu.102. Eandem expressè tenet D. Thomas in 2.d.27.art.4. ad 4.

98 *Vasquez.* *D. Thomas.*

Probatur Primò, ex Trident. sess.14.cap.4. vbi ait: *Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Et infrà ait contritionem caritate perfectam nos Deo reconciliare, scilicet impetrando nobis remissionem peccati, vt priùs dixerat. vbi apertè docet, cõtritionem impetrare remissionem peccatorum siue iustificationem; quæ pro eodem habentur: atqui hæc impetratio non fit per veram & formalem orationem, sed per meritum de congruo: ergo contritus de congruo meretur iustificationem. Minor probatur; quia contritio non est formaliter oratio, nec per eam quidquam à Deo verè & propriè petimus, sed solùm peccata detestamur. quod clarissimum est in eo qui nesciens se esse in peccato, nec de hoc cogitans elicit actum caritatis, qui est virtualis contritio, eoque veniam peccatorum impetrat: qui nullo modo potest propriè dici rogare Deum vt sibi remittat peccata. His adde, etsi contritus fortè simul tempore Deum roget vt sibi remittat peccata, tamen ipsa contritio secundùm se non est oratio, sed solùm habet hanc coniunctam; cùm tamen Concilium doceat ipsam contritionem impetrare peccati remissionem: ergo dicta impetratio debet intelligi fieri per modum meriti de congruo: quia alia ratione commodè intelligi nequit.

Trident.

Impetrare remissionẽ peccati est eam de congruo mereri.

Probatur Secundò, ratione, quia vt aliquid de congruo mereamur, solùm requiritur, vt faciamus aliquid quod in his circumstantijs meritò moueat alterius benignitatem aut liberalitatem, vt illud nobis conferat, siue quod sit tale, vt omnino conueniat benignum ac liberalem eo moueri vt illud nobis det: atqui contritio est talis actio respectu remissionis peccati, siue primæ gratiæ iustificantis à Deo accipiendæ; quia omnino congruit diuinæ bonitati, vt toto corde ex puro ipius amore peccata detestanti, prout contritus facit, hæc remittat: ergo contritio de congruo meretur peccati remissionem. Maior patet ex dictis dub.1.conclus.2. & præsertim n.15. Nam, vt ibi ostendi, pauper studiosus si sit bonis moribus ac diligens, secundùm communem loquendi modum, meretur potentum auxilium: quod nequit intelligi de alio merito quàm de congruo: nec ob aliam causam dicitur id mereri, quã quia omnino decet potentes eum iuuare, siue quia eius actio in iis circumstantiis talis est, quæ hos meritò ad eum iuuandum moueat.

99 Quid requiratur ad meritum de congruo.

Ad primum argumentum positum num.97. 100

nego

nego maiorem: nam secundùm mentem Apostoli ad Rom.3. & Augustini, aliorumque Patrum iustificari ex operibus (cui opponitur iustificari gratis) is solùm dicitur qui iustificationem meretur operibus viribus naturæ sine gratia factis, præsertim de condigno: qua ratione Iudæi putabant se per obseruationem legis viribus naturæ factam mereri vt præ Gentibus à Deo gratiam, fidem, ac iustificationem consequerentur, & essent populus peculiaris Dei.

Qua ratione iustificari ex operibus, & iustificari gratis opponantur.

101 Ad secundum, Respondent aliqui Concilium ibi per gratiam iustificationis intelligere gratiam præuenientem, à qua nostra iustificatio primò incipit; quam patet nos non mereri per fidem aliaúe bona opera: quia ipsa hæc omnia præcedit.

Gratia iustificans olim latiùs, iam pro sola gratia formaliter iustificante accipitur.

Sed hæc non videntur esse ex mente Concilij. Primò, quia, etsi quandoque à Patribus & antiquis Conciliis gratia iustificans siue iustificationis dicatur generatim omnis illa, quæ ad nostram iustificationem concurrit; tamen Tridentinum more iam communi Doctorum vsu recepto vbique eam sumit pro gratia, qua formaliter iustificamur, vt patet ex can.3. & 9. nec vllus in eo locus potest dari, in quo pateat eam ab hoc Concilio aliter accipi. Secundò, quia Concilium dicto cap.8. sicut etiam 7. non agit de gratiis præuenientibus, nec quærit vtrùm hæ dentur sine meritis; sed de gratia formaliter iustificante, & de ratione qua nobis hæc confertur ac nos iustificat. Tertiò, quia aliàs Concilium in dicta ratione nihil aliud diceret, quàm peccatorem nullis operibus primam gratiam præuenientem præcedentibus hanc mereri; atque ita ex eo quòd opera quæ iustificationem præcedunt, non mereantur gratiam iustificationis, malè omnino inferret iustificationem nobis gratis conferri, & nos eam non mereri; sicut ex eo quòd gratiæ præuenientes quibus benè operamur, nobis gratis & sine meritis dentur, malè infertur, nos non mereri vitam æternam, sed hãc nobis omnino gratis dari. Quartò, quia can.9. vbi dicta cap.8. repetit, & sub anathemate definit, gratiam iustificationis apertè accipit pro sola gratia formaliter iustificante: ergo similiter eam accipit hoc c.8.

102 Respondeo igitur Concilium hîc solùm negare, ea opera quæ iustificationem præcedunt, eam de condigno mereri: hoc enim solùm meritum solet absolutè & propriè vocari meritum, eique soli respondet merces, quæ repugnat dono absolutè gratuito. Secùs est de merito de congruo, quod est solùm meritum secundùm quid, & valdè diminutè, nec ei respondet merces, sed donum gratuitum; vt patet ex dictis dub.1.num.15. Quare dum Patres quandoque dicunt peccatores fide, dolore, ac confessione peccatorum horum remissionem mereri; meritum latiùs & minùs propriè sumunt: quod etiam communiter insinuant dicendo illos hanc aliquo modo, aut impetrando mereri. Patet hoc clarè ex D. Augustin. epistola 105. vbi ait: *Augustin.*

Possunt quidem (scilicet Pelagiani) *dicere remissionem peccatorum esse gratiam quæ nullis præcedentibus meritis datur: quid enim boni meriti habere possunt peccatores? Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat: qua fide ille dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori, & descendit iustificatus, merito fidei humiliatus* (id est humiliationis:) *quoniam qui se humiliat exaltabitur.*

Vbi Primò, absolutè docet, remissionem peccatorum dari sine vllis meritis, & peccatorem non posse habere merita, scilicet quæ absolutè & propriè possint dici merita. & tamen postea dicit, quando fides eam impetrat, illam non dari sine aliquo merito, scilicet de congruo & secùm dùm quid. Secundùm priorem sensum intelligo quod idem dicit præfatione in psalm.31. vbi ait: *Nihil boni fecisti* (scilicet quod habeat absolutam rationem perfectæ virtutis & meriti) *& datur tibi remissio peccatorum.* Ex quibus patet secundùm S. Augustinum, quamuis peccator per contritionem possit dici aliquo modo mereri remissionem peccati, simul tamen posse absolutè negari ipsum hanc mereri.

Qua ratione Patres quãdoque asserant, & quãdoque negẽt contritum mereri remissionem peccati.

103 Nec his obstat, quòd Patres ex eo quòd prima gratia gratis detur, videntur inferre nullum omnino meritum etiam de congruo eam posse præcedere. quia hoc non colligunt ex eo præcisè, sed coniunctis alijs Scripturæ locis, quibus apertè docetur, nos nihil agere posse ad salutem pertinens, siue hanc per se promouens, aut ad eam acquirendam nos disponens, nisi gratia Dei nos præueniat. Qualis est ille locus Iohan.15. *Sine me nihil potestis facere.* Et 2. ad Corinth.3. *Non quòd sufficientes simus aliquid cogitare à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ex quibus S. Augustinus & alij Patres rectè contra Pelagianos inferunt, primam gratiam præuenientem ita nobis gratis dari, vt nullum nostrum opus bonum respiciat, cuius intuitu detur: alioquin sine gratia Dei, & consequenter ex nobis tamquam ex nobis faceremus aliquid per se ad salutem conducens. Ex quo vlteriùs sequitur, nos eam gratiam non posse de congruo mereri. His adde, Pelagianos, imò & Semipelagianos (quantumuis hîc id negarent) in operibus viribus naturæ factis agnouisse verum meritum de condigno respectu mercedis supernaturalis, etsi Deus ex liberalitate eis maius præmium conferat, quàm in rigore mereantur. & in hoc eius gratiam ponebant, vt ostendi disp.4.dub.4.& 5. Ideoque meritò Patres inde inferunt, gratiam non fore gratiam, si daretur ex operibus aut meritis. *Iohan.15.* *2.Cor.3.* *Augustin.*

104 Ex his patet solutio tertij argumenti. Quia maior solùm est vera in meritis de condigno.

Ad quartum, nego maiorem. Nam gratia præueniens & adiuuans cùm sint causa actionum, quibus mouemur siue disponimur ad iustificationem, sunt potiùs causa motus quàm ipse motus. Atqui etiam in naturalibus etsi tam motus quàm terminus procedant à mouente, tamen forma quæ est primum principium motus, ab eo non semper procedit, sed eam communiter aliunde accipit, v.c. à generante, quando ei est essentialis aut omnino connaturalis: vel ab alio agente; sicut aqua ab igne accipit calorem quo calefacit. Item verus motus tendens ad formæ productionem ipsi formæ identificatur: actus autem quibus ad gratiam disponimur, huic nullo modo identificantur.

Aliter se habet motus ad suum terminum, quã meritum ad præmium.

cantur. quare non est mirum si hæc possint habere diuersas causas, etsi illa necessariò habeant eamdem.

DVBIVM VII.

Vtrùm per potentiam Dei absolutam fieri possit, vt mereamur gratiam absolutè primam, siue actualem siue habitualem de condigno?

105 NOta hoc dubium posse habere varios sensus. Primò, vt quæratur an per opera meritè naturalia possimus de condigno mereri gratiam siue actualem siue habitualem? Secundò, vt quæratur vtrùm carentes gratia habituali acceptà gratia actuali possint elicere actum caritatis, aut similem, qua mereantur suam iustificationē & adoptionem in filios Dei? Et in neutro ex his sensibus dubium hoc procedit; nam ex dictis dub.4.n.42.& 60. constat fieri non posse, vt opus nostrum sit condignum eiusmodi præmijs, nisi sit supernaturale, ac procedat à filio, siue viuo Christi membro. Et confirmatur, quia aliàs contriti de condigno mererentur suam iustificationem: nam cùm hæc cōtritis à Deo promissa sit, eorum operi nihil deesset ad veram rationem meriti de condigno, si à tali persona factum posset habere sufficientem cum præmio proportionem ad meritum de condigno essentialiter requisitam.

106 Tertiò, ita vt quæratur si Deus alicui tam gratiam iustificantem, quàm actualem ad bene & supernaturaliter operādum necessariam daret; cum ea conditione, vt pro iis iam iustificatus & in filium Dei adoptatus certa opera caritatis aliaue faceret, vtrùm hic illam gratiam per hæc opera postea de condigno mereretur? Quidam *Medina.* id absolutè negant. Ita Medina in 3.p.q.2.a.11. ad 5. & 6. & quidam alii. Probant autem Primò, quia principium meriti non potest cadere sub meritum. & confirmatur, quia aliàs posset quis mereri suam creationem. Secundò, quia media necessariò præcedunt acquisitionem finis: atqui merita respectu mercedis habent rationem medii respectu finis: ergo illa huius consecutionem necessariò præcedunt, saltem in præmiantis præuisione, ita vt hic illa necessariò videat absolutè futura, priusquàm iis possit dare mercedem.

Tertiò, quia aliàs eadem res in eodem genere causæ esset causa suæ causæ, & consequenter sui ipsius: atqui hoc est absurdum: ergo & id vnde sequitur. Antecedens probatur. quia merita respectu mercedis habent rationem causæ efficientis, & consequenter eo casu efficienter causarent eam gratiam, à qua efficienter producerentur.

Quartò, quia aliàs eadem gratia respectu eiusdem voluntatis esset finis (nam merces respectu meritorum habet rationem finis) & simul esset causa meritoria siue impetratoria finis; nam produceret actus quibus operans eam mercedem siue gratiam meretur: hoc autem est absurdum: ergo & id vnde sequitur

Quintò, quia Patres docent, gratiam non posse dari ob futura per eam merita, quia sic gratia non esset gratia.

Sextò, quia eadem res non potest nobis dari vt aliquid faciamus, & quia illud facturi sumus: atqui dicta gratia datur nobis vt per eam dicta opera faciamus: ergo nequit dari quia hæc facturi sumus, & consequenter nequit esse merces horum operum. Maior patet ex D. Augustino l.1.de Prædest.cap. 17. vbi ex eo quòd ad Ephesios 1. dicitur Deus nos elegisse ad dandam nobis gratiam vt essemus sancti, infert Deum nos ad eam non elegisse, quia eramus futuri sancti. *Augus.*

Septimò, quia aliàs nulla esset ratio cur de facto non mereremur de condigno eiusmodi gratiam: cùm opera nostra habeant sufficientem condignitatem cum illa gratia, & reliquas conditiones ad meritum requisitas.

Pro resolutione suppono Primò, nostra opera in gratia Dei facta habere sufficientem dignitatem vt possint condignè mereri infusionem primæ gratiæ, si aliæ conditiones ad hoc necessariæ adessent. Nam cùm habeant sufficientem dignitatē vt condignè mereantur augmentum gratiæ, & ipsam vitam æternam, nulla est ratio cur nequeant habere sufficientem dignitatem ad condignè merendum infusionem gratiæ primæ, præsertim si hæc concipiatur vt distincta à remissione peccati mortalis, prout fuit in primis parentibus, qui eam primò acceperūt sine remissione vllius peccati. Nec hac de re inter Doctores est quæstio. 107 *Opera iustorum habent in se sufficientem condignitatem ad merendam primam gratiam.*

Suppono Secundò, Deum posse alicui dare donum aliquod supernaturale ob merita futura tamquam horum mercedem, & operantem per hæc posse illud, siue illius præcedentem donationem de condigno mereri, quando hæc opera non sunt producēda per illud donum, siue quando illud non est futurum principium horum operum, nec ad eorum productionem vllo modo prærequisitum. hoc etiam communiter omnes admittunt, & clarè patet in Christo: qui de condigno meruit gratiam antiquis Patribus; quæ tamen diu ante Christi natiuitatem ijs fuit data. Quòd autem eiusmodi donum priùs detur ipsi operanti, aut alicui alteri, nihil facit ad rem, cùm eodem modo præcedat ipsa opera, quorum intuitu datur. 108 *Donatio præmij potest præcedere meritum.*

CONCLVSIO. Si Deus vellet posset absolutè efficere vt quis de condigno mereretur sibi donationem primæ gratiæ, idq; per opera, quæ ex ea postea procederent. Gratiam autem hanc accipio materialiter pro eo dono quod iam vocatur gratia, siue tunc deberet dici gratia, siue non. Ita Suarez 3.p.tomo 1.disp.10.sect.4. 109 *Qua ratione fieri posset vt quis mereretur primam gratiā.* *Suarez.*

Probatur Primò, quia, vt patebit ex refutatione obiectorum, nulla hîc probabilis potest ostendi implicantia, vt patebit ex dicendis & solutione obiectorum: ergo hoc diuinæ potentiæ non est negandum.

Secundò, quia talis actio respectu illius gratiæ potest habere omnes conditiones ad meritum de condigno requisitas: ergo potest eam de condigno mereri. Antecedens probatur. Quia, vt patet ex dictis num.107. potest habere sufficientem condignitatem cum tali præmio.

Item

Item potest esse actio bona, libera, supernaturalis, facta à iusto ac viatore, cum promissione præmij, ac etiam procedere à caritate si hoc sit necessarium, quæ sunt conditiones ad meritum de condigno requisitæ, iuxta dicta dub.4.num. 40.& 41. Nec de vlla ex his conditionibus potest esse dubium, nisi de promissione præmij siue mercedis. sed hanc etiam posse adesse patet, quia potest Deus alicui homini existenti extra gratiam promittere se daturum ei gratiam habitualem & actualem sufficientem ad eliciendum actum caritatis, cum obligatione hunc postea eliciendi, aliáue opera faciendi, & hic potest eam promissionem ita acceptare, eaque opera post gratiam acceptam facere (nulla enim hîc potest ostendi vel probabilis implicantia) quo casu aderit sufficiens præmij promissio, ac reliqua ad meritum de condigno requisita.

110 Dices, Deum posse quidem tali hanc gratiam ita promittere & de facto dare: tamen non posse eam promittere aut dare tamquam mercedem illorum operum; quia merces necessariò requirit vt detur digno: talis autem antequam ea opera fecerit non est dignus ea gratia, quare non potest ei tunc dari vt merces; & consequenter nequit ei promitti tunc danda vt merces.

Sed contrà facit, quòd inde sequeretur, veram mercedem meritorum numquam vlla ratione posse dari antequam merita facta sint, quia illam accipiens priùs non est eam meritus, & consequenter nec ea dignus est. Illud autem apertè est falsum, vt patet ex dictis n.108. Nam sic Christus non esset antiquis Patribus verè de condigno meritus gratiam ac peccatorum remissionem.

111 Respondent aliqui, merita Christi extitisse in præuisione Dei vt absolutè futura, priùs quàm propter illa data fuerit antiquis gratia; aut etiam antequam Deus habuerit absolutè voluntatem dandi iis gratiam: secùs autem esse in casu præsenti; nam cùm nostra opera debeant fieri per eam gratiam, hæc necessariò debet existere priùs naturâ, quàm illa existant, & ita necessariò Deus priùs ratione debet habere voluntatem eam dandi, quàm videat nostra opera absolutè futura. Quare in priore casu, siue quando id quod datur non est principium operum, hoc potest dari iis qui iam digni sunt in Dei præuisione, & consequenter vt merces; quod tamen fieri nequit, quando res donanda debet esse principium istorum operum: vt patet ex dictis.

112 Sed hæc non satisfaciunt: quia qui futurus est dignus, nullo modo est de facto dignus quãdo datur ei merces, quare hæc absolutè datur adhuc indigno siue immerito; & similiter Deus ab æterno decernens tali dare eiusmodi donũ, simpliciter decernit illud dare nondum merito, sed solùm merituro: & sicut in vno casu accipiens præscitur futurus dignus, ita etiam in altero casu. Nec refert quòd Deus in vno casu priusquam decernat hoc donum conferre, videat opera absolutè esse futura, in alio verò solùm cognoscat esse futura sub conditione, scilicet si det tali eam gratiam. Tum quia in vtroque casu dum gratia siue merces datur, opera absolutè sunt futura, & vt talia videntur. nam hoc ipso quo Deus decernit dare gratiam ei quẽ scit operaturum si detur, hic absolutè hæc opera facturus est, & Deus hoc absolutè videt. Tum etiam quia opera præscita futura sub conditione, si detur talis gratia, possunt eodem modo mouere Deum, vt horum intuitu, siue quia illa scit ita futura, velit hanc dare; ac præscita absolutè futura: vt ex dicendis, præsertim num.116. magis patebit. Ergo in vtroque casu eodem modo Deus poterit velle eam gratiam dare, tamquam mercedem futurorum operum, aut in neutro id velle poterit.

Opera sub conditione futura ac absolutè futura eodẽ modo possunt mouere voluntatem præmiantis.

Vt autem tam dicta, quàm dicenda clariora sint, Nota Primò, operantem & remunerantem modo valdè inter se diuerso respicere tam opus meritorium quàm ipsum præmium. Operans enim per se cupit & intendit ipsum præmium tamquam finem, & vult opus propter præmium vt medium propter finem. Contrà remunerans priùs vult ipsum opus, & propter hoc ipsam remunerationem vt medium propter finem, non quidem vltimum, sed immediatum, & qui ad alium finem communiter referatur. v.c. rex aliquis militibus strenuè pugnantibus promittit certos honores: miles hos primò & per se appetit, pugnam verò vt medium ad eos consequendos. Contrà verò rex priùs cupit militem suum strenuè pugnare, & vt hoc assequatur promittit ei honores. hos igitur vult promittere & dare propter pugnam tamquam propter finem immediatum; etsi hanc vlteriùs referat ad obtinendam victoriam & dilationem sui regni.

113 Operans respicit mercedem vt suum finem, cõtrà remunerans intẽdit per mercedem consequi illius operationẽ.

Nec his obstat quòd operans possit aliquando operari præcisè ex amore remunerantis, & vt huic placeat, sine vllo respectu ad præmium: & similiter remunerans possit ex amore remunerandi siue operaturi priùs huic velle præmium quàm merita; quia hoc est per accidens, & quasi præter naturam operis meritorij & mercedis, qua talia sunt; & tunc tam operantis quàm remunerantis voluntas non respicit hæc formaliter sumpta, siue quatenus sunt opus meritorium ac merces, sed planè materialiter. v.c. sit aliquis potens in aliqua republica, qui habet filium quem valdè amat, & cuperet ad honores promoueri, sed quia est vir bonus, nec vellet promouere indignum, promittit ei promotionem si bene studeat, ac doctus fiat: & filius qui amat valdè patrem diligenter studet vt patri placeat, non ita curans promotionem: tunc hic non vult suum opus promotionis meritorium formaliter sumptum, siue qua talé est, sed solùm materialiter, & quatenus est opus gratum patri; nec operatur vt mercenarius, sed vt filius; quamuis hoc ipsius meritum non minuat, sed potiùs augeat. Et similiter pater quatenus vult filij promotionem priùs naturâ quàm merita, illam non vult formaliter vt mercedem & tamquam remunerator; sed vt pater vult illam, quatenus est bona filio. Agimus autẽ hîc de ijs, qui tam opus meritorium quàm ipsam mercedem formaliter sumpta, & quatenus talia sunt, respiciunt ac intendunt.

114 Tã præmians quàm operans possunt contrario modo velle tam remunerationem, quàm operationem.

Sed tunc ea volũt solùm materialiter sumpta.

115 Deus ferè aliter vult operationem & remunerationem quàm homo.

Quamuis autem ille prior modus volendi dare mercedem operanti clariùs reperiatur in hominibus, qui aliorum opera indigent, ideoque hanc expetunt, & promissa mercede eam quodammodo emunt: atque adeò Deus, qui nostris meritis non indiget, videatur bene operantibus potiùs secundo modo velle ac promittere præmia, magis vt iis bene sit, quàm vt ipse inde aliquid consequatur; tamen etiam ipse nostra bona propter suam externam gloriam expetit, quæ ex iis quodammodo crescit. hinc psalm.88. vers.3. Deus dicitur glorificari in consilio iustorum. & Matth. 5. dicitur: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Et Prouerb.16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Et quamuis de facto Deus solùm secundo modo vellet nostra merita; eorumque meredem: tamen ex his satis patet quòd absolutè loquendo possit ea velle priore modo, scilicet volendo priùs naturâ bona opera, quatenus per ea exterior eius gloria augetur; & deinde iis promittere ac dare mercedem vt nos ad ea facienda excitet, siue vt ea fiant. quod nobis in præsenti materia sufficit.

Psal.88. Matth.5.

Prouerb.16.

116 Promittens sùt dans mercedem propter opus futurum id facit, quia videt hoc sub illa conditione futurum.

Nota Secundò, eum qui promittit alicuius operi præmium siue mercedem, id facere non solùm vt hic ea opera faciat, sed etiam præcipuè, quia videt eum probabiliter hæc facturum si merces promittatur; nisi enim hoc ita sciret, hanc nullo modo promitteret, quia putaret se id frustra facturum. Quod commune est omni eligenti aliquod medium propter finem: ideo enim illud adhibet, quia scit se hunc assecuturum si illud adhibeat. atque ita finis & opus meritorium præscita sub conditione futura mouent voluntatem ad promissionem mercedis & electionem medij. Sicut autem desiderium operis alieni præuisi sub dicta conditione futuri potest me mouere vt ei mercedem promittam: ita potest me mouere vt de facto eam dem, quando scio hoc esse necessarium, aut valdè vtile vt alterum moueam ad operandum. Si autem homo potest prudenter moueri ad dandam alicui mercedem pro opere futuro, quia videt hoc probabiliter futurum, si illam det; nulla potest fingi ratio, cur Deus non posset ita dare mercedem ob opus, quod certissimè scit futurum, si illam det: quo casu mouebitur vt velit hanc dare quia videt opus sub hac conditione futurum. quod assumpsi numero 112. in fine, & hîc probandum remisi.

117 Principium meriti posse aliquo casu cadere sub meritum.

Probatur iam conclusio Secundò, quia princeps potest militi dare arma & equum cum obligatione vt militando ea postea mereatur; qui conditionem postea implendo ea de condigno merebitur: atqui tam equus quàm arma sunt principium, siue causa operis meritorij: ergo principium meriti absolutè potest cadere sub meritum, & consequenter simili modo Deus poterit nobis dare gratiam quam postea mereamur.

118 Respondent aliqui Primò, in illo casu non esse verum meritum, nec veram mercedem, sed emptionem quamdam in qua princeps iste illo equo & armis anticipata solutione emit operam militis. Sed hoc iam suprà num.6. refutaui, vbi ostendi, laborem diurni operarij verè de condigno tamquam veram mercedem mereri denarium diurnum. His adde, tali militi non solùm suprà dicta, sed etiam aliquod officium, v.c. centurionis vel tribuni, posse cum dicta conditione conferri, quodque ipse per sequentia opera diligenter ac industriè suis militibus imperando, eosque in pugna dirigendo poterit de condigno mereri: quia princeps hoc illi dabit, quia credit ipsum hoc meriturum sequentibus operibus, & tamquam horum mercedem. Illud tamen officium est principium sequentium operum, sicut potestas sacerdotalis est morale principium confectionis Sacramenti. Nam sicut sacerdos per hanc fit potens conficere Sacramentum, ita miles per illud officium fit potens suos milites gubernare, ac in pugna dirigere.

119 Respondent alij Secundò, esse diuersam rationem inter hęc, eò quòd arma & equus militis sunt solùm partiale principium sequentium meritorum, atque adeò illud præmium militi potiùs datur propter industriam ipsius, quæ præcipua causa est sequentium operum.

Sed contrà facit Primò, quòd etiam in actibus nostris supernaturalibus libetum arbitrium sit eorum partialis causa, vt ostendi suprà disp.5. dub.5. & consequenter gratia solùm est partiale eorum principium. Nec verum est quod obiectio sumit, illa priora solùm dari propter industriam ipsius militis, cùm verè dentur propter opera futura probabiliter præuisa. Ideo enim princeps hæc ei dat, non quia industrius est, sed quia strenuè pugnaturus est, & propter hanc ipsius operam; nullo modo daturus nisi hanc futuram crederet, cuius operæ saltem partiale principium sunt equus & arma.

Nec refert quòd hæc sint minùs principale principium, gratia autem sit magis principale principium nostrorum meritorum: quia omnia argumenta quæ probant principium magis principale non posse cadere sub meritum, idem probant de minùs principali. Nam etiam hoc datur ob merita sub conditione futura, & deberet in dante priùs esse voluntas illud dandi, quàm merita possint absolutè aut videri aut esse futura.

120 Secundò, contrà facit, quòd princeps tali militi sub conditione futuri meriti non solùm possit conferre arma & equum, sed etiam aliquod officium, vt suprà dixi. Imò infirmo ac languenti multis sumptibus per medicinas instaurare vires. Imò etiam ignarum in arte militari curare in ea instrui. Quæ omnia hic fideliter & strenuè postea militando poterit de condigno mereri; & tamen erunt præcipua causa actuum meritoriorum. Ex quibus apertè sequitur, idem posse dici de gratia; quam Deus eo magis poterit nobis dare ob futura per eam merita tamquam horum mercedem, quo certiùs scit hęc futura, si illam det.

121 Ex quibus patebit solutio argumentorum allatorum num.106.

Ad

Cur principium supernaturale meriti de facto non cadat sub meritum.

Ad primum, Respondeo assumptum solùm esse verum secundùm legem Dei ordinariam: qui numquam statuit dare gratiam propter opera futura tamquam eorum præmium: sed primam suam gratiam semper merè liberaliter dat.

Ad Confirmationem Respondeo Primò, nego consequentiam. Primò, quia in eo casu totale meriti principium caderet sub meritum, in casu verò conclusionis solùm partiale. Secundò, quia Deus cum homine iam creato antequam det ei gratiam, potest inire pactum de illa ei danda cum conditione futuri meriti: secùs est de creatione: nec enim de hac futura cum homine priùs non existente pactum iniri potest.

Cur minùs possimus mereri nostram creationem, quàm primam gratiam.

Suarez. Non implicat aliquem mereri suam creationem.

Respondeo Secundò, cum Suarez 3. p. tom. 1. disp. 10. sect. 4. §. *Et hoc ipsum*, concedendo totum. Nulla enim hac in re ostendi potest aperta implicantia. Cùm enim Deus certò videat an homo qui creandus est in his vel illis circumstantijs, huiusmodi opera facturus sit, potest velle eum creare, & in iis circumstantijs ponere, in quibus videt ipsum ea facturum si ponatur, idque quia ea facturus est, eique in primo instanti creationis hoc indicare, & alter hanc conditionem acceptare potest, & postea implere.

122 Non est opus vt medium moraliter solùm causans finem ante hunc esse existat.

Ad secundum, Respondeo maiorem solùm esse veram de medijs quæ physicè debent causare suum finem, non autem de ijs quæ moraliter eum causant, mouendo alterius voluntatem vt finem conferat, sicuti merita faciunt. Tunc enim sufficit merita priùs existere obiectiuè, siue repræsentari intellectui conferentis mercedem, siue esse præuisa absolutè, vel sub conditione, si merces detur, futurâ. hoc enim sufficit vt possint mouere volũtatem ad dandam mercedem; vt ostendi num. 112 & 116. Adde, ipsam dationem mercedis ex parte remunerantis habere se per modum medij respectu meritorum, vt ostendi n. 113. atque ita hac ratione congruè præcedere ipsa merita.

123 Ad tertium, nego maiorem. Nam merita causant voluntatem dandi mercedẽ, & consequenter huius dationem, quatenus habent aliquo modo rationem finis respectu dationis mercedis ex parte remunerantis. Causantur autem à gratia efficienter. Item causant dationem mercedis siue gratiæ in dicto nostro casu secundùm suum esse futurum, quatenus hoc obiectiuè præsens est remuneranti: causantur autem à gratia secundùm esse suum reale actu existens. Qua ratione eamdem rem esse causam suæ causæ nullo modo absurdum est. Nam semper & necessariò fit in omni causa finali, quæ producitur per media quorum est causa. Ad probationem, nego assumptum: nam merita causant suam mercedem potiùs per modum causæ finalis, vt iam ostendi, præsertim posito casu conclusionis nostræ, in quo id magis clarum est.

124 Ad quartum, nego maiorem: quia gratia respectu remunerantis non habet rationem finis, vt iam ostendi, sed solùm respectu merentis, à quo non datur; & respectu huius merita non habent rationem meriti: nec enim operans à se ipso quidquam meretur, sed à remunerante. Item gratia non est propriè causa meritoria: nam ipsa nihil meretur; sed solùm est causa meriti, siue operis meritorij.

Ad quintum, Respondeo Patres solùm 125
negare gratiam de facto dari ob futura nostra merita, præsertim præuisa futura sub conditione: agunt enim contra Pelagianos qui asserebant id de facto fieri. quod Patres refutant, Quia hac ratione Deus deberet omnibus dare maximas gratias & efficaces, quia videt quòd homines multa bona opera facerent, si eas daret. Item quia debuisset Tyriis & Sidoniis prædicare euangelium, & facere miracula, quæ coram Iudæis fecit: quia videbat eos acturos pœnitentiam in cinere & cilicio, si ea fecisset. Solùm itaque Patres volunt Deum primam suam gratiam nobis omnino gratis dare: quia aliàs non esset gratia, sed merces: quod Scripturis repugnat. An autem aliter dari possit, non vt gratia, sed vt merces, ipsi non disputant.

Vbi Nota, etsi in dicto casu gratia non haberet propriè rationem gratiæ, quatenus hæc vox significat gratuitum donum: quia non daretur gratis, sed vt merces operum: tamen haberet rationem gratiæ, quatenus homitem gratum Deo redderet, præsertim in loquendo de gratia habituali. Item tali donationi semper immisceretur aliquid gratiæ, quatenus Deus liberaliter in soluenda mercede præueniret ipsum meritum. Sicut etiam modò in omni nostro merito interuenit aliqua gratia siue liberalis donatio, qua Deus nobis omnino immeritis dat vires merendi: vnde etiam Patres nostra merita vocant dona Dei.

Ad sextum, nego maiorem: patet enim esse 126
falsum ex dictis num. 112. & 113. Ad probationem, nego assumptum. Augustinus enim eo loco solùm partim ex dicto loco Apostoli, siue eò quòd à Deo eligamur ad gratiam vt simus sancti, & partim ex eo quòd Christus Iohannis 15. ait: *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi*, infert, nos non ideo eligi ad gratiam, eamue à Deo accipere, quia priùs fuimus præuisi credituri per solum liberum arbitrium ante gratiæ receptionem, prout Semipelagiani asserebant. Cuius etiam rationem reddit, non quòd hæc nequeant simul consistere nos ad gratiam eligi vt benè operemur, & quia benè operaturi sumus; sed quia sic nos priùs eligeremus Christum in eum credendo, quàm ipse nos eligeret, contra verba Christi suprà citata. Quod longè diuersum est ab eo quod in argumento sumitur, & contra nostram conclusionem nihil facit. *Iohan.15.*

Ad septimum, nego assumptum: nam ad rationem meriti requiritur promissio mercedis dandæ intuitu operum. vt ostendi dub. 4. concl. 3. Deus autem primam gratiam non promisit futuris nostris operibus, sed eam dat merè gratis.

127 Deo volente fieri potuit vt Christus mereretur assumptionẽ suæ naturæ ad vnionem hypostaticã. *Suarez.*

Ex dictis infertur, per absolutam Dei potentiam fieri potuisse vt Christus mereretur assumptionem suæ humanæ naturæ ad vnionem hypostaticam; vt docet etiam Suarez suprà citatus: quia Deus potuit humanitatem assumere

ad vnionem hypostaticam propter opera, quæ Christus postea esset facturus, & cum obligatione ea faciendi, idque ei primo instanti incarnationis indicare; qui potuit etiam tunc hanc conditionem acceptare & postea implere. Quo casu naturæ humanæ assumptionem verè fuisset meritus, vt patet ex dictis: de facto tamen tam non meruit, quia humanitas absolutè & sine tali respectu ad futura merita fuit ad vnionem assumpta; vt docet D. August. l.1. de Prædest. Sanctorum c.15. *August.*

DVBIVM VIII.

Vtrùm actu contritionis, quo ad Deum conuertimur, mereamur de condigno primam gloriam?

128 AGimus hîc de contritione qua peccator ad Deum conuersus se disponit ad iustificationem. Et quidem satis inter omnes constat, quòd per eam de condigno mereatur augmentum gratiæ & gloriæ eo tempore, quo eam post primum instans, liberè continuat. Sed quærimus vtrùm hic per eam primo instanti temporis, quo eam elicit, mereatur de condigno primum gradum gloriæ, siue illam partem gloriæ quæ respondet illi parti gratiæ habitualis, quam ratione suæ contritionis illo instanti accepit: siue hæc sit absolutè initium gloriæ (vt contingit in eo, qui antè numquam fuit iustus) siue sit aliquod gloriæ augmentum, vt contingit in eo, qui priùs aliquando iustus fuit.

129 Vega de Iustificatione q.6 in respons. ad 9. id negat. Primò, quia, vt opus aliquod sit condignè meritorium vitæ æternæ, debet necessariò procedere à gratia iustificante: sed illa contritio pro eo instanti ab hac non procedit: ergo non meretur condignè vitam æternam. Secundò, quia non meretur primam gratiam: ergo nec primam gloriam. Tertiò, quia sicut prima gratia iustificans, ita etiam prima gloria ei respondens dantur sine meritis: ergo eam non meremur de condigno. Antecedens probatur, quia, sicut Apostolus ad Romanos 4. dicit: *Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* ita possumus dicere, Si Abraham ex operibus beatitudinem adeptus est, habet gloriam, sed non apud Deum. *Vega.* *Rom.4.*

130 Pro resolutione Nota, quòd, etsi contritio sit necessariò priùs natura ipsa infusione gratiæ iustificantis, tamen simul cum ea eodem instanti existit; atque ita est etiam opus iusti, siue filij Dei, & vt sic considerata accipit à gratia iustificante quamdam moralem dignitatem omnino necessariam ad meritum gloriæ de condigno: iuxta dicta dub.3.nu.34.& 35. Vt enim caritas hanc dignitatem nostris operibus supernaturalibus tribuat, non est opus vt ab ea procedant, sed sufficit quòd procedant ab habente caritatem. vt ostendi dub.4.n.64.

Contritio secundum esse suum physicum est necessariò

Ex quibus sequitur, etsi contritio secundùm suum esse physicum pro illo instanti non sit posterior naturâ ipsa gratia habituali (quia secundùm hanc pro illo instanti ab ea non pendet) tamen esse ea posteriorem secundùm esse quoddam morale, siue secundùm illam dignitatem quam à gratia habituali accipit. Sicut quando in aliquo corpore producitur lumen quod eodem instanti producit aliud lumen in alio corpore sibi obiecto: etsi hoc lumen secundùm suam entitatem pro illo instanti non possit esse prius natura illo lumine à quo producitur, tamen est prius natura eo, quatenus habet actualem relationem similitudinis cum ipso: nam vtrumque lumen simul naturâ habet hanc relationem similitudinis. cùm igitur lumen secundo loco productum sit prius naturâ quàm sit simile lumini producenti, necessariò sequitur quòd prius naturâ debeat esse, quàm lumẽ producens possit ei actu esse simile. Est ratio est; quia lumen producens in ratione actualis similitudinis pendet ab actuali existentia luminis à se producti (quod clarissimum esset quando non esset aliud lumen cui posset aliàs esse simile) hoc tamen in sua existentia non pendet à similitudine luminis producentis. nam etsi hoc non esset producto simile, si tamẽ haberet vim hoc producendi, hoc eodem modo existeret. Quidquid autem dependet ab altero, secùndùm eam rationem qua ab eo dependet, est eo posterius naturâ, nisi secundùm eandem rationem sit mutua inter ea dependentia. vt ostendi disp. 6.n.89 & 90.

prior gratiâ ad quam dil. ponit, tamẽ secundùm aliquod esse morale est ea posterior.

CONCLVSIO. Probabilius est nos per contritionem, qua à peccatis conuertimur, primo instanti de condigno mereri primam gloriam, siue eam quæ respondet ei gratiæ quæ propter contritionem tunc nobis infunditur. Ita Vasquez 1.2. disp.219.c.2. & apertè eam insinuat Suarez disp.2. de Reuiuisc. mentor. sect. 1. numer.25. 131 *Vasquez.* *Suarez.*

Probatur Primò, quia illa contritio in illo posteriori naturæ quo intelligitur esse actio iusti siue filij Dei, iuxta iam dicta habet omnes conditiones necessarias ad merendam de condigno primam gloriam: ergo eam ita meretur. Antecedens patet: quia est actio filij ac viatoris, bona, supernaturalis, libera, &c. qualibus actibus vita æterna à Deo promissa est. Item cùm dicta gloria nondum sit data, potest cadere sub meritum: ergo illa actio habet omnes conditiones requisitas ad hanc de condigno merendam.

Dices, Dicta gloria iam debetur tali tamquam hereditas filio hoc ipso quo priùs naturâ concipitur iustificatus: ergo in posteriore naturæ eam non potest mereri; sed potiùs meretur eius augmentum. Respondeo negando consequentiam, quia, vt bene docet Suarez suprà, optimè potest fieri vt gloriam nobis titulo hereditatis debitam etiam de condigno mereamur; vt etiam patet in Christo, qui gloriam corporis & exaltationem sui nominis sibi ratione filiationis debita per sua opera de condigno meruit. vt patet ex Apostolo ad Philip. 2. v. 9. Distinctam autem gloriam ab ea, quæ respondet illi gratiæ, quæ propter illam contritionem primo isto instanti infunditur, non possumus pro illo instanti mereri: tum quia aliàs eidem actui pro eodem instanti daretur duplex gloria, tum etiam quia aut talis deberet per illum actum mereri 133 Vno titulo nobis debitum possumus alio mereri. *Suarez.* *Philip.2.* Cur per cõtritionẽ non mereamur distinctam gloriã ab ea, quæ respondet gratiæ acceptæ.

mereri etiam augmentum gratiæ, aut mereretur plus gloriæ, quàm gratiæ. quæ omnia absurda sunt.

133 Probatur Secundò, quia Trident. sess.3.c.32. docet, nos bonis nostris operibus verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, eiusque cõsecutionem, ac gloriæ augmentum. vbi notandum, ipsum docere nos mereri augmentum gratiæ, non autem ipsam gratiam; & contrà ait, nos non solùm mereri gloriæ augmentum, sed etiam ipsam vitam æternam eiusque consecutionem: planè ostendens nos non posse quidem mereri primam gratiam, sed solùm eius augmẽtum; contrà verò accidere in gloria, cuius etiam meremur initium, siue illius, quæ nobis alio titulo debita est, consecutionem. *Trident.*

134 Ad primum argumentum positum nu.129. nego maiorem: sufficit enim tale opus fieri ab habente gratiam habitualem. Ad secundum, nego consequentiam: quia prima gratia debet esse principium morale illius meriti, & priùs naturâ infundi, quàm ille actus possit esse meritorius de condigno, vt ostendi n.130. ideoque de facto secundùm præsentem Dei constitutionem nequit cadere sub meritum. Secùs est de prima gloria. Ad tertium, nego antecedens vniuersaliter esse verum: solùm enim est verum, quando quis iustificatur perceptione Sacramenti sine contritione. Ad probationem, Respondeo illum locum Apostoli nihil facere ad rem. nam solùm ibi loquitur de operibus sine gratia & fide Christi factis; & aliàs probaret augmentum gratiæ non dari nobis ex operibus. Agit enim ibi Apostolus de fide qua Abraham Geneseos 15. credidit Deo promittenti ei multiplicationem seminis sui: quæ fides dicitur ei reputata in iustitiam, non primam, quia iam iustus erat, sed in augmentum iustitiæ.

Quartò, quia Matth.25. dicitur: *Omni habenti dabitur & abundabit, ei autem qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo.* Qui autem operatur minùs intensè suo habitu non videtur habere habitum tam intensum, cùm eo non vtatur nisi remissè: ergo ei nihil dabitur. Quintò, quia Apocal.2.v.4. reprehenditur grauiter quidam Episcopus, quòd caritatem primam reliquisset, id est, vt illi aiunt, quòd minùs intensè fuerat operatus, quàm priùs operatus fuerat. Sextò, quia Apocal.3.vers.2. Christus graniter minatur cuidam Episcopo, eò quòd non inueniat opera ipsius plena coram Deo, id est, eò quòd minùs feruenter operetur. Septimò, quia D.Gregorius 3 p. Pastoral. admonit.35 acriter inuehitur in tepidè ac remissè operantes. Octauò, quia communiter dicitur, in via Dei nõ progredi est regredi: atqui eliciens actus minùs intensos non progreditur: ergo regreditur. Nonò, quia remissè operantes non experiuntur in se augmentum habitus: ergo hoc non accipiunt. *Matth.25.* *Apoc.2.* *Apoc.3.* *Gregor.*

136 Sed si hæc argumẽta, præsertim vltima, quidquam probarent, non solùm probarent nos per actus remissos non mereri augmentum gratiæ & gloriæ essentialis: sed nos per eos peccare & in caritate deficere, ac huius diminutionem aliamue pœnam mereri. quæ apertè absurda sunt. Quis enim dicat nos eliciendo actum caritatis habitu remissiorem peccare, aut in virtute deficere, aut pœnam mereri, præsertim eo tempore quo non tenemur actu amare Deum? Nam sicut tunc non sumus reprehensibiles, si Deum actualiter non amemus, ita multò minùs reprehensibiles sumus, si eum remisso actu amemus; quia hoc est melius, quàm eum non amare.

DVBIVM IX.

Vtrùm per actus habitu remissiores mereamur augmentum gratiæ habitualis, illudq; statim recipiamus?

135 PRima sententia absolutè negat, nos per eiusmodi actus mereri augmentum gratiæ habitualis aut præmij essentialis; aitque nos per eos solùm mereri præmium quoddam accidentale, & vt idem præmium essentiale aliis nostris meritis iam debitum, nobis debeatur ac suo tempore detur nouo titulo. Ita S.Bonauent. in 2.d. 40.art.2.q.3. in corpore & ad 2. & quidam alij, qui probant hanc sententiam Primò, quia habitus naturales non augentur nisi per actus intensiores: ergo nec supernaturales: videtur enim eadem vtrorumque ratio. Secundò, quia aliàs sequeretur, quòd homo continuando suũ actum meritorium continuè reciperet nouam gratiam: atqui hoc est absurdum: ergo, &c. Tertiò, quia inde sequeretur, quòd homo post quemuis actum meritorium à se iam iusto elicitum haberet gratiam intensiorem quouis actu à se priùs elicito, & in fine vitæ intensiorem gloriam quouis actu à se tota vita eliciro: hoc autem est absurdum: ergo & id vnde sequitur. *S.Bonau.*

Ad primum, nego consequentiam: quia habitus naturales siue acquisiti debent physicè produci ab ipsis actibus, quare non debet videri mirum si non augeantur nisi per actus intensiores. imperfectius enim nequit physicè producere, aut effectiuè perficere aliquid se perfectius: secùs est de habitibus supernaturalibus, ad quos producendos nostri actus physicè nullo modo concurrunt, nec effectiuè, nec dispositiuè: vt ostendi disp.7.dub.2. sed solùm moraliter, siue per modum meriti aut dispositionis moralis, mouendo Deum vt eos physicè in nobis producat, vel augeat; ad quod nullo modo requiritur vt actus nostri perfectionem suorum habituum adæquent: atque ita hi actus remissiores suis habitibus possunt hos meritoriè augere. His adde, antecedens non esse omnino certum: nam multi id non improbabiliter negant. vide Vasquez 1.2.disp.80.n.6. *Cur habitus supernaturales potiùs quàm naturales actibus remissioribus augeantur.* *Vasquez.*

Ad secundum, nego maiorem; nam id quod dicitur ex contraria sententia sequi, siue verum sit, siue falsum, nullo modo ex ea sequitur, vt ostendam dub.10. vbi etiam discutiam qua ratione gratia per durationem actus augeatur.

Ad tertium, nego minorem: nulla enim vel probabilis ratio potest adferri, quaid probetur esse absurdum.

Ad quartum, quintum, sextum, septimum, 137 Respondeo ea loca nihil omnino facere ad rem

Matth.25. præsentem. nam Matth.25. solùm agitur de eo, qui gratia à Deo accepta nullo modo vtitur, etiam cùm ad hoc ex præcepto tenetur, ideoque peccat mortaliter, ac omni gratia spoliatur, iubeturque in tenebras exteriores siue in infernum conijci. Quæ nullo modo conueniunt in eum, qui elicit actum caritatis habitu remissiorem: alioquin hic de facto peccaret mortaliter, & mereretur æternam damnationem; quod

Apoc.2. absurdissimum est. Apocal.2. agitur de Episcopo qui deficiebat in debita caritate suis subditis alijsque Christianis necessariò & ex præcepto exhibenda, omittendo officia, quæ his tenebatur exhibere, atque ita grauiter peccabat: vnde etiam iubetur pœnitentiam agere. Qui autem diligit Deum actu remissiore suo habitu non peccat, nec subtrahit officia alijs sub peccato debita: aliàs Deum super omnia non amaret; quia peccatum mortale nequit cum actu caritatis consistere. Similiter ibidem cap.3. v.2. apertè agitur de Episcopo existente in peccato mortali, quia vers.1. ei dicitur: *Scio opera tua, quia nomen habes quòd viuas, & mortuus es.* Qui autem Deum actu caritatis amat, non est mortuus, sed viuit.

D. autem Gregorius ibi reprehendit eos, qui consueta caritatis officia omnino deserunt, comparatque eos nauigantibus aduerso flumine, qui aliquantulum progressi à remigando omnino desistunt, atque ita nemine nauem propellente retro rapiuntur. Quæ non conueniunt in eos, qui consueta caritatis officia continuant, etiam actibus habitu minùs intensis: qui non desinunt remigare, & consequenter nec progredi: imò fieri potest, vt actibus tam intensis & æquè feruenter remigent, siue ea officia exerceant, consequenter æquè progrediantur atque antea: atque ita eorum actus sint habitu remissiores, non quia illi remittuntur, sed quia hic intenditur. Sicut igitur qui æquali aut etiam paulò minore contentione semper remigant aut iter faciunt, continuò procedunt, ita etiam in caritate semper proficiunt, qui consueta eius exercitia aut æquali aut etiam paulò minore feruore exercent. Ex quibus etiam patet solutio octaui argumenti, quod similiter nihil facit ad rem præsentem, quia qui eliciunt actus caritatis habitu remissiores non desinunt in via Dei progredi. Imò hæc duo argumenta potiùs apertè probant contrarium, scilicet elicientes eiusmodi actus debere in caritate proficere, eiusque augmentum accipere; aliàs secundùm ea argumenta deberent retrogredi, & in caritate deficere: quod absurdum est, vt iam ostendi.

Consueta caritatis officia continuantes etsi aliquanto remissiùs quàm antea, verè progrediuntur.

Ad nonum, nego consequentiam: nam, vt ostendi disp.6. dub.6. habitus supernaturales per se non facilitant nostros actus, nec nos ad eos sensibiliter inclinant; ideoque non possumus vlla experientia cognoscere an eos in nobis intensos an remissos, aut vllos omnino habeamus.

138 Alij dicunt, nos per actus remissiores habitu mereri augmentum gratiæ & gloriæ. Sed sicut gloria solùm confertur post hanc vitam, ita aiùt hoc augmentum gratiæ solùm conferri, cùm quis per actũ intensiorem se ad id recipiendum disposuerit. Quia vt recipiamus augmentũ gratiæ, non sufficit nos id mereri, sed requiritur vt ad id recipiendum actu intensiore disponamur. nam habitus naturales aliter non augentur; ergo nec supernaturales. Hanc sententiam sequuntur Caietan. 1. 2. q. 114. a. 8. Bañez 2. 2. q. 24. a. 6. dub. 2. & quidam alij Thomistæ. *Caietan. Bañez.*

Sed hoc fundamentum iam refutatum est, & huic sententiæ nullo modo congruit, nec ipsa satis consequenter loquitur. Nam ponamus aliquem habentem habitum vt 6. elicere 10. actus vt 4. & postea vnum vt 8. Peto igitur, vtrũ dum hunc eliciet, recipiet augmentum gratiæ correspondens omnibus illis actibus, v.c. vt 48. si pro singulis gradibus actionis detur gradus gratiæ, vt multi docent, (de quo infrà disp.22. dub.4. agemus) vel an solùm recipiet duos gradus gratiæ: quantum nimirum vltimus actus superabit habitum? Primum ab illis dici nequit, quia repugnat eorum fundamento: nam actus vt 8. non potest disponere ad infusionem 48. graduum gratiæ: & secundùm illos habitus acquisitus vt sex per tot similes actus tantùm augetur vt duo, secundùm excessum vltimi actus respectu præcedentis habitus. Nec etiam secundum dici potest, quia sic non acciperemus augmentum gratiæ correspondens prioribus actibus, sed solùm correspondens duobus vltimis gradibus vltimi actus. Hinc si duo habeant habitum vt 6. & vnus eliciat primò 10. actus intensos vt 4. & postea vnum intensum vt 8. & alter solùm eliciat vnum actum intensum vt 8. tunc vterque acciperet æqualem gratiam. Et hæc videtur omnino mens illorum Doctorum. ideoque solùm verbis discrepant à priore sententia: & videntur velle dicere quod reuera non dicunt.

139

His adde, cùm habitus gratiæ supernaturaliter nobis à Deo infundatur, & sit forma accidentalis, nec habeat in nobis præsertim iustis quidquã sibi repugnans, vt nobis quantumcũque intensè infundatur, nullam in nobis præquirere veram dispositionem, nisi purè meritoriam, siue qua Deus moueatur vt velit tam intensum habitum infundere. vt patet in lumine aliisque similibus qualitatibus non habentibus contrarium, quæ in subiecto nullam prærequirunt dispositionem, sed solam applicationem corporis illuminantis, siue causæ actiuæ. Quare etiam ex illo fundamento planè contrarium illi sententiæ sequitur, scilicet, nos omne augmentum gratiæ quod vllis actibus meremur, statim atque eos elicimus accipere, quia ad hoc sumus sufficienter dispositi. Nam hoc ipso quo aliquo opere gratiam meremur, sufficienter mouemus diuinam voluntatem vt velit eam nobis infundere, nec alia in nobis dispositio requiritur. Quòd autem gloria quam meremur non detur statim, nihil facit ad rem: nam hoc fit, quia hæc non est nobis promissa nisi dependenter à finali perseuerantia & repugnat statui viatoris, quare eius ante mortem siue ante finem status viatoris capaces non sumus; secùs est de gratia eiusque augmento: nam aliàs hanc in hac vita non possemus recipere. Probant iidem suam sententiam

140 Habitus nobis infundẽdi nullã prærequirunt physicam dispositionẽ.

Cur potiùs gratia quàm gloria nobis statim, ac cã sumus meriti, infundatur.

tiam quibusdam argumentis suprà allatis pro prima sententia, maximè tribus primis, & vltimo; sed his iam satis est responsum.

141 Alij docent, nos per actus remissiores habitu mereri gloriæ & gratiæ augmentum: sed vtrumque primùm accipere post hanc vitam. Hanc cum aliis tenet Scotus in 4.d.21.q.1.§. *In ista quæstione*, sub finem. & d.22.q.1.a.2.circa medium. Mouentur autem precipuè fundamento secundæ sententiæ, & vltimo argumento primæ sententiæ, quæ iam satis refutaui.

Scotus.

142 CONCLVSIO I. Iusti per omnia opera supernaturalia etiam habitu remissiora merentur augmentum gratiæ & gloriæ. Ita Vasquez 1.2. disp.220.c.3. Suarez de Reuiuiscentia meritorum, disp.2.sect.3.n.33.

Vasquez. Suarez.

Trident. Probatur, quia Trident.sess.6.c.16. & can. 24.& 32. apertè generatim definit, iustos per opera bona in Christo siue per gratiam Christi & in eius obsequium facta mereri gratiam & gloriam, siue vtriusque augmentum: atqui omnia opera supernaturalia hominis iusti etiamsi sint habitu remissiora, sunt verè talia: ergo ipse per ea meretur augmentum gratiæ & gloriæ. Minor probatur; quia si eiusmodi opera, v.c. intensa vt 6. facta ab habente habitum vt 4. sint opera facta in Christo, nulla potest fingi probabilis ratio, cur eadem atque æquè intensa opera facta ab habente habitum vt 8. non sint facta in Christo. Secundò, quia dicto cap.16. expressè docet, iustorum operibus dicto modo in Deo factis nihil deesse quo minùs vitam æternam mereantur. & similiter dicto can.24.& 32. præter dicta nihil in ijs requirit vt mereantur augmentum gratiæ: atqui hoc esset falsum, si præterea requireretur vt essent intensiora habitu: ergo hoc non requiratur.

Quid sit opera nostra fieri in Christo.

143 Respondent aliqui, opera remissiora mereri quidem gratiam & gloriam, non tamen distinctam à priore gratia quam operans iam habet; sed hanc tunc ijs duplici titulo dari. Sed contrà Primò, hoc secundùm æstimationem moralem idem esset ac si nihil mererentur. sicut si is qui sex diebus laboraret in vinea, quinque vltimis solùm mereretur accipere diuerso titulo denarium labori primi diei debitum, ab omnibus iudicaretur vltimis diebus gratis & sine mercede laborasse. Secundò, quia hac ratione Concilium falsò diceret eos per eiusmodi opera mereri augmentum gratiæ & gloriæ: quia hoc necessariò significat aliquem gradum à prioribus distinctum, ijsque superadditum: vt patet in dicto operario, qui illo casu nullo modo mereretur augmentum mercedis.

144 Dices, Gloriam nobis debitam titulo hereditatis possumus de condigno mereri: ergo gloriam aut gratiam nobis debitam propter merita præcedentia possumus secundò mereri per merita subsequentia. Secundò, Christus per quoduis suum opus nobis meritus est totum id quod meritus fuit per omnia sua opera: & consequenter rem eamdem sæpiùs est meritus diuersis operibus: ergo similiter nos possumus diuersis operibus eamdem rem sæpiùs mereri.

Respondeo Primò, negando consequentiam vtriusque argumenti: non quasi velimus asserere omnino implicare nos diuersis operibus eamdem gloriam sæpiùs mereri: sed quia id fieri nequit conuenienter secundùm eum modum quo de facto gratiam & gloriam meremur. nam etsi res debita solo titulo gratuito possit non incongruè proponi vt præmium alicui operi, præsertim quando non conuenit ei operi proponi distinctum præmium (vt accidit in contritione qua quis meretur primam gloriam, iuxta dicta dub.8. & in Christo merente gloriam corporis: nam nos gratis iustificamur, & Christi humanitas gratis fuit assumpta ad esse filij Dei; nec illi contritioni alia gloria essentialis, nec Christi meritis alia gloria corporis potuit congruè respondere, quàm ea quæ titulo hereditatis iam erat debita) secùs tamen est quando præmium iam debitum est titulo oneroso, propter præcedens meritum, & secundo operi potest congruè distinctum præmium proponi, prout accidit in nostris meritis respectu gratiæ & gloriæ: nam prior gratia & gloria tam sunt titulo oneroso nobis debita ob priora merita, & alijs meritis sequentibus congruè omnino alius gradus gratiæ & gloriæ vt præmium proponi potest: & consequenter omnino dicendum est, eum ita proponi, nosque eum de facto mereri. Et hinc patet consequentiam prioris argumenti nullam esse.

Quando conueniat rem vno titulo debitã, alio merendam proponi, & quando non.

Quòd autem etiam secundi argumenti consequentia sit nulla, patet Primò, quia Christi sequentibus operibus non potuit proponi tamquam præmium promerendum nostra redemptio distincta ab ea, quam prioribus suis operibus fuerat meritus. Secundò, quia nostra redemptio non fuit Christo in præmium proposita, tamquam vno aliquo opere, præsertim quod passionem præcederet, absolutè & independenter à sequentibus promerenda: sed vt promerenda omnibus suis operibus vsque ad completam passionem simul sumptis. Nam etsi quoduis Christi opus ratione infiniti sui valoris fuerit sufficiens ad totius mundi & infinitorum aliorum redemptionem; tamen Deus noluit eam vllis Christi operibus ante eius mortem perfici, idque ob varias causas, quæ in materia de Incarnatione solent adferri. Quare Deus nostram redemptionem omnibus Christi operibus simul sumptis promerendam proposuit: non quasi omnia omnino eius opera fuerint ad eam necessaria, sed ita vt omnibus simul vnum idemque præmium fuerit propositum.

145

Aliter Christo suis operibus nostra redemptio, aliter nobis nostris operibus gratia & gloria proponitur promerenda.

Secùs planè est in nostris operibus: nam & singulis potest congruè distinctus gradus gratiæ & gloriæ promerendus proponi: & prioribus operibus certus gratiæ & gloriæ gradus promerendus proponitur independenter à sequentibus. nam si iustus statim post primum opus meritorium moreretur, aut fieret amens, acciperet correspondentem ei gloriam sine vllis sequentibus operibus.

Respondeo Secundò, etsi Deus congruè posset nobis proponere idem præmium varijs operibus ac titulis merendum; atque ita fieri posset, vt id iuxta aliam sententiam ita mereremur; tamen ob Concilium Trident. omnino dicendum esset, hoc de facto non fieri, quod

146

can.

can.32.expresè docet, nos per opera in Christo facta (qualia sunt omnia opera libera supernaturalia, etiam habitu remissiora) mereri augmẽtum gratiæ & gloriæ: quod, vt ostendi, secundùm aliam sententiam dici non posset. Quare ex hoc loco videtur nostra sententia satis apertè & certò probari.

147 CONCLVSIO II. Iustus eliciens actus meritorios augmenti gratiæ hoc ſtatim recipit. Ita auctores citati pro priore conclusione: & probatur, quia cùm huius ſtatim recipiendi absolutè sit capax, vt suprà n.146. ostendi, & ratione sui actus meritorij sufficienter ad hoc sit dispositus, nulla est causa cur eius datio differatur. Et confirmatur, quia vel deberet differri vsque ad mortem, & tunc gratia viæ non responderet gratiæ & gloriæ patriæ (quod videtur absurdum, & sine vllo fundamento asseritur) vel solùm differretur donec actum intẽsiorem eliceret, & tunc si numquam intensiorem eliceret, careret fructu plurimorum bonorum operum: quod absurdum est, & repugnans Tridentino suprà. Confirmatur vtraque conclusio. Quia, vt ostendi suprà, contrariæ sententiæ nullo omnino fundamento nituntur.

DVBIVM X.

Vtrùm elicienti actum meritorium semper conferatur augmentum gratiæ primo instanti, ac reliquis sequentibus dum actus durat.

148 HÆc difficultas præcipuè proponitur vt possimus videre qua ratione mereamur augmentum gratiæ aut etiam pœnæ, per continuationem actus boni vel mali. Qua in re explicanda multi grauem reperiunt difficultatem, quia cùm continuum sit diuisibile in infinitum, adeoque in quouis tempore possint assignari instantia syncategorematicè infinita, videtur sequi, posito quòd actioni meritoriæ pro primo instanti respondeat certus gradus augmenti gratiæ, actionem meritoriam durantem aliquo tempore mereri gratiam infinitam. Consequẽtia probatur; nam sicut in primo instanti meretur certum augmentum gratiæ, ita in quouis alio toto illo tempore, quo durat, assignabili (nulla enim est ratio cur potiùs in primo instanti certam gratiam mereatur, quàm in quouis alio:) atqui in illo tempore sunt infinita instantia assignabilia: ergo ille actus merebitur gratiam infinitam. quod tamen patet manifestè esse absurdum. Quare in hac re explicanda sunt variæ Theologorum sententiæ.

149 Primò, aliqui docẽt, gratiam non augeri primo instanti per actum meritorium, nisi hic sit intensior ipso habitu, & tunc habitum eo instanti præcisè tantum augeri, quantum ab actu superatur. v.c. habens habitum gratiæ vt 6. elicit actum intensum vt 6. primo instanti nullum recipit augmentum gratiæ: si verò eliciat intensum vt 8. primo instanti recipiet duos gradus; reliquis verò instantibus nihil, quia in his actus erit æqualis habitui; nisi fortè dum continuatur, simul intendatur: tunc enim recipiet augmentum gratiæ ipsi intensioni respondens. Et hanc opinionem tenent illi omnes qui negant nos per actus habitu non intẽsiores mereri augmentum gratiæ, aut nos id recipere, antequam per actum intensiorem ad hoc disponamur: quos citaui ac refutaui dubio 9. Et præter eos eamdem tenent quidam recentiores, qui etsi teneant nos per actus habitu remissiores mereri augmentum gratiæ; tamen negant nos id meri, aut primo aut vllo alio instanti quo actus elicitur, sed solùm per continuationem totius temporis: mouentur autem solo argumento suprà allato.

Sed hæc sententia nec nititur sufficienti fundamento, nec dictam difficultatem effugit. 150
Nam etsi in merito gratiæ ea responsio posset defendi, tamen in merito pœnæ nequit habere locum. Nam certum est peccantem mortaliter quantumuis actu minùs malo multis alijs suis peccatis præcedentibus, ſtatim primo instanti mereri augmentum pœnæ; vnde secundùm illorum fundamentum & modum argumentandi sequitur, eum singulis sequentibus instantibus, quibus actum continuat, etiam tantumdem pœnæ mereri, & consequenter infinitam, non solùm extensiuè (qua ratione quiuis meretur infinitam quouis peccato mortali) sed etiam intensiuè. Antecedens etiam dicti Auctores concedunt: & clarè patet, nam aliàs esset melioris conditionis is, qui grauia antea peccata commisisset, quàm qui antea solùm leuia aut nulla cõmisisset peccata mortalia; quia si vterque eliceret aliquem actum æquè malum, secũdus ſtatim primo instanti mereretur augmẽtum pœnæ, eò quòd hic actus (vt suppono) esset meritorius maioris pœnæ, quàm esset tota ea quam antea deberet: prior verò primo instanti nihil pœnæ mereretur: & deinde vterq; actum suum æqualiter continuando æqualem pœnam mereretur: atque ita minùs malus, præcisè quia minùs malus, per idem peccatum maiorem pœnam merebitur quàm magis malus. Item aliàs sequeretur, quòd prior ille si eliceret actum vno solo instanti durantem (quod aduersarij fieri posse concedunt) per eum quantumuis aliàs malum nullam pœnam mereretur. quæ apertè sunt absurda. Idem argumentum fieri potest, & grauiùs vrget in duobus peccantibus graui peccato veniali æqualiter malo, & æquali tempore durante, quorum vnus priùs vix vllam pœnam in Purgatorio soluendam debet, alter verò valdè magnam. Quo casu secundùm illorum modum argumentandi, aut dicendum esset vtrumque mereri pœnam infinitam, posito quòd vterque mereatur augmentum pœnæ primo instanti: aut si solus prior id mereatur, tunc magis malus præcisè quia peior, ob idem peccatum minùs punietur.

Audiui aliquando aliquos simili argumento 151
pressos respondentes, omnia omnino peccata, quæ aliquo tempore durant, esse & in rigore mereri pœnam intensiuè & extensiuè infinitã: & ex sola Dei misericordia ac constitutione mereri minorem. Sed ego numquam satis potui intelligere quomodo hoc cum sana fide cõsistat.

sistat. nam siue possint à nobis elici actus durantes vnico solùm instanti, siue non, videtur omnino certum, nostras omnes actiones saltem cõmuniter durare aliquo tempore. vnde sequeretur Primò, nos communiter non committere vlla peccata ex sua natura venialia, sed omnia nostra peccata esse mortalia, saltem ex se & secluſa Dei misericordia; nam cùm durent aliquo tempore, secundùm illos meretur pœnam æternam, & quidem intensiuè infinitam, & cõsequenter merentur priuationem gloriæ, quia ius ad gloriam cum tali pœna eiusue merito nequit consistere. Illud autem apertè videtur repugnare Trident. sess. 6. can. 23. & sess. 14. cap. 5. & communi fidelium sensui. Sequeretur Secundò, omnia hominum peccata (saltem prout communiter à nobis fiunt) ex natura sua esse æqualia, siue æqualem mereri punitionem, nimirum ex omni parte infinitam, atque ita cõmittentem leue mendacium, & occidentem parentem æqualem ex natura rei mereri punitionem. qui fuit olim error Stoicorum; non modò ab Ecclesia ab initio damnatus, sed ab alijs omnibus semper explosus. Et tamen ex dictorum Auctorum principijs hæc videntur apertè sequi.

Trident.

152 Secundò, quidam apud Vasquez 1.2. disput. 54. c. 3. docet, elicientem actionem meritoriam primo instanti quo hæc eligitur, siue sit intensior habitu, siue non, mereri & accipere certam partem augmenti gratiæ, reliquo verò tempore quo durat, augeri gratiam successiuè, sicut ignis in obiecto sibi corpore auget calorem; ita vt in nullo instanti certa pars gratiæ producatur, sed solùm in parte aliqua temporis, eaque maior vel minor pro magnitudine illius durationis: atque ita sicut calor ab igne certo tempore continuè auctus, est absolutè finitus; ita etiam gratia aucta per illud meritum est absolutè finita. Ratio eorum est, quia in primo instanti tota substantia actus simul ponitur, quæ secundùm se postea inuariata durat successiuè coëxistens nostro tempori; atque ita solùm secundùm quemdam modum variatur: quare initio ei respondet certum gratiæ augmentum, quod totum simul confertur: & postea ea gratia quæ eius durationi respondet, successiuè confertur. Explicant hoc exemplo corporis luminosi, quòd subitò productum distans v.c. à corpore illuminando 12. pedibus in eo producit initio lumen vt duo, & deinde paulatim propiùs eidem admotum, hoc successiuè auget ad tria vel quatuor.

Vasquez.

153 Sed hæc sententia patitur difficultatem, quòd secundùm eam cæteris paribus videatur plus mereri qui intra quadrantem quinque vel sex actus caritatis breuissimos elicit, & reliquo tempore ab agendo cessat, quàm qui toto illo tempore eiusmodi actum æquè intensum continuat. Ponamus enim illi actui primo instanti respondere gratiam vt duo, & eius continuationi alios duos gradus aut etiam tres. tũc prior accipiet minimùm 10. aut 12. gradus gratiæ, & secundus tantùm 4. aut 5. hoc autem videtur absurdum; nam videtur difficilius ac præstantius, & consequenter magis meritorium Deum amare actu per vnum quadrantem continuato, quàm tot breues actus amoris elicere, qui simul vix sexta parte illius quadrantis durent.

Melius est continuare actum caritatis quàm eum interrumpere.

Dices, vt tot actus elicias intra quadrantem, non esse opus aliquo tempore intermedio actũ omittere, cùm possis eos planè contiguos sine intermissione elicere. Sed hoc non satisfacit, quia hîc non quæritur an sit necesse aliquo tempore intermedio ab agendo cessare, vt plures actus elicias: sed vter ex illis duobus in dicto casu plus mereatur, diciturque videri absurdum, si prior plus mereatur: quod tamen secundùm illam sententiam dicendum est.

Tertiò, alij apud eundem docent, nec primo, nec vlli ex sequentibus instantibus respondere certam partem augmenti gratiæ, sed toti actui eiusque durationi simul sumpuis. Probant, quia nulla nostra actio potest durare solo instanti: ac inde inferunt, eius meritum non debere spectari ex vno instanti, sed ex tota ipsius durat̃one, & huic soli debere respondere certum præmium. Antecedens autem probant: quia omnis actio spiritualis siue voluntatis aut intellectus (de quibus hîc agimus; quia sola actio voluntatis est intrinsecè meritoria) incipit per primum sui esse, & consequẽter in instanti, & desinit per primum sui non esse. Quare si duraret vnico instanti, duo instantia se mutuo immediatè sequerentur, scilicet instans quo talis res primùm est, & instans quo primùm non est: illud autem est absurdum, quia sic continuum componeretur ex indiuisibilibus, quod iam suppono esse falsum. Potest idem confirmari: quia vel eiusmodi actio producitur successiuè, & sic clarum est eam non posse durare solo instanti, quia in instanti non datur successio: vel producitur tota simul, & tunc etiam nequit durare vnico instanti, quia tunc desineret per vltimum sui esse; quia daretur aliquod esse vltimum illius durationis: hoc autem fieri nequit, quia implicat vllam rem quæ habet totũ esse simul (idemque ex alio fundamento verum est in rebus successiuis) desinere per vltimum sui esse. quia sic quando duæ formæ substantiales sibi mutuo immediatè succedunt, v.c. forma ignis formæ ligni, darentur duo instantia immediata, scilicet illud, quo prior vltimo est, & illud, quo secunda primo est. nam nec hæ duæ formæ sunt simul in eodem instanti, nec vllum tempus inter eas est medium.

154

Nequit dari actio voluntatis aut intellectus solo instanti durans.

Respondent aliqui, hoc solùm esse verum in iis formis, quibus desinentibus aliæ immediatè succedunt: secùs autem esse in aliis, quibus nulla alia immediatè succedit, quales sunt actus volũtatis qui desinere possunt per cessationem voluntatis ab omni actu. etsi enim hi desinant per vltimum suum esse, nullum eiusmodi incommodum sequetur.

155

Sed contrà Primò, etsi inde colligamus, priores formas desinere per primum sui non esse, quia aliàs darentur duo instantia immediata; hæc tamen non est ratio cur ita de facto desinant; sed id fit, quia naturâ suâ necessariò exigunt ita desinere. Hinc etsi ex eo quòd ex positione alicuius rei sequatur absurdum, bene colligamus illam esse impossibilem; tamen non idcò est impossibilis, quia hoc incommodum ex

Non ideo aliquid est impossibile quia ex eo sequeretur absurdum sed contrà,

ea

ea sequeretur ; sed ideo hoc incommodum sequitur, quia illa est impossibilis: sicut ex eclipsi lunæ bene colligimus terram intercedere inter solem & lunam, non ideo tamen terra intercedit, quia luna eclipsatur, sed contrà. Quare ex eo, quòd sequeretur absurdum, si in generatione substantiæ forma corrupta desisset per vltimum sui esse, bene infero tales formas naturaliter & necessariò exigere desinere per primum sui non esse. Adeoque si natura sua contrarium exigerent, non obstante eo incommodo alio omnino modo desinerent ; imò illud tunc non esset incommodum, sed naturis rerum consentaneum : quare aut fatendum, omnes formas permanentes necessariò desinere per primum suum non esse, aut illud quod infertur non esse incommodum. Secundò, quia siue eiusmodi formæ alia succedat, siue non, ex eo quòd desinat per vltimum suum esse, idem incommodum sequitur. Quia vel desinet successiuè, & tunc non poterit dari vltimum instans quo sit, quia in successione, siue in motu nec primum, nec vltimum instans ei intrinsecum dari potest: quia aliàs in eo instanti deberet esse successio siue motus, quod est impossibile. Et hoc clarissimè implicat in forma quæ deberet vnico instanti durare, quam clarum est non posse aut incipere, aut desinere successiuè. Vel desineret tota simul, & tunc necessariò daretur primum instans in quo non est, scilicet illud quo esse desinit : nam res quæ tota simul desinit, eo instanti quo desinit, non est: nam nec in instanti, quo tota simul est, potest dici desinere esse (vt per se patet) nec in vllo instanti potest dici partim esse, partim non esse. Item sicut primo instanti, quo incipit tota simul esse, necessariò est, nec potest dici non esse: ita in instanti quo tota simul desinit esse, necessariò non est, nec potest dici esse. vnde sequitur, dari primum instans, quo non est ; & consequenter danda duo instantia immediata, si daretur vltimum instans, quo est.

156 Alii tamen hoc fundamentum fusè impugnant. Primò, quia quæuis productio substantiæ durat solo instanti: ergo aliqua res potest solo instanti durare. Secundò, quia sequeretur inde, actiones volũtatis aliquo tempore post primum suum instans non esse liberas : hoc autem est absurdum, ergo, &c. Tertiò, quia inde sequeretur, quemuis peccantem aliquo tempore immediatè post primum instans sui actus necessariò peccare, & esse extra statum gratiæ: hoc autem est absurdum : ergo & id vnde sequitur. Quartò, quia libertas voluntatis, & consequẽter potestas cessandi ab actu consistunt in indifferentia voluntatis, & sufficienti cognitione obiecti: atqui hæc eadem sunt in primo instanti actionis, & omnibus sequentibus : ergo eodem modo voluntas erit in omnibus libera, & consequenter potens cessare ab actu.

157 Contrà verò id acriter defendit Vasquez 1. p. disp. 229. c. 10. nititurque priore argumento ex allatis num. 154. Et sanè argumenta ibi allata videntur id omnino conuincere, posita communi & probabiliore sententia, quòd continuum non componatur ex indiuisibilibus, nec possint dari duo instantia se mutuo immediatè sequentia. nec argumenta contraria illud sufficienter confutant.

Vasquez.

Ad primum enim distinguo maiorem: nam si productio sumatur secundùm suam realitatem ac substantiam, cùm hac ratione non differat à re producta, non durat solo instanti, sed quamdiu res ipsa durat. si autem sumatur secundùm suum præcisum conceptum, siue prout concipitur distingui à rei permanentia ; sic quidem potest concipi esse solo instanti, sed tunc nec à parte rei verè desinit, nec debet concipi desinere per successionem alicuius formæ contrariæ aut positiuæ aut priuatiuæ, quæ incipiat esse in aliquo instanti sibi intrinseco: sed desinit per continuationem existentiæ rei productæ, quæ formaliter sumpta incipit esse non per instans sibi intrinsecum, sed per extrinsecum, scilicet per illud quo res primò producitur: quod quidem est intrinsecum rei quatenus concipitur produci aut etiam esse, est tamen ei extrinsecum quatenus concipitur conseruari, siue permanere existens, quia vt sic considerata nullum habet instans sibi intrinsecum à quo incipiat. vnde patet ex dicto argumento nullo modo probari posse dari formam aliquam realem, quæ verè à parte rei durer solo instanti, aut quæ desinat per instans sibi intrinsecum: idque non solùm quia ex instantanea durationc ipsius creationis non possunt inferri absurda, quæ inferuntur ex tali duratione formæ alicuius absolutæ: sed præcipuè quia natura formæ absolutæ ac modus existendi, qui conuenit rebus realibus secundùm se ac entitatem suam spectatis, non debent spectari ex natura & modo existendi eiusmodi formalitatum, quæ rebus solùm conueniunt secundùm quemdam modum concipiendi, aut saltem ab ijs solùm ratione aut virtualiter distinguuntur: atque ita non desinunt post primum instans absolutè esse, sed solùm secundùm quid.

158 Ad secundum, nego maiorem. Nam illo supposito solùm sequitur, eiusmodi actiones breuissimo aliquo tempore non esse liberas libertate distincta ab ea qua producuntur. Sicut ex eo quòd Deus posito quòd ab æterno decreuerit in tali tempore mundum creare, non possit eum postea non creare, aut non velle creare eodem instanti quo decreuit eum creare, non sequitur, ipsum in tempore non liberè mundum creare ac velle creare; sed solùm sequitur, quòd hæc non faciat libertate distincta ab ea, qua primò eum decreuit creare.

159 Ad tertium, similiter nego maiorem, loquẽdo de necessitate absolutè sumpta. solùm enim sequitur, eum necessariò peccare aut potiùs inchoatum peccatum continuare ex suppositione, quæ posita est in ipsius libertate, scilicet posito quòd talem actum liberè eliciat. eodem planè modo quo Deus ex suppositione & in sensu composito necessariò in tempore creat mundum, posito quòd eum semel decreuerit creare. Nec illud debet videri absurdum, quando talis per illam continuationem actus non plus demeretur, quàm per primam ipsius productionem. Nec etiam vllum absurdum est hominem,

Homo sæpè ex suppositione est necessariò brevissimo tempore in peccato.

minem; non solùm dormientem aut amentem, sed etiam actu vrentem ratione, suppositio peccato quandoque aliquo breuissimo tempore necessariò esse in statu peccati. Nam quando quis omnino alia cogitat quàm diuina, non est in eius potestate statim in instanti elicere contritionem: nam nisi singulari omnino à Deo gratiâ præueniatur (quæ non quouis instanti, sed rarò nobis datur) etiam positis auxiliis sufficientibus, qualia communiter nobis à Deo dantur, debet primò in se excitare attentam cogitationem de bonitate Dei & dispicentia circa peccatum, ac hac ratione suam voluntatem ad huius detestationem excitare: quod hominibus præsertim carnalibus non ita facile est, vt quouis instanti sine vlla omnino mora id facere possint. Imò posito quòd nequeant dari duo instantia sibi immediata, necessariò sequetur, quemuis peccantem necessariò esse aliquo tempore in peccato, quia inter actum contritionis & peccatum necessariò aliquod tempus intercedit.

160 Ad quartum, nego minorem. Quia non est eadem cognitio intellectus: nam in primo instanti homo aduertit se elicere talem actum; tamen breui illo tempore sequenti non aduertit se eum continuare. ad hoc enim necessarium esset vt distingueret breuissimum illud tempus ab instanti. quod ipse facere non potest: nam sicut possunt dari corpora tam parua, vt omnem nostrum sensum omnino fugiant; ita potest dari tempus tam breue, vt id non possimus distinctè cognoscere, aut ab instanti distinguere: & consequenter tantillo tempore eliciêtes actum non possimus discernere an solo instanti, an verò per aliquod tempus eum eliciamus. Vt autem liberè eliciam aliquem actum, non solùm est necesse vt cognoscam distinctè ipsum obiectum sub ratione boni & mali, sed requiritur vt aduertam me circa illud agere: nam si id nullo modo aduertens aliquid appeterem, id nullo modo liberè appeterem, præsertim in ordine ad meritum. vnde etiam alij inferunt, voluntatem breuissimo illo tempore, quo actus durat, non esse eodem modo liberam, sicut in eius inchoatione: quia dum eum inchoat priùs natura quàm eum elicit, nullo modo est determinata ad eum eliciendum; quando verò dicto tempore eum continuat suo actu libero à se elicito, ad breuem continuationem determinatur.

Datur tempus tam breue quod ab instanti nequeamus distinguere.

161 Ex quibus patet, illud fundamentum posse satis probabiliter defendi, & posita communi sententia continuum esse diuisibile in infinitum, nec posse dari duo instantia sibi immediata, valdè probabiliter inferri. Quia tamen difficultas de diuisione continui semper mihi visa est inexplicabilis, nec argumenta quæ pro hac vel illa parte adferuntur, posse sufficienter solui; ita semper iudicaui communem sequendam sententiam, vt tamen nollem vllam sententiam theologicam in ea fundare: ideoque semper fui conatus meas sententias ita explicare, vt possent defendi, siue diceres continuum esse diuisibile in infinitum, siue non: quod etiam hîc fauente Deo faciam; priùs tamen hîc quædam notanda sunt.

Primò, dictam sententiam tribui Gregorio in 2. d.3. q.1. art.2. ad 4. & Almanio tractatu 1. Moralium, c.9. Sed hi Auctores aliter longè sentiunt. Nam docent quidem hominem vel angelum de facto non posse ita elicere suum actum, vt immediatè post primum instans ab eo liberè cesset; sed id non asserunt ob rationem suprà allatam, sed ob ea quæ attuli in respons. ad 4. argumentum. Et ideò etiam præsertim Gregorius tenent, in continuatione actus non dari singulis instantibus certum augmentum gratiæ: quamuis inter se etiam hac in re nonnihil discrepent; nam Almainus vult actum eo tempore, quod primum instans immediatè sequitur, posse remitti aut intendi, atque ita ex parte esse liberum ac meritorium; quod alter non videtur, admittere. Deinde ipsi docent Primò, primo instanti quo actus elicitur, ei respondere certam partem augmenti gratiæ. Secundò, dum actus continuatur dari plura instantia, quibus respondet certa pars augmenti gratiæ, in quibus nimirum est noua libertas. Tertiò, Gregorius expressè docet, diuina virtute fieri posse, vt quis eliciat actum merè instantaneum, aut tanta cum libertate eum continuet, vt quouis instanti eum possit abrumpere. Additque talem eo casu meriturum præmium infinitum. Sed siue illud sit possibile, siue non, hoc inde non sequitur. vt infrà ostendam.

162 *Gregorius. Almainus.*

Notandum Secundò, etsi dictum fundamentum concedatur, inde tamen non sequi, quod illi ex eo inferunt, scilicet nulli instanti quo actus aut primò elicitur, aut deinde continuatur, correspondere certam partem augmenti gratiæ. Nam in primis inde nullo modo sequitur, eiusmodi actum primo instanti quo elicitur, non mereri certum gradum gratiæ: cùm enim tunc habeat certam ac determinatam bonitatem ac libertatem, omnesque conditiones ad meritum requisitas, nulla est ratio cur non respondeat ei determinatum præmium. vnde etiam Gregorius & Almainus ei pro tunc determinatum meritum ac præmium tribuunt. Confirmatur, quia si per possibile aut impossibile actus existeret vnico instanti, mereretur aliquod determinatum præmium: atqui ex eo quòd diutiùs duret, non amittit vim merendi illo primo instanti: ergo etiam hoc casu determinatum præmium meretur. Maiorem in casu quo eiusmodi actus esset intensior suo habitu, omnes admittunt: & idem esse dicendum in casu quo eo est remissior, probaui dub.9. & admittunt etiam ij contra quos disputamus. Minor etiam per se videtur clara; quia nulla appareret ratio cur actus primo suo instanti reddatur minùs meritorius, præcisè per hoc quòd diutiùs postea duret; cùm per hoc nulla ratione reddatur pro primo instanti imperfectior.

163

Secundò, quia etsi ex illo principio possit probabiliter inferri, illum actum breuissimo illo tempore quod sequitur primum instans, quoque semel elicitus necessariò continuatur, pro nullo determinato instanti mereri aliquid augmentum gratiæ; nullo tamen modo hoc potest inferri pro reliquis instantibus, quibus omnino

liberè continuatur, ita vt simpliciter possit abrumpi, imò ita vt voluntas debeat nouum conatum adhibere vt eum continuet.

164 Tertiò, illa sententia nequit explicare quando illa gratia conferatur, quæ toti durationi actus respondet. nec enim potest dici eam paulatim conferri toto tempore quo actus durat, ita vt nulla eius pars conferatur in instanti; prout fit dum calor paulatim in frigido producitur. tum quia hoc iam refutatum est: tum etiam quia peccatori contrito statim primo instanti confertur certa gratia contritioni respondens, vt mox ostendam. quare nulla videtur ratio cur id negemus iusto. Nec etiam dici potest, totam conferri primo instanti, quo actus elicitur: tum quia sic præmium conferretur saltem ex parte pro merito futuro, scilicet pro futura illius actus continuatione: tum etiam quia tunc principium meriti caderet sub meritum. nam, vt ostendi disp. 6. dub. 8. habitus qui primo instanti, quo actus elicitur, infunditur, postea ad eius continuationem effectiuè concurrit. Etsi autem supradicta absoluta Dei potentia fieri possint; nemo tamen concedit ea de facto nunc fieri. Nec etiam potest dici id augmentum gratiæ infundi in fine ipsius actus, siue primo instanti quo esse desinit. Primò, quia nulla est causa cur tam diu differatur. Secundò, quia sic actus maiore sua bonitate siue longiore sua duratione esset causa, cur operans diutiùs augmento gratiæ careret. Tertiò, quando peccator elicit actum amoris Dei, statim primo instanti iustificatur, vt communiter omnes concedunt, & consequenter ei infunditur habitus gratiæ: ergo idem dicendum est, quando iustus eiusmodi actum elicit; quia aliàs huius actus esset inefficacior in obtinenda gratia, quàm actus peccatoris, quia ille tardiùs obtineret gratiam, quàm hic. quod est absurdum.

165 Dices Primò, peccatorem primo instanti quo actum caritatis elicit non iustificari per habitum, sed per suum actum. Sed hoc dici nullo modo potest. nam, vt ostendi disp. 6. dub. 1. iam omnino certum est & valdè probabiliter de fide, nostram iustificationem de facto semper fieri per infusionem habitus gratiæ, siue caritatis. vbi etiam, præsertim n. 24. 25. 26. &c. satis ostendi nullo modo dici posse, nos formaliter iustificari per actum à nobis elicitum, tum ob alias causas, tum etiam quia sic essemus causa efficiens nostræ iustificationis, sicut sumus vera causa efficiens ipsius actus; atque ita falsum esset id quod apertè insinuat Trident. sess. 6. c. 7. solum Deum esse causam efficientem nostræ iustificationis. *Trident.*

Dices Secundò, talem peccatorem tunc non recipere gratiam pro illo actu præcisè; sed solùm gratiam priùs perditam correspondentem meritis mortificatis. Sed hoc dici nequit, quia inde sequeretur, peccatorem qui numquam fuit iustus, primo instanti quo verè conteritur, non recipere gratiam habitualem, & consequèter, vt iam ostendi, non iustificari; quod absurdum est. Quòd si hic præcisè propter illum actum primo instanti gratiam recipiat, nulla est ratio cur dicamus eum qui aliquando fuit iustus, propter eiusmodi actum præcisè eodem instanti non recipere gratiam; & consequenter distinctam ab ea, quæ respondet meritis mortificatis.

Pro resolutione Nota Primò, actum nostræ voluntatis (qui solus intrinsecè est formaliter meritorius præmij aut pœnæ) esse quasi quemdam motum siue impetum voluntatis, quo ipsa fertur in suum obiectum amatum, aut refugit odio habitum. Secundò, omnem motum localem natura sua postulare aliquam continuationem, siue vt aliquo tempore duret; non solùm quia necessariò est successiuus, atque ita nequit esse in instanti; sed etiam quia mouens, siue se ipsum, siue aliud moueat, imprimit moto aliquem impetum qui naturâ suâ exigit aliquamdiu durare, & quamdiu durat ipsum mobile continuò ad motum continuandum impellit; tamen paulatim minùs & minùs, quia paulatim deficit: exceptis ijs corporibus quæ naturaliter sursum aut deorsum mouentur, in quibus impetus semel impressus in ipso motu quamdiu durat semper augetur. Hinc in nobis experimur, quando aliquod membrum mouemus, præsertim paulò vehementiùs, vt illud subitò sistamus opus esse aliqua violentia, qua eius impetum confringamus. contrà verò vt motum diutiùs continuemus, nouo sæpiùs conatu opus esse, vt impetum languescentem renouemus. 166 *Motus semel inceptus, ex duplici capite necessario aliquamdiu continuatur.*

Quamuis autem actus voluntatis in eo differat à vero motu, quòd totus simul esse possit, & communiter etiam ita producatur: in hoc tamè cum motu locali conuenit, quòd voluntas per eum sibi impetum aliquè imprimat, vel potiùs quòd ipse actus sit quidam impetus, quo voluntas in suum obiectum impellitur, ita tamen vt initio sit vehementior, & paulatim languescat. quare vt eum subitò sistas, opus est aliquo nisu contrario, contrà verò vt eum diu continues, opus est sæpè nouo conatu, quo eum renoues. Nisi fortè voluntas feratur in aliquod obiectum, quod eam valdè oblectat, ac in se rapit; aut fugiat aliquid quod naturaliter valdè horret: tunc enim eiusmodi actus saltè notabili aliquo tempore instar motus naturalis ipsa duratione vires capit, ac voluntatem magis impellit. Quiuis tamen amor in hac vita tandem longa continuatione languescit, ac voluntatè fatigat, & per se desinit eam actu impellere, atque adeò omnino desinit esse, nisi voluntas se nouo conatu ad eũ continuandum excitet. In quouis autem casu potest voluntas, si velit, eiusmodi conatum sæpè renouare nouo nisu se ad actus continuationem aut intensionem excitando. Idque non solùm cùm prior impetus iam languescit (quo casu eiusmodi conatus est necessarius ad actus continuationem) sed etiam tempore medio: idque eo frequentiùs, quo in suis operationibus est expeditior. vnde angeli æquali tempore sæpiùs possunt hunc impetum renouare, quàm homines. 167 *In quo actus voluntatis differat à motu locali, & in quo ei sit similis.* *Actus voluntatis quandoque laboriose, quandoque facilè continuatur.*

Nota Tertiò, aliquam actionem dupliciter posse esse in mea potestate, siue mihi liberam. Primò, directè & secundùm se immediatè, qua ratione est in mea potestate actus voluntatis, dũ eum primùm liberè elicio. Secundò, indirectè 168 *Actus dupliciter potest esse liber ratione in potestate operantis.*

at mediatè, siue in sua causa. Qua ratione sunt in mea potestate effectus, qui ex libera mea actione aut omissione sequuntur. Et hac sola ratione mihi liberum est videre ea, quæ apertis meis oculis obiiciuntur. Nec enim aliter possum hæc non videre, quàm oculos meos claudendo, aut auertendo, atque ita illa visio solùm est mihi libera, ac potest imputari quatenus hæc liberè omitto. vt enim aliqua actio sit secundùm se formaliter & immediatè meritoria, debet esse in se directè voluntaria ac libera. aliàs solùm est meritoria ratione eius actus, per quem est libera, vt patet ex dictis disp.3.dub.7.

169 Nota Quartò, quãdo aliquis actus ab aliquo exercitus cedit in alterius iniuriam aut honorẽ, secundùm communem omnium æstimationẽ longè aliter in vtramque partem ęstimari ipsum exercitium actus quo hic pręcisè concipitur initio poni siue produci, abstrahendo ab ipsa continuatione, quàm ęstimetur ipsa eiusdem continuatio, prout concipitur distincta à prima productione. Etsi enim physicè loquendo actus continuatio nihil sit aliud quàm continua eiusdem productio: tamen secundùm æstimationẽ moralem hæc longè differunt. v.c. sint duo qui aliàs æquè irreuerenter stent coram suo principe cooperto capite: sed vnus per quadrantem, alius per mediam horam. hic æqualem irreuerentiæ actum duplo diutiùs exercuerit, tamen non censebitur duplo, sed solùm paulò maiorem iniuriam principi intulisse. Item, duo vtantur re aliena inuito domino, vnus duplo diutiùs, hic secluso alio incommodo, vix censebitur maiorem iniuriam intulisse. Similiter duo aliquo actu aliàs æquali alicui honorem exhibeant, sed vnus duplo diuturniorem, hic secundùm communem æstimationem non censebitur eum duplo plus honorasse. Quia, etsi dicti actus multùm inter se differant secundùm physicam considerationem; & hac ratione vnus sit duplus respectu alterius: secùs tamen est secundùm æstimationem moralem in ordine ad honorem aut contumeliam alteri inferendam: qua ratione præcipuè æstimatur prima positio ipsius actus.

Positio honoris aut cõtumeliæ pluris æstimatur, quàm eiusdem alterius qualis continuatio.

170 Ex dictis sequitur, voluntatem longè aliter se habere ad suum actum, quo Deum v.c. hic amat, dum eum initio elicit, quàm tempore immediatè sequente, quo sine nouo conatu eum aliquantulũ continuat. Nam initio (idemque est quoties nouo conatu suum impetum renouat) & moraliter & physicè loquendo seipsam absolutè impellit, & habet se simpliciter per modum agentis: at tempore illo medio etsi physicè verè agat, tamen simul etiam & quidem multò magis priore suo impetu rapitur, vnde moraliter loquendo quodammodo magis ac verius rapitur quàm agat, cùm difficulter posset ab actu desistere. Sicut qui celeri cursu fertur, & vult se subitò sistere, ratione impetus sibi impressi necessariò eum aliquantulum adhuc continuat, minùs vel magis prout impetus fuit vehemens. Quo tempore talis magis dicitur impetu priùs impresso rapi, quàm se ipsum impellere.

Voluntas aliter se habet in inchoatione sui actus, aliter in eiusdẽ breui continuatione.

171 Conclvsio I. Actus bonus etiam habitu remissior primo instanti quo elicitur, si alias omnes conditiones ad meritum de condigno requisitas habeat, meretur certum augmentum gratiæ, quod operanti etiam statim confertur. Idemque dicendum est de quouis instanti, quo in eius continuatione voluntas nouo conatu in eum influit, nouum quasi impetum sibi imprimendo. Hanc sententiam apertè docent Gregor. & Almainus citati num.162. & videtur aperta sententia Suarez disp.2. de Reuiuisc. merit. sect.3 n.63.&c.

Gregorius Almainus. Suarez.

Prior pars probatur Primò, quia si existens in peccato actum caritatis eliceret æquè intensum atque ille iustus elicit, primo instanti reciperet gratiam, vt ostendi num.164.& 165. ergo etiam iustus similiter illo instanti certam partem gratiæ recipit; aliàs peccator eodem actu plus gratiæ à Deo consequeretur quàm iustus. quod est absurdum.

Probatur Secundò, quia, vt fatentur Auctores pro prima sententia citati num.149. si talis eliceret actum habitu suo intensiorem, v.c. si habens habitum vt vnum eliceret actum vt 6. statim primo instanti acciperet certam partem augmenti gratiæ correspondentem illi actui, saltem quatenus excedit habitum: ergo idem dicendum est de habente habitum intensum vt 10. vel etiam vt 100. eliciente similem actum vt 6. quia aliàs sanctior esset peioris conditionis, & per æqualem actum minùs à Deo mereretur, quàm minùs sanctus: atque ita eius sanctitas poneret obicem ipsius meritis. quod absurdum est; cùm potiùs contrà maior operantis sanctitas efficiat ipsius actum ceteris paribus magis meritorium. Secunda pars apertè ex priore sequitur: nam cùm voluntas in dictis instantibus, quibus nouo conatu suum impetum siue actum renouat, eum virtualiter de nouo quasi eliciat, suamque libertatem eodem modo exerceat ac in primo instanti, nulla est ratio cur in his instantibus non eodem modo mereatur, atque in primo.

172 Conclvsio II. Eo tempore quo actus immediatè post primum illud instans, quasi naturaliter siue ex vi prioris impetus, sine nouo conatu continuatur, iuxta dicta n.166. & 167. ipse non meretur singulis instantibus determinatum augmentum gratiæ: sed aut nullum omnino tunc augmentum recipit si non liberè continuetur (prout eum breui aliquo tempore continuari probabiliter infertur ex dictis nu.154. & 160.) aut pro tempore quo liberè continuatur, sine nouo eiusmodi conatu solùm auget gratiam successiuè. Sicut corpus luminosum paulatim magis appropinquans corpori illuminato, in hoc auget lumen productum. Sequitur ex dictis num.169. & 170. vbi ostendi, voluntatem longè aliter se habere respectu sui actus in prima eius productione quàm in huiusmodi continuatione, in qua secundùm moralem æstimationem aliqua ratione magis agitur, quàm agat. Item primam positionem actus quo alter honoratur, longè magis cedere in huius honorem, & consequenter apud eum esse magis meritorium, quàm eius continuationem: & consequenter alia ratione debet respondere

præmium eius primæ positioni, & aliter eius continuationi.

173 Confirmatur, quia in eius prima positione est particularis difficultas, & singulare ac determinatum exercitium libertatis: ideoque singulare ac determinatum præmium ei debet respondere; in reliquis verò instantibus, siue in tempore quo dicto modo continuatur, nulla est particularis difficultas, nec singulare exercitium libertatis distinctum à primo; sed eiusdem continuatio, & quasi quidam effectus. vt ostendi n.167. & 170. Ex quo conclusio confirmatur Secundò, quia impetus primo instanti voluntati impressus est tunc causa totius continuationis ita secutæ: & consequenter hanc quodammodo virtute continet, atque adeò in se aliquo modo continet omnem eius bonitatem ac meritum. Quare non est mirum si longè aliter præmium respondeat inchoationi actus, quàm eiusmodi ipsius continuationi. Omnino tamen ex eiusmodi continuatione quando libera est aliquo modo bonitas actus crescit secundùm moralem æstimationem; non quidem per instantia (quia sicuti hæc per se non augent eius durationem siue continuationem, ita nec augent bonitatem) sed per partes temporis, quę sicut necessariò sunt successiuæ, ita bonitatem actus, & consequenter meritum successiuè augent. Eademque est ratio actus mali in merendo pœnam, quantum ad hanc difficultatem attinet.

Qua ratione bonitas & meritum actionis crescant in eius continuatione.

174 Ex dictis sequitur Primò, meritum multùm augeri per eiusmodi nouos conatus in actum, quibus voluntas eum quasi nouum elicit, & communiter ferè intendit.

Actus bonus hic nequit diu continuari sine nouo voluntatis conatu.

Secundò, actum bonum communiter in hac vita, in qua actus virtutis cum aliqua difficultate exercentur, non posse diu, præsertim sine notabili remissione, siue eiusmodi nouo conatu continuari: quia volũtas communiter in huiusmodi operationibus paulatim flaccescit, & vim sibi inferre debet, vt eas continuet, vt experientia docet.

175 Sequitur Tertiò, semper meliùs magisq; meritorium cæteris paribus esse actum cõtinuare, quàm eum interrumpere ab eo cessando. quia medio tempore quo cessatur, gratia non augetur. Per accidens tamen fieri potest, vt quis certo tempore eliciendo tres actus intensos vt sex, breui inter singulos interposità morâ, plus mereatur, quàm alter qui eiusmodi actum intensum vt sex toto eo tempore continuat, si hic eò quòd ob præsentem naturæ dispositionem, aut ob vehementem bonitatis obiecti ab extrinseco causatam apprehensionem, sentiat hîc & nunc in eiusmodi actum magnam procliuitatem, ac facilitatem in eo continuando, ideo eumdem ex vi prioris impulsus primo instanti voluntati impressi quasi naturaliter & sine nouo conatu continuet. Quia, vt patet ex dictis, tunc inter vtrumque operantem magna est disparitas. Sed, vt paulò antè ostendi, valdè rarum est quòd possimus actus virtutis sine nouo conatu notabiliter continuare.

Per se loquẽdo plus meretur actum continuans, quàm eum interrũpens.

Quandoque per accidens plus meretur interrũpens actum quàm eum continuans.

176 Sequitur Quartò, augmentum gratiæ respõdens actui meritorio, quantumuis longo tempore duranti, semper esse finitum. quia & instantia quibus certa pars augmenti respondet, finita sunt; & id quod successiuè respondet ipsi tempori inter hæc instantia medio est etiam finitum; sicut ipsum tempus finitum est, & sicut calor eodem tempore successiuè auctus esset finitus.

Qua ratione actioni diu duranti meritum finitũ respondeat.

Sequitur Quintò, hanc sententiam posse defendi, siue dicamus actionem immediatè post primum instans liberè continuari, ita vt voluntas possit immediatè post primum instans ab ea cessare, siue dicamus contrarium.

Demum ex dictis patet, quare primo instanti quo actus elicitur, & illis, quibus voluntatis conatus renouatur, potiùs respondeat certum augmentum gratiæ, quàm aliis quibus sine eiusmodi conatu continuatur. Et consequenter facilè soluuntur omnes difficultates, quæ possunt opponi.

Quantum autem gratiæ augmentum per singulos actus mereamur, dicemus infrà disput.22. dub.4. dum agemus de augmento caritatis.

DVBIVM XI.

Qua ratione difficultas operis augeat ipsius meritum?

NOta Primò, difficultatem alicuius operis boni posse ex variis capitibus nasci ac augeri. Primò, ex natura ipsius operis, quod ex se absolutè arduum ac difficile est; quale est pro virtute grauia pati tormenta, relictâ vitâ splendidâ pauperem & humilẽ amplecti, eligere pro Deo ab omnibus contemni, & hoc dum fit, patienter ferre; & similia. Secundò, ratione naturalis inclinationis, aut alterius conditionis operanti propriæ & nõ vitiosæ. Sic natura teneri difficiliùs dura patiuntur, & pauperi difficilius est dare eleëmosynam. Tertiò, ratione actualis aut habitualis inclinationis vitiosæ ipsius operantis: sic illi qui vehementer ad aliqua vitia inclinantur, difficiliùs contrarias virtutes exercent. 177 Varia operis difficultas.

Et similiter opus aliquod virtutis potest alicui fieri facilius Primò, ratione sui, siue quia in se facile est. Secundò, ob naturales aut alias indifferentes conditiones operantis, vt si in tale opus naturaliter inclinetur, aut si sit dies, facilior ei erit datio eleëmosynæ. Tertiò, ob habitus virtutum acquisitos. Ex quibus capitibus actio facilitetur.

Nota Secundò, solos actus voluntatis esse formaliter & intrinsecè bonos ac meritorios, nec actum externum illis ex se efficacibus per se vllam bonitatem, & consequenter nec vllum meritum addere, vt ostendi disp.3.dub.7. 178 Bonitas & meritum formaliter sunt in solo actu interno.

Vnde sequitur Primò, illum actum externum esse formaliter magis meritorio imperatur ac informatur. Constat autem, loquendo de actu voluntatis viatoris, eum esse magis meritorium, qui omnibus spectatis in se est moraliter perfectior & melior.

Sequitur Secundò, idem esse quærere, qua ratione facilitas aut difficultas operis efficiat actũ meliorem, ac quærere, qua ratione efficiat actum internum meliorem ac perfectiorem.

Nota

179 Quis actus in quauis virtute sit melior.

Nota Tertiò, eum actũ voluntatis in vnaquaque virtute esse meliorem ac perfectiorem, quo bonitas siue obiectum formale illius virtutis intensiuè & appretiatiuè magis amatur. v.c. ille amor Dei est perfectior, quo bonitatẽ Dei vtroque dicto modo magis amo. Idemq; dicendum est de amore castitatis, &c. Præcipuè tamen hęc perfectio crescit ex maiore appretiatione obiecti formalis. Ille autem formale obiectum siue bonitatem aut honestatem alicuius virtutis appretiatiuè actualiter magis amat, qui pro hac obtinenda ex vi sui actus est paratus plura ac maiora dare, aut difficiliora pati, aut grauiores labores subire. Quæ fusiùs ostendam infrà disput. 21. dub. 5. & disp. 23. nu. 15. 16. 17. & disp. 24. n. 136. & sequentibus.

180 Difficultas operis per se eius bonitatem minuit.

Conclvsio I. Propriè & præcisè loquendo difficultas operis numquã per se est causa cur aliqua actio sit magis meritoria, quàm aliàs esset circa idem obiectum elicita; sed contrà ferè est causa cur sit minùs meritoria; & ipsa facilitas est causa, cur sit magis meritoria. Probatur, quia, vt ostendi, meritum actionis augetur ex maiore ipsius perfectione intensiua aut appretiatiua, aut si velis, etiã ex maiore duratione aut libertate: atqui difficultas operis nullo ex his modis potest ex se esse causa cur actio voluntatis sit in se perfectior, quàm sublata illa difficultate esset: sed contrà sæpissimè est causa cur aliquo ex tribus prioribus modis sit imperfectior: ergo numquam per se est causa cur actio sit in se magis meritoria, sed potiùs contrà. Minor probatur, discurrendo per singulos modos: nam quo opus est difficilius, eo minùs est natum voluntatẽ in sui amorem excitare, sed potiùs natum est eam auertere; atque ita sicut reddit amorem sui difficiliorem, ita etiam reddit eum lãguidiorem & remissiorẽ. Et contrà sicut facilitas operis per se amabilis est, ita etiam efficit voluntatẽ in sui amorem promptiorem, & consequenter eius actum intensiorem. vnde etiam sequitur, difficultatem operis, quãtum est se, reddere amorem ipsius obiecti inconstantiorem ac minùs diuturnum, atque ita impedire longiorem durationẽ actionis meritoriæ. Similiter ipsa difficultas nequit esse causa maioris appretiationis, quia hæc solùm oritur ex apprehensione maioris bonitatis ipsius rei amatæ: ideo autem res nec est nec apprehenditur melior, quia laboriosa ac difficilis est. vnde magnitudo amoris quo rem aliquam magni facimus, siue appretiatiuè multùm amamus, est quidem causa cur eius gratia velimus magnas difficultates subire; sed difficultas in eius acquisitione subeunda, non est causa, cur eam magis amemus. Quòd etiam difficultas operis non sit causa maioris libertatis ipsius actionis, patet: quia ad hanc operis facilitas aut difficultas planè impertinens est.

181 Dices Primò, ea quæ nobis magno labore constiterunt, solemus pluris facere, quàm alia etiam æquè bona. Secundò, eo res solent esse cariores quo difficiliùs acquiri possunt. Tertiò, multi, qui magno sunt animo, solent eo libẽtiùs res aliquas aggredi, quo difficiliores sunt: ergo ipsa difficultas operis siue rei alicuius acquirendæ potest esse causa maioris amoris.

Respondeo, nego consequentiam. Ad primũ antecedens, Respondeo hoc fieri; non quia ipsam difficultatem aut laborem amamus, sed quia amamus nos ipsos, adeoq; non libenter videmur frustra pro re parua multùm laborasse, ideoque eiusmodi rem pluris facimus ac volumus eam saluam esse. Cur aliquãdo magis amemus acquisitu difficilia.

Ad secundum, Respondeo id fieri, nõ quia difficultas acquirendi amatur (nam vellemus hanc abesse, quando res acquirenda est;) sed quia tunc aliter eiusmodi res acquirere non possumus nisi magno sumptu: quo enim rei alicuius acquisitio est difficilior, eo ad eam acquirendam maiore sumptu opus est.

Ad tertium, Respõdeo tales non amare eam difficultatem per se, aut propter se, sed per accidens & propter alium finem; quem aliàs non possunt perfectè acquirere; v.c. ob vanam gloriam, vt aliis appareant fortes, patientes ac constantes; aut si pij sint, vt corpus suum dominent & spiritui subiiciant, vt pro suis aliorumue peccatis satisfaciant, &c.

182 Qua ratione difficultas operis sit per accidens causa maioris meriti.

Conclvsio II. Difficultas operis quæ nascitur ex primo aut secundo capite ex recensitis n. 177. sæpè per accidens est causa maioris meriti, quia reddit ipsum opus vtilius ad aliquem finem ob quem assumitur; v.c. ad domãdam carnem, ad satisfaciendum pro peccatis, ad excitandum alios ad pœnitentiam, ad imitandam Christi passionem; aut vt passionum experiẽtia meliùs apprehendamus quantum Christus pro nobis sit passus, itẽ ad exercendã ac acquirendã patientiã ac cõstantiam, &c. Quo autẽ aliquod medium est vtilius ad finem honestum assequẽdum, eo eius electio ceteris paribus est melior.

183 Conclvsio III. Difficultas operis nata ex primo aut secundo capite ex dictis, vt possit superari ita vt ipsum opus efficaciter appetatur aut exerceatur, exigit in operante perfectiorem ac appretiatiuè maiorem amorẽ sui obiecti formalis, siue finis intenti, quàm aliàs illud opus exigeret, si illa difficultas abesset. Per se patet, quia magis debeo rem aliquam amare vt velim pro ea multum dare aut laborare, quàm vt velim pro ea parum dare aut laborare. Atque ita cõmuniter ferè perfectior, atque ita magis meritorius est amor alicuius obiecti honesti, quo moueor vt eius causa difficile opus aggrediar, quã ille quo moueor vt facile opus aggrediar: quia communiter per illum illud obiectũ appretiatiuè magis amo; vt patet ex dictis. Quãuis absolutè fieri possit vt vnus tanto amore ob finẽ honestũ suscipiat opus facile, quàm alter difficile; quia nimirum prior illud opus suscipit eo amore finis honesti, quo actu est paratus difficile opus suscipere, si hîc & nunc esset necesse, aut vtile ad illum finem perfectiùs obtinendum: vt si quis pauper ex amore perfectionis Euangelicæ paruas opes deserat eo affectu, vt per hunc actu sit efficaciter paratus maximas deserere, si eas haberet. Sed rarum omnino est vt hic amor finis sit omnino æqualis in appretiatione ac efficacitate in eo qui facile opus aggreditur, ac in eo qui difficile constanter aggreditur.

Dicitur itaque difficultas operis ex dictis capitibus nata augere meritum, aut quia reddit ipsum

ipsum opus vtilius ad finem intentum, aut quia est obiectum exigens amorem finis perfectiorem, eiusque signum.

184 CONCLVSIO III. Difficultas orta ex 3. capite communiter minuit & perfectionem & meritum actionis: quia est causa cur finis honestus minùs perfectè ac constanter ametur, & cur opus languidiùs fiat. Potest tamen fieri vt quis eiusmodi vitiosis inclinationibus laborans eas iam seriò detestetur, ac toto conatu nitatur superare; & tunc quidem eæ inclinationes sunt semper causa cur eliciat amorem obiecti honesti imperfectiorem quàm eliceret si eæ abessent (quia ipsum multùm impediunt;) tamen si eliciat illius amorem æquè intensum & efficacem atque is qui eiusmodi impedimento non laborat, ceteris paribus illius amor est melior; quia cùm actu eum impellat ad maiores difficultates superandas, debet esse appretiatiuè maior, iuxta dicta suprà.

185 CONCLVSIO IV. Facilitas orta ex 1. capite, & magis orta ex 2. ex recensitis, nata est vna ex parte reddere opus perfectius & magis meritorium, quatenus eius amorem ferè efficit intensiorem & constantiorem. Quia tamen eiusmodi opera non exigunt amorem finis tam perfectum, quàm opus difficile, ideò ferè procedunt ex amore finis minùs perfecto ac meritorio. Facilitas autem nata ex solo tertio capite semper omni ex parte reddit opus perfectius ac magis meritorium: quia est causa cur operans honestatem obiecti efficaciùs ac magis appretiatiuè, magisque intensiuè & extensiuè, siue constantiùs & diutiùs amet: vt per se patet, & experientia docet: nec per hanc vllà ex parte operis præstãtia aut vtilitas ad finem minuũtur.

Qua ratione facilitas operis id faciat magis meritorium.

DVBIVM XII.

Vtrùm possimus mereri perseuerantiam, aut resuscitationem à peccato mortali?

186 NOta perseuerantiam in bono vsq; ad finem vitæ dupliciter posse capi. Primò, propriè & secundùm se, qua ratione nihil est aliud quàm fuga siue vitatio omnium peccatorum mortalium, ac complexio omnium bonorum operum quæ iusti virtutem sequendo, ac peccata fugiendo vsque ad finem vitæ exercent. Qua ratione clarum est, eam non cadere sub meritum, nec habere rationem præmij, cùm sit ipsum meritum, quo præmium meremur. Secundò, tropicè pro sua causa siue pro gratiis actualibus prœuenientibus ac comitantibus, quibus diuinitus adiuti vsque ad finem perseueramus, & quibus Deus ab æterno vidit nos perseueraturos, posito quòd eas nobis daret: & de his quæritur an possimus à Deo mereri vt eas nobis det.

Perseuerantia dupliciter accipitur.

187 CONCLVSIO I. Perseuerantiam etiam secundo modo acceptam non possumus mereri de condigno. Ita D. Thomas 1. 2. q. 114. art. 9. & videtur communis Theologorum. Rationem reddit D. Thomas suprà, quia Deus sua gratia non mouet nos ad perseuerantiam ita merendam, siue (quod idem est) quia Deus nulli nostro operi tamquam præmium eiusmodi donum promisit; quod tamen esset necessarium vt eam de condigno possemus mereri, vt ostendi suprà dub. 4. concl. 3.

D. Thom.

Ratio autem cur Deus eiusmodi præmium nostris actionibus non promiserit, est quidem primò & præcipuè ipsius beneplacitum, qui sine dubio potuisset aliter facere si voluisset. Deinde quia id minùs videtur conuenisse. Nam sic facto vno aut altero opere cui eiusmodi donum fuisset promissum, fuissemus statim de nostra salute securi, nec potuissemus ex ea decidere. Cùm tamen tota hæc vita sit nobis data tamquam quædam arena & locus certaminis; ideoq; decuerit nos in pugna ita iuuari, vt tamẽ victoria semper etiã pẽdeat à nostra voluntate, siue vt sit in nostra potestate eã perdere.

188 CONCLVSIO II. Possumus tamen illud donum perseuerantiæ à Deo precibus impetrare, ac de congruo mereri. Ita Vasquez 1. 2. quæst. 114. in explicatione art. 9. & apertè D. Augustinus l. 2. de Prædest. cap. 6. vbi ait, *Hoc ergo Dei donum (scilicet perseuerantia) suppliciter emereri potest, sed cùm datum fuerit, amitti non potest.* Quia scilicet numquam censetur perfectè datum, antequam homo de facto vsque ad finem perseuerauerit, qui tunc ampliùs nequit cadere; vt ipse ibidem docet.

Vasquez. Augustin.

Conclusio tamen non ita intelligenda est quasi vno aut altero bono opere vel oratione possimus eiusmodi donum diu ante mortem certò mereri aut impetrare (sic enim ferè eadem incommoda sequerentur atque ex merito de condigno) sed solùm sæpiùs hoc à Deo vsque ad finem vitæ petendo, & acceptis gratiis bene vtendo, qua ratione maiores nobisque congruas de congruo meremur accipere. vnde D. Augustinus suprà cap. 17. docet, hoc quotidie à Deo poscendum esse, atque adeò à fidelibus peti, dum Deum in oratione Dominica rogant ne inducantur in tentationem, vbi insinuat, ad illud impetrandum non sufficere id semel aut iterum petere.

Qua ratione possimus mereri donũ perseuerantiæ.

Augustin.

189 CONCLVSIO III. Iustus non potest de condigno à Deo mereri, vt post lapsum in peccatum mortale à Deo per gratiam prœuenientem resuscitetur. Ita D. Thomas 1. 2. quæst. 114. a. 7. & Vasquez ibidem. Ratio est, quia per peccatum mortale omne meritum præcedens omnino impeditur ne habeat vllum ampliùs effectum quamdiu illud peccatum manet: vt apertè significatur Ezechielis 18. vbi Deus ait: *Si autẽ auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, &c. omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur.* Quòd si Deus postea propter eas conferret ei gratiam qua à peccato resurgeret, tunc iustitiarum ipsius recordaretur. Hinc patet cur opera iusti per peccatũ mortale mortificata post eius pœnitentiam possint iterum ei valere ad meritum gratiæ & gloriæ, & tamen nequeant ei priùs impetrare gratiam prœuenientem, qua ad pœnitentiam excitetur; quia nimirum in priore casu obex siue impedimẽtum eorum per alium actum tollitur: quod in secundo casu deberent per se tollere, quod facere nequeunt.

D. Thom. Vasquez.

Ezech. 18.

Quare iustus nequeat mereri sui resuscitationem post lapsum.

An autem iustus possit eiusmodi suam resuscitationem mereri de cõgruo, vide Vasqu. suprà.

Vasquez.

LIBER SECVNDVS
DE FIDE.

HACTENVS prout res exigebat, & hîc fieri potuit, explicui ea quæ ad naturam actuum supernaturalium in genere intelligendam necessaria duxi: sequentibus verò tribus libris virtutes theologicas (quæ inter actus supernaturales præcipuum locum obtinent) speciatim explicabo. Et primùm hoc libro agam de fide, quam spes & caritas vtpote naturâ priorem supponunt.

Vt autem clariùs procedamus, de ipso nomine pauca nobis præmittenda sunt: varias enim significationes habet, quas fusè explicant Gregorius à Valentia, alijque qui de fide tractant, initio sui de ea tractatus. mihi pauculas quæ maximè ad rem præsentem spectant, attulisse sufficiet. *Valentia.*

Primò, igitur significat tum actum siue assensum intellectus, quo alteri aliquid affirmanti credimus: tum etiam habitum quo ad eiusmodi assensum eliciendum inclinamur. De actu ad Hebræos 11. dicitur: Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei. de habitu autem plurimi intelligunt illud 1. Corinth 13. Nunc autem manent fides, spes, caritas. Huc etiam accedit illa significatio, qua tropicè ipsum obiectum fidei vocamus fidem. Ita Athanasius in suo Symbolo: Hæc est autem fides Catholica, id est res fide credenda. Secundò, significat constantiam in seruandis promissis, & voluntatem à dolo abhorrentem: qua ratione dicimus, aliquem bona malaue fide agere. De vtraque significatione pulchrè D. Augustinus l. de Spiritu & littera cap 30. Sed aliter, inquit, dicimus Non mihi habuit fidem; aliter autem Non mihi seruauit fidem: nam illud est, non credidit: illud, non fecit quod dixit. Secundùm hanc fidem, qua credimus, fideles sumus Deo: secundùm illam verò, qua fit quod promittitur, etiam ipse Deus fidelis est nobis. hoc enim est quod dicit Apostolus: Fidelis Deus, qui vos non permittet tentari supra id quod potestis.

Variæ fidei significationes. *Hebr. 11.* *1. Cor. 13.* *Athanas.* *August.*

Hæc fides est virtus voluntatis; prior verò est virtus intellectus, & quidem theologica quatenus per eam diuinæ attestationi firmiter assentimur. Actus autem quo assentimur homini aliquid asserenti secundùm se virtus non est; nam omnis virtus intellectus ita necessariò tendit in verum vt fallere nequeat: ille verò assensus potest esse falsus, cùm nitatur medio absolutè fallibili. Voluntas tamen qua talis assensus prudenter imperatur, poterit esse actus virtutis; per se enim honestum est prudenter alicuius testimonio credere, quando & quantum ratio id postulat. Hîc autem de sola fide theologica nobis disputandum est.

Fides alia virtus intellectus, alia voluntatis. Fides humana non est virtus: potest tamè à virtute imperari.

Ex ea autem, quando magna ac firma est, nascitur in viris sanctis quædam in Deum fiducia, qua ab eo constanter sibi ea omnia, quæ ad salutem necessaria aut etiam vtilia sunt promittunt; & ad ingentia miracula patranda sæpè excitantur. Est autem hæc fiducia virtus spei quàm fidei propior: quia tamen ex fide nascitur, eaque Deo fidimus, fides etiam dicitur. Multique contendunt sæpissimè fidem in Scripturis in hac significatione sumi, alij probabiliùs asserunt aut numquam aut rarissimè ita accipi. qua de re infrà paucis etiam aliqua dicemus.

Fiducia nascitur ex fide. Vocatur aliquando fides; magis accedit ad spem.

DISPVTATIO IX.

De obiecto fidei.

DVBIVM I.

Quod sit subiectum ac obiectum materiale fidei?

1 *Durand.*

PRo resolutione Nota cum Durando in Prologum sentent. q.5. initio, obiectum scientiæ materiale distingui ab ipsius subiecto (loquimur autem non de subiecto inhæsionis, quod constat esse intellectum, sed de subiecto attributionis.) quòd propriè loquendo obiectum scientiæ sit id, quod scitur, siue ipsa conclusio, quæ in demonstratione infertur, siue demonstratur: subiectum verò est ipsum subiectum conclusionis, siue id de quo passiones aliaúe attributa demonstrantur: v.c. demonstret aliquis hominem esse risibilem, hæc propositio, *Homo est risibilis*, erit obiectum illius scientiæ: homo verò erit eiusdem subiectum. Solent autem aliqui id vocare obiectum principale siue primarium, quia quæcumque in ea scientia tractantur, ad ipsum subiectum eiusque cognitionem referuntur. Quidam id vocant obiectum quod scitur aut creditur: sed meliùs hoc nomine vocatur ipsa propositio quæ scitur aut creditur. Subiectum autem propriè dicitur id de quo aliquid scitur aut creditur.

Subiectum aliud inhæsionis, aliud attributionis. Quomodo hoc distinguatur ab obiecto.

Subiectum non est id quod creditur, sed id de quo aliquid creditur aut scitur.

2 *Durandus.*

Primò, igitur Durand. suprà docet, subiectum Theologiæ prout accipitur pro habitu, quo mysteria fidei credimus, siue pro ipsa fide, esse actum meritorium. Probat Primò, quia id in quauis doctrina est subiectum, cuius cognitio est proximus finis illius doctrinæ: sed talis in doctrina fidei nobis per Scripturam explicata est actus meritorius: ergo hic est illius subiectum. Minor patet, quia 2. ad Timoth. 3. dicitur: *Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia; vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* vbi tota doctrina fidei eò videtur referri, vt simus perfecti in opere bono.

2. *Tim.* 3.

Secundò, quia id est subiectum alicuius doctrinæ quod in ea primò & per se consideratur, & ad quod reliqua in ea tractata referuntur: atqui talis in doctrina fidei est actus meritorius (tota enim Scriptura etiam quatenus nos instruit in cognitione Dei, eò tendit, vt doceat nos, qua ratione benè viuere, & vitam æternam mereri possimus:) ergo hic est subiectum fidei.

3 *August.*

Secunda opinio docet, Deum esse quidem subiectum fidei, non tamen sub ratione deitatis absolutè sumpta, sed sub ratione saluatoris aut glorificatoris. Probatur Primò, quia D. August. lib. 14. de Trinitate cap. 1. docet, fidem agere de ijs rebus, quibus vitam æternam adipiscimur, & fidem de rebus æternis esse ad hoc necessariam: ergo fides agit de Deo, qua saluatore & glorificatore. Probatur Secundò, quia obiectum caritatis non est Deus absolutè sumptus, sed prout est auctor rerum supernaturalium: ergo simili ratione est subiectum fidei. Tertiò, quia Apostolus ad Hebræos 11. docet, accedentem ad Deum debere credere *quia est, & inquirentibus se remunerator sit*; quod secundum Apostolus videtur addere, vt ostendat sub qua ratione Deus sit primarium subiectum fidei. Ita Gregorius qu. 4. prologi, a. 2. Marsilius ibid. q. 2. a. 5. Albertus in 2. d. 1. a. 2. qui quamuis loquantur de subiecto Theologiæ, tamen idem videntur sentire de fide; quam sub Theologia videntur comprehendere.

Hebr. 11. *Gregorius. Marsilius. Albertus.*

Tertiò, Caluinus l. 2. Instit. cap. 4. contendit Christum etiam pertinere ad obiectum primarium fidei; quia Scriptura sæpissimè à nobis exigit fidem in Christum.

Caluinus.

CONCLVSIO I. Subiectum principale fidei est Deus absolutè sumptus, siue sub ratione deitatis. ita D. Thomas 1. p. q. 1. a. 7. Vasquez ibidem disp. 10. Caietan. 2. 2. q. 1. a. 1. ad 1. dub. Turrian. ibid. disput. 1. dub. 1. Valentia ibid. disp. 1. qu. 1. puncto 1. Malderus ibidem sect. 2. & ferè communiter alij. 4 *D. Thomas. Vasquez. Caietan. Turrian. Valentia Malderus.*

Probatur, quia, vt ostendi ex Durando n. 1. illud est subiectum alicuius scientiæ quod in præcipuis ipsius conclusionibus habet rationem subiecti, & simili ratione in doctrina fidei id debet dici subiectum, siue (vt alij loquuntur) obiectum materiale principale, quod in præcipuis fidei articulis qui primò & per se credendi nobis proponuntur, habet rationem subiecti: atqui hoc in doctrina fidei est Deus qua Deus: ergo vt sic est subiectum fidei. Minor probatur: quia articuli qui primò & præcipuè nobis proponuntur credendi, sunt hi: *Deus est. Deus est trinus & vnus. Deus creauit omnia. Deus est noster finis, beatitudo, saluator*, &c. *Deus est factus homo*, &c. in quibus omnibus Deus est subiectum.

Nec refert quòd actus quo hæc credimus sit meritorius; hoc enim nihil facit ad rem: nam hîc solùm quærimus quod sit obiectum illius fidei qua illa credimus: quod patet nullo modo esse actum meritorium, sed Deum. nam in omnibus illis propositionibus fidei Deus est subiectum: in nulla autem earum actus meritorius est subiectum.

Probatur Secundò, quia illud est subiectum alicuius doctrinæ, ad cuius cognitionem reliqua in ea explicata referuntur. vt etiam Durandus & alij fatentur: atqui hoc in doctrina fidei est Deus qua Deus: ergo Deus vt sic est subiectum fidei. Minor probatur, quia tota doctrina fidei eò refertur, vt cognoscamus quis, qualis, 5

lis, quantusque in se sit Deus; & qua ratione eum colere, eique seruire debeamus. Sicut enim (vt dicitur Prouerb.16.) *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*, vt scilicet per ea semetipsum suamque gloriam ac sapientiam nobis manifestaret (iuxta illud psalmi 18. *Cæli enarrant gloriam Dei*, &c.) ita ob eamdem causam mysteria fidei nobis reuelauit, ac credenda proposuit.

Prouer.16. Deus ideo omnia creauit ac nobis mysteria fidei reuelauit, vt eum cognoscamus.

6 Probatur Tertiò, contra secundam sententiam. Quia subiectum scientiæ alterius site doctrinæ non est aliqua propositio in ea demonstrata aut docta, sed id de quo alia demonstrantur aut docentur: atqui Deum esse glorificatorem aut saluatorem sunt propositiones, quæ à fide docentur, & nobis credendæ proponuntur: ergo non sunt subiectum fidei: sed id huius est subiectum, quod in illis habet rationem subiecti; scilicet Deus secundùm se consideratus.

Propositio nequit esse subiectum alicuius doctrinæ.

7 Ex his patet responsio ad argumenta contraria. Ad primum Durandi, nego minorem. iam enim ostendi, proximum finem doctrinæ fidei esse cognitionem Dei. Ad probationem, Respondeo inde solùm sequi, sacram Scripturam esse vtilem vt nos instruat in cognitione Dei, siue in doctrina fidei ac in cultu Dei, quo eum per bona opera colimus; itemque ad arguendum eos, qui in his errant. Ex quibus sequitur, cognitionem Dei esse proximum finem doctrinæ fidei, & cognitionem operis boni esse eiusdem finem secundarium; quatenus hæc cognitioni ac cultui Dei deseruit.

Ad secundum, nego minorem eiusque probationem, secundùm eum sensum quo à Durando sumitur. nam etsi Scriptura vbique id agat, vt nos ad bona opera excitet; tamen hæc ipsa ad vlteriorem finem refert, nimirum ad manifestationem diuinæ maiestatis ac bonitatis, eiusque gloriam ac cultum; vt iam ostendi.

8 Ad primum argumentum secundæ sententiæ, Respõdeo, inde solùm sequi, fidem inter cetera nos docere, qua ratione possimus bene viuere, & vitam æternam consequi: quod contra nos non facit.

Ad secundum, nego antecedens; nam suprà disp.5.dub.3.satis probaui contrarium.

Ad tertium, nego consequentiam: nam Apostolus ibi solùm adfert duo obiecta siue propositiones fidei, quas incipientes ad Deum conuerti initio debent credere: scilicet Deum esse, & esse remuneratorem; in quibus Deus absolutè sumptus est subiectum: quare hic locus potiùs nostram sententiam probat; eumque adferentes errant, non distinguentes obiectum quod creditur, à subiecto, siue ab obiecto, de quo aliquid creditur.

Ad argumentum Caluini, Respondeo id solùm probare, Christum qua Deum esse subiectum fidei primarium, & qua hominem esse subiectum secundarium. quod libenter fatemur, imò plurima sunt alia quæ possent dici subiecta secundaria fidei, v.c. B. Virgo, quam credimus esse virginem, matrem Dei, &c. Item anima rationalis, quam credimus esse immortalem. atque adeò ea omnia, de quibus aliquid fide diuina credimus. Quamuis quia de his pauca credimus, eaque quasi per accidens propter subiectum principale reuelata; hæc non tam videntur debere dici subiecta fidei (quæ integrè omnes res reuelatas respicit) quàm subiecta alicuius particulæ aut propositionis fidei.

Aliud est subiectum fidei, aliud subiectum propositionis, quæ de fide est.

9 CONCLVSIO II. Obiectum quod siue materiale nostræ fidei generatim sumptum est omne id, quod Deus nobis per se vel per alios reuelauit. Patet, quia id est obiectum materiale fidei, quod fide diuina credimus, sed omne à Deo reuelatum est tale: ergo est obiectum materiale fidei. Ex quibus patet, non solùm propositiones natura sua necessarias; sed etiam ex se contingentes (quales sunt hæ: *Christus passus est. Antichristus nascetur*, & similes) hoc ipso, quo à Deo sunt reuelatæ, esse obiectum fidei: qua etiam ratione fiunt omnino necessariæ ac infallibiles.

Obiectum quod siue materiale fidei.

Propositiones ex natura contingentes possunt esse obiectum fidei.

10 Addunt aliqui, omne à Deo reuelabile esse obiectum fidei, quia id omne est obiectum fidei, quod potest fide diuina à nobis credi: sed omne à Deo reuelabile potest à nobis fide diuina credi: ergo est obiectum fidei.

Sed si minor huius argumenti propriè intelligatur, quasi omne à Deo reuelabile sit actu iam tale, quod possit fide diuina credi, falsa est: nam vt aliquid sit tale, non sufficit quòd possit à Deo reuelari, sed opus est vt sit reuelatum. Sicut igitur vt possim aliquod coloratum videre, siue vt actu verè sit obiectum visibile, non sufficit quòd à Deo possit illuminari, sed requiritur vt sit actu illuminatum: aliàs non est actu, sed solùm potentia obiectum visibile: ita etiam vt aliquid non solùm potentia, sed actu sit obiectum fidei, debet actu esse reuelatum.

Non omne reuelabile est actu obiectum fidei.

11 Disputant præterea hîc aliqui, vtrùm omnia obiecta fidei æqualiter ad eam pertineant. Sed facilis est responsio. Dicendum enim est hac ratione omnia æqualiter ad fidem pertinere, quatenus omnia saltem implicitè æquè firmiter credenda sunt; atque adeò etiam explicitè, quando sciuntur à Deo esse reuelata, aut sufficienter tamquam à Deo reuelata nobis sunt proposita, ita vt omnis dubitans an res aliqua sit vera, quantumuis aliàs minimi videatur esse momenti, quam scit à Deo esse reuelatam, aut apertè in Scripturis contineri, aut ab Ecclesia vt talem fidelibus credendam proponi, verè sit hæreticus, non minùs quàm si de alia re maximi momenti dubitaret, quia implicitè negat Deum esse infinitè veracem.

Vtrùm omnia obiecta fidei æqualiter ad eam pertineant.

Alia tamen ratione quædam minùs principaliter ad fidem pertinent, quatenus non tenemur omnes articulos siue propositiones fidei æqualiter cognoscere; & consequenter nec æqualiter explicitè credere. vt infrà ostendam.

12

DVBIVM

DVBIVM II.

Vtrùm obiectum fidei sit aliquid complexum, siue compositum?

12 D.Thomas. RESpondet D.Thomas 2.2. qu.1. a.2. obiectum fidei esse aliquid simplex in se, quia Deus est in se simplicissimus sine vlla compositione; prout tamen à nobis concipitur, esse aliquid complexum. quia diuersa Dei attributa, quæ in Deo res vna & simplicissima sunt, nequimus vt talia perfectè concipere, sed necessariò ea concipimus distinctis conceptibus, atque ita concipimus ea Deo conuenire per quādam compositionem. Pro cuius maiore explicatione, Nota obiectum fidei quadrupliciter posse accipi. Primò, pro ipso subiecto fidei siue primario siue secūdario. Secundò, pro propositione externa qua aliquid de subiecto fidei enūciamus. Tertiò, tropicè pro ipso conceptu mentis, quo obiecta fidei concipimus. Quartò, pro rebus huic conceptui respondentibus.

Quæ in Deo simplicia sunt vt complexa concipimus.

Obiectum fidei quadrupliciter accipitur.

13 Respondeo igitur Primò, obiectum fidei primo modo acceptum si intelligatur de primario, cùm hoc sit ipse Deus, est res omnino simplex; si verò accipiatur pro secundario obiecto, est quidem res aliquo modo composita (quia Christus est compositus ex anima, corpore & diuinitate) potest tamen aliqua ratione dici simplex, quia res est substantialiter vna.

14 Respondeo Secundò, si obiectum accipiatur secundo & tertio modo, est res aliqua complexa, quia omnis propositio componitur ex subiecto & prædicato; & similiter conceptus noster ei respondens. Secùs tamen contingit in conceptibus Beatorum atque etiam angelorum, saltem circa ea, quæ de natura diuina, eiusque attributis cognoscunt: quæ sine vlla compositione concipiunt. quamuis fortè secùs sit in quibusdam alijs: qua de re non est hîc fusiùs disputandum.

Angeli ac Beati simplici conceptu diuina concipiunt.

15 Respondeo Tertiò, obiectum fidei quarto modo acceptum quandoque esse aliquid simplex; quoties scilicet credimus aliquid de natura diuina eiusque attributis: quandoque verò esse aliquid compositum, vt cùm credimus Deum creasse mundum, Christum natum ex virgine, passum, &c. Ex quibus patet responsionem D. Thomæ intelligendam esse de obiecto fidei primo modo accepto, aut secundùm priorem partem tertiæ nostræ responsionis.

DVBIVM III.

Vtrùm Deus quatenus est prima veritas, sit obiectum formale fidei?

16 HActenus explicui obiectum materiale fidei, iam formale explicandum est: pro quo Nota Primò, obiectum formale dici id quod alicui potentiæ est ratio eam mouens vt in obiectum materiale feratur. v.c. æger appetit medicinam: hæc est obiectum materiale illius appetitus siue id quod appetitur: obiectum verò formale immediatum est vtilitas ipsius medicinæ ad sanitatem recuperandam: hæc enim est immediata ratio cur eam appetat. quamuis hāc etiam vlteriùs referat ad sanitatem acquirendam, quæ est tandem vltima ratio, cur medicinam appetat. Item credo aliquid esse verum, quia Iohannes id testatur; huius testimonium est ratio cur id credam; & obiectum formale huius assensus.

Quid sit obiectum formale.

Nota Secundò, quædam obiecta intellectus esse nobis per se euidentia, & in his obiectum formale, est eorum euidentia; hæc enim nos immediatè mouet ad assensum. Alia verò nobis secundùm se sunt inuidentia, ideoque iis assentimur propter aliquod obiectum formale ab iis distinctū. Quod rursum est duplex: nam quandoque habet naturalem connexionem cum obiecto materiali, vt accidit quoties cognoscimus effectus per causas, aut causas per effectum: atque ita hoc medium est aliquo modo intrinsecum rei cognitæ. Aliàs verò est omnino extrinsecum obiecto materiali, nec vllam cum eo naturalem habet connexionem. vt accidit quando alicui propositioni assentior propter testimonium alterius. 17

17 Obiectum formale quandoque est intrinsecum obiecto materiali: aliàs extrinsecum.

Obiectum formale extrinsecum duplex.

Nota Tertiò, quando cognoscimus aliqua nobis per se euidentia, huius cognitionis obiectum formale esse aliquid vnum, eadem ratione qua res cognita est vna. Secùs autem esse, quando medium est distinctum à re cognita. v.c. credo aliquid, quia Iohannes id testatur; ratio mouens me ad assensum est, partim quia scio Iohannem esse veracem, partim quia scio eum hoc dixisse; quantumuis enim credam eum esse veracem, si tamen ignorem eum hoc dixisse: aut contrà, si sciam eum hoc dixisse, & tamen non credam eum esse veracem; ego illud non credam. Item assentior alicui conclusioni propter præmissas: obiectum formale continet triplicem assensum; scilicet maioris, minoris, & consequentiæ: si enim aliquis ex his desit, non assentiar conclusioni. 18

18 Obiectum formale extrinsecum non est res vna.

Quadruplex igitur circa obiectum formale fidei occurrit difficultas: Prima est, vtrùm veracitas Dei sit obiectum formale fidei? Secunda, vtrùm testimonium Dei ad idem pertineat? Tertia, an testimonium Ecclesiæ sit aliquando obiectum formale fidei? Quarta, an euidentia consequentiæ ad id pertineat; siue an fides nitatur discursu? quæ hoc & sequentibus dubijs explicabimus.

Igitur circa præsentem difficultatem fuit olim error Manichæorum docentium nihil esse credendum nisi euidenti ratione cognitum. Sed hic error & absurdissimus est (nam si in rebus secundùm se nobis omnino ignotis credimus hominibus, quare non multò magis credemus Deo?) & euertit planè omnem fidem diuinam: nam secundùm illam mysteria nostræ fidei non crederemus, sed scitemus. Quare hoc errore exploso cum Catholica Ecclesia supponimus, fidem nostram niti auctoritate diuina, & quærimus sub qua præcisè ratione Deus nos moueat ad credendum, siue sub qua ratione præcisè sit obiectum formale nostræ fidei: vtrū nimirū quatenus est summè verax, siue prima veritas in dicendo: an verò sub aliqua alia ratione. 19

Fide credimus aliqua nobis inuidentia.

Alia

20 Alia igitur opinio asserit, Deum non qua veracem, sed qua Deum, esse primum obiectum formale fidei. Primò, quia illud est primum obiectum formale fidei, in quod fides nostra vltimò resoluitur: atqui hoc non est Deus qua verax, sed qua Deus: ergo Deus qua Deus, est obiectum formale fidei. Minor probatur, quia quærenti cur Deo credendum sit; respondetur, quia verax est: & iterum roganti, cur sit verax; respondetur, quia summè sapiens est, & summè bonus, ita vt nec falli possit nec fallere. rursum roganti cur sit summè bonus & sapiens; respondetur, quia est Deus. ergo tandem vltima ratio cur ei credamus est, quia est Deus. Secundò, quia idem est obiectum formale fidei hîc, & visionis in patria: atqui in patria obiectum visionis est Deus qua Deus: ergo etiam fidei hîc. Citatur pro hac opinione Aureolus apud Capreolum in 3. d. 24.

Aureolus.

21 Sed rationes pro ea allatæ nihil omnino probant. Ad primam, nego minorem. ad probationem, nego consequentiam. Quia aliud est ipsam deitatem, siue diuinam essentiam, nostro modo concipiendi esse causam, cur Deus sit summè sapiens & bonus, & consequenter summè verax; aliud verò est illam esse causam siue rationem formalẽ cur ei credamus: & primum est verum, secundum verò est falsum: sicut etsi cur hæc aqua v.c. sit ita frigida causa sit, quòd sit recèns hausta ex profundo puteo, tamen valdè sitiens & per eã refrigerari cupiens non appetit eam, quia ita ex eo puteo hausta est, sed quia frigida est, quo posito nihil curat vnde illud frigus habeat.

Id quod alicui est ratio cur sit verax, non est ratio formalis cur ei credam.

Ad secundam, nego maiorem: quia visio beatifica fertur in rem qua euidenter sibi proposita, ac immediatè tendit in eam prout in se est, fides verò fertur in rem obscurè propositam per alienũ testimonium; quare necessariò debet habere obiectum formale distinctum ab obiecto formali visionis.

Aliud est obiectum formale fidei; aliud claræ visionis.

22 Conclvsio. Deus est obiectum formale fidei, quatenus est prima & omnino infallibilis veritas in dicendo, siue quatenus est ita verax, vt nullo modo possit mentiri aut fallere. ita D. Thomas 2.2. q.1.a.1. & cum eo ferè communiter Theologi. Probatur Primò, ex Scripturis.

D. Thom.

Iohan.1. Iohannis cap.1. vbi Euangelista volens nobis ostendere, quàm firmiter verbis Christi, cuius doctrinam erat expositurus, deberemus credere, ait: *Vidimus eum quasi vnigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Et deinde verbis Baptistæ subdit: *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia; quia lex per Moysem data est, gratia & veritas* (id est veritatis cognitio) *per Iesum Christum facta est*, dum scilicet fidem nobis annunciauit. Quod deinde ita docet: *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Ac si dicat, Sicut gratiam quam à nobis habere non possumus, ab eo qui plenus est gratia, accipimus: ita cognitionem diuinorum mysteriorum, quam nulla humana industria possumus assequi, ab eo debemus accipere, qui Deum vidit, ei, qui plenus est veritate, vtpote Deus ac prima veritas, firmissimè credendo. vbi clarissimè assignat Christi veracitatem tamquam rationem, qua debemus moueri vt ei credamus. Consonat his ipse Christus Iohan. 14. vbi volens Apostolis ostendere, qua via ad Patrem eiusque cognitionem debeant tendere (quod patet fieri per fidem) ait: *Ego sum via, veritas, & vita; nemo venit ad Patrem, nisi per me.* vbi dicit se esse hanc viam, quia ex eius narratione cognitionem Patris accepimus: additque se esse veritatem, vt ostendat omnino indubitanter ac firmissimè sibi credendum esse: est etiam vita, quia iustus ex fide viuit.

Iohan.14.

23 Probatur ratione: quia qui non credit Deo, facit eum directè mendacem; idque non alia ratione, quàm quia ostendit se in eo non agnoscere rationem qua debeat moueri vt ipsi credat, scilicet veracitatem, quæ mendacio directè contrariatur: ergo ratio qua directè mouemur vt ei credamus, est ipsius veracitas. Confirmatur, quia ideò præcisè credimus alicui homini, quia scimus eum ita esse veracem, vt numquam aliquid dicturus sit quod non sciat certò esse verum: quam opinionem si de eo habeamus, quantumuis reliqua omnia ipsi desint, ei tamen credemus; & nisi hanc de eo habeamus opinionem, quantumuis aliàs credamus eum in alijs omnibus esse perfectissimum, ei tamen non habebimus fidem.

24 Vbi Nota, perfectam omnino veracitatem non solùm supponere in suo subiecto voluntatem abhorrentem ab omni mendacio, ita vt quis sponte nullo modo velit mentiri: sed etiam perfectam sapientiam, ita vt falli nequeat. nam etsi sciamus, aliquem nolle vllo modo mentiri, tamen si credamus eum posse falli in re quam testatur, ei aut nullo modo, aut non sine aliqua dubitatione seu formidine de oppositio credemus. Quare prima veritas vtrumque in Deo infinitè perfectum supponit.

Perfecta veracitas duo requirit.

Dices, Deus qua prima veritas, est obiectum formale fidei: sed Deus qua Deus, est prima veritas: ergo Deus qua Deus, est obiectum formale fidei. Respondeo negando consequentiam, quia manifestè mutatur medium. Nam in maiore *qua* denotat rationem formalem cur Deus sit obiectum fidei; in minore non denotat rationem formalem cur Deus sit prima veritas, sed rationem quasi originis, siue id quod nostro modo concipiendi est ei causa & quasi principium siue origo, cur in eo sit prima veritas. Simile est hoc argumentum. Medicina qua expulsiua morbi, est obiectum formale amoris ægroti: atqui medicina qua talis est speciei, est expulsiua morbi: ergo qua talis est speciei, est obiectum formale illius amoris. vbi consequẽs est manifestè falsum: nam medicina præcisè expetitur quia expulsiua, vnde eodem modo appeteretur, cuiuscumque esset speciei, si eodem modo esset expulsiua morbi ac sumpta facilis.

DVBIVM

DVBIVM IV.

Vtrùm Deus qua reuelans, atque adeò ipsa reuelatio pertineant ad obiectum formale fidei?

25 IN hac & sequente difficultate multi minùs explicatè loquuntur, ita vt difficile sit conijcere quid velint : ideoque à diuersis citantur pro ijs sententijs, quas fortè numquam tenuerunt; vt sequenti dubio ex parte patebit. Vt autem clariùs procedamus, Notandum est Primò, hîc esse difficultatem circa duplicè actum fidei. Primus est, quo credimus res reuelatas distinctas ab ipsa reuelatione. Secundus, quo credimus ipsam reuelationem, siue eas res esse à Deo reuelatas. nec enim solùm credimus Deum esse trinum & vnum, esse incarnatum, &c. sed etiam credimus hæc à Deo esse reuelata. hoc autem dubio agimus propriè de priore actu, in sequenti agemus de secundo.

26 Dupliciter possumus aliquid dicere.

Nota Secundò, nos duobus modis posse aliquid dicere siue affirmare. Primò, sola mentali dictione, sine vllo externo indicio, quo res ad alterius cognitionem deferri possit. Secundò, ita vt etiam exteriùs nostram mentem aliquo indicio prodamus. Quæ distinctio clara est in locutione, qua inter nos vtimur; in locutione autem angelorum res nobis obscurior est, quia nescimus quo modo inter se loquantur. Sed quidquid hac de re sit, inter omnes constat, angelũ posse aliquid intra se cogitare, atque ità sibi quodammodo loqui, ita vt nullus alius angelus id cognoscat. Et rursus eum cùm voluerit, posse suos conceptus alteri manifestare, atque ita ei loqui. & hanc hîc voco externam locutionem, quacumque ratione fiat; priorem verò voco internam.

27 Quid requiratur vt alteri loquar.

Nota Tertiò, etsi per priorem locutionem possim dici loqui mihi ipsi aut etiã Deo, qui internas nostras cogitationes inspicit, tamen non possum per eam alteri alicui creaturæ loqui; quia vt alicui loquar, debeo meum conceptum siue locutionem ad eum dirigere: ad quod necessarium est, vt ita eam exprimam vt possit ad alterum peruenire, siue vt hic possit eam percipere. nec enim possum dici ei loqui, ad quem sermonem non dirigo; nec possum dici hunc ad illum verè dirigere, si quantum est ex parte mea id ita non faciam, vt ad eum peruenire possit.

28 Deus nequit viatori loqui sine aliqua actione sibi externa.

Similisque etiam est ratio in Deo respectu nostri, præsertim viatorum (de quibus hîc solùm agimus, quia in his solis est fides:) cùm enim eius conceptus intueri non possimus, debet eos nobis aliquo externo signo & consequenter actione creata prodere, vt possimus eos cognoscere, & consequenter vt possint ad nos dirigi.

Ex quo patet, locutionem Dei ad nos includere necessariò aliquam actionem creatam, qualis qualis illa demum sit.

29 Dices, Loquimur quandoque hominibus absentibus, aut etiam rebus inanimatis, quæ nostrum sermonem nullo modo possunt percipere: ergo vt alicui loquar, non requiritur vt meus sermo possit ad eum peruenire. Respondeo, illam locutionem non esse veram, sed tropicam, vel potiùs fictam, ad ostentationem nostri affectus, aut ob similem causam. fingimus enim illos, quibus loquimur, esse præsentes, & res inanimes percipere ea quæ dicimus; & consequenter fingimus nos ijs loqui.

30 Adde, nos in hoc etiam casu sermonem nostrum, quantum est ex parte nostra, sufficienter ad eos dirigere, ita vt possent eum percipere, nisi aut absentes essent aut sensu carerent; atque ita defectus non est ex parte nostra, sed ex parte eorum quibus loquimur, sicut quando surdo loquimur. Secùs est in locutione merè interna, quæ ex natura sua talis est, vt ab alijs percipi nequeat, atque ita in ea est defectus, eique aliquid deest ad veram istorum allocutionem requisitum.

31 Dupliciter alterius testimonio moueor vt aliquid credam.

Nota Quartò, nos alterius testimonio dupliciter moueri posse vt aliquid credamus. Primò, ita vt illo per se & immediatè moueamur ad rem illam credendam. Secundò, solùm mediatè. v.c. Iohannes qui magna apud me est auctoritate, mihi dicit haberi in Scripturis Abraham genuisse duos filios. Duo hîc credo. Primò, illud haberi in Scriptura; Secundò, id esse verum. Ad priorem assensum moueor immediatè auctoritate & testimonio Iohannis: ad secundum immediatè moueor testimonio Scripturæ, & testimonio Iohannis solùm remotè ac mediante priore assensu. Item testimonium Iohãnis respectu vtriusque obiecti valdè dissimiliter se habet: nam respectu prioris veritas ipsius testimonij habet per se immediatam ac necessariam connexionem cum veritate ipsius obiecti siue rei creditæ, ita vt fieri nequeat vt testimonium Iohannis sit verum, si illud in Scriptura non habeatur. secùs est de secundo: nam etsi Abraham numquam genuisset duos filios, posito tamen quòd hoc in Scriptura haberetur, testimonium Iohannis esset verum. Vnde sequitur, testimonium Iohannis respectu prioris assensus habere veram rationem medij siue obiecti & rationis formalis, qua immediatè moueor ad credendum: in secundo verò solùm se habere per modum proponentis ipsum obiectum formale.

32 Turrian.

His positis tres hîc possunt esse sententiæ, quarum tacitis Auctorum nominibus meminit Turrian. 2.2. disput. 2. dub. 2. Prima negat testimonium Dei habere rationem obiecti formalis respectu nostræ fidei: Primò, quia obiectum formale debet esse aliquid reale intrinsecum obiecto materiali: atqui testimonium Dei respectu rerum credendarum non potest esse tale: ergo nequit esse obiectum formale fidei. Secundò, quia fide credimus Deum esse primã veritatem: atqui hoc non credimus propter ipsius testimonium; quia stultum videtur credere aliquem esse veracem, quia ipse hoc dicit: ergo respectu huius assensus testimonium Dei non est obiectum formale. Tertiò, quia fide credimus Deum esse: atqui hoc non credimus, quia ipse dicit; nam ridiculum videtur credere aliquem esse siue existere, quia ipse hoc testatur.

Quam-

Quamuis enim hoc ipso quo aliquis dicit se existere mouear ad iudicandum hoc esse verum, propriè tamen id non credo, quia ipse hoc dicit, sed propter rei euidentiam: nam hoc ipso quo audio aliquem loquentem, clarè scio eum esse, vnde etiam hoc crederem etsi contrarium diceret.

Confirmatur, quia ignotius non potest esse ratio cognoscendi magis notum: atqui notius est Deum esse (quia hoc lumine naturæ est euidens) quàm sit notum ipsum hoc testari: ergo nequeo illud propter hoc credere.

Quartò, credimus, Deum reuelasse articulos fidei: atqui hoc non credimus propter aliam reuelationem, quia sic daretur processus in infinitum: ergo aliquis assensus fidei non habet pro obiecto formali Dei reuelationem.

33 Secunda sententia docet, internam Dei locutionem esse obiectum formale assensus fidei: non tamen externam; quia cùm fides sit virtus theologica, debet pro obiecto formali habere aliquid increatum. Sed hoc argumentum nullius est momenti; quia, vt fides sit virtus theologica, sufficit quòd ipsius obiectum sit ex parte ipse Deus quatenus scilicet includit diuinam veracitatem & locutionem internam.

34 Tertia docet, ipsam reuelationem siue testificationem esse connexionem & vnionem inter obiectum formale & materiale fidei, siue inter auctoritatem Dei & rem creditam. nam aliàs huius veritas nullam haberet connexionē cum Dei auctoritate siue veracitate, si Deus eam nō fuisset testatus; v.c. si Deus non fuisset testatus Antichristum venturum, quantumuis ipse numquam esset venturus, ideo tamen Deus non esset minùs verax: & qui negaret eum esse venturum, nullo modo negaret Deum esse veracem. hoc ipso tamen, quo Deus testatus est eum esse venturum, fieri nequit vt ipse non veniat, nisi Deus mentiatur. atque ita necessaria est connexio inter ipsius aduentum futurum & Dei veracitatem.

35 Conclvsio I. Veritas prima siue Deus quatenus est prima veritas reuelans obiecta fidei, est huius obiectum formale; ita vt etiam ipsa Dei reuelatio siue attestatio ingrediatur eius obiectum formale. Est ferè communis Theologorum, vt ostendit Valent. 2.2. disp. 1. q. 1. puncto 1. & Turrian. ibid. disp. 2. dub. 2. *Valentia Turrian.*

Probatur Primò, quia Scriptura passim exigit à nobis fidem, iubetque nos credere mysteria fidei quia Deus ea reuelauit ac testatus est. Hinc S. Iohannes epistolæ 1. c. 5. cùm vrget nos vt credamus, rationem adfert: *Quia spiritus est qui testificatur quoniam Christus est veritas.* & quo magis nos excitet, vt omnino firmiter & sine hæsitatione credamus, subdit: *Si testimonium hominum suscipimus, testimonium Dei maius est: quoniam hoc est testimonium Dei, quod maius est.* Ac si dicat, si testimonium hominis nos mouet ad credendum aliquid, multò magis nos mouere debet testimonium Dei, quod infinitè infallibile est. Demum addit, *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.* quo nimirum ipse in assentiendo tamquam fundamento & ratione formali nitatur. Similiter 1. ad Thessalon. 2. & *1. Iohan. 5.* *1. Thessal. 2.*

alibi credētes dicuntur suscipere verbum Dei, & credere verbo Dei: quia nimirum testimonio Dei ad credendum mouentur.

Probatur Secundò, quia id in aliquo assensu habet rationem obiecti formalis, quod est medium siue ratio nos mouens ad assensum; vt patet in assensu conclusionis, in quo euidentia præmissarum & consequētia est obiectum formale ipsius assensus, quia est ratio siue causa obiectiua mouens ad assensum: atqui ratio mouens me ad assensum fidei, siue diuinæ siue humanæ, est testimoniū Dei aut hominis: ideo enim dicta credo, quia aut Deus aut homo ea testificatus est: ergo ea testificatio habet rationem obiecti formalis. 36

Confirmatur, quia multæ res fidei nullam aliam habent rationem cur vt infallibiliter veræ credantur, nisi quia Deus eas testatus est: v.c. nulla est ratio ob quam credam Antichristum venturum, nisi quia Deus hoc dixit: ergo tota ratio nos mouens vt eas ita credamus, est testimonium Dei.

Dices Primò, testimonium Dei non esse rationem formalem ipsius assensus, sed solùm proponere nobis veritatem ipsius rei, qua deinde ad credendum mouemur. Sed contrà, hac ratione reuelatio aut testificatio respectu assensus fidei, ac rei creditæ se solùm haberet, sicut se habet locutio eius qui mihi ostendit aliquam conclusionem sequi ex præmissis mihi per se notis: aut sicut se habet testimonium eius qui mihi dicit hoc vel illud haberi in Scriptura, & ita est causa cur alicui propositioni assentiar. iuxta dicta num. 31. hoc autem est apertè falsum, vt patet tum ex ibidem dictis, tum etiam quia sic res creditæ deberent aliunde, quàm ex testimonio Dei habere quòd sint necessariò & apertè veræ, aut connexæ cum auctoritate diuina; quod tamen falsum est: nam multæ res fidei, præsertim futuræ contingentes, nullam ex se habent necessariam veritatem, cùm possint esse & non esse; multò minùs habent euidentem veritatem: ergo seclusō Dei testimonio nihil in se habent, quod me possit mouere vt eas credam. 37

Testimoniū Dei respectu fidei non est solum propositio obiecti.

Dices Secundò, Etsi eæ res non habeant ex se infallibilem aut certam veritatem, eam tamen habent quatenus subsunt scientiæ Dei: hoc ipso autem quo Deus dicit eas futuras, scio ipsum scire eas futuras; & ideo id firmiter credo. 38

Sed contrà, tunc credendo præcisè eas res esse veras siue futuras, non crederem testimonio & verbo Dei, prout Scripturæ citatæ num. 35. testantur, sed solùm scientiæ Dei: imò propriè huic non crederem (quia credere propriè dicit respectum ad aliquod testimonium) sed ex eā a posteriori colligerem eas res esse veras, atque ita ille assensus non esset fides; sed potiùs quædam scientia à posteriori: qua ratione dicemus infrà Beatos in Deo cognoscere res futuras.

Fides necessariò respicit aliquod testimoniū qua tale.

Dices Tertiò, solam Dei veracitatem esse causam & rationem formalem cur eiusmodi res sint infallibiliter veræ ac credibiles; testimonium verò Dei solùm esse vinculum siue rationem cur illæ cum Dei veracitate habeant necessariam connexionem, & consequenter propter 39

eam sunt necessariò veræ ac credibiles.

Sed contrà, non sola auctoritas siue veracitas Dei me mouet ad credendum, sed etiam ipsa connexio rerum cum ea veracitate; ideò enim res eas credo quia ei veracitati connexæ sunt, siue quia reuelatæ sunt: sicut in syllogismo non solùm euidentia præmissarum est causa assensus conclusionis, sed etiam euidentia consequentiæ; ideo enim conclusioni assentior, quia video eam sequi ex præmissis, quas scio esse veras.

40 CONCLVSIO II. Non solùm interna Dei locutio siue iudicium, quo iudicat rem aliquam esse veram ac reuelatam; sed etiam ipsa externa reuelatio & testificatio (quo nomine intelligo quoduis externum signum, quo Deus nobis loquitur ac conceptus suos aperit) habet rationem obiecti formalis respectu assensus fidei. Ita *Valentia.* Valentia suprà, §. *Sed hinc oritur.* Et probatur, quia ad obiectum formale fidei requiritur vera Dei testificatio qua nobis aliquid dicat ac reuelet siue testetur: atqui, vt ostendi num. 28. & 29. sola Dei interna locutio, nisi accedat aliquod externum signum quo ipsa ad nos dirigatur, ita vt nobis possit innotescere, nequit respectu nostri esse vera testificatio, nec Deus per eam potest dici nobis aliquid dicere aut testificari: ergo ipsa sine eo signo nequit esse formale obiectum fidei; & sicuti externum illud signum vnà cum interna locutione siue actu intellectus cõponit integram locutionem, ita vtrumque pertinet ad obiectum formale fidei.

Integrum obiectum formale fidei ex quibus constet. Ex quibus omnibus patet, integrum obiectum formale fidei esse primam veritatem nobis aliquid actione creata reuelantem, qua talem, siue includẽdo etiam ipsam reuelationem.

41 Ad primum argumentum propositum n. 32. Respondeo maiorem solùm esse veram quando assentimur alicui rei propter suam euidentiam, aut propter euidentem, quam cum rebus apertè veris ex se habet, connexionem; secùs autem esse in omni actu fidei, cui essentiale est vt feratur in obiectum materiale ob alterius auctoritatem: quæ communiter rei creditæ extrinseca est.

42 Ad secundum, nego minorem: nam Deum esse veracem non solùm scimus, sed etiam propter Dei testimonium fide diuina credimus. Ad probationem, Respondeo hoc solùm esse verum quando quis firmiter credit alicui ignoto dicenti se esse veracem, qui id nullis aliis argumentis probat, siue quando nulla alia adest iusta ratio, quæ eum moueat ad id credendum. *Prudenter quandoque alicui credimus dicenti se esse veracem.* Secùs autem esset, si vir aliquis, cuius prudentia, grauitas ac probitas mihi essent optimè perspectæ, ita vt prudenter possem iudicare ipsum nolle me fallere, siue me posse ei certò fidere, mihi diceret se esse ita amantem veritatis, ac naturaliter abhorrentem à mendacio, vt nulla in re vllam ob causam vmquam mentiatur, aut mentiri vellet; tunc enim, præsertim si ipse esset meus Superior, cui omnem reuerentiam debeo, propter illud ipsius dictum deberem firmiùs credere ipsum ita esse veracem, quàm ex vllis fortè aliis circumstantiis id possem colligere, siue firmiùs quàm secluso eo testimonio id crederem, idque propter honorem & reuerentiam, quam ei ob probitatem & superioritatem debeo: ita vt dubitando an aliqua in re fortè mentiretur, maiorem ei facerem iniuriam post illud de se testimonium, quàm ante.

Cùm itaque naturæ lumine nobis certò constet Deum esse summè sapientem & bonum, ita vt ipsius naturæ repugnet aut falli, aut fallere, meritò ei de se testanti se ita esse veracem vt omnino implicet ipsum mentiri, credimus, & quidem assensu firmiore quouis alio, quem ob rationes naturales possumus elicere: quia fides est quauis scientia naturali certior; summaque, quam Deo debemus, reuerentia exigit, vt ei quiduis de se aliaúe re testanti tanta firmitate credamus.

Ad tertium, nego minorem. Ad probationẽ, 43
Respõdeo ridiculũ quidem esse credere, aliquẽ hominem esse præcisè quia ipse hoc dicit, ita vt noster assensus sit verè assensus fidei nitens ipsius testimonio; secùs tamen esse in Deo eiusque testimonio. *Cur potiùs possim vere fide credere Deo dicenti se esse, quàm homini.* Ratio diuersitatis est, quia testimonium hominis non solùm non facit obiectũ suum euidens, sed est etiam fallibile, atque ita est medium cognoscendi longè incertius ac omni modo imperfectius, quàm sit euidens ratio naturalis: ridiculum autem est, imò, vt ostendam disp. 11. dub. 1. omnino naturaliter impossibile me moueri medio obscuro & incerto vt assentiar alicui rei mihi euidenter & certissimè aliunde cognitæ.

Secùs autem est in fide diuina, quæ certitu- 44
dine omnem naturalem scientiam superat, sicut testimonium diuinum certitudine infinitè superat omne medium cognoscendi merè naturale: quare habita quacumque cognitione hausta ex ratione humana circa Dei existentiam aliudúe obiectum, meritò adhuc mouemur diuino testimonio vt id credamus firmiùs, quàm sit assensus ille ex ratione naturali ortus. Quare etsi & aliunde & ex hoc ipso, quo Deus nobis loquitur, signo euidenter cognoscamus ipsum verè existere, tamen meritò voluntas adhuc intellectui imperat vt hoc ipsum propter Dei testimonium firmiùs credat.

Ad confirmationem, distinguo maiorem: si 45
enim ignotius dicitur id omne quod est minùs euidens, sic eam nego. Nam vt assentiar alicui propositioni propter aliam non est opus vt hæc mihi sit euidentior, sed sufficit quòd sit certiùs cognita: antecedens enim mouet me vt assentiar consequenti, præcisè quia ipsum in se mihi certò cognitum est, siue hęc cognitio sit euidẽs, siue obscura. Quod vel inde patet, quia conclusiones theologicas etsi sæpè lumine naturali aliquo modo cognitas, tamen adhuc probamus ex propositionibus fidei obscurè nobis cognitis, & ita firmiùs iis assentimur, quàm propter alias rationes euidentes. Simili igitur ratione obscura Dei reuelatio potest mihi esse ratio cur firmiùs assentiar alicui rei aliàs naturaliter mihi euidenter cognitæ. Si verò id vocetur ignotius, quod cognitione absolutè imperfectiore est cognitum; sic concessa maiore, nego minorem. nam etsi fides qua credo Deum testari se esse, sit obscurior cognitione qua

natu-

naturaliter scio eum esse; est tamen absolutè certior, atque ita saltem aliqua ex parte perfectior.

46 Ad quartum, nego consequentiam. Quia Deum reuelasse articulos fidei credimus propter eandem ipsam reuelationem qua eos reuelauit: sicut enim lumen non solùm est ratio cur videam colores, sed etiam cur ipsum videam, ita reuelatio diuina est formalis ratio simul credendi tam ipsam reuelationem quàm res per eam reuelatas; vt ostendam dubio sequenti.

DVBIVM V.

Quod sit obiectum formale, siue immediata ratio formalis ob quam credimus articulos fidei esse à Deo reuelatos?

47 SOlet hæc difficultas ab alijs hoc modo proponi: *Quid sit in quo fides nostra vltimò resoluitur, quodq; per se creditur vel scitur?* v. c. petitur cur credam Deum esse trinum & vnum: benè respondeo, Quia Deus hoc reuelauit. Quid si vlteriùs petatur cur credam Deum hoc reuelasse, non videor posse dicere me hoc credere propter Dei reuelationem. nam vel id crederem propter aliam reuelationem, & sic esset progressus in infinitum: vel propter eandem ipsam reuelationem, qua Deus reuelauit se esse trinum & vnum. quod etiam nō videtur posse dici, quia nihil potest esse ratio cognoscendi sui ipsius, nisi sit in se euidens; Deum autem hoc reuelasse non est per se euidens.

48 Secundò, hæc res patitur difficultatem; quia ad credendum Deum hoc reuelasse non videor posse moueri ob auctoritatem primæ veritatis, sicut ea moueor vt credam alia reuelata; nam illud non videtur habere necessariam cōnexionem cum Dei veracitate, sicut hæc habent. Etsi enim negarem Deum reuelasse se esse vnum & trinum, non facerem eum mendacem, sicut facerem si concederem eum id reuelasse, & tamē negarem esse verum. Sicut etiam accidit in humanis; nam facio quidem Petrum mendacem si negem esse verum id quod fateor eum testatū esse; non facio tamen eum mendacem si negem ipsum hoc testatum esse, nisi constet eum testari se hoc esse testatum: etsi autem Deus reuelauit se esse trinum & vnum, tamen non reuelauit se hoc reuelasse. Quare manet difficultas, qua ratione credam Deum hoc reuelasse.

49 Scotus in 3.d.23.§. *Contrà si fides*, & §. *Aliter potest poni.* ponit duos modos dicendi. Primus docet, nos hoc credere fide acquisita; ita nimirum vt ij quibus Deus hoc immediatè reuelauit, hoc crediderint, quia apertè percipiebant Deum hoc sibi reuelare; nos verò id credamus, quia ipsi dixerunt & scripserunt hoc sibi à Deo reuelatum esse. ita vt horum testimoniū sit formalis ratio, cur credamus Deum illa reuelasse. *Scotus.*

Secundus modus docet, habentem solùm fidem acquisitam tamquam ratione formali niti reuelatione Dei, & ea moueri vt credat v. c. Deum esse trinum & vnum; contrà verò niti ac moueri auctoritate & testimonio Euangelistæ vt credat Deum id reuelasse. Secùs tamen esse in habente fidem infusam, quæ supplet defectum obiecti formalis, & propositis solùm iis terminis, *Deus est trinus & vnus*, sine respectu ad reuelationem immediatè inclinat intellectum vt illud credat. Sicut vt primò incipiamus assentiri conclusioni alicuius scientiæ, necessarium est vt actu consideremus euidentiam præmissarum ex quibus deducitur, & ipsius cōsequentiæ. postea verò acquisito habitu statim vt conclusio illa nobis proponitur, sine reflexione ad vllas præmissas ei tamquam in se nobis euidenti assentimur, habitu supplente defectum illius obiecti formalis, propter quod ei primò sumus assensi.

Et hoc secundum quidem quasi problematicè Scotus ibi disputat: vtrum tamen probādum sit non definit; imò paragrapho sequenti ponit aliquot argumenta, quæ id clarè refutent. 50

Primum est, quia inde sequeretur, omnes habentes habitum fidei statim ac iis proponitur aliqua propositio, quæ est de fide, ei mox assensuros, etsi numquam audierint, aut saltem omnino obliti sint eam à Deo esse reuelatam. Secundò, quia inde sequeretur, assensum fidei non prærequirere imperium voluntatis, & cōsequenter non esse liberum. Sicut si proponatur alicui aliqua propositio, cuius habet habitualem scientiam, statim & necessariò ei assentitur, etsi non recordetur medij per quod eam scientiam primò acquisiuit: vtrumque autem consequens est apertè falsum: nam etsi habeamus habitum fidei, numquam tamen aliquid fide diuina credimus nisi priùs etiam credamus id à Deo esse reuelatum, & nisi præcedat imperium voluntatis, quo ille assensus liberè imperetur. nam, vt testatur D. Augustin. tract. 26. in Iohan. *Augustin.* nemo credit nisi volens. Tertiò, refutatur ea opinio, quia secundùm eam assensus, quo res fidei credimus, non esset verè assensus fidei: nam, vt ostendi suprà n. 36. & 38. assensus fidei siue diuinæ siue humanæ necessariò tamquam obiectum formale respicit aliquod testimonium, sicut scientia propriè dicta respicit demonstrationem; & hac ratione essentialiter ab omni alia cognitione differt. Secundùm illum autem modum dicendi assensus fidei infusæ non niteretur vllo testimonio tamquam obiecto formali, & consequenter non esset vera fides.

Secundò, Michael Medina lib. 5. de Recta in Deum fide c. 11. distinguit inter fidem Apostolorum aliorumque qui immediatè à Deo per reuelationem aliquam modo fidem didicerunt: & inter nostram fidem. Nam illorum fidem vult vltimò niti testimonio diuino; & eandem ait esse rationem eorum qui tempore Apostolorum vixerunt, & ab ijs fidem didicerunt, & viderunt miracula quibus Deus testabatur fidem, quam annunciabant, esse veram. Nostram verò fidem ait vltimò niti auctoritate Ecclesiæ, quatenus hæc à Spiritu sancto dirigitur; atque ita est infallibilis veritatis, & habet suo modo auctoritatem diuinam. cui consentit Bañez 2. 2. quæst. 1. art. 1. dub. 4. Itaque secundùm eos si petas ab aliquo, quare credat Christum esse Deum; respondebit, Quia Deus hoc reuelauit. Si vlteriùs petas, quare credat Deū hoc reuelasse; di- 51 *Medina.* *Bañez.*

se; dicet, Quia Ecclesia à Spiritu sancto directa hoc me docet. Probat Medina suã sententiam, quia vnaquæq; res debet in ea principia resolui, ex quibus nascitur: atqui fides Apostolorũ & Prophetarũ primò nata est ex reuelatione Dei, nostra verò nata est ex doctrina Ecclesiæ: ergo vtraque debet in dicta principia vltimò resolui.

52 Bañez. Additque Bañez suprà concl. 4. petenti vlteriùs cur credam, Ecclesiam à Spiritu sancto sic dirigi vt errare nequeat, huius rei non posse vlteriùs ex parte obiecti vllam rationem reddi à nobis; quia hoc est primò creditum respectu nostri: sed necesse esse causam huius assensus reducere ad testimonium Spiritus sancti inclinantis nos per lumen fidei ad hoc credendum. Atque ita petenti, cur hoc credam, debeo respondere, Quia lumen fidei me ad hoc inclinat: vnde infert, fidem nostram vltimò reduciin ipsum Deum tamquam in primum suum auctorem; quatenus hic est auctor ipsius habitus fidei, & per eum nobis credenda reuelat. Probat autem sententiam suam Primò, quia Act. 16. dicitur Deus aperuisse cor Lydiæ, vt intenderet iis quæ à Paulo dicebantur. Secũdò, quia S. Iohannes epist. 1. c. 4. ait: *Qui nouit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos.* Vbi à posteriori colligit eum qui Ecclesiæ credit, habere fidem à Deo infusam.

Act. 16.

1. Iohan. 4.

53 Sed in hac sententia multa mihi displicent: & Primò, illud vltimum dictum Bañez; nam incidit planè in sententiam suprà ex Scoto relatã, scilicet habitum fidei saltem in aliquibus supplere obiectum formale fidei; & iisdem argumentis refutatur, quibus illud refutaui.

Scripturæ autem quibus Bañez suam sententiam probat, nihil faciunt ad rem. nam ex priore solùm colligitur Deum nos sua gratia præuenire intellectum nostrum illuminãdo vt meliùs apprehendamus ea, quæ nobis à fidei prædicatoribus dicuntur, & mouendo voluntatem vt ea velimus credere, quod fit per gratiam actualem, non autem per habitualem: idque non solùm in fide illius articuli; sed in fide cuiusuis alterius articuli, cùm eum primò incipimus credere. In secundo autem Apostolus solùm docet, suam doctrinam esse verè ex Deo, & eos qui ex Deo sunt, siue qui Deo credunt eiusque spiritu aguntur, suam etiam doctrinam credere, eosque qui sibi non credũt, esse hæreticos, & à diabolo, qui est spiritus erroris, decipi. His adde, quòd secundùm sententiã Bañez deberemus ex interna Dei reuelatione cognoscere quæ sit vera Ecclesia, quæ nõ. Item quinam veram doctrinã nobis adferant, qui non. quod est apertè constituere priuatum spiritum & reuelationem iudicem cõtrouersiarum fidei, siue veræ doctrinæ. quem errorem in nostris hæreticis damnamus.

Quid sit Deũ nobis aperire cor ad credendum.

54 Secũdò, sententia Medinæ improbatur, quia aut non satis in vltima sua principia nostram fidem resoluit, aut tandem vltimum eius principium constituit cognitionem aliquam naturalem ex notis fidei & per sensus haustam, aut supernaturalem ex aliqua diuina illustratione acceptam. Docet enim Apostolos credidisse Christum esse verum Deum, quia Deus hoc iis reuelauit; nos verò hoc credere, quia Ecclesia docet Deum hoc reuelasse. Petam igitur vlteriùs, cur ipse credat Ecclesiam hoc docere, & nihil aliud poterit respondere, quàm, Quia ego audio eam hoc docentem.

Item petam vnde sciat hanc Ecclesiam potiùs esse veram Ecclesiam, quàm Ecclesiam Græcorum aut Lutheranorum: sanè nihil aliud poterit respõdere, nisi, Quia in Romana Ecclesia video elucere omnes notas, quibus tamquam ciuitas supra montem posita, vera Ecclesia à falsis discernitur; illas autem notas externo aliquo sensu percipimus. hæc aut his similia respondere debebit, nisi fortè recurrat ad internam spiritus illuminationem, & hanc vltimum iudicem controuersiarum constituat.

Item petam cur illi qui audiebant Christum docentem, & dicentem se esse Christum & verum Deum, credebant ipsius de se testimonium esse veram diuinam reuelationem & testimonium Dei? Dicet, Quia Deus multis miraculis & portentis testabatur eius doctrinam esse veram (hanc enim rationem reddit Medina suprà §. *Ergo in fidei.* cur audientes docentes Apostolos debebant credere eorum doctrinam esse à Deo.) Sed cõtrà vlteriùs petam, Vnde illi sciebant hæc miracula fieri? non poterit aliud verè respondere, nisi, Quia id videbant. & sic secundùm illius principia fides resoluetur in cognitionem sensu haustam. Item vlteriùs petam, Vnde sciebant ea esse vera miracula, & non illusiones oculorum, aut ea à Deo & non à dæmone fieri, sicut Iudæi calumniabantur? Sanè si in horum prima cognitione certitudinem fidei requiras, nescio quò possis confugere nisi ad priuatam reuelationem. Argumentum enim Medinæ suprà allatum num. 51. aut nihil probat, aut probat fidem nostram in hæc omnia, tamquam in obiecta formalia esse resoluendam.

55

56 Assensum fidei præcedit duplex iudicium.

Pro resolutione Nota Primò, ante omnem assensum fidei diuinæ in credente necessariò præcedere duplex iudicium. Primum est, quo ipse iudicet Deum esse summè veracem, ita vt nequeat vlla ratione mentiri. quod lumine naturæ notum est: estque hoc iudicium etiam necessarium vt credam fide diuina Deum esse primam veritatem; quia nisi priùs lumine naturæ scirem Deum esse infinitè veracem, id de se testanti tanta firmitate non crederem. Secundũ, quo iudicet res sibi propositas esse verè firmissima fide credibiles, siue tales, quas meritò quis credat à Deo esse reuelatas, & propter ipsius auctoritatem firmissimè credendas. Quod iudicium, etsi sæpè supponat aliquam fidem humanam, qua credimus variis historiis progressum nostræ fidei narrantibus, aut communi hominum sensui, aut prudentium ac sanctorum virorum testimonio de initio & progressu fidei nobis multa narrantium, aut dicentium hæc aut illa in Scripturis aut antiquis historiis haberi, à tota Ecclesia ab initio fuisse credita, &c. Etsi, inquam, illud iudicium ferè eiusmodi fidem supponat, non est tamen actus fidei, sed euidẽs & moraliter aliquo modo certa cognitio, concepta ex euidentia notarum fidei,

fidei, quæ morali euidentia certò nobis demõstrant res fidei esse tales, quas meritò & prudenter credamus à Deo esse reuelatas: vt ostendam disp.13.dub.1. Quales autem hæ notæ esse debeant, vt propter eas res nobis credẽdas propositas, tales iudicemus, infrà explicabo. Quod idem etiam accidit in fide humana; nam vt Petro aliquid affirmanti credam, necesse est primò vt vel quia audio illum hoc affirmantem, vel ob aliam causam iudicem eum hoc dicere, secundò vt iudicem eum esse virum bonæ fidei & cui hac in re meritò credam.

57 Nota Secundò, quando Petrus v.c. mihi dicit, *Iohannes est mortuus*, ipsum non solùm mihi significare Iohannem esse mortuum, sed etiam se iudicare hoc ita esse: seque velle hoc mihi indicare, atque adeò se id de facto facere: hinc facerem eum mendacem, nõ solùm si negarem Iohannem esse mortuum; sed etiam si dicerem eum hoc non scire, aut contrarium in animo iudicare, aut non intendere mihi hoc indicare, sed solùm id fingere.

Aliquid dicens simul dicit se id dicere.

58 Ex quibus patet Primò, eum qui mihi aliquid testatur, eadem oratione simul implicitè aliquo modo testari, se hoc mihi verè testari.

Aliquid testans simul testatur se id testari.

Patet Secundò, quoties aliquid ob alterius testimonium credo, quatuor concurrere iudicia saltem virtute distincta. Primum, quo iudico eum esse veracem, idque vel quia familiariter mihi notus est, vel aliam ob causam: Secundũ, quo, quia eum audio loquentem aut aliam ob causam, iudico eum hoc testari: Tertiũ, quo testanti credo eum hoc verè testari, siue eum id seriò & non fictè dicere: Quartum, quo ob eius testimonium credo rem esse veram.

Credens alicui quatuor format iudicia.

Nota tamen, hæc omnia iudicia non semper realiter inter se distingui: communiter enim eodem actu, quo iudicamus aliquem nobis aliquid dicere siue testari, etiam iudicamus eum hoc seriò testari; nisi fortè aliqua ratio contrarium suadeat: possum tamen vtrumque diuerso actu iudicare, & vnum priùs quàm alterum: & quando vtrumque id vno actu credo, hic est quasi virtute duplex. Item, vt ostendam infrà n. 100. possum vno eodemque actu credere reuelationem & rem reuelatam, qui tamen etiam virtute sit duplex.

59 Nota Tertiò, Deum variis modis nobis aliquid reuelare siue testari. Primò, immediatè per se, idq; vel formando articulatam vocem, quæ res aliquas nobis indicet, sicut angeli communiter faciunt dum alicui loquuntur, vel quocũque alio signo suos conceptus nobis indicando. Secundò, ministerio alicuius angeli per quẽ alicui aliqua mysteria reuelat, quia hic tũc sustinet immediatè personam Dei, & loquitur ac si ipse esset Deus. qua ratione Moysi olim legem veterem reuelauit. Tertiò, mediãte aliquo homine qui verbo aut scriptura immediatè nomine Dei nobis aliquid denunciat. qua ratione olim per Prophetas, Euangelistas aliosque auctores S. Scripturæ nobis mysteria fidei reuelauit, quorum verba censentur verba ipsius Dei.

Deus variis modis nobis aliqua reuelat.

60 Nota Quartò, etsi definitiones Ecclesiæ propter assistentiam S. Spiritus sint omnino infallibilis veritatis, ita vt implicet eam aliquid falsi circa fidem definire; & consequenter ita ab ea definita teneamur tam firmiter credere, atque ea quæ apertè in Scriptura habentur: tamen Deus per eam post tempora Apostolorum nihil nobis propriè reuelat; sed tantùm in iam olim reuelatis explicandis & nobis infallibiliter proponendis ei certissimè assistit. vt cum communi sententia docet Valentia 2.2. d.1.q.1.puncto 6. & insinuat D. Thomas 2.2.q. 1.a.7. Quare etsi Deus largo modo loquendi possit dici per Ecclesiam nobis loqui (sicut etiam nobis loquitur per alios Superiores, aut cõcionatores) tamen propriè per eam nobis non loquitur, sicut nobis loquitur per hagiographos; nec definitio Ecclesiæ est propriè verbum Dei, aliàs esset sacra Scriptura: quod omnes communiter negant.

Ecclesiæ definitio est infallibilis veritatis: non est tamen reuelatio diuina, aut Scriptura sacra, aut verbum Dei. *Valentia.* *D. Thomas.*

61 Quomodo autẽ Ecclesiæ definitio se habeat respectu S. Scripturæ; & quomodo rursus ab ea differat, quoniam quidam in eo explicando laborant, claro aliquo exemplo hîc duxi explicãdum. Ponamus igitur Superiorem alicuius Religionis versatissimum in instituto & consuetudinibus suæ Religionis habere duos subditos in iis etiam benè versatos, qui de iisdem aliquem commentariolum scribunt, ita tamen vt vnus id faciat iussu & nomine sui Superioris, siue vt ille huius nomine postea edatur in lucem: qui etiam multa, quæ eum nouit ignorare, suggerat aut etiam dictet, in aliis eum illuminet clariùs ea ipsi explicando; & in omnibus ei assistat, ita vt in nullo puncto permittat eum errare. Alter verò suum commentarium nomine quidem suo scribat, Superiore tamen semper ei assistente, & ne in vllo erret prouidente, ac quædam etiam obscuriora explicante. Commentarij hi in hoc conuenient, quòd vterque ob auctoritatem illius Superioris credatur æqualiter vacare omni errore; & quòd, si quis fortè error in iis reperiretur, ipsi Superiori imputaretur ac vitio verteretur. In hoc tamen different quòd secundi commentarius subdito propriè tamquam auctori tribuatur, non autem Superiori (quamuis huic tribuendum sit quòd omni errore careat, & tamquam talis habeatur;) prior verò ipsi Superiori tribuetur tamquam auctori, & subdito tamquam instrumento. Et sic se habet S. Scriptura quæ est verè & propriè verbum Dei, eique vt auctori tribuitur, quia eius nomine scripta est; scriptori autem tribuitur vt instrumento Dei. Definitiones verò Ecclesiæ habent se instar secundi commentarij: quia Ecclesia eas suo nomine scribit, Deo tamen ei assistente ne erret, & in obscurioribus eam interiùs illuminante. His positis sit

Quomodo Ecclesiæ definitio differat à S. Scriptura.

62 CONCLVSIO I. Habitus fidei nullo modo potest supplere defectum obiecti formalis, inclinando intellectum, vt sine vllo respectu ad reuelationem siue testimonium diuinum, immediatè credat aliquam propositionem fidei. Patet ex dictis n. 50. Et cõfirmatur Primò, quia, vt ostendi suprà disput. 6. dub. 6. habitus supernaturales non inclinant potentias sensibiliter in sua obiecta, nec facilitant eorum operationem, sed solùm dant iis potestatem producendi

ducendi actum in substantia supernaturalem: sensibilis autem illa inclinatio & facilitatio operationis prouenit aut à gratia præueniente, aut ab habitibus acquisitis.

Confirmatur Secundò, quia, etsi habitus infusus fidei sensibiliter inclinaret potentiam in suos actus, tamen non inclinaret nisi ad eliciendos actus veræ fidei theologicæ, qui, vt ostendi suprà, necessariò & essentialiter respiciunt testimonium Dei vt obiectum formale.

63 Cur lumen beatificum potiùs quàm habitus fidei faciat intellectum suo obiecto immediatè assentiri.

Dices, Lumen beatificum efficit vt intellectus rebus fidei immediatè sine vllo alio medio assentiatur: ergo idem hîc faciet lumen fidei, licèt modo imperfectiore. Respondeo. nego consequentiam, quia lumen beatificum facit sua obiecta intellectui clarè apparere sicut in se sunt: & consequenter facit vt intellectus iisdem propter eorum euidentiam immediatè assentiatur.

Secùs est de habitu fidei, qui relinquit res in se obscuras, & solùm tendit in obiectum propter alienum testimonium: sicut etiam habitus fidei humanæ; qui quantumuis augeatur, numquam facit res in se clarè apparere, aut vt intellectus iis aliter assentiatur quàm propter alterius testimonium.

64 Habitus scientiæ solùm inclinat intellectum vt assentiatur conclusioni propter præmissas.

Ad primum argumentum, positum num. 49. de habitu scientiæ, Respondeo id pro nobis facere: nam nec hic vmquam inclinat intellectũ vt assentiatur conclusioni immediatè propter se, sine ordine ad præmissas; quia cùm habitus acquisitus sit quasi quoddam vestigium actuum ex quibus genitus est, nihil est aliud quàm habitualis quædam inclinatio in obiecta illorum actuum formalia; & consequenter numquam potest in alia obiecta formalia inclinare, aut concurrere ad productionem alicuius actus, qui non habeat idem obiectum formale. & aliàs habitus scientiæ produceret actum qui non esset scientia: quod fieri nequit. habitu tamen perfectè acquisito intellectus sine vlla reflexione in obiecta materialia nobis proposita fertur tanta facilitate, vt non aduertat se eis assentiri propter obiectum formale, siue propter præmissas propter quas initio eis assensus est. Imò sæpè non est opus vt expressè de his cogitet, sed sufficit quòd implicitè & virtute illis moueatur ratione specierum ex præcedentibus actibus relictarum.

Obiectum secundùm se priùs obscurum frequenti consideratione quandoque fit clarum.

Adde, quandoque accessu scientiæ illustrari ingenium, ac frequenti cogitatione fieri vt propositio antè nobis in se obscura, postea ex ipsis terminis appareat clara, atque ita ei immediatè propter suam euidentiam assentimur. sed cùm tunc habeat obiectum formale omnino distinctum ab obiecto formali scientiæ, non est propriè actus scientificus, sed intellectus principii. Secùs omnino est in actu fidei, cuius obiectum hîc nobis semper secundùm se manet obscurum. Aut si aliquando aliqua eius obiecta lumine naturali fiant cognita, hic omnino per accidens & impertinens est ad actum aut habitum fidei; nec huic, sed naturali scientiæ tribuendum est.

65 Conclvsio II. Si Ecclesiam sumas, prout distinguitur à Prophetis, Euangelistis, aliisque sacræ Scripturæ auctoribus, quantumuis eam consideres vt infallibiliter directam à Spiritu sancto; eius tamen testimonium numquam potest esse obiectum formale fidei theologicæ. Hæc conclusio videtur apertè D. Thomæ 2.2.q. 1.a.1. & ferè communis Theologorum asserentium solam primam veritatem reuelantem esse obiectum formale fidei. Probatur clarè hoc argumento, fides theologica in eo distinguitur ab humana, quòd hæc nitatur testimonio humano, illa verò solo diuino: atqui, vt ostendi num. 60. & 61. quantumuis Ecclesia in suis definitionibus dirigatur infallibili Spiritus sancti assistentia, atque ita eius testimonium nitatur suo modo auctoritate diuina, & ab ea firmitatem accipiat; tamen non est verè & propriè testimonium siue verbum & reuelatio Dei, sed propriè est testimonium humanum (sicut quantumuis ipsa acceperit à Deo potestatem ferendi leges, & ab eodem in iis ferendis dirigatur, eius tamen leges propriè non sunt diuinæ, sed humanæ:) ergo illud nequit esse obiectum formale fidei theologicæ; & consequenter hæc nequit in illud tamquam in suum obiectum formale vltimò resolui.

Testimoniũ Ecclesiæ nõ quam est obiectum formale fidei.

D. Thomas.

Distinctio fidei theologicæ & humanæ.

66 Conclvsio III. Testimonium Ecclesiæ, quo aliquid tamquam de fide definit, propter promissionem Christi ei factam Matth. 16. vers. 18. & Iohannis 14. vers. 16. & ob infallibilem assistentiam Spiritus sancti, est regula omnino infallibilis, siue quam omnino implicet falli, rerum credendarum, siue qua discernantur à Deo reuelata ac nobis credenda proposita ab aliis: quaq; ideo certissimè & securissimè nitatur illud iudicium quod fidem necessariò præcedit, quoque iudicamus à Deo esse reuelata, quæ nobis credenda proponuntur. Hęc à nullo Catholico, vt credo, negatur. nec etiam Bañez & Medina suprà citati, huic conclusioni vllo modo contradicunt: sed aliquid amplius testimonio Ecclesiæ tribuunt. quod suprà refutaui. quamuis etiam satis crediderim ipsos solis fortè verbis à nobis discrepare, ita vt quamuis aliter loquantur, tamen id solùm velint dicere, quod hac conclusione asserimus. Nam argumenta illorum nihil aliud probant.

Testimonium Ecclesiæ est regula infallibilis rerum credendarũ.

67 Ad argumentum igitur ex Medina propositum n. 51. Respondeo fidem resolui in testimonium Ecclesiæ ea ratione, qua ex eo gignitur, scilicet tamquam in regulam infallibiliter dirigentem illud iudicium, quod fidei assensum præcedit. Quâ ratione etiam tandem resoluitur in cognitionem per sensum haustam, quam illud iudicium necessariò supponit, qua scilicet audiendo vel legendo intelligimus Ecclesiam hoc vel illud credendum proponere, idque priùs quàm ob eius auctoritatem iudicemus illud fide diuina esse credendum.

Qua ratione fides theologica resoluatur in testimonium Ecclesiæ.

Qua ratione resoluatur in cognitionem sensu haustam.

68 Nota, Ecclesiam dupliciter posse considerari. Primò, prout est cõgregatio hominũ toto orbe dispersorum, constans pluribus viris summa doctrina ac vitę sanctimonia illustribus, inter quos plurimi miraculis claruerunt; quæque iam à Christi temporibus semper in eadem fide sine vlla vel minima mutatione, maximo inter tam varia ingenia, diuersasque nationes consensu; inter

Ecclesia dupliciter considerari potest.

inter tot Tyrannorum, Paganorum, hæreticorumque oppugnationes, constantissimè per tot sæcula hactenus perseuerat. Quod vel ipsum lumen naturæ, præsertim sumpta experientia ex aliis sectis, quæ statim in varias diuisiones abeunt, clarè ostendit naturaliter sine vllo superiore auxilio, aut vix aut etiam nullo modo fieri posse; nec vlla ratione posse contingere in aliqua falsa opinione. Nec enim fieri vllo modo potest, vt tot ac tam varij homines, præsertim eruditi, tam concorditer ac constanter circa res tam varias aberrent; vt in omnibus falsis opinionibus patet. Et hac ratione Ecclesiæ auctoritas est quidem inter res humanas maxima, quæque meritò cuiuis prudenti persuadeat, vt omnẽ eius doctrinam tamquam omnino indubitatam amplectatur; est tamen naturalis & humana.

Diuturnus multorum infalso consensus esse nequit.

69 Secundò, considerari potest, prout infallibiliter à Spiritu sancto dirigitur. Et quamuis, vt dixi suprà, eius etiam vt sic consideratæ testimonium nõ sit propriè diuinum, sed humanũ, participat tamen suo modo firmitatem & auctoritatem testimonij diuini, quatenus non possumus de eius veritate dubitare sine iniuria Spiritus sancti ei assistentis, & Christi hanc assistentiam & immunitatem ab omni errore ei promittentis.

Sine iniuria Spiritus sancti & Christi nequimus de Ecclesiæ testimonio dubitare.

Quia tamen de hac Spiritus sancti assistentia nobis sola fide ex Scripturæ testimonio constat, auctoritas Ecclesiæ hoc modo considerata solos fideles dirigit, aut eos qui saltem Scripturæ credunt. Priore verò modo considerata cùm naturalibus argumentis clarè probari possit; etiam omnino infidelium iudicium dirigere potest.

Auctoritate Ecclesiæ aliter circa res fidei dirigũtur fideles, aliter infideles.

70 Hinc patet Primò, D. Augustin. l. contra epistolam fundamenti c. 5. meritò dixisse, *Euangelio non crederem, nisi Ecclesiæ catholicæ me commoueret auctoritas.* Non quia putabat testimonium Ecclesiæ esse obiectum formale illius fidei theologicæ, qua inter cetera credo Scripturam esse verè verbum Dei: sed quia secluſa Ecclesiæ auctoritate illud iudicium quod necessariò actum fidei præcedit, nullum habuisset sufficiens fundamentum iudicandi tam firmiter credendum esse Euangelia diuina auctoritate conscripta esse; siue discernendi inter varios libros, qui à multis tamquam Scriptura sacrà fuerunt expositi, quinam sint legitimi, & qui spurii.

Augustin. Mouemur auctoritate Ecclesiæ vt credamus Euangelio.

Patet Secundò, cur disputantes cum hæreticis, exemplo antiquorum Patrum, quibus hoc solemnissimum fuit, semper prouocemus eos ad Ecclesiæ auctoritatem: hoc enim facimus, non vt ostendamus nostram fidem eius auctoritate vt obiecto formali niti (hoc enim omnino parergon esset) sed vt certissima hac nota tamquam lydio lapide probemus quæ fides sit amplectenda. Qua ratione hæreticos clarissimè conuincimus: nam & clarissimè potest ostendi, quam fidem Ecclesia Catholica approbet: & siue Scripturæ de ea testimonia spectes, Matthæi 16. vers. 16. vbi Christus testatur portas inferi numquam contra eam præualituras; & 1. ad Timoth. 3. vbi dicitur columna & firmamentum veritatis; siue consideres rationem naturalem suprà allatam num. 68. eius auctoritas tanta ac tam illustris est, vt meritò D. Augustin. epist. 119. ad Ianuarium, dicat esse insolentissimæ insaniæ, contra ea quæ vniuersa obseruat Ecclesia disputare.

Disputantes cum hæreticis meritò ad auctoritatẽ Ecclesiæ appellamus.

Matth. 16.

1. Tim. 3.

Augustin. Insanum est Ecclesiæ auctoritatẽ oppugnare.

71 Conclvsio IV. Id in quod nostra fides, tamquam obiectum formale vltimò resoluitur, siue obiectum formale propter quod credimus non solùm articulos fidei esse veros, sed etiam eos esse à Deo reuelatos, est testimonium primæ veritatis. Hæc est apertè sentẽtia D. Thomæ 2. 2. qu. 1. a. 1. Caietani ibid. §. *Ad cuius euidentiam.* & eorum qui absolutè fatentur obiectum formale fidei esse primam veritatem reuelantem. vt bene docet Valentia 2. 2. disp. 1. qu. 1. puncto 1. assert. 2. & Turrian. disp. 2. dub. 9. §. *Vltima sententia.* Sequitur hæc conclusio clarè ex dictis. nam fide theologica credimus non solùm articulos fidei esse veros, sed etiam eos esse à Deo reuelatos (esset enim verè hæreticus qui hoc negaret:) atqui, vt iam sæpè ostendi, fides theologica necessariò habet pro obiecto formali testimonium Dei, sicut fides humana testimonium hominis: ergo assensus ille quo credimus eos articulos esse à Deo reuelatos, habet pro obiecto formali Dei testimonium.

D. Thomas. Caietan. Valentia. Turrian.

Confirmatur, quia, vt ostendi num. 57. & 58. quando Deus nobis aliqua reuelat, simul etiam implicitè testatur se ea reuelare: ergo sicut propter ipsius testimonium credimus ea esse vera, ita etiam ob idem testimonium simul credimus ea à Deo esse reuelata.

72 Et hæc quidem clarè probant, nos dicta ita debere credere vt habeamus fidem theologicam. Sed magna restat difficultas, quomodo fieri possit vt intellectus assentiatur huic propositioni, *Deus hoc reuelauit*, propter se siue propter eam ipsam reuelationem, qua Deus hoc reuelauit. hoc enim videtur fieri non posse, nisi dicta propositio sit in se euidens; omnis enim assensus intellectus videtur necessariò niti aut euidentia rei propositæ, aut medio aliunde sibi noto. cùm igitur dicta propositio sit ipsi in se obscura, intellectus non potest ei assentiri, nisi propter medium extrinsecum.

73 Respondeo, illud assumptũ solùm esse verum quando intellectus ad assensum determinatur ab obiecto; tunc enim eius assensus necessariò tandem debet resolui in aliquod obiectum formale per se notum. Secùs autem esse, quando determinatur ab ipsa voluntate, quæ posito sufficiente fundamento potest intellectum determinare vt obiectum aliquod firmiter apprehẽdat, eique assentiatur ea firmitate & ratione, qua ei per se assentiri non posset. vt infrà clariùs ostendam: & hoc fit in præsenti casu. Posita enim sufficienti rei credendæ propositione iuxta dicta nu. 56. ita vt intellectus clarè videat hanc rem esse talem, quam meritò credat à Deo esse reuelatam; voluntas statim ex pio erga primam veritatem affectu mota ipsius reuerẽtia magno conatu impellit intellectum, vt vehementer apprehendat illius maiestatem ac auctoritatem, eamque hîc & nunc exigere vt propter eam firmissimè credat id quod sibi tamquam ab ea reuelatum tam euidenter proponitur. atque ita partim illa apprehensione, partim im-

Quando assensus intellectus necessariò resoluatur in medium per se notum, quãdo non.

Qua ratione voluntas determinet intellectum ad assensum fidei.

perio & impulsu voluntatis, sine vllo discursu mouetur diuina auctoritate & testimonio, vt propter hæc immediatè, & rem reuelatam, & ipsam reuelationem credat; idque firmiùs quàm vlli rei naturaliter cognitæ possit assentiri; ne, si quacumque ratione de alterutro dubitet, primæ veritati cuius nomine hæc ei credenda proponuntur, faciat iniuriam.

74 Facit Deo iniuriam qui negat eum articulos fidei reuelasse.

Dices, Etsi quis faceret Deo iniuriam negando rem, quam sciret ab eo reuelatam, esse veram, non tamen si negaret eam à Deo esse reuelatam: sed per hoc solùm faceret iniuriam homini, aut etiam Ecclesiæ id asserenti. Respondeo, facturum etiam Deo iniuriam cuius nomine hoc ei credendum tam euidenter proponitur. Quod exemplo humano clarè explicari potest. Si quis enim iussu siue nomine principis alicui eius subdito aliquid nunciet (v.c. alicui gubernatori vrbis hostes ad eam noctu venturos) cum iis circumstantiis vt alter non habeat iustam occasionem dubitandi quin princeps verè iusserit hoc sibi nunciari. Si hic non credat hoc esse verum aut à principe nunciatum, non solùm erit iniurius ipsi nuncio, sed etiam principi suo, cuius reuerentia exigit vt rem illam non tam ob auctoritatẽ nuncii quàm ob suam credat. hinc talis gubernator si benè erga suum principem sit affectus, habeatq; summam opinionem de ipsius prudentia, quòd scilicet nihil nunciabit quod non sit omnino certum; firmiùs longè credet hostes venturos quàm id ob solam auctoritatem nuncii crederet; & qui aliàs fortè huic nullo modo crederet ob contraria argumenta quæ habet, tamen ob reuerentiam sui principis contra iudicium, quod aliunde conceperat, id credet: & quo plutis facit suum principem, eo firmiùs hoc credet. Ex quo patet, eum ad credendum non solùm rem esse veram, sed etiam principem eam nunciare, moueri immediatè auctoritate principis; aliàs non crederet ea firmiùs quàm ei persuaderet auctoritas nunciantis.

75 Qua ratione auctoritas diuina nos moueat vt credamus Deũ aliquid reuelasse.

Simili ergo modo intellectus, posita sufficienti rerum fidei propositione, ex imperio & applicatione voluntatis, & vehementi apprehẽsione reuerentiæ primæ veritati debitæ, & iniuriæ quæ ei fieret si rei propositæ non crederet, fertur toto conatu in huius assensum, credendo non solùm eam esse veram, sed etiam à Deo esse reuelatam, idque propter Dei testimonium quo ipse testatus est non solùm res illas esse veras, sed etiam se id esse testatum, iuxta dicta suprà nu. 57. & 58. Et ex his patet responsio ad obiectionem allatam num. 48. Ex dictis enim apertè patet, qua ratione hoc ipso quo Deus aliquid reuelauit, & nobis credendum legitimè proposuit, veritas non solùm rei reuelatæ, sed etiam ipsius reuelationis habeat necessariam connexionem cum veracitate Dei.

76 Hæc quidem quantum in re obscura fieri potest, adferunt aliquam lucem. Contra dicta tamen restat adhuc satis difficilis obiectio. videntur enim multi esse Christiani simplices, qui nesciunt se debere credere res fidei præcisè propter Dei reuelantis auctoritatem siue testimonium: sed credunt simpliciter, quia Eccl sia eas proponit credendas. Imò etiam sæpè docti dum eliciunt actum fidei, non cogitant de diuina auctoritate, sed ad aliquid credendum subitò mouentur, quia id in aliquo Concilio definitum vident, aut ob similem causam. Durum autem videtur dicere, hos omnes actus non esse fidei theologicæ, sed assensus merè humanos.

77 Etiam simpliciores credere propter auctoritatem Dei.

Respondeo, eos simplices, si sufficienter circa ea quæ credunt sunt instructi, non solùm eas res qualicumque ratione credere, sed credere eas à Deo esse reuelatas, & sub ea ratione eas credere: & sicut initio priusquam eas fide diuina credant, mouentur auctoritate Ecclesiæ vt velint eas credere; ita etiã mouẽtur vt velint eas credere ea ratione, qua Ecclesia eas credendas proponit: hæc autem proponit eas credendas vt à Deo reuelatas; qui autem eas credit vt à Deo reuelatas, patet eum has credere ob diuinam reuelationem. Adde, Deum sua gratia præueniente eorum intellectum illustrare, & iuuare, vt, si collaborent, facilè possint credere prout oportet.

78 Cur non aduertamus nos credere ob Dei auctoritatem.

Nec refert quòd sæpè tam ipsi quàm etiam docti, dum actu credunt, non videantur sibi cogitare de reuelatione Dei; hoc enim fit propter assuetudinem & facilitatem in credendo, qua fit vt auctoritate Dei moueamur ad credẽdum sine reflexione: qua ratione multi sæpè consecrant, aliaque similia faciunt cum legitima intentione etiam actuali, qui quia ad eam non reflectunt, videntur sibi postea legitima intentione caruisse. Item postquam propter testimonium alterius hominis aut similem rationem alicui propositioni sæpius sumus assensi, postea acquisito habitu eidẽ assentimur non aduertendo nos illo testimonio ad hoc moueri; cùm tamen necessariò eo implicitè saltem moueamur, cùm nihil aliud sit quo ad illum assensum possimus moueri.

Sæpè multa facimus certa intẽtione hanc non aduertentes.

79

Quòd si agamus de quibusdam rudibus malè in fide instructis, fateor eos multa quandoque credere fide merè humana propter dictum sui Pastoris aut parentis, quos patet non elicere actus fidei theologicæ; nec propterea sententia vera est mutanda, sed illi melius sunt instruendi, vt sciant non solùm illa esse vera, sed etiam à Deo esse reuelata.

80 Recta probamus auctoritatem Ecclesiæ per Scripturam, & contra hãc peraliam.

Ex his demum patet, non esse vitiosas, nec petere principium has aut similes siue argumentationes siue responsiones: Credendum est Ecclesiæ in suis definitionibus, quia Deus in Scriptura testatur, se eius illis semper adstiturum ne vnquã errent. & rursum, Credendum est hanc esse veram Scripturam sanctam, & verbũ Dei; & hunc esse legitimũ eius sensum; quia Ecclesia hoc definit. In priore enim reddimus rationẽ obiectiuam, siue obiectũ formale assensus fidei theologicæ: in secũdo verò ostẽdimus quæ sit infallibilis regula qua nititur & dirigitur illud iudicium quod fidẽ præcedit, & credẽda à non credẽdis discernit. cuius regulæ auctoritas vlteriùs probatur ex ipsa Scriptura apud eos, qui eã eiusq; legitimum sensum admittunt; aut ex alijs fidei notis apud eos, qui illa non admittunt.

DV-

DVBIVM VI.

Vtrùm reuelatio priuata, an verò publica sit obiectum formale fidei?

81 PRima hîc opinio possit esse, fidem nostram tamquam obiecto formali niti priuata reuelatione, quam Deus vnicuique priuatim inspirat. Hanc videntur sequi multi huius temporis hæretici, qui iudicem controuersiarum constituunt priuatum spiritum vnicuique res fidei reuelantem. Eamq; saltem magna ex parte necessariò sequuntur qui fidem iustificantem, quam præcipuam esse volunt, aiunt consistere in assensu, quo quis certò credit remissa sibi esse peccata, seque iustum & filium Dei esse. quos recenset Bellarm. l.3. de Iustificatione c.3. hæc enim fides non videtur vlla ratione nisi priuata reuelatione posse niti. Bellarm.

82 Videtur autem posse probari ex D. Iohanne epistola 1. cap. 2. vbi cùm suasisset illis, quibus scribebat, ne crederent hæreticis, subdit: *Et vos vnctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis.* Vbi cùm priùs ostendisset quibus non sit credendum, scilicet hæreticis, deinde dictis verbis docet, cui credendum sit, scilicet internæ illi vnctioni siue priuatæ spiritus reuelationi, quam vult in ijs manere, vt secundùm eam discernant quæ sint credenda, quæ non. vnde vlteriùs subdit: *Et non necesse habetis vt aliquis doceat vos: sed sicut vnctio eius vos docet de omnibus, & verum est, & non est mendacium: & sicut docuit vos, manete in eo. & nunc filioli manete in eo.* Vbi videtur illis præscribere solam illam fidem, quam interna vnctio, siue priuata reuelatio eos docet: ergo sola priuata reuelatio est obiectum formale fidei. 1. Iohan. 2.

83 Secunda opinio huic errori planè contraria docet, priuatam reuelationem nullo modo posse pertinere ad obiectum formale fidei Catholicæ, siue eius fidei, qua reliqua mysteria fidei credimus, atque ita nos non posse eadem fide, qua hæc credimus, credere ea quæ Deus fortè nobis priuatim reuelaret. Ita Sotus l. 3. de Gratia cap. 2. in 3. argumẽto, & Canus l. 12. de Locis theologicis cap. 3. post 3. conclus. Probatur Primò, quia fides Catholica idem est quod vniuersalis, ergo solùm se extendit ad ea quæ generatim omnibus credenda sunt proposita. Probatur Secundò, auctoritate & ratione D. Thomæ 1. part. quæst. 1. art. 8. ad 2. vbi ait, nos non probare nostram fidem ex reuelationibus quæ priuatis factæ sunt, quia ipsa his non nititur; sed solùm reuelationibus factis Apostolis aliisque qui canonicos libros scripserunt. vnde 2. 2. q. 5. a. 3. in corpore ait: *Formale autem obiectum fidei est veritas prima, secundùm quod manifestatur in Scripturis & doctrina Ecclesiæ.* Tertiò, quia ratione nostræ fidei quam ab Apostolis & Prophetis accepimus, dicimur ad Ephes. 2. superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum: ergo fides nostra solùm potest niti reuelatione iis facta. Sotus, Canus. D. Thomas.

84 CONCLVSIO I. Ad obiectum formale fidei nostræ non requiritur priuata reuelatio, sed sufficit illa quæ per Spiritum sanctum in Prophetis, Apostolis, aliisque hagiographis loquẽtem generatim toti Ecclesiæ facta est. Est communis omnium Catholicorum, & certa de fide. Probatur, quia Matthæi & Marci vlt. præcipitur Apostolis, vt mysteria fidei prædicent omni creaturæ, ea auctoritate, vt qui crediderint saluentur, & qui non crediderint mortaliter peccent & damnentur. Vbi apertè significatur reuelationem ipsis factam, & per eos toti orbi annunciatam ac credendam propositam, sine vlla alia priuata reuelatione (cuius hîc nulla fit mentio) sufficere vt possimus prædicta ab Apostolis accepta credere ea fide, quæ ad salutem requiritur; atque adeò vt sub pœna damnationis ad hoc teneamur. quæ vera non essent, si vera fides requireret priuatam illam reuelationem.

Probatur Secundò, quia ad Ephes. 2. fideles dicuntur superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, non ob aliam causam quàm quia nostra fides nititur reuelatione iis facta, & per eos generatim toti Ecclesiæ. 85 Ad Ephes. 2. cur dicamur superædificati supra fundamentum Apostolorum.

Tertiò, probatur ex communi sensu totius ab initio Ecclesiæ, quæ semper suam fidem probauit, non ex priuatis aliquibus reuelationibus singulis factis, sed ex reuelatione facta Prophetis & Apostolis, & per Scripturam sacram ac traditionem nobis proposita ac communicata. Vnde D. Cyprianus epistola 74. ait: *Si in aliquo nutauerit & vacillauerit veritas, ad originem Dominicam, Euangelicam & Apostolicam traditionem reuertamur, & inde surgat actus nostri ratio, vnde & ordo & origo surrexit.* Quibus satis liquet, semper fuisse Ecclesiæ sensum, nostram fidem niti reuelatione facta Apostolis & Prophetis. S. Cyprian.

Quartò, quia aliàs non posset esse aliqua certa & communis omnibus fides, & consequenter nec catholica, quia nulli posset constare quid alteri esset reuelatum: atque ita quot essent homines, tot essent de rebus fidei opiniones, prout quisque somniaret sibi aliquid esse reuelatum; nec vlli errores ex Scripturis possent conuinci, atque ita fides non dirigeretur infallibili aliqua regula, sed vanis delirantium somniis.

Ad argumentum positum num. 82. Respondeo Apostolum ibi solùm agere cum iis, qui in fide à se aliisque Apostolis satis erant instructi: & vnctionem quam ibi vult in iis manere, vocat eam fidem, quam per Apostolorum prædicationem à Deo acceperant, siue quam Deus per Apostolorum prædicationem iis reuelauerat. Quod patet ex versu 24. eiusdem capitis, vbi ait: *Et vos quod audistis ab initio* (scilicet à me, cæterisque Apostolis vobis fidem annunciantibus) *in vobis permaneat.* vbi idem dicit de eo, quod ipsi ab Apostolis audierant, quod infrà dicit de vnctione, vt ostendat hæc idem esse. Et hæc ita intelligenda esse, vel ex ipsa ratione clarè patet; nam aliàs nec illi, quibus tunc scribebat Apostolus, nec alii fideles, aut etiam Ethnici ad fidem conuertendi indigerent aliquo doctore; imò ipsa Scriptura esset frustra: quia Deus omnia quæ credenda sunt, sufficienter vnicuique priuatim reuelaret, nec aliquis 86

quis teneretur alia credere, quàm quæ Deus ei priuatim reuelasset: quod apertè est absurdissimum, & communi omnium prudentum sensui ac praxi repugnat.

87 Eadem fide priuatim & publicè reuelata credimus. *Bellarm. Vega. Malderus. Turrian. Sanchez.*

CONCLVSIO II. Priuata reuelatio potest esse obiectum formale fidei theologicæ, atque adeò si quid alicui priuatim à Deo reueletur, eadem fide illud credet; qua iam credit alia mysteria fidei. ita Bellarm. lib. 3. de Iustificatione cap. 3. Vega l. 9. in Trident. c. 3. Malderus 2. 2. q. 1. a. 1. sect. 5. Turrianus disp. 5. dub. 1. & cum aliis Sanch. de præceptis l. 2. c. 7. n. 32.

Probant id aliqui; quia Apostoli quibus immediatè fuerunt reuelata fidei mysteria, ea fide diuina crediderunt; & similiter B. Virgo ob priuatam reuelationē credidit se parituram Christum; & Maria Magdalena credidit sibi peccata esse remissa. Sed hæc non pugnant contra sententiam allatam num. 83. nam illi Auctores non negant nos vera fide diuina posse credere ea, quæ Deus nobis priuatim reuelat (hoc enim Sotus loco ibi citato apertè asserit;) sed negant hanc fidem fore eiusdem speciei cum illa, qua credimus alia mysteria fidei, illiusúe assensum posse ab huius habitu elici.

Sotus.

Adde, eos Doctores omnem illam reuelationem vocare publicam, & distinguere à priuata quæ fit alicui personæ publicæ, ita vt per eam Deus velit ipsi reuelata toti Ecclesiæ credenda proponere, quales fuerunt reuelationes factæ Apostolis, ac Beatissimæ Virgini; quare etiam libenter concedunt eos his reuelationibus eadem fide credidisse, qua nos iisdem credimus. Adferuntur præterea alia quædam argumenta, quæ parum probant, ideoque ea omitto.

88 Probatur igitur conclusio hoc vno argumēto: quia vterque assensus fidei, tam quo quis credit communia mysteria fidei, quàm quo credit priuatim sibi reuelata (si quæ Deus ita ei reuelet) nititur immediatè eodem obiecto formali: ergo cum hîc nulla sit alia probabilis causa cur dicamus vnum actum specie ab alio distingui, dicendum est vtrumque esse eiusdem speciei, & ab eodem habitu proficisci. Consequentia est clara. Antecedens probatur, quia vterque assensus fertur in suum obiectum, immediatè & præcisè propter reuelationem siue ob testimonium primæ veritatis: quòd autem vna reuelatio sit publica, alia priuata, nec variat eam in ratione testimonii (quia vtraque æqualiter est testimonium primæ veritatis) nec in ratione obiecti, quia is cui vtraque reuelatio facta est, neutro assensu credit, quia testimonium est publicum aut priuatum, sed præcisè quia id, quo res credenda confirmatur siue asseritur, est testimonium Dei.

89 Ad primum argumentum positum num. 83. Respondeo fidem nostram dici Catholicam, propriè prout significat obiectum fidei, iuxta illud Athanasii, *Hæc est fides catholica.* dicitúrque Catholica siue vniuersalis, non ab aliqua ratione formali, qua noster assensus nititur, aut à conditione aliqua sibi essentiali aut etiam intrinseca: sed quia vniuersaliter omnibus fidelibus credenda proponitur, & ab omnibus orthodoxis quouis tempore iam à Christo nato, imò ab initio mundi fuit explicitè, vel implicitè credita; quæ denominatio ei extrinseca est. Et simili denominatione ratione obiecti, quod ab omnibus fidelibus creditur, ipse habitus fidei quandoque dicitur fides Catholica: aut etiā quia ipse habitus secundùm speciem est idem in omnibus fidelibus atque ita vniuersalis. quæ patet nullo modo mutare ipsius naturam.

Fidem esse catholicam, est denominatio ei extrinseca.

Ad secundum, Respondeo D. Thomam ibi 90
in priore loco non agere de obiecto formali ipsius fidei: sed solùm explicare qua ratione propositiones fidei Catholicæ contra hæreticos debeamus probare, nimirum non ex priuatis reuelationibus, quas ipsi non admittunt, sed ex communibus in Scriptura contentis; quæ meritò etiam apud eos magnum pondus habent. In secundo autem loco dicit veritatem primam esse obiectum formale fidei, secundùm quod manifestatur in Scripturis sacris & doctrina Ecclesiæ: non quòd velit formale obiectum fidei nostræ ad hanc conditionem tamquam ei essentialem restringere; sed partim vt ostendat obiectum formale fidei non esse solam primam veritatem secundùm se consideratam, sed includere externam aliquam reuelationem, quæ de facto per Scripturam fit; iuxta dicta dub 5. partim etiam vt ostendat Ecclesiæ auctoritatem, non quidem esse partiale obiectum formale nostræ fidei; sed (vt statim subiungit) esse infallibilem regulam nixam diuina promissione & Spiritus sancti assistentia proponentem nobis obiecta fidei: ideoque negantem vnum articulum in Scriptura contentum, aut ab Ecclesia credendum propositum, implicitè negare auctoritatem primæ veritatis & obiectum formale fidei: & consequenter etiam perdere absolutè fidem, vt suo loco ostendemus.

Ad tertium, Respondeo solùm probare priorem nostram conclusionem, scilicet fidem Catholicam de facto niti reuelatione facta Apostolis; sed, vt iam respondi, hoc planè materiale, & per accidens est ipsi obiecto formali, nec hoc essentialiter vllo modo variat.

Demum his potest obiici Quartò, cui priua- 91
tim fit aliqua reuelatio, clarè cognoscit hoc sibi à Deo reuelari, & consequenter ipsius assensus nititur reuelatione euidenter cognita tamquam obiecto formali: ergo est diuersæ speciei ab assensu, quo credit alia mysteria fidei, qui nititur reuelatione obscurè cognita. Respondeo Primò, si hoc argumentum esset efficax, probaret fidem Apostolorum ac B. Virginis fuisse diuersæ speciei à nostra. quod patet falsum esse. Respondeo Secundò, ad secundam partem antecedentis: talem assensum niti quidem vt obiecto formali, reuelatione quæ de facto est ei euidens, siue quam videt euidenter sibi à Deo fieri; non tamen ea ita niti qua euidens est, siue ita vt ipsa euidentia ingrediatur rationem obiecti formalis (quia sic assensus fidei non esset certior illa euidentia, & consequenter non esset vera fides diuina, quæ omnem naturalem euidentiam debet superare) sed hæc habet se solùm per modum proponentis ipsum obiectum; sicut definitio Ecclesiæ, aut lectio Scripturæ

pturæ sactæ. Sicut igitur quando aliquid in Euangelio lego, euidenter quidem scio hoc ibi contineri, & consequenter ex euidentia notarum fidei, ob consensum totius orbis morali euidentia certò scio (sicut v.c. scio Iulium Cæsarem fuisse) id à Christo nobis esse reuelatum. & tamen fides qua credo tam hoc esse verum, quàm id à Deo esse reuelatum, non nititur illa euidentia, sed immediatè reuelatione Dei credita iuxta dicta dubio 5. ita etiam fides eius cui aliquid priuatim reuelatur, nititur sola reuelatione; non autem eius euidentia.

DVBIVM VII.

Vtrùm assensus fidei nitatur discursu?

92 SEnsus est, vtrùm in assensu fidei, quo credo aliquid quod à Deo reuelatum est, explicitè vel saltem implicitè fiat eiusmodi discursus, quo fides nitatur; Quidquid Deus reuelauit est verum: atqui Deus hoc reuelauit: ergo est verum. Gabr. in 3. d.23.q.2.a.1.post versum *Quartò dixerunt*, & quidam recentiores id affirmant. Probatur, quia quoties assentimur vni rei propter aliam distincto actu creditam, ibi est verus discursus: atqui in illo assensu fidei credimus rem reuelatam esse veram, quia Deus eam reuelauit, idque distincto actu ab eo, quo credimus reuelationem: ergo hic est verus discursus. Maior patet, quia discurrere nihil est aliud, quàm vnam rem ex alia deducere, siue propter assensum vnius rei assentiri alteri, quam video ex ea sequi. Secundò, quia habitus fidei per se respicit reuelationem, & rem reuelatam consequenter ratione reuelationis: ergo operatur per discursum. Tertiò, quia fides humana nititur discursu: ergo etiam diuina.

Gabriel.

93 Nota cum Vasquez in 1.part.disp.222.c.2. & communi sententia, ad verum discursum requiri saltem duplicem assensum, scilicet antecedentis & consequentis, quorum ille sit causa huius: nam ad discursum requiritur vt ex cognitione rei notæ deducam cognitionem rei secundùm se ignotæ, aut saltem minùs notæ, quàm per illum discursum cognoscitur: hinc quia Deus res omnes in se perfectissimè cognoscit, etsi clarè videat vnam ex alia posse deduci, tamen nullo modo eas cognoscit per discursum.

Vasquez. *Quæ requirantur ad discursum.* *Quare Deus non discurrat.*

Dixi, *Rei secundùm se ignotæ*, quia non impedit veram rationem discursus, quòd consequens mihi iam antea innotuerit mediante eodem antecedente, quo iam in discursu vtor.

94 Secundò, requiritur vt cognoscatur necessitas siue bonitas consequentiæ, siue veritatem consequentis habere connexionem cum veritate antecedentis. Item vt hæc cognitio sit causa cognitionis siue assensus consequentis: in vero enim discursu ideo assentior consequenti, quia video illud sequi ex antecedente, quod scio esse verum: quare qua ratione assensus antecedentis est causa assensus consequentis, eadem ratione assensus consequentiæ eiusdem etiam est causa. Causam autem voco non quidem propriè efficientem, sed quasi obiectiuam formalem. assensus enim antecedentis & consequentiæ inclinant intellectum ad assensum consequentis; & consequenter hunc causant quatenus seipsis sistunt ipsam euidentiam veritatis antecedentis & consequentiæ intellectui præsentem: ita vt vtraque hæc euidentia iam cognita deinde constituat integrum obiectum formale mouens intellectum ad assensum conclusionis.

Qua ratione assensus antecedentis & consequētiæ causent assensum consequentis.

Ex quibus sequitur malè aliquos reprehendere Suarem, quòd in 3.p.tom.1.disp.28.sect.2. dicat in discursu assensum consequentiæ necessariò distingui ab assensu cōsequentis; nam cùm illa debeat esse huius causa, necessariò debet ab eo distingui. Et cùm ideo assentiar conclusioni quia video eam sequi ex antecedente, necessariò debeo priùs saltem naturâ videre eam consequentiam, & consequenter alio actu. Confirmatur, quia hi duo assensus habent obiecta formalia non solùm omnino distincta, sed etiam diuersæ rationis; nam assentimur consequentię propter intrinsecam ipsius euidentiam: consequenti verò propter euidentiam præmissarum, & claram illius cum his connexionem. vnde patet esse actus non solùm numero, sed etiam specie distinctos. 95

Suarez. *Assensus cōsequentiæ necessariò distinguitur ab assensu consequētis, tamquam causa ab effectu.*

Conclvsio. Fides theologica nullo modo nititur discursu: sed sine eo immediatè credit rem reuelatam propter reuelationem quidem, tamen sine vllo respectu ad euidentiam siue assensum consequentiæ. Ita Valentia 2.2. d.1.qu.1.puncto 2. & Turrian.disput.6. dub.1. Probatur, quia fides est certior quauis naturali scientia: atqui secundùm aliam sententiam, hoc esset falsum: ergo, &c. Maior communiter ab omnibus conceditur, & infrà eam ex professo probabo. Minor probatur. Quia nullus assensus potest esse certior sua ratione formali, qua nititur: atqui secundùm aliam sententiam assensus fidei tamquam ratione formali nititur cognitione naturali bonitatis consequentiæ illius syllogismi: ergo non poterit hac esse certior. Confirmatur. nam in omni alia argumentatione assensus conclusionis numquam potest esse certior assensu consequentiæ: quantumcumque enim antecedens sit certissimum; tamen, si consequentia sit dubia aut solùm probabilis, assensus conclusionis erit dubius aut solùm probabilis. 96

Valentia. *Turrian.*

Probatur Secundò, quia aliàs sequeretur, multos rudes, aut nullum aut non nisi incertum ac dubium assensum fidei posse elicere; quia ipsi non vident bonitatem ac certitudinē consequentiæ, aut saltem non nisi dubiè & incertò: necenim ipsi possunt vllo modo certò scire, qui syllogismi sint boni, qui non; sed ferè circa omnem omnino consequentiam, an bona sit, nec ne dubitant. absurdissimum autem est dicere, tales non credere certa & indubitata fide mysteria nostræ fidei, cùm multos eorum videamus in fide constantissimos. 97

Respondent aliqui, dictam consequentiam cognosci etiam lumine fidei quod in rebus fidei facit infallibiliter cognoscere necessariam omnino connexionem rei reuelatæ cum reuelatione diuina. 98

Sed

Sed contrà, vel lumen fidei facit nos eam cõnexionem euidenter & in se cognoscere; vel obscurè, & propter aliud, scilicet propter auctoritatem diuinam. Prius dici nequit, quia hoc nullo modo in nobis experimur, cùm tamen euidentiam cuiusuis assensus clarè possimus in nobis notare; tum etiam quia est contra naturam fidei, quæ obscura est, nec facit obiectum suum clarè cognosci. Secundum etiam dici nequit; tum quia hæc bonitas consequentiæ deberet propter auctoritatem Dei reuelantem credi, per alium discursum, & bonitas huius discursus per alium; & sic in infinitum. Tum etiam quia nulla ratione potest probari Deum reuelasse, atque ita esse de fide hũc syllogismum esse bonum: *Quidquid Deus reuelauit est verum: Deus hoc reuelauit: ergo est verum.* nullibi enim in tota Scriptura aut vlla Ecclesiæ definitione haberur Deum hoc reuelasse. Vel tandem dicendum erit, fide credi dictam consequentiam esse bonam, non tamen propter reuelationem aut auctoritatem diuinam, sed quia lumen fidei hoc docet siue demonstrat; atque ita reuelatio & auctoritas diuina non erit generatim obiectum formale omnis assensus fidei; quod absurdum est. & sic etiam incidimus in sententiam refutatam n. 57. & 62. His adde, eum qui in dicto syllogismo crederet, maiorem, minorem & consequens esse vera, & tamen ex ignoratione formæ syllogisticæ, aut aliam ob causam negaret illam consequentiam esse certam, non fore hæreticum: ergo non est de fide illam esse certam & infallibilem.

99 Probatur concluſ. Tertiò, eadem fide propter auctoritatem primæ veritatis, credo Deũ reuelasse se esse trinum & vnum, qua credo hoc esse verum: atqui non credo illud per eiusmodi discursum: ergo nec hoc. Consequentia patet; quia duo assensus quorum vnus nititur discursu, & alius non, cùm habeant diuersa obiecta formalia, necessariò sunt diuersæ speciei. Minor probatur, quia aliàs deberem priùs in antecedente assentiri huic: *Deus reuelauit se hoc reuelasse*: idque vel fide diuina, & sic iretur in infinitum (quia idipsum deberem credere ob aliam reuelationem, & per alium discursum) vel cognitione aliqua humana propter notas fidei, aut auctoritatem hominum id asserentium: & sic tandem tota nostra fides vltimò niteretur, non auctoritate diuina, sed eiusmodi cognitione. quod absurdissimum est. Ex quibus patet, assensum theologicum & assensum fidei habere obiecta formalia planè distincta: nam prior habet pro obiecto formali assensum vtriusque præmissæ (quarum vna sæpè est naturaliter cognita) & consequentiæ: ideo enim assentior conclusioni theologicæ, quia priùs assentior præmissis & consequentiæ. Assensus verò fidei immediatè nititur sola auctoritate ac testimonio Dei, vt obiectof ormali. ideoque vterque assensus necessariò specie differt, & habet distinctos habitus.

100 Ad argumentum positum num. 92. Respondeo maiorem solùm esse veram, quando assentior vni rei propter aliam, quia video illam ex hac sequi, siue propter necessariam aut probabilem vnius ex alia consequentiam, quod suprà ostendi in assensu fidei non fieri. Adde Primò, etsi possimus priùs distincto assensu credere reuelationem, quàm rem reuelatam, & sæpè etiam hoc ita fiat in iis qui primùm ad fidem conuertuntur; tamen hoc non est necesse, nec communiter in fidelibus fit; qui, dum iis res aliqua vt reuelata sufficienter proponitur, vno simplici actu & rem reuelatam & reuelationem credunt: sicut vno actu videmus lumen & rem illuminatam. Credens vnam rem propter aliã quando discurrat, & quando non. Reuelatio & res reuelata communiter eodem actu creduntur.

Adde Secundò, vt assentiar alicui propositioni per discursum, non sufficere quòd ei assentiar propter aliam rem distincto actu cognitam: sed debeo ei assentiri propter cognitionem illius rei, ita vt ipsa cognitio sit causa obiectiua assensus consequentis. hoc autem in fide non fit: nec enim credo Deum esse trinum, quia credo eum id reuelasse, sed simpliciter quia ipse hoc reuelauit. Quod vel inde patet, quia aliàs non possemus credere Deum esse, nisi antè crederemus eum hoc reuelasse; atque ita etiam nisi consequenter priùs crederemus Deũ esse. nam hæc propositio, *Deus hoc reuelauit*, includit hanc, *Deus est*: nam est eadem cum hac, *Deus est hoc reuelans*. atque ita priùs necessariò crederemus Deum esse, quàm crederemus eum esse. Vt igitur eiusmodi absurda euitemus, necessariò dicendum est, nos non credere Deum esse, aliaque reuelata, quia credimus ea esse reuelata, sed immediatè quia reuelata sunt. 101 Alia diuersitas inter discursum & fidem.

Ex quo etiam patet, me longè aliter assentiri propositioni de fide propter reuelationem, quàm assentiar conclusioni propter euidẽtiam consequentiæ; quia cùm conclusioni non assentiar propter solam euidentiam consequentiæ, sed necessariò etiam propter euidentiam præmissarum, (quia assensus necessariò sunt distincti) non possum conclusioni & consequentiæ eodem actu assentiri. Secùs fit in fide, qua immediatè propter reuelationem credo rem reuelatam, atque eodem assensu vtrique assentiri possum: cùm propter idem omnino medium vtrique assentiar. Demum ex his etiam euidenter probatur nostra conclusio. Aliter assentior conclusioni ob euidentiam cõsequentiæ, aliter propositioni de fide ob reuelationem.

Ad secundum, nego consequentiam: quia ex antecedente solùm sequitur, rem reuelatam secundùm se sumptam non esse obiectum fidei, sed solùm prout substat reuelationi; cum quo optimè stat, fidem sine vllo discursu in vtrumque ferri, sicut visio fertur in rem illuminatam.

Ad tertium, quidquid sit de antecedente, nego consequentiam. quia in testimonio humano intellectus nititur tamquam obiecto formali aliqua euidentia, tum ipsius attestationis, tum veracitatis ipsius attestantis, & his determinatur ad assensum consequentis, nec firmiùs adhæret saltem communiter ipsi rei creditæ quàm illa persuadeant: quare non est mirum si ibi interueniat aliquis saltem virtualis discursus. secùs est in fide diuina, vbi intellectus, nulla euidentia, sed sola auctoritate diuini testimonii, vt obiecto formali nititur, & à voluntate determinatur ad assensum rei reuelatæ. Cur in fide humana sit potiùs discursus quàm in diuina.

Dices, hinc sequi, saltem fidem eorum, quibus 103

bus immediatè facta est reuelatio à Deo, quibusque consequenter ipsa reuelatio est euidens (vt accidit B. Virgini, Prophetis, & præcipuè primo angelo, qui euidenter cognoscebat obiecta fidei sibi à Deo reuelari) niti aliquo discursu. Respondeo negando consequentiam: quia eorum fides nullo modo nitebatur ea euidentia (vt ostendin. 91.) sed sola diuina auctoritate reuelante. Quamuis fuerit in ijs simul alius assensus merè naturalis, & quædam scientia à posteriori, quæ nitebatur euidentia & discursu, vt ostendam dubio sequenti.

DVBIVM VIII.

Vtrùm cognitio orta per discursum ex euidentia attestationis sit fides, an scientia, aliaue cognitio absolutè euidens?

104 EXempli causa, angelo præsertim primo in via erat omnino euidens, Deum sibi reuelare mysterium SS. Trinitatis: clarissimè enim videbat hanc reuelationem sibi fieri, nec posse fieri ab alio, quàm à Deo; item naturali lumine clarè videbat impossibile esse Deum mentiri, & consequenter quidquid ipse dicebat, esse necessariò verum.

Quæritur igitur, vtrùm hæc cognitio debeat dici fides, an scientia à posteriore, aut saltem cognitio euidens?

105 Prima opinio docet, eiusmodi cognitionem debere dici absolutè euidentem & scientiam à posteriori. Hanc citat Durand. in 3. d. 23. qu. 9. littera N. & videtur eam probare Bañez, qui 2. 2. qu. 5. art. 1. concl. 2. docet, posito quòd angelus euidenter sciuerit mysterium Trinitatis sibi à Deo reuelari (quod tamen non videtur admittere) etiam à posteriori euidenter sciuisse hoc esse verum. eandem tenet Valētia 2. 2. disp. 1. q. 5. puncto 1. & plures alii recentiores. Et probatur, quia hic syllogismus, *Quidquid Deus reuelat est necessariò verum: Deus hoc reuelat: ergo est necessariò verum*; non minùs est euidens quàm quæuis alia demonstratio à posteriore: ergo non minùs gignit euidentem scientiam, quàm hæc. Adferuntur plures aliæ probationes, sed ferè omnes ad hanc referuntur.

Durand. Bañez. *Valentia.*

106 Secunda opinio docet, talem cognitionem non debere dici scientiam à posteriore, aut absolutè euidentem: sed solùm euidentem in attestante. Hanc docent quidam recentiores apud Turrian. 2. 2. q. 1. disp. 9. dub. 3. & tribuitur Caietano 2. 2. q. 5. art. 1. sed ibi satis obscurè loquitur, & videtur potiùs in contrarium inclinare. nam docet per talem discursum non acquiri euidentiam rei in se, (qua scilicet natura ipsius in se clarè cognoscatur,) sed solùm acquiri euidentiam qua veritas rei clarè cognoscatur in attestante siue propter attestantem: quod verum est, & etiam prior opinio fatetur; in hoc tamen à Caietano discrepat, quòd hic loco citato admittat eiusmodi cognitione verè euidēter cognosci veritatem rei reuelatæ, siue quòd hæc vera sit; quod tamen Auctores illius sententiæ negant.

Turrian. *Caietan.*

Probatur hæc opinio, quia solùm est duplex demonstratio qua possit gigni scientia: Prima est à priore, qua effectus demonstratur per causam. Secunda à posteriore, qua demonstratur causa per effectum; ad quam refertur ea qua ex contradictorio conclusionis infertur aliqua cōtradictio in his quæ habent connexionem ex natura rei cum conclusione. Antiqui enim has solas agnouerunt demonstrationes, nec licet nobis alias fingere: atqui dictus syllogismus neutro ex his modis aliquid demonstrat: ergo non est demonstratio, & consequenter non gignit cognitionem euidentem.

Tertiò, igitur dici posset, dictam cognitionem esse fidem. Probatur, quia omnis ille assensus siue cognitio est fides, quæ tamquam medio siue ratione formali nititur alterius testimonio: atqui dicta cognitio ita nititur testimonio Dei; nam reuelatio siue testimonium Dei est medium illius syllogismi: ergo illa cognitio est fides. Et confirmatur, quia etiam fides humana videtur niti tali discursu, scilicet hoc: *Quidquid Iohannes, qui est vir probus, mihi testatur, est probabiliter verum: atqui ipse mihi hoc testatur: ergo hoc est probabiliter verum.* 107

Pro resolutione Nota, strictè loquendo hæc duo multùm inter se distingui, scilicet, *Hæres siue quòd Deus sit trinus & vnus, est mihi in se euidens:* &, *Euidens est mihi, quòd hæc propositio, Deus est trinus & vnus, sit vera.* Quibus æquiualent hæ duæ: *Connexio inter dictum subiectum & prædicatum mihi in se est euidens:* &, *Euidens est mihi, inter dictum subiectum & prædicatum esse connexionem, siue ea esse connexa.* In vtroque enim casu in priore propositione si strictè velimus loqui, significatur naturam subiecti & prædicati, aut saltem naturam & qualitatem connexionis, quæ inter ea est, mihi clarè esse cognitas, siue me clarè scire qua ratione prædicatum conueniat subiecto, qualisque inter ea sit connexio. In secunda solùm significatur me clarè scire eam connexionem inter ea verè à parte rei esse. quod potest esse verum, etsi ignorem qualis ea sit; atque ita secunda propositio potest esse vera etsi ptior sit falsa. 108

Possum euidēter cognoscere aliquā propositionē esse verā, etsi ipsa secundùm se mihi sit obscura.

Probatur exemplo. nam ex eo quòd videam magnetem attrahentem ferrum, clarè colligo & scio à posteriori eum habere in se vim id attrahendi, & consequenter clarè scio hanc esse veram: *Magnes habet vim attrahendi ferrum*; ignoro tamen qualis sit hæc vis, aut quomodo hæc attractio fiat. Et consequenter hæc, *Magnes habet vim attrahendi ferrum*, est mihi in se ineuidēs, & solùm euidens in effectu. Quod adhuc clarius est, quando videmus rem aliquam ex alia aut semper aut ferè semper sequi, & ignoramus an id fiat vi aliqua ipsi rei intrinseca, an verò virtute diuina aut etiam dæmonis, vt contingit in occiso emittente sanguinem præsente occisore: quod nobis euidens est fieri, cùm tamen sit obscurissimum quomodo id fiat; atque adeò euidens est, præsentiam occisoris habere vim causandi eam emissionem sanguinis: qualis tamen sit hæc vis, & vnde eam habeat obscurissimum est.

Satis autem constat, euidentiam attestationis non facere mihi rem in se euidentem; & conse- 109

quenter angelo in via non fuisse absolutè in se euidens Deum esse trinum & vnum, neque hoc vllus vmquam asseruit. Sed quæritur vtrùm ratione reuelationis quam clarè videbat sibi fieri, euidenter cognouerit hoc esse verum. Quamuis autem inter primam & secúdam opinionem possit alicui videri magis esse quæstio de nomine quàm de re; tamen quia inde magna ex parte pendet alia quæstio realis, scilicet an fides possit consistere cum actuali scientia, illa necessariò hîc nobis explicanda est. Suppono autem hîc quod paucis exceptis omnes concedunt, angelum, præsertim primum, clarè cognouisse eam reuelationem sibi à Deo fieri. quod etiam disput. 11. dub. 2. probabo.

110 Conclvsio I. Talis cognitio debet absolutè dici euidens. ita Auctores primæ sententiæ. Probatur, quia illa cognitio est absolutè euidens, quæ habetur ex præmissis euidentibus, per euidentem consequentiam: atqui illa cognitio est talis (nam, vt hîc supponimus, ille angelus euidenter cognoscit maiorem & minorem esse veras, & consequentiam esse bonam:) ergo illa cognitio est euidens.

Maior probatur Primò, quia euidentia gignit euidentiam, & omnis ille assensus est euidens, qui nititur obiecto formali euidenti. (quia per hoc distinguitur ab obscuro:) atqui hic assensus est talis (nititur enim tamquam obiecto formali euidenti cognitione antecedentis & consequentiæ:) ergo est euidēs. Secundò, quia ideo præcisè in alia demonstratione, præsertim à posteriore, assensus conclusionis est euidens, quia habetur per euidentem consequentiam ex præmissis euidentibus.

Secluso imperio voluntatis sola euidentia necessitat intellectum.

Confirmatur, quia secluso imperio voluntatis nihil conuincit intellectum eumq; necessitat ad assensum nisi rei euidentia: atqui intellectus in tali casu omnino conuincitur, & sine imperio voluntatis ad assensum conclusionis necessitatur: ergo eius veritas est ei euidens.

111 Dices Primò, hinc non sequi, eam veritatem siue cognitionem esse angelo absolutè euidentem, sed solùm esse euidentem in attestāte. Sed contrà, vel eam veritatem solùm esse euidētem in attestante est particula alienans. Sicut cùm imago dicitur homo pictus: ita vt significetur illam veritatem solùm esse euidentem ipsi attestanti, non autem ipsi angelo; & hic sensus apertè falsus est. nam argumenta allata clarè probant eam veritatem ipsi angelo esse euidentem. Vel solùm significat eam veritatem non esse illi angelo in se, siue per se immediatè euidentem; sed solùm ratione ipsius reuelationis; & sic ea propositio est quidem vera, sed inde non sequitur, eam veritatem non debere absolutè dici euidentem angelo. Quia quoties aliquid cognosco per demonstrationem à posteriore; conclusio non est mihi euidens in se, sed solùm in suo effectu, & tamen dicitur mihi absolutè esse euidens, ita vt dicar absolutè euidenter cognoscere eam esse veram: ergo idem dicendum est in alio casu.

Veritas euidens in attestante potest dici absolutè euidens.

112 Dices Secundò, Deus reuelat illi angelo mysterium Trinitatis obscurè, quia hic per eam nec mysterium Trinitatis, nec Deum clarè cognoscit: ergo ipsa reuelatio est obscura, & consequenter nequit parere claram cognitionem. Respōdeo, eam reuelationem eatenus dici obscuram, quatenus nō facit angelum videre siue cognoscere rem reuelatam prout in se est; & hac ratione parit cognitionem obscuram & ænigmaticam circa ipsam naturam & conditionem rei reuelatæ. Alia tamen ratione dicitur clara, quatenus angelus clarè videt eam sibi à Deo fieri; & hac ratione parit claram cognitionem veritatis rei reuelatæ, siue qua angelus clarè cognoscit hanc esse veram; etsi ignoret qua ratione vera sit: sicut videndo ferrum à magnete attrahi clarè cognosco id ab eo attrahi, etsi ignorem qua ratione id fiat, an immediatè agendo in distans, an producendo aliquam qualitatem in medio.

Qua ratione reuelatio facta angelo fuerit obscura, & qua ratione clara.

Ad argumentum contrarium positum num. 106. Respondeo hanc demonstrationem esse à posteriore: nam etsi non sit propriè ab effectu, est tamen ei similis, & ad eam reducitur; sicut ad eam reducitur omnis demonstratio, quæ fit per reductionem ad impossibile, siue ad contradictorium eius quod habet cum re demonstrata apertam & necessariam connexionem, & si lubet, etiam sibi intrinsecam: nam etsi res reuelata non habeat intrinsecam connexionem cum reuelatione; tamen diuina reuelatio habet intrinsecam, naturalem ac omnino necessariam connexionem cum veritate rei reuelatæ, ita vt ex ipsius natura implicet eam esse in rerum natura, & tamen rem reuelatam esse falsam: atque ita etsi non sit mutua, tamen est magis essentialis inter reuelationem & veritatem rei reuelatæ connexio, quàm inter effectum & causam naturalem efficientem; quia hæc possunt absolutè à se mutuo separari, omnino autem implicat reuelationem poni sine veritate rei reuelatæ. 113

Diuina reuelatio habet naturalem connexionē cum veritate rei reuelatæ.

Vt hæc autem sint clariora, Nota, cū demonstramus causam per effectum, ipsum effectum quatenus est præcisè effectus, non esse nobis propriè rationem formalem seu medium certum cognoscendi causam eiusque existentiam; nam calor à sole productus non minùs est ipsius effectus, quàm lumen, & tamen ex præsentia talis luminis certò demonstramus siue cognoscimus præsentiam solis; non tamen ex præsentia caloris, quia hic idē perspè aliunde potest produci, & absente sole perseuerat; sed ideò præcisè ex aliquibus effectibus clarè demonstramus præsentiā causę, quia ratione necessariæ connexionis & dependentiæ vnius ab altero, existētia effectus est euidens signum existentiæ causæ; & consequenter quo illa connexio seu dependentia est magis necessaria, eo effectus est signum magis euidens & infallibile, & ex eo existentia causæ certiùs & euidentiùs demonstratur. Cùm igitur inter reuelationem diuinam & veritatem rei reuelatæ sit longè euidentior & magis necessaria connexio, quàm inter existentiam effectus & existentiam causæ creatæ (cùm ille sine hac absolutè saltem miraculosè possit existere) consequenter ex ipsa reuelatione longè certiùs & euidentiùs demonstratur veritas rei reuelatæ, quàm existentia vllius causæ creatæ possit demonstrari ex effectu. 114

Causa demonstratur ex effectu præcisè ratione connexionis, quæ inter eas est.

Ex reuelatione diuina perfectius demōstratur veritas reuelata quàm causa ex effectu.

Con-

115 CONCLVSIO II. Dicta cognitio non potest dici fides, quia fides nititur tamquam obiecto formali alieno testimonio formaliter sumpto, siue quatenus habet præcisè rationem testimonij: dicta autē cognitio non nititur testimonio Dei formaliter sumpto, siue quatenus præcisè habet rationem testimonij; sed solùm quatenus est euidens signum veritatis ipsius rei reuelatæ. Sicut quando audio Iohannem mihi dicentē se viuere, assensus quo id credo nititur eius dicto, non quatenus est testimoniū aliquod, sed quatenus est euidens signum vitæ ipsius: ideoq; non est fides, sed scientia à posteriore. quod vel inde patet, quòd siue is, qui mihi hoc dicit, habeatur verax, siue perpetuò mendax, eodem modo ac æquè firmiter mihi persuadebo eum viuere. quod falsum esset si propriè dicta fide hoc crederem: nam hæc numquam firmiter nititur testimonio hominis habiti pro mendace. Ex quo patet solutio argumenti positi n.107.

Quare dicta cognitio non sit fides.

Non omnis cognitio nixa alieno testimonio est fides.

116 Ad confirmationē Respondeo, etsi fortè fides humana saltem communiter nitatur aliquo discursu, tamē nititur etiam ipso testimonio hominis formaliter sumpto, non autem quatenus est certum, aut etiam probabile signum veritatis rei testatæ ratione connexionis quā cum hac habet, quia ex se nullam omnino huiusmodi connexionem habet, cùm non sit magis necessariò verum, quàm falsum. Simile ferè cum nostro casu est quando credo Romam esse in Italia, quia omnes ferè mortales id testantur. cùm enim moraliter impossibile sit omnes illos ea in re falli aut mentiri, ille assensus non est propriè fides, sed quædam scientia à posteriore moraliter certa.

Romam esse in Italia ab externis propriè non creditur, sed scitur.

DVBIVM IX.

Vtrùm propositio quæ per euidentem consequentiam deducitur ex principiis fidei, sit de fide, siue obiectum fidei?

117 QVidam affirmant eiusmodi propositionē non quidem omnibus, sed ijs qui clarè vident eam consequentiam, esse de fide, eosque eā fide diuina credere. Ita Catharinus opusculo de Certitudine gratiæ, assert. 6. Vega lib. 1. in Concil. Trident. c. 39. Canus l. 6. de locis Theolog. c. vltimo ad 10. vers. *Sed & id postremò*. Probatur Primò, quia qui negaret conclusionē quā ita videret clarè deduci ex propositionibus reuelatis, esset hæreticus: ergo illa est de fide. Secundò, quia Ecclesia multa hoc modo ex principiis fidei deducit & proponit credenda, quæ non sunt in Scripturis aut traditionibus reuelata: ergo eiusmodi propositiones ijs qui vident talem consequentiam sunt de fide. Tertiò, quia ea quæ legimus in Scriptura aut in Ecclesiæ definitionibus, credimus fide diuina, cùm tamen non sciamus ea à Deo esse reuelata, nisi mediante hoc discursu: Quidquid habetur in Scriptura aut Ecclesiæ definitionibus est à Deo reuelatū: hæc sunt talia: ergo sunt à Deo reuelata. Cuius minor est solùm cognita naturali lumine, quia nimirum illa in Scriptura aut Cōcilijs legimus. Quartò, quia qui videt hostiam à sacerdote cōsecratam adorandam offerri, propter hunc syllogismum: Omnis hostia rite consecrata cōtinet Christum: hæc est talis: ergo hæc continet Christum; fide diuina credit Christum in ea verè cōtineri: quia aliàs non posset eam absolutè, sed solū sub cōditione adorare. Quintò, quia hic est bonus syllogismus: Est de fide omnē validè baptizatum suscipere characterē: atqui hic puer est validè baptizatus: ergo est de fide hūc accepisse characterē. vnde vlteriùs infertur propositionē deductam ex propositione de fide esse de fide.

Catharin. Vega. Canus.

118 Nota Primò, hanc sententiā posse habere duplicem sensum. Primò, vt velit nos credere tali propositioni propter euidentiam ipsius consequentiæ, qua ex principijs de fide deducitur, ita vt ipsa euidentia consequentiæ sit partiale obiectum formale assensus fidei. Et in hoc sensu satis manet refutata ex dub. 7. vbi ostendi, fidē nostram nullo modo posse ita niti euidentia cōsequentiæ, quia aliàs non esset certior quàm sit cognitio illius consequentiæ; quod tamen falsum est. Secundò, vt ipsa euidentia consequentiæ habeat se solùm per modum proponentis obiectum fidei; & sit solùm obiectum formale istius iudicij, quod assensum fidei præcedit, quoq; iudicamus aliqua verè esse à Deo reuelata. Sicut dub. 5. concl. 3. dixi de testimonio Ecclesiæ. Vasquez autem 1. p. disp. 5. num. 8. docet Vegam & Canum in secundo hoc sensu intelligendos esse, eosque in hoc sensu infrà impugnabimus.

Vasquez.

119 Nota Secundò, dictam sententiā posse intelligi in triplici casu. Primò, quando aliqua propositio euidenter infertur ex duabus de fide, vt cōtingit in hoc syllogismo: Omnes quibus Christus dedit potestatē absoluendi à peccatis, hanc verè habuerunt: atqui Christus contulit eam S. Petro: ergo hic eam habuit. Sed in hoc casu semper significatum conclusionis saltem implicitè continetur sub significato alterius aut vtriusque præmissæ, atque ita necessariò est saltem implicitè reuelatum, v. c. in dicto exemplo significatum conclusionis, siue D. Petrum accepisse eam potestatem, implicitè significatur per minorem: qui enim dicit Christum dedisse S. Petro hanc potestatem, implicitè dicit sanctum Petrum hanc accepisse, non solùm mediante aliqua consequentia & connexione significatorum inter se, sed ex vi significationis verborum: me enim alteri aliquid efficaciter dare significat hunc illud accipere. Secundò, quando conclusio infertur ex vna de fide, & altera naturaliter cognita, quæ tamen non sit contingens, sed necessaria, vt in hoc syllogismo: Omnis homo est risibilis: Christus est homo: ergo est risibilis. Tertiò, quando conclusio deducitur ex vna propositione de fide, & altera naturaliter nota, contingente tamen. v. c. Omnis legitimè baptizatus recepit gratiam: hic infans est talis: ergo recepit gratiam. Auctores autem supradicti intelligunt suam sententiam de omnibus his casibus.

Conclusio potest tripliciter deduci ex antecedente de fide.

120 Nota Tertiò, duobus modis vnam propositionem posse inferri ex alia. Primò, immediatè ex vi significationis, siue quia illa virtute idem significat quod hæc. v. c. hæc, Omne animal est corpus, virtute significat hanc, Homo est corpus;

Vna propositio duplicitur ex alia infertur.

pus;quia homo est aliquod animal. quare dum hæc ex illa infertur, non infertur propriè vna res ex alia, aut vna propositio ex alia omnino distincta: quia dictæ propositiones etsi verbis, atque ita materialiter differant;tamen formaliter ratione eiusdem significationis sunt saltem ex parte vna & eadem,quia eandem rem significant (scilicet homo est corpus.) sed ex significato generatim sumpto infertur idem speciatim sumptũ. Secundò, potest vna propositio ex alia inferri præcisè ratione cõnexionis inter vtriusque significatum.v. c. ex hac, Christus est verus homo,infertur,ergo est risibilis;non vi significationis, quia prior non significat secundam, sed quia risibilitas habet cum natura humana necessariam connexionem.& de hoc casu est præcipua difficultas.

121 Conclvsio I. Propositio quæ priori modo ex dictis,siue immediatè ex vi significationis vtriusque, infertur ex propositione reuelata, est de fide.Patet, quia ipsius significatum est etiam verè,etsi aliis verbis à Deo reuelatum:qui enim testatur omne animal à Deo esse creatum, etiã testatur quamuis animalis speciem, atque adeò hominem à Deo esse creatum,idque non solùm mediante aliqua illatione siue consequẽtia, sed immediatè & secũdùm se,licet aliis verbis. Cõfirmatur,quia hæ duæ propositiones,*Omne animal est à Deo creatum*: &,*Homo & brutum sunt à Deo creata*. quo ad rem significatam sunt omnino vna & eadem propositio: ergo qui priorem asserit,etiam immediatè asserit secundam. Sicut qui asserit hoc esse gladium, simul asserit esse ensem. vide plura in disp.6.dub.1.

Vbi tamen notandum,euidentiã consequentiæ in eo casu non ingredi formale obiectum assensus fidei, sed solùm proponere intellectui ipsam reuelationem siue obiectum formale assensus fidei: quare omnis assensus qui nititur euidentia consequentiæ vt obiecto formali,solùm potest esse assensus theologicus, vt bene notat Valentia 2.2.d.1.q.1.puncto 2.in solut.3. argumenti.

Nullus assensus nitens euidentia consequentiæ est fidei.

Valentia.

122 Conclvsio II.Ea quæ solùm secũdo modo deducuntur ex propositionibus reuelatis, non sunt de fide; sed solũ conclusiones theologicæ. Ita Valent.sup.Turrian.2.2.disp.6.dub 3. Sotus l.3.de Gratia c.3.in 3.argum.Molina 1.p.q.1.a.2. d.1.& alij.Probatur,quia,vt ostendi suprà dub. 5.concl.2.nihil potest fide diuina credi nisi sit à Deo reuelatum: atqui propositio dicto modo ex propositionibus reuelatis deducta,non est à Deo reuelata:ergo nequit fide diuina credi.

Valentia. Turrian. Sotus. Molina.

123 Dices,Etsi Deus non reuelauerit eam explicitè & in se,reuelauit tamen eam implicitè & in alio ex quo deducitur.

Sed etsi hæc responsio possit alicui fortè videri probabilis, quando aliqua propositio apertè deducitur ex duabus de fide, quia tunc per se & immediatè sequitur ex reuelatis, non tamen quando deducitur ex vna de fide & altera naturaliter nota: quia tunc non sequitur immediatè & per se ex propositione reuelata, sed solùm mediatè & per accidens, ratione propositionis naturaliter cognitæ, quæ à Deo non est reuelata: atque ita non potest magis à Deo esse reuelata quàm hæc sit reuelata. cùm enim non possit participare esse reuelatum nisi ratione euidentis consequentiæ ex reuelatis, nec possit hanc consequentiam habere, nisi ratione propositionis non reuelatæ,siue hac mediante, sequitur eam non magis participare esse reuelatum, quàm hæc id participet. Sicut quando aliqua conclusio sequitur ex aliqua certa, & alia tantùm probabili, quia certitudinem prioris non potest participare, nisi mediante secunda, non potest hac vllo modo esse certior.

Confirmatur Primò, quia aliàs conclusio nõ habens certitudinem nisi ratione consequentiæ ex præmissis,posset esse certior altera præmissarum: illud autem apertè est absurdum: ergo & id vnde sequitur. Maior probatur,quia cùm talis conclusio non sit in se reuelata, non potest participare certitudinem reuelationis, nisi ratione consequentiæ, siue quia sequitur ex illis præmissis: & tamen secundùm aliam sentẽtiam esset de fide, & consequenter certior sua præmissa, quæ non est de fide. Confirmatur,quia aliàs possit quis dici esse testatus id, quod ipse penitus ignorat, nec vmquam vllo modo fuit suspicatus. v. c. Hortulanus aliquis benè nouit nicotianam,penitus tamen ignorat eam habere vim sanandi vulnera;mihi verò scienti quidem nicotianam habere eam vim, ignoranti tamen qualis herba sit nicotiana, ipse certa herba demonstrata testetur eam esse nicotianam; quo casu secundùm aliam sentẽtiam ille mihi testaretur hanc herbam habere vim sanandi vulnera, cùm tamen ipse hoc penitus ignoret. Item qui mihi testaretur omnem accipientem aliquid pro mutuo vltra sortem, esse vsurarium, simul testaretur Iohannẽ,qui hoc occultè facit, quem ipse numquam nouit, neque de eo vmquam aliquid audiuit,esse vsurarium. quæ absurda sunt. 124

Dices,Qui mihi testatur omnem legitimè baptizatum habere characterem,etiã implicitè testatur hũc legitimè baptizatum,v.c.Iohannem, habere characterem.Sicut qui testatur omnem hominem esse animal, etiam implicitè testatur Iohannem esse animal. Respõdeo,talem testari quidem hunc baptizatum formaliter sumptum habere characterem, sicut tamen nec explicitè nec implicitè testatur Iohannem esse baptizatũ, & consequenter nec testatur eum esse hunc baptizatum,ita nec testatur eum habere characterem. vnde bene quidẽ sequitur,esse de fide hũc baptizatum formaliter sumptum habere characterem;non tamen sequitur esse de fide Iohannem habere characterem: quia Iohannes nõ significat hunc baptizatum formaliter sumptum siue qua talem; verè tamen significat hunc hominẽ formaliter sumptum,& qua talem;ideoque qui testatur omnem hominem esse animal, etiam testatur Iohannem esse animal. 125

Ad primum argum. positum n.117. nego antecedens: nam contradictorium propositionis quæ solùm secundo modo ex dictis n.120. deducitur ex reuelatis,solũ m est erroneum, non autem hæreticum.

Ad secundum,Respondeo Ecclesiam multas propositiones quæ priore modo ex dictis num. 126

120. deducuntur ex reuelatis, definire esse de fide, & contrarium damnare tamquam hæreticum; numquam tamen ita definire propositiones, quæ solùm secundo modo deducuntur ex reuelatis, sed solùm decernere eas esse certas, & eorum contradictorium esse periculosum aut erroneum; vt patet ex variis ipsius circa diuersas propositiones qualificationibus, sub quibus eas damnat. quare qui eiusmodi propositionem negaret, non esset ideo præcisè hæreticus, sed solùm consecutiuè, quatenus implicitè assereret Ecclesiam in suis definitionibus errare.

Molina. Lorca. Vide Molinam suprà, & Lorcam 2.2. d.6. num.14.

127 Ad tertium, Respondeo nostram fidem nullo modo niti illa naturali cognitione aut discursu, sed solùm iudicium præcedens fidem iis nititur; talesque propositiones non sunt de fide, propter talem discursum, sed quia reuelatæ sunt; quamuis per illum discursum cognoscamus eas esse reuelatas, & consequenter illas esse de fide.

Ad quartum, nego antecedens: talis enim solùm cognitione merè naturali cognoscit Christum in ea hostia esse præsentem, & quidem non ita certò, quin possit ei subesse falsum; quia ipse non est omnino certus, quòd consecrans sit verus sacerdos, aut quòd habuerit veram intentionem consecrandi, cùm hæc solùm fide humana credat. Ad confirmationem, nego assumptum: vt enim eam hostiam absolutè adoret, sufficit quòd habeat moralem certitudinem eam esse legitimè consecratam, & consequenter Christum ibi esse præsentem; qualem cognitionem sufficienter habet ex fide humana, quando non occurrit ratio dubitandi de contrario: sicut is cui ab aliis dicitur hostias tali loco positas esse consecratas, quas ipse legitimè adorat, cùm tamen sola fide humana sciat esse consecratas. Nec est hîc periculum idololatriæ, quia ille nullo modo intendit adorare panem, sed Christum, quem rationabiliter hîc credit esse præsentem.

Vt hostiam absolutè adorem sufficit quòd moraliter certò sciam eã esse consecratã.

Ad quintum, nego eum syllogismum esse bonum: nam, vt patet ex dictis n.125 maior solùm est vera sumpta formaliter, ac in sensu composito; quare ex ea solùm potest inferri esse de fide, hunc habere characterem, posito quòd sit baptizatus; sicut in hoc syllogismo, Quicumque constitutus in clara luce habet visum bene dispositum & oculos apertos, necessariò videt præsentem lucem: atqui Iohannes est talis: ergo necessariò videt præsentem lucem. consequens enim apertè est falsum, nisi addatur, Posito quòd oculos habeat apertos, &c. aut in minore addatur, Iohannes est necessariò talis. nam aliàs si sit contingenter talis, etiam contingenter videt, ac potest non videre.

DISPVTATIO X.

Qua ratione obiectum fidei, tam formale quàm materiale sit necessariò verum.

D.Thom. HÆc de re disputat D. Thom. q.1.a.3. vbi docet, fidei non posse subesse falsum, quia nititur testimonio Dei, qui falsum testari nequit.

DVBIVM I.

Vtrùm Deus per se vel per alium possit mentiri aut testari falsum?

1 *Priscillianistæ.* EVit olim hæresis Priscilianistarum qui docebant Primò, ob grauem causam, v.c. ad seruandam vitam, licere mentiri. Secundò, Deum mentiri posse, atque per Prophetas aliquando fuisse mentitum. *S. Augustin.* vt de iis testatur D. Augustin. libr. de Hæresib. c. 7. hæres. 70. & l. contra mendacium c. 2. vbi etiam ait, eos docuisse, Christum aliquando mentitũ fuisse. *Non se aliter*, inquit, *arbitrantes veracẽ suam ostendere falsitatem, nisi veritatẽ dicant esse mendacẽ.*

2 Quidam verò Catholici fatentur Deum quidem numquam fuisse mentitum, nec de potentia ordinaria mentiri posse; de potentia tamen absoluta aiunt eum posse mentiri, quia non videtur vllam inuoluere implicãtiam: Dei autem omnipotentiæ nihil est negandum quod non implicat contradictionẽ. Ita Holcot in 2.q.2.ar. *Holcot. Aliacens.* 8. & in 3.q.1.a.8. Aliacens. in 1.q.12.a.3.dub.3.§. 55. propos. 4. Adamus in 3.d.14.q.5.dub.2. in fine. Gabr. verò in 3.d.11.q.1.a.3 dub.1. negat quidẽ Deum mentiri posse (quia hoc significat aliquem dicendo falsum peccare) concedit tamen Deum posse dicere falsum, ita tamẽ vt in eo nullo modo peccet, atque ita nec admittat mendacium. Sed in hoc abutitur & rebus & vocibus. Quare nos hîc pro eodem hæc accipimus mẽtiri, & sciẽter testari falsum. dico *scienter*, quia sicut impossibile est Deum aliqua ignorare, ita etiã impossibile est eum ignoranter testari falsum. *Adamus. Gabriel.*

Tertiò Nota, Deum quatuor modis posse cõcipi per alios mentiri. Primò propriè, præcipiendo alicui vt suo siue Dei ipsius nomine, & tamquam à Deo dicta aliqua falsa alijs enũciet; quo casu Deus & diceretur propriè per talem loqui & mentiri. Secundò, præcipiendo ei vt nomine proprio aliqua falsa dicat. Tertiò, sine vllo præcepto eum ad hoc directè incitando; sicut gratia sua præueniente nos excitat ad opera bona, aut simili aliqua ratione. Quartò, producẽdo in eo habitum mendacij aut apprehensionem falsam, atq; ita existẽdo ei causam cur falsum dicat. Hîc propriè agimus de primo modo, nam hîc solus propriè ad hanc difficultatem spectat: nam aliis modis non nisi impropriè aliquis per aliũ mentiri dicitur: consequenter tamen etiam hîc agemus de 2. & 3. modo, de 4. verò agemus dubio 2.

4 Conclvsio I. Deus numquam per se fuit mentitus, nec etiam propriè loquendo iuxta primum modum ex dictis per alium, imò secundùm potentiam ordinariam omnino impossibile est eum ita mentiri. Hæc est de fide, & communis Catholicorum. & contrarium in Priscilianistis damnatum est. Probatur, quia aliàs Scriptura tota, & fides nostra penitus euerterentur: nam si credamus in Scripturis vel vnum esse mendacium; eadem ratione poterimus credere totam esse confictam, & fides nostra erit mera fabula. Item si credamus Deum de potentia ordinaria ita potuisse mentiri, etiam poterimus credere eum aliquando fuisse mentitum: tum quia nulla erit ratio cur credamus eum de facto id non fecisse, tum etiam quia potentia Dei ordinaria non aliter distinguitur ab absoluta, quàm quòd illa sit secundùm communem cursum rerũ, ac decretum Dei, quo statuit ea aliquando vti, & ita aliquando redigatur in praxim; hæc autem sit supra communem rerum cursum, & contra Dei decretum, quo statuit numquam ea potentia vti. vnde sequitur, si Deus potentia ordinaria possit mentiri, eum aliquando de facto mentitum fuisse.

Potentia Dei ordinaria quomodo differat ab absoluta.

5 Conclvsio II. Omnino impossibile est Deum etiam de potentia absoluta per se mẽtiri, aut etiam per alium propriè loquendo iuxta primum modum ex dictis n.3. Est iam communis Catholicorum, & vel est de fide, vt ego opinor, vel fidei proxima. Ita Valentia 2.2.d.1.q.1. puncto 3.conc.2. Vasquez a.3.concl.1 Turrian. disp.3.dub.1.& 2. Probatur Primò, ex Scripturis. quia Num.23 dicitur, *Non est Deus quasi homo vt mentiatur; nec vt filius hominis vt mutetur.* & ad Rom.3. *Est autem Deus verax, omnis homo mendax.* Quibus veracitas Dei distinguitur à veracitate hominum, eique talis tribuitur qualis nequit in hominibus reperiri; nam dicitur in ea omnino hominibus esse dissimilis.

Valentia. Vasquez. Turrian.

Num.23.

Rom.3.

6 Vbi Nota Primò, in dictis Scripturis non tam agi de actuali mendacio, quàm de potentia mentiendi, ita vt Deus distinguatur ab omni homine, non tam quia ipse numquam fuit actu mentitus, & omnis homo aliquando actu mentiatur (quia aliàs ibi diceretur, atque ita esset de fide, omnem hominem aliquando fuisse mentitum, quod tamen falsum est: cùm de B.Virgine ac S.Iohanne Baptista, piè credamus eos numquam fuisse mentitos: quod probabiliter etiam alijs quibusdam accidit.) quàm quia omnis homo ex natura sua est mendax & mutabilis, ita vt possit mentiri & mutari, Deus autem neutrum vllo modo possit.

Confirmatur, quia priori loco ex dictis Deus eodem modo dicitur non posse mentiri, sicut dicitur non posse mutari: atqui ipse natura sua est omnino & absolutè immutabilis, iuxta illud Iacobi 1. *Apud quem nõ est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* vbi omnis omnino mutabilitas ab eo remouetur: ergo similiter est ei omnino impossibile mentiri.

Iacobi 1.

7 Confirmatur Secundò, clarissimè ex Apostolo ad Hebræos 6. vbi ait: *In quo abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilij sui interposuit iusiurandum: vt per duas res immobiles quibus impossibile est mẽtiri Deum, fortissimum solatium haberemus*, &c. Vbi docet Primò, Deum abundantiùs, id est præter omnem necessitatem, suæ promissioni addidisse iuramentum, quia nimirum Dei promissio per se tam erat firma & immobilis ac iuncta iuramẽto. Docet Secundò, tam Dei promissionem quàm iuramentum esse duas res immobiles, quibus singulis impossibile sit mentiri Deum. Vbi expressè docet, absolutè esse impossibile Deum mentiri, non solùm in iuramento, sed etiam in simplici promissione: ideo enim vocat ea duas res immobiles, ostendens singula per se immobilia siue immutabilia esse, ita vt impossibile sit Deum in ijs mentiri ea non implendo.

Hebræos 6.

8 Respondent aliqui, hæc aliaque eiusmodi loca intelligenda esse de potentia Dei ordinaria. Sed contrà Apostolus absolutè dicit Deo esse impossibile mentiri: atqui hoc non potest dici de eo, quod ei solùm est impossibile de potentia ordinaria (quia aliàs hæc esset vera: Impossibile est Deo creare alium mundum, quia de potentia ordinaria hoc fieri nequit; illud tamen est apertè falsum, nec catholicè dici potest:) ergo debet intelligi de potentia absoluta.

Quod solùm est impossibile secundùm potentiam ordinariam, nequit dici Deo absolutè impossibile.

9 Probatur Secundò, ex Patribus: nam D. Augustl.1.de Symbolo cap.1.ait: *Deus omnipotens est: & cùm sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest, &, quod ait Apostolus, negare seipsum non potest; quam multa non potest, & omnipotens est, & ideo omnipotens, quia ista nõ potest: nã si mori posset, non esset omnipotẽs. si mentiri, si falli, si iniquè agere* (scilicet posset) *non esset omnipotens.* Vnde patet, secundùm S. Augustinum Deo tam esse impossibile mẽtiri, quàm mori, quàm falli, quàm iniquè agere, quàm non esse omnipotentem: & si possit mentiri, aut aliquid aliud dictorum facere, non fore omnipotentem. Quare qui dicunt Deum de potentia absoluta posse mentiri, secundùm D. Augustl. dicunt eum non esse omnipotentem, aut saltem fieri posse non omnipotentem. Item S. Anselm. lib.1. *Cur Deus homo* c.12. ait: *Non enim sequitur, si Deus vult mentiri, iustum esse mentiri: sed potiùs Deum illum non esse.* Vbi expressè docet, Deum non fore Deum si mentiretur, & cõsequenter tam esse impossibile eum mentiri, quàm ipsum non esse Deum. Et hic est communis omnium Patrum sensus, vt citatis eorum verbis fusè docet Valentia 2.2.d. 1.puncto 3.

Augustl.

Anselmus.

Valentia.

10 Probatur Tertiò, ratione. Quia si Deus posset per se, vel per alios vlla ratione mentiri, sequeretur nos non teneri ei in omnibus absolutè credere, quia sæpè meritò possemus dubitare, an fortè in hoc aut illo casu esset vsus illa potestate, & consequenter non teneret credere, omnia esse vera quæ habentur in sacra Scriptura. quia in multis possem dubitare an fortè in illis asserendis Deus non fuisset vsus illa potestate: atque ita cum Priscilianistis dicerem Deum fuisse mentitum in omnibus quæ mihi non arriderent. quæ est aperta blasphemia.

Si Deus posset vlla ratione mentiri non teneremur ei indubitanter credere.

11 Dices, Deus testatus est in Scripturis nihil falsi contineri, seque numquam fuisse mentitum, ideoque hoc firmiter teneor credere. Sed contrà, si vlla Dei testificatio potest esse falsa, etiam

12

etiam hæc poterit esse falsa : nec enim est vlla ratio cur non tam possit in hoc testimonio mentiri, quàm in quouis alio: ergo simili ratione poterò dubitare de hoc testimonio, sicut de quouis alio possibili.

13 Dices Secùdò, Qui dicit regē mentiri facit ei graue iniuriam; non tamē is qui dicit eum posse mentiri: quia actu mentiri est graue vitium dedecens naturam rationalem; posse autem mentiri solùm dicit naturalem potentiam & libertatem hoc faciendi: ergo etsi sit grauis blasphemia dicere Deum de facto esse mentitum, inde tamen non sequitur, esse blasphemiam, dicere, eum posse mentiri.

Respondeo, negando consequentiam; quia non repugnat creaturæ rationali habere aliquā imperfectionem, qualis est hæc, posse peccare aut mentiri; sed hoc eius essentiam secundùm se spectatam necessariò consequitur, ideoque in ea non est vitium, nec eam dedecet, atque ita dum hoc ei tribuitur, nullum vitium ei tribuitur: sicut cùm de B. Virgine dico, eam esse factam ex nihilo, natura sua esse peccabilem, aut sine gratia Dei non potuisse omne peccatum vitare, nihil dico quod ei possit vitio tribui, eamue dedecear. Secùs est de Deo, cuius naturæ essentialiter repugnat omnis imperfectio, nec sine grauissimo vitio, quodque eius perfectionem omni modo infinitam, & consequenter eius diuinitatem planè euerteret, potest in eo vlla imperfectio reperiri, qualis est, posse mentiri; quare qui hoc ei tribueret, graue vitiū ei impingeret, & consequenter blasphemaret.

Sine iniuria homo dicitur posse mentiri aut peccare, non tamen de facto mentiri aut peccare: vtrumque æquè vitiosè tribuitur Deo.

Confirmatur, quia vel dedecet Deum actu mentiri, ac hoc in eo esset vitium; vel non. Si primum dicatur; ergo omnino eierit impossibile mentiri, quia ipse nequit in se admittere vllum vitium: si secundum dicatur, ergo nihil tribuet ei vitiosum aut dedecens, qui dicet eum actu esse mentitum: & consequenter non blasphemabit, nec erit vlla causa cur non possit Deo hoc tribui: atque ita nulla erit ratio cur non credam eum de facto fuisse aliquando mentitum, atque ita minoris erit auctoritatis sacra Scriptura quàm Liuius, totaque fides nostra erit incerta.

14 Ex quibus patet Primò, apertam videri blasphemiam, & consequenter hæreticum, dicere Deum de potentia etiam absoluta posse mentiri; quia tam Scripturæ quàm Patres citati absolutè testantur à diuina natura esse alienum posse mentiri, ideoque hoc esse impossibile, & Deum non fore Deum si id posset. Nec hîc facienda est distinctio, an testetur falsum per se an per alium: tum quia æqualiter vtroque casu mentiretur, quod graue vitium est; tum etiam quia, quando tam Scripturæ quàm Patres negant Deum posse mentiri, apertè loquuntur de locutione, qua Deus per Prophetas locutus est, vt patet ex Scripturis suprà citatis, & Patribus dānantibus Priscilianistas dicentes Deum per Prophetas fuisse mentitum. Quare immeritò Canus l.2. de locis Theolog. a.3. cùm damnet prius hæreseos, trepidat idem asserere de secundo, cùm Scripturæ ex quibus prius damnatur, loquantur de secundo.

Æquè repugnat Deo mentiri per alium ac per se.

Canus.

Patet Secundò, sicut apertè implicat Deum non esse Deum; ita ex sententia dictorum Patrum implicare eum mentiri; quia si hoc faceret, non esset Deus.

Conclvsio III. Impossibile omnino est 15
Deum fallere, non seruando promissa nobis absolutè facta; aut posita cōditione requisita eum non implere ea quæ sub conditione nobis promisit. Est communis Catholicorum, & videtur etiam esse de fide. quia Scripturæ citatæ num. 5. & 7. docentes Deo impossibile esse mentiri, loquuntur apertè de mendacio, quod committeret si non seruaret promissa. vnde Apostolus 2. ad Timoth. 2. de Deo ait: *Ille fidelis permanet; negare seipsum non potest.* Vbi clarè insinuat, Deum negaturum seipsum (factis nimirum ostendendo se non esse absolutè infinitè veracem, constantem, ac fidelem) si promissa non seruaret; & consequenter vtrumque esse æquè impossibile.

2 Tim. 2.

Deus mentiendo seipsum negaret.

Conclvsio IV. Impossibile est Deum a- 16
licui præcipere vt mentiatur. Est communis & certa inter Catholicos. Ratio est, quia mentiri est absolutè malum, nec vllam ob causam licitè fieri potest, vt fusè docet D. August. duobus libris contra mendacium conscriptis. numquam enim potest esse honestum, veritatem, quæ ex se absolutè honesta est, & consequenter ipsam honestatem oppugnare, & quantum in se est euertere : per omne autem mendacium veritas oppugnatur, & quantum est in potestate mentientis euertitur. Sicut autem ab infinita bonitate ac veracitate alienissimum est peccare aut mentiri; ita ab eadem alienissimum est alterutrum alteri præcipere.

Numquam licet mentiri *August.*

Conclvsio V. Impossibile est Deum, ali- 17
quem directè incitare siue impellere ad mentiendum. Probatur, quia aliàs ipse ea ratione esset verè causa mendacij, & consequenter peccati, quod alter committeret: atqui omnino impossibile est Deum esse causam peccati aut mēdacij: hoc enim illi bonitati ac veracitati infinitæ penitus repugnat, vt cum Trident. sess. 6. can. 6. contra hæreticos nostros communiter doceāt omnes Catholici : ergò Deus nequit aliquem impellere ad mentiendum. Confirmatur, quia Deus vt prima veracitas infinitè odit mendacium: ergo nequit velle id ab aliquo committi; & consequenter nequit aliquem impellere siue incitare vt hoc committat.

Trident.

Potest tamen Deus alicui ex bona intentio- 18
ne obijcere quædam, ex quibus alter sua malitia aut imprudentia accipiet occasionem mentiendi aut aliter peccandi, atque ita indirectè & per accidens esse ei occasio illa faciendi : nequit tamen illud facere ea intentione vt hæc fiant; quia nullo modo potest velle hæc fieri.

Deus potest alicui per accidens esse occasio mendacij, nequit tamē hoc intendere.

Sunt autem hæc vera etiam eo casu, quo al- Deus nequit
ter ob inuincibilem ignorantiam nullam com- aliquem im-
mittet culpam ita mentiendo, quia saltem com- pellere ad
mittet peccatum materiale, quod Deus non materiale
potest velle fieri, multoque minùs potest esse peccatum.
directa causa cur fiat, alterum ad hoc incitando. Vide dicta disp. 3. dub. 3. n. 49.

Contra dicta obijciuntur Primò, varia Scri- 19
pturæ loca; alia in quibus Deus videtur dixisse

falsa per suos Prophetas;alia,quibus videtur dicieum alios per se, aut per dæmones decepisse; alia,in quibus viri sancti ipsius instinctu videntur fuisse mentiti; alia, quæ inter se videntur pugnare:quæ singula persequi nimis operosum esset, & à nostro proposito alienum. Quare solùm assignabimus generales quasdam regulas, quibus eiusmodi loca maxima ex parte poterunt facilè explicari. in reliquis autem poterunt consuli sacræ Scripturæ interpretes, quorum propriè est eiusmodi loca ex professo tractare ac explicare.

20 Prima regula sit. Quando Deus in Scriptura aliquibus aliqua mala euentura prædicit; hæc communiter sunt comminatoria & sub conditione intelligenda,scilicet nisi illi pœnitentiam egerint,aut precibus dicta mala auerterint.Sic *Isaiæ.* intellige illud Isaiæ 38. dictum ad Ezechiam, *Morieris tu, & non vives*; cùm tamen precibus impetrarit adhuc vitam 15.annorum.& illud Io- *Ionæ.* næ 3. *Adhuc quadraginta dies & Ninive subuertetur*, quod propter eorum pœnitentiam est reuocatum;& alia eiusmodi.Qua ratione etiam communiter intelligendæ sunt promissiones, quibus Deus alicui præsertim communitati multa bona felicitatemque in futurum promittit; intelligendæ enim sunt cum hac conditione, Nisi peccatis vestris contrarium mereamini.

21 Secunda regula. Scriptura sæpè per hebraismum dicit aliquem aliquid facere, aut præcipere vt fiat,quod ipse solùm permittit fieri, aut vt summum dat aliquam occasionem ex qua præter suam intentionem id ex alterius malitia *2.Reg.16.* nouit futurum. Sic 2.Reg.16. Dauid ait Deum præcepisse Semei vt malediceret Dauid, id est ex intentione puniendi Dauidis peccatum hoc ei permisisse, & occasionem id faciendi ei obiecisse; quod aliàs sine dubio fuisset impe- *3.Reg.22.* diturus. Item 3.Regum 22.Deus dæmoni promittenti se decepturum Achab ait: *Decipies & prævalebis; egredere & fac ita.*id est permitto vt id facias,nec volo impedire. similiter infrà Deus dicitur dedisse spiritum mendacem in ore omnium prophetarum Achab. Sic etiam Christus *Iohan.13.* Iohan.13.ait Iudæ: *Quod facis fac citiùs.* solùm vt ostendat se nolle opponere moram suæ passioni,sed desiderare eam statim impleri, aut etiam cupere eum citiùs egredi cænaculo,&dare tempus ea discipulis communicandi, quæ coram illo nolebat communicare. Simili etiam phrasi *Augustin.* D.Augustin.l.83.quæst.q.vltima, concedit Deum aliquando decipere homines per spiritus nequam.& l.de Spiritu & littera Deum posse mouere homines ad sensum falsum, scilicet permittendo dæmonibus vt homines decipiant, aut etiam alia intentione ijs quædam obijciendo,ex quibus videt eos decipiendos & sensum falsum concepturos.

22 Tertia regula. Quædam in Scriptura sunt omnino tropicè intelligenda: vt illud Iacobi ad Isaac Gen.27.*Ego sum primogenitus tuus Esau.* quia nimirum erat talis iure & Dei destinatione.Ad- de,non omnia quæ Sancti in Scripturis narrantur dixisse, ex Dei instinctu dixisse, atque ita facilè potuisse contingere vt ex aliqua inaduertentia aut timore, aut etiam quia putabant in

Sancti non omnia dixerunt instinctu Dei, quæ narrantur in Scripturis dixisse.

similibus casibus sibi licere aliqua falsa dicere, dixerint aliqua non vera; cùm enim Scriptura testetur eos in alijs peccasse, non est cur ita laboremus eos in omnibus ab omni mendacio excusare: vt bene etiam notat Tu- *Turrian.* rianus 2.2.disput.3.dub.2. §. *Circa secundùm*, in fine.

Obijcies Secundò, multos Patres docere, 23 licere aliquando mentiri ad graue damnum auertendum. Ita enim videntur docuisse Hieron. Chrysost. Origen. Cassianus apud Sixtum Senensem libr.5.Biblioth. sacræ annotat.107. Respondeo parum curandam esse hac in re auctoritatem Origenis & Cassiani; quia plures alios habent errores. Hieron.autem & Chry- *Hieron. Chrysost.* sost. videntur impropriè accipere mendacium pro locutione tropica aut aliàs ambigua, quæ primo aspectu, seclusis circumstantijs apparet falsa; ijs tamen spectatis potest habere verum sensum;quare ipsi solùm volunt licere quandoque eiusmodi locutione vti; aliàs propriè loquendo cum S.August. lib.de Mendacio c.6.& *August.* 21. absolutè dicendum est numquam vlla ex causa licere mentiri: nam teste Scriptura Pro- *Prouer.12.* uerb.12.*Abominatio est Domino labia mendacia.* & *Psal.5.* psalm.5.de Deo dicitur: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem, & perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Vnde Alex.III.cap.*Super eo.*de vsu- *e.Super eo.* ris, docet, sacram Scripturam prohibere etiam pro vita tuenda mentiri.

His adde, etsi concederemus ex causa iusta 24 quandoque fieri posse vt homo licitè mentiatur, secùs tamen esset dicendum de Deo: tum quia nulla potest ei occurrere necessitas mentiendi, sicut homini possunt sæpissimè occurrere grauissimæ necessitates quibus se aliter quàm mentiendo,expedire nequit; tum etiam quia si Deus aliquo casu posset mentiri, adimeretur ei illa auctoritas primæ veritatis, cui in omnibus debemus indubitanter credere. Si enim ipse vnquam vlla ex causa posset mentiri, semper possemus dubitare an in præsenti suo testimonio non haberet fortè iustam causam mentiendi, cùm infinitas habere posset quæ nobis essent penitus ignotæ; atque ita non teneremur ei in omnibus absolutè credere.

Etsi homo quandoque licitè mentiretur,non tamen Deus;

Si Deus posset aliquo casu mentiri, non esset prima veritas;nec ei in omnibus credendum esset.

Obijcies Tertiò, Fieri potest vt aliquis ex in- 25 uincibili errore putet aliquid à Deo esse reuelatum,quod à parte rei falsum est, seque teneri illud credere,& alijs nunciare;quo casu verè tenebitur illud credere,& alijs nunciare,atque ita mentiri: ergo poterit Deus ei præcipere vt hoc faciat.

Respondeo negando consequentiam. quia, etsi talis eo casu, ne contra conscientiam peccet, iure naturæ teneatur dicta facere; tamen Deus non poterit hoc ei directè præcipere,quia nulla potest Deo occurrere necessitas aut iusta causa id faciendi; cùm si ipse velit ei circa dictam rem aliquid præcipere aut reuelare, possit ei facillimè aperire veritatem, & præcipere vt hanc credat & enunciet.

Possum ex conscientia erronea ad aliquid obligari,quod Deus mihi nequit præcipere.

DVBIVM

DVBIVM II.

Vtrùm Deus possit alicui infundere assensum falsum, aut habitum ad hunc inclinantem?

16 PRima opinio docet, id fieri posse. Primò, quia nulla ostendi potest implicantia. Secundò, quia Deus potest alicui obijcere speciem alicuius hominis, ita vt alter verè putet se talem hominem videre, & hac ratione ei esse occasio assensus falsi: ergo potest hunc in eo solus producere. Tertiò, quia Deus habitum erroris ex actibus acquisitum potest in potentia solus cõseruare: ergo potest eum in ea solus producere. Huius sententiæ videtur Caietan. in l.2. Reg.c.12.& 16. vbi dicit, Deum posse esse causam mendacij, non vt mendacium est, sed vt pœna est. & de habitu erroneo eam tenent quidam apud Turrian. 2.2.disp.3.dub.4.

Caietan.

Turrian.

27 Deus dupliciter potest concipi in aliquo causare assensum falsum.

Nota, Deum dupliciter posse concipi causare in aliquo assensum falsum. Primò, se solo eũ producendo in intellectu, quo casu intellectus per eum nihil intelligeret; sed haberet se modo mortuo.

Secundò, ita vt cum intellectu speciali modo ad eius productionem concurrat, eum ad illum determinando, qua ratione in eo causat gratias præuenientes, ac similes veras illustrationes, quæ etsi physicè etiam ab intellectu producantur, tamen quia Deus est præcipua earum causa, & homo ad eas non concurrit liberè, soli Deo tamquam absolutæ causæ tribuuntur. vnde Arausicanum can.20. ait, Deum in homine multa bona facere, quæ non facit homo, scilicet morali modo agendo & liberè, siue ita vt homini imputari debeant.

Arausic.

28 CONCLVSIO I. Impossibile est Deum in me causare assensum falsum secundo modo ex iam dictis. Ita Auctores citandi pro 3. concluf. qui hanc supponunt; imò eam etiam videntur sequi quidam, qui putant Deum posse nobis infundere habitum erroris, quia negant inde sequi eum nobis ita futurum causam erroris. Probatur, quia sicut summæ bonitati repugnat, non solùm per se peccare, sed etiam esse veram causam peccati, siue cur alius peccet: ita primæ veritati repugnat non solùm per se mentiri, sed etiam esse verè & directè causam erroris siue cur alius erret, sicut est ei causa veritatis dum ipsum ea ratione impellit ad assensum verum.

29 CONCLVSIO II. Probabilius est Deum ne quidem priore modo ex dictis posse in nostro intellectu assensum falsum producere: quia, etsi intellectus eo casu nihil per actum illum intelligeret, & consequenter nulli rei assentiretur; atque adeò nec erraret (quia actus ita productus in intellectu nec esset propriè & formaliter assensus, & consequenter nec error, sed nuda quædam qualitas talis speciei) tamen ille actus esset formaliter dedecens tale subiectum, & ex se natus in falsum inclinare, ac in errorem inducere; quare inconueniens videtur eum actum à prima veritate naturaliter ab omni falsitate alieniſſima in intellectu causari, præsertim cùm nulla iusta causa videatur eam productionem posse exigere. Quamuis autem hæc ratio non conuincat, ideoque contrarium non improbabiliter possit defendi; tamen eam satis probabiliter probat.

Actus in nico intellectu a solo Deo productus non est propriè assensus, aut dissensus.

CONCLVSIO III. Deus nequit alicui habitum erroris infundere. Ita Medina 1.2.qu.24.& Vincentius de gratia Christi q 1.apud Turrian. 2.2.disp.3.dub.4.qui id etiam putat esse probabilius. Probatur Primò, quia Deus ea ratione talem directè inclinaret in errorem, & esset ei vera causa erroris: atqui, vt ostendi concluf.1. hoc à prima veritate est omnino alienum: ergo Deus nequit talem habitum alicui infundere.

30 *Medina. Vincentius. Turrian.*

Maior patet, quia cùm talis habitus per se directè in errorem inclinet, Deus eum infundendo, per eum directè intellectum inclinaret in errorem: atqui qui aliquẽ directè inclinat siue incitat in errorem est ei vera causa erroris; sicut is qui impellit aliquem ad peccatum est ei directè causa peccati: ergo Deus infundendo alicui talem habitum esset ei causa erroris. Nec refert, quòd ille habitus non producat actum falsum nisi concurrente potentia, nec hanc ad agendum necessitet, aut etiam quòd non concurrat immediatè ad substantiam ipsius actus, vt aliqui volunt: quia quidquid his de rebus sit, vt ille in se sit vitiosus, naturam rationalem dedecens, ac causa erroris, sufficit quòd intellectum ad hunc eliciendum inclinet; vt argumentum probat. Probatur Secundò, quia talis habitus est forma dedecens tale subiectum, & indigna quam prima veritas per se causet, siue quæ primæ veritati vt causæ tribuatur, iuxta dicta concl.2. ergo omnino dedecet eam à prima veritate in nobis directè produci siue causari: præsertim cùm nulla possit occurrere causa quæ Deum meritò moueat ad eiusmodi habitum in intellectu per se producendum; cùm id non possit habere finem honestum.

Ad primum argumentum positum num.26. Respondeo in eo ostendi claram implicãtiam, quòd omnino repugnet primæ veritati, eã quacumque ratione directè esse causam erroris, sicut repugnat infinitæ bonitati esse causam malitiæ: vt ostendi suprà. 31

Ad secundum, nego consequentiam: quia ille habitus potest conseruari à solo Deo concursu vniuersali, non potest tamen ita à solo Deo produci. Sicut igitur dum Deus ad eius productionem concursu vniuersali concurrit, atque ita possit dici illius causa vniuersalis; tamen non debet simpliciter & absolutè dici illius habitus causa, ita vt, quòd ille hîc & nunc producatur, tribuatur Deo vt causæ; sed 32 *Cur conseruatio habitus vitiosi non debeat tribui Deo.*

sed ipsi homini, qui ad eum concurrit concursu ex parte sua determinato: ita quòd ille perseueret, non debet tribui Deo, sed homini qui est causa cur sit productus.

DVBIVM III.

Vtrùm Deus possit vti oratione aut verbis ambiguis, aut quæ aliud exteriùs significent, quàm ipse intendat significare? & qua ratione id sit licitum aut illicitum?

33 VT faciliùs possimus disputare qua ratione Deus possit eiusmodi oratione vti, primò nobis disputandum est, qua ratione id sit licitum aut illicitum. Si enim esset intrinsecè malum, certum esset Deo fore omnino impossibile id facere, quia ipse nullo modo potest facere aliquid intrinsecè malum. Vt autem clariùs procedamus, Nota Primò, me varijs modis posse loqui alio sensu, quàm ab auditoribus intelligor.

Variis modis possum aliter loqui quàm intelligar.

Primò, vtendo verbis quæ secundùm communem loquendi vsum habent duplicem sensum ferè æquè communem, vt, *Aio te Aeacida Romanos vincere posse*: & certum est ex aliqua causa, etsi non ita magna, licere vti tali oratione, etsi sciam me alio sensu intelligendum, quàm ego intendam; præsertim quando inde nullum aliud damnum sequitur, quia ego non possum eo casu dici causa cur auditores decipiantur, cùm mea verba tam sint nata generare verum sensum quàm falsum: sed si ipsi ea accipiant in sensu falso, hoc suæ imprudentiæ imputare debent.

Licitè quandoque vtimur verbis ambiguis.

34 Secundò, vtendo verbis quæ secundùm communem & planum sensum significent falsum; tamen secundùm alium sensum etiam vsitatum, licet rariorem, sunt vera. Sic Matth.11. & alibi Iohannes Baptista, dicitur Elias, scilicet officio & functione.

Matth.11.

Tertiò, vtendo restrictione mentali, siue vtendo verbis quæ secundùm se sumpta, & prout exteriùs proferuntur sunt falsa; iuncta tamen quibusdam verbis quæ tecum solùm interiùs pronuncias, aut illis subintelligis, sunt vera. vt si quis dicat se aliquid nescire, subintelligendo vt dicat tibi. & de hac ratione loquendi est præcipua difficultas. Quidam enim videntur absolutè negare eam aliquando licere. Nam Caietan. 2.2. qu.89. art.7. & Sotus l.8. de Iustit. q.1. a.7. sub finem, docèt semper esse peccatum, & quidem mortale si accedat iuramentum, aliquid ita affirmare vt verba exteriùs prolata secundùm se sumpta sint absolutè falsa.

Caietan. Sotus.

35 Alij tamen plurimi tenent aliquando licere vti restrictione mentali, etiam adhibito iuramento. Ita Siluest. verb. *Iuramentum*, 3.qu.2. & verb. *Iuramentum*, 4.q.7.§. *Secundùm*. Angelus v. *Iuramentum*, 5.nu.9. Nauar.c.12.n.8.9.& 19. Couar.l.1. Var.resolut.cap.2.n.2.3.4. Valentia 2.2. disp.5.q.13.punct.2.§. *Nihilominus*, & p.3.disp.7. q.13.puncto vlt.§. *Quid si quis*. Salon 2.2.qu.69. art.2. controuers.11.ratione 4.& ad 1.& 5. Suarez tom.2.de Relig.tract.4.lib.3.c.10.& 11. Lessius de Iust.c.42.dub.9.n.47. Reginaldus l.18. n.90.& 91. Toletus l.4. Summæ c.21.num.9. & cum alijs Sanchez l.1. de Matrim.disp.10. in fine, & de Præcept.l.3.c.6.n.15.

Silvest. Angelus. Nauarr. Couarr. Valentia. Salon. Suarez.

Lessius. Reginal. Toletus. Sanchez.

Probant id aliqui Primò, quia qui alteri loquitur, non tenetur totam suam mentem ei explicare; sed potest ei solùm vnam partem explicare, & aliam intus reticere, quod fit in restrictione mentali. Nec refert quòd illud, quod profertur secundùm se sumptum sit falsum; quia loquens non intendit illud solitariè sumptum affirmare; sed potest illud velle solùm affirmare prout coniunctum est verbis quæ tacitè subintelligit. Hoc autè fieri posse probatur ex D. Gregor. homil.1. in Ezechiel. cuius prophetia incipit, *Et factum est*. quæ verba S. Gregorius explicans ait, eum ita incipere, quia internam orationem cum externa coniungit.

Gregorius.

Probant Secundò, ex c. *Humanæ aures*, 22.q. 5. vbi ex D. Gregorio l.26. Moral.cap.7. dicitur: *Humanæ aures talia verba nostra iudicant, qualia foris sonant: diuina verò iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur. Certè nouerit ille qui intentionem & voluntatem alterius varijs explicat verbis, quia non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem & intentionem; quia non debet intentio verbis deseruire, sed verba intentioni.* & infrà: *Si intentio non dicitur deseruire verbis, sed verba intentioni; patet quòd Deus non accipit sic iuramentum sicut ille cui iuratur: sed potiùs sicut qui iurat intelligit.* 36

c. Humanæ.

Probant Tertiò, exemplo multorum Sanctorum, atque adeò ipsius Christi, qui in Scriptura leguntur simili restrictione vsi. Marci 13. Christus discipulis interrogantibus quando dies iudicij futurus esset, respondit, *De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in cælo, neque filius hominis.* scilicet vt legatus & doctor hominum. nam aliàs certum est Christum illum diem nosse. Item Iohannis 7. cognatis vrgentibus eum vt ad instantem diem festum ascenderet Ierusalem, ait: *Ego non ascendo ad diem festum istum.* scilicet manifestè. nam paulò pòst occultè ascendit.

Marc.13.

Iohan.7.

Sed hæc argumenta non conuincunt. Ad primum, Respondeo, etsi non tenearis alicui integram tuam mentem aperire, tamen teneris non mentiri: talis autem oratio videtur continere verum mendacium; nam secundùm totum quod in ea habet vim significandi, est falsa: quia non significat secundùm eam partem, quæ intus reticetur, sed solùm secundùm eam quę profertur, secundùm quam est falsa. 37

Oratio solù significat secundùm exteriùs prolata.

Ad illud Gregorij in Ezechielē, Respondeo illum non dicere licere alicui aliqua dicere secundùm se falsa, modò sint vera prout coniunguntur internæ locutioni: sed solùm Prophetam visioni internæ & locutioni cum Deo intentum & quasi abreptum, externam locutionem coniungere cum ea qua cum Deo locutus fuerat, non quidem ita vt externa secundùm se falsa sit: sed suo modo loquendi innuendo se exteriùs continuare locutionem quam interiùs cum Deo inchoauerat. Faciliùs tamen ad verba Prophetæ respondeas, eum loqui more Hebræorum, apud quos littera, siue & nō semper habet vim coniungendi; sed varium alium vsum:

vsum: & sæpè redundat, vt varijs exemplis probari posset.

38 Ad secundum, Respondeo Primò, sola priora verba ibi citata vsque ad vers. *Certè nouerit*, esse D. Gregorij; reliqua verò esse Gratiani addentis glossam ad verba Gregorij. Respondeo Secundò, verba Gregorij nihil facere ad præsentem casum; nam reprehendit ibi temerarium iudicium Eliu, qui ex eo quòd Iob c.31. vers.6. dixerat: *Appendat me in statera iusta, & sciat Deus simplicitatem meam*, infert cap.35. vers.1. Iobum se facere iustiorem Deo. quem D. Gregorius docet malè verba Iobi interpretatum esse in alio omnino sensu quàm Iob intenderit. Additque humanas aures siue homines in verbis aliorum obscurioribus diiudicandis sæpè falli, interpretando ea in sensu malo & alieno à mente dicentium; Deum tamen, qui interiorem intentionem intuetur, numquam falli. Quod etiam Gratiani glossa indicat illis verbis: *Certè nouerit*, &c. quibus clarè innuit S. Gregorium solùm voluisse mentem & sensum loquentis non debere colligi ex verbis nudè scriptis, sed simul videndum esse qua intentione dicantur: quam ex varijs circumstantijs debemus colligere.

Verba secundùm circumstantias quibus proferuntur interpretanda sunt.

Ad tertium, Respondeo solùm probare ea, quæ dicemus concl.3.n 50.

39 Nota Secundò, ex dictis disp.9. num.28. me per verba merè interna non posse loqui, nisi mihi aut Deo inspicienti internas cogitationes: nullo autem modo homini, qui illa non videt; & consequenter per illa huic nihil dico aut affirmo.

Per verba interna homini loqui nequeo.

Nota Tertiò, ex ijs quæ docui tom.1. de Sacram. q.60.a.8.n.60. & 62. non esse in potestate alicuius priuati imponere verbis aliquam significationem, nec horum significationem pendere à dicentis intentione: quidquid enim hîc intendat eadem oratio, cum ijsdem externis circumstantijs prolata, idem significat, quacumque intentione proferatur.

Significatio verborum non pendet à nostra intentione, nec nostro arbitrio mutari potest.

40 Vnde sequitur Primò, me per solam externam locutionem, prout ab interna procedit, alteri homini loqui, eique aliquid dicere. Secundò, hanc solam aliquid significare: cùm enim interior non possit alicui esse signum rei ignotæ, nihil potest alicui significare; nam significare aliquid alicui, est ei esse siue dare alicuius rei signum. teste autem D. Augustino libr. 2. de Doctrina Christ. c.1. *Signum quædam est res præter speciem, quam sensibus ingerit faciens aliquid aliud in cognitionem venire.* Et quamuis fortè aliquis contendat, saltem lato modo loquendi, me per internam locutionem posse aliquid significare mihi ipsi aut Deo; tamen & is modus loquendi minùs proprius est, ac contra communem vsum & testimonium D. Augustini citatum, (quia non possum per eiusmodi locutionem dare aut mihi aut Deo aliquod signum, quod me aut Deum faciat in alicuius rei cognitionem venire) & non facit ad præsentem casum: quia hîc agimus de locutione qua aliquid homini significatur; quod soli externæ locutioni potest conuenire.

Sola externa oratio aliquid significat.

S. Augustin.

41 Sequitur Tertiò, meam locutionem esse significatiuam præcisè quatenus exteriùs profertur, quia cùm hac ratione præcisè possit ab alio cognosci, etiam hac præcisè ratione potest alteri esse signum alicuius rei: quia nihil potest alicui esse signum nisi quatenus ab eo potest cognosci.

Locutio solùm est significatiua quatenus externa profertur.

Ex quo sequitur Quartò, locutionem merè internam non posse complere significationem locutionis externæ, efficiendo vt hæc plus aut aliud significet, quàm sine illa significaret. Quia, vt iam ostendi, verborum significatio nec pendet ab intentione loquentis, nec ab ea immutari potest, nisi per adiunctionem alicuius signi externi; illa autem locutio merè interior nullam habet rationem signi, nec quidquam aliqua ratione significat.

Interna locutio nequit complere aut mutare significationem externam.

Sequitur Quintò, etsi locutio interna siue conceptus mentis qui per externam locutionem significatur, cum hac vnam integram locutionem componat; nullo modo tamen hoc potest dici de locutione merè interna, quæ exteriùs nullo modo exprimitur. Patet, quia vt duæ locutiones vnam integram componant, debet inter eas esse aliqua connexio, vel tamquam inter signum & significatum, qualis est inter internam & externam, qua illa exprimitur; aut tamquam inter duas orationis externæ partes quæ simul vnum integrum signum constituunt; vel ex eo quòd simul per modum integræ orationis ad eumdem diriguntur, vt fit in oratione mentali ad Deum, quæ varijs partibus constat. nullo autem ex dictis modis locutio merè interna cum externa qua homines alloquimur (de hac enim hîc solùm agimus) potest vnam orationem componere: quia nec primo modo, quia illa per hâc non exprimitur; nec secundo modo, quia nec est vllo modo oratio externa, nec vllo modo habet rationem signi; nec tertio modo, quia nec ad homines verè dirigitur, nec per eam homines vllo modo alloquimur.

42 Interna locutio non componit orationem vnam cum externa nisi quatenus exprimitur.

Nota Quartò, eandem orationem externam sæpè ratione diuersarum circumstantiarum omnino diuersa significare. v.c. hæc verba: *Ego te absoluo ab omni peccato*, aliud significant dicta à confessario pœnitenti, scilicet remissionem peccatorum in foro conscientiæ & coram Deo: aliud verò dicta à summo principe alicui reo petenti veniam, scilicet remissionem peccatorum in foro ciuili: aliud verò dicta à iudice ei, qui in iudicio ostendit se falsò fuisse accusatum, quo casu nihil aliud significant quàm, Iudicialiter declaro te, quâtum liquet ex allegatis & probatis, esse innocentem siue purum à criminibus obiectis. Item, si alicui petenti vt dem ei librum quem constat esse meum, dicam, *Est tuus*, significo me eum ipsi dare: si verò dubitanti, & à me petenti cuius talis liber sit, iisdem verbis respondeam, *Est tuus*; non significo me eum ipsi dare, sed eum à parte rei ipsius esse. hinc in priore casu liber vi illius locutionis ex meo fit ipsius: in secundo, si ipsius non sit, pergit non esse ipsius. quæ fusiùs explicui tom.1 de Sacram. q.66.n. 38. & q.73.n.11. & q.74.num.14. & tom.2.d.4. num.54.

43 Eadem oratio ob varias circumstantias varia significat.

Nota Quintò, nos variis modis posse obligari ne locutione ambigua scienter simus causa alteri deceptionis ac erroris. Primò, præcisè ex virtute

44

Variis modis obligamur ne simus alicui causa erroris.

virtute veracitatis: sicut enim castitas aliæque virtutes me obligant, non solùm, ne directè aliũ ad vitia ipsis contraria incitem, sed etiã vt quantum sine graui incõmodo fieri poterit, caueam ne sim ei occasio in eiusmodi vitia labendi: ita etiam veracitas me obligat ne sponte alteri sim causa aut occasio erroris siue falsi conceptus. Quia tamen cessante alio incommodo, hoc malum est leue; inde fit hanc obligationem esse leuem, & facilè ex aliqua causa etiam exigua cessare.

45 Secundò, ex caritate, vt quando ex illo errore decepto notabile aliquod incommodum acciderei; & quo malum hoc est grauius, eo obligatio non dandi occasionem tali errori est grauior, & grauiorem causam requirit vt cesset.

Tertiò, ratione officij, qua ratione debemus cauere ne errent ij qui se nobis instruendos tradiderunt, præsertim in ijs rebus, in quibus instruendos suscepimus; & posset esse obligatio ex iustitia, quando laboris pretium accipimus, vt faciunt ludimagistri, aut quando alia ratione nobis stipendium persoluitur; qua ratione Pastores tenentur instruere suos in rebus fidei & in moribus Christianis, quia ideo stipendium siue sustentationem accipiunt.

46 Quartò, ex iustitia, vt quando accepto pretio tenemur aliquem instruere, iuxta dicta in fine casus præcedentis, aut quando cum aliquo contrahimus tenemur ex iustitia verba nostra ad contractum spectantia eodem cum altero sensu intelligere, quando alter aliàs deciperetur circa substantiam contractus, inualidè eum ineundo, aut si aliàs aliquod damnum ei immineret. vide Lessium de Iustit. c. 21. n. 86.

Lessius.

Quintò, ex obedientia, vt quando Superiori legitimè interroganti respondes: teneris enim respondere ad mentem ipsius, nisi graui aliqua causa iustè excuseris.

Sextò, ex obligatione particularis alterius virtutis, cui error eius qui decipietur directè vel indirectè contrariatur, vt si esset in materia fidei; aut alius ex eo inducendus esset, vt faciat aliquid contra castitatem, iustitiam, temperantiam, &c. etiamsi ob inuincibilem ignorantiam hæc sine culpa facturus sit: nam tenemur quantum fieri potest eiusmodi peccata etiam materialia in nobis & alijs impedire, multoque magis tenemur alteri non dare occasionem ea committendi.

Malè damus alteri occasionem peccandi etiam materialiter quando abest iusta causa.

47 Conclvsio I. Sponte vti verbis ambiguis quantumuis in aliquo sensu veris, ex quibus videmus alium in errorem inducendum; ersi omne aliud incommodum absit, si tamen sine iusta causa fiat, est peccatum veniale contra veracitatem. Hæc est apertè sententia Caiet. 2.2.q.89.a. 7. & credo à nemine negari: & apertè sequitur ex dictis n. 44. Et confirmatur, quia talis modus loquendi repugnat directè fini, ad quem locutio instituta est, & loquẽdi facultas nobis ab auctore naturę data est; vt scilicet mentis conceptus reique veritatem alijs possemus aperire: quæ ille modus loquendi obscurat, cùm nesciat audiens quo sensu debeat dicta intelligere; atque ita euertit omnem fructum communis cõuersationis, redditque loquentem suspectum fraudis & mendacij, & cui meritò non facilè fidem habeas: cùm sæpè possis de ipsius mente dubitare, ne fortè alio sensu sua verba intelligat, quàm præ se ferat.

Caietan.

Cur nobis data sit facultas loquendi.

Conclvsio II. Existente iusta causa licitè vteris verbis ambiguis etiam in sensu minùs obuio, etsi videas auditorem ea malè intellecturum, atque ita decipiendum esse. Ita Doctores citati nu. 35. & est communis. Et probatur, quia illo modo loquendi nec mentiris, quia verba tua prout exteriùs proferuntur, in legitimo aliquo sensu sunt vera; nec alteri es propriè causa erroris, sed solùm occasio, quod ob iustam causam non teneris hîc & nunc euitare; sicut existente iusta causa non teneris vitare, ne sis alteri occasio alterius mali aut etiam peccati. v.c. mulier non tenetur cum notabili incommodo abstinere publico, ne sit alicui occasio lapsus in cogitationes inhonestas: nec refert quòd tua verba non sint vera in sensu obuio & magis communi, quia non teneris ea in eo sensu accipere aut proferre, sed cùm adest iusta causa sufficit te ijs vti in aliquo vero sensu. 48

Conclvsio III. Numquam aliquid affirmando aut negando licet vti oratione, quæ spectatis omnibus circumstantijs prout exteriùs profertur, est absolutè falsa, nec potest habere verum sensum: quamuis iuncta verbis quæ à dicente tacitè subintelliguntur, fit vera; nisi illa ea ratione ijsque circumstantijs proferatur, vt prudens auditor ex his meritò colligat, verbis exteriùs prolatis aliqua alia subintelligi. Ita Sotus & Caietan. quos citaui num. 34. Azor tom. 1. Moral. l. 11. c. 4. qu. 5. in fine. Lopez 1. parte Instructorij cap. 42. versu *Item qui non.* & alij apud Sanchez in Præcepta decal. lib. 3. cap. 6. num. 12. 49

Sotus. *Caietan.* *Azor.* *Lopez.* *Sanchez.*

Probatur, quia aliàs talis oratio est absolutè falsa, nec potest habere vllum sensum siue significationem veram: ergo est mendacium, & consequenter semper illicita, quia numquam licet mentiri. Consequentia clara est. Antecedens probatur, quia talis oratio præcisè secundùm se sumpta prout exteriùs profertur, est absolutè falsa, nec potest habere verum sensum (vt iã suppono, nã cõclusio apertè de tali loquitur) nec etiam potest habere verum sensum ratione intentionis dicentis, aut orationis merè internæ, quam loquens ei subintelligit: quia, vt ostẽdi n. 40. 41. & 42. hæc nisi exteriùs aliquo modo exprimatur, non potest cum externa oratione vnam eandemque orationem componere, aut eius significationem mutare, aut supplere defectum, & consequẽter nec potest efficere vt eius significatio secundùm se falsa sua accessione fiat vera: ergo ipsa nulla ratione potest habere veram significationem siue sensum verum.

Dices, Mentiri est contra mentem ire, siue intendere aliquid significare quod scis esse falsum: atqui talis per illa verba exteriùs prolata non intendit significare id quod scit esse falsum, sed id quod scit esse verum: ergo non mentitur. Respondeo, negando minorem. quia, vt iam ostendi, verba exteriùs prolata in his circumstantijs absolutè sine vlla ambiguitate significant id, quod proferens scit esse falsum, nec vllo modo significant aliquid verum: atqui ipse 50

Quid requiratur ad mendacium.

simpli-

simpliciter in iis circumstantijs intendit ea proferre: ergo intendit significare aliquid falsum. quia sicut me aliquid siue verum siue falsum de facto verbis significare, nihil est aliud, quàm me, præsertim scienter per modum asserentis proferre verba, quæ spectatis omnibus circumstantijs illud sine ambiguitate significanti: ita me intendere aliquid siue verum siue falsum significare nihil est aliud, quàm me intendere dicto modo proferre verba, quæid sine ambiguitate significant. Nec refert quòd simul expresse intendam, non illud, sed aliquid aliud significare, quia hæc intentio solùm est inefficax quædam & omnino impertinens velleitas, ideoque efficacem intentionem non impedit. Sicut qui liberè ac sciens facit aliquid, directè occisiuum alterius, hoc ipso verè secundùm moralem æstimationem, & quoad culpæ imputationem, intendit eum occidere, quantumuis contrarium inefficaciter velit.

Scienter falsum significans intendit falsum significare.

51 Dixi, *nisi ipsa ea ratione*, &c. quia sæpè fit vt ratione circumstantiarum alicuius orationis significatio mutetur, (vt ostendi n. 43.) aut etiam restringatur, aut modificetur, eò quòd ex illis satis appareat externis verbis aliqua alia subintelligi, quæ etsi apertè non exprimantur, tamen ratione circumstantiarum implicitè insinuantur, ita vt à prudente satis possint intelligi; saltem modo aliquo confuso, quatenus videt verbis expressis aliqua subintelligi, etsi certò nequeat scire quænam ea sint. Atque hac ratione verba subintellecta cum verbis expressis connectuntur, vnamque integram orationem perficiunt. v. c. Petrus Catharinæ, quæ publicè habetur virgo & honesta, promittit matrimonium; ratione ipsius contractus ex communi hominum sensu hæ conditiones subintelliguntur, Si virgo sis, aut nisi talis circa te mutatio acciderit quæ meritò me à tuis nuptijs auertat. vide D. August. l. de Mendacio c. 2. & 5. Item Petrus interrogatur à iudice an tale crimen fecerit, quod verè fecit, sed omnino occultè; sine mendacio respondet se id non fecisse: quia cùm iudex solùm habeat potestatem rogandi de criminibus aliquo modo in iudicio probatis, aut de quibus reus sufficienter est infamatus, censetur solùm de iis interrogare, nec reus tenetur alia fateri: quare dum negat se illud fecisse, apertè ratione circumstantiarum subintelligitur, Ita vt sit probabile in iudicio, siue vt id teneat tibi fateri.

Quid requiratur vt verba subintellecta connectantur externis.

Qua ratione varia variis orationibus subintelligantur. *August.*

52 Item cùm omnis qui me interrogat an aliquid de aliqua re sciam, id faciat in ordine vt id publicem siue ei communicem, meritò secundùm mentem ipsius interrogantis, (quam aut hîc & nunc habet, aut dum interrogat habere debet) dicor nescire id, quod non possum ei dicere; atque ita dum dico me id nescire, ratione circumstantiarum subintelligitur, Ita vt tibi possim dicere. Similiter quando aliquis ab iis, ad quos legatus est, de aliquibus interrogatur, censetur interrogari tamquam legatus; quare si ea non sciat vt legatus, sine si non habeat commissionem de iis agendi, sine mendacio dicit se ea nescire, quia non scit illa ea ratione qua interrogatur, siue vt legatus; quâ-

uis alia ratione ea sciat. Quod maximè verum est quando ipsius princeps non cupit ea ab ipso diuulgari: tunc enim non scit ea in ordine ad diuulgationem; & consequenter necea ratione, qua interrogatur.

53 Ex his patet Primò, qua ratione vera sint verba Christi Marci 13. & Iohannis 7. citata nu. 36. priore enim loco verè dicit filium hominis nescire diem iudicii, quia ipse eum ignorabat vt legatus Patris ad nos & vt doctor hominum, atque etiam in ordine ad publicationem, quia non habebat commissionem eum diem nobis nunciandi, quem Pater vult manere secretum; atque ita Christus eum vulgare non poterat. In secundo etiam verè dicit se non ascensurum ad diem festum istum, scilicet secundùm mentem & intentionem rogantium, siue palàm & cum manifestatione sui ipsius per signa & prodigia, prout ipsius cognati rogabant vt ascenderet: ad horum enim interrogationem & mentem accommodè respondebat: illi enim non curabant de occulta ascensione, sed quærebant talem, qua se mundo manifestaret, vt patet ex eorum verbis.

Marc. 13. Iohan. 7.

Qua ratione Christus nescierit diem iudicij.

Qua ratione Christus dixerit se non ascensurum ad diem festũ Iohan. 7.

54 Patet Secundò, qua ratione multa Sanctorum dicta quæ in Scriptura commemorantur, quæque prima fronte videntur falsa, possint à mendacio excusari: quia nimirum ratione circumstantiarum patebat vel aliquid iis subintelligi, vel ea mysticè intelligenda esse. Qua ratione D. August. lib. contra Mendacium excusat factum Iacob, quo Genes. 27. obtinuit benedictionem à patre suo Isaac. Quòd si quædam sint, quæ dicto modo nequeant demonstrari vera, ideò non est inferendum nobis similia esse licita, quia illa ab iis facta sunt; cùm non sit necesse nos omnia eorum dicta aut facta, quæ in Scriptura narrantur, Spiritui sancto vt auctori tribuere, aut ab omni næuo excusare: vt ex Turriano notauisuprà n. 22.

Qua ratione multa Sanctorum dicta excusentur à mendacio.

August.

Turrian.

55 Patet Tertiò, quod ad rem præsentem pertinet, magnam esse differentiam inter restrictionem mentalem quæ ex verbis externis ratione circumstantiarum, in quibus hæc dicuntur, potest facilè à prudente notari; & inter eam, quæ ita notari non potest. In priore enim verba subintellecta aliquo modo virtualiter exteriùs exprimuntur; atque ita cum alia oratione externa vnam integram orationem perficiunt, & illius significationem moderantur. Secùs est de secunda restrictione, cuius verba subintellecta sicut nullo modo exteriùs exprimuntur, ita nulla ratione cum externa oratione vnam orationem componunt, aut eius significationem moderantur. Vnde vlteriùs sequitur, priorem restrictionem aliquando iustis de causis esse licitam, secundam verò numquam.

Qualis restrictio sit licita.

56 Patet Quartò, faciliùs posse contingere vt licitè vtamur restrictione mentali, quando interrogati respondemus, præsertim si interrogemur de re aliqua quam nec tenemur nec sine notabili incommodo possumus interrogranti indicare; quàm quando non interrogranti aliquid ex nobis dicimus. cùm enim, vt ostendi n. 51. & 52. responsio respiciat ipsam interrogationem ac potestatem & conditionem interrogantis

Interrogatus faciliùs licitè vtitur restrictione mentali, quã alius.

gantis & interrogati, ipsa facilè ex his aliquam modificationem accipit, ob quam aliquid debeat ei subintelligi, quod verbis non exprimitur. Secùs fit in secundo casu; nam in eo non tam facilè occurrunt circumstantiæ quæ innuãt aliquid nostris verbis subintelligi. Adde, quando aliquis interrogatus respondet ei cui non tenetur veritatem aperire, cùm ad responsionem ab interrogante compellatur, atque ita ponatur in necessitate aut ea prodendi quæ vult latere, aut mentiendi, aut obscurè loquendi, potest per modum defensionis hoc tertium amplecti; & quiuis prudens facilè suspicabitur eum hoc facere, atque ita alter debet sibi imputare si decipiatur. Secùs est quando non interrogatus ex se aliquid dicit.

Qua ratione teneatur respondere interrogatus an veniat ex loco infecto peste.

57 Patet Quintò, satis rarò contingere vt quis licitè vtatur restrictione mentali, verbis expressis aliqua subintelligendo quæ secundùm communem hominum sensum non solent dictis verbis in similibus circumstantiis subintelligi: nam cùm verba habeant suam significationem tam expressam quàm implicitam ex communi vsu, rarò contingit ratione circumstantiarum aliqua verbis expressis verè subintelligi, atque ita virtute & implicitè per ea significari, quæ communiter in similibus circumstantiis eiusmodi verbis non solent subintelligi, siue quæ iis communiter non intelliguntur implicitè significari; quamuis in raris casibus id aliquando possit contingere.

Vix licitè subintelligis tuis verbis, quæ hic & nunc non sunt nata iis subintelligi.

58 Vnde vlteriùs sequitur, eos, qui sæpiùs præsertim sine notabili necessitate vtuntur eiusmodi restrictionibus, non posse excusari à peccato aut etiam à mendacio, eosque omnem vsum communis sermonis peruertere, & familiaris hominum inter se conuersationis fructum omnino euertere, meritoque tales existimari, quibus in nulla re fidem habeas; vt de quibus meritò semper dubites an ea restrictione vtantur, atque ita aliter loquantur, quàm sentiant. Nec refert quòd testentur se iam sincerè & planè loqui, quia potero dubitare an etiam in his verbis non vtantur restrictione.

59 Nota demum, in his conclusionibus præcipuè agi qua ratione liceat vti oratione ambigua aut restrictione mentali; spectata præcisè obligatione planè loquendi siue dictis non vtendi, vt satisfiat virtuti veracitatis, iuxta dicta n. 44. Quæ obligatio cùm non sit ita grauis, facilius potest occurrere iusta causa aliter faciendi, siue vtendi oratione ambigua aut restrictione mentali, modò iuxta ibidem dicta verba exteriùs prolata possint habere verum sensum. Accedentibus verò alijs obligationibus enumeratis num. 45. & 46. difficilius occurrit iusta causa quæ reddat talem vsum licitum; potest tamen aliquando occurrere; quæ eo debet esse grauior, quo aliàs obligatio planè & apertè loquẽdi est maior, & quo verus tuæ orationis sensus est obscurior minusq; vsitatus. Quando autem hæc talia aut talia sint ex circumstantijs prudenti iudicio, iuxta suprà dicta spectandum est.

60 Ex suprà allatis quibusdam principijs aliqui inferunt, eum, qui ex loco peste infecto discedens aliam vrbem, in quam tales prohibentur admitti, ingressurus interrogatur à custodibus ad id constitutis, an ex tali loco veniat; si certò sciat se non esse peste infectum cum iuramento posse negare se ex illo loco venire; quia cùm talium interrogatio solùm eò tendat vt excludãt infectos peste, censentur solùm interrogare an ita inde veniat vt sit infectus. Ita Nauar. c. 12. n. 19. Sed credo contrarium esse verum: nam tales custodes simpliciter iubentur excludere ciuitate omnes qui ex eo loco veniunt, siue infecti sint, siue non; idque iure, quia aliàs admittendo eos qui omnino credunt se non esse infectos, esset periculum ne simul admitterent aliquos infectos, atque ita eorum ciuitas inficeretur. Quare quòd hic aut ille inde veniens sciat certò se non esse infectum, non probat eum lege non prohiberi ingredi ciuitatem: quia etsi tunc ratio legis videatur cessare in particulari, non tamen cessat in generali, ideoque etiam in particulari pergit obligare. Cùm igitur custodes re cognita teneantur talem excludere, quantumuis sciat se non esse infectum, immeritò eorum interrogatio ita restringitur, vt solùm tangat infectos, qui ex eo loco veniunt, aut dubitãtes an sint infecti. His adde, rarò contingere quòd venientes ex locis infectis omnino certò sciant se nulla ratione aut in corpore aut in vestibus esse infectos.

Nauarr.

Ex his facile erit inferre, qua ratione Deus possit verbis ambiguis vti, aut obscuris. pro quo sit

CONCLVSIO IV. Deus potest in Scriptura sacra aliisque reuelationibus vti verbis obscuris & oratione ambigua ac tropica, aut etiam ea, cui aliqua tacitè subintelliguntur, modò à parte rei, prout exteriùs cum suis circumstantijs exprimitur, verum aliquem sensum habeat; etsi præuideat aliquos inde sumpturos causã erroris. Est certa, & patet experientia, quia in Scriptura sacra plurimæ eiusmodi locutiones sunt. ratio est, quia, vt patet ex dictis, sæpè ex iusta causa licitè ac prudenter eiusmodi locutione vtimur: cùm igitur Deo suppetant iustissimæ causæ cur quandoque tali oratione vtatur, meritò id facit, præsertim cùm constituerit nobis Ecclesiam infallibilem eiusmodi locutionum interpretem, vnde accidit vt nemo in re aliqua possit decipi, si velit Ecclesiam consulere.

61

Qua ratione Deus possit vti oratione ambigua aut restrictione mentali.

Causæ autem id faciendi inter alias sunt, ne doctrina sacra, si ita facilis & omnibus etiam rudibus obuia sit, facilè vilescat apud imperiores eosque qui non gustant spiritualia, qui facilè contemnunt ea, quæ omnes facilè percipiunt, quasi nihil reconditum in iis lateat. Secundò, vt studium nostrum in sensu Scripturæ inquirendo excitaret. Tertiò, vt auctoritas Ecclesiæ Prælatorum ac Doctorum maior esset apud vulgus, dum hoc ita compellitur ab iis doctrinam à Deo reuelatã edisscere, ac explicationem dubiorum quærere. Quartò, vt infidelibus, in quorum manus libri sacri sæpe veniunt, sacratiora nostræ fidei mysteria clarentur, quos non expedit hæc scire, ne ea irrideant. Quintò, vt quædam, quæ in Scriptura prædicantur futura, quæ non expedit nos perfectè scire antequam fiant, eousque maneant obscura.

Quare in Scriptura Deus sit vsus orationibus obscuris, aut ambiguis.

CON-

62 Conclvsio V. Deus nequit vti aliqua locutione externa, quæ prout exteriùs profertur, nequit habere verum sensum, quantũuis iuncta verbis quæ per mentalem restrictionem ei subintelliguntur, haberet verum sensum. Quia, vt patet ex concluſ.3. talis locutio est simpliciter falsa & mendacium: atqui impossibile est Deum mentiri: ergo impossibile est eũ vti tali oratione. Cõfir. quia si Deo hoc esset possibile, possemus in omnibus Scripturæ locis dubitare, an fortè Deus nõ vtatur ibi tali restrictione, atq; ita nihil in ea posset esse certi. Nec sufficeret si Deus diceret se in tota Scriptura nõ vti tali restrictione mentali, aut se constituisse Ecclesiam infallibilem veri sui sensus interpretem; quia posita semel ea potestate in Deo possemus dubitare an non etiam in his verbis fuisset vsus simili restrictione, & consequenter similiter possemus de eorum sensu dubitare. vide dicta suprà n.11.

63 Confirmatur Secũdò, quia cùm talis locutio secundùm omnem externam apparentiam, & quatenus habet rationem reuelationis siue locutionis nobis factæ, non possit significare nisi rem falsam, moraliter ex se esset inductura in falsum iudicium; cùm quiuis ex ea falsum iudicium prudenter eliceret, & consequẽter omnes ex ea falsum sensum concipientes, Deus verè deciperet ac in errorem induceret. quod omnino impossibile est, quia impossibile est primam veritatem directè inclinare aliquem in errorem, aut esse huius causam.

Confirmatur Tertiò, quia cùm Deus naturaliter tamquam prima veritas à nobis exigat, vt omnibus eius dictis firmissimè credamus sine vlla dubitatione aut falsitatis suspicione; eius etiã veracitas ac fidelitas exigunt vt quos vult sibi ita credere, isdem nõ sit iusta occasio erroris; qualis esset si tali restrictione mentali vteretur: ergo sicut impossibile est eum facere contra exigentiam suæ veritatis ac fidelitatis, quia seipsum negare non potest, ità impossibile est eum tali restrictione vti.

64 Ex quibus patet, fieri non posse vt Deus in reuelatione mysteriorum fidei vtatur aliqua oratione ambigua habente sensum obuium falsum, & sensum verum ita obscurum, vt nemo eum possit vlla ratione assequi, aut coniicere eum subesse, aut illam orationem debere alio sensu intelligi quàm in eo qui obuius est; quia sic nobis loquẽdo moraliter esset causa erroris iis, quos vult seipsos sibi totos fidere: & daret occasionẽ dubitandi de quouis Scripturæ sensu.

Facilius homo licitè vtetur oratione omnino obscura quã Deus.

Patet Secundò, etsi posset fortè homo quandoque tali oratione licitè vti, Deum tamen non posse; quia potest homini occurrere necessitas id faciendi, non tamen Deo: & talis vsus non habet eadem incommoda in homine, quæ habet in Deo.

DVBIVM IV.

An fides possit esse falsa, aut causa falsi assensus?

65 TRiplex hîc est difficultas. Prima est, vtrùm assensus fidei possit esse falsus; siue vtrùm fide theologica possim credere aliquid, quod à parte rei falsum est? videtur enim id fieri posse. Primò, quia possum inuincibiliter putare aliquid quod falsum est à Deo esse reuelatum, atque ita id propter ipsius auctoritatem credere: atqui hoc casu assensus ille erit actus fidei theologicæ: ergo assensus fidei theologicæ potest esse falsus.

Minor probatur Primò, quia ille assensus nitetur auctoritate diuina reuelante, quia talis mouebitur ad credendum propter diuinam reuelationem, quam hîc putat subesse. Secundò, quia qui aliquid facit, quia inuincibiliter credit sibi esse præceptum, etsi non sit præceptum, sed potiùs vetitum, tamen verè exercet actum obedientiæ: ergo similiter qui credit aliquid, quia inuincibiliter putat esse à Deo reuelatum, elicit verè actum fidei. Tertiò, quia si ille sit iustus verè per talem actum meretur, sicut per alios actus fidei: ergo ille actus procedit à gratia (quia omnis actus meritorius necessariò ab ea procedit:) & consequenter est actus supernaturalis fidei.

Probatur Secundò, id fieri posse, quia si quis Iudæus paulò ante Christi natiuitatem actu credidisset Christum nasciturum, & continuasset hunc actum donec fuisset natus, ille actus fuisset verè actus fidei diuinæ, & tamen in fine fuisset falsus: ergo fieri potest vt actu veræ fidei credatur aliquid falsum. Tertiò, quia fides docet hostiam consecratam esse adorandam; fieri tamen potest hanc hostiam esse inualidè consecratam ob occultum defectũ, atque ita verè à parte rei non esse adorandam, sed tãtùm putari esse talẽ: quo casu fides docebit falsum. Quartò, quia prudentia naturalis est virtus intellectualis, & tamen potest ferri in falsum; quia Iacob prudenter credidit Liam esse suam vxorem: ergo similiter assensus fidei potest ferri in falsum.

Secunda difficultas est, vtrùm assensus fidei 66
possit esse causa alterius assensus falsi. videtur enim quòd sic: quia qui in hoc syllogismo, *Vbi solùm est vna hypostasis, ibi est solum vna natura: in Christo fuit vna sola hypostasis: ergo in eo fuit vna sola natura.* putat maiorem esse veram (vt Eutychiani putarunt) assentitur conclusioni propter præmissas: ergo assensus vtriusque præmissæ, & consequenter assensus fidei est causa assensus falsi.

Quidam apud Bañez 2.2.q.1. art.3. dub.2. 67
concl.2. aiunt illo casu assensum fidei indirectè, aut per accidens esse causam falsi assensus: quos ipse refutat; quia cùm omnis concursus fidei sit à Deo, si fides esset causa indirecta aut per accidens falsi, Deus etiam ita esset causa falsi: atqui hoc est absurdum: ergo & illud. Deinde concluſ.4. in fine docet, in dicto casu assensum fidei esse quidem causam substantiæ actus falsi, non tamen posse esse causam etiam per accidens actus falsi; quia falsitas non est annexa tali assensui, prout procedit ex præmissa de fide, sed prout procedit ex altera præmissa falsa. Sicut, inquit, Deus est causa actus qui est peccatum, non tamen est causa peccati; sed solùm liberum arbitrium, quia ratio peccati conuenit illi actui, non quatenus procedit à Deo, sed quatenus procedit à libero hominis arbitrio.

Bañez.

68 Sed hæc vltima non satis cohærent. Primò, quia quantumuis dicamus falsitatem distingui ab ipsa actus substantia, & ex hac per accidens sequi, tamen quicumque erit verè causa ipsius substantiæ actus, erit causa saltem per accidens ipsius falsitatis. Sicut enim is qui per se est causa alicuius rei, est etiam causa per se eius quod ei & necessariò, & per se coniunctum est, ita etiã est causa per accidens eius, quod ei per accidens intrinsecè coniunctum est; nam sicut prior est causa per se illius effectus, quia ille per se ipsam actionem consequitur, ita alter est huius effectus causa per accidens, quia ipsius actionem per accidens consequitur. Loquor autem de effectu qui immediatè consequitur effectũ per se causatũ. Confirmatur, quia, vt ibidẽ fatetur Bañez, qui generat hominẽ cui per accidẽs est cõiuncta albedo, est per accidẽs causa albi; idẽ autẽ est in casu assensus falsi, nã sicut falsitas est per accidens coniuncta assensui, ita albedo homini.

69 Secundò, quia posito quòd præmissa de fide sit vera causa assensus falsi quoad substantiã, verum non est hunc esse falsum, solùm quatenus procedit ab altera præmissa, non autẽ quatenus procedit à præmissa de fide. Quia assensus non dicitur verus aut falsus, quia ex hoc vel illo principio vero aut falso procedit (hoc enim ad hunc effectum est omnino impertinẽs) sed quatenus est conformis aut difformis obiecto. Atq; adeò assensus verus aut falsus quatales nullo modo respiciunt sua principia, sed solùm obiectum.

Assensus nõ dicitur verus aut falsus per respectũ ad sua principia; sed per respectum ad obiectũ.

70 Similiter quod pro probatione adfertur, Deũ verè & simpliciter esse causam actus, qui peccatum est, nõ tamen esse causam peccati, verum nõ est; & repugnat apertè D. August. l. 12. Conf. c. 11. vbi Deo loquens, ait: *Hoc solùm à te non est, quod non est, motusq; voluntatis à te ad id quod minus est; quia talis motus delictum atque peccatum est.* Vbi apertè negat, non solùm ipsam malitiã, sed etiam ipsum motum voluntatis quo à Deo receditur, esse à Deo, siue Deũ eius esse causam. quod falsum esset, si Deus esset verè & simpliciter causa illius actus quoad substantiam eius, siue quatenus est talis speciei physicæ: nam quatenus præcisè est actus talis speciei physicæ, est motus voluntatis à Deo ad id quod minus est, & quamuis eliceretur à stulto esset talis; quando enim stultus odit Deum ex amore creaturæ, quantumuis id non faciat liberè, nec apprehendat moralem malitiam, tamen eius voluntas mouetur siue recedit à Deo, ad id quod minus est.

August.

Molina. Bellarm. Salas.

Hinc meritò Molina in sua Concord. disp. 31. Bellarm. l. 2. de Grat. c. 5. & 28. Salas 1. 2. tract. 13. sect. 2. docent, Deum non posse verè & propriè dici causam actus mali, etiam secundùm suam substantiam, siue quatenus est præcisè actio talis speciei physicæ; sed solùm posse dici eius esse causam vniuersalem & secundùm quid: aliàs fore absolutè causam peccati: quod fusè ibidem probant; & apertè etiam docet D. August. de Spiritu & lit. c. 31. vbi negat, Deum esse auctorem vel causam omnis voluntatis; alioquin ipsum fore causam malæ voluntatis ac peccati; vbi apertè docet, ex eo quòd Deus simpliciter & sine adiuncto dicitur causa huius voluntatis quæ mala est, sequi cũ dici esse causam peccati.

Deus non est simpliciter causa materialis peccati, sed tãtum secundùm quid.

August.

71 Tertiò, quia etsi vera esset eorum sententia qui dicunt Deum esse quidem causam actus qui malus est, non tamen ipsius malitiæ, quia hæc solùm consequitur actum, qua liber est, & quòd actus sit liber, non habet quatenus procedit à Deo, sed quatenus procedit à voluntate creata, tamen hæc non possent accommodari præsenti materiæ: nam, vt iam ostendi, quòd assensus sit verus aut falsus, non habet quia ab hac vel illa causa, hoc vel illo modo procedit, sed præcisè quia est conformis aut difformis obiecto; vnde æqualiter erit falsus, à quacumque causa, & quacumque ratione procedat, si æqualiter sit obiecto difformis.

72 Tertia difficultas est, vtrùm habitus fidei possit effectiuè concurrere ad producendũ assẽsum falsum. videtur enim id fieri posse, Primò, quia qui aliquid credit, quia inuincibiliter putat esse à Deo reuelatum, habet pro obiecto formali ipsum testimoniũ Dei, quod putat hîc & nunc obiecto materiali connexũ esse, & consequẽter fertur in suũ obiectum sub eadẽ ratione formali sub qua habitus fidei fertur: ergo habitus fidei, qui ipsi inest, simul cũ eo fertur in obiectũ: nam cùm habitus sit ex parte sua agens necessarium, quoties porẽtia cui inest, fertur in suũ obiectum formale, simul cũ ea fertur. Secundò, quia vt habitus etiã supernaturalis feratur in aliquod obiectum materiale, nõ est necesse vt obiectũ formale huic de facto cõueniat, sed sufficit quòd ei inuincibiliter credatur conuenire: quia quãdo habens habitũ obediẽtiæ infusum facit aliquid, quia omnino putat esse à Deo præceptũ; etsi in hoc erret, tamẽ ipsius actus procedit etiã ab habitu infuso: ergo quando habens habitum fidei infusum aliquid credit, quia inuincibiliter putat id à Deo reuelatum esse, hic actus procedit etiam ab habitu infuso. Tertiò, quia actus fidei elicitus ob vanam gloriam est peccatum, & tamen procedit ab habitu infuso: ergo similiter actus falsus ab eo poterit procedere.

An habitus fidei concurrat ad assensum falsum.

Habitus infusus fertur in obiectum cui falsò creditur eius ratio formalis coniuncta.

CONCLVSIO I. Impossibile est actum fidei theologicæ esse falsum. Est communis Theologorum, & omnino certa. & apertè supponitur à Trident. sess. 6. c. 9. vbi ait, *Cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non possit subesse falsum, se gratiam Dei consecutum esse.* Vbi apertè supponit assensui fidei diuinæ non posse subesse falsum. Ratio est, quia, vt ostendi suprà disput. 9. dub. 5. concl. 2. sicut fides humana essentialiter nititur testimonio hominis: ita fides diuina essentialiter nititur testimonio Dei, & credit aliquid quia Deus id testatus est: ergo non possum per eam aliquid credere nisi quod Deus verè testatus est, quia aliàs nõ credam illud quia Deus id testatus est, sed quia puto eum id testatum esse, atque ita meus assensus non erit verè assensus fidei theologicæ; sed solùm putabitur esse talis.

73 *Trident.*

Cur assensus fidei nequeat esse falsus.

74 Confirmatur, quia si Petrus mihi aliquid diceret, & ego putarem omnino eum esse Iohannem, qui magna apud me est auctoritate, ideoque illud crederem quia putarem à Iohanne dictum: hoc casu putarẽ quidẽ me credere Iohanni, verè tamen ei non crederem sed Petro, quia hic, non autem ille mihi aliquid esset testatus: impos-

Nequeo aut Deo aut homini credere si nihil mihi dicant.

impossibile autem est me alicui credere si nihil mihi dicat: ergo similiter quando aliquid credo, quia falsò puto à Deo esse reuelatum, verè non credo Deo; quia ipse hoc mihi non testatur, sed solùm puto me ei credere, & consequenter meus assensus non est actus fidei theologicæ (quia omni tali actu necessariò credo Deo) sed solùm putatur esse talis.

75 Implicat assensum fidei theologicæ esse falsum.

Hinc patet actum veræ fidei theologicæ esse necessariò verum, & tam implicare ipsum esse falsum, quàm implicat ipsius obiectum siue rem à Deo reuelatam esse falsam. Quare etsi possum quandoque dubitare an meus assensus sit supernaturalis, & procedat ab habitu infuso, non possum tamen dubitare quin sit verus, non magis quàm possum dubitare an eius obiectum sit verum. Quia hæc duo sunt idem, assensum meum esse verum, & eius obiectum esse verum.

Illicitè dubito an sit verus.

76 Ad primum argument. positum n. 64. respondent aliqui, fieri non posse vt alicui obiectum aliquod falsum ita proponatur, vt prudenter iudicet id à Deo esse reuelatum: quia cùm Deus à nobis exigat vt ita posita firmissimè credamus, ad eius prouidentiã pertinet non permittere nobis aliquid falsum ita proponi vt prudẽter iudicemus nos id teneri credere. Cùm itaq; nihil possimus credere fide diuina, nisi prudenter priùs iudicemus id à Deo esse reuelatũ, sequitur nos nihil falsum posse fide diuina credere.

Turrian. Sed Turrian. hîc disp. 3 du. 3. ad 7. & alij meliùs fatentur quidẽ impossibile esse aliquid toti Ecclesiæ ita proponi vt prudenter possit credi esse à Deo reuelatum, quod etiam infrà magis probabimus; addunt tamẽ nihil obstare quo minùs alicui priuato præsertim rudi, qui circa similia nequit tã multùm discurrere aut diiudicare aliquid falsum tanquam à Deo reuelatũ ita proponatur, vt ratione ignorãtiæ inuincibilis prudẽter iudicet verè esse tale, & se teneri id tamquã tale credere; ad hoc enim homini rustico, qui non nouit legere, sufficit quòd Pastor ei aliquid tãquam reuelatum proponat, dicendo totã Ecclesiam id tamquam à Deo reuelatum credere, & rusticus nullam habeat iustam rationem putandi Pastorem suum mẽtiri aut falli. Confirmatur, quia rusticus tali casu, ex reuerentia erga diuinã auctoritatem credẽdo verè meretur: ergo in eo actu prudenter procedit; quia per actum imprudentem nequeo mereri: imò si imprudenter procederet peccaret. quod apertè absurdũ est.

77 Respondeo igitur negando minorẽ: quia etsi ad illum actum eliciendum moueat aliqua ratione auctoritate Dei, (quia moueor ex apprehensione ipsius & reuerentia erga ipsam) tamen non moueor auctoritate Dei reuelante; sed falsò putata reuelare; & consequẽter nõ elicio verum actum fidei theologicæ (qui necessariò nititur auctoritate Dei verè à parte rei reuelante) sed solùm putatitium. Ex quo patet solutio primæ probationis, quia, vt iam ostendi, talis assensus non nitetur auctoritate Dei verè reuelante, quare falsum est eius antecedens.

78 Ad secundum, nego consequentiam, quia actus voluntatis accipiunt bonitatem ac rectitudinem, & consequenter etiam suam veritatem (quæ in his consistit) ab obiecto, non prout est à parte rei, sed prout voluntati per intellectum obijcitur. Secùs est de actibus intellectus, qui suam rectitudinem ac veritatem accipiunt ab obiecto prout est à parte rei. Hinc assensus falsus quantumcumque inuincibilis sit, ac verus esse credatur, est tamen simpliciter falsus, nec vllo modo verus. His addo, etsi externus illius obedientis actus denominatione extrinseca ratione actus voluntatis quo extrinsecè informatur, sit bonus & actus obedientiæ: tamen secundùm se & intrinsecè est actus inobedientiæ & malus. Vide dicta disp. 3. n. 16. & 49.

Aliter actus voluntatis accipit suam bonitatem ab obiecto, aliter actus intellectus suam veritatem.

Ad tertium, Respõdeo actum illius voluntatis quo ob reuerentiam diuinæ auctoritatis ille assẽsus imperatur, fore actum absolutè bonum, supernaturalem ac meritorium: actum verò intellectus, siue assensum ipsum fore actum materialiter malum, falsum & intrinsecè nullo modo bonum aut meritorium, sed solùm denominatione extrinseca: prout iam dixi de vtroque actu illius obedientis.

79

Ad secundum argumentum positum nu. 65. multi varia parum probabilia respondent. Sed dicendum cum D. Thoma 2. 2. q. 1. a. 3. ad 3. talẽ eo tempore potuisse quidem vera fide credere Christum pro aliquo tempore indeterminato, siue iam elapso, siue præsenti, siue etiam adhuc futuro, & ab his circumstantiis abstrahendo nasciturum fuisse; exceptis tamen B. Virgine, Iosepho & paucis aliis, qui hac de re particulare habebant reuelationem ac cognitionem, nullum circa illud tempus potuisse fide diuina credere Christum pro hoc vel illo instanti fuisse natum aut nasciturum; quia nemo præter dictos ex vlla reuelatione aut etiam probabili argumento hoc poterat colligere. Quare si quis modo in argumento proposito credidisset Christum pro eo determinato tempore, adhuc esse nasciturũ, eius assensus non fuisset fides diuina, sed malè fũdata opinio initio casualiter vera, postea falsa.

D. Thomas.

Circa tẽpus natiuitatis Christi nemo sine particulari reuelatione poterat credere Christũ iam esse natum, aut adhuc nasciturum.

Ad tertium, Respondeo fidem docere, Christum esse præsentem sub omni hostia rite consecrata, eamque adorandam esse: nihil tamen definire de hac vel illa in particulari. Vide dicta disp. 9. n. 127.

80 Omnis actus proprius virtuti prudentiæ est verus, supponit tamen aliquando iudicium falsum.

Ad quartum, nego secundam partem antecedentis, quia omne iudicium quod est verè actus virtutis prudentiæ, est etiam verum, etsi quandoque supponat aliquod iudicium speculatiuum, quod à parte rei falsum est. Vbi Nota prudentiam esse virtutem immediatè dirigentem voluntatem in suis actibus, & consequenter eam non consistere in iudicio speculatiuo, sed in practico: semper tamen supponit aliquod iudicium speculatiuum, quo res aliqua in se talis aut talis iudicatur; ex quo deinde sequitur iudicium practicum, quo iudicatur sic vel sic circa rem eam esse operandum. v. c. in exemplo dato, Iacob iudicabat Liam esse vxorẽ suam, hoc iudicium erat speculatiuum, & inde inferebat: Ergo licitè eam maritali affectu cognosco, & hoc iudicium erat practicum. vt autem hoc sit verum, non requiritur vt prius iudicium sit à parte rei verum; sed sufficit quòd rationabiliter credam esse verum, etsi à parte rei falsum sit; vt patet in secundo illo iudicio ia-

Prudentia est iudicium practicum, supponit tamen speculatiuum.

cobi,quod à parte rei erat verum (verè enim licebat ei cognoscere Liam) etsi prius fuerit falsum, prudentia verò consistit in secundo iudicio,non autem in priore.

Dices, Iacob positis illis circumstantiis, prudenter etiam iudicabat Liam esse suam vxorem; ergo non solùm secũdum, sed etiam prius iudicium erat prudens. Respondeo,illud iudicium dici prudens, non quòd fuerit verus actus prudentiæ:sed quia ita eliciebatur, vt esset natum fundare verum actum prudentiæ ratione inuincibilis ignorantiæ qua nitebatur.

Non omne iudicium prudens est actus prudentiæ.

81 Conclvsio II. Assensus fidei numquam potest esse verè causa assensus falsi. Est communis. Et patet: quia cùm sit essentialiter verus,nõ potest causare assensum falsum,aut intellectum in falsum assensum inclinare; quia nihil potest esse causatiuum eius, quod ei essentialiter repugnat,sicut verum qua tale repugnat falso. Quæ ex solutione argumẽti contrarij magis patebũt.

Ad argumentum positum nu.66. nego consequentiam. Quia etsi eo casu assensus fidei sit aliquo modo occasio & conditio sine qua non, illius assensus falsi, & hac ratione intellectus possit aliquo modo dici propter eam assentiri conclusioni;tamẽ nullo modo simpliciter, siue sine addito potest dici causa illius assensus falsi, etiam quoad substantiam ipsius actus. Cuius ratio est, quia cùm duæ causæ concurrunt ad eundem effectum,illa sola dicitur huius causa, quæ ita ad eum concurrit,vt ex modo quo concurrit,sit natus sequi hic effectus.

Vt aliquid sit propriè causa alicuius effectus non sufficit quod ad eam concurrat.

82 Secùs est de ea quæ ita concurrit, vt ex modo quo concurrit, non sit magis natus sequi hic effectus, quàm quiuis alius, aut ita vt potiùs contrarius natus sit sequi. v.c.si quando ego iaculando dirigo sagittam directè in scopum, Petrus scuto exceptam deflectat eam in pectus Iohannis ad latus stantis:etsi concurram ad occisionem Iohannis, quia ego produxi impetum in sagitta,qua hic occiditur, ac possum dici occasio & conditio sine qua non,occisionis ipsius Iohannis: tamen simpliciter nullo modo possum dici causa illius occisionis: quia mea sagittatio præcisè spectata, prout à me procedit, nõ est nata deferre sagittam in pectus Iohannis, sed in scopum; quòd autem hæc deferatur in pectus Iohannis,hoc habet præcisè ex cooperatione Petri:atque ita ego tali modo ad eam occisionem concurro, ex quo hæc nullo modo est nata sequi. Et eadem est ratio assensus fidei in dicto casu;hic enim ad assensum falsum eo modo concurrit, ex quo non est natus sequi assensus falsus, sed verus: quòd autem sequatur potiùs assensus falsus quàm verus,hoc prouenit ex modo concurrendi præmissæ falsæ, ex quo natus est sequi assensus falsus. Atque ita solus assensus præmissæ falsæ potest dici causa assensus falsæ conclusionis.

83 Eadem est ratio Dei cum homine concurrentis ad actum peccati: cùm enim solùm concurrat concursu vniuersali & indeterminato, ex modo quo concurrit non magis est natus sequi hic effectus,quàm quiuis alius;& consequenter Deus nequit simpliciter dici causa illius actus, etiam quoad substantiam,siue quatenus est præcisè actio talis speciei physicæ, sed solus homo est ipsius causa: Deus autem solùm potest dici illius causa vniuersalis,& secundùm quid. vide Bellar. Molinam & Salas citatos n.70. vbi hæc fusiùs disputant.

Bellarm. Molina. Salas.

Conclvsio II. Habitus fidei infusus nequit esse causa assensus falsi,in eum effectiuè influendo,aut intellectum ad eum inclinando. Ita Bañez 2.2.q.1.a.3.dub.2. Turrian.disp.3.dub.3. & communiter Theologi. 84

Bañez. Turrian.

Probatur, quia sicut virtus voluntatis inclinat essentialiter in bonum,ita virtus intellectus inclinat essentialiter in verum: & consequenter sicut illa nequit esse causa actus mali, ita hæc nequit esse causa assensus falsi: atqui habitus fidei est virtus intellectus: ergo inclinat essentialiter in verum,nec potest esse causa assensus falsi. Secundò,quia sicut habitus scientificus non potest producere actum, qui non sit scientia, sed potiùs error scientiæ contrarius;ita fides nequit influere in actum qui non sit fides: atqui ille assensus falsus,vt iam ostendi, non est actus fidei,sed huic potiùs est contrarius:ergo habitus fidei nequit eum producere.

Dixi habitum fidei non posse esse causam falsi assensus in eum effectiuè influendo,quia habitus imperatiuus assensus fidei, qui est in voluntate,& potest etiam dici habitus fidei, potest mediante actu voluntatis imperare assensum falsum circa rem, quæ inuincibiliter creditur à Deo esse reuelata, atque ita potest esse huius causa remota;sicut num.78. dixi habitum obedientiæ mediante actu voluntatis posse imperare actum prohibitum:sed hi habitus in eiusmodi actus effectiuè non influunt,nec sunt propriè eorum causa,nisi per accidens ratione voluntatis sequentis errorem intellectus.

Ad primum argumentum contrarium positum n.72.nego antecedens. nam, vt iam ostendi,n.77. talis assensus non habet verè testimonium Dei pro obiecto formali,nec fertur sub eadem ratione formali in suum obiectum, sub qua fertur verus actus fidei; sed falsò putatur ita ferri. 85

Ad secundum,nego consequẽtiam: est enim hîc diuersa ratio inter actus voluntatis & intellectus. Nam vt actus voluntatis sit verè & formaliter bonus, non est opus vt feratur in obiectum,prout à parte rei est;sed sufficit quòd feratur rationabiliter in id, prout per intellectum voluntati offertur, secùs est de actibus intellectus. vide dicta n.78.& 80.

Ad tertium, nego actum fidei theologicæ posse elici ob vanã gloriam. adde, etsi posset ita elici,eum non fore in se & intrinsecè malum, sed bonum;& solùm malum denominatione extrinseca à mala voluntate (vide dicta n.78.& loca ibi citata)atque ita posset secundùm se elici ab habitu supernaturali; secùs est de assensu falso,qui secundùm se falsus & vitiosus est.

DISPV-

DISPVTATIO XI.

De obscuritate & euidentia obiecti fidei.

DVBIVM I.

Vtrùm eadem res possit simul esse credita & euidenter cognita?

1 NOTA, rem aliquam varijs modis posse euidenter cognosci. Primò, cognitione merè habituali. Secundò, cognitione intuitiua supernaturali, qualem habent Beati. Tertiò, cognitione intuitiua naturali, vt quando homo aut angelus actu rem aliquam naturaliter intuetur. Quartò, cognitione abstractiua actuali, clara omnino & euidenti, qualem habemus, aut circa prima principia, aut ex demonstratione à priore aut posteriore, aut ex actuali & perfecta memoria rei clarè visæ.

2 Qua in re satis inter omnes conuenit Primò, fidem habitualem posse consistere cum clara cognitione eiusdem obiecti, tam actuali quàm habituali; & contrà actum fidei posse circa idem obiectum consistere cum scientia habituali huius viæ; quia aliàs statim ac aliquis acquireret scientiam habitualem alicuius rei, perderet habitualem fidem circa eandem rem, ita saltem vt numquam posset circa eam actum fidei elicere, nisi priùs perderet habitualem scientiam. quæ satis videntur absurda, & experiẽtiæ repugnare, quantum saltem hîc possumus aliquo modo probabili experientia cognoscere nos habere fidem.

Constat Secundò, actum fidei naturaliter non consistere cum cognitione beatifica, quia 1.Cor.13. 1. ad Corinth. 13. apertè dicitur fidem in patria non manere, sed succedente clara visione euacuari. quo satis insinuatur vtrumq; hunc actum naturaliter non posse simul consistere. Multi tamen non satis congruam huius rei reddunt rationem: voluntéque tantam esse repugnantiam horum actuum inter se, vt ne quidem per absolutam Dei potentiam possint in eodem simul consistere. quæ infrà magis examinabimus. Difficultas igitur hîc est Primò, an per diuinam potentiam possit actus fidei in eodem consistere cum visione beatifica circa eandem rem. Secundò, vtrùm actus fidei possit aut naturaliter, aut saltem per diuinam potentiam consistere cum naturali clarâ cognitione actuali eiusdem obiecti.

3 Multi docent id fieri nullo modo posse. Ita *Magister. Albert. Scotus. Richard. Lorca. D.Thom.* Magister in 3. d. 23. Albertus dist. 24. art. 7. Scotus ibidem qu. 1. §. *Ad quæst.* & §. *Sed si loquamur.* Richard. ibidem a. 1. q. 4. & 5. Lorca 2. 2. d. 14. & ferè communiter Thomistæ, quia putant certò esse sententiam D. Thomæ 2. 2. q. 1. a. 4. & 5. vbi videtur omnino in eam sententiam inclinare. Sed qu. 5. a. 1. in corpore & ad primum, videtur apertè docere, fidem solùm repugnare scientiæ quæ habetur in patria, non autem naturali quam admittit in angelo circa eandem rẽ cum fide simul cõstitisse. Et ad secundum docet, omnem hominis ac angeli cognitionem naturalẽ, comparatam cognitioni Dei, esse obscuram & quasi quasdam tenebras, & hanc obscuritatem sufficere ad obiectum fidei. quare tam pro contraria sententia citari posset, & fortè probabiliùs, quàm pro hac.

Probatur autem hæc sententia Primò, quia 4 ad Hebræos 11. *fides* dicitur *sperandarum substantia rerum, & argumentum non apparentium.* ergo non potest versari circa res actu visas, quia hæ actu apparent. Secundò, quia Patres sæpè docent, nos credere non ea quæ videmus, sed ea quæ non videmus. D. August. tract. 40. in Iohã- *Hebr. 11.* *August.* nem ait: *Quid est enim fides nisi credere quod non vides?* & 68. *Fides autem à qua eorum, qui Deum visuri sunt, quamdiu peregrinantur, corda mundantur, quod non videt credit; nam si vides non est fides.* & 79. *Nescio an credere dicendus est quisque quod videt.* Gregor. hom. 26. in Euang. *Nec fides habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum.* Vnde etiã Patres objiciẽtes sibi quomodo Iohan. 20. D. Thomas crediderit quia vidit; Respondent eũ aliud vidisse, scilicet Christum hominem, aliud credidisse, scilicet hunc esse Deum. Similia habet Chrysost. hom. 21. super epistolam ad Hebræos, *Gregorius.* *Chrysost.* Bernard. epist. 190. & alij. *Bernardus.*

Probatur Secundò, quia fides humana, aut 5 etiam opinio nequit consistere cum scientia, aliaúe clara cognitione: ergo nec fides diuina. Tertiò, quia assẽsus fidei est liber, & intellectus ad eum determinatur per voluntatem; clara autem cognitio est necessaria & in ea intellectus determinatur ab euidẽtia obiecti: atqui fieri nequit vt quis eidem rei assentiatur simul, liberè & necessariò, aut vt intellectus determinatus ad assentiendum alicui rei ex eius euidẽtia, postea ad idem determinetur à voluntate: ergo dicti assensus nequeunt esse simul. Quartò, quia obiectum fidei necessariò est obscurum, & rei non apparentis, vt patet ex auctoritate Apostoli & Patrum suprà citatorum: obiectum autem actualis scientiæ est necessariò apparens & euidens: atqui fieri nullo modo potest vt eadẽ res sit mihi simul obscura & euidens: ergo idẽ non potest simul sciri & credi. Quintò, quia nequeo aliquid sperare quod habeo præsens: ergo nequeo credere id quod video. Sextò, quia obiectum formale obscurum non potest mouere intellectum ad assensum, quando adest aliud clarum: atqui obiectum formale scientię est omnino euidens: ergo eò actualiter mouente intellectum hic nequit circa idem obiectum materiale moueri ad assensum ex ratione formali obscura, qualis est ratio formalis fidei, idque ne quidem per diuinam potentiam: nam Deus nequit supplere defectum causæ formalis.

6 Quamuis autem Auctores citati communiter non explicent, an saltem de potentia Dei absoluta aliquis possit rem visam simul credere; tamen eorum quartum, quintum, & præsertim sextum argumentum videntur probare id absolutè fieri nulla potentia posse. Et sic eos *Turrian.* intelligit Turrian. 2.2. disp. 8. dub. 5. §. *Restat secunda pars.* Imò quidam apud eumdem §. sequenti docent, etiam intellectum positum supernaturaliter in duobus locis nō posse eodem tempore eandem rem credere & scire. Et sanè si sit vera eorum sententia, corpus poni in diuersis locis non per reproductionem substantialem, sed per solam multiplicationem vbi; tam est impossibile fidem simul consistere cum scientia in eodem intellectu posito in diuersis locis, ac posito in vnico loco: nam præcisè per multiplicationem diuersorum vbi res aliqua non magis fit potens formas aliquas inter se repugnantes suscipere, quàm fiat per susceptionem diuersorum aliorum accidentium, vt communiter ferè fatentur Auctores illius sententiæ; vnde etiam negant corpus positum in duobus locis, posse in diuersis locis simul suscipere aliquas formas non necessariò dependentes à loco, quas non posset habere in eodem loco; quamuis nec hac in re satis consequenter loquantur, vt ostendi tom. 1. de Sacramentis qu. 75. a. 4. dub. 3.

Posita tamen sententia quam ibidem tamquam veriorem probaui, scilicet rem aliquam poni in diuersis locis, per veram sui replicationem & substantialem reproductionem, omnino dicendum est, prout huius sententiæ Auctores etiam omnes fatentur, intellectum ita diuersis locis positum posse simul in diuerso loco suscipere naturaliter formas omnino inter se repugnantes; vnde etsi in vno clarè videret Deum, in alio tamen naturaliter crederet, quia intellectus eo casu æquialet duobus omnino distinctis intellectibus. Quare de hoc casu hîc non agimus, sed solùm de intellectu non replicato.

7 Pro resolutione Nota Secundò, cùm finis agentis sit forma aliqua à se producta subiectum in quod agit, actuando hoc sibi assimilare, nullum agens posse naturaliter vllam formam producere in aliquo subiecto, quod iam antè est actuatum aliqua forma, quæ formaliter vel eminenter continet omnem perfectionem illius formæ, quam illud agens est potens naturaliter producere. Patet hoc experientia; nam calidum vt duo nullo modo potest calefacere calidum vt quatuor; item candela nullo modo potest illuminare aërem perfectè à sole illuminatum.

Subiectum nequit in se de nouo recipere formam quam prius formaliter aut eminenter continet.

8 Quousque tamen in subiecto nulla est forma, quæ dicto modo contineat omnem perfectionem formæ, quam agens potest producere, hoc in illud poterit agere, modò sit aliàs illius formæ producendæ capax; quantumuis sit informatum aliqua forma quæ ex parte contineat perfectionem formæ introducendæ. Idque ita vt illud agēs, vel priorem formam perficiat ac intendat (vt fit cùm calidum vt sex calefacit calidum vt duo) vel aliam distinctam in eo producat (vt cùm ignis calefacit piper;) producit enim calorem distinctum & alterius omnino rationis ab eo, quem piper naturaliter habet.

Nota Tertiò, intellectum respectu intellectionis simul esse agens & subiectum, nam illam in seipso producit. 9

Nota Quartò, intellectum nihil posse intelligere, nisi sit aliqua ratio formalis vera aut apparens vera, quæ eum ad intelligendum excitet. *Obiecti formalis triplex officium.* Hæc autem habet quasi triplex munus, vnum respectu obiecti materialis, quod suo modo quasi informando reddit tali vel tali ratione cognoscibile; & sic habet rationem formæ, & exercet officium causæ formalis. Alterum respectu intellectus quem ad intelligendum mouet ac excitat; & quando est euidens, ad illud etiam determinat. Et ex hac parte suo modo participat officium causæ efficientis, idque vel verè & realiter physicè in ipsam intellectionem per se, aut per suam speciem influendo, vt plurimi volunt; qui ideò docent nihil posse intelligi nisi per se aut per suam speciem sit intellectui localiter præsens, quia nihil potest agere in distans: vel alia aliqua ratione intellectum ad sui intellectionem excitando, sicut obiecti bonitas mouet voluntatem, & finis causat intentionem. Tertium respectu intellectionis cui per modum termini speciem tribuit.

Nota Quintò, scientiam aliasque cognitiones omnino certas & euidentes, siue sint intuitiuæ, siue abstractiuæ, cùm fidem humanam & quasuis opiniones, & certitudine & euidentia planè superent, harum omnem perfectionem aut formaliter aut eminenter perfectè continere. v.c. cùm video meridie solem lucere; dicat mihi aliquis me verè id videre, idque multis probabilibus rationibus probet, num quam tamen id ideò certiùs, aut clariùs, aliaue ratione perfectiùs cognoscam. Contrà verò fides diuina ex parte quidem rationis euidentiæ, à scientia in perfectione superatur: ex alia tamen parte ratione certitudinis eam superat, atque ita neutra alterius perfectionem totam omnino continet: vnde vlteriùs sequitur, intellectum neutra ex dictis cognitionibus tantum perfici, quin accedente altera vlteriùs possit perfici. 10 *Scientia cōtinet omnē perfectionē opinionis aut fidei humanæ.* *Fides diuina scientiam perfectione partim superat, partim ab ea superatur.*

Conclvsio I. Actus fidei nequit naturaliter consistere circa idem obiectum cum visione beatifica. Idemque dicendum de scientia Beati circa rē, quam videt Deum sibi reuelare, quam nequit simul vera fide credere. Secùs est de potentia Dei absoluta, per quam potest fides cum vtraque cognitione consistere. 11

Prima pars est communis Theologorum, & omnino certa, quia apertè colligitur ex Apostolo 1. ad Corinth. 13. vbi expresè docet, in patria non futuram fidem, sed hanc per ipsam claram visionem tamquam quid imperfectum per perfectum destruendam. Cuius non est alia causa, quàm quia hæc cum clara Dei visione nequit circa idem obiectum consistere. *1. Corint. 13.*

Vnde apertè sequitur secunda pars. Nam si Beatus posset naturaliter eiusmodi rem fide propriè dicta credere, nihil esset cur Apostolus absolutè negaret fidem ibi de facto manere, qua Beati de facto crederent futuram resurrectio- 12

rectionem, aliaue similia, quæ Deus ijs futura reuelat. Si enim ipsi hæc sine nouo miraculo possint propriè dicta fide credere, nulla est causa cur negentur ea de facto ita credere, & consequenter malè absolutè negatur fidem in patria manere, cùm secundùm actum & habitum verè maneat.

Et hanc partem communiter etiam ferè omnes concedunt, loquendo de fide quæ sit eiusdem rationis cum ea quam hîc elicimus. Aliqui tamen volunt, Beatum rem ita sibi reuelatam verè & propriè credere, sed fide alterius ordinis, quàm sit nostra. Ratio eorum est, quia cognitio qua alicui propositioni assentior propter alterius testimonium, est propriè dicta fides: atqui Beati credunt futuram resurrectionem propter Dei testimonium: ergo propriè dicta fide. Quia tamen veritas obiecti huius fidei est ijs euidens in attestante, secundùm eos est diuersæ rationis à nostra fide. Sed superiùs disp.9.dub.8. ostendi, talem cognitionem debere potiùs dici scientiam à posteriore, quàm fidem: vbi etiam solui rationem pro alia sententia allatam.

13 Ratio verò vtriusque partis nostræ conclusionis est; quia vtraque dicta cognitio continet eminenter omnem perfectionem assensus fidei: nam, vt per se patet, eum longè superat euidentia, & certitudine est ei ex vna parte æqualis, quia æqualiter implicat dictas scientias ac fidem diuinam esse falsas; & rursum quia intellectus per dictas scientias longè firmiùs suo obiecto adhæret quàm per assensum fidei, hic ab illis hac ex parte certitudine superatur: vnde sequitur iuxta dicta num.7. intellectum informatum alterutra ex dictis scientijs sine speciali Dei concursu non posse in se circa idem obiectum elicere assensum fidei.

14 Tertia pars probatur. Primò, quia nulla hîc potest ostendi implicantia, vt patebit ex solutione argumentorum. Secundò, quia, etsi naturaliter nequeat fieri vt agens debile agat in passum se perfectius, aut vt actuatum forma omni ex parte perfectiore, suscipiat aliam minùs perfectam; nulla tamen est ratio, cur id diuina virtute fieri nequeat, quæ potest supplere defectum causæ actiuæ, & reddere subiectum capax duarum formarum, quas naturaliter simul suscipere non posset. nam omnes concedunt calorem & frigus posse diuina virtute esse in eodem subiecto.

15 CONCLVSIO II. Assensus fidei diuinæ potest connaturaliter consistere cum actuali clara cognitione naturali siue abstractiua, siue ~~sine~~ intuitiua circa idem obiectum. Ita Altisiodor. l. 3.tract.3.c.1.qu.4. Halensis 3.p.qu.79.membr.2. Valentia 2.2.disp.1.q.1.puncto 4. §. *Porro his argumentis.* Albert.Magn.in 3.d.24.a.9. Suarez in 3.p.tom.2.disp.19.sect.2.in fine. Gabr.in 3.d.24. qu.vnic.ar.2.concluſ.3. & alij. Sequitur apertè ex dictis; nam cùm assensus fidei nec contineat vlla ratione omnem perfectionem, quam continet assensus claræ cognitionis naturalis, nec contrà hic contineat omnem perfectionem illius; neuter ita perficit intellectum quin vlteriùs ab altero possit perfici, & consequenter neuter impedit intellectum quin alterum simul possit in se producere, iuxta dicta num.8. & 10.

Altisiod. Halens. Valentia. Albertus. Suarez. Gabriel.

16 Probatur præterea: quia B. Virgo certissima experientia euidenter sciuit se sine opera viri concepisse Christum; item tam ipsa quàm Apostoli certò viderunt Christum facientem miracula, patientem, morientem, postea à mortuis surrexisse; ascendentem ad cælos, &c. & tamen hæc omnia fide diuina crediderunt: ergo eadem res potest simul credi & euidenter cognosci. Quòd autē illi istorum mysteriorum habuerint omnino euidentem cognitionem, & per se satis patet ex Euangelio, & expressè de se alijsque Apostolis sæpè testatur S. Iohannes, vt ex eius verbis ostendam n.64.

Secundò, philosophus Christianus euidenter ex effectis cognoscit Deum esse, & esse vnum, & sua prouidentia omnia gubernare, & res omnes accepisse ab eo esse; & tamen eadem credit: ergo hæc possunt simul consistere.

17 Ad hæc alij variè respondent. aliqui enim aiunt philosophum naturaliter clarè cognoscētem esse vnum Deum non posse id credere; atque adeò hoc solùm esse articulum fidei necessariò credendum pro ijs, qui eius non habent euidentem demonstrationem; & his solùm præcipi hoc credere; alijs verò sufficere eam cognitionem naturalem.

18 Sed hæc dici non possunt. Primò, quia Apostolus ad Hebr.11. generatim docet, impossibile esse sine fide placere Deo: & vt ostendat cuius rei fidem requirat, subdit: *Oportet enim accedentem ad Deum credere quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Vbi apertè docet, accedentem ad Deum necessariò debere fide diuina credere Deum esse. Nec potest intelligi hoc solùm dici de ijs, qui hoc per demonstrationem non sciunt; tum quia aliàs falsum esset sine ea fide impossibile esse placere Deo, cùm sine ea fide verè posset quis Deo placere, habendo illius rei cognitionem naturalem; tum quia Apostolus ex eo quòd impossibile sit sine ea fide placere Deo, infert Enoch cùm Deo placuerit, necessariò habuisse illam fidem: quæ illatio mala esset, si ille sine ea fide potuisset placere Deo; præsertim cùm omnino improbabile sit talem virum de facto caruisse illa naturali Dei cognitione.

Hebr. 11.

Etiam docti & philosophi tenentur vera fide credere Deū esse.

19 Respondent alij, Apostolum solùm voluisse accedentem ad Deum necessariò debere credere, non quidem Deum simpliciter esse (quia hoc potest naturaliter cognoscere) sed eum esse auctorem rerum supernaturalium, quod naturaliter sciri non potest. Ita Canus l.12 de Locis, c.4. Sed hoc non satisfacit. Primò, quia hæc solutio sine vllo fundamento ex ipso textu accepto, contra apertam significationē verborum, solùm ad illūdendum Apostoli testimonium videtur excogitata; cùm textus apertè & absolutè dicat oportere credere Deum esse. Secundò, quia Apostolus ibi apertè docet, duo credenda esse, scilicet Deum esse, & quòd inquirentibus se remunerator sit; in quo secundo continetur Deum esse auctorem rerum supernaturalium: nam ipse propriè est remunerator, quatenus est auctor supernaturalium: ergo in priore

Canus.

Tenemur simpliciter credere Deū esse, & non solùm eum esse auctorē rerū supernaturalium.

priore membro simpliciter intelligit nos debere credere Deum esse, aliàs non distingueretur à secundo.

20 Refutatur Secundò responsio allata nu.17. quia inde sequeretur, in philosophis ad fidem conuersis initium salutis esse à naturali cognitione: hoc autem nulla ratione dici potest; quia apertè damnatum est in Arausicano: ergo nec id vnde sequitur dici potest. Maior probatur, quia prima cognitio quæ iuuat vt ad Deum per alios actus accedamus & salutem acquiramus, quæque ad salutem maximè est necessaria, & fundamentum omnis piæ vitæ, est ea, qua cognoscimus Deum esse: hac enim cognitione tamquam proponente suum obiectum, nititur omnis actus spei, caritatis ac religionis; & sine ea nullo modo possunt cõsistere. Quare vera pietas supponit hanc cognitionem, non solùm sicut supponit hominem esse ac vti ratione (vt quandoque audiui aliquos respondentes) sed tamquam cognitionem qua in suis operibus dirigatur, & qua actiones bonæ vt fundamento nitantur. quare ea cognitio non solùm est necessatiò prærequisita, sed etiam ex se confert ad salutem.

Fides, qua credimus Deum esse, est fundamẽtum omnis piæ vitæ.

21 Tertiò refutatur, quia ex ea sequeretur, maximos Sanctos, vt B. Virginem & Apostolos, non habuisse fidem præcipuorum mysteriorum nostræ redemptionis, vt ostendi num.16. in priore argumento, & ijs ad salutem sufficisse naturalem cognitionem illorum mysteriorum: illud autẽ nullo modo videtur posse dici; quia nimis clarum est istorum mysteriorum cognitionem esse fundamentum nostræ spei, & medium verè conferens ad salutem. quod de cognitione naturali dici nequit.

22 Quartò, quia sequeretur, angelum, præsertim primum, nihil omnino debuisse credere, quia hic, vt ostendam dub. sequenti, omnino euidenter cognouit Deum sibi reuelare mysteria fidei, eumque nulla ratione posse testari falsum; & consequenter à posteriore euidenter cognouit hæc mysteria esse vera, vt ostendi disput.9. dub.8. ex quo secundùm eam sententiam sequitur, angelum nec debuisse, nec potuisse circa ea mysteria elicere actum veræ fidei; sed posita reuelatione ei ad salutem ex parte intellectus sufficisse cognitionem merè naturalem, siue solis naturæ viribus elicitam.

23 Angelus ex euidentia reuelationis cognouit veritatem mysteriorũ fidei euidentius, quàm nos quidquã naturaliter cognoscamus.

Nec refert, quòd angelus non cognouerit ea mysteria clarè in se, sed solùm in attestante siue ratione claræ attestationis diuinæ, quia ipse ea cognouit tali euidentia, quæ pareret maiorem, magisque infallibilem certitudinem, magisque ad sui assensum determinaret intellectũ, quàm in nobis faciat vlla euidentia, quam per sensum aut experientiam, & demonstrationes inde ductas possimus hîc acquirere: longè enim faciliùs fieri posset nos in his omnibus falli, aut de eorum veritate ac certitudine dubitare, quàm angelum falli in dicta notitia ac discursu, aut vllo modo potuisse de rerum illarum veritate dubitare. Quod vel inde patet, quia ipsi dæmones, quia euidenter vident res fidei à Deo esse reuelatas, & consequenter eas esse veras, hac, inquam, euidentia conuicti, vel inuiti & reluctantes (cùm ex odio Dei libenter, si possent, sibi contrarium persuaderent) coguntur credere siue iudicare eas esse veras. Quare si vlla cognitio humana excludat fidem alicuius obiecti, & sine ea alicui ad salutem sufficiat, multò magis illa cognitio angelorum debuit in ijs excludere fidem, ijsque ad salutem sufficere: hoc autem est apertè falsum: ergo & id vnde sequitur.

Respondent alij Secundò, tam hominem quàm angelos obligari necessariò credere etiam ea, quæ naturaliter cognoscunt, sed alio tempore, siue quãdo eorum non habent actualem notitiam euidentem, & hanc fidem esse ijs necessariam ad salutem. 24

Sed contrà facit Primò, quia inde sequitur, angelum primo instanti suæ creationis meruisse sine fide. quia primo illo instanti secundùm communem & veram sententiam meruit, & tamen primo illo instanti clarissimè vidit dicta mysteria sibi à Deo reuelari, & consequenter ea esse vera: ergo tunc meruit sine vlla actuali fide; & priùs habuit actũ spei & caritatis, quàm fidei. Nec satisfacit si quis dicat angelum primo illo instanti non meruisse, sed solùm tempore immediatè sequente; quia cùm ea naturalis cognitio non potuerit, moraliter saltem loquendo, durare solùm vnico instanti, & cùm consequenter duraverit necessariò per aliquod tempus, eadem etiam in hoc casu erit difficultas.

Secundò, illa responsio supponit falsum, scilicet me posse circa veritatem aliquam mihi habitualiter omnino euidenter cognitam elicere assensum fidei, sine actuali eiusdem cognitione euidenti; contrarium enim docet experientia. nam etsi tali veritati possim actu non assentiri, quando de ea nihil cogito, statim tamen ac de ea perfectè cogito (quod necessariò fit quoties circa eam elicio actum fidei) sufficienter intellectui obijcitur, vt possit eam cognoscere, eiq; assentiri per illam claram cognitionem: & cùm non sit liber, necessariò vtrumque facit. Mox enim vt mihi perfectè proponitur hæc propositio: *Homo est animal*, aut similis, necessariò intelligo esse veram, & consequenter ei assentior. sicut enim oculus apertus necessariò videt rem illuminatam perfectè sibi obiectam, si habeat sufficientem vim eam videndi; ita intellectus necessariò intelligit veritatem sibi obiectam, si habeat sufficientem vim eam intelligendi; qualem habet omnis intellectus, respectu eius rei cuius habet euidentem cognitionem habitualem. Vnde D. Thomas 2.2.qu.2.a.9.ad 2. docet non aliter esse in nostra potestate actu non scire ea quorum habemus demonstrationem siue habitualem scientiam, quàm quatenus est in nostra potestate actu non considerare talia obiecta. 25

Cogitans de veritate habitualiter sibi clarè cognita necessariò eam actu cognoscit.

D. Thomas.

Probatur conclusio Tertiò, quia angelus initio suæ creationis non solùm fide diuina credidit res sibi reuelatas esse veras, sed etiam credidit has sibi à Deo reuelari: atqui, vt ostendam dub. sequenti, ipse hoc omnino euidenter per claram experientiam actu cognoscebat: ergo actualis fides consistit cum euidenti eiusdem rei 26

Angelus credidit sibi res fidei à Deo reuelari.

rei actuali cognitione, non solùm abstractiua, sed etiam experimentali.

27 Maior probatur, quia fides nititur vt obiecto formali diuina reuelatione non quomodocumque cognita, sed fide diuina etiam credita, siue eodē actu siue diuerso credatur; aliàs enim fides ipsa non esset certior cognitione naturali qua cognoscitur reuelatio facta: nullus enim assensus mihi potest esse certior quàm mihi sit certum eius obiectum formale non solùm esse, sed etiam esse connexum obiecto materiali. v.c. non possum vllo modo certiùs scire conclusionem esse veram, quàm sciam præmissas esse veras, & harum veritatem necessariò connexam esse cum veritate conclusionis. Item non possum ob testimonium Iohannis certiùs credere Petrum esse mortuum, quàm credam Iohannē hoc testatum esse: ergo similiter est impossibile me ob diuinum testimonium credere Deum esse trinum & vnum assensu certiore, quàm sit omnis cognitio naturalis, nisi simili assensu credam Deum hoc reuelasse.

Nequeo credere rem reuelatam quā talem certiùsquàm credam reuelationem.

28 Probatur Quartò, philosophus Christianus certiùs nouit Deum esse vnum, & sua prouidentia omnia gubernare, quàm philosophus Gentilis. Item B. Virgo non minùs certò nouerat se sine opera viri concepisse Christū quàm nos id sciamus: atqui hæc essent falsa, si actualis fides non consisteret cum actuali cognitione euidenti: ergo dicendum est hæc posse simul consistere. Minor patet, quia secundùm alios vterque philosophus haberet solam cognitionē naturalem illius rei, & consequenter æquè certam; & B. Virgo solùm naturaliter sciret se virginem concepisse: nos autem id fide credimus, quæ cognitione naturali certior est.

29 Respondet Bañez 2.2.q.1.ar.5.ad 2. philosophum Christianum certiùs illa scire quàm Gētilem, propter coniunctionem fidei in eodē subiecto, quæ priorem assensum perficit in certitudine. Sed hoc dici non potest; nisi dicamus fidem & scientiam concurrere ad eundem assensum, qui simul sit fides & scientia, & ex vtraque conflatus. quod infrà ex communiore sententia ostendam esse saltē naturaliter impossibile. Et concedendo id posse fieri, sequeretur, fidem & scientiam actuales posse esse simul, quia ille assensus esset simul fides & scientia; cùm niteretur vtriusque obiecto formali, & ita ex vtraque conflaretur. Adde, si possim eandem rem simul eodem actu scire & credere, nullam videri rationem cur id non possim facere distinctis actibus. Quod autem addit Bañez talem conclusionem ab eo philosopho verè non credi, quia deest conditio requisita in obiecto formali, sine ratione dicitur. Quia si ipse ei obiecto assentiatur verè propter testimonium diumum formaliter sumptum, siue quatenus habet rationem testimonij, verè etiam credet; nam credere nihil est aliud quàm dicto modo alicui rei propter alterius testimonium assentiri.

Bañez.

Quòd autem ille assensus simul ex alia ratione formali sit euidens, nihil facit ad rem: sicut enim testimonium Dei ibi non impedit veram rationem scientiæ, ita nec euidentia impedit veram rationem fidei. His adde, si talis non haberet fidem circa illud obiectum, ipsum assensum non posse reddi certiorem per fidem circa alia obiecta. Nec enim, quia credo Christum esse passum, ideo certiùs scio hominem esse animal, quàm id aliàs scirem. Quare Bañez aut debet concedere talem habere fidem circa idem obiectum, aut priorem suam responsionem euertit.

30 Respondent alij, philosophum Christianum esse certiorem de eo obiecto quàm Gentilem; quia ille poterit alio tempore illud credere, quando non habebit eiusdem actualem scientiam. Et simili modo dicerent B. Virginem non minùs certò cognouisse se virginem peperisse, quàm nos id cognoscamus; quia poterat id credere quando id actu non sciebat per cognitionem naturalem. Sed hæc etiam dici non possunt. Quia, vt iam ostendi, non possum aliquid actu credere cuius habeo habitualem scientiā, nisi id simul actu sciam. Secundò, quia inde sequeretur, hoc ipso quo illis actu dicta obiecta credentibus euidenter actu obiiceretur formalis ratio illius scientiæ, quam circa eadem obiecta semper habitualiter habent præsentem, cùm tunc his necessariò actu scientifico assentiantur, ipsos necessariò statim desinere ea actu credere, & consequenter incipere esse actualiter de veritate illorum obiectorum minùs certos, quàm antè fuerunt, aut quàm sunt alij qui actu ea credunt; atque ita euidens rei cognitio contra suam naturam, & communem conceptum in suo subiecto, certitudinem non solùm non augebit, sed multùm minuet. quod apertè absurdum est.

31 Conclvsio III. Assensus fidei secluso speciali miraculo, & secundùm potentiam ordinariam, necessariò versatur circa obiectum aliqua ratione obscurum. Sequitur ex dictis conclus. primæ: quia, vt ibi ostendi, nequeo fide assentiri alicui obiecto quod mihi alia cognitione euidenti cognitum est, æquali omnino certitudine cum certitudine fidei. atque ita fides necessariò versatur circa obiectum eatenus obscurum, quatenus credenti non est euidens ea certitudo, quà scientia à fide excedit, siue quatenus ei obiectum non est euidens ea euidentia, quæ tantam certitudinem generet, quæ omnem naturalem euidentiam superat.

Qua ratione fides necessariò versetur circa obiectum obscurum.

32 Ad primum argumentum positum num. 4. Respondeo tam Apostolum dicto loco, quàm Patres ibi citatos, solùm velle officium fidei esse, efficere vt certissimè credamus ea, quæ nobis secundùm se euidentia non sunt, siue quæ nobis non apparent, ideoque eam non niti aliqua ratione euidenti, nec efficere vt res creditæ nobis sint euidentes, nec etiam versari circa ea sola quæ nobis aliunde euidentia sunt; sed firmissimè credere omnia quæ à Deo reuelata sunt, præcisè quia reuelata sunt, quantumuis ea nobis in se obscura sint, & secundùm naturales rationes videantur improbabilia. Et hac ratione fides dicitur elenchus, argumentum, siue demonstratio non apparentium, & substantia rerum sperandarum. Quia sicut demonstratio facit, vt alicui veritati aliàs nobis incognitæ assentiamur; ita fides facit nos credere etiam ea, quæ aliàs

Qua ratione fides sit argumentum non apparentium, & substantia rerum sperandarum.

aliàs nobis non apparent esse vera ; atque ita obiecta spei, quæ aliàs, cùm nobis non appareant, respectu nostri sunt quasi non existentia & nihil, facit nobis per cognitionem præsentia, & ita in nobis subsistere, vt ea sperare possimus.

33 Rursum autem sicut argumenti seu demonstrationis præcipuum quidem officium est facere nos assentiri ijs, quæ aliàs nobis erant incognita, (argumentatio enim ideo inuenta est, ideoque præcipuè ea vtimur, vt nobis, vel aliis persuadeamus ea, quæ antea non apparebant esse vera) & tamen illa non his solis faciunt nos assentiri, sed etiam iis, quibus antè minùs firmiter assentiebamur ; ita etiam fides non solùm aliunde non apparentibus, sed etiam naturaliter cognitis, facit nos assentiri firmiùs, quàm iis antea assentiebamur.

34 *Hebr.*10. Vbi Nota Apostolum ad Hebræos 10. præsertim in fine, hos plurib⁹ excitare, vt in aduersis habeant patientiam, & vt se consolentur ac sustentent spe breui futuræ retributionis; vnde ait, *Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est veniet, & nõ tardabit.* scilicet redditurus laborum præmia. Quia autem hæc erant absentia nec apparebant; addit: *Iustus autem meus ex fide viuit*, ea scilicet sustentando se in patientia laborum, quibus aliàs oppressus à Deo se subtraheret, & ita viuere desineret. Deinde vt ostendat eos non debere desinere credere & sperare, quia res promissæ absentes erant, & non apparebant, c.11. subdit: *Hebr.*11. *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*: non quòd fide ea solùm credamus quæ aliàs non apparent vera (hoc enim omnino ad Apostoli propositum erat impertinens, & repugnat sequentibus ipsius illustris fidei exemplis, quia v.17. laudat Abraham quòd crediderit Deum posse resuscitare immolatum Isaac, quod ipse naturaliter sciebat :) sed quia, vt iam dixi, præcipuum fidei munus ac laus consistit in eo quòd per eam credamus quæ nobis aliunde apparent improbabilia & supra rationem naturalem.

35 Quare Patres dicunt nos credere ea, quæ non videmus. Similiter Patres citati num.4. solùm volunt nos non debere ea sola credere quæ videmus, aut ideo aliquid credere quia id videmus ; similia enim differebant contra Gentiles & Manichæos, qui volebant nos sola ea credere quæ ratio naturalis persuadebat, & quatenus hæc ea persuadebat, & non aliter; quos Patres refutant. Vtrùm autem vna ratione naturaliter cognita, alia ratione simul ob diuinam auctoritatem possemus credere, nihil faciebat ad eorum propositum, ideoque id iis locis non curabant; quamuis dum inter ea quæ omnibus credenda sunt enumerant multa, quæ naturaliter possumus cognoscere, satis ostendunt nos naturaliter cognita posse ac debere simul credere.

36 Qua ratione Patres dicãt nos non credere quæ videmus. Nec refert quòd quandoque videantur absolutè dicere, nos non credere ea quæ videmus, quia intelligendi sunt formaliter. quia nimirum ea non credimus sub ea ratione qua ea videmus, siue quia verè non credimus quando iis solùm assentimur quia ea videmus ; vt patet ex fine, ob quem hæc dicebant, secundùm quem eorum verba sunt explicanda. Vnde quandoque dicunt eos velle perdere fidem qui credita volunt videre ; vt Chrysost. hom.21. in epistolam ad Hebræos. quia scilicet tales cupiunt ista videre, vt ea ratione firmiùs iis assentiantur, atque ita relicto Dei testimonio in suo assensu nitantur euidentia rei, & à fide ad scientiam transeant. *Chrysost.* Perdere fidē cupiunt, qui in ea per experientiam cupiunt certiorari; vel potiùs ei ii perdiderãt, dum in ea vacillant.

Eandem ob causam D. Gregorius hom.26. in Euangelia dicit fidem non habere meritum vbi humana ratio præbet experimentum. Fidem enim vocat assensum, qui illa ratione naturali nititur: nam aliàs Apostoli non meruissent credendo Christum Iesse passum ac resurrexisse, quia hoc experimento cognouerant. 37 *Gregorius.*

Simili modo tam S. Gregorius, quàm Augustinus aiunt, S. Thomam Iohan.20. aliud vidisse, aliud credidisse; innuendo eum non credidisse id quod videbat. Alludunt enim ad ea verba Christi: *Quia vidisti me Thoma credidisti.* & solùm volunt docere, eum assensum quo S. Thomas credebat Christum surrexisse, præcisè quia id videbat, non fuisse veram fidem. Vtrùm autem tunc alio actu id poterat credere, præcisè propter testimonium Christi, ibi non disputant.

Ad secundum, positum num.5. nego consequentiam ; est enim inter ea magna disparitas, vt patet ex dictis n.10. 38

Ad tertium, nego minorem: hæc enim solùm est vera quando vnico assensu eidem obiecto assentimur: atque ita bene probat, eumdem assensum non posse simul esse fidei & scientiæ: secùs tamen est quando ob diuersas rationes formales diuersis actibus eidem obiecto assentimur ; vt in nostro casu fit, in quo nihil prohibet vnum actum esse liberum, & alterum necessarium.

Ad quartum, nego maiorem absolutè sumptam : sufficit enim obiectum fidei ea ratione esse obscurum, quatenus per assensum fidei non fit euidens, nec ipsa fides propter euidentiam in id feratur: nec etiã per aliam cognitionẽ fit euidens secundùm summam eam certitudinem, quæ in fide reperitur iuxta dicta n.31. & 32.

Ad quintum, nego consequentiam, quia spes est essentialiter desiderium quod necessariò & intrinsecè respicit obiectum absens; fides autem non ita respicit obiectum absolutè obscurum, vt iam ostendi.

Ad sextum, nego maiorem: solùm enim est vera quandoque per accidens, quando scilicet ex obiecto formali obscuro non potest sequi assensus vlla ex parte perfectior assensu claro circa eandem rem tunc actu elicito. quo casu eò quòd intellectus non potest illo obscuro assensu vlteriùs perfici, ipse nequit hunc in se naturaliter producere, & consequenter nequit ad id ab obiecto formali obscuro excitari ; secùs est quando ille obscurus assensus est certior euidenti: tunc enim sicut intellectus potest illo vlteriùs perfici, ita potest etiam non obstante assensu claro eum in se producere, & consequẽter non obstante præsentia obiecti formalis euidentis, obiectũ formale illius assensus obscuri potest intellectum ad huius productionem excitare, 39 Intellectus actu motus ratione formali clara potest quandoque circa eandem rem moueri ratione obscura, quandoque non.

excitare, iuxta dicta n.7.& 8. Quando verò assensus obscurus est omni modo imperfectior euidenti; tunc etsi, vt dixi, intellectus informatus assensu euidenti nequeat naturaliter aut cum solis auxilijs gratiæ ordinarijs in se producere illum assensum obscurum circà idem obiectum materiale, tamen hoc potest facere adiutus singulari Dei concursu, supplente non quidem defectum causæ formalis, quæ hîc non deest, sed defectum naturalis capacitatis & virtutis actiuæ ipsius intellectus. vide dicta n.9.

40 Ex dictis patet Primò, obscuritatem absolutam, siue rem creditam esse simpliciter & absolutè non visam aliaue ratione clarè cognitam, nullo modo pertinere ad rationem formalem obiecti fidei, non solùm quia illud non potest esse ratio mouens intellectum ad assensum fidei (nam, vt benè ostendit Bañez 2.2.q.1. a.4.dub.1. obscuritas non potest esse intellectui ratio formalis assentiendi alicui rei, cùm potiùs impediat assensum) sed etiam quia non est conditio necessariò requisita in obiecto, vt possimus id fide diuina credere, prout Bañez ibidem putat. Quia, vt iam ostendi, obiectum naturaliter visum aut aliàs clarè cognitum potest simul actu fide diuina credi. Potest tamen obscuritas secundùm quid & cum particula diminuente alia ratione dici pertinere ad obiectũ fidei. Primò, quatenus ratio formalis assensus fidei debet esse talis quæ ex se non causet assensum euidentem. Secundò, quia fides naturaliter requirit obiectum quod non sit cognitum tanta euidentia, quæ gignat certitudinem æqualem cum certitudine fidei; quia, vt iam ostendi, sicut assensus fidei non potest intellectum informatum assensu ita euidenti vlla ratione perficere, ita nec potest in eo naturaliter produci. Talis tamen euidentia naturaliter nulla dari potest.

Bañez.

41 Fides humana nequit cõsistere cũ cognitione euidenti eiusdem obiecti. Patet Secundò, fidem humanam non posse simul consistere cum omnino euidenti cognitione siue intuitiua siue abstractiua eiusdem rei. Quia fides humana cùm sit omni ex parte imperfectior eiusmodi cognitione, & in ea omni ex parte modo eminentiore contineatur, nequit intellectum hac informatum vlteriùs perficere, & consequenter nec potest in eo naturaliter produci. Idemque dicendum de opinione alioue assensu solùm probabili, quia est eadem ratio.

Opinio nequit cõsistere cũ cognitione euidẽti circa idem.

42 Aliud est me videre hoc ex illo medio sequi, aliud me propter hoc illi assentiri. Dices, Habens claram scientiam alicuius veritatis, potest simul concipere aliud medium quod eamdem probabiliter probet, & simul videre illam ex hoc probabiliter sequi: ergo poterit ei etiam propter hoc assentiri. Respondeo negando consequentiam: quia aliud est me videre hanc conclusionem probabiliter sequi ex illo medio, aliud verò me huic conclusioni probabiliter propter illud assentiri; & prior assensus cùm sit circa diuersum obiectum, potest naturaliter in eodem intellectu consistere cum illa scientia, secùs est de secundo, vt patet ex dictis. Et quamuis secundus assensus sit natus sequi ex priore in intellectu aliunde non impedito: secùs est tamen quando intellectus ratione alterius assensus est incapax illius secundi. vt patet in eo qui propter aliam rationem certò omnino sibi persuadet illud cõsequens esse planè falsum: qui quantumuis videat illud ex antecedente illo probabiliter sequi, ideo tamen nullo modo id putat probabile.

43 Fides humana circa idẽ consistit cum opinione: Sequitur Tertiò, fidem humanam posse consistere cum opinione circa idem obiectum, quia neutra per se ita intellectum perficit, quin ab altera possit vlteriùs perfici; quia firmiùs assentimur alicui propositioni ob auctoritatem & probabilem rationem simul sumpta, quàm propter quoduis eorum separatim. Secùs credo esse de fide humana respectu diuinæ. Quia id quod hac fide credo, nequeo propter dictum hominis aut certiùs aut euidentiùs cognoscere. Quod etiam experientia patet: nam etsi millies aliqui homines mihi dicant Deum esse trinum & vnum, ob eorum dicta non plus mouebor ad illud credendum, quàm si mihi dicerent me viuere; quod ridiculum esset dicere me credere propter eorum dicta. Loquor autem de iis rebus, quas apertè scio esse de fide; nam circa ea, quæ non scio certò esse de fide, aut dubito quo sensu sint de fide, possum aliorum auctoritate moueri vt magis credam ea esse de fide, aut in tali sensu esse de fide. Sed tunc sola fides humana concurrit cum opinione circa idem obiectum, quod tunc partim propter horum auctoritatem, partim propter alias rationes probabiliter mihi persuadeo esse de fide.

non tamen cum fide diuina.

44 Testimoniũ magnæ multitudinis adfert quandoque euidentiam. Item loquor de fide humana, quæ habet præcisè rationem fidei, non autem de cognitione moraliter euidenti, quæ ex communi ac cõcordi magnæ multitudinis rem visam testantis testimonio cui nemo contradicit gignitur; cùm enim moraliter impossibile sit tale testimoniũ esse falsum, ex eo quòd clarè sciam illam multitudinem hoc ita testari, euidenter colligo id esse verum. Sic qui Romam numquam viderunt, eam esse in Italia non tam credunt quàm sciunt. Quare cùm hæc cognitio quamdam euidentiam adferat, potest intellectum fide diuina informatum adhuc perficere; & consequenter cum ea naturaliter consistere.

DVBIVM II.

Vtrùm mysteria fidei hîc euidenter cognosci aut demonstrari possint?

45 VT hoc & sequenti dubio clariùs procedamus, Nota, sicut hæc sunt valdè diuersa; *Hæc res est verè probabilis, aut credibilis*; &, *Hæc res est vera*: ita etiam hæc esse valdè diuersa, *Hæc res est euidenter verè probabilis, siue credibilis, aut potest euidenter demonstrari verè probabilis, siue credibilis*; &, *Hæc res est euidenter vera, aut potest euidenter demonstrari vera*. Nam potest res aliqua à parte rei falsa esse verè credibilis ac probabilis; vt si duo vel tres fide digni eã asserãt, aut ipsa probabilibus rationibus probetur, nec vlla ratio appareat quæ doceat eam esse falsam; & consequenter si euidens sit eos testes esse fide dignos & eam rem testari; aut si euidens sit eas rationes esse probabiles, multosue viros doctos eam sententiam

Res falsa potest esse euidenter credibilis, ac probabilis.

tiam tenere, nec ab aliquo vllam rationem adferri quæ sufficienter probet eam esse falsam, erit etiam euidens eam esse credibilem, siue probabilem, & consequenter hoc poterit euidenter demonstrari: cùm tamen, vt suppono, ipsa res à parte rei sit falsa, nec potest esse euidens nec euidenter demonstrari quòd sit vera.

Et hæc quidem clara sunt in re credibili sola humana fide, quæ falli potest; tamen in re credibili diuina fide videtur contrarium dicendum: nam cùm hæc nulla ratione fallere possit, quidquid est credibile fide diuina est necessariò verum; vnde videtur sequi, id, quod est euidenter credibile fide diuina, etiam euidenter esse verum.

46 Nota igitur Secundò, dupliciter posse euidenter cognosci rem aliquam fide diuina esse credibilem. Primò, euidenter videndo Deum eam reuelantem; & hæc cognitio parit euidentem cognitionem, non quidem rei reuelatæ in se, sed Veritatis ipsius, siue quòd ipsa vera sit. vt ostendi disp.9.dub.8.

Secundò, ita vt non habeamus euidentiam testimonij diuini in se, sed tamen habeamus clara argumenta quæ moraliter certò probant eam rem meritò & prudenter credi à Deo esse reuelatam, & propter eius auctoritatem credendam. qua ratione, vt ostendam dub.3. mysteria nostræ fidei ex variis ipsius notis clarè probatur esse talia, quæ meritò credas à Deo esse reuelata.

47 In priore igitur modo reuelatio diuina in se euidenter cognoscitur, & ex veritate illius cognitionis omnino necessariò sequitur veritas reuelationis & rei reuelatæ, ita euidenter, vt intellectus conuincatur eiq; necessariò assentiatur; & talis euidens cognitio credibilitatis parit euidentiam veritatis ipsius rei reuelatæ. Secùs est in secundo casu: nam in eo nec videtur reuelatio clarè in se, nec probatur iis argumentis quæ ex se habeant connexionem omnino euidentem & necessariam cum veritate reuelationis, ita vt intellectum omnino conuincat. hinc videmus ijs non obstantibus multos negare mysteria nostræ fidei esse à Deo reuelata, ac vera. Imò, secluſa diuina prouidentia, quæ non permittit rem aliquam falsam tam euidentibus signis probari à Deo esse reuelatam, & fide diuina credendam, omnes notæ fidei non haberent connexionem omnino infallibilem cum ipsius veritate. Cum hoc tamen consistit, quòd eæ notæ faciant mysteria fidei euidenter fide diuina credibilia, quia ad hoc sufficit, quòd ea ob diuinum testimoniũ esse credenda probent ea certitudine & euidentia, quæ moraliter iudicetur certa, quæque meritò prudentem quemque moueat vt ea ita credat. Ex quo nullo modo sequitur ea fieri nobis euidenter vera; quia ad hoc requiritur talis euidentia veritatis, quæ intellectum omnino conuincat.

Euidentia credibilitatis quandoq; parit euidẽtiam veritatis, quandoque non.

Qua ratione notæ fidei faciant huius obiecta euidenter credibilia.

48 His positis difficultas est Primò, vtrùm mysteria fidei omnibus habentibus fidem, vel saltem aliquibus sint clarè & euidenter cognita in se, vel in Deo attestante. Quò etiam pertinet ea difficultas, vtrùm illa euidenti ratione probari possint esse vera: nam si ita possint probari, poterunt etiam euidenter cognosci esse vera. Quia in re satis inter omnes constat quædã nobis credẽda proponi quæ naturaliter probari possunt, & à pluribus euidenter cognoscuntur esse vera. Talia sunt, Deum esse, Deum esse vnum, animã humanam esse immortalem, &c. Item B. Virgo & Apostoli quædã mysteria euidenti experientia cognouerunt, vt ostẽdi dub.1. sed difficultas est circa mysterium SS. Trinitatis, incarnationis & similia. Secundò, est difficultas vtrùm possimus euidenter soluere omnes rationes quæ cõtra mysteria fidei obijciũtur. Tertiò, vtrùm possit euidenter ostendi, ea esse diuina, siue propter testimonium diuinum credenda siue credibilia. Agemus hîc de duabus prioribus, dubio verò sequenti de tertia difficultate.

Circa primam difficultatem fuit Primò, error Manichæorum, & cuiusdam Artemonis; qui, teste Augustino libro de Veritate credendi, & Eusebio l.5. historiæ cap.vlt. docebant, nihil esse credendum quod non posset clarè probari ac cognosci esse verum. quos D. Augustinus dicto libro fusè refutat. 49 *Error Manichæorum & Artemonis.* *Augustinus.* *Eusebius.*

Secundò, Henricus quodlibet. 12.q.2. docet, esse triplex lumen supernaturale siue infusum, quo mysteria fidei cognoscantur. Primum, est fidei, quo cognoscuntur certò, sed obscurè. Secundum, est lumen gloriæ, quo illa clarè in se videntur. Tertium, est inter hæc medium, quo illa cognoscuntur, clarè quidem, non tamen intuitiuè; & hoc vult esse in Ecclesiæ Doctoribus; idque probat ex D. Augustino l.14. de Trinit. c. 1. & tract.1, in Iohannem. *Henricus.* *Augustinus.*

Tertia opinio est Bañez 2.2.q.5.a.1. & quorũdam aliorum, qui absolutè negant vllum vnquã purum viatorem, etiam angelum, habuisse euidentem cognitionem istorum mysteriorum: ita vt etiam negent angelũ euidenter cognouisse ea mysteria sibi à Deo fuisse reuelata. Ratio illorũ est, quia aliàs non potuissent ea credere, quia fides nequit consistere cum cognitione euidenti. Sed hanc rationem dubio primo iam refutaui. 50 *Bañez.*

Alij demum concedunt angelum euidenter cognouisse Deum sibi ea mysteria reuelare, negant tamẽ inde sequi ipsum euidẽter cognouisse ea esse vera. quos refutaui disp.9.dub.8.

Circa secundam difficultatem Durandus in prologo quæst.1. §. *Tertium patet*, docet, nos non posse euidenter, sed solùm probabiliter soluere argumẽta contra eiusmodi mysteria fidei allata: nisi illa solùm peccent in forma, hoc enim euidenter possumus cognoscere & ostẽdere. secùs tamen esse quando iumunt propositionem falsam directè pugnantem cum mysterio fidei. Vt si oppugnans Trinitatem ita argumentetur, Vbicumque est distinctio personarum, ibi est distinctio naturæ: sed in Trinitate est distinctio personarum: ergo etiam naturæ. non possumus, inquit, hoc argumentum euidenter refutare; quia sic deberemus euidenter ostendere maiorem esse falsam; quod fieri nequit, nisi euidenter ostendamus mysterium Trinitatis esse verum, aut saltem probabile. quod fieri nequit. 51 *Durandus.*

Conclvsio I. Certum est nos non omnia mysteria nostræ fidei posse euidenter probare esse vera; atq; ita nos multa teneri credere, quæ nec euidenter cognoscere, nec clara omnino ratio- 52

ratione probare possumus. Ita cõmuniter omnes Catholici: & patet apertè ex Scripturis. ad Hebr.11. vbi dicitur fides esse argumentum non apparentium: quod esset falsum, si sola nobis clarè apparentia deberemus credere. & 1. ad Cor.13. vbi res fidei dicimur ex parte cognoscere, & per speculum in ænigmate, quia nimirum mysteria fidei nobis obscura sunt, & sicut ænigmata. Demum clara experientia patet, nos non posse clarè cognoscere, aut rationibus euidentibus probare Deum esse trinum & vnum, Christum esse incarnatum, &c. & tamen iubemur hæc propter Dei testimonium credere.

Hebr.11.

1.Cor.13.

53 CONCLVSIO II. Angelus, præsertim primus, planè euidenter cognouit mysteria fidei sibi à Deo reuelari. Ita Caietan. 2.2.q.5.a.1. Valentia disp.1.qu.5.puncto 1. Durand. in 3.d.23.q.9. lit. N. Lorca 2.2.q.5.a.1.disp.29.& alij.

Caietan. Valentia. Durandus. Lorca.

Probatur, quia angelus clarè videbat sibi dicta mysteria ab aliquo reuelari; item apertè videbat hoc nõ fieri ab aliqua alia creatura (quia angeli non minùs euidenter, imò multò euidẽtiùs & certiùs cognoscunt, vtrùm aliquis alius angelus iis loquatur, & quis hic sit, quàm nos cognoscamus quis nobis loquatur:) ergo clarè vidit hoc fieri à Deo.

54 Respondet Bañez suprà, angelum posse facilè euidenter videre quis sibi loquatur naturali locutione, non tamen quis sibi loquatur locutione supernaturali, eam autem reuelationem fuisse supernaturalẽ operationem. Quòd si inferas, angelum vel hinc clarè cognouisse eam necessariò esse veram; eò quòd Deus debuerit supernaturaliter ad eam concurrere; ipse id negat, quia, vt ait, actio supernaturalis potest esse mala, & tamen esse à Deo quo ad substantiam, ab homine verò vel angelo quo ad malitiam; vt patet, quando quis habens donum miraculorum vtitur eo ad fallendum.

55 Sed hæc non satisfaciunt. Primò, quia etsi absolutè loquendo dicto modo supernaturali, atque ita angelo ignorante personam reuelantis, potuisset aliqua creatura ei falsum reuelare; tamen cùm illud naturaliter non esset natum fieri, eo non obstante potest dici angelum euidenter scisse eam reuelationem esse à Deo. Probatur, quia quæ nos clarè coram oculis videmus, dicimur euidenter cognoscere, & quidem ea euidentia, quæ secundùm Bañez excludit fidem circa idem obiectum: & ramẽ non solùm virtute Dei supernaturali, sed etiam naturali virtute dæmonis, aut boni alicuius angeli possumus decipi in ea visione, putantes v.c. nos videre hominem & cum eo loqui, cùm videamus & audiamus solùm aliquod phantasma. Quare etsi totum quod Bañez ibi sumit, concederemus, inde non sequeretur, angelum non habuisse euidentem cognitionem quòd ista reuelatio esset à Deo, sed solùm eum non habuisse talem, quam implicaret esse falsam. Quod libenter de omni naturali cognitione concedimus, quam ideo dicimus à fide certitudine superari.

Vt aliquid dicamur euidenter scire, non requiritur vt in ea cognitione nulla ratione possimus falli.

56 Secundò, quia falsum est reuelationem falsam, aut operationem secundùm se, siue in se malam posse esse supernaturalem; aut Deum posse singulari concursu supernaturali ad eam concurrere. Quia sic esset verè auctor falsitatis & malitiæ, vt ostendi disp.10.dub.2.

Ad probationem Bañez, Respondeo Primò, esse diuersam rationem; nam illud miraculum, eiusque operatio, esset res siue actio in se, & secundùm se simpliciter bona, & solùm mala denominatione extrinseca, ratione malæ intẽtionis, qua in malum finem refertur, atque ideò non dedeceret Deum illius secũdùm se sumptæ esse auctorem; sicut etiam homo laudabiliter potest alicui esse auctor faciendi aliquod opus secundùm se bonum, v.c. dandi eleëmosynam, etsi sciat alium id mala intentione facturum. Secùs est de testificatione illa siue reuelatione falsa; quæ intrinsecè siue secundùm se spectata est falsa & actio mala: ideoque Deus nequit esse ipsius vera & propriè dicta causa etiã secundùm substantiam, sicut nec homo posset laudabiliter ita ipsius esse causa; quia simul etiam esset causa falsitatis. vide dicta disp.10.n.70.

Licitè alicui suadeo rem bonam, quã scio eũ mala intentione facturum.

Respondeo Secundò, in ea probatione sumi falsum, scilicet aliquem posse abuti dono supernaturali miraculorum, ad fallendum, siue ad testificandam rem falsam. nam quando res aliqua vero miraculo, siue operatione aliqua ac signo supernaturali comprobatur, cùm Deus illius operationis ac signi verè sit auctor, censetur ipse secundùm moralem æstimationem rem illam in cuius testimonium miraculum fit, illo signo tamquam externo suo testimonio approbare. Quod apertè testatur ipse Christus Iohan.5. vbi ait: *Ego habeo testimonium maius Iohãne: opera enim, quæ dedit mihi Pater vt perficiam ea; ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Quare si res vero miraculo confirmata falsa sit, ipse Deus verè secundùm prudentem æstimationem censebitur rem falsam testari: quod Deo impossibile est.

57 *Res falsa nequit miraculo comprobari.*

Quæ miraculo probãtur, Deus testatur esse vera.

Iohan.5.

Confirmatur, quia aliàs, quantumuis Prophetæ, Apostoli, aliique fidei annunciatores se à Deo esse missos, & suam doctrinam esse diuinã, apertis ac veris miraculis confirmarent, possemus tamen de vtriusq; veritate dubitare, nec vlla miracula, quantumuis constaret ea diuina virtute fieri, illa sufficienter probarent. Quæ repugnant apertè veritati & reuerentiæ primæ veritati debitæ, & communi hominum sensui: necenim vlli vmquam etiã infideles, Iudæi aut Ethnici, quantumuis impij, ausi sunt illud affirmare. vnde vt possent negare Christi ac Christianorum doctrinam esse veram, calumniabãtur eorum miracula non fieri virtute diuina, sed dæmonis, apertè admittentes necessariò concedendum fore illorum doctrinam esse veram, si concederetur eorum miracula virtute diuina fieri. Repugnat etiam apertè doctrinæ Christi loco suprà citato Iohan.5 vbi docet, Deum per miracula verè testari doctrinam in cuius confirmationem fiunt, esse veram, ideoq; eam sine vlla dubitatione esse acceptandam. vnde infrà c.10. Iudæis ait: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, etsi mihi non vultis credere, operibus credite.* & Lucæ 11. ait: *Porro si in digito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei:* vbi ex eo quòd virtute di-

58

Iohan.10.

Luca 11.

uina sua miracula faceret, tamquam omnino infallibile infert suam doctrinam esse veram & à Deo. Quæ sine fundamento dixisset & intulisset si virtute diuina posset fieri miraculum ad probandam rem falsam. Quare etsi posset concedi miraculum fieri posse ex alio fine malo, v.c. ex vana gloria; tamen nullo modo admittendum est id posse fieri ad probandam rem falsam; vt iam satis probaui.

59 Ex quibus patet Primò, angelum clarè cognouisse mysteria fidei sibi à Deo verè reuelari, idque ea euidentia, quæ intellectum omnino conuinceret; & ea certitudine, quæ dubitationē omnem excluderet: atque adeò certiùs & euidentiùs, quàm nos possimus hîc aliquid per vllā experientiam cognoscere. quia multò faciliùs posset contingere nos in quauis nostra experiētia falli, quàm angelum falli in illa cognitione. Quod confirmatur, quia dęmones illius reuelationis euidentia ita fuerunt conuicti, & etiam modò conuincuntur, vt velint nolint cogantur credere siue iudicare mysteria fidei verè à Deo

Iacob.2. esse reuelata, vt apertè indicat D.Iacobus c.2. epistolæ suæ v.19. Quod non fieret nisi illius certitudo esset ijs omnino euidens. Nec refert quòd ipsi iam habeant alia signa, ex quibus euidenter colligunt mysteria fidei à Deo esse reuelata: tum quia ipsi ab initio peccati sui antequā ea signa haberent, numquam potuerunt dubitare quin mysteria fidei essent à Deo reuelata (quod enim D.Iacobus suprà testatur dęmonem credere Deū esse, & cōtremiscere, semper ab initio verum fuit) tum etiam quia posteriores notæ fidei non fuerunt angelo euidentiores quàm fuerit prima reuelatio; nec enim est vllum fundamentum ex quo contrarium colligamus.

60 Patet Secundò, etsi conclusio euidētiùs probetur in primo siue supremo angelo, tamen idē

Lorca. omnino dicēdum esse de omnibus alijs. Ita Lorca 2.2.q.5.a.1.disp.29. Tum quia argumenta hactenus allata clarè probant omnes angelos euidenter cognouisse mysteria fidei sibi à Deo reuelari; quia quando aliqua creatura ijs loquitur, clarè vident quæ & qualis hæc sit; atque ita clarè videbant nullam creaturam sibi ea reuelare. Tum etiam quia aliàs dæmones inferiores etiam iam dubitarent an mysteria fidei sint reuelata à Deo, & consequenter an sint vera. hoc autem apertè est falsum, & contra illud Iacobi 2. citatum.

61 Dices, Solus primus angelus accepit reuelationem fidei immediatè à Deo, angeli verò inferiores à superioribus: ergo ille solus potuit euidenter cognoscere illam reuelationem esse à Deo.

D.Thomas. D.Dionys. Antecedens patet ex D.Thoma 1.p.q.106. vbi ex D.Dionysio c.8. Cælestis hierarchiæ docet, supremos angelos immediatè illuminari à Deo, & reliquos per supremos.

Deus initio immediatè reuelauit mysteria fidei omnibus angelis. Respondeo cum Lorca suprà negādo antecedens. Nam secundùm eam sententiā sicut solus primus angelus accepisset immediatè reuelationē à Deo, ita hic solos sibi in perfectione proximos in rebus credendis instruxisset, & hi deinde immediatè sequentes; & sic consequenter lōgo ordine reuelatio peruenisset ad infimos. vnde sequeretur, solum primum angelum fuisse meritum primo instanti suæ creationis, reliquos verò omnes per aliquantulum spatium, breuius vel longiùs, prout magis distabant à supremo angelo; atque ita pluribus alijs mediantibus debuerunt cognoscere mysteria fidei, & mansisse sine vlla fide ac cognitione mysteriorum fidei, & consequenter sine actu spei, caritatis aut vllo alio meritorio. quod repugnat apertè doctrinæ D.Thomæ & communi Theologorum.

Id autem sequi probatur. quia primus angelus debuit priùs accepisse à Deo reuelationem, quàm potuit eam alijs communicare, atque ita non potuit hoc facere eodem instanti quo fuit creatus, præsertim ita vt hæc reuelatio mediantibus mediis diuersis sibiq; succedentibus actionibus ad vltimos perueniret (omnino enim inconceptibile est quomodo primo illo instanti tot actiones in diuersis angelis, quoi ū vnus post alium inferiorem illuminabat, fuerint factæ.) Et rursum, cùm non dentur instantia immediata, inter eas reuelationes necessariò debuisset intercedere aliquod spatium. 62

Ad auctoritatem D.Thomæ & D.Dionysii, Respondeo eos non loqui de illustratione, qua angeli primò acceperunt reuelationem fidei, sed de reuelatione aliorum mysteriorum aut rerum spectantium ad progressum & gubernationem Ecclesiæ ac hominum. Nam agunt de illustrationibus quas angeli adhuc quotidie accipiunt.

CONCLVSIO III. Angeli posita illa reuelatione, cognitione verè euidenti & omnino certa naturaliter cognouerunt mysteria fidei esse vera. Ita auctores citati pro 2.concluſ. excepto Lorca, quamuis Caiet. nonnihil intricatè loquatur, ideoque à quibusdam pro contraria sententia citetur; sed si attentè legatur, nostram sententiam clarè tenet. Sequitur hæc conclusio ex concl.2.& dictis disput.9 dub.8. vbi ostendi, cognitionem circa res reuelatas per discursum ortam, ex euidenti cognitione reuelationis debere absolutè dici euidentem. 63

Hæc tamen cognitio etsi ex parte propositionis ipsius obiecti possit dici supernaturalis, quia reuelatio ipsorum mysteriorum erat supernaturalis; ipsa tamen in se erat naturalis, & similis ei quam angeli ex aliis rebus naturaliter visis hauriebant; ideoque poterat cum fide consistere, quia erat hac minùs certa.

CONCLVSIO IV. Idem proportionaliter videtur dicendum de B.Virgine, Adamo, Prophetis, & Apostolis, quibus particulatim à Deo mysteria fidei reuelata sunt, siue Deus immediatè per se, siue ministerio angelorum ea ipsis reuelarit. Ita Caietan.2.2.q.171.art.6. Probatur, quia quacumque ratione Deus ipsis ea mysteria reuelabat, poterat ea ita iis reuelare vt ipsi euidenter cognoscerent eam reuelationem esse à Deo (nulla enim hîc ostendi potest repugnantia:) atqui omnino conueniebat hoc ita fieri: ergo ita factum est. 64

Quibus primò mysteria fidei reuelata sunt, euidenter cognouerunt ea esse à Deo reuelata, & consequenter vera. *Caietan.*

Minor probatur, quia cùm ipsi non solùm deberent firmissimè credere illa sibi à Deo esse reuelata, sed etiam hoc toti orbi certissimè testari; conueniebat omnino eos hoc euidenter scire: testis enim officium est testari ea quæ ipsi sunt

sunt euidenter cognita. Confirmatur, quia illi testabantur non solùm se credere res fidei sibi esse reuelatas, sed etiam se hoc certò scire. Actorum 4. ait S. Petrus Iudæis: *Non enim possumus quæ audiuimus & vidimus, non loqui.* & Iohannes in suo Euangelio c. 19. *Et qui vidit, testimonium perhibuit, & scimus quia verum est testimonium eius, & ille scit quia vera dicit.* Et epistol. 1. initio: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt, de verbo vitæ: & vita manifestata est, & vidimus & testamur.* Et initio Apocalyps. *Qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi, quæcumque vidit.* Ecce quomodo omnibus illis locis Scriptura inculcet Apostolos habuisse euidentem cognitionem eorum quæ testabantur: vt ostendat hoc in teste requiri.

1. Iohan. 19.

1. Iohan. 1.

Apoc. 1.

65 Ex quo vlteriùs sequitur, eos à posteriore euidenter collegisse res sibi reuelatas esse veras. Confirmatur, quia legimus de quibusdam, vt de S. Elzeario in ipsius vita apud Surium, & de S. P. N. Ignatio apud Ribadineiram l. 1. cap. 7. eos circa quædam diuina mysteria habuisse reuelationes ita euidentes, vt, si omnis Scriptura defecisset, non potuissent tamen de iis dubitare: quanto igitur magis id suprà dictis accidisse credibile est? Sicut tamè Apostoli ac Prophetæ intellectus perspicacia multùm ab angelis superabantur, ita etiam tam ipsam reuelationem, quàm veritatem rei reuelatæ minùs euidenter cognoscebant; alij tamen aliis euidentiùs dicta intelligebant, prout aut maiore & perspicaciore erant ingenio, aut clariorem à Deo reuelationè acceperant: omnis enim hæc cognitio vi naturali intellectus supposita reuelatione eliciebatur iuxta dicta n. 63.

Apostoli ac Prophetæ minùs perfectè quàm angeli rerũ reuelatarum veritatem viderunt; & alij aliis perfectiùs.

66 Conclvsio V. Neque Prophetæ, neque Apostoli, aut alij Ecclesiæ Doctores habuerunt aliquod lumen supernaturale, quo mysterianostræ fidei supernaturalia, v. c. Trinitatis, Incarnationis, & similia, euidenter in se siue quidditatiuè & per proprios conceptus cognoscerent. Ita Scotus in 3. d. 24. §. *Contra hæc.* Durand. in prolog. quæst. 2. ar. 2 & communiter Doctores. Probatur, quia si ipsi habuissent talem cognitionem mysteriorum, cùm hæc omnem fidei perfectionem eminenter contineret, ipsi non indiguissent fide, nec sine nouo miraculo potuissent actum fidei elicere, vt patet ex dictis dub. 1. num. 7. & 11. atqui certum est eos hîc habuisse fidem qua dicta mysteria crederẽt: ergo non habuerunt eiusmodi scientiam.

Scotus, Durand.

67 Minor patet. Quia Apostolus 1. ad Cor. 13. de se aliisque ait: *Videmus nunc per speculum in ænigmate* (id est cognitione fidei quæ est obscura; qualia solent esse ænigmata.) & infrà: *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus* (id est certò quidem, sed obscurè, atque ideo imperfectè & ex parte) *cùm autem venerit quod perfectum est* (scilicet clara cognitio) *euacuabitur quod ex parte est.* vbi clarè docet tam se, quàm alios solùm obscurè cognouisse mysteria fidei (quia etiamsi ratione reuelationis sibi factæ Apostoli alijque Prophetæ à posteriore clarè colligebant mysteria fidei esse vera, tamẽ eorum quidditas & natura erat iis obscura.) & præsente clara cognitione, qua ea in se cognoscuntur, frustra esse cognitionem obscuram, nec naturaliter posse consistere, ideoque euacuandam. Confirmatur, quia idem ad Hebræos 11. de Patriarchis & Prophetis expressè testatur eos hîc ambulasse in fide quâ mysteria diuina cognouerunt.

1. Cor. 13.

Hebr. 11.

68 Conclvsio VI. Viri pij ac docti, quales fuerunt Ecclesiæ Doctores, longa exercitatione considerando consonantiam vtriusque testamenti, & veritatem omnium prophetiarum quæ de Christo ac futuro Ecclesiæ statu tanto tempore antè fuerunt prædictæ; item quàm mirabiliter nostra fides sit propagata, & quot miraculis comprobata, quanto tot sæculorum consensu conseruata; has inquam aliasque fidei notas (quas naturalis ratio clarè docet non posse in falsam religionem conuenire, vt ostendam dub. sequenti) diligentiùs perpendendo, ex iis illius veritatem tanta certitudine & euidentia colligunt, quæ eorum intellectum quasi conuincat; ita vt de ea dubitare non possint, iuxta illud psal. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Et de huiusmodi scientia loquitur D. August. lib. 14. de Trinitate; dum ait huic tribui *id, quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur:* (dum scilicet per eiusmodi rationes infidelibus amplectenda persuadetur, & contra eorum calumnias defenditur, ac in fidelium mentibus confirmatur) *qua scientia non pollent fideles plurimi, etsi fide polleant plurimùm* quia scilicet ob tarditatem ingenij, aut defectum studij, non habent illas notas ita promptas & perspectas. Et fortè Henricus citatus num. 49. solùm voluit, Apostolis & Ecclesiæ Doctoribus tribuendam eam cognitionem, quam hac & 4. concl. iis tribuimus, quamuis ie minùs commodè explicet.

Qualem viti pij ac docti circa res fidei euidentiã acquirãt.

Psalm. 92.

August.

Henricus.

69 Conclvsio VII. Non possumus ex sola ratione, siue secluſa auctoritate Scripturæ & traditionum, ostendere omnia argumenta quæ contra fidem obiiciuntur, esse euidenter falsa, siue continere aliquid euidenter falsum. quia sic possemus euidenter probare omnia mysteria fidei esse euidenter vera, aut saltem possibilia. Nam, vt bene docet Durandus citatus numero 51. non possum euidenter ostendere, hanc propositionem: *Vbicumque est distinctio personarum, ibi est distinctio naturæ*, esse falsam, nisi simul ostendam hanc esse veram, *Non semper ibi est distinctio naturæ, vbi est distinctio personarum.* & consequenter nisi euidenter ostendam, mysterium Trinitatis esse verum, aut saltem possibile. Possumus tamen euidenter ostendere, eiusmodi omnia argumenta aliquid sumere, quod non est euidenter verum, siue quod non potest euidenter probari, quodque consequenter accedente iusta causa meritò negemus esse verum, v. c. dicendo dictã propositionem solùm esse verã in naturis finitis & naturaliter existẽtibus, de quibus solis habemus notitiã, ac aliquid certi possumus asserere; secùs autem esse in natura infinita: quia sicut non possumus eam naturaliter quidditatiuè siue proprio conceptu cognoscere, ita de modo quo subsistit, an scilicet

Durandus.

Qua ratione possimus refutare argumenta cõtra nostram fidẽ obiecta.

in vna, an in tribus personis, nihil possumus naturaliter cognoscere. Atque ita euidenter omnia argumenta circa fidem allata refutamus, clarè ostendendo nullum esse quod sufficienter probet intentum. ita Caietan. 1.p. q.1.a.8.§. *Circa tertiam.* & Vasquez disp.11.c.3. *Caietan. Vasquez.*

DVBIVM III.

Vtrùm ea quæ fides Catholica nobis credenda proponit, demonstrentur euidenter credibilia?

70 HOc dubium præcipuè proponitur vt possimus clarè videre quænam fides siue religio inter varias, quas variæ gentes amplectuntur, sit præponenda. Quæritur igitur vtrùm euidentibus signis aut notis, quæ in solam veram religionem possint conuenire, possit clarè demonstrari, solam fidem Catholicam esse, quam vt à Deo reuelatam prudenter amplectaris. Aliter hoc dubium solet proponi, scilicet: Quæ sint notæ veræ Christi Ecclesiæ? eadem enim est quæstio; nam cùm vera Ecclesia Christi esse nequeat sine vera fide, illa inuenta, hæc etiam in ea necessariò reperitur.

71 Demonstrari potest quæ sit vera Ecclesia, & vera fides.

CONCLVSIO I. Omnino tamquam certum statuendum est, posse clarè demonstrari quæ sit vera Christi Ecclesia ac recta fides. Est communis Catholicorum: & probatur Primò, quia cùm Deus velit nos firmissimè & constantissimè tamquam omnino indubitata credere ea omnia, quæ vera fides credenda proponit, & priuatos æterna salute perpetuis pœnis subiiciat eos, qui hac deserta aliam sequuntur; omnino ad ipsius prouidentiam spectat, veram fidem ac Ecclesiam talibus notis insignire ac spectabilem reddere, vt ab omnibus in hoc seriò, & ea qua decet diligentia & affectus sinceritate incumbentibus facilè reperiri possit. Aliàs enim si Ecclesiam suam reliquisset obscuram & omnino inuisibilem in aliquo angulo delitescentem, prout hæretici volunt; meritò homines communiter potuissent excusari, quòd eam non reperissent, nec in eam fuissent ingressi.

Ad Deum omnino spectat talem instituere Ecclesiam, quæ facilè dignosci possit.

Probatur Secundò, clarè ex Scripturis. Nam psalm.92. dicitur: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* id est, clarissimè multis argumentis, signis ac prodigiis demonstratum est, tuam legem esse talem, quam meritò omnes credant à te latam esse. Item Dominus Matth.5. comparat veram Ecclesiam ciuitati supra montem positæ, quæ abscondi non potest, quia scilicet tam illustres sunt veræ Ecclesiæ ac fidei notæ, vt quiuis qui ingenium ad eam cognoscendam intendit, facilè eam cernat, ficut ciuitatem excelso acillustri loco positam, eamque ab alijs falsis conuenticulis etiam facilè discernat. *Psal.92.* *Matth.5.*

72 CONCLVSIO II. Notæ quibus vera Christi Ecclesia insignita ab hæreticorum conuenticulis discernitur, conueniunt soli Ecclesiæ Catholicæ ac Romanæ. Quod vt demõstrari possit, primò statuendũ est quæ sint illæ notæ quibus vera Ecclesia à falsa debet dignosci. Dehis autem & earum euidentia pulcherrimè scripserunt, ex PP. Eusebius in Præparat. Euangelica. *Euseb.*

S. Augustl. contra Epistolam fundamenti. Vincentius Lirinens. in suo commonitorio, & alij. Ex Scholasticis S. Thom. contra Gentes. Scotus in Prologo. Medina l.2. de Recta in Deum fide. Valentia 2.2. disp.1.q.1.puncto 7. & in sua Analysi. Bellarm. l.4. de Ecclesia militante. Lessius in sua Consult. de fide capessenda. & breuiter ac elegantissimè Campianus in 10. suis rationibus ad Academicos; & fusissimè Thom. Bosius. & alij, ex quibus eas licebit fusè discere. Quare ne in re toties tractata longior sim, solùm vnam atque alteram tantùm hîc breuiter & modo populari proponam, vt qui hæc legunt aliquid promptum habeant quo veram Ecclesiam demonstrent. *Augustl.* *Vincentius.* *D.Thom.* *Scotus.* *Medina.* *Valentia.* *Bellarm.* *Lessius.* *Campian.* *Bosius.*

73 Nota vetæ Ecclesiæ.

Prima igitur est doctrinæ puritas & cum recta ratione in omnibus cõformitas, quæ in Ecclesia Catholica reperitur: si enim spectes ea quæ docet de Deo, omnia talia sunt, vt in ijs nihil possit ostendi aut diuinæ naturæ repugnare, aut Deum dedecere. Contrà verò omnes sectæ & hæreses aliquid continent & de Deo affirmant eo indignum, vt patet de Gentilibus, tam antiquis quàm modernis, qui multa fœdissima aut ridicula de suis dijs commenti sunt; sicut etiam Iudæi postquam à vera fide defecerunt, Deo multa illo indigna tribuunt. Similiter euidentissima mendacia de Deo eiusque prouidentia docuerunt Manichæi, Cataphryges, Montanistæ, Turcæ, & similes, ac etiam nostri temporis hæretici; qui, vt ex eorum scriptis optimè ostendit Bellarm. l.2. de amissione gratiæ c. 3.4. & 5. faciunt Deum auctorem peccati. Item Caluinus facit Christum minorem Patre, & tantùm non meram creaturam. vt ex eius scriptis docet Bellar. in præfatione tract. de Christo; vbi plures aliorum præcipuorum huius tẽporis hæreticorũ circa mysteria Trinitatis blasphemias profert. Item Caluinus & quidam alij hæretici docent, Christum voces desperationis plenas in cruce emisisse, & mortuum pœnas inferni expertum. vide Campianum ratione 8. v- bi eorum verba adfert. *Bellarm.* *Campian.*

74 Deus non esset Deus, si eum posse mus cõprehendere.

Habet quidem fides Catholica multa, quæ sunt supra humanum captum: qualia sunt quæ credimus de mysterio Trinitatis, Incarnationis, Passionis Christi, Vener. Eucharistiæ: sed quid mirum, aut nos naturam diuinam non posse capere, qui ne quidem animæ nostræ naturam intelligimus: aut Deum multa facere quæ non capimus; cùm etiam nos ipsi multa agamus quæ quomodo fiant non satis intelligimus? Quid enim homini est familiarius quàm videre? & tamen hactenus repertus est nemo qui qua ratione hoc fiat satis potuit explicare. Imò Deus nec omnipotens, nec immensus & perfectione omnino infinitus atq; adeò nec Deus esset, si possemus eius naturam & potentiam tantillis ingenijs concludere. Ridẽt quidem hæretici tamquam Deo indigna quædã, quæ de Christi præsentia in Ven. Sacramento eiusque sumptione credimus. Sed simili planè modo ac Gentiles & Iudæi rident Christi passionem.

75 *Psal.11.*

Rursus si ea quæ ad mores spectant consideres, verè de Ecclesiæ doctrina dicitur, psalm. 11. *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne exa-*

examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. Quod in solam Catholicam conuenit, cùm omnes aliæ sectæ aliquid permittant, aut etiam laudent, quod est apertissimè contra rectam rationem, vt videre est apud Bosium signo 55. vbi id multis exemplis demonstrat. Hîc duo solùm adferam omnibus nostri temporis hæreticis cõmunia, & quæ apertissimè absurda sunt. Primò enim fatentur omnes, & rectè, fidem legitimè homini datam seruandam esse, atque ita eum perfidè facere, qui datam vxori fidem frangit ea deserta alteram ducendo; & tamen simul omnes docent, eos qui per vota castitatis aut etiam paupertatis ac obedientiæ se Deo obligarunt, consilia Christi sequendo, ac se castrando propter regnum cælorum, licitè fidem Deo datam fallere, atque ita licitè in Deum perfidos esse. Quod ita apertè cum recta ratione pugnat, vt non solùm ab omnibus semper Patribus, totaque Ecclesia Catholica sit damnatum, sed etiam ab omnibus Gentilibus pro grauissimo scelere sit habitum: atque adeò semper impios ac sceleratos reputarunt omnes, qui diis promissa non soluerent.

Absurdi hæreticorum errores.

76 Secundò, quia quando nos eorum errores oppugnamus, nolunt admittere vlla argumenta nisi ex sola Scriptura, & hanc vnam volunt iudicem omnium controuersiarum fidei; & quia docemus, definitiones Conciliorum esse indubitanter credendas, ac Scripturam intelligendam eo sensu quo Ecclesia definit eam esse intelligendam, dicunt nos impiè facere, & Cõcilia præponere Scripturæ. Contrà verò cùm sua conantur stabilire, conciliabula conuocant, & multa de fidei dogmatibus statuunt, quæ ab omnibus vt certa & indubitata credi volunt, & sibi subiectos ad hoc quibus possunt modis adigunt, nolentes obedire exilio aliisque grauibus pœnis mulctando; nec vllam à suis decretis ad Scripturam appellationem admittunt, vt patet vel ex nuperrimo Batauorum facto in conciliabulo Dordracensi, multisque aliis conuenticulis à Germaniæ Protestantibus habitis: qua in re non solùm contra apertissimam rationem agunt (vt ostendam disp.12. dub.5.) sed seipsos clarissimè damnant, similesq; se ostendunt fraudulentis mercatoribus vtentibus dolosa statera, & alio pondere dum emunt, alio dum vendunt: quos Deo esse abominabiles testatur Scriptura Deuteron. 25. v.16. & Prouerb. 11. v.1. Ex quibus etiam clarè patet, eos nihil aliud quærere quàm fraudibus veritatem occulere ac opprimere, vt suos errores pro ea venditent.

Hæreticorũ fraus.

Deut. 25. Prou. 11.

77 Ad hæc fortè respondebunt, se meritò ab aliis exigere vt à se definita credant, quia apertè hæc in Scriptura habentur. contrà verò se iure damnare Concilia Catholica, quia ea definiunt quæ sunt contra Scripturam. Sed alij vtrumque negant, aiuntque horum definitiones esse ex mente Scripturæ, vestras verò eidem repugnare: vtris credendum? quis huius litis erit arbiter? si enim vllus homo hîc iudex dandus sit, sanè nullus aptior generali Ecclesiæ Prælatorum Concilio, qualia fuerunt Nicænum, Ephesinum, Chalcedonense, aliquot Constantinopolitana, ac Lateranensia, Viennense, Florentinum, ac demum Tridentinum. Si verò nullorum hominum, sed solius Scripturæ canonicæ (vt nobis continuò occlamatis) hac in re arbitrio standum est; cur huius officium vobis sumitis, asserendo indubitanter credendum esse decreta vestra ex mente Scripturæ esse confecta, omnesque vt ea recipiant quantum potestis cogitis? cur id quod in Concilijs generalibus ac Ecclesia Catholica damnatis, vobis arrogatis? sanè vel hoc ipso palam omnibus ipsa luce clarius facitis, vos vti statera dolosa ac vario pondere, Deoque esse abominabiles.

Secunda nota est sanctitas. Vbi Nota, ex omnibus historiis experientiaque quotidiana constare, in Ecclesia Catholica innumeros omnibus ætatibus vixisse viros sanctissimos, quorum sanctitatem ante & post mortem Deus miraculis testatus est. Aliæ verò omnes sectæ ne vel vnum possunt ostendere, quem ex eiusmodi signis aut alia euidenti ratione constet fuisse sanctum, aut quem communiter omnes etiam aduersarij fateantur esse sanctum, quales plurimos reperimus in Catholica religione. Nam Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Athanasium, Basilium, & plures alios SS. Patres non modò Catholici, sed etiam hæretici fatentur fuisse sanctos; & tamen ex eorum vita & scriptis euidenter constat non fuisse aut Lutheranos, aut Caluinistas, aut Anabaptistas, aut similes; sed Catholicos. Nam vt alia taceam, hæretici nostri vitam Religiosam ac vota castitatis maximè detestantur: illi autem vel Religiosi fuerunt, vel Religiosæ vitæ laudatores. vide Campianum ratione 5. & 10. Lessium consid. 3.

78 Sancti in sola reperiuntur Catholica.

79 Respondebunt ipsi fortasse, se multos Sanctos habere, ac nominabunt nobis Lutherum, Caluinum & similes, quos ipsi sanctos vocant, sed suo solo testimonio; nam alij eos homines nefarios reputant. Quærimus autem nobis hîc tales dari, quos non vnius solùm, sed vtriusque partis testimonio constet esse sanctos, aut saltem testimonio ipsius Dei, miraculis eorum sanctimoniam attestantis. Eiusmodi autem nos damus Catholicos: nam Basilium, Nazianzenum, Benedictum, Antonium, Bernardum, & similes fuisse sanctos etiam aduersarij testantur: & cùm constet eos fuisse monachos, non potest fuisse Lutherani, Caluinistæ aut similes monachorum iurati hostes; atque ita necessariò fatendum est fuisse nostros. Adferimus præterea Dominicos, Franciscos, Ignatios, Xauerios, alios; innumeros, quos omnes fatentur fuisse nostræ religionis; quos Deus tamen infinitis propè miraculis, secum in cælo beata frui vita quotidie testatur.

Vnde sic argumentor, Clarè constat, dictos eadem via quam nobis præscribit Catholica Ecclesia, ad cælum contendisse; item constat eos hac via incedendo ad cælum peruenisse: ergo quicumque cupit ad cælum securè peruenire, meritò eadem cum ipsis via incedit, & stultè ingreditur illa, per quam non potest probare vllum ad cælum peruenisse. Priorem partem antecedentis quoad S. Dominicum, S. Franciscum, &c. etiam aduersarij admittunt. Secundam verò partem Deus frequentibus miraculis

80 Sola illa via tutò incedis qua scis alios ad optatum finem peruenisse.

raculis quotidie penè testatur. Consequentia est clara.

Nec est cur mihi obiicias Apostolos, quos constat iam Deo beatè frui: quia sicut hos aduersarii sibi, ita nos, & quidem longè maiore iure, eos nobis vindicamus. Quærimus autem hîc tales, de quibus apertè constet non solùm eos cælum iam esse ingressos, sed etiam eadem cum iis via incessisse: qualem nullum vmquam dabunt; ideoque iniquè à nobis exigunt vt eorum vestigiis insistamus.

81 Nullus cõmuniter à Catholicis deficit vt melior fiat.

Huc accedit ipsa experientia; videmus enim quotidie multos ab hæresi ad Catholicam fidem redeuntes vitam in melius commutare; ferè autem omnes qui à nobis ad illos deficiunt, id agunt, vt liberiùs viuant, & ne vlteriùs teneantur castitatem, ieiunia, & similia quæ carni grauia sunt, obseruare. Testantur id innumeri sacerdotes ac monachi apostatæ: qui statim atq; ad illorum castra peruenerint, nihil habent antiquius quàm vt contra fidem Deo datam incestis sibi nuptiis aliquam copulent, qua cum libidinem suam expleant: quasi id vnum agerent vt palàm omnibus faciant, se ideo desinere militare Christo vt veneri stipendia faciant. Vnde sequitur, in solam Catholicam fidem conuenire illud psal.18. *Lex Domini immaculata conuertens animas.* scilicet ab iniustitia ad iustitiam, à venere ad Christum.

*Psal.*18.

82 Solorũ Catholicorum est Gentes ad fidem conuertere.

Vbi etiam diligenter notandum est, plurimas regiones à paganismo ad fidem Christianam per Catholicos esse conuersas: nulla autem gens hactenus per hæreticos ad fidem Christianam fuit adducta, ita vt ipsi hæretici primi ad illam gentem, vt eam conuerterent, se contulerint. Quod addo propter Gothos, qui primò à Catholicis ad fidem Christianam allecti, postea ab Arianis ad arianismum inducti sunt. Vnde etiam tam olim legimus factum, quàm etiam nunc videmus, multos Catholicos ad barbaras Gentes, vt illas ad fidem conuertant, penetrare, nullos verò hæreticos iis conuertendis, sed solis Catholicis peruertendis operam suam impendere. Nec enim aut Lutherani aut Caluinistæ vel vnam gentem per suos à paganismo ad fidem Christianam conuersam recensere possunt. imò nulli ex ipsis hactenus quid simile tentarunt. Quo vel vnico clarè ostendunt se non Christo, sed eius hostibus militare, vide Lessium consid. 5.

Hæretici solis Catholicis peruertendis dant operam.

83 *Matt.*7. Qua ratione mala bonaue fides ex vita ipsam sectantium debeat dignosci.

Huc etiam spectat illud Matth.7. *Omnis arbor bona fructus bonos facit, arbor autem mala malos fructus facit.* Vbi Nota, vt ex vita colentium aliquam fidem colligas, an hæc bona vel mala sit; non esse tantùm spectandum an aliqui priuatim inter illos benè vel malè viuant, sed qua ratione communiter viuant. Item an quòd benè vel malè viuant proueniat ex ipsa doctrina aut fide quam sequuntur, an verò ex particulari aliquorum, qui benè vel malè viuunt, ingenio siue inclinatione. Quare maximè spectandum est vtrùm ipsa fides siue doctrina illius fidei ex se sit nata bonos vel malos mores gignere. Fides autem Catholica ex se docet ea omnia quæ nos possint ad fugam vitiorum exercitiumque virtutis excitare: v.c. non tantùm nos posse mandata Dei obseruare, sed etiam ad hoc teneri: laudabile esse consilia Euangelica sequi: nos bonis operibus augere nostram gloriam; & cõtrà peccatis augere supplicium: in nostra potestate esse cum gratia Dei vitia fugere & bene operari; & consequenter in cuiusque potestate esse, si velit gratiæ Dei cooperari, efficere vt sit inter electos, & ad cælum perueniat.

84 Contrà hæretici docent nos bonis operibus nostris non mereri gloriam apud Deum; impossibile esse seruare mandata Dei; consilia Euangelica non esse sequenda; nos non habere liberum arbitrium, siue non esse in nostra potestate benè vel malè facere. Item Deum ab æterno sine vllo respectu ad futura hominum opera, præcisè ad ostendendam suam misericordiam ex vna parte, & seueritatem in puniendis peccatis ex altera parte, planè absolutè statuisse aliquos saluare, aliquos damnare, ita vt in nullius sit potestate benè vel malè viuendo efficere vt potiùs sit electus ad gloriam quàm destinatus ad pœnam. Quæsi homines semel apprehendant, nihil erit cur à vitijs ad virtutem auocentur. Ad hoc enim maximè nos incitat spes præmij, & timor pœnæ. Si igitur quis firmiter credat non esse vllo modo in sua potestate efficere vt sit inter electos, atque ita saluetur; aut vt non sit inter reprobos & damnandus; quomodo aut spe illius, aut timore huius poterit excitari vt bene viuat? vide Lessium suprà conf.1. & 2.ratione 8. & 9. & Bosium signo 50. vsq; 58.

85 Tertia nota sunt miracula diuinitus supra omnem vim naturæ edita in testimonium nostræ fidei, quæ variis in locis quotidie adhuc fieri videmus, præsertim in iis omnibus, vbi fides fuit recèns inducta. vnde sequitur, nostram fidem esse eam, quam *qui crediderint* (vt habetur Marc. vltimo) *eos hæc signa sequentur. dæmonia eijcient*, &c. & quam Apostoli *profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* S. Marc.

Cùm contrà hæretici nullo vmquam miraculo, quantumcumque id conati sint, potuerint suam fidem probare. Ex quo clarè patet, eos non annunciare eam fidem, quam Christus promisit miraculis plantandam ac confirmandam.

86 Vt autem aduersarii hanc notam ita claram nobis eripiant, malitiosè calumniantur eiusmodi signa à Catholicis fieri ope dæmonis: sed hac in re imitantur Iudæos & Gentiles, qui simili modo olim calumniabantur miracula Christi & Christianorum fieri arte dæmonis. Hæretici imitantur Iudæos.

Quòd autem illa calumnia nullam habeat speciem veritatis, vel inde patet, quòd ferè omnes ii qui hæc miracula patrarunt, fuerint summa vitæ innocentia; quales non sunt ii, qui dæmoni sunt familiares, cuiusque opera vtuntur. Miracula Catholicorum nõ fieri arte dæmonis.

Deinde quia spectat ad diuinam prouidentiam non permittere, falsam doctrinam tam illustribus signis confirmari, quæ ipse Deus in Scriptura apertè nobis constituit tamquam præcipuas notas, ex quibus cognosceremus aliquam doctrinam ab eo proficisci, vt patet ex illo Marci vltimo suprà citato. Ad Deum spectat non permittere vt falsa doctrina illustribus signis cõfirmetur.

Vnde omnes aliæ sectæ, quantumcumque id

Hæretici ne quidem probabili miraculo possunt suam fidem confirmare.

id conarentur, numquam vllo miraculo etiam per operam dæmonis potuerunt suam hæresim confirmare, ita saltem vt non statim omnibus pateret eos hac in re præstigiis vti; vt patuit in magis Pharaonis decertatibus cum Moyse, qui tandem coacti sunt fateri, sola opera Moysis diuina virtute siue digito Dei fieri. Item in Elyma certante cum S. Paulo, & Simone Mago certante cum S. Petro; & patebit in Antichristo certante cum Elia & Enoch.

87 Respondent quidam hæretici, facere signa & prodigia esse signum Antichristi, vt dicitur 2. ad Thessal. c. 3. v. 9. & Apoc. 13. v. 14.

Respondeo, facere signa mendacia, siue quæ non sunt vera miracula, sed præstigiæ & illusiones oculorum, esse Antichristi & hæreticorum. non autem facere vera miracula. quia Scriptura, vt iam ostendi, docet horum patrationem esse veram & certam notam rectæ fidei. Omnia autem signa quæ Antichristus faciet, erunt talia, quæ constet arte dæmonis fieri posse, & ferè vana & ludicra, qualia à præstigiatoribus fieri solent. Secùs est de signis quæ à Catholicis fiunt in confirmationem nostræ fidei, qualia sunt excitatio mortuorum, illuminatio cæcorum, & similia, quæ dæmon facere nequit. vide Bellarm. l. 4. de Ecclesia milit. c. 14.

Differentia inter signa Antichristi & Catholicorum.

Bellarm.

88 Quarta nota illustrissima, est consensus omnium orthodoxorum in nostram fidem ab orbe condito, & maximè post natum Christum vsque in hunc diem; quæ nota euidentissimè nostræ fidei, & quidem soli conuenit. Nulla enim est hæresis aliaue secta cuius initium non possit ex historiis ostendi. vnde sic argumentor: Cùm vnicus sit Deus, tantùm potest esse vna vera fides: iuxta illud ad Ephes. 4. *Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma.* & iuxta illud certissimum & receptissimum: *Veritas est simplex & vna, mendacium multiplex.* quare falsæ religiones sunt plures; vnica sola potest esse vera: atqui sola nostra fides ab orbe condito hactenus mansit inuariata: ergo sola est vera. Minor probatur: quia possumus singulis ætatibus ante Christum in populo Iudaico, & post illum in omnibus notioribus mundi partibus aliquos designare, qui eamdem nobiscum fidem tenuerunt, nec possunt hæretici ostendere quando vmquam aut inceperit aut variata sit nostra fides. quod gloriosus Christi Martyr Campianus in ratione sua 7. clarissimè demonstrat. Cùm contrà constet quo tempore singulæ aliæ sectæ inceperint, ante quod neminem possunt ostendere, qui idem in omnibus cum ipsis senserit: & statim à suo ortu singulæ fuerint in varias sectas diuisæ: vt ex historiis & quotidiana experientia potest ostendi.

Solius nostræ fidei initium nequit aliud quam à Deo ostendi. *Ephes. 4.*

Veritas vna, mendacium multiplex.

Sola fides Catholica mansit inuariata.

Campian.

Quare à nobis solis stat omnium sæculorum consensus, stat fidei vnitas, & consequenter veritas; vnde pulchrè S. August. contra Epistolam fundamenti c. 4. ait: *Tenet me in Ecclesia consensus populi atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata.* *August.*

Hæc nota tam aperta est, vt vel ipsi hæretici 89 quandoq; vi veritatis victi eam à nobis stare fateantur. Hinc Lutherus lib. de Abroganda Missa priuata, *Protestor*, inquit, *aduersus eos qui aduersus me sunt clamaturi, quòd contra statuta Patrum, contra receptissimum vsum docuerim; horum me nihil auditurum.* & Caluinus l. 4. Institut. *Sed enim* (ait de Catholicis) *qui sic faciunt habent veteris Ecclesiæ exemplum: fateor, verum in re tanta nil tutius quàm veritatem ipsam sequi.* *Lutherus.* *Caluinus.*

Absurda hæreticorum argumenti elusio.

Vbi ridiculè quando hoc argumento præmuntur, clamant magis Scripturæ credendum esse quàm Patribus & totiantiquitati. quasi sicut Patres & tota antiquitas apertè pro nobis faciunt, ita Scriptura clarè pro illis staret; & tantùm esset quæstio vtrùm Scripturæ magis quàm Patribus sit credendum. Cùm contrà tota quæstio sit, an in Scriptura explicanda magis sit credendum omnibus Patribus ac Ecclesiæ Doctoribus viris doctissimis & sanctissimis, atque adeò toti antiquitati, quæ simul cum Scripturis earumdè explicationem & sensum ab Apostolis accepit, & posteris tradidit: an, inquam magis his credendum sit quàm aliquot apostatis & fugitiuis monachis, aut Grammaticis, & id genus hominibus qui nihil præter carnem & sanguinem sapiunt, & vt liberiùs possent viuere Ecclesiam deseruerunt. vide Bellarm. l. 4. c. 9. de Ecclesia militante. Plura hac de re afferri possent: sed quia apud auctores suprà citatos facilè reperiri possunt, hæc sufficient. *Bellarm.*

Dices, Si credibilitas nostræ fidei esset ita 90 euidens, videtur fieri non posse vt tam multi, aliàs etiam bono ingenio, eam credibilitatem non videant.

Cur multi veritatem nostræ fidei aut non videant, aut se videre dissimulent.

Respondeo, multos eam videre, qui tamen vt liberiùs suis voluptatibus indulgeant, eam non amplectuntur, aut etiam ob dominandi libidinem (vt de Diotrepe testatur S. Iohannes in sua epistola 3.) aut vt ex hæresi nomen aliquod aucupentur, aut propter odium aliquorum Pontificum aut Episcoporum (vt videtur Tertulliano & Luthero accidisse) Ecclesiæ auctoritatem & doctrinam aspernantur. Alii verò occæcati amore voluptatum ex priuato affectu nimiùm suis sectis addicti, etiam claram veritatem nequeunt aspicere: nam in rebus non omnino euidentibus cognitio veritatis multùm pendet ab affectu.

DISPV-

DISPVTATIO XII.

De potestate Ecclesiæ, ac Summi Pontificis in rebus fidei definiendis, ac fidelibus proponendis.

VT perfectè ea quæ ad obiectum fidei pertinent explicemus, inquirendum nobis est quænam sit clara regula, ex qua possimus infallibiliter cognoscere quæ sint obiecta fidei, & quæ non: nam eiusmodi regula omnino nobis necessaria est, vt sine periculo erroris possimus credenda à non credendis discernere. Cùm autem inter Catholicos qui in rebus controuersis hanc regulam statuunt iudicium siue definitionem Ecclesiæ Summique Pontificis, & inter hæreticos hoc negantes sit hæc res maximè controuersa; breuiter hîc nobis aliqua dicenda sunt de auctoritate siue potestate Summi Pontificis aut Ecclesiæ circa præsentem materiam. Quia tamen hæc res fusissimè & doctissimè à pluribus auctoribus qui passim extant tractata est, ita vt vix videatur ijs quidquam posse addi: ideò breuiter eam solùm perstringam, & præcipua quædam adferam fundamenta, ex quibus fides Catholica probari, & hæresis confutari possit, remittẽdo eos qui plura cupiunt videre, ad eos qui hæc ex professo fusiùs tractant.

Primùm igitur disputabimus an in Ecclesia sit aliquod visibile caput, siue aliquis Christi vicarius, cui totius Ecclesiæ gubernatio incumbat. Deinde qua ratione ad ipsum, præsertim vnà cum Concilio generali, spectet definire quæ credenda sint, & quæ non.

DVBIVM I.

An Christus contulerit sancto Petro primatum in totam Ecclesiam?

1 CONCLVS. I. Certa fide tenendum est Christum S. Petrum hîc constituisse suum vicarium, & caput totius Ecclesiæ. Est cõmunis Catholicorum contra hæreticos huius temporis, qui ferè docent Apostolos fuisse æquali auctoritate.

Matt.16. Probatur Primò, ex Scripturis. Matth. 16. vbi Christus laudata Petri confessione, mutauit ipsius nomen, & vocauit eum Cephas siue Petrum, dicens: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* vbi promisit se Petrum cõstituturum secundarium fundamentum Ecclesiæ, cuius scilicet auctoritate ipsa post Christũ nitatur. Christus enim est primus lapis, primũque Ecclesiæ fundamentum; quæ duobus modis nititur Christo tamquam fundamento. Primò, quatenus ipsius sanguine redempta omnẽ vitam gratiæ ac vim merendi ab eo accepit: atq; ita tota vita ipsius, omnesq; vitales operationes illius meritis tamquam fundamento, à quo habent quòd sint, subsistunt & innituntur. Secundò, quatenus ipsius auctoritate fundatur in fide, & gubernatur in moribus.

Ecclesia dupliciter Christo vt fundamento nititur.

Quantum ad primam rationem, ad omnem vitã gratiæ sufficiunt illi merita Christi, qui per proprium sanguinẽ (vt dicitur ad Hebræos) in- *Hebr.9.* troiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta, & semel oblatus est ad multorum (id est omnium, quantum est ex parte ipsius) exhauriendapeccata. Quare, vt ibidem docet Apostolus, non est opus nobis alio redemptore, siue qui hostias offerat pro redemptione nostra.

2 Quantum ad secundum modum, cùm Christus non esset perpetuò nobiscum humano modo mansurus, nec per se illo functurus officio, indigebat vicario, non quidem qui aliam fidem docendo aliud à Christo fundamentum poneret (hoc enim 1. ad Cor. 3. v. 11. dicitur fieri non *1.Cor.3.* posse) sed qui fidem ac doctrinam Christi infallibiliter explicaret, eiusq; leges curaret obseruari; additisq; alijs legibus ad id necessarijs vel valdè vtilibus earum obseruationem stabiliret; atq; ita ex hac parte secundarium & vicarium esset Ecclesiæ fundamẽtum. Hanc igitur potestatem & auctoritatem hîc Petro promisit. Quod clarè confirmatur ex verbis sequentibus. vbi dicit: *Et tibi dabo claues regni cælorum, & quodcumque ligaueris super terram*, &c. vbi absoluta potestas in omnem Ecclesiam Petro promittitur, quæ sit proxima potestati ipsius Christi. quod apertè significatur per illa verba: *Et tibi dabo claues regni cælorum.* Vbi diligenter notanda est diuersitas loquendi; qua Christus hîc vtitur promittẽdo Petro potestatem ligandi & absoluendi; & qua vtitur Iohannis 20. conferendo eam potestatẽ omnibus Apostolis. Hîc enim dicitur: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. nulla facta mentione clauium: apud Matt. verò, *Iohan.20.* expressè promittuntur Petro claues regni cælorum, olim signati per domum Dauid. Quo modo loquendi Christus apertè ostendit se Petro promittere potestatẽ proximè similem illi, quã Pater promittit ipsi Christo Isaiæ 22. vbi ait: *Et Isaiæ 22.* *dabo clauẽ domus Dauid* (id est Ecclesiæ, siue regni cælorum: hæc enim idem significant, accipiẽdo Ecclesiam, prout comprehendit etiam triumphantem) *super humerũ eius, & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.* Item quã S. Iohannes Apoc. 3. significat iam Christo *Apoc.3.* à Patre esse datam, dum de eo ait: *Hæc dicit sanctus & verus, qui habet clauem Dauid; qui aperit, & nemo claudit*, &c. quibus verbis summa & absoluta potestas Christo data significatur. Cùm igitur ijsdem penè verbis & planè æquiualentibus Christus Petro promittat dare claues regni cælorum, quibus hæ ipsi promissæ fuerũt à Patre, apertè significat se Petro conferre similem potestatem; quantum nimirum puro homini conferri poterat: & consequẽter se ei conferre summam potestatẽ spiritualẽ super omnes fideles.

Qua ratione Pontifex sit vicarius fundamentum Ecclesiæ.

3 Vnde etiam patet, S. Petrum hîc aliter dici fundamentum Ecclesiæ.

Aliter Petro, aliter Apostolis promittitur & conceditur potestas ligandi & soluendi.

Qualis potestas significetur per claues.

4

fundamentum Ecclesiæ quàm alij Apostoli ad Ephes.2. dicantur fundamentum, super quo ædificati sunt fideles. Primò, quia D. Petro singulariter nomen Cephas siue Petrus impositum est, quo significatur eum singulari modo esse petram & Ecclesiæ fundamentum; aliàs enim non debuisset præter cæteros dici Cephas, nisi singulari præ ceteris modo fuisset Ecclesiæ fundamentum. Dices, Dominus non vocauit eum Petram, sed Petrum. Respondeo, Syriacè dictum fuisse Cephas, quod petram significat: interpretem autem vertisse Petrum, quia hoc græcè idem significat quod petra, & nomen masculinũ conuenientiùs viro tribuitur. Postea autem vertit, *super hanc petram*, &c. vt ostendat Dominum Petrum verè vocasse petram: quo significaret ipsum esse instar solidæ rupis cuius firmitate niteretur Ecclesia.

Ephes.2. Aliter S. Petrus, aliter alii Apostoli dicuntur fundamentum.

5 Paret hoc Secundò, quia, quod nulli Apostolorum contigit, Christus S. Petro singulariter promisit, quòd super eum ædificaret suam Ecclesiam: ergo singulari modo hanc super eum ædificauit. nisi velimus Christum hæc vanè & illusoriè promisisse. Tertiò, quia postquam Christus Iohannis 20. dedisset simul omnibus Apostolis potestatem ligandi & soluendi, c.21. volens Petro singulariter tribuere id, quod ei singulariter promiserat, supra illam potestatem quam cum alijs iam communem acceperat, cõtulit illi propriam pascendi & agnos & oues, scilicet plebem & Prælatos. vbi etiam, vt apertissimè ostenderet se Petro præ ceteris velle maiorẽ potestatem committere, maiorẽ ab eo præ ceteris amorem exegit, dicens: *Diligis me plus his?* Præterquam autem quòd hæc loca ex se clara sint, confirmantur etiam auctoritate omnium Patrum, quia tam Græci quàm Latini ea ita intellexerunt: quorum verba vide apud Sanderum l.6. de Visibili monarchia c.4. & Bellarm. l.3. de Pontif. c.25. & Canum l.7. de locis Theologicis, & Pighium l.3. c.3. qui apertè ostendunt totam antiquitatem semper intellexisse Petro illis locis fuisse collatum primatum super alios Apostolos.

Sanderus. Bellarm. Canus. Pighius.

6 Vnde vlteriùs argumentor. Constat iam diu hunc fuisse Ecclesiæ sensum, scilicet Petro hunc primatum fuisse collatum, nec potest ostendi ex vllis historijs aut scriptoribus, quando hæc opinio post tempora Apostolorum primò fuerit in Ecclesiam introducta: ergo manauit ex doctrina Christi & Apostolorũ, & hoc certò & apertè tenendum est donec hæretici contrarium clarè probent. Si enim hæc opinio post tempora Apostolorum cœpisset in Ecclesiam induci, cùm hæc res sit summi momenti, omnino incredibile est nullum futurum fuisse scriptorem qui hoc notasset. Quare contrarium asserentes eodem modo faciunt, ac si quis diceret Romam non fuisse conditam à Romulo, nec habuisse initio reges, sed hæc ab aliquo diu post eam conditam fuisse conficta; qui sine dubio non tam refutatione quàm commiseratione ac helleboro putaretur indigere.

Hæretici asserentes initio Ecclesiæ non fuisse creditum S. Petrum fuisse caput Apostolorũ, omni fide indigni.

7 Idem etiam clarè insinuat S. Matth. c.10. vbi numerans nomina Apostolorum absolutè vocat Petrum primum: quod non potuit fecisse, nisi quia primus erat dignitate; nam vocatione prior illo erat Andreas, qui ipsum Petrum ad Christum adduxerat, vt patet Iohan.1.

Matth.10.

Confirmatur ex Actis c.1. vbi S. Petrus apertè exercuit primatus officium, monẽs omnes alios vt eligerent aliquem in locum Iudæ; quod nisi ad ipsum ratione officij spectasset, nunquã ipse qui præ ceteris turpissimè ceciderat, autus fuisset ceteris quid esset faciendum præscribere, dicens: *Oportet ergo ex his*, &c. Plura vide apud Sanderum & Bellarminum suprà.

Sanderus. Bellarm.

8 Hoc solùm hîc addam, quod in similibus argumentis hæreticis sæpè inculcandum est. Certum est Christum suis Apostolis non nudis verbis mysteria fidei tradidisse, sed ijs etiam veram illorum intelligentiam aperuisse; ac simili modo certum esse debet, Apostolos suis successoribus non solùm tradidisse nudas Scripturas, sed etiam harum verum sensum ijs explicuisse; aliàs enim nullo modo suo muneri fecisset satis, nec tam fuissent Doctores Ecclesiæ quàm librarij. ex quo clarè constat hæc omnia loca circa tempora Apostolorum fuisse ab Ecclesia in vero sensu intellecta: atqui, vt clarissimè docet Pighius, Bellarm. & Sanderus suprà citati, tota antiquitas ea loca sic intellexit, nec potest ostendi quãdo post Apostolos inceperint ea sic intelligi: ergo dicendum est Apostolos ea sic explicuisse.

Christus Apostolis vnà cum sacra doctrina huius etiã sensum tradidit. Et similiter Apostoli posteris.

Pighius. Bellarm. Sanderus.

9 Confirmatur, quia si aliqua lex in aliqua ciuitate, cui fuisset ab initio lata, fuisset ab omnibus per multa sæcula in certo aliquo sensu intellecta, cui etiam fauerent verba legis; omnes meritò iudicarent eam in hoc sensu primò fuisse latam, & contrarium asserentes nullo modo essent audiendi, sed vt ridiculi reijciendi, donec clarè probarent eum sensum repugnare verbis ipsius legis, aut ex testimonio eorum qui eam initio explicarũt, apertè ostenderent aliam fuisse legislatoris intentionem. Nihil autem horum possunt hæretici pro sua opinione contra Catholicam sententiam adferre, ideoque meritò tamquam vani reijciendi sunt.

10 Obiicies Primò, Actorum 8. Apostoli miserunt Petrum & Iohannem Samariam: ergo ille non erat illorum caput, quia maior non mittitur à minore.

Respondeo Primò, eodem argumento olim Arianos conatos fuisse probare Filiũ esse minorem Patre, quia mittitur à Patre. Respondeo Secundò, Apostolos misisse Petrum non imperando, sed communi consilio expediens iudicando vt Petrus iret, quod etiam ipse Petrus cum aliis iudicabat. ex quo nulla probabili consequentia infertur eum non fuisse aliorum caput.

11 Obiicies Secundò, Cyprianus l.2. de Vnitate Ecclesiæ ait: *Hoc erant ceteri Apostoli quod erat Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis.* idem ait S. Hieron. l.10. in Iouinianum, & S. Leo epist. ad Anastasium. Confirmatur, quia S. Paulus testitit S. Petro in faciem: ergo hic non erat illius Superior.

Cyprian. Hieron. Leo.

Respondeo, illos Patres facere Petrum alijs Apostolis parem in munere Apostolatus præcisè, quo immediatè à Christo singulis erat data potestas in omnes fideles Marci vlt. & Iohan. 20. Petrum autem singularem accepisse potestatem

In quo S. Petrus fuerit par aliis Apostolis.

tem Iohan.21. qua cõstituebatur etiam Apostolorum Superior, patet ex locis citatis suprà, & apertè testantur ipse D. Leo serm. de sua assumptione ad Pontificatum, & Chrysostomus in hunc locum. Imò etiam ipse D. Hieronymus eo ipso loco suprà citato id clarè affirmat; dicit enim vnum fuisse electũ è duodecim, vt constituto capite omnis schismatis tolleretur occasio.

S. Leo. Chrysost. Hieron.

Inferior aliquando licitè admonet Superiorem.

Ad confirm. Respõdeo, etiam inferiori licere aliquando ex caritate admonere siue reprehendere Superiorem, præsertim quando peccat cum aliorum scandalo, vt testatur D. Augustinus epist. 19. ad Hieronym. & S. Gregorius homil. 18. in Ezech. Petrus autem quando à Paulo reprehendebatur, ex imprudentia aliqua faciebat, quæ infirmos in fide scandalizabant.

Augustin. Gregorius.

12 Obiicies Tertiò, Petrum numquam vllum actum exercuisse superioritatis: imò Paulus testatur Petrum nihil sibi contulisse, sed dedisse dexteram, quod erat signũ paritatis. Item Paulus dicit Petro creditum fuisse Euangelium circumcisionis, sibi verò Gentium; quare Petrus non videtur habuisse curam vniuersalem totius Ecclesiæ, sed solùm Iudæorum.

S. Petrus rarò quidem, aliquando tamen exercuit officiũ Superioris in Apostolos.

Respondeo, Petrum non ita sæpè & apertè exercuisse officium Superioris, quia non erat necesse: omnes enim Apostoli satis instructi erant à Spiritu sancto, vt possent fungi suo munere; exercuisse tamen id aliquando, vt patet Actorum 1. in electione S. Matthiæ, & Actor. 15. vbi primus dixit sententiam quam alij omnes secuti sunt, & Actor. 2. vbi tamquam Superior pro omnibus respondit; imò ipse constituit Iacobum Minorem Episcopum Ierosolymitanũ, vt testatur S. Chrysostomus in illud Ioan. 21. *Sequere me.* His adde, non omnia scripta esse quæ Petrus alijque Apostoli egerint, atque ita facilè nobis ignorantibus potuisse contingere Petrum sæpius primatus officium exercuisse.

Actor. 1. & 15.

Chrysost.

13 Dicit autem S. Paulus nihil sibi à Petro aut Iohanne collatum fuisse quod ad doctrinam attinet, quam ipse à Christo sufficientem acceperat; multum tamen auctoritatis ipsi ex hoc facto accessit, quia ipse dicit sibi à Petro datam esse dexteram tamquam signum amicitiæ & communicationis, vt inde probet suam doctrinam cum doctrina illorum conuenire, atque ita pariter recipiendam esse. Datio autem dexteræ non est signum paritatis, sed concordiæ in doctrina, pace & vnitate animorum. Item dicit Petro creditum fuisse Euangelium circumcisionis, non quia non habebat potestatem in Gentes, cùm ipse Petrus Actor. 15. dicat Deum elegisse Gentes audire Euangelium per os suũ; sed quia primariam & præcipuam curam Iudæorum conuertendorum communi consilio Petrus acceperat, tamquam partis præcipuæ ipsius Ecclesiæ, sicut etiã ipse Christus ad Rom. 15. v. 8. dicitur minister circumcisionis, id est euangelizator & doctor Iudæorum. Vnde etiam hinc probari potest, Petrum successisse in officium Christi, & fuisse primum inter Apostolos.

Rom. 15.

DVBIVM II.

Vtrùm Christus hanc dignitatem in sua Ecclesia voluerit esse perpetuam?

Conclvsio I. Christus suam Ecclesiam ita constituit, vt vsque ad finem mundi sit duratura, ita vt numquam deficiat. Probatur, Matthæi 16. Christus ait S. Petro: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam*: atqui si Ecclesia aliquando defecisset, portæ inferi præualuissent aduersus eam: ergo ipsa numquam defecit, nec deficiet. 14 Ecclesia nũmquam deficiet. *Matth. 16.*

Probatur Secundò, ex Matth. vlt. vbi cùm Christus iussisset vt Apostoli docerent omnes Gentes fidem & obseruantiam mandatorum, subiungit: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Vbi dum dicit, *vobiscum sum*, non solos intelligit Apostolos, sed etiam eorum successores: quia Apostoli non perseuerarunt vsque ad consummationem seculi. Vnde etiam Christus Iohan. 17. Patri ait: *Non pro iis autem* (scilicet Apostolis) *rogo tantùm, sed & pro iis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint; sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.* vbi expressè dicit se rogare Patrem vt omnes per Apostolos credituri vnũ sint inter se & in ipso Christo ac Patre, scilicet per fidem & caritatem. quod Matth. vltimo promittit futurum vsque ad consummationem seculi. Quare fatendum est nullo vmquã tempore veram Ecclesiam defecisse in fide, nisi velimus dicere & Christum ibi non fuisse exauditum à Patre, & Matth. vltimo falsa promisisse: si enim Ecclesia vmquam errasset in fide, tunc Christus non fuisset cum illa, quia sicut tunc fuisset aliena à fide Christi, ita fuisset aliena à Christo, & subiecta diabolo, & portæ inferi prævaluissent aduersus eam. vide plura apud Bosium de Signis Ecclesiæ, libro 17. signo 77.

Matth. vlt.

Iohan. 17.

Bosius.

Hinc infertur nullam aliam Ecclesiam præter Catholicam posse esse veram Christi Ecclesiam, quia hæc sola potest ostendere continuationem suæ fidei vsque ad tempora Apostolorum, nec ex vllo historico aut alio antiquiore scriptore quires sui temporis descripsit, potest ostendi quo tempore Ecclesia suam fidem mutarit, aut aliqua ex parte nouam susceperit; cùm contrà de singulis hæresibus constet quo tempore quoue auctore inceperint, & qui statim contra eam se opposuerint. Vt clarè ostendit Sanderus l. 7. Monarchiæ visibilis. Nec satisfacit quod hæretici semper dicunt aliquos fuisse qui suam fidem colerent à tempore Apostolorum, sed clàm & occultè; quia sic possum dicere doctrinam Mahumetis cœpisse ab initio mundi, & semper fuisse aliquos qui eam clàm colerent, & tandem Mahumetem primùm eam palàm nunciasse. vide Campianũ ratione 3. & 7.

15 Sola Ecclesia Catholica à Christo huicusq; fuit continuata.

Sanderus.

Campian.

Conclvsio II. Christus etiam voluit primatum Petro collatum in successoribus eius in Ecclesia esse perpetuum. Est de fide contra nostros hæreticos. Probatur Primò, ex verbis Christi, qui S. Petrum vocauit petrã, qua tamquam

16 Primatus Summis Pontificibus perpetuus collatus.

quam vicario post ipsum Christum fundamento, iuxta dicta suprà, firmata niteretur soliditas & perpetuitas Ecclesiæ: ergo cùm hæc sit futura perpetua vsque ad diem iudicij, is etiam quo nititur debet esse perpetuus, vel per se, vel per suos successores; & consequenter cùm Petrus sit mortuus, debuit habere successorem in idem officium.

Dices, Petrum manere fundamentum Ecclesiæ, quia instruxit eam sua fide, & per suas epistolas eam perpetuò pergit instruere.

Respondeo hoc non sufficere, sed necessariũ esse vt aliquis constituatur qui præsens perpetuò eam instruat, ac infallibiliter & perspicuè in omnibus in quibus possit occurrere dubitatio dirigat; aliàs Euangelistæ, & B. Paulus debuissent potiùs dici fundamentum Ecclesiæ, quàm S. Petrus, quia illi longè plura de mysteriis nostræ fidei scripserunt; cùm tamẽ contrà S. Petrus singulari modo præ ceteris dicatur fundamentum Ecclesiæ, vt suprà ostendi. hinc D. Leo serm. 2. de assumptione sua ait: *Manet dispositio veritatis & in accepta fortitudine Petrus perseverat, nec susceptа Ecclesiæ gubernacula relinquit.* per suos successores scilicet eam gubernando. *S. Leo.*

Confirmatur, quia, vt suprà ostendi, Christus qui est primarium fundamentum & caput Ecclesiæ, quia eam perpetuò per se humano modo & visibiliter præsens non erat recturus, debuit habere vicarium successorem: ergo etiam Petrus. nec enim vlla vel probabilis ratio fingi potest, cur Christus potiùs debuerit habere successorem quàm S. Petrus.

17 Dubia Scripturæ loca intelligi debent prout Apostolorũ successores ea intellexerunt.

Probatur Secundò, quia si dubium esset an testimonia suprà allata significarent Petro. eiusque successoribus perpetuũ primatus officium esse commissum; essent tamen intelligẽda sicut Apostolorum successores ea intellexerunt, qui Scripturas & germanum earum sensum ab Apostolis acceperunt, vt ostendi suprà nu. 8. & 9. atqui hi intellexerunt Matt. 16 Petro fuisse promissum, & Iohan. 21 traditum primatum Ecclesiæ in successores deriuandum: ergo ea loca sic intelligenda sunt. Minor patet ex testimoniis totius antiquitatis, quæ fusè citant Pighius & Sanderus suprà, & Bellarm. l. 2. de Pontifice c. 13. 14. 15. 16. vbi clarissimè docet, totam antiquitatem hoc sensisse.

DVBIVM III.

Vtrum Romanus Pontifex sit successor S. Petri in primatu Ecclesiæ?

18 Cur hæretici negent primatum Pontificis.

OMnes omnino hæretici hoc negant: quia aliàs seipsos suamq; doctrinam necessariò damnarent. Nec enim manifestè rei possunt aliter esse salui quàm fugiendo iudicem.

Conclvsio. De fide, quam omnes hactenus fideles à Christi tempore professi sunt, est, Romanum Pontificem esse verum S. Petri successorem in primatu Ecclesiæ. Probatur Primò, ex epistolis decretalibus Anacleti, Euaristi, Alexandri I. Sixti I. Aniceti, Eleutherij, Victoris, Sixti II. Stephani, Marcelli, Melchiadis, qui omnes hanc fidem suo & testimonio & sanguine fuso firmarunt, & veri fidei Martyres seu testes à Christo sunt acceptati. Eorum verba refert Pighius suprà libr. 6 cap. 6. *Pighius.*

Respondẽt hæretici, eorum epistolas esse vitiatas. Sed contrà Primò, etsi aliquorum epistolæ habeant aliqua quę non ita videntur certa & probata, tamen multorum epistolæ sunt planè certæ & indubitatæ, nec vel leue continent signum, ex quo meritò colligas falsatas esse. Secũdò, etiam illæ epistolæ, de quibus dubitatur an verè sint istorum Pontificum & omnino incorruptæ, tamen valdè antiquæ sunt, & prioribus etiam sæculis in Ecclesia receptæ à multis, nec vmquam ab antiquioribus tamquam aliquid fidei repugnans continentes sunt oppugnatæ; atque ita saltem hoc probant, nostram sententiã olim prioribus sæculis in Ecclesia communiter fuisse creditam. Vnde vlteriùs infero, euidenter eas in eo puncto tam graui nihil falsi continere. Aliàs enim certo certiùs aliquis SS. Patrum, qui illis temporibus & plurimi & doctissimi ac acutissimi viuebant, & vigilantissimi excubabãt, vt omnẽ falsam doctrinam statim in suo ortu oppugnarent, & quantum possent opprimerẽt, etiam eas epistolas oppugnasset, aut saltem eum errorem in ijs notasset. Quod cùm constet neminem fecisse, clarissimum est sanctos Patres ab ijs in hoc puncto non dissensisse. 19

Probatur Secundò, ex auctoritate plurimorũ Conciliorum generalium, quę Romanum Pontificem agnouerunt caput totius Ecclesiæ. quæ fusè citat Bellarm. l. 2. de Roman. Pontif. c. 13. 20

Probatur Tertiò, ex consensu omnium sanctorum Patrum tam Græcorum quàm Latinorũ, quos fusè citant Bellarm. & Pighius suprà citati, & Sanderus l. 2. Monarchiæ visibilis. Adferã hîc trium tantùm testimonia quos hæretici aliquãdo contra nos citant. S. Cyprianus l. 1. epist. 3. ait Ecclesiam Romanam esse Petri cathedram & Ecclesiam triumphantem, vnde vnitas sacerdotalis exorta sit, nec aliunde nasci hæreses, quàm quia non cogitatur vnus in Ecclesia sacerdos & vnus iudex vice Christi. & l. 4. epist. 8. Ecclesiam Romanam vocat radicem & matricem Ecclesię Catholicæ. Idemq; plurimis docet l. 1. epist. 8. & l. de Vnitate Ecclesiæ. Item S. Hieron. epist. 57. ad Damasum: *A pastore, inquit, præsidiũ ouis petit, cũ successore piscatoris, & discipulo crucis loquor: ego nullum primũ nisi Christum sequens, beatitudinis tuæ, id est cathedræ Petri, communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumq; extra hanc domum agnum comederit, profanus est: si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio.* Item D. Bernard. l. 2. de Consideratione ad Eugeniũ ait: *Quis es? sacerdos magnus, Summus Põtifex; tu princeps Apostolorum, tu heres Apostolorũ.* & infrà: *Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt; sunt & alij cæli ianitores, gregumq; pastores, sed tu tanto gloriosiùs, quanto differẽtius vtrumq; nomen hereditasti. habent hi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi vniuersi crediti sunt, vni vnus; nec modò ouium, sed & pastorum tu vnus omnium es pastor.* *Bellarm.* *Pighius.* *Sanderus.* *Cyprian.* *Hieron.* *Bernard.*

Objicies Primò, D. Gregoriũ, qui l. 4. epist. 32. recusat dici vniuersalis Episcopus, & vocat hoc nomen profanum: ergo sentit Romanum Pontificem non esse Episcopum totius Ecclesiæ. 21 *Gregorius*

Respondeo, dupliciter aliquem posse dici Episcopum vniuersalem. Primò, ita vt cæteri non sint

Dupliciter potest quis dici Episcopus vniuersalis.

sint veri Episcopi, sed tantùm eius vicarij, & hoc modo acceptum illud nomen D.Gregor. vocat profanum, vt patet ex eius l.7.epist.69.ad Eusebium, vbi ait: *Si vnus vniuersalis est, restat vt vos Episcopi non sitis.* & l.7.epist.36.ait: *Si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Secundò, potest accipi ita, vt aliquis, quia omnes fideles ipsius curæ commissi sunt, ita dicatur vniuersalis Episcopus, vt tamen alij sint etiam veri Episcopi, & Ecclesiarum principes. Et hoc nomen rectè ita tribui Romano Pōtifici numquam contra tot auctoritates negauit Gregorius: noluit tamen eo seipsum inscribere, vt suo exemplo Iohannem Episcopum Constantinopolitanum hoc superbè sibi assumentem ad saniorem mentem reuocaret. Vnde etiam quamuis sciret illud nomen in hac secunda significatione posse commodè accipi, & ita hactenus fuisse in Ecclesia acceptum, & Romano Pontifici tributum; hîc tamen hoc dissimulat, illique solam priorem significationem tribuit, vt ita nomen hoc odiosum reddat, & ipsū Iohannem ne eo vtatur auertat. Nihilominus D.Gregorius re ipsa diuersas per orbem Ecclesias ac Episcopos dirigendo, ac corrigendo earum errata, satis ostendit sibi omnium Ecclesiarum curam commissam esse. Vide Baronium circa tempora D.Gregorij, & Sanderum l.7.anno 559. in Pontifice Gregorio.

S. Gregorius Episcopi vniuersalis nomine abstinet, iurisdictione vtitur.

Baronius.

Sanderus.

22 *Carthag.3.* *Sanderus.*

Obijciunt hæretici Secundò, in tertia Synodo Carthaginensi cautum esse ne Romanus Pontifex dicatur vniuersalis. sed bene respondet Sāderus l.1.anno 555. eos hoc malitiosè fingere: nec enim illa verba sunt Concilii, sed Gratiani. Concilium enim ibi agit de solis Episcopis Africanis, & prohibet ne quisquam illorum se vocet vniuersalem Episcopum: de Romano autem Pontifice ibi nihil agit, nec ad ipsum spectabat de eo agere. Verba autem quæ ill. citant, post canonē Concilii à Gratiano apposita sunt, non tamquam pertinentia ad illud Concilium, sed tamquam titulus sequentis canonis.

23 Probatur etiam conclusio ratione. Quia, vt suprà ostendi, primatus Petro traditus debebat perpetuò in Ecclesia perseuerare, vt esset vnus pastor, & vnum ouile; vt sicut oues debebant visibiliter & humano more regi, ita vnus esset visibilis omnium pastor, qui eas humano more regeret. Cùm igitur Petrus nō posset perpetuò Ecclesiam visibiliter regere, necessarium erat illud officium siue Ecclesiæ primatum deriuari in successores. Hoc autem semel posito, clarum est hoc Rom. Pontifici tribuēdum esse; quia nullus est alius, cui vel probabiliter possit hoc conuenire. Qui plura hac de re volet, inspiciat Auctores citatos. Queretur fortè aliquis me rem tam amplam tantiq; momenti ita breuiter & quasi cursim perstringere. Cui respondeo, me non statuisse hanc ex professo discutere, sed solùm iis qui meum librum legent aliqua suggerere, ex quibus huius difficultatis statum possent perspicere, ac fidem Catholicam contra communes aduersariorum obiectiones tueri; ac simul iis qui luculentiorem eiusdem tractationem desiderant, indicare Auctores in quibus eam possint videre.

DVBIVM IV.

Vtrùm in vera Ecclesia sit aliqua regula, ex qua infallibiliter possimus res fidei cognoscere?

CONCLVSIO. In Ecclesia est à Deo relictus aliquis iudex siue regula infallibilis omnium controuersiarum fidei. Est communis Catholicorum. 24

Probatur Primò, ex Scripturis; Iohan.14. vbi Christus ait: *Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis.* vbi à Christo promittitur Primò, aliquod donū quod perpetuò in Ecclesia erat mānsurum, illis verbis: *Vt maneat vobiscum in æternum.* Secundò, promittitur tale donum, ex quo omnis veritas ad religionem & verum Dei cultum pertinens, possit cognosci. quod apertè significatur illis verbis, *Spiritum veritatis*: qui scilicet, prout promittitur c.16. *Docebit vos omnem veritatem.* Cùm autem Christus multis locis hunc spiritum promittat, vbique vocat eum spiritū veritatis; vt ostendat ipsum infallibiliter docturū suam Ecclesiam omnem veritatem. Vnde apertè infertur necessariò fatendum esse in Ecclesia à Deo cōstitutam esse aliquam regulam siue rationē, ex qua infallibiliter omnis veritas possit cognosci. Si enim in ea nulla sit talis regula, facillimè fieri poterit vt in multis ad salutem necessariis erret, atque ita contra promissionem Christi non habeat spiritum veritatis, qui eam omnem veritatem scitu necessariam doceat.

Iohan.14.

Ecclesia si errare posset non haberet spiritum veritatis sibi à Christo promissum.

Probatur deinde ratione. Primò, quia, cùm Deus à nobis exigat vt indubitanter res fidei credamus, debet nobis dare modum quo infallibiliter eas cognoscamus; aliàs enim esset nobis impossibile eas certò & indubitanter omnino credere (patet enim me nil posse omnino certò & indubitanter credere, quamdiu non habeo vllam certam regulā ex qua possim cognoscere illud esse credendum.) Atque ita Deus impossibilia nobis præciperet. quod absurdissimum est. 25

Deus exigēs à nobis fidē tenetur nobis certam eius cognoscendæ tuere regulam.

Secundò, quia, vt patet Matth.16. vbi docet, portas inferi numquam præualituras cōtra Ecclesiam, & c.vlt. vbi mittens Apostolos ad prædicandam fidem, & Ecclesiam congregandam, ait, *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*; Christus promisit suam Ecclesiam in eadem fide vsque ad consummationem sæculi, perpetuò, integrè, & sine errore perseueraturam (si enim in fide semel erraret, à Christo ad perfidiā deficeret, & ita portæ inferi contra eam præualerent, nec Christus cum ea permaneret:) atqui illud fieri non poterat, nisi constitueret ei certā regulam, ex qua & quæ essent fidei, & quæ ei aduersarentur, sine periculo erroris posset cognoscere: ergo dedit ei talem regulam. 26

Matth.16.

Confirm. ex 1.ad Timoth.c.3. vbi Ecclesia dicitur columna & firmamentum veritatis: quod nō potest aliter dici, quàm quia certa aliqua regula ita in fidei veritate dirigitur, vt ab ea aberrare nequeat. Vide plura apud Thomam Waldens. l.2. Doctrinalis fidei c.29. & Bellarm. l.3. de Ecclesia c.11.12.13.14. & l.3. de Verbi Dei interpretatione c.

1. *Tim.3.*

Thom. VValdens. *Bellarm.*

terpretatione c.4. Nec enim puto esse operæpretium his probandis diutiùs immorari: quia hæc conclusio sic in genere sumpta, est planè euidens nec ita ab hæreticis impugnatur; sed difficultas est quæ sit illa regula, siue quis à Deo nobis sit statutus iudex omnium controuersiarum in rebus fidei occurrentium. Hic igitur nobis quærendus est; idque partim ex conditionibus in tali iudice requisitis, partim ex Scriptura; & Tertiò, ex communi Ecclesiæ Sanctorumque Patrum consensu.

DVBIVM V.

Quis sit iudex controuersiarum fidei, cuius iudicio omnes teneantur stare?

17 VT hæc difficultas clarè explicari possit, Primò quærendum est quæ conditiones in eiusmodi controuersiarum in rebus fidei iudice requirantur, vt ex iis quis tandem ille sit, possimus cognoscere.

Hæretici huius temporis eiusmodi conditiones ponũt tres. Prima est, vt certò & infallibiliter veram sententiam pronunciet; Secunda, vt non liceat ab eo prouocare; Tertia, vt nullo ducatur studio partium. Quis autem sit hic iudex, cui eæ conditiones conueniant, variæ sunt illorum sententiæ.

Libertinorũ error. Libertini reiicientes omnem Scripturam & Prælatorum auctoritatem, dicunt esse spiritum internum nobis veritatem inspirantem. vnde internam omnem animi motionem, quantumuis pravam, aiunt esse motum Spiritus sancti.

Witakerus. Witakerus autẽ cum quibusdam alijs ait, hunc iudicem esse Spiritum sanctum publicè per Scripturas nobis loquentem.

Aliorum error solis verbis à Libertinis discrepans. Alij ferè hæretici nostri temporis aiunt esse Scripturam intellectam, prout cuique interiùs Spiritus sanctus intelligendam dictat. Quare tantùm verbis videntur discrepare à Libertinis: cùm enim velint Spiritum sanctum nobis reuelare priuatim interiùs sensum Scripturæ, & hac ratione esse iudicem controuersiarum, apertè constituunt internam eius reuelationem iudicem omnis controuersiæ. Atque ita ex hac sententia eadem sequuntur incommoda, atque ex sententia Libertinorum. Nam quidquid alicui libuerit credere, facilè sibi persuadebit Spiritum sanctum sibi inspirare hoc in Scripturis contineri, & hunc aut illum Scripturæ locum secundùm eum sensum esse explicandum: atque ita etiam grauissimis suis sceleribus, quoties ad ea patranda incitabitur, Spiritum sanctum finget patronum.

28 CONCLVS. I. Etsi dictæ conditiones in summo iudice requirantur, tamen nullo modo sufficiunt: sed præterea requiritur vt ita sententiam suam pronunciet, vt vtraque pars euidenter videat cui causa adiudicetur. Probatur, quia cùm iudex ideo adhibeatur vt inter dubias sententias siue opiniones possit dignosci vtra sit verior; inutile planè & vanum est eius iudicium, ex quo veritas non fiat manifestior quàm antè fuerit, siue ex quo non possit liquidè cognosci cui parti causa sit adiudicata.

Conditiones in iudice controuersiarũ requisitæ.

Inutilis est iudex cuius sententia nequeat à partibus clarè cognosci.

Probatur Secundò, quia aliàs ipsa Dei interna cognitio, nullo externo actu nobis manifestata, aut etiam ipsa veritas secundùm se nudè sumpta, quantumuis obscura, posset esse iudex omnium controuersiarum; quia nec veritas, nec internum Dei iudicium mentiri, aut à veritate aberrare potest; nec ab iis licet prouocare; nec ducuntur studio partium: atque ita habent omnes conditiones, quas hæretici in summo iudice requirunt.

Confirmatur, quia, si alicui reipub. daretur talis iudex, qui suam sententiam ita pronuntiaret, vt vtraque pars posset eam pro se trahere, siue explicare, ipse misceret omnia litibus & bellis, nec vmquam alicui liti finem imponeret; sed partes necessariò ius in armis ponerent, cùm ex illius sententia non posset vmquam cognosci à qua parte staret iustitia. Hinc etiam videmus hæreticos, qui nolunt alium habere iudicem, quàm qualem ipsi suprà descripserunt, perpetuò inter se dissentire, & sæpiùs mutare fidem; ac sectas vix exortas in mille diuersas diuidi; cùm quisque putet se alijs plus videre, & obscurum illum iudicem à se stare clamet: omnes tamen quando ab aliis, præsertim Catholicis, oppugnantur, non alium quàm obscurum iudicem habere volunt, ne apertè conuincantur docere falsa. Cùm enim eorum doctrina sit mala, lucem fugit, nec ipsi veritatem quærunt; sed hoc solùm agunt vt suos errores quacumque ratione tueantur, ac si possint aliis persuadeant.

29 *Quare hæretici perpetuò inter se dissentiant.*

Cur hæretici quærant obscurum iudicem.

CONCLVSIO II. Spiritus vnicuique priuatim reuelans nõ potest statui iudex controuersiarum. Probatur Primò, quia deest illi quarta conditio: si enim inter duas partes inciderit cõtrouersia de rebus fidei, talis iudex non potest eam manifestè decidere, cùm neutra pars possit scire quid alteri priuatim inspiretur.

30 *Cur spiritus nequeat esse iudex.*

Probatur Secundò, quia sæpè ne ipsi quidem clarè scimus vtrùm ea quæ nobis inspirantur, sint à spiritu veraci, an à mendaci: ergo ex hac inspiratione non possum agnoscere certò & infallibiliter veritatem. Antecedens probatur ex Scriptura. Quia, vt dicitur 3. Reg. vlt. Deus dedit spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum Achab. & Isaiæ 19. Dominus miscuit ijs in medio spiritum vertiginis. & c. 29. miscuit eis spiritum soporis: qui tamen omnes putabant se agi spiritu Dei, vt patet ex illis verbis Sedeciæ ad Michæam 3. Reg. vlt. *Me ne ergo dimisit spiritus Domini, & locutus est tibi?* Item Apostolus ad Roman. 11. ait: *Dedit illis Dominus spiritum compũctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant.* scilicet veritatem. & 1. ad Timoth. 4 dicit quosdam discedere à fide attendentes spiritui erroris & doctrinis dæmoniorum. Quare D. Iohannes epist. 1. cap. 4. commodè nos monet, *Nolite,* 1. *Ioan.* 4. inquit, *omni spiritui credere; sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Igitur si ipsi debemus probare & diiudicare spiritum, non potest ipse noster esse iudex, quia non possumus iudicem iudicare; debemus autem probare spiritus non nostro iudicio, quia facilè errare mus, vt patet ex falsis Prophetis Achab: sed iudicio alicuius iudicis à Deo nobis constituti.

31 Probatur Tertiò, quia ea ratione peruersissimæ doctrinæ, atque etiam scelera possent defendi, si eorum patronus dicat Spiritum sanctum sibi ea inspirasse; quis enim poterit ostendere hoc esse falsum, si huius rei non sit alius iudex præter internam inspirationem? Hinc videmus Libertinos nefandissima scelera, Lutherum, aliosque Apostatas sacrilegas nuptias, adulteria, monasteriorum compilationes, in proprios principes conspirationes, & alia huiusmodi scelera ementita Spiritus sancti auctoritate & inspiratione approbare.

Ad quæ scelera spiritus priuatus ducat hæreticos.

32 Obijcies Primò, 2. ad Corinth. 3. dicitur: *Littera enim occidit, spiritus autem viuificat.* ergo non debemus curare literam Scripturæ, sed spiritus inspirationem.

2. Cor. 3.

Littera est lex sine gratia.

Respondeo hunc locum nihil facere ad rem: nam Apostolus per literam intelligit legem secundùm se sumptam sine gratia, eamque dicit occidere; tum quia prohibendo facit, vt aliqua actio sit peccatum quæ aliàs peccatum non esset; & tamen per se non dat nobis vires, vt possimus eam implere: tum etiam quia est aliquo modo nobis occasio tentationis secundùm illud, *Nitimur in vetitum semper.* vt patet ad Roman. 4. Per spiritum autem intelligit gratiam & caritatem, seu fidem operantem, per caritatem diffusam à Spiritu sancto in cordibus nostris, quæ efficit vt possimus legem implere, iuxta illud ad Roman. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Vbi redditur ratio qua possimus cum gaudio ferre tribulationes, sperando vitam æternam: quia scilicet confortamur caritate nobis infusa.

Quare occidat.

Rom. 4.

Rom. 5.

1. Iohan. 2. Obijcies Secundò, 1. Iohannis 2. dicitur: *Non necesse habetis vt aliquis doceat vos.* Sed hoc nihil facere ad rem, satis ostendi suprà disput. 9. dub. 6. n. 86.

33 Obijcies Tertiò, 1. ad Corinth. 2. dicitur spiritualis homo omnia dijudicare, & à nemine iudicari.

1. Cor. 2.

Respondeo Primò, Apostolum ibi ponere duo genera rerum, scilicet carnalium, quæ sensibus percipiuntur; & spiritualium, quæ sensibus percipi nequeunt; & ait homines carnales non capere nisi carnalia, & spiritualium dignitatem non intelligere; hominem verò spiritualem vtraque intelligere; illa vt fugiat, hæc vt ea sequatur & amet. Item spiritualis homo dicitur à nemine iudicari, quia carnales homines non possunt iudicare spirituales, cùm spiritualia capere non possint. Ex quo nullo modo sequitur, quemuis spiritualem hominem per se sine aliorum auxilio posse de quibusuis rebus spiritualibus ac Scripturarum sensu rectè iudicare; alioqui nullo doctore indigeret, & frustra Apostolus in instruendis Corinthiis aliisque Christianis laborasset.

Qua ratione homo spiritualis dicatur omnia iudicare, & à nemine iudicari.

Respondeo Secundò, hominem spiritualem, qua talem, siue quatenus dirigitur à spiritu Dei, omnia rectè diiudicare, nec ab vllo meritò reprehendi: quia tamen non semper nobis constat, an hîc & nunc agamur spiritu Dei; cùm multi sæpè putent se agi spiritu Dei, qui tamen aguntur malo spiritu, vt patet in Prophetis Achab, & in illis Iudæis, quos ad Roman. 1. Paulus testatur habuisse zelum Dei, sed non secundùm scientiam: hinc fit nos alio sæpè iudice ac directore indigere, à quo infallibiliter possimus dirigi.

Respondeo Tertiò, hominem spiritualem, siue quatenus agitur spiritu Dei, posse quidem aliqua ratione iudicare de omnibus, non tamen quouis modo; sed eò solùm quem ei spiritus Dei præscribit; atque adeò in controuersiis fidei consulendo eos; quos Deus harum rerum iudices constituit. Quòd si hac via nolit ingredi, non agitur spiritu Dei, sed suo proprio aut diabolico, nec est spiritalis, sed carnalis. 34

Adde, etsi nobis posset constare nos agi spiritu Dei, hoc tamen non sufficere vt dissoluatur controuersia in rebus fidei inter nos & alios orta, quia his constare non potest nos agi spiritu Dei; quare opus est aliquo iudice, de quo inter vtramque partem constet ipsum agi spiritu Dei.

CONCLVSIO III. Scriptura sacra non est sufficiens iudex controuersiarum fidei, quia deest illi quarta conditio. Probatur ex D. Petro epistola 2. cap. 1. vbi dicit: *Hoc primum intelligentes quòd omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit; non enim humana voluntate allata est aliquando prophetia, sed spiritu Dei inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Vbi Apostolus expressè ostendit, non esse cuiusuis explicare Scripturam, sed eorum qui eam à Deo acceperunt, & horum successorum qui simul cum Scriptura ipsius sensum à decessoribus suis acceperunt. Vnde pulchrè D. Augustinus libr. de Vtilitate credendi cap. 14. *Cur,* inquit, *non apud eos potissimùm diligentissimè requiram quid Christus præceperit, quorum auctoritate permotus Christum aliquid vtile præcepisse iam credidi. Tune mihi melius expositurus es quid ille dixerit, quem fuisse aut esse non putarem, si abs te mihi hoc commendaretur esse credendum?* Et infrà: *Quæ igitur ista dementia est? (qua scilicet vos noui homines nobis dicitis:) Illis (à quibus scilicet Scripturas accepistis) crede Christo esse credendum, & à nobis disce quid dixerit. Cur? obsecro te (scilicet illud dicere est dementia) nam si illi deficerent, nec me quidquam docere possent, multò facilius mihi persuaderem Christo non esse credendum, quàm de illo quidquam, nisi ab ijs per quos credidissem, discendū.* Vbi apertè significat incredibilem esse amentiam discere ab Ecclesia (scilicet Scripturam ab ea accipiēdo) Christum aliqua præcepisse, & nolle ab eadem, sed ab hæreticis hominibus recèns exortis, quique Scripturam non nisi ab Ecclesia potuerunt accipere, discere eius sensum. 35

Quare Scriptura non sit sufficiens iudex.

2. Petri 1.

Augustin.

Dementia est ab Ecclesia discere Scripturam sacram esse, & ab aliis petere eius explicationē.

Probatur Secundò, ex D. Petri epist. 2. c. vlt. vbi loquens de Paulo ait: *Sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædā difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravāt, sicut & cæteras Scripturas.* Vbi D. Petrus expressè docet, in Scriptura quædam esse obscura, quorum sensum non possumus ita per nos siue propria interpretatione assequi, vt dicit loco suprà citato: ergo in eiusmodi locorum interpretatione ipsa Scriptura non potest nobis esse iudex. 36

2. Petr. vlt.

Respon-

37 Respondent hæretici, illa verba, *In quibus*, non referre epistolas Pauli, sed res dictas à Paulo, quia græcè est ἐν οἷς in masculino. Sed hæc tergiuersatio ridicula est; nam quidquid referat ἐν οἷς, constat ex sequentibus referre aliqua dicta Pauli, quæ sunt sacra Scriptura: additur enim, *Quæ indocti depravant, sicut & cæteras Scripturas.* Deinde indocti homines non depravant res dictas à Paulo, sed ipsa dicta Pauli, siue verba Pauli in epistolis contenta, hæc peruersè interpretando: ergo hæc verba obscura sunt; quia illi depravant ea, quæ in epistolis Pauli obscura sunt.

38 Hæreticorũ in explicanda Scriptura mira dissensio.

Probatur Tertiò euidentissimè ex tam incredibili hæreticorum dissensione etiam in locis Scripturæ apertissimis: quid enim apertius his verbis, *Hoc est corpus meum*? & tamẽ hic locus est ipsis ita non clarus, vt sint ferè centum inter se pugnantes ipsius apud illos explicationes. & singularum ferè auctores ab aliis hæreseos damnantur. Vnde ex ipsorum sententia necessariò conficitur, vel ipsos omnes stupidissimos esse, qui clarissimas Scripturas non intelligunt; vel esse nequissimos, qui eas ita sponte peruertunt.

39 Respondent Primò, Scripturas claras esse, sed habentibus spiritum Dei; atque ita Scripturam per se sumptam non posse esse iudicem controuersiarum, sed intellectam secundùm sensum, quem vnctio Spiritus interiùs docet.

Hæretici nõ Scripturam, sed spiritum priuatum faciunt controuersiaru iudicem.

Sed contrà Primò, hac ratione, non Scriptura, sed Spiritus intus loquens constituitur iudex controuersiarum. Nos enim Scripturam intelligere, siue hanc de controuersiis iudicare prout Spiritus interiùs nos illius sensum docet; nihil est aliud quàm hunc internum spiritum de Scripturæ sensu, de quo controuersia est, iudicare; atque ita incidemus in sententiam Libertinorum, quam alii, etiam hæretici communiter damnant.

Secundò, si hæc inspiratio admittenda sit, cùm sit secreta nec aliis pateat, potero Scripturam meo arbitrio explicare, & quis me redarguet, si spiritum hunc mei erroris patronum vocem, prout faciunt omnes hæretici, qui cùm pugnantia doceant, tamen se hoc spiritu duci iactant?

40 Respondent Secundò, Etsi loca quędam Scripturæ secundùm se sumpta sint obscura; tamen alibi explicata, aut in textu Græco aut Hebræo clara sunt; atque ita iis, qui habent cognitionem linguarum, & varia loca Scripturæ conferunt, Scriptura est clarissima.

Sed nec hæc responsio vllo modo satisfacit. Primò, quia quando contingit duo loca esse in Scriptura, quæ aliquo modo videntur sibi contradicere, ita vt vnus per alterum commodè interpretandus sit, v. c. vno loco dicit Christus, *Pater maior me est*; & alibi, *Ego & Pater vnum sumus.* quæstio est inter Arianos & Catholicos vter locus per alium explicandus sit; siue vtrùm ratione secundi loci Filium debeamus dicere absolutè æqualem Patri, & tantùm dici minorem ratione humanitatis: an contrà, secundus explicandus sit per priorem, ita vt dicamus Filium absolutè esse minorem Patre, & metaphoricè dici vnum cum Patre, scilicet ratione coniunctionis voluntatis. Quo casu Ariano dicente secundum sensum esse verum, contrà Catholico defendente priorem explicationem; & vtroque asserente Spiritum sanctum hunc vel illum sensum sibi inspirasse; vtri tandem credendum erit?

Item quando Græcus vel Hebræus textus à Latino discordat, potest esse quæstio vter sit corruptus. Quis hîc erit iudex? nec enim vllibi in Scriptura habetur textum Græcum aut Hebræum non esse corruptum, aut Latinum corruptum esse. 41

Indocti nullo modo possunt vti iudice hæreticorum.

Item qui legere nesciunt, aut etiam varias linguas ignorant, quem tandem iudicem adibunt, vt sciant quam partem debeant sequi, an Catholicos an hæreticos, Lutheranos an Caluinistas?

Quod enim illi aiunt hos debere sequi eos, qui Scripturas meliùs interpretantur, non satisfacit; quia quæstio est quinam illi sint, qui Scripturam meliùs interpretantur, an scilicet Catholici, an Lutherani, an Caluinistę. Quemnam igitur tales adibunt iudicem, à quo discant quinam ex his meliùs Scripturam interpretentur?

Cur hæretici quærant obscurum iudicem.

Ex quibus patet eos qui eiusmodi obscurum iudicem quærunt, qui ita sentẽtiam proferat, vt ipsi soli dicant se clarè videre pro quo sententia feratur, apertè ostendere se lucem fugere, ac manifestum iudicium vitare; illudque solum agere vt errores suos ita tenebris inuoluant, vt eorum fœditas videri non possit.

Probatur Quartò, vel Scriptura est ita clara & aperta, vt etiam stupidi & indocti eam lectam vel auditam statim intelligant: vel solùm est ita clara, vt docti & in linguis versati eam facilè intelligant. Primum etiam illorum cõfessione est manifestè falsum; & aliàs nullis opus esset doctoribus, & frustra essent hac ex parte omnes concionatores, & Scripturæ interpretes; sed nuda ipsa Scriptura deberet omnibus proponi vt eam legerent. Si secundum dicatur, tunc malè consultum erit rudioribus; qui cùm Scripturam per se intelligere nequeant, hunc iudicem adire non possunt, vt ab eo infallibiliter veritatem discant. 42

Dices, Consulant illi viros doctos & in Scripturæ studio versatos, qui verè spiritu Dei aguntur. Sed cùm tam variæ sint sectæ, quarum defensores iactant se esse in Scripturis explicandis peritissimos, & se spiritu Dei agi, qua tandem ratione illi iudicabunt, qui vera, qui falsa dicant? 43

Dices, Illorum erit, auditis diuersis explicationibus meliorem eligere. Sed hoc nihil aliud est, quàm illos rudes homines constituere iudices doctorum, vt scilicet ipsi iudicent quis illorum Scripturam meliùs explicet, & veritatem assequatur; quod dementissimum est.

Dices, Apostolus 1. ad Corinth. 14. iubet singulos per vices prophetare, & reliquos diiudicare. Respondeo Apostolum loqui de illo tempore, quo multi habebant verum spiritum prophetiæ, & de iis, qui sufficientibus signis id demonstrabant, loquendo scilicet variis lin- 44 1. Cor. 14.

guis, prædicendo futura, pandendo secreta cordium, &c. quæ in nostros Nouatores non conueniunt. Deinde iubet communitatem Doctorum & Prophetarum esse iudicem doctrinæ singulorum, nullo autem modo vult singulos suo stare iudicio, & alios diiudicare: vt volunt hæretici.

45 De quibus controuersiis agat Apost. suprà.

Item Apostolus non agit ibi de controuersiis communibus toti Ecclesiæ, nec vult illos de his iudicare; sed de particularibus difficultatibus, quæ in singulis congregationibus occurrebant, & facilè expediri poterant. Quando autem grauiores, præsertim circa res fidei, intidebant difficultates, mittebant aliquos ad Apostolos qui hos consulerent, vt patet in Antiochenis, qui Paulum & Barnabam miserunt in Ierusalem consulere Apostolos.

His demum adde, si aliqui ab aliis, quàm ab ipsa Scriptura, debeant fidem ac Scripturæ sensum discere; omnino clarissimum esse, hos potiùs mittendos ad eos, qui per continuam successionem Scripturas, earumque sensum ab Apostolis & eorum successoribus acceperunt, quàm ad eos qui recèns exorti Scripturas, quas ab aliis acceperunt, suo sensu interpretantur.

46 Probatur Quintò, sæpè incidit controuersia, quæ nullo modo ex Scripturis explicari potest; vt quando vocatur in dubium an aliquis liber, v.c. Apocalypsis, epistola Iacobi, Cantica, Euangelium Nazareorum, libri Machabæorum, &c. sint sacra Scriptura. quod nullo modo nisi per auctoritatem Ecclesiæ constare potest: ergo Scriptura non est sufficiens iudex controuersiarum fidei.

Respondent Scripturam sacram suo sapore à profana discerni, sicut dulce ab amaro.

47 Sed Primò, hoc est contra experientiam, quia olim etiam inter viros doctissimos & sanctissimos, & à mentis palato optimè constitutos fuit hac de re controuersia; quod numquam accidisset, si ipso sapore hæc potuissent discerni. Secundò, quia, etsi Scriptura sacra ita posset dignosci, cùm hic sapor sit occultus, & quem illi soli percipiant, qui habèr palatum ad hoc cõmodè dispositum, poterit quisque pro libitu mentiri, aut etiam sibi persuadere, sibi hunc librum sapere, illum non; seque habere palatum & spiritum bene dispositum ad discernendos hos sapores, alios verò non: vt videmus hæreticos facere. vide Campianum ratione 1. ad Academicos: cuius hîc aliqua verba libet trãscribere. Ita autem loquitur: *Cur igitur alios alij lancinatis, cùm omnes eodem spiritu gloriemini? Caluinianorum spiritus recipit sex epistolas, quæ spiritui non placent Lutherano; freti tamen vterque Spiritu sancto. Anabaptistæ historiam Iobi fabulam appellant, Tragicis & Comicis legibus intermixtam. qui sciunt? Spiritu docente. Castalio mysticum illud Salomonis canticum, quod vt paradisum animæ, vt manna reconditum, vt opiparas in Christo delicias Catholici admirantur, nihilo pluris quàm cantilenam de amicula, & cum pedisequis aulæ colloquium amatorium, venereus furcifer æstimauit. vnde hausit? à Spiritu sancto. In Apocal Iohannis, cuius omnes apices excelsum aliquid & magnificum sonare confirmat Hieronymus in epistola ad Paulinum, Lutherus & Brentius, & Kemnitius, quiddam nescio quid difficiles Aristarchi desiderant: eò scilicet propendentes, vt exauctoretur, quem pernegant? Spiritum. Quatuor Euangelia feruore præposteros Lutherus inter se committit, & prioribus tribus epistolas Pauli longè præferens, vnicũ deinceps Euangelium Iohannis, pulchrum, verum, præcipuum decernit esse nominandum. Quippe qui, quod in ipso fuit, libenter etiam Apostolos suarum rixarum socios adscripsisset. quo doctore? Spiritu. Quin etiam iste fraterculus non dubitauit Euangelium Lucæ petulanti stylo perstringere, quòd in eo nobis crebrius bona virtutum opera commendentur. quem inter rogauit? Spiritum. Theodorus Beza verbum illud arcanum ex Lucæ 22. capite: Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui (calix) pro vobis fundetur; ausus est vt corruptum vitiatúmque traducere, quòd hac oratio nullam expositionem nisi de vino calicis conuersa in verum Christi sanguinem patiatur. quis indicauit? Spiritus. Denique cùm omnes credant suo quisque spiritui, nomen sancti Spiritus horribili blasphemia mentiuntur. Qui sic agunt nónne seprodunt, nónne facilè refutantur? nónne in confessu talium virorum, quales estis Academici, tenentur, ac minimo negotio constringuntur.* Hactenus ille.

Campian.

Tandem hæc confirmantur; quia pessimè 48
gubernaretur illa respubl. quæ haberet quidem optimas leges, nullos tamen haberet iudices, qui inter partes litigantes ius dicerent, præter ipsum librum legis ad quem omnes litigantes mitterentur, vt ex eo discerent vtra pars haberet ius. Quo facto nullæ vmquam lites terminarentur, nisi alterutra pars alterius aut potentia opprimeretur, aut furori sponte vel metu grauioris mali cederet. Atqui secundùm aduersarios Deus simili omnino ratione suam instituisset Ecclesiam, proponendo ei in Scripturis sacris quid omnes credere, ac qua ratione Deũ colere debeant: nullum tamen ei alium statuendo iudicem, à quo fideles solutionem difficultatum occurrentium petere, ac decisionem cõtrouersiarum accipere possint. Atque ita omnes tam docti quàm indocti, tam fœminæ quàm viri, tam pueri quàm senes, etiam qui legere nesciunt, si quæ de rebus fidei inter eos controuersia orta sit, sacram Scripturam debebunt consulere, & ex ea discere quid sentiendum sit.

Sicut respub. nequit gubernari solis legibus sine viuo iudice, ita nec Ecclesia.

Si igitur in nullum sapientem cadere possit 49
dicta ratione velle aliquam rempubl. instituere, quanto minùs in diuinam sapientiam cadere potuit ita suam instituere Ecclesiam, cui omni ex parte optimè prospectum voluit? Præsertim cùm optimè sciret tot fore hæreticos, qui rectam fidem conarentur obscurare, ac praua dogmata inducere: qui nulla vmquam ratione potuissent clarè conuinci, & ab omnibus cognosci, si præter Scripturam nullus alius fuisset controuersiarum iudex, præcipuè ab iis, qui cùm legere nesciant, hunc iudicem consulere non possunt. Imò hac ratione solus textus Hebræus, ac in aliquibus Græcus poterunt esse legitimus iudex; nam cæteris textibus poterit obici quòd malè versi sunt: præsertim cùm singulæ hæreticorum sectæ priuatas ferè versiones habeant, quas solas probant. Atque ita nemo poterit iudicem à Christo constitutum consulere, qui linguæ Hebraicæ ac Græcæ non sit

Hæreticorũ controuersiarum iudicem soli Græcæ ac Hebræ linguæ periti consulere possunt.

sit peritus. Quem igitur harum imperiti adibunt iudicem, vt cognoscant vtrùm Caluinistæ, an Lutherani, an Mennonistæ, an verò Catholici veram fidem sequantur ? Fusiùs hæc facilè probari possent, sed credo hæc pro nostro instituto sufficere.

50 Qualem iudicem Christus iuæ Ecclesiæ dederit.

CONCLVSIO IV. Omnino dicendum est Christum discedentem ex hoc mundo reliquisse in sua Ecclesia aliquem certum & visibilem iudicem, qui ipsius nomine, & consequenter infallibiliter & irrefragabili auctoritate nobis res fidei proponeret, & difficultates in iis exortas explicaret, ac controuersias decideret ita clarè, vt partes liquidò possent intelligere cui veritas adiudicaretur, siue quid quauis in re credendum esset. Ita omnes Catholici, & patet ex dictis.

Confirmatur Primò, quia aliàs Christus malè suis fidelibus prouidisset, nullum eis relinquendo, quem in eiusmodi difficultatibus possent omnino tutò consulere, & ab eo planè infallibiliter veritatem discere. Cùm enim Christus velit nos veritatem fidei omnino indubitanter tenere, debet etiam nobis aliquam rationem tradere, qua eam infallibiliter possimus cognoscere: patet autem ex dictis nullam aliam præter dictam superesse. Confirmatur Secundò, quia omnis respubl. benè constituta, quamuis habeat optimas leges, tamen præter eas necessariò habet aliquem viuum earum interpretem, & omnium controuersiarum iudicem, cuius iudicio omnes debeant stare: quod omnes prudentes ita iudicant necessarium, vt credant rempublicam aliter nullo modo posse stare. Cùm igitur Ecclesia sit respubl. optimè & ordinatissimè à Christo constituta, idem de ea dicendum erit. vt patèt ex dictis n.48.

51 Quis sit ille iudex.

CONCLVSIO V. Omnino dicendum est hoc iudicium à Christo commissum esse iis, qui hîc visibiliter Ecclesiam ipsius nomine regunt; quales sunt Episcopi, quibus dicitur Actorum 20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Et præcipuè summus Ecclesiæ Episcopus Christique in terris Vicarius, cui in persona S.Petri Iohannis 20. singulariter dicitur, *Pasce oues meas.* vbi totus grex ipsius curæ committitur. Hanc omnes Catholici contra hæreticos semper tenuerunt. Et probatur Primò, ex locis iam citatis, vbi dicti iubentur pascere & regere gregem Christi: atqui pastoris & rectoris præcipuum est officium mala pascua à bonis discernere, & sibi commissos ab iis arcere; item lites & controuersias inter subditos ortas dirimere, ius partibus dicere, &c. vt patet ex communi omnium magistratuum vsu: ergo Episcoporum, & præsertim Romani Pontificis est discernere qua doctrina fidei tamquam vera & salubri fideles debeant pasci, & à qua tamquam falsa & noxia debeant arceri, & ortas hac de re controuersias dirimere.

Actor.20.

Quod sit pastoris officium.

52 Probatur Secundò, quia cùm, vt suprà ostendi, in Ecclesia præter Scripturas & internum spiritum necessariò sit admittendus viuus aliquis controuersiarum iudex, palàm est potestatem hanc debere residere apud eos, qui sunt capita Ecclesiæ, actenent locum Apostolorum, quibus Dominus promisit spiritum veritatis, qui permaneret cum iis in æternum: atqui, vt ex communi populorum, omnisque historiæ totiusque antiquitatis sensu patet, in spiritualibus capita Ecclesiæ & successores Apostolorum sunt Episcopi, & præcipuè Romanus Pontifex: ergo apud hos est potestas iudicandi de rebus fidei.

Probatur Tertiò, quia in veteri testamento summus sacerdos cum suis erat iudex omnium controuersiarum legis, cuius definitionem sine vlla hæsitatione oportebat admittere: ergo idem dicendum est in nouo. Consequentia patet à paritate rationũ. Maiòr probatur ex Deut. 17. vbi dicitur: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & leprã, & iudicum intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum, quẽ elegerit Dominus Deus tuus, veniesq; ad sacerdotem Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresq; ab ijs; qui iudicabunt tibi iudicij veritatem. & facies quodcumque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dextram nec ad sinistram.* & postea iubet plecti eum morte qui non obedierit.

53 *Deuter.17.*

Dices, Scriptura solùm iubet nos his patere quando definiunt secundùm legem: ergo antequam cogamur parere, priùs videndum est an verè doceant secundùm legem. Respondeo, Scripturam apertè velle vt inferiores non inquirant, an iudex secundùm legem iudicauerit (sic enim constitueret eos iudices suorum iudicũ, & planè frustra eos ad hos mitteret;) sed vult vt supponant horum iudicium esse legi conforme: ideoq; iubet eos absolutè & sine vlteriore examine iudicum sententiam sequi. Patent hæc clariùs ex textu Hebræo: vbi sic habetur vers.11. עַל פִּי הַתּוֹרָה אֲשֶׁר יוֹרוּךָ וְעַל הַמִּשְׁפָּט אֲשֶׁר יֹאמְרוּ לְךָ תַּעֲשֶׂה, Quod ad verbum sic sonat: Secundùm legem, quam docebunt te, & secundùm iudicium, quod dicent tibi, facies. Patet etiã ex versione Septuaginta interpretum, quæ sic habet: καὶ φυλάξεις σφόδρα ποιῆσαι κατὰ πάντα ὅσα ἂν νομοθετηθῇ σοι. κατὰ τὸν νόμον, καὶ κρίσιν τὴν κελεύσιν, ἣν εἴπωσί σοι, ποιήσεις. id est, Et custodies vehementer, siue magna diligentia, facere secundùm omnia, quæ sancita fuerint tibi: secundùm legem, & secundùm iudicium quod dixerint tibi facies.

54

Ex quibus patet Scripturam nullo modo significare subditos tunc solùm debere obedire iudici: quando hic iudicat secundùm legem, sed semper; atque adeò illos huius iudicium debere accipere pro lege.

Subiecti debent Superiorum iudicium pro lege accipere.

Possent hac de re propè infinita proferri, sed hæc sufficiant; qui plura cupit, videat Sanderum de Visibili Monarchia Eccles. & Albertum Pighium de Hierarchia Eccl. præsertim l. 7. Bosium l.17. de Notis Ecclesiæ. Restat vt breuiter soluamus aliquas obiectiones.

Sanderus, Pighius, Bosius.

Obiicies Primò, Qui habet auctoritatem definiendi res siue obiecta aut articulos fidei, debet habere potestatem condendi nouos articulos fidei: sed hanc nec Pontifex, nec Concilium

55

lium habent: ergo nec illam habent. Respondeo, quidquid sit de minore, de qua inter Doctores est controuersia, an scilicet Pontifex aut Concilium possit iam definire aliquem nouum articulum esse de fide, qui antè à Deo reuelatus non fuerit, atque ita nullo modo fuerit de fide, de quo agam dubio sequenti; nego maiorem. nam supremi infra principem iudices sine facultate vlteriùs appellãdi de controuersiis legũ decernunt, & tamen nouum ius condere nequeunt. Sic potest Ecclesia accepisse à Deo potestatem definiendi quid sit de fide, sine potestate condendi nouos articulos fidei.

Potens definire qui sint articuli fidei, non debet posse nouos condere.

56 Obijcies Secundò, Nec in Concilia, nec in Pontificem conueniunt conditiones iudicis suprà positæ: ergo nequeunt esse tales iudices.

In Pontifice ac generale Concilium optimè conueniunt cõditiones in iudice requisitæ. *Iohan.16. Matth.16.*

Respondeo, eas his optimè cõuenire. Primò, quia non possunt falli in dofiniendo, cùm ex promisso Christi habeant assistentem sibi Spiritum sanctum, qui eos infallibiliter doceat omnem veritatem ad fidem pertinẽtem, vt Christus promisit Iohan.16. Item cùm Summus Pontifex in persona B. Petri, vt promittitur Matth. 16. sit constitutus vicarium fundamentum Ecclesiæ, quæ est columna & firmamentum veritatis, vt dicitur 1. ad Timoth.3. fieri nequit vt in definitionibus fidei erret, quia sic Ecclesia in errorem simul cum ipso foret: atque ita non esset columna veritatis. Ex quo patet dictis primam conditionem iudicis conuenire.

1. Tim.3.

Quòd secunda ijs etiam conueniat, patet, quia non licet ab ijs prouocare; nam Christus Summum Pontificem præsertim cum Concilio constituit summum controuersiarum fidei iudicem, vt suprà ostendi; nec vllo modo minorem, sed potiùs maiorem dedit ei potestatem, quàm habuerit summus Sacerdos in veteri lege, à quo, vt ostendi n. 54. nullo modo licebat prouocare.

Tertiò, nec etiam timendum est ne studio partium abducantur à veritate; nam etsi quatenus homines sunt id fieri posset, tamen quatenus diriguntur à Spiritu sancto, est penitus impossibile: cùm enim hic eos dirigat non in ipsorum, sed in totius Ecclesiæ commodum, impossibile est vt permittat eos siue ex ignorantia siue ex passione errare in ijs definiendis, quæ toti Ecclesiæ credenda proponuntur.

Quòd autem Quarta conditio iudicis à nobis nu. 28. requisita dictis apertè conueniat, & per se ex ipsa experientia satis patet, nec maiore indiget probatione; atque ita clarissimè sequitur, omnes conditiones in summo controuersiarum iudice requisitas dictis conuenire.

57 Obijcies Tertiò, Scripturæ eodẽ spiritu sunt interpretandæ quo dictatæ sunt: ergo ex dictamine Spiritus sancti, qui eas primò dictauit.

Concilia ex Spiritus S. instinctu definiunt res fidei.

Respondeo, concedendo totum. Quia quidquid tam Summus Pontifex, quàm legitima Cõcilia vnà cum eo circa res fidei ac Scripturarum interpretationem, tamquam fide credendum definiunt; id definiunt ex dictamine & directione Spiritus sancti, qui ex promisso Christi Iohannis 16. eos per se, & nos per eos docet omnem veritatem.

Ephes.2.

Obijcies Quartò, Ad Ephes.2. dicitur fidele ædificari supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum: ergo non ædificantur supra auctoritatem Papæ aut Concilij. Respõdeo, dum horum auctoritate nitimur nos niti fundamento Apostolorum. quia per eos reuelationes Apostolis & Prophetis factas simul cum earum sensu accipimus; itaque hi non ponunt nouum fundamentum, quia non tradunt nobis nouas reuelationes, sed nos super antiquo stabiliunt.

Obiiciunt Quintò, Si in difficultatibus Scripturæ recurrendum sit ad Papam: ergo ipse est supra Scripturam. 57

Etsi Pontifex habeat potestatem explicandi Scripturas, est tamen infra eas.

Respondeo negando consequentiam. Sicut enim quiuis iudex infra principem habet auctoritatem explicandi leges cum potestate obligãdi alios, vt stent suæ sententiæ; & tamen infra leges est: similiter contingit Summo Pontifici, quia ipse non potest abrogare Scripturam, sed earum sensum explicare. Quare cùm hoc argumentum tam fragile ac futile toties tantoque hiatu nobis hæretici obiiciunt, ostendunt se esse & stupidissimos, qui eius imbecillitatem non videant; & simul vanissimos ac superbissimos, qui sibi singuli priuatim sumunt, quod tamquã grauissimum crimen Summo Pontifici totique Ecclesiæ obijciunt: volunt enim singuli sibi Scripturas interpretantibus haberi indubitatam fidem, & non credentes tamquam hæreticos damnant: atque ita secundùm suũ modum argumentandi se supra Scripturam constituunt.

Hæreticorũ stupiditas ac arrogantia.

Obiiciunt Sextò, Pontifices Iudæorum errarunt quando publico consilio definierunt Christum non esse Messiam: ergo etiam Ecclesia potest errare. Respondeo negando consequentiam. Quia prædictum erat, tempore Messiæ ab ipsis regnum Dei auferendum, & ipsos excæcandos, vt patet Isaiæ 6. & 29. & restituros Messiæ, psal.2. At contrà Ecclesiæ dicitur: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Adde, illos hoc non definisse more dogmatico, sed ita vt constaret eos aperta inuidia duci. 58

Cur Synagoga potuerit potiùs errare quàm Ecclesia.

Obiiciunt Septimò, Pharisæorum doctrinam à Christo tamquam peruersam sæpè reprehendi. Respondeo Primò, Pharisæos non fuisse Pontifices, atque ita non habuisse potestatem definiendi res fidei. Respondeo Secundò, eorum doctrinam non reprehendi in iis, quæ tamquam res fidei aut diuinitus in lege Moysi præcepta concorditer cum Sacerdotibus & summo Pontifice docebant; in quibus Christus eos iubet audiri Matth. 23. sed in eorum priuatis traditionibus & consuetudinibus, quæ ad hypocrisim & auaritiam eorum spectabant. 59

Obijciunt Octauò, quasdam apparentes antilogias in decretis Pontificum ac Conciliorum; sed diligentiùs rem excutientes facilè eas concordant: quare sicut Scripturam fatemur numquam errasse, etsi in ea appareant hinc inde quasi quædam antilogiæ, aut sententiæ, quæ primo aspectu videntur inter se aut cum ratione pugnare; ita nec definitiones Pontificum aut Conciliorum debemus damnare, etsi aliqua eiusmodi in iis appareant, sed sicut illa, ita & hæc debemus commodè interpretari. 60

Obiiciunt etiam aliquando alia quædam loca Scripturæ; sed facilis erit responsio; si, quod certissi-

certissimè hîc probatum est, dicamus ea loca, non ex hæreticorum, aut nostro sensu, sed ex Conciliorum & Pontificis sententia interpretanda esse.

61 Ex dictis infertur hoc argumentum de necessitate summi iudicis esse firmissimum, quod euidentissimè hæreticos constringit; quare exemplo Tertulliani, & omnium veterum maximè vrgendum esse, nec antequam statuatur quis ille iudex sit, permittendum vt res aliò trahatur. Quia nisi in primis decidatur quis sit iudex cõtrouersiæ, facile est ita omnium argumentorum vim eludere, vel clamoribus vel calumnijs pro responsione, (prout hæretici argumentis nostris pressi communiter faciunt) obiectis obscurare, vt nemo vmquam cogi possit ad fatendam veritatem: præsertim quando non cogitur in forma & categoricè respondere, quod hæretici semper fugiunt.

62 Sicut igitur in rebus ciuilibus, vt possit aliquis finis litium reperiri, & is, qui iustam habet causam, ius suum obtinere, necessarium omnino est vt præter leges sit aliquis iudex, qui sententiam clarè possit pronunciare, & partes cogere suo stare iudicio; ita etiam necessariò statuendum est in controuersiis fidei, si velimus in hac aliquid esse certi, quod omnes Christiani credant. Quare dum hæretici hunc iudicem auferunt, similiter faciunt ac si omnia tribunalia ius litigantibus dicentia auferrent è republica, & iuberent litigantes accedere codicem legum, & ex eo tam diu inter se disputare, donec alterutra pars fateretur se victam; quod in æternum non fieret. Sicut ergo hoc absurdissimum est in repub. ciuili, ita multò magis in Ecclesia. Item sicut si litigantes in causis ciuilibus non vellent alium suæ causæ iudicem admittere, quàm ipsum Ius scriptum, hoc ipso omnium prudentum iudicio, clarè ostenderent se iniquam causam tenere; ita etiam hæretici dum solam Scripturam sacram aut Spiritum sanctum per Scripturam loquentem iudicem admittunt, apertè ostendunt se iniquam causam fouere, eique diffidere, ideoque legitimum iudicium fugere.

Quibus hæretici similes sint.

Apertè suæ causæ diffidunt.

DVBIVM VI.

Vtrùm Ecclesia possit condere nouum articulum fidei; siue, vtrùm definiendo aliquam propositionem esse de fide, possit efficere vt iam incipiat verè esse de fide quæ antè non fuit.

63 QVidam id affirmant. Primò, quia experiẽtia & communis Catholicorum consensus docent quædam esse de fide post Concilij generalis definitionem, quæ antea non erant: ergo Ecclesia potest efficere vt aliqua de nouo incipiant esse de fide. Antecedens patet, quia ante definitionem Concilij Tridentini non erat de fide, iustificationem fieri per infusionem fidei, spei & caritatis: iam autem est de fide: ergo, &c.

Secundò, quia quædam quæ aliunde non cõstat nobis esse reuelata, credimus precisè propter definitionem Ecclesiæ: ergo Ecclesia sua definitione efficit vt hæc sint de fide.

Tertiò, quia Christus testatus est ea omnia, quæ Ecclesia definiet, esse vera & fide diuina credenda: ergo Ecclesia ita aliquid definiendo potest efficere vt Christus sit testatus id esse verum, & consequenter vt sit fide diuina credẽdum. Antecedens probatur. quia Christus sæpè testatus est quòd non permittet Ecclesiam suã errare in eiusmodi definitionibus, & quòd dabit ei spiritum veritatis, qui docebit eam omnem veritatem, vt patet ex dictis dub.4.& 5. atqui hoc ipso testatus est omnia esse vera quæ ipsa credenda definiet: ergo, &c.

Nota, propositionem aliquam dupliciter posse dici esse de fide. Primò, loquendo propriè & formaliter, ita vt idem sit aliquam propositionem esse de fide, & eam esse obiectum fidei, siue eam ex se esse talem, quæ fide diuina credi possit ab eo, cui ipsa sufficienter est proposita. Qua ratione omnis illa propositio est de fide, quæ à Deo est reuelata, siue sciamus eam esse reuelatam, siue non: sicut omnia illa sunt verè à Deo præcepta, quæ ipse verè præcipit, siue id sciamus, siue non. 64 Aliqua propositio potest dupliciter dici esse de fide.

Secundò, quasi causaliter, ratione scilicet obligationis eam credendi, quæ ex sufficienti eius cognitione in nobis causatur; ita vt formaliter peccemus nolendo eam credere, siue de ea voluntariè dubitando. Qua ratione illæ solæ propositiones sunt de fide quæ nobis sufficienter sunt propositæ tamquam à Deo reuelatæ: atque ita ad hoc præter Dei reuelationem requiritur sufficiens illarum propositio, qua reuelatio nobis sufficienter innotescat. Quare secundùm hunc modum loquendi, rem aliquam esse de fide nihil est aliud, quàm sufficienter nobis cõstare eam esse de fide siue à Deo reuelatam, ita vt de ea dubitando peccemus formaliter contra fidem.

Quòd autem sola priore ratione aliqua propositio sit propriè de fide, siue quòd, vt aliqua propositio sit verè & propriè de fide, sufficiat quòd à Deo sit reuelata, etsi vulgò ferè ab omnibus id inuincibiliter ignoretur; probatur Primò, quia secundùm communem sensum aliqua propositionem esse de fide idem est, ac eam secundùm se & obiectiuè consideratam participare siue habere certitudinem fidei, ita vt sit in se tam certa ac necessariò vera quàm fides nostra vera est ac Deus verax, siue ita vt fieri nequeat vt sit falsa, quin Deus sit mentitus, & fides nostra sit falsa, qua credimus necessariò esse vera ea omnia, quæ Deus testatus est: atqui talis propositio hoc habet præcisè quia à Deo est reuelata, (hoc ipso enim quo à Deo reuelata est, quantumuis hoc à nobis ignoretur, habet necessariam connexionem cum veracitate Dei, ita vt fieri nequeat vt sit falsa, quin Deus sit mentitus, & consequenter fides nostra falsa sit:) ergo per hoc præcisè & propriè aliqua propositio constituitur de fide, quòd à Deo reuelata sit, præscindendo ab hoc quòd id nobis sit vel non sit cognitum. 65 Quid sit propositionem esse de fide. Per quid aliquid fiat de fide.

Secundò, quia aliàs nulla propositio, aut saltem vix vlla esset absolutè de fide; sed solùm respectiuè siue respectu aliquotũ particularium, 66

qui

qui sciunt eam à Deo esse reuelatam: nam si vt aliqua propositio sit de fide, requiritur vt nobis sit sufficienter proposita, adeò vt formaliter peccemus nolendo eam credere, aut negando eam esse de fide; ita vt per eiusmodi cognitionem illa fiat formaliter de fide; nulla propositio erit aliter de fide quàm quatenus ita est proposita, & consequenter solùm erit de fide respectu eorum quibus erit ita proposita. quare cùm respectu aliarum paucæ sint propositiones fidei omnibus non dico hominibus, sed Christianis ita propositæ, vt formaliter peccent nolendo credere eas à Deo esse reuelatas; paucæ omnino erunt absolutè de fide, & reliquæ, quæ à maxima Christianorum parte ignorantur esse tales, erunt solùm respectiuè & secundùm quid de fide.

Tertiò, quia aliàs idem esset aliquam propositionem esse de fide, & nos cognoscere eam esse de fide: atque ita idem esset dicere, Scimus hanc propositionem esse de fide, & Scimus nos scire eam esse de fide. quæ videntur absurda, & à communi sensu aliena.

67 Conclvsio I. Ecclesia habet potestatem efficiendi vt aliqua propositio de nouo incipiat secundo modo ex dictis n.64. esse de fide, quatenus scilicet definiendo eam à Deo esse reuelatam, quando id antè non erat ita clarum inter fideles, vt saltem omnes docti id sufficienter possent cognoscere, de nouo efficit vt omnes, qui eius definitionem deinde cognoscunt, teneantur illam fide credere, ita vt formaliter peccent peccato hæreseos, de ea liberè dubitando. Hæc est certa & communis inter Catholicos, & satis patet ex dictis dubio 5.

Quâ ratione Ecclesia efficiat vt propositio incipiat esse de fide.

68 Conclvsio II. Propriè loquendo iuxta priorem modum ex dictis n.64. Ecclesia sua definitione nequit efficere vt aliqua propositio incipiat esse de fide, quæ antea non erat. Ita Valentia tom.3. disp.1.q.1.puncto 6.in respons. ad 3. vbi citat Waldensem, à Castro, & Canum. Item Lorca in tract.de fide disp.38.nu.9. & 15.eandem supponit Malder 2.2.q.11.a.2.in fine. & videtur aperta sententia D.Thomæ 2.2.q. 1.a.7. vbi apertè docet, articulos fidei post tempora Apostolorum non creuisse: quem ipsius interpretes communiter sequuntur. Creuissent autem, si Ecclesia sua definitione efficeret vt aliqui articuli iam essent de fide, qui antea non erant.

Valentia.
VValdensis.
à Castro.
Canus.
Lorca.
Malder.
D. Thomas.

Et clarè probatur, quia, vt iam ostendi, per hoc præcisè aliqua propositio est obiectum fidei, & consequenter propriè loquendo de fide, quia à Deo est reuelata, siue quia Deus testatus est eam esse veram: atqui dum Ecclesia, præsertim post tempora Apostolorum, definit aliquid esse de fide, non accipit à Deo nouam aliquam reuelationem, sed solùm definit illud iam antè à Deo esse reuelatum; nec Deus per eã testatur aliquid esse verum, ita vt eius definitio possit dici verbum seu testimonium ipsius Dei: nec etiam fides nostra potest niti definitione ipsius Ecclesiæ, tamquam obiecto formali, vt satis probaui disp.9.nu.60.& 65. ergo per definitionem Ecclesiæ nihil potest incipere de nouo esse de fide quod antè non fuit.

Confirmatur, quia vel id quod Ecclesia definit, fuit iam antè à Deo reuelatum, vel non: si prius dicatur, sic necessariò fuit de fide priusquam ab Ecclesia definiatur: si non fuit priùs reuelatum, nisi Deus Concilio, & per eius definitionẽ nobis aliquid de nouo reuelet (quod communiter omnes negant iam ampliùs accidere) non potest esse de fide, siue obiectum fidei diuinæ; quia nihil potest esse tale, nisi sit à Deo reuelatum.

Ex his facilis erit responsio ad argumenta allata n.63. Ad primum, nego antecedens eiusque probationem: nam loquendo propriè & iuxta priorem modum ex dictis n.64. quidquid est de fide post Concilij definitionem, etiam fuit ante; quamuis id priùs non ita clarè constaret, atque ita communiter non ita diceretur esse de fide. per Concilij autem definitionem talia solùm secundo modo fiunt de fide: & hoc solùm probat argumentum allatum in probatione illius antecedentis. 69

Ad secundum, nego antecedens: quia quidquid fide diuina credimus, id immediatè credimus propter Dei reuelationem, & testimonium; Ecclesia autem solùm se habet per modum proponentis obiectum, vt patet ex dictis disp.9.dub.5.

Ad tertium, distinguo antecedens: nam si intelligatur propriè & in sensu formali, sic est negandum; si autem intelligatur quasi in sensu materiali & indirecto, sic antecedens est verum, sed neganda est consequentia.

Vbi Nota, Deum tripliciter posse testari ea omnia esse vera, quæ Ecclesia definiet credenda. Primò, expresè asserendo hanc propositionem: *Omnia sunt vera, quæ Ecclesia definiet.* Et hic est sensus formalis istius antecedentis; quia tunc testimonium Dei cadit super definienda ab Ecclesia formaliter sumpta, siue quatenus subsunt definitioni Ecclesiæ, & definitio Ecclesiæ est causa cur res definita sit à Christo asserta. Et in hoc sensu sumptum antecedens est negandum; nec est vllus Scripturæ locus aut ratio, ex quibus colligi possit. 70

Secundò, ita vt abstrahendo ab Ecclesiæ definitione, & sine vllo respectu ad hanc Deus eadem res testetur esse veras, quas Ecclesia postea definit esse veras. Et tunc testimonium Dei cadit super definita ab Ecclesia merè materialiter sumpta, nec definitio Ecclesiæ est vlla ratione causa cur Christus testetur illa esse vera; sed ad hoc se habet omnino per accidens.

Tertiò, testando se non permissurum vt Ecclesia in vllis suis definitionibus circa res fidei erret; siue testando se eam ita directurum, vt numquam definiat aliquid esse de fide, nisi reuera sit tale. quo casu indirectè & per quamdam consequentiam simul testatur omnia esse de fide, quæ Ecclesia definit esse talia. Sed in hoc casu Ecclesiæ definitio nullo modo est causa cur res definita sit de fide, aut à Deo asserta, sed supponit hanc esse talem antequam eam definiat. Et in hoc secundo & tertio sensu sumptũ illud antecedẽs est verum; & hoc solùm probat argumentum pro eo allatum. Sed tunc neganda

est

est consequentia; quia, vt iam ostendi, secùdùm hunc sensum definitio Ecclesię nullo modo est causa cur res aliqua sit à Deo asserta, aut de fide, prout in consequente infertur; sed contrà Ecclesia ea, quæ ita definit, necessariò supponit iam priùs fuisse de fide, siue à Deo reuelata.

DISPVTATIO XIII.

De iis, quæ actum fidei necessariò præcedunt.

DVBIVM I.

Vtrùm actum fidei necessariò præcedat iudicium moraliter certum ac euidens, quo res credenda iudicetur fide diuina tamquam à Deo reuelata credibilis?

1 NOta Primò, ex dictis disp.11.n.45. aliud esse rem aliquam esse euidenter credibilem, aliud verò eã esse euidenter veram. hîc igitur quærimus, vtrùm, vt possim rem aliquam fide diuina credere, necessariò priùs debeat mihi argumentis moraliter certis probari, non quidem eam euidenter esse veram, sed esse euidenter credibilem tamquam à Deo reuelatam, ita vt prudenter omnino certò iudicem eam verè esse talem.

2 Nota Secundò, hanc quæstionem propriè intelligi de iis, qui primò incipiunt aliquod mysterium fidei credere; vt contingit in ijs, qui aut primùm ad fidem conuertuntur, aut quibus aliquid credendum proponitur, quod priùs ignorabant esse de fide: nam vt eliciamus actum fidei circa mysteria fidei, quæ iam antea sæpè actu credidimus, sufficit ea cognitio, qua initio clarè cognouimus ea mysteria ita esse credenda; quæ cognitio in nobis habitualiter perseuerat, & propositio obiecto credendo statim excitat intellectum vt id iudicet esse credibile.

3 CONCLVSIO. Omnem actum fidei theologicæ necessariò præcedit tale iudicium, quo voluntas dirigatur siue moueatur vt prudenter applicet intellectum, vt illam rem propter diuinam auctoritatem firmissimè credat. Est certa & communis Theologorum.

Quale iudicium præcedat fidem.

Eccli.19. Probatur Primò, ex Ecclesiastico cap.19.vbi dicitur, *Qui citò credit, leuis est corde.* quod vel maximè locum habet in fide diuina, à qua omnis nostra salus, religio ac Dei cultus dependet.

Iohan.15. Item ex Iohannis 15. vbi dicitur: *Si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* scilicet nolendo credere. Vbi clarè insinuatur, nos non teneri credere mysteria fidei, nisi euidenter probentur credibilia.

Probatur Secundò, quia, cùm assensus fidei theologicæ necessariò sit actus virtutis, debet dirigi prudenti iudicio, quo priùs quàm credamus iudicemus ea mysteria ita esse credibilia (omnis enim actus virtutis prudẽti iudicio debet dirigi:) atqui esset contra prudentem rationem in re tanta velle aliquid indubitanter credere quod non apparet clarè ita credibile: ergo vt aliquid credam fide diuina, debet priùs tale apparere.

4 Dices, hoc solùm probare nos non posse actum fidei legitimè siue honestè elicere sine eiusmodi iudicio præcedente; non autem nos sine eo non posse elicere actum fidei vitiosum. Respondeo nos hîc solùm agere de iis, quæ requiruntur vt quis debitè, præsertim actione supernaturali, & prout requiritur ad salutem, credat: an autem actus fidei possit vitiosè elici, dicam disp.14.dub.3.

Probatur Tertiò, quia quamdiu habeo iustã rationem dubitandi an sit omnino certum & infallibile tale quid esse verè à Deo reuelatum, non teneor omnino indubitanter credere illud infallibiliter esse reuelatum: atqui quamdiu res aliqua dicto modo non probatur à Deo esse reuelata, possum meritò dubitare an sit omnino certum ac infallibile eam esse verè reuelatam: ergo nec teneor, nec possum, prudenter velle eam fide diuina credere.

Nihil teneor credere de quo meritò dubito an sit reuelatum.

5 Dices Primò, Vt licitè & prudenter aliquem contractum ineam (& idem est de aliis virtutibus moralibus) sufficit me probabiliter iudicare eum esse iustum, siue non illicitum; ergo similiter vt aliquid prudenter fide diuina credam, sufficit me probabiliter iudicare id à Deo esse reuelatum.

Respondeo negando conseq. Pro quo Nota, omnem prudentem siue honestum actum voluntatis circa res agendas præcedere duplex iudicium: vnum speculatiuum, quo res aliqua iudicatur vera: v.c. contractum illum esse iustum; & hoc iudicium solùm remotè dirigit operationes. Aliud immediatè practicum, quo iudicamus nos in his circumstantijs posse honestè hoc vel illud agere. Prius iudicium non debet esse omnino certum, sed sufficit esse probabile, etiamsi simul adsit dubitatio aut probabile iudicium de contrario. v.c. quo iudicemus illum contractum probabiliter esse iniustum. Secundum autem, vt prudenter agam, debet mihi esse moraliter certum siue euidens. Quamdiu enim dubito, an in his circũstantijs licitè possim hîc & nunc talem contractum inire, pecco eum ineundo. In fide autem vtrumque iudicium debet esse moraliter euidens & certum. Ratio diuersitatis est, quia hoc ipso quo aliquis contractus iudicatur probabiliter esse iustus, verè licitè eum ineo, etsi fortè à parte rei iniustus sit; atque ita probabilis opinio facit aliquid à parte rei mihi hîc & nunc licitum, quod aliàs à parte rei illicitum est. Contrà verò probabilis opinio non facit vt aliquid à Deo sit reuelatum, & consequenter nec facit vt sit fide diuina credibile quod verè à parte rei non est à Deo reuelatum. Quia, vt ostendi suprà, nihil est fide diuina credibile, quod non sit verè reuelatum à Deo. Item quia non possum prudenter, imò nullo modo indu-

Actum honestum voluntatis præcedit duplex iudicium.

Iudiciũ immediatè dirigẽs honestã actionem debet moraliter esse certum.

6 Diuersitas fidei aliorũque honestorũ actuũ, quantum ad dicta iudicia.

indubitanter aliquid credere à Deo esse reuelatum, de quo probabiliter aliquo modo possum dubitare an à Deo reuelatum sit.

7 Dices Secundò, Possum fide diuina rei reuelatæ firmiùs assentiri, quàm vlla euidens ratio possit probare eam esse reuelatam, idque prudenter ob auctoritatem Dei: ergo similiter potero prudenter ob auctoritatem Dei certiùs & firmiùs iudicare res aliquas esse credibiles, quàm vlla argumenta id probent. Respondeo negando consequentiam. Primò, quia licet prudentia doceat me debere firmissimè credere ea, quæ euidenter ac moraliter certò video à Deo esse reuelata; non tamen docet me debere certò & indubitanter iudicare ea à Deo esse reuelata, quæ nulla ratio sufficienter probat à Deo esse reuelata, siue de quibus meritò possum aliquo modo dubitare an verè reuelata sint.

Cur possim firmiùs credere quã ratio probet, non tamẽ ita iudicare rem esse credibilem.

Secundò, quia fidem præcedit actus voluntatis applicans ac determinans intellectum, vt ita firmiter credat ea, quæ prudenter iudicauit à Deo esse reuelata: nullus autem eiusmodi actus voluntatis præcedit illud iudicium: imò nec prudenter potest præcedere, quia deberet dirigi alio prudenti iudicio, & sic iretur in infinitum: sed intellectus debet determinari ad illud iudicium ex euidentia rei.

8 Dices Tertiò, Multi simplices non possunt ita intelligere aut discernere euidentiam & certitudinem notarum fidei, & tamen prudenter credunt: ergo hæc euidẽtia ad fidem non est necessaria. Respondeo eos nihilominus pro suo captu debere habere aliquam euidentiam credibilitatis rei credendæ, ita vt nulla rationabilis causa de eo dubitandi occurrat: quod facile est iis, qui sufficienter, prout tanta res requirit, in rebus fidei instructi sunt, & prout etiam cõmuniter à diligentibus Pastoribus subditi instruuntur. Et hoc sufficit vt tales prudenter mysteria nostræ fidei credant. Possunt autem eiusmodi euidentem cognitionem facilè habere ex miraculis quæ audiunt sæpiùs diuersis locis in confirmationem nostræ fidei fieri, vel aliquando etiam fieri cernunt, aut in personis sibi notis facta conspiciunt. Item ex eo, quòd ex doctrina suorum Pastorum, & communi aliorum cõsensu intelligunt, hanc doctrinam ab Ecclesia Catholica vbique teneri, cuius auctoritas sufficiens est, vt prudenter illi credant. Item ex eo, quòd satis constet viros sanctissimos nostram fidem tenuisse, quod etiam ipsi ex communi omnium fama, & historijs quas audiuerunt, vel etiam legerunt, facilè possunt cognoscere.

Qualis euidentia credibilitatis requiratur in simplicioribus.

9 Nec refert, quòd ipsi has similesque fidei notas, earumque euidentiam, non possint ita clarè perspicere, ac viri docti eas perspiciunt: nam cùm ipsis etiam non tam facilè occurrant rationes dubitandi in contrarium, pauciora & minus firma requiruntur argumenta vt ijs aliquid probetur sufficienter, vt illud sibi prudẽter persuadeant esse euidenter credibile; quàm requirantur vt aliquid probetur viris doctis, qui faciliùs de argumentorum inefficacia possunt dubitare: ideoque vt res aliqua dicatur his euidenter probata, fortiora argumenta requiruntur. Adde, diuinam prouidentiam numquam deesse iis, qui salutem seriò quærunt: atque ita eos simplices sua gratia præuenire, ac intellectum eorum illustrare, vt clariùs eiusmodi rationes apprehendant, quàm alias ea per se possent apprehendere. vnde videmus sæpè tales firmiùs ac constantiùs rebus fidei adhærere, quàm aliquos doctos: adeò vt illis earum credibilitas appareat tam euidens, vt de ea dubitare nequeant, & mirentur aliquos dubitare posse.

Efficaciora requiruntur argumenta vt aliquid probetur doctis, quàm vt indoctis.

Indocti sæpè præ aliis in rebus fidei illuminantur à Deo.

Quidam apud Lorcam disp. 16. n. 22. docent, eiusmodi euidentiam inesse cuiuis habenti habitum fidei; quia hic, vt aiunt, facit res fidei nobis euidenter credibiles; atque ita in rudioribus supplet defectum rationum: citatque Caietanum 2. 2. q. 1. a. 4. sed hoc ipse hoc loco non dicit; sed planè aliud, vt dub. 2. videbimus. Imò expresè negat habitum fidei illis rudioribus reddere mysteria fidei euidenter credibilia, nisi sufficienter illis priùs probentur. Cuiuscumque autem illa sententia sit, vera non est: satis enim experimur habitum fidei non efficere in nobis aliquam euidentiam, imò hoc ipsius naturæ repugnat, cùm inclinet in actum obscurum. 10 *Lorca.* *Caietan.* *Habitus fidei nullam confert euidentiam.*

DVBIVM II.

Vtrùm illud iudicium eliciatur ab habitu fidei aut prudentiæ?

PRior opinio docet, illud iudicium elici ab habitu fidei, qui nos facit non solùm assentiri rebus fidei, sed etiam euidenter videre earum credibilitatem; non quidem omnes, sed eos qui habent intellectum sufficienter ad hoc dispositum, scilicet per sufficientem apprehensionem rationũ, quibus credibilitas fidei probatur. Huius sententiæ videtur Caietanus 2. 2. q. 1. a. 4. Et probatur Primò, quia D. Thomas ibidem ad 3. dicit, fidem facere nos videre res fidei; quod intelligendum videtur de visione illius credibilitatis. Secundò, quia fides dicitur lumen: ergo facit nos aliquid euidenter cognoscere; non veritatem rerum fidei, ergo earum credibilitatem; quia huius clara cognitio potest cum fide consistere. Tertiò, quia 1. ad Corinth. 4. dicitur Deum illuxisse *in cordibus nostris ad illuminationẽ scientiæ claritatis*: hoc autem fit per fidem: ergo hæc dat nobis aliquam euidentiam, scilicet credibilitatis rerum fidei. 11 *Caietan.* *D. Thomas.* *1. Cor. 4.*

Alij volunt hoc iudicium pertinere ad prudentiam, & ab eius habitu elici, quia scilicet dirigit voluntatem in sua operatione, siue in imperio quo actus fidei imperatur. 12

Pro quo Nota, ex dictis nu. 5. & 6. duplex iudicium præcedere illud imperium voluntatis: vnum quo res credenda iudicatur euidenter credibilis; alterum quo eadem iudicatur hîc & nunc credenda esse. agimus autem hîc præcipuè de priore iudicio, tamen consequenter etiam dicemus aliquid de secundo.

CONCLVSIO I. Illud iudicium non pertinet ad habitum fidei; neque ab hoc elicitur. Ita Valent. 2. 2. disput. 1. q. 2. puncto 4. in fine ad 3. Turrian. disput. 7. dub. 4 & videtur communis. 13 *Valentia.* *Turrian.*

Probatur Primò, quia illud iudicium habet obiectum formale omnino distinctum ab obie-

cto formali fidei, quia illud pro obiecto formali habet euidentiã notarũ fidei, hæc verò testimoniũ Dei; nullus autem habitus inclinat ad actũ, qui nullo modo tenditin ipsius obiectum formale: ergo habitus fidei non inclinat ad actum illius iudicij, nec eum elicit. Secundò, quia, vt patet ex 1. ad Corint. 13. & ad Hebræos 11. ac dictis disp. 11 n. 32. & sequent. habitus fidei tendit in obiectum qua obscurum, nec facit id vllo modo euidens: ergo non potest esse causa assensus euidentis, qualis est illud iudicium.

1. Cor. 13. Hebr. 11.

Ad primum argumentum positum n. 11. Respondeo, D. Thomam ibi non loqui de illo iudicio, sed de ipso assensu fidei, dicitque nos per eum videre res fidei, quatenus omnis cognitio generatim loquendo dicitur visio. Simili modo fides dicitur lumen, quatenus omnis cognitio dicitur aliquo modo lumen, quatenus per eam aliquid cognoscimus siue clarè, siue obscurè. Et ob eandem causam Deus dicitur per fidem illucescere in cordibus nostris, quatenus eum ac ipsam veritatem rerum ad salutem pertinentium per fidem verè cognoscimus, qui sine ea sumus in ignoratione veritatis ac in erroribus. & sicut hæc meritò dicuntur tenebræ & obscuritas, ita eorũ respectu cognitio fidei, quantũuis obscura, dicitur lux & claritas; quia omnis cognitio veritatis respectu ignorantiæ est quædam lux. Ex quo patet responsio ad secundũ & tertium.

14 Qua ratione fides dicatur visio & lumen.

Obscura cognitio respectu ignorantiæ est lux.

15 Conclvs. II. Iudicium quo iudicamus res fidei esse euidẽter credibiles, nõ est propriè loquendo actus prudentiæ. Ita Turrian. supr. Probatur, quia actus prudentiæ propriè dictæ est cognitio practica immediatè dirigés voluntatẽ in sua operatione, siue qua aliquid iudicatur faciendũ aut omittendũ: illud autem iudicium est speculatiuum, & potest esse in eo qui ob malam vólantatẽ iudicat res fidei hîc & nunc sibi non esse credendas. Potest tamen latiore modo loquẽdi dici actus prudẽtiæ, tum quia non temerè, sed ex iusta ratione, & prout prudentes decet, id elicimus: tum etiam quia saltem remotè honestam voluntatis actionem dirigit.

Turrian.

Secundum autem iudicium quo iudicamus rem propositam esse fide diuina credendã, cùm immediatè dirigat voluntatẽ, est actus prudẽtiæ.

16 Conclvsio III. Illud prius iudiciũ est actus scientiæ speculatiuæ, licet non propriè dictæ & perfectæ; quia est certa & clara cognitio veritatis speculatiuæ, ex euidentibus rationibus à posteriore deducta. Quia tamen, vt dixi disp. 11. dub. 3. hæc euidentia non est communiter metaphysica & omnino perfecta, quæ intellectum planè conuincat, ideò illud iudicium à perfecta ratione scientiæ deficit.

DVBIVM III.

Vtrùm dictum iudicium sit supernaturale?

Varias de hac re opiniones tacitis Auctorũ nominibus recitat Turrianus 2.2. disp. 46. dub. 5. n. 6.

Turrian.

17 Prima docet, illud iudicium esse supernaturale in substantia. Probatur, quia dirigit voluntatem in substantia supernaturali: ergo est in substantia supernaturale. Probatur consequentia: nam ideo fides necessariò præcedit actũ spei & caritatis; quia cùm hi actus sint supernaturales in substantia, necessariò debent dirigi intellectione in substantia supernaturali: ergo similiter cùm illud iudicium dirigat actum volũtatis in substantia supernaturalem, erit etiam in substantia supernaturale. Huius autem sententiæ Auctores diuersimodò eam explicant, atq; ita possunt iterum in duas sententias diuidi, vt patet apud Turrian. suprà. Sed eorum argumentum nihil conuincit; nulla enim est ratio cur dicamus omnem volitionem supernaturalem in substantia necessariò dirigi aliqua intellectione in substantia supernaturali. quia, vt ostendi sup. disp. 5. dub. 3. quòd actus voluntatis sit supernaturalis, non habet à supernaturalitate obiecti, nec quia obiectum modo supernaturali ei proponitur: sed ab auxilio supernaturali, quo potentia eleuatur vt actum producat perfectiorem, quàm naturæ viribus posset producere. Quare in dicto argumento nego consequentiam. Ad probationem, nego assumptum: nec enim spes & caritas ideò propriè prærequirunt fidem in substantia supernaturalem, quia in substantia supernaturales sunt, quasi non possent vlla ratione elici nisi tali fide præcedente: nam si Deus vellet specialiter concurrere cum homine habente solam fidem naturalem mysteriorum fidei, hic posset elicere actus spei & caritatis supernaturales. nulla enim hîc potest ostendi repugnantia.

Non omnis volitio in substantia supernaturalis necessariò dirigitur cognitione in substantia supernaturali.

Si Deus vellet concurrere, possemus elicere actus spei & caritatis ex cognitione in substantia naturali.

19 Sed eę virtutes prærequirunt fidem supernaturalem. Primò, quia cùm homo per virtutes theologicas constituatur in statu supernaturali, omnino conuenit hunc incipere à supernaturali actu intellectus; quia hic naturaliter prior est actibus volũtatis. Secũ dò, quia cùm spes & caritas firmissimè & constantissimè in Deum ferri debeant, naturaliter prærequirunt omnino certam ac constantem cognitionem, qua dirigantur; qualis circa mysteria fidei non potest esse saltem in hominibus viatoribus, nisi actus fidei, quia illorum claram cognitionẽ hîc habere non possumus. posito autem quòd status noster in substantia supernaturalis debeat inchoari à fide, hæc etiam debet esse in substantia supernaturalis, vt conueniat statui in quo nos constituit. Tertiò, ex ordinatione Dei, qui ob dictas rationes non statuit nobis dare auxilia necessaria ad dictos actus eliciendos, nisi præcesserit actus fidei supernaturalis.

Cur aliæ virtutes supernaturales prærequirãt fidem supernaturalem.

Alij volunt, hoc iudicium esse merè naturale; 20
quia cùm nitatur euidentia notarum fidei, videtur habere obiectum merè naturale: ergo est etiam merè naturale. Consequentia probatur: quia actus accipit suam supernaturalitatem ab obiecto: ergo habens obiectum naturale erit omnino naturalis. Sed nec hoc argumentum quidquam probat. Quia, vt ostendi disp. 5. dub. 3. actus naturalis & supernaturalis non distinguũtur necessariò ex parte obiecti, sed possunt versari circa idem obiectum formale.

Conclvsio. Illud iudicium secundùm 21
suam substantiam est naturale, & supernaturale secundùm modum. Prior pars probatur,

quia si esset secundùm substãtiam supernaturale, per id formaliter eleuaremur ad statũ supernaturalem, inchoando vitam supernaturalem, atque ita fides non esset fundamentum & initium status ac vitæ supernaturalis. quod repugnat communi sententiæ Doctorum, atque etiam Patrum, qui initium vitæ supernaturalis constituunt in fide. Nam, vt docet D. August. epistola 105. aliquantulum post initium, ab ea omnis nostra iustitia sumit initium.

Sola fides est fundamentũ ac initiũ status nostri supernaturalis. *August.*

Secundò, quia ratio cur fides, spes, caritas debeant in substãtia esse supernaturales, præcipua est, quia ordinantur ad meritum præmij omnino supernaturalis, tamquã media ad finem: ad finem autem supernaturalẽ requiruntur media supernaturalia, vt inter ea sit proportio, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 114. a. 2. Illud autem iudicium non constituit nos vllo modo etiam inchoatiuè in statu merendi, neq; per se meretur, aut ad meritum vitæ æternæ ordinatur: nisi remotè & ratione alterius, quatenus scilicet est conditio ad fidem prærequisita. Fides autem etsi sine caritate non conferat vitam spiritalem, ac meritum vitæ æternæ, est tamen quædam illorum inchoatio ac fundamentum. vt fusiùs explicabo dub. 6.

D. Thomas.

22 Secunda pars probatur: quia illud iudicium versatur circa obiectum materiale supernaturale, quod sine reuelatione diuina nequit cognosci, atque ita ex parte propositionis ipsius obiecti vires naturæ superat. Secundò, quia dirigitur in finem supernaturalem, scilicet ad dirigendam voluntatem supernaturalem imperantem actum fidei. Tertiò, quia etsi posita reuelatione, & sufficienti notarum fidei propositione possit intellectus, si nullum adsit impedimentum, eiusmodi iudicium secundùm suam substãtiam elicere; tamen propter mobilitatem ingenij humani, & voluntatis ad res terrenas ac fidei contrarias inclinationem, qua intellectus obscuratur; item ob dæmonis tentationes nos à fide retrahentis, semper requiritur aliqua gratia, qua intellectus illustretur, vt res fidei melius apprehendat, & qua inclinationes voluntatis fidei contrariæ ac dæmonis potestas comprimantur: vt intellectus ab his impedimentis liber possit firmiter ac constanter iudicare ea mysteria ob Dei auctoritatem firmissimè esse credenda. quod sine vllo Dei auxilio sibi omnino derelictus in hoc rerum statu facere nõ posset; nam, vt dicitur Sapientiæ 9. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam; & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* varia scilicet distractione eum impediens ne ad cælestia seriò cogitanda assurgat.

Ex quibus capitibus illud iudiciũ sit necessariò supernaturale.

Sapient. 9.

Ad supradicta tamen ei sufficit auxilium diuinũ ordinis naturalis: quia sicut nulla est causa cur ponamus actum supernaturalem in substantia, ita etiam non requiritur auxilium secundùm substantiam supernaturale; præsertim cùm illud auxilium non tam requiratur vt suppleat defectum virium intellectus, eumque immediatè iuuet in eo iudicio eliciendo, quàm vt tollantur extrinseca impedimenta. Vide dicta disp. 4. dub. 7.

23 Dices, D. August. lib. 1. de Prædestin. cap. 2. & Arausic. can. 7. videntur requirere idẽ auxilium ad eliciendum illud iudicium ante voluntatem credendi prærequisitum, atque ad credendum: sed ad hoc requiritur auxilium supernaturale in substantia: ergo etiam ad illud. Respondeo, nego maiorem: solùm enim ad illud requirunt aliquod auxilium diuinum: quale autem illud sit, non explicant; sed alijs relinquunt disputandũ. Adde, eos non tam loqui de iudicio secundùm se præcisè sumpto, quàm prout includit quodammodo siue generat voluntatem credendi & assensum fidei, quæ illud iudiciũ consequuntur, quæque Semipelagiani (contra quos ipsi agunt) dicebant nos viribus naturæ sine gratia habere posse. Quod tam August. quàm ipsum Concilium propriè intendunt damnare: vnde Concilium cùm dixisset nos sine gratia non posse cogitare, prout expedit, aliquod bonum ad salutem pertinens, explicans de qua cogitatione loquatur, subdit: *Id est euangelizantis prædicationi consentire*, ostendens se sub illa cogitatione comprehendere assensum fidei.

August. Arausic.

DVBIVM IV.

Vtrùm actum fidei necessariò debeat præcedere actus voluntatis, quo intellectus applicetur siue determinetur vt illum eliciat?

24 NOta, sicut actus aliquis dupliciter potest esse liber; Primò, quoad specificationem, quando scilicet in nostra potestate est nõ solùm talem actum non elicere, sed etiã elicere ei contrarium: sic in potestate voluntatis est rem aliquã distinctam à beatitudine sibi propositam amare aut odisse, prout voluerit. Secundò, quoad solũ exercitium: quia scil. possum quidem aliquem actum non elicere, nequeo tamen elicere actum ei contrarium: sic in via possum non amare beatitudinem, non possum tamẽ eam odisse. Ita etiã motio voluntatis potest esse dupliciter necessaria ad assensum fidei Primò, quoad solũ exercitium, ita vt sine ea intellectus nequeat eum assensum elicere: Secundò, quoad specificationẽ, ita vt ab illa motione pendeat quòd intellectus res fidei potiùs credat esse veras quàm falsas, cũ vtrumq; ex diuersa voluntatis motione posset.

25 Nota Secundò, dupliciter posse intelligi voluntatem mouere intellectum ad exercitiũ aut specificationem actus. Primò, solùm remotè, quatenus applicat eũ vt cogitet de obiecto fidei, sibiq; illud proponat sub ratione credibilis aut non credibilis, siue excogitando simul rationes, quæ ipsum possint mouere ad credendum, aut contrà eas, quæ ipsum moueant ad non credendum. Et fatentur omnes, fidem hac ex parte esse liberam saltem quoad exercitiũ, & pendere à motione voluntatis, in cuius potestate est, saltẽ communiter, applicare intellectum ad has vel illas res aut rationes cogitandas.

Voluntas dupliciter potest mouere intellectum ad aliquẽ actum.

Secundò, immediatè & proximè, ita vt proposito sufficienter obiecto volũtas intellectum immediatè applicet ad assentiẽdum aut dissentiendum. & de hac motione est tota quæstio.

26 Prima opinio absolutè negat, hanc secũdam motio-

motionem voluntatis ad actum fidei requiri, aut hunc ab illa siue in exercitio, siue in specificatione pendere: imò ait obiecto fidei sufficienter proposito intellectum tam necessariò ei assentiri, quàm conclusioni, cuius habet demonstrationem. Pro hac citatur Holcot 1.p.q.1.

Holcot.

Aristotel. Probatur Primò, quia, vt docet Aristot. l.2. aliàs l.3. de Anima textu 151. *Imaginamur cùm volumus: opinari autẽ non est in nostra potestate.* vbi videtur docere, esse quidẽ in nostra potestate per imaginationẽ nobis aliquod obiectũ repræsentare, tamen non esse in nostra potestate obiecto intellectui proposito assentiri aut non assentiri. Et confirmatur: quia proposito mihi obiecto euidenter vero aut probabili, ei assentior necessariò. Secundò, quia aliàs possem pro libitu alicui propositioni sine vlla ratione assentiri aut dissẽtire. v.c. huic, Arenę maris sũt pares: quod cõstat

D. Thomas. esse falsum. Tertiò, quia, vt docet D. Th. 1.2.q 9. a.1. intellectus mouet voluntatẽ ad specificationem actus: ergo intellectus in assensu fidei nequit à voluntate moueri, saltẽ ad specificationẽ actus. Quartò, quia motiuum fidei siue testimonium Dei fortiùs mouet intellectũ quàm motiuum scientiæ, quia fides est certior sciẽtia: atqui motiuum scientię sine actu volũtatis per se sufficienter mouet intellectũ ad assensum: ergo idẽ dicendum erit de assensu fidei. Quintò, quia vt aliquid credamus, necessariò præcedit euidens probatio credibilitatis: ergo per hãc intellectus sufficienter mouetur ad assensum fidei. Sextò, quia aliàs fides non esset initium nostræ iustificationis, sed ille actus voluntatis.

27 Secunda opinio docet, ante assensum fidei infusæ prærequiri assensum fidei acquisitæ, & ad hanc etiã prærequiri aliquã motionẽ voluntatis; hac tamẽ fide posita ait sine vlla motione volũtatis intellectũ sufficienter ab ipso obiecto præsenti excitari ad assensum; atque ita intellectum per habitum infusum posse credere, modò voluntas non resistat; etsi illum nullo modo moueat ad assensum. Ita

Scotus. Scotus in 3. dist. 25. q. 2.

Quæ opinio prima fronte videtur à priore distingui; sed si exactiùs inspiciatur, ferè idẽ dicit.

Quid Scotus intelligat per fidem acquisitam. Vbi Nota Primò, Scotũ, vt patet ex iis quæ ibidem docet dist. 23. §. *Deprima.* vocare hîc fidẽ acquisitam qua credimus mysteria fidei, quia audimus Ecclesiam, aliumúe fide dignum concionatorem ea docere, aut ob alias fidei notas: atque ita secundùm eum hæc fides nititur auctoritate aut miraculis eorum, qui nobis fidei mysteria credenda proponunt.

Nota Secundò, Scotum ad hanc fidẽ acquirendã, prærequirere motum volũtatis, non quo assensus fidei immediatè imperetur, sed quo intellectus applicetur, vt attendat iis quæ ipsi credenda proponuntur. nam d. 25. citata ait, *Actus credendi est ab obiecto præsente sicut ab efficiente actũ; nõ sic autẽ est à voluntate: aliter si volũtas esset causa actus credẽdi, & proponeretur intellectui astra esse paria, nulla persuasione facta* (id est sine vlla probatione) *posset volũtas imperare intellectui credere determinatè astra esse paria. & hoc nihil est* (id est dici nequit) *sed oportet obiectũ habere causalitatem superactũ: nec voluntas mouet nisi moueat obiectũ* scilicet impellendo intellectum vt de illo cogiter, atq; ita id habeat præsẽs. Vbi satis apertè docet, voluntatẽ non imperare intellectui immediatè assensum fidei siue infusæ, siue acquisitæ, nec aliter ad eũ concurrere quàm quatenus mediante cogitatione siue apprehẽsione facit vt obiectũ sit præsens intellectui, vnà cum rationibus quibus ad assensum moueatur: sentitque voluntatem non magis immediatè intellectui imperare assensum fidei, quàm assensum huius propositionis, *astra sunt paria.* Ex quibus patet, Scotum in hoc solũ differre à priore opinione, quòd asserat intellectum posse non assentiri rebus fidei sibi sufficienter propositis, si voluntas resistat. & sic eum intelligit Bañez hîc q.1. dub.2. & alij. *Bañez.* 28

Tertia opinio docet, non solã fidem theologicam, sed etiã opinionem & fidem humanam, qua alicui homini credo, indigere motione voluntatis intellectũ ad assensum applicante: quia testimoniũ humanum & medium opinatiuum nõ reddunt obiectum suum euidens; atq; ita nõ necessitãt intellectũ ad assensum: quare videtur ad hũc debere vlteriùs necessitari siue determinari à voluntate. Excipit tamen casum, quo ob plurimorũ concordẽ consensum (quos omnes de se mutuo ignorãtes consequenter mẽtiri moraliter est impossibile) rei testatę veritas nobis redditur à posteriore euidẽs, ac cõuincit intellectũ; qua ratione, qui Romam numquã viderũt, non tam credunt quàm sciunt eam esse in Italia. Ita Bañez suprà concl.2. & Lorca disp.12.n.8. *Bañez. Lorca.*

Quartò, Caietan. 1.2.q.65.a.4. docet, voluntatem tantam habere potestatem in intellectum, vt sine vlla omnino probatione possit ei aliquẽ assensum imperare; v.c. vt credat astra esse paria. Probatque Primò, ex 9 Metaphysicorum c.2. vbi dicitur potentias rationales se habere ad oppositа. Sed hunc locum Aristotelis nihil facere ad præsentem similesque quæstiones, satis ostendi disp.2.dub.4.n.50. 29 *Caietan.*

Probat Secundò, quia medicus potest eandem artem pro libitu adhibere vt ægrum aut sanet aut occidat: ergo similiter volũtas potest eadem obiecti propositione vti, vt moueat intellectum ad assensum, vel ad dissensum, prout voluerit. Sed hoc argumentum potiùs contrarium probat; quia medicus nequit suam artem applicare ad sanandum aut occidendum, nisi adhibendo diuersa media ad hunc vel illum effectum conuenientia; & sic voluntas nequit determinare intellectum ad assensum alicuius rei, nisi faciendo vt apprehendat rationes, quæ eam sufficienter suadent.

CONCLVSIO I. Ad assensum fidei theologicæ necessariò prærequiritur motio voluntatis, qua intellectus ad assensum determinetur. Ita D. Thomas 2.2.q.1.a.4. & cum eo communiter omnes eius discipuli, & ferè cõmuniter Theologi: quos fusè citat Lorca 2.2.disp.12. 30 *D. Thomas.* *Lorca.*

Probatur Primò, ex Scriptura, quia ad Rom. 1.v.5. & Act.6.v.7. credentes dicuntur obedire fidei; obedire autem expresè significat actum voluntatis. Et quamuis hic actus voluntatis non sit propriè actus obedientiæ, est tamen hac ex parte ei similis, vt dicam dub. 6. Item 2.ad Corinth.10.v.5. fideles dicuntur intellectum redigere in captiuitatem in obsequium Christi; *Rom 1. Actor. 6.* *2. Cor. 10.*

Christi; quibus verbis apertè significatur illum à voluntate quasi captiuum trahi, in assensum
Rom 10. fidei. Hinc etiam ad Rom.10.v.11.dicimur corde credere ad iustitiam, cor autem inuoluit actum voluntatis.

31 Secundò, ex Patribus nam August. tract.26.
August. in Iohannem ait: *Multa potest facere homo non volens, credere autem non potest nisi volens.* Et de Spiritu & lit.c.32. *Sed consequens est*, inquit, *paululùm quærere vtrùm voluntas, qua illa credimus, etiam ipsa donum Dei sit.* Vbi apertè docet, nos credere per voluntatem; quod nequit intelligi nisi de voluntate imperante assensum fidei. Item
Ambros. Ambrosius super illud ad Rom.4. *Ei autem qui operatur*, &c. *Aut credere*, inquit, *aut non credere voluntatis est.* scilicet actum fidei imperantis.

Arausic. Tertiò, ex Arausicano c.5. vbi ait: *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus qui iustificat impium*, &c. Vbi docet, initium fidei esse ipsum credulitatis affectum, quo scilicet affectu
August. credimus, vt docet S.Augustinus suprà. quod aliter nequit intelligi, nisi quia hic affectus imperat fidem: quomodo enim aliter possumus per eum affectum credere?

32 Probatur Quartò, quia actus fidei est liber: atqui non potest esse liber secundùm se siue intrinsecè, sed solùm ratione voluntaris, qua imperatur: ergo debet ab hac imperari. Minorē fusè probaui disp.2.dub.4.concl.2.vbi ostendi solam voluntatem esse formaliter liberam.

Maior probatur: quia credere, aut non credere imputatur homini ad virtutem aut vitium;
Iohan 20. hinc Iohan.20. dicuntur beati qui crediderunt
Marci vlt. & non viderunt. Et Marci vltimo discipulis exprobratur incredulitas. Et ad Rom.10. dicitur, *Corde creditur ad iustitiam.* Idem expresè
Trident. docet Trident.sess.6.c.6.vbi ait: *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera esse quæ diuinitus reuelata*, &c.
S.Iremæus. Item Irenæus l.4.c.62. *Non tantùm*, ait, *in operibus; sed etiam in fide liberum & suæ potestatis arbitrium homini seruauit Deus.* Idem docet S.Am-
Ambros. brosius suprà.

Probatur Quintò ratione, quia obiectum fidei formale est omnino obscurum, scilicet diuinum testimonium non visum: ergo non potest determinare intellectum ad assensum: quia hic nequit determinari ab obiecto nisi euidens sit, vt patet experientia: ergo debet moueri à voluntate.

33 Vt hæc clariora sint, Nota obiectum aliquod
Obiectum potest se tripliciter habere ad intellectum. respectu nostri intellectus tripliciter posse se habere. Primò, ita vt propter euidentem omnino veritatem ipsum penitus conuincat, eique quasi vim inferat, cui nequeat resistere, eumque ita necessitet assentiri. Secūdò, ita vt nulla omnino probabilis ratio appareat mouēs ad assen-
Intellectus sine ratione saltem probabili nequit moueri ad assensum. sum; & tunc ei nequit assentiri, quia cùm id nulla ratione ei obiciatur vt verū, nequit id intelligere vt verum: sicut voluntas nequit amare id quod ei non objcitur vt bonum. Tertiò, medio modo, ita vt appareat quidem ratio aliqua assentiendi, obscura tamen & quæ intellectum non conuincat, nec etiam ex se sufficiens eum determinet ad assensum; & tūc indiget determinari à voluntate, quę eum fortiter applicat, vt illam rationem valdè apprehēdat, eaq; ad assensum moueatur, & sic in assensu fidei voluntas mouet intellectum, vt fortiter apprehendat testimonium Dei, eoque ad assensum moueatur. vide dicta disput.9.n.73.& 74. Ex quibus patet hanc sententiam omnino certam esse, nec vllo modo negari posse.

Dices Primò, ad hæc omnia sufficere actū voluntatis quo volo credere res fidei fide humana 34
ob auctoritatē eorum, qui mihi eas annunciant. Sed hoc nullo modo dici potest; quia Patres & Concilia dum ad fidem requirunt actum volūtatis, non agunt de fide humana, sed de theologica. Secundò, quia, vt patet ex Arausicano citato, ad fidem requiritur affectus volūtatis, qui sit supernaturalis & donum Dei; & quo credentes in eum qui iustificat impium, ad regenerationē baptismatis perueniunt. quæ non possunt cōuenire illi fidei acquisitæ: quia per hanc nō peruenimus ad regenerationem. Tertiò, quia, vt patet ex dictis, assensu fidei liberè mouemur in Deū, disponimur ad iustitiam, ac meremur si iusti simus; quæ non possunt conuenire fidei humanę, sed theologicæ. Quartò, quia gratis asseritur potiùs requiri vllum actum voluntatis, quo imperetur illa fides humana, quàm quo imperetur fides theologica, cùm, vt ostendi suprà, in fide theologica propter obscuritatem obiecti formalis intellectus nequeat ab hoc determinari ad assensum, secùs verò esse in assensu fidei humanæ ostendam concl.4.

Dices Secundò, sufficere illum actum volun- 35
tatis quo applicamus intellectum vt cogitet de rebus fidei, & de rationibus quibus moueatur ad assensum. Sed nec hoc vllo modo dici potest. Primò, quia sic fides non esset libera nisi valdè remotè & impropriè, sicut actus scientiæ potest dici liber, quatenus est in mea potestate cogitare aut non cogitare de eius obiecto, & consequenter eū elicere aut non elicere; quod dictis Patrum & Conciliorum repugnat, qui dicunt fidem absolutè esse liberam, cùm tamen contrà, actus scientiæ potiùs dicatur necessarius quàm liber.

Fides non solùm remotè, sicut scientia, sed proximè est libera.

Secundò, quia inde sequeretur, quòd, quando nobis mysteria fidei nolentibus annunciarentur, ita vt non possemus de iis non cogitare, nos necessariò & nolentes possemus credere; quod repugnat dictis Patrum suprà citatis.

Tertiò, quia tunc intellectus deberet determinari ad assensum ab obiecto sibi proposito: quod est contra 5. rationem suprà allatam.

Conclvsio II. Voluntas nostra cōmuniter 36
in assensu fidei determinat intellectū nō solùm ad exercitium; sed etiam ad specificationē actus. hanc etiam tenent auctores citati pro priore cōclusione. vide Turrian.2.2.disp.29.dub.2. *Turrian.*

Probatur, quia tunc vna potentia aliā determinat ad specificationem actus, cùm eam ad vtramque partem ex se indifferentem mouet, vt potiùs eliciat assensum quàm dissensum: atqui hoc accidit communiter in nostro assensu fidei: ergo voluntas communiter mouet intellectum nostrum ad specificationem actus.

Minor

Intellectus potest articulis fidei sufficienter sibi propositis dissentire.

Minor probatur: quia communiter propositis obiectis fidei est in nostra potestate non solũ iis nõ assentiri, sed etiam dissentire. vt patet experientia in multis, qui obiectis fidei sibi sufficienter propositis, ita vt teneantur credere, & non credendo peccent, tamen propter malum voluntatis affectum positiuè discredunt, adhærentes pertinaciter suis contrarijs erroribus.

37 Angeli & quidam homines nequeunt dissentire articulis fidei.

Dixi, voluntas nostra communiter, &c. Quia credo contrariũ accidisse in angelis, qui propter euidentiã mysteriorum fidei in attestãte ita clarè videbant ea esse necessariò vera, vt non possent ijs dissentire. Idemque contingit quibusdã hominibus, qui quia ipsis aliqua euidenter reuelata sunt, aut aliam ob causam, habent quandam quasi euidentiam veritatis nostræ fidei, ita vt de ea dubitare nequeant. vide dicta disp. 11. dub. 2. conclus. 2. 3. 4. 6. liberè tamen hi eliciunt assensum fidei theologicæ, vt statim dicam.

38 Immediatè est in potestate voluntatis cohibere intellectũ ne assentiatur rebus fidei, non ita efficere vt dissentiat.

Vbi Nota, alia ratione esse in potestate voluntatis cohibere intellectum ne assentiatur rebus fidei: alia verò efficere vt iis positiuè dissentiat. Illud enim est immediatè in eius potestate, sed hoc non mouendo eum ad assensum: ad hoc verò requiritur vt intellectum applicet, vt excogitet rationes quibus apparenter ei persuadeatur obiectum fidei esse falsum, aut vt eiusmodi rationes sponte occurrentes fortiùs apprehendat quàm contrarias: nam intellectus, nisi adsit aliqua ratio, quæ eum ad hoc saltem apparenti probabilitate moueat, nequit alicui obiecto assentiri aut positiuè dissentire: & consequenter hoc nullo modo potest fieri, quamdiu adsunt rationes certò persuadentes assensum: quia tunc contrarias nequit apprehendere vt probabiles.

39 Qua ratione in angelis assensus fidei fit liber.

Conclvsio III. Tametsi angeli, atque etiam quidam homines, quibus immediatè clarè reuelata sunt mysteria fidei, non potuerint illis dissentire, atque adeò necessariò iudicarint ea esse vera, vt ostendi disp. 11. dub. 2. tamen liberè elicuerunt assensum fidei theologicæ, ideoque ad hoc egerunt motione voluntatis, qua intellectus ad exercitium actus determinaretur. Ita Turrian. disp. 29 dub. 4. & videtur communis sententia eorum qui tenent primam conclusionem: quia generatim ad assensum fidei requirunt motum voluntatis. Quamuis aliqui eorum negent angelos habuisse euidentiam in attestante, aut cum hac posse consistere fidem. quæ de re satis egi disp. 11. Probatur, quia, etsi dictis esset euidens res reuelatas esse necessariò veras, quatenus per claram & necessariam consequentiam deducebantur ex reuelatione clarè ipsis cognita: tamen hac ratione non mouebantur ad assensum fidei theologicæ; sed per hunc credebant illas immediatè propter testimoniũ Dei, etiam simili assensu creditum, idque multo firmiùs quàm vlla euidentia ijs dictas res poterat persuadere. Atque ita intellectu ferebantur in obiectum formale obscurum, & à quo non poterat sufficienter ad assensum determinari, ideoque indigebat determinari à voluntate. vide dicta disp. 11. n. 27. & 31. Et confirmatur. quia cùm tales credendo meruerint, actus eorum debuit fuisse liber, quia ad meritum requiritur necessariò actus liber: atqui, vt ostendi disp. 2. dub. 4. concl. 2. actus intellectus nequit dici liber, nisi quatenus imperatur à libera voluntate: ergo illorum assensus fidei à voluntate imperabatur.

Turrian.

40 Qua ratione fides humana aut opinio pendeat à voluntate.

Conclvsio IV. Assensus fidei humanæ aut opinionis absolutè non indigent actu voluntatis quo immediatè imperentur, nec communiter ita imperantur; possunt tamen affectu voluntatis iuuari, quatenus hæc potest mouere intellectum vt fortiùs illas rationes apprehendat, quæ illos assensus persuadent, eumque auertere ne consideret rationes contrarias; aut contrà potest efficere vt intellectus has rationes magis apprehendat quàm illas, atque ita moueatur ad dissensum.

Secunda pars patet experientia, & ab omnibus conceditur. Prior probatur: quia, etsi medium opinionis, aut fidei humanæ, non probet sua obiecta esse euidenter vera; tamen clarè probat ea esse euidenter probabilia; atque ita intellectus ab eius euidentia determinatur vt credat ea esse probabilia.

41 Argumentũ euidenter probabile determinat intellectũ ad probabilem assensum.

Antecedens probatur: quia sicut ratio euidenter certa facit suam conclusionem euidenter certam, ita ratio euidenter probabilis euidenter facit suam conclusionem probabilem, si nulla ratio contrarium persuadeat: ergo sicut quando habeo rationem euidenter certã, conclusio apparet mihi euidenter certa, ita quando habeo rationem euidenter probabilem, cõclusio apparet mihi euidenter probabilis; atque ita intellectum ad probabilem assensum determinat. Similiter quando vir aliquis fide dignus mihi dicit se scire hoc vel illud esse verum, clarè video illum hoc testari; item si nulla occurrat ratio, quæ persuadeat contrarium, apertè video eius testimonium hoc probabiliter probare, quia ratio docet me irrationabiliter factum credendo eum mentiri: ergo apertè video rem ab eo in his circumstantijs assertam, quantum hîc & nunc apparet, esse probabiliter veram, atque adeò intellectus ab euidentia obiecti determinatur vt credat eam esse probabilem.

Quomodo auctoritas humana faciat rem euidenter probabilem.

42 Differentia inter fidem diuinam & humanam.

Ex his patet Primò, esse magnam differentiam inter fidem diuinam ex vna parte, ac fidem humanam & opinionem ex alia parte; quia hæc nituntur suis mediis quatenus intellectui euidentia sunt, nec hic certiùs assentitur conclusioni, quàm eam puter per illa euidenter probari. Secùs est in fide diuina, quæ nititur medio siue obiecto formali obscurè credito; & firmiùs adhæret rei creditæ quàm vlla euidentia eam probet.

Patet Secundò, responsio ad argumentum Bañez allatum num. 28. negandum enim est assumptum; quia, etsi medium opinatiuum & testimonium humanum non efficiant suum obiectum euidenter verum; faciunt tamen vt opinanti aut credenti appareat euidenter probabile aut credibile; quod sufficit vt eum ad assensum probabilem determinet.

43 Differentia inter imaginationem & assensum.

Ad primum argumentum positum num. 26. Respondeo Aristotelem ibi solùm docere, nos sine vlla ratione aut apparentia veritatis posse pro

pro libitu quasuis res nobis tamquã veras imaginatione præsentes sistere, non tamen posse simili modo credere eas esse veras; quia ad hoc requiritur aliqua ratio quæ probet eas esse tales. Atque ita illa ratio solùm euertit opinionem Caiet. citatam n.29. nam fides non fertur in obiectum sine vlla omnino ratione.

Ad secundũ, nego hoc sequi: quia secundùm nostram sententiam fides diuina prærequirit rationes quæ euidenter probent sua obiecta esse verè ita credibilia sicut ipsa ea credit.

Ad tertium, nego consequentiam: quia D. Thom. ibi solùm docet, intellectum proponendo voluntati aliquod obiectũ sub certa ratione amabile, esse causam cur si velit illud amare, eliciat amorem talis aut talis speciei; quia nimirum actus voluntatis specificatur ab obiecto. cum quo optimè consistit, voluntatem alia ratione determinare intellectum ad specificationem actus, quatenus est causa cur potiùs moueatur illo obiecto formali ad assensum quàm alio ad dissensum, iuxta dicta n.38.

Qua ratione intellectus determinet voluntatem, & contrà ab ea determinetur.

Ad quartum, nego assumptum: nam etsi obiectum formale fidei moueat intellectum vt firmiùs ac certiùs assentiatur suo obiecto, quàm obiecto scientiæ; hoc tamen non prouenit ex ipsius obiecti vehementia in mouendo intellectum, sed ex maiore infallibilitate ipsius, & ex constanti imperio voluntatis, quo efficitur vt intellectus firmissimè suo obiecto adhæreat, vt fusiùs dicam disp.14.dub.5.

Ad quintum, nego consequ. quia intellectus non assentitur obiectis fidei propter illas rationes, sed immediatè propter testimonium Dei obscurè creditum.

Ad sextum, nego assumptum: quia ille actus voluntatis ac habitus ei respondens sunt vna virtus fidei, & nomine fidei intelliguntur, vt ostendam n.71.& 72.& disp.14.n.69.

44 Disputant hîc præterea aliqui, vtrùm Deus sine actione voluntatis possit per se immediatè determinare intellectum vt obiecto fidei sufficienter sibi proposito assentiatur. Et ratio dubitandi est; quia cùm voluntas moueat intellectum etiam ad specificationem actus, videtur habere rationem causæ formalis; Deus autem non potest defectum causæ formalis per se supplere. Sed hi auctores apertè errant: nam, vt patet ex dictis, voluntas non determinat intellectum per modum causæ vel obiecti formalis, (neque enim ipsa vllo modo subit rationem obiecti formalis) sed per modum causæ efficientis (sicut alias potentias mouet ad hunc actum potiùs faciendum quàm illum) scilicet immediatè mouendo intellectum ad vehementem apprehensionem, & consequenter ad assensum obiecti formalis fidei, sibi sufficienter propositi; cùm posset eum mouere, vt obiectum formale contrarium fortiùs apprehenderet, eique assentiretur, iuxta dicta n.38. Quare nullo modo videtur dubitandum, quin Deus sine actu voluntatis intellectum simili ratione determinare possit.

DVBIVM V.

An voluntas, qua assensus fidei immediatè imperatur, sit supernaturalis?

PRima opinio absolutè docet, sufficere volũtatem naturalem. Ita Scotus in 3.d.25.q.2.§. *Ideo dico.* vbi ait: *Et esto quòd requiratur motio positiua voluntatis* (scilicet ad eliciendum assensum fidei) *etiam sufficit voluntas ad sic mouendum in puris naturalibus.* 45 Scotus.

Secunda opinio docet, hanc voluntatem solùm esse supernaturalem secundùm modum. Ita sentiunt ij, quos citaui disp.4.dub.3.n.38.& quidam alij. Probatur Primò, quia illa voluntas dirigitur iudicio secundùm substantiam naturali: ergo est etiam secundùm substantiam naturalis. Secundò, quia potest quis velle elicere actum fidei ob honestatem merè naturalem: ergo potest eum velle elicere actu secundùm substantiam naturali. Tertiò, quia nec ex Scriptura, nec ex Patribus potest probari eam voluntatem esse supernaturalem in substantia. 46

CONCLVSIO I. Omnino certum est hãc voluntatem esse aliqua ratione supernaturalẽ. Hęc est iam communis, & videtur apertè definita in Concilio Arausic. c.5. vbi dicitur: *Siquis sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus qui iustificat impium, & ad regenerationem baptismatis peruenimus, non per gratiæ donum, id est per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis inesse dicit; Apostolicis dogmatibus contrarius approbatur.* Vbi absolutè definitur, nos non posse naturaliter & sine auxilio gratiæ habere eum affectum credulitatis, quo voluntas ab infidelitate ad fidem conuertitur, ipsum scilicet fidei assensum intellectui imperando. Quæ apertè falsa essent, si hæc voluntas posset naturæ viribus elici. 47 Arausic.

CONCLVSIO II. Hæc voluntas est supernaturalis in sua substantia. Ita Suarez in 3.p.tom.1. q.7.a.3. in commentario. Molina in sua Cõcordia disp.8. sub finem. vbi ideo ad hanc voluntatem requirit particularem habitum in voluntate: ideoq; eiusdem videntur sententiæ ij omnes, qui hunc habitũ ponũt, quos citabo dub.7. Probatur Primò, omnibus iis rationibus, quibus disput.4.dub.3. probaui, actus fidei, spei & caritatis esse supernaturales in substantia: nam illæ idem de hoc actu probant. nam Concilia & Patres ad hunc actum absolutè & simpliciter requirunt gratiam, docentque naturaliter, siue per solas naturæ vires nobis inesse non posse, vt patet ex Arausicano citato. nec requirunt hanc gratiam ad eum actum per accidens solùm ratione extrinsecæ alicuius difficultatis, sed per se & eodem modo quo eam requirunt ad assensum fidei. vt patet ex eorum verbis. 48 Suarez. Molina.

Item, vt ibidem ostendi, & docet D.Thom. 1.2.q.114.a.2. ideo actus nostri, quibus meremur vitam æternam, debent esse supernaturales in substantia, vt media sint fini proportionata: atqui dicta actio voluntatis in homine iusto est 49 D.Thomas.

verè

verè meritoria vitæ æternæ; imò quòd assensus fidei sit meritorius, solùm habet quatenus ab ea voluntate imperatur quæ per se meritoria est: ergo non minùs debet esse supernaturalis in substantia, quàm ipsa fides. Item sicut per assensum fidei homo secundùm intellectum eleuatur ad statum supernaturalem, ita etiam per illum actum eleuatur secundùm voluntatem: ergo vterque est eodem modo etiam supernaturalis. Et eodem modo omnia argumenta, quibus loco citato probauimus virtutes theologicas esse in substantia supernaturales, possunt huic conclusioni accommodari; nam eam æqualiter probant.

Assensus fidei solùm est meritorius quatenus à voluntate imperatur.

50 Probatur Secundò, quia si hæc voluntas solùm esset supernaturalis secundùm modum, ad eam eliciẽdam sufficeret illustratio intellectus, nec requireretur præterea distincta gratia in voluntate: atqui hoc est falsum: ergo & illud.

Maior probatur: quia posita illa sola illustratione intellectus, actus eum sequens, & per modum proponentis obiectum & dirigentis voluntatem ab ea causatus, sufficienter esset secundùm modum supernaturalis. Item illa illustratio efficiendo vt intellectus apprehenderet esse honestum & necessarium, siue valdè vtile mysteria fidei credere, sufficienter voluntatem incitaret vt vellet ea credere, & vt superaret omnem difficultatem, quæ aliàs in credendo occurreret. quod vel inde patet, quia experientia docet, pro diuersa obiecti apprehensione aliquam volitionem voluntati esse facilem, aut difficilem: atque adeò in rebus naturalibus sæpè videmus alterius commoda oratione ostendentis rem aliquam esse valdè vtilem, nec ita difficilem, alicuius voluntatem ita mutari ac roborari, vt sine difficultate eligat & aggrediatur id, quod priùs ob contrariam apprehensionem nullo modo sibi videbatur posse eligere aut aggredi. Quis igitur neget Deum posse sua illustratione efficere, vt intellectus tali ratione apprehendat obiectum fidei ac voluntati proponat, qua ipsa sine repugnantia excitetur vt velit per intellectum eidem assentiri?

Commoda apprehensio obiecti facilitat actum voluntatis.

Quo casu, si ille actus, vt sit talis, qualis ad assensum fidei theologicæ requiritur, non debeat secundùm substantiam esse supernaturalis, nulla potest excogitari ratio, cur sine vlteriore auxilio gratiæ voluntas nequeat eum elicere.

51 *Arausic.* *Ad eliciendum actum quo ijdps imperatur, requiritur gratia distincta ab illustratione intellectus.* *Mileuit.*

Minor probatur Primò, quia Arausicanum suprà expresè & speciatim dicit, nos ad illum affectum siue actum voluntatis eliciendum indigere gratia, eamque non vocat illustrationem intellectus, sed inspiratione Spiritus sancti corrigentem ipsam voluntatem, apertè ostendens hanc inspirationem ab illa illustratione distingui.

Probatur Secundò, quia Mileuitan. c. 4. eosdem errores refutãs, quos refutat Arausicanum, expresè distinguit gratiam requisitam ad illustrationem intellectus; qua veritas siue quid præceptum atque agendum sit prout oportet cognoscitur, ab ea qua voluntas ad id agendum incitatur ac roboratur. & vtramque gratiam generatim requirit ad omne præceptum, prout ad salutem expedit, implendum. Cùm igitur dum quis credit rebus fidei sibi sufficienter propositis, impleat fidei præceptum actu supernaturali, & prout expedit ad salutem (nam ille actus est aut conuersionis ac salutis initium in recèns conuersis, aut causa augmenti in ijs qui sunt in gratia) sequitur, eum secundùm definitionem Concilij indigere gratia non solùm in intellectu, sed etiam in voluntate.

Confirmatur ex August. l. de Gratia Christi c. 11. 12. 13. (ex quo hæc Concilia suas definitiones contra Pelagianos & Semipelagianos præcipuè sumpserunt) vbi ipse vtramque hanc gratiam distinguit, & ad fidem ac alia bona opera requirit: atque ita dici nequit alterutram sufficere. *August.*

Dices, Tam Concilium Mileuitanum, quàm August. illam gratiam quam præter illustrationem intellectus requirunt, vocant caritatem: ergo solùm requirunt distinctam gratiam in voluntate, ad actus caritatis. Respondeo, illa expresè generatim requirere hanc gratiam ad implenda præcepta, inter quæ vnum, & quidem ex præcipuis, est præceptum fidei; faciunt autem mentionem caritatis, ad quam constat nos indigere gratia, vt ab exemplo probent institutum; aut etiam generatim omnem voluntatem, qua præceptum aliquod ex pio in Deum affectu implemus, vocant caritatem; iuxta illud Christi Iohann. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Item quatenus omnis pius erga aliquem affectus generatim dicitur amor siue caritas; actus autem fidei ex pio erga Deum siue primam veritatem affectu imperatur. 52 *Iohan. 14.* *Omnis pius in Deum affectus potest generali ratione dici caritas.*

Ad primum argumentum positum n. 46. nego conseq. Quia per se loquendo, non est necessarium vt voluntas supernaturalis dirigatur intellectione supernaturali; vide dicta num. 18. Ad secundum, nego antecedens: quisquis enim elicit verum actum fidei, vult per hunc adhærere primæ veritati cuius auctoritate mouetur, quod in se honestum est, atque ita non mouetur honestate merè naturali: nam veracitas & testimonium Dei sunt supra naturam creatam. Quòd si auctores illius argumenti vocent obiectum naturale id omne quod naturali amore potest amari, sic fateor illam honestatem posse dici naturalem: sed sic neganda est consequentia; quia, vt ostendi suprà disp. 5. dub. 3. actus naturalis & supernaturalis possunt versari circa idem obiectum. Quare ex illo argumento solùm sequitur, ex affectu naturali posse imperari fidem naturalem; nullo tamen modo sequitur, illum affectum, quo de facto imperamus actum fidei ad salutem requisitum, non esse in sua substantia supernaturalem. Ad tertium, patet ex dictis: satis enim ostendi ex Patribus & Concilijs colligi, hunc actum esse supernaturalem in substantia: maximè adiunctis rationibus, quibus probamus actus fidei & caritatis esse in substantia supernaturales. 53

DVBIVM VI.

An illud imperium voluntatis sit specialis virtus ab alijs distincta, & an requirat particularem habitum infusum?

54 *Turrian.* PRimò, quidam recentiores apud Turrianũ disput.37.dub.4. docent, hunc actum non pertinere ad aliquam particularem virtutem. Primò, quia antiquiores Theologi non videntur hîc aliquam particularem virtutem agnouisse. Secundò, quia cùm S. Thomas sæpè faciat mentionem huius actus, numquam docet eum ad particularem virtutem pertinere: imò 2.2.q.4.a.7. vbi docet, fidem esse primam virtutem, cùm in quinto argumento sibi obiecisset in actu fidei actum voluntatis, quem perficit caritas, præcedere actum intellectus, & consequenter habitum caritatis debere præcedere habitum fidei, respondet, actum voluntatis præexigi ad fidem, non tamen præexigi actum caritate informatum. Quæ responsio non fuisset sufficiens, si putasset illum actum voluntatis pertinere ad particularem virtutem: debuisset enim hoc explicare. Confirmatur, quia D. Thomas ibid.a.5. docet, informem fidem non esse perfectam virtutem; quia, etsi habeat perfectionem debitam ex parte intellectus, non tamen ex parte voluntatis: ergo sentit huic non inesse habitum. Tertiò, quia ex contraria sententia sequeretur, actum reflexum, quo quis vult elicere actum internum, v.c. temperantiæ aut similem; item actum, quo quis vult elicere actum prudentiæ, pertinere ad particulares virtutes: hoc autem est absurdum: ergo & illud vnde sequitur. Quartò, ad amandum honestum in genere, non datur peculiaris virtus: ergo nec ad volendum elicere actum fidei. Quintò, quia ad imperandam fidem humanã non datur peculiaris virtus aut habitus in voluntate: ergo nec ad imperãdam fidem theologicam siue supernaturalẽ. Sextò, quia intellectio siue cognitio non habet ex se peculiarem honestatem, nec est per se expetenda; sed solùm quatenus est vtilis ad aliquem alium finem honestum: atqui assensus fidei est quædam cognitio: ergo non habet ex se peculiarem honestatem.

D. Thomas.

55 Secunda opinio docet, hunc actum pertinere ad obedientiam. Primò, quia dum credimus, dicimur obedire fidei, & captiuare intellectum in obsequium Christi, Actor.6.v.7. ad Rom.1.v.5. & 2. ad Corinth.10.v.5.

Actor.6. Rom.1. 2.Cor.10.

Secundò, quia D. Thom.2.2.q.4.a.7. cùm in secundo argumento obiecisset sibi assensum fidei prouenire à voluntate obediendi Deo, in responsione id non negat: & consequenter videtur id admittere.

D. Thomas.

Alij volunt hunc actum pertinere ad virtutem studiositatis, cuius est moderari appetitum sciendi. Alij eam referunt ad virtutem religionis, quos citat Turrianus suprà.

Turrian.

Vt autem hæc possimus definire, prius nobis disputandum est, an ipse assensus fidei contineat in se particularem honestatem, sicut ieiunium, eleëmosyna, similesque externi actus virtutum propriam siue specialem honestatem continent.

56 CONCLVS.I. Omnino dicendum est, assensum fidei continere in se particularem honestatem, sicut alij actus externi virtutum eam continent; ob quam honestè & laudabiliter potest per se expeti. Ita Bañez 2.2.q.1.a.4.dub.2. concluſ.1. vbi ait actum fidei formatum caritate esse meritorium, non solùm ab extrinseco, siue ratione relationis ad finem honestum extrinsecum; sicut actus scientiæ potest esse meritorius; sed ab intrinseco & ex proprio obiecto. Quod dici nequit, nisi ex proprio obiecto sit honestus. Eamdem tenent Auctores secundæ & tertiæ sententiæ, omnesque quos citabo concl. vltima.

Bañez.

Probatur Primò, quia ille actus qui per se laudabilis est, per se etiam est honestus & expetendus: atqui assensus fidei theologicæ est talis: ergo per se est honestus. Maior est clara, quia nihil potest per se esse laude dignum, quod secundùm se non est honestum. Minor probatur, quia fides sæpissimè in Scriptura singulariter laudatur; Matth.8. & Luc.7. Christus miratur & laudat fidem Centurionis; & Matth.15. laudat fidem mulieris Cananææ; Actor.6.vers. 6. laudatur in S. Stephano, quòd fuerit plenus fide. Item ad Hebræos 11. Apostolus totum caput insumit in laudanda fide antiquorum Patrum. Et similiter Patres passim supradictorum fidem miris laudibus efferunt: ergo fides est secundùm se laudabilis. Item quod alicui reputatur ad meritum & iustitiam, debet esse honestum: atqui illud conuenit fidei: ergo & hoc. Minor patet, cùm alibi sæpiùs, tum expressè Genes.5. & ad Roman.4. vbi dicitur: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.*

Matth.8. Luca 7. Matth 15. Actor.6. Hebr.11.

57 Idemque sæpiùs docet D. Augustinus, tum alibi, tum in epist.105. aliquanto post initium; vbi ait, *Sed nec ipsa remissio peccatorum sine merito est, si fides hanc impetrat: neque enim nullum est fidei meritum*, &c. & infrà: *Restat igitur vt ipsam fidem vnde omnis iustitia sumit exordium*, &c. Et deinde docet, fidem debere dici gratuitum Dei donum, nec posse præcedere gratiam, sed eam necessariò sequi, quia aliàs gratia daretur ex meritis. Additque etiam ipsam fidem, cùm sit meritoria, inter bona opera computandam esse.

Augustin.

Vbi Nota, D. August. ibi refutare eos qui distinguentes fidem ab alijs operibus bonis, fatebantur ad hæc omnia necessariò prærequiri gratiam; hanc tamen dari credentibus proprio arbitrio; atque ita fidem præcedere omnem gratiam. In quo errore ipse etiam Augustinus aliquando fuerat ante sacerdotium: vt patet ex c.3.l.1. de Prædest. Quare cùm hîc fidei tribuit meritum, vocatque eam opus bonum & initium iustitiæ, accipit fidem prout distinguitur ab omni alio opere bono, & consequenter ipsam fidem secundùm se vult esse opus bonum & meritorium, aut de condigno aut de congruo, secundùm statum operantis.

58 Dices, hæc omnia dici de fide ratione affectus honesti, quo imperatur & in finem honestum refertur. Sed contra Primò, Per illum affectum

fectum vel imperatur assensus fidei propter honestatem sibi intrinsecam, sicut per temperantiam imperatur ieiunium; & sic erit intrinsecè & propria honestate honestus: vel solùm appeti potest propter finem extrinsecum honestum; & sic fides non magis erit laudabilis, meritoria, aut reputabilis ad iustitiam, quàm ambulatio, aut matheſis, similisúe scientia. quod apertè Scripturæ, Patrumque testimonijs repugnat, qui longè aliter eam laudant, quàm possit matheſis iure laudari.

59 Ex eo quòd aliquod opus in Scripturis laudetur, recte colligitur secùdum se esse bonũ.

Secundò, quia inde sequeretur, ex eo quòd aliquod opus in Scripturis multùm laudetur, ac nobis commendetur ac suadeatur, nos non posse colligere illud secundùm se esse honestũ; sed solùm ex se esse indifferens, siue non malum, atque ita tale, quod ad honestum finem possit referri: hoc autem apertè absurdum est: ergo & id vnde sequitur.

Maior patet, quia secundùm illam responsionem ex eo quòd fides ita laudetur, non colligitur eam secundùm se esse honestam ac opus bonum; sed solùm quòd possit referri ad finem honestum, & sic denominatione extrinseca esse honestam: quod omni operi externo ex se indifferenti conuenit. Minor probatur, quia ex eo quòd voluntaria paupertas & perpetua castitas in Euangelio laudentur ac commendentur, optimè omnes Catholici contra nostros hæreticos colligunt ea habere propriam honestatem, siue ea secundùm se esse honesta & expetenda; quæ tamen collectio secundùm aliam sententiam esset falsa, nec ex Euangelio magis possemus probare dicta opera secundùm se esse bona & honesta, quàm ambulationem secundùm se esse bonam; quia etiam hæc relata ad finem bonum est bona.

60 Tertiò, quia D. Augustinus suprà docens fidem esse opus bonum & meritorium, ac initium iustitiæ, expresè loquitur de fide, prout distinguitur ab alijs operibus bonis, tam internis quàm externis, vt patet ex dictis; quod tamen esset falsum secundùm aliam sententiam: quia secundùm eam fides secundùm se sumpta non esset opus bonum; sed solùm ratione alterius actus boni, quo ad finem extrinsecum honestum refertur.

61 Quãdo actus externus pertineat ad eandem virtutem cum interno, & sit simpliciter actus virtutis, & quãdo non.

Vbi Nota, quando actio externa habet propriam honestatem & propter eam expetitur, tunc actum internum & externum simpliciter pertinere ad eamdem virtutem, & constituere actum simpliciter & absolutè vnum in ratione virtutis; vnde etiam externus actus tunc dicitur meritorius & honestus simpliciter & sub proprio nomine, & quatenus ab omni alio opere distinguitur. v.c. impero mihi actum externum temperantiæ ex virtute temperantiæ; etsi hic actus externus non sit formaliter honestus & meritorius, nisi ratione actus interni; tamen secundùm se, & quatenus est actus temperantiæ, & ab omni opere alio bono distinctus, dicitur simpliciter & absolutè meritorius ac honestus. secùs autem est quando externus actus imperatur ob finem honestum extrinsecum, siue secundùm se sit honestus, siue non. Vt si imperem mihi actum externum temperantiæ, aut aliquam actionem ex virtute religionis, siue vt possim melius ieiunus aut in templo orare. tunc enim hi actus non sunt propriè meritorij & honesti, quatenus sunt actus temperantiæ aut itio, & distincti ab alio opere bono; sed quatenus sunt actus religionis: & consequenter ratione operis boni distincti ab opere temperantiæ & ambulationis, siue itionis.

Idemque secundùm aliam sententiam dicendum esset de actu fidei. nam secundùm eam fides solùm esset honesta & meritoria ratione alterius operis ad distinctam omnino virtutem pertinentis: v.c. ratione actus spei, caritatis, religionis, aut alterius virtutis à quo imperaretur. & consequenter non esset bonus quatenus est actus fidei, nec eam eliciens propriè mereretur per actum fidei, sed per actum religionis, aut caritatis, &c. nec credens esset absolutè laudandus propter fidem, siue quia credit; sed propter actum religionis aut caritatis, siue quia credit ex affectu caritatis aut religionis. Sicut vadens ad templum orandi causa, non laudatur propriè quia ambulat, sed quia orandi causa ambulat, nec propriè & per se laudatur in eo ambulatio, sed desiderium orandi. 62

Secundùm nostram verò sententiam voluntas imperat assensum fidei propter propriam honestatem, & ita vterque actus, tam voluntatis quàm intellectus, est simpliciter vna virtus & actus fidei: & vterque qua actus fidei, est honestus & meritorius. hinc Patres & Concilia, (& ex eorum imitatione communiter etiam Theologi) vtrumque actum vocant actum fidei, & dicunt nos per vtrumque actum credere. vt expresè patet ex Arausicano citato n. 47. vbi ait, *Ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus*, &c. ostendens nos ipso affectu credere. Similiter Augustinus de Spiritu & lit. c. 32. *Sed consequens est paululùm quærere vtrùm voluntas, qua illa credimus, etiam ipsa donum Dei sit.* Quæ omnia falsa essent secundùm aliam sententiam: nam sicut actus religionis imperans ambulationem aut ieiunium, non potest dici ambulatio aut actus temperantiæ; ita actus alterius virtutis imperans assensum fidei ob finem huic extrinsecum, nequit dici actus fidei. 63

Patres & Cõcilia actum voluntatis vocant fidẽ, dicuntque nos per eum credere, quia fidem imperat. *Arausic.* *Augustin.*

Probatur concluſ. Secundò, quia id, quod per se directè ad honorem Dei spectat, per se est honestum & laudabile: atqui assensus fidei est talis: ergo per se est honestus & laudabilis. Maior clara est; quia sicut non potest non esse honestum honorare Deum, ita non potest non esse honestum id, quod per se & directè est honoratiuum Dei. Minor probatur, quia per assensum fidei subijcio absolutè meum iudicium auctoritati Dei, eius testimonio firmissimè adhærendo, atque ita implicitè testor eum esse primam veritatem, cuius testimonio plus debeas credere, quàm vlli euidentiæ, quæ naturaliter haberi possit: quod per se patet ad honorem Dei spectare, sicut ad honorem alicuius hominis per se spectat, si ipsius testimonio plus credam, quàm testimonijs multorum aliorum, aut etiam proprio meo iudicio. Et confirmatur: quia sicut per se honestum est laudare Deum, ita etiam per se honestum est explicitè dicere siue 64

ue testari Deum esse primam veritatem, cui firmissimè in omnibus debeas credere; quia hoc est laudare Deum: ergo similiter per se honestum est implicitè id testari, prout facit qui assensum fidei elicit.

65 Probatur Tertiò, quia sicut per se & intrinsecè homini honestum est subijcere suam voluntatem diuinæ, huic contra propriam inclinationem obediendo; ita eidem per se & intrinsecè honestum est subijcere suum iudicium diuino, Dei testimonio firmissimè contra propriam inclinationem credendo, atque ita intellectum in obsequium fidei captiuare. Item sicut per se homini honestum est per voluntatem summo bono firmiter adhærere, ita eidem per se honestum est summæ veritati per intellectum firmissimè adhærere; est enim par in vtroque ratio: atqui per assensum fidei Dei iudicio ac testimonio meum intellectum ita subijcio, & summæ veritati firmissimè adhæreo: ergo talis assensus per se & intrinsecè est honestus.

66 Dices, hinc solùm sequi, assensum fidei esse honestum, quatenus elicitur vt per eum nostrum intellectũ subijciamus diuinæ auctoritati, ac primæ veritati firmissimè adhæreamus, secùs autem esse de eo assensu quatenus est præcisè quædam cognitio; quod alij solùm contendunt. Confirm. quia, vt dicitur Iacobi 2. dæmones habent fidem: ergo hæc non est actus virtutis. *Iac. 2.*

Respondeo, vt assensus fidei sit in se intrinsecè honestus, non est opus quòd sit honestus quatenus est quædam cognitio in genere (nam nec actus caritatis est honestus quatenus est quædam volitio in genere) sed sufficit quòd sit honestus quatenus est cognitio talis speciei, qua dicta ratione intellectum diuinæ auctoritati subijcimus, ac primæ veritati firmissimè adhæremus; quod fides ex se ac intrinseca sua ratione habet. Ad confirm. Resp. dæmones non habere fidem propriè dictam: vt ostendam disput. 27. dub. 2.

Ex his patet hanc conclusionem esse omnino euidentem & certam; nec eam negari posse, nisi improbemus communem modum loquẽdi Theologorum, Patrum, Conciliorũ, ac ipsius Scripturæ, vt patet ex dictis. atque adeò non video quomodo contrarium possit rationabiliter defendi, præsertim cùm nullo nitatur fundamẽto, vt patebit in solutione argumenti sexti; vnde etiam non memini me videre auctorem impressum qui eam neget, quamuis quidam aliqua parum ei consona doceant. hac autem conclusione posita reliquæ videntur euidenter sequi.

67 Conclvsio II. Actus voluntatis quo assensus fidei propter se, siue sine vlla relatione ad finem extrinsecum imperatur, habet specialem honestatem. hanc tenent Bañez & Auctores citandi pro 6. concluſ. & sequitur apertè ex concluſ. 1. Quia omnis actus voluntatis, qui fertur in obiectum specialiter honestum, qua tale est siue propter se, habet specialem honestatem: atqui actus voluntatis quo assensus fidei propter se imperatur, est talis: ergo habet specialẽ honestatem. Maior clara est, quia, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 18. a. 2. & cũ eo cõmuniter Theologi, actus morales accipiunt speciem bonitatis aut malitiæ ab obiectis. Minor etiam apertè sequitur ex concl. prima. Quia cùm assensus fidei habeat specialem honestatem, quatenus per eum firmissimè adhæremus primæ veritati, subiiciendo ei nostrum iudicium; voluntas quæ eum vt talem propter se imperat, necessariò fertur in eum qua specialiter honestum. *Bañez.* *D. Thomas.*

Conclvsio III. Hic actus voluntatis non est propriè studiositas, nec ad hanc virtutem propriè pertinet. Probatur, quia studiositatis est moderari appetitum discendi, ne vel nimius sit vel nimis remissus; sed per eum actum voluntatis non moderamur appetitum discendi res fidei, nec etiam per eum cupimus has moderatè aut etiam simpliciter discere: sed hic actus supponit nos iam sufficienter res fidei didicisse, inclinatque intellectum vt iis sufficienter per studium cognitis immediatè ob Dei testimonium assentiatur. Quare studiositas solùm moderatur appetitum discendi mysteria fidei, vel ea legendo vel ab alijs audiendo, aut notas fidei examinando, ne in his nimii aut nimis remissi simus. 68 *Studiositatis officium.*

Dices, Voluntas potest peccare, aut nimis leuiter imperando assensum fidei sine sufficienti euidentia credibilitatis obiecti; aut nimis tardè eum imperando posita sufficienti euidentia credibilitatis: ergo virtus studiositatis debet illud imperium moderari. Respondeo negando consequentiam; quia in neutro ex dictis casibus voluntas peccabit contra studiositatem, sed contra prudentiam: cuius est dirigere voluntatem ne nimis leuis aut tarda sit in credendo: & consequenter peccabit contra virtutem fidei, quæ nos obligat vt prudenter credamus, & cõsequenter nec nimis leuiter, nec nimis tardè. Potuit tamen antè peccasse contra studiositatem nimia negligentia in rebus fidei addiscendis; sed hoc peccatum est distinctũ ab eo, quod committit nimis leuiter vel nimis tardè credẽdo. Sicis qui nimis leuiter credit rem aliquam esse suam, & vt talem eam consumit, cùm sit aliena, potuit antea peccasse cõtra studiositatem negligendo veritatem addiscere; præcisè tamen ita credendo peccat solùm immediatè contra prudentiam, & consequenter contra iustitiam, quatenus imprudens ille assensus est causa actus iniusti. Idemque etiam est in materijs speculatiuis: nam qui nimis leuiter assentitur alicui opinioni, non peccat contra studiositatem; imò fieri potest, vt sufficiens & quantum studiositas exigit studium veritati cognoscendæ adhibuerit, & non potuerit tamen eam cognoscere, aut sufficientes rationes reperire ad prudenter siue rationabiliter assentiendum illi opinioni, cui imprudenter siue irrationabiliter assentitur. 69 *Citiùs, aut tardiùs quã debeat credens peccat propriè contra prudentiam ac virtutem fidei.* *Communiter tamen prius peccauit contra studiositatẽ.*

Conclvs. IV. Hic actus non est propriè actus religionis, aut obedientiæ: quia religio fertur in actum externum, quatenus hic est quædam attestatio honoris Deo debiti, siue exhibitio cultus Deo debiti. Item obedientia vult aliquem actum, quia præceptus est; dicta autem voluntas non imperat assensum fidei, quia est attestatio siue exhibitio cultus Deo debiti, aut qua- 70 *Quare illa voluntas nõ fit religio, aut obedientia.*

quatenus est impletio præcepti; siue vt cultum Deo debitum exhibeat, aut præceptũ impleat: sed vt primæ veritati adhæreat, idque propter propriam honestatem, quæ in hoc reperitur.

Nec refert, quòd hac ratione suo facto implicitè testetur Deo summam hac in parte reuerentiam deberi, eiusque præceptum impleat: quia hinc solùm sequitur, hunc actum esse materialiter actum religionis & obedientiæ: siue eum aptum esse, qui ex virtute religionis aut *D.Thom.* obedientiæ imperetur. vide D.Thom.2.2.q.4. a.7.ad 3.

Illud imperium est simile religioni & obedientiæ.

Est tamen hic actus vicinus virtuti religionis & obedientiæ. quia & per se cedit in cultum & honorem Dei, & est quædam implicita huius attestatio; & sicut per obedientiam subiicimus nostram volũtatem voluntati alterius, ita per fidem subiicimus nostrum intellectum alterius intellectui siue iudicio. hinc etiã Scriptura, vt patet ex dictis n.30. dicit nos per eum actum voluntatis obedire fidei. & quidam eam vocant obedientiam fidei.

71 Conclvs. V. Dictus actus voluntatis pertinet ad specialem virtutem distinctam ab omni virtute alia morali. Patet, quia, vt iam ostendi, fertur in obiectum sub speciali ratione honesta, distincta ab omni formali obiecto reliquarum virtutum moralium. Et quamuis, quia non fertur immediatè in Deum vt in obiectum, sed in ipsum assensum fidei, secundùm se spectatus non sit virtus theologica: tamen quia *Actus impetans assensũ fidei cẽsetur cum hoc vnus ac idem actus, & sub nomine fidei comprehenditur.* per se necessariò coniunctus est cum assensu fidei, & honestatem huic intrinsecam respicit, eumque tamquam moralis quædam forma in genere moris informat, ac ei rationem liberi & meriti tribuit: ideò vnus cum eo cẽsetur actus, ac eadem virtus; & ideò etiam à Scriptura, Cõciliis, Patribus, & antiquioribus Theologis nomine actus fidei intelligitur ac appellatur, ac tamquam ad virtutẽ fidei spectans recensetur.

72 Vnde etiam D.Bonauentura mox citandus, & quidam antiqui Theologi apud eum, vtrumque habitũ, tam quo elicitur actus intellectus, quàm quo elicitur actus voluntatis, dicunt esse vnum eumdemque habitum, qui sit in vtraque potentia. non quòd hunc habitum physicè loquendo velint esse vnum ac omnino simplicem (hoc enim claræ rationi, & eorum intentioni ac etiam contextui, & exemplis quæ adferunt apertè repugnat, vt patet apud D.Bonauenturam) sed quia moraliter & in ratione absolutæ virtutis est vnus idemque habitus, iuxta iam dicta.

S.Bonau. Qua ratione antiqui Theologi dixerint habitũ quo assensus fidei elicitur, & quo imperatur, esse vnum.

73 Conclvsio VI. Ad imperandum assensum fidei datur in voluntate specialis habitus infusus. Hanc apertè tenet Richardus in 3.d.23.a.6. q.1. dicens esse multorum sentẽtiam. verba eius sunt: *Dicunt enim multi, quòd ad hoc quòd intellectus eliciat actum fidei informem, non tantùm requiritur habitus existens in ipso, ipsum determinans ad actum credendi eliciẽdum, sed etiam aliquis habitus informis in voluntate ipsam determinans ad prædictum actum imperandum.* Quam sententiam ibi deinde ap- *Richard.* probat. Eandem apertè tenet S.Bonauentura ibid.a.1.q.2. dicens esse multorum doctorũ clericorum, licet ipse obscuriùs loquatur, dicens *Bonauent.* eundem fidei habitum simul esse in voluntate & intellectu. Sed quomodo intelligendus sit explicui n.72. Idem docet Alexander Alensis p.3.q.78.memb.3. vbi citans verba Hugonis à S.Victore l.1.de Sacramento fidei, p.10.c.3. docet, fidem secundùm substantiã esse in affectu, secundùm materiam in cogitatione. Vbi vterq; præcipuam rationem fidei, & quatenus habet rationem virtutis, ponit in voluntate. aitque Alexander multorum esse hanc sentẽtiam. Idem docet Molina in sua Concord. disp.8. Suarez 3. p.tom.1.q.7. in explicatione a.3. Lorca 2.2. disp. 25. Valentia ibidem disp.1.q.1.puncto 4.dub.1. in respons. ad 3.argumentum. Medina de Recta in Deum fide l.4 c.2. quamuis hi duo vltimi dicant hunc habitum esse virtutis obedientiæ, aut prudentiæ. quare in hoc à nobis dissentiunt. Eandem conclusionem nobiscum tenent multi recentiores.

Alensis. Hugo. Molina. Suarez. Lorca. Valentia. Medina.

Eadem omnino videtur sententia D.Thom. qui 2.2.q.4.a.2. expressè docet, ex eo quòd actus fidei procedat tam à voluntate imperante quàm ab intellectu eum eliciente, necessarium esse ad hoc ponere in vtraque potentia aliquem habitum: & videtur hic apertè loqui de habitu speciali, & ab aliis distincto, prout eum etiã intellexit Scot. in 3.d.25.q.2. nec vnquã alibi hoc negat, aut hunc habitum cum caritate confundit; quamuis aliquibus locis minùs explicitè loquendo dederit aliquibus occasionem id de eo suspicandi. Sed cùm hoc loco, vbi rem ex professo tractat, expressè dicat ipsam fidem ex se aliquem habitum requirere tam in voluntate quàm in intellectu; aperteque insinuet, sicut requiritur particularis habitus in intellectu, ita etiam particularem requiri in voluntate: licubi alibi ex occasione huius rei mentionem faciens obscuriùs loquatur, hæc verba potiùs per suprà citata explicanda sunt, quàm contrà. Ex quibus patet, hunc habitum non esse veteribus incognitum à recentioribus excogitatum.

74 *D.Thom.* *Scotus.*

Dices, antiquos requisiuisse quidẽ aliquem habitum in voluntate imperantem actum fidei, non tamen distinctum ab habitibus aliarũ virtutum. Sed hoc dici nequit: quia Auctores citati vocant eum habitum, vt Bonauentura; ac determinantem voluntatem ad imperandum assensum fidei, vt Richardus. quod nequit conuenire habitibus aliarum virtutum, quæ non determinant siue inclinant voluntatem nisi ad eliciendos actus sibi proprios. Item dicunt habitũ esse infusum, & manere informem in peccatore, vt patet ex Scoto & Richardo; quod secundùm omnes conuenit soli habitui fidei & spei. quare ad imperandum actũ fidei aut prærequirunt habitum spei, quod eorum verbis non congruit, nec videtur probabile; aut aliquem habitum particulariter pertinentem ad fidem: prout nos dicimus.

75 Probatur conclus. vna clara & firma ratione ipsius D.Thomæ loco iam citato: quia quando aliquis actus pendet à duabus potẽtiis, quarum vtraque est naturaliter impotens ad eum eliciẽdum, necesse est vt vtraque perficiatur siue eleuetur supernaturaliter vt fiat potens eum elicere: atqui in præsenti casu tam voluntas est naturaliter

raliter impotens vt eliciat actum imperantem assensum fidei diuinæ, quàm intellectus sit impotens hunc elicere: ergo sicut hic indiget perfici habitu infuso vt fiat intrinsecè potens elicere suum actum, ita etiam illa indiget infuso habitu vt ab intrinseco sit potens elicere suum actum. Minor patet ex dictis dub. 5. vbi ostendi illud imperium esse in substantia supernaturale. Quòd autem hic habitus debeat esse virtus specialis ac distinctus ab alijs habitibus voluntatis, patet ex dictis. quia, vt iam ostendi, eius actus est specialis virtus, & ipse fertur in obiectum formale distinctum ab omni obiecto formali aliarum virtutum voluntatis. Ex quibus secundùm communem sententiam sequitur, ipsum esse specialem virtutem: quia virtus ab obiecto suo formali sumit speciem.

76 Confirmatur, quia fides manet in peccatore etiam de salute desperante, in quo alij habitus infusi non manent: & consequenter sicut habitus intellectus, ita etiam habitus voluntatis manere debet, vt peccator fidelis sit intrinsecè potens elicere actum fidei: nulla est enim ratio cur dicamus talem potiùs debere manere secundùm intellectum intrinsecè potentem elicere actum fidei, quàm secundùm voluntatem. Si autem concedatur talem manere etiam secundùm voluntatem intrinsecè potentem elicere actum fidei, necessariò dicendum est eum retinere habitum proprium fidei in voluntate, præsertim si amiserit habitum spei: quia nullus alius habitus infusus in eo remanet.

Possent hæc pluribus probari, sed posita veritate conclusionis 1. & 2. siue quòd ille actus voluntatis sit specialis virtus, & in substantia supernaturalis, clarè sequitur, ad eum eliciendum ponendum esse habitum specialem infusum in voluntate, à quo eliciatur: quæ magis patebunt ex solutione obiectorum.

77 Ad primum argumentum positum n. 54. nego assumptum: est enim apertè falsum, vt patet ex dictis.

Ad secundum, nego assumptum; nam, vt ostendi num. 74. ipse satis apertè docuit nostram sententiam. Ad rationem allatam ex 2.2.q.4. nego ex dictis sequi, eius responsionem fore insufficientem: nam cùm argumentum solùm probaret caritatem debere præcedere habitum fidei, ad D. Thom. propositum sufficiebat ostendere hoc non sequi; an autem alius aliquis habitus infusus deberet poni in voluntate prius quàm in intellectu, non erat opus ibi expressè dicere; quia ad solutionem argumenti non erat necessarium, cùm sanctus Doctor ibi solùm vellet docere, nullum habitum infusum præcedere habitum fidei, sub quo comprehendit dictum habitum voluntatis, quem antiquiores communiter vocant habitum fidei. Ad confirm. nego consequentiam. nam ibi non agit de habitu requisito ad imperandum assensum fidei; sed de requisito vt ille possit dirigi in Deũ tam quam in vltimum finem, siue vt actus fidei possit habere statum perfectæ virtutis, & esse meritorius vitæ æternæ.

Ad tertium, nego vtramque partem maioris; quia ad eliciendum actum reflexum sufficit habitus, quo elicitur actus directus, si vterque ob eandem honestatem eliciatur: si alter autem eliciatur ob aliam honestatem, tunc sufficiet habitus virtutis, ad quam hæc honestas spectat, quia ille erit actus huius virtutis. vt, cùm volo elicere actum temperantiæ, vt placeam Deo, illa volitio est actus caritatis. Similiter cùm volo elicere actum prudentiæ, illa voluntas spectat ad virtutem circa cuius materiã actus prudentiæ versatur, cùm huius honestas sit ea ipsa honestas, ob quam ille actus prudentiæ est experendus: cùm enim actus veræ prudentiæ semper versetur circa materiam particularem alicuius virtutis, ad quam debitè appetendam naturâ suâ ordinatur, semper participat honestatem illius virtutis, & propter eam est intrinsecè honestè appetibilis.

78 Cur volitas eliciendi actum prudentiæ non sit specialis virtus.

Ad quartum, quidquid sit de anteced. nego consequ. Quia qui negant requiri particularem habitum ad volendum honestũ in genere, ideò id negant, quia in eo non reperitur particularis difficultas. In præsenti verò casu cùm hic actus habeat specialem honestatem, ideoque specialis sit virtus, & in substantia sua supernaturalis, habet singularem difficultatem, superant em voluntatis vires, ideoque speciali habitu indiget.

79

Ad quintum, nego consequentiam: quia, vt ostendi dub. 4. concl. 4. fides humana non indiget actu voluntatis, quo imperetur, nec est in substantia supernaturalis: cùm in vtroque contrarium dicendum sit de fide theologica.

Ad sextum, Respondeo Primò, etsi aliæ cognitiones non haberẽt peculiarem honestatem, id tamen falsum fore in actu fidei, vt ostendi concl. 1. Respondeo Secundò, multas etiam alias cognitiones, præsertim practicas, & quibus ea quæ ad Deum & præcipua mysteria fidei spectant, naturali cognitione sciuntur, esse etiam intrinsecè honestas: per se enim honestum & expetendum est hæc scire; nec video qua probabilitate hoc possit negari. Sed non est opus hæc pluribus probare; solùm addam hîc auctoritatem S. Augustini, qui lib. de Bono coniugali c. 9. initio expressè docet, sapientiam propter se expetendam esse, & doctrinam (qua animum docemur) expetendam propter sapientiam. si autem sapientia propter se experenda sit, patet ex se esse honestam, quia sola honesta merentur propter se expeti.

Multæ cognitiones habent specialem honestatem.

August. Sapientia per se expetenda.

DISPVTATIO XIV.

De actu siue assensu fidei, ijsq; quæ nobis credenda sunt.

DVBIVM I.

Quid sit fides, siue assensus fidei?

1 D. Thom. August.

D. Thomas 2.2.q.2.a.1. & q.4.art.1. adfert duas fidei definitiones: vnam ex D. August. l.1. de Prædest. c.2. vbi ait: *Quamquam & ipsum credere nihil aliud est, quàm cum assensione cogitare.* Secundam sumit ex Apostolo ad Hebræos 11. vbi dicitur: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Quas fidei definitiones siue descriptiones S. Thom. locis citatis fusè explicat, docetque priorem conuenire ipsi actui, vt etiam per se patet. Secundam verò attribuit ipsi habitui. Sed etiam hæc descriptio satis ipsi actui tam intellectus quàm voluntatis conuenit: nam res sperandæ in nobis subsistunt, siue sistuntur nobis quasi præsentes, ita vt à nobis sperari possint ratione actualis fidei, & voluntas imperans assensum fidei, loco argumenti siue claræ demonstrationis determinat intellectum, vt rebus non apparentibus assentiatur. habitus autem dicta facit, quatenus mediante vtroque actu res sperandas nobis præsentes sistit; & facit vt ijs firmiter adhæreamus. vide dicta disp.11.n.32. vbi dicta verba Apostoli fusiùs explicui.

Hebr. 11.

2

3 Fidei definitio.

Clariùs actus fidei definiri ita potest: credere est alicui assertioni propter alterius testimoniũ assentiri. Qua ratione complectitur tam fidem humanam, qua aliquid credimus propter testimonium hominis; quàm diuinam, qua aliquid ita credimus ob testimonium Dei, ita vt fides nostra hoc & præcisè & vltimò nitatur: iuxta dicta disp.9.dub.4.& 5. Posita autem hac definitione primùm nobis disputandum esset qua ratione assensus fidei sit supernaturalis; sed hanc difficultatem satis explicui disp.4. dub.3. vbi ostendi eum esse supernaturalem in substantia; quare ad alias difficultates explicandas iam pergam.

DVBIVM II.

Vtrùm assensus fidei theologicæ sit omnino supernaturalis ex obiecto formali?

4 VT sensus huius dubii clariùs intelligatur; Nota Primò, satis inter omnes constare, nos non posse naturę viribus sine vlla Dei reuelatione cognoscere mysteriũ Trinitatis, Incarnationis, aliaq; similia; atque ita hac ex parte fidem horum mysteriorum esse supernaturalem ex parte obiecti, quatenus hoc viribus naturæ sine Dei reuelatione non possumus cognoscere. qua ratione etiam Pelagiani cõcedebant fidem esse supra naturam, & nos ad eam indigere gratia, scilicet ipsa Dei reuelatione, vt ostendi suprà disp.4.dub.4.

Nota Secundò, satis constare, nos posita Dei reuelatione propter hominum aliquorum auctoritatem id testantium, aut quia videmus totam antiquitatem aliquid credidisse, aut ob alias notas fidei, aut rationes nobis euidentes, posse naturaliter credere rem aliquam à Deo esse reuelatam, & consequenter eam esse veram. Atque adeò satis constat, nos naturaliter posse credere mysteria fidei propter Dei testimonium ex notis fidei aut aliorum attestatione cognitum, ita vt nostra fides tandem vltimò nitatur auctoritate illorum hominum, aut cognitione euidenti ex notis fidei accepta hoc enim aperta docet experientia in hæreticis, qui saltem hac ratione multa vera mysteria fidei credunt propter Dei testimonium. Sed tota difficultas est, vtrùm posita Dei reuelatione possimus mysterijs fidei sufficienter nobis propositis, viribus naturæ assentiri, præcisè propter Dei testimonium, ita vt fides nostra hoc vltimò nitatur.

5

Qua ratione possimus naturaliter credere res fidei.

In quo consistat difficultas.

Quidam, quos citaui disp.5.dub.3. docentes actum supernaturalem in substantia necessariò differre obiecto formali ab actu naturali, id negant fieri posse. Primò, quia assensus fidei est in substantia supernaturalis: ergo debet habere formale obiectum omnino supernaturale, & omnino distinctum ab obiecto actus naturalis; quia, cùm actus specificentur ab obiectis, actus naturalis & supernaturalis debent habere diuersa obiecta formalia. Sed hanc rationem loco iam citato refutaui, vbi ostendi vtrumque actum posse habere idem obiectum formale. Mouentur Secundò, quia intellectus nequit naturaliter assentiri alicui propositioni, nisi habeat sufficientem rationem qua ad hoc moueatur: atqui auctoritas diuina obscurè reuelans secundùm se præcisè sumpta non est talis ratio: ergo intellectus nequit naturaliter propter hanc præcisè sumptam alicui propositioni assentiri; sed ad hoc indiget aliquo auxilio supernaturali.

6

Respondeo negando minorem: nam etsi auctoritas diuina obscurè reuelans non sit ratio sufficiens vt sine imperio volũtatis intellectum determinet ad assensum; si tamen sit alicui sufficienter per notas fidei proposita ac probata, ita vt appareat euidenter credibilis, iuxta dicta disp.13.dub.1. est sufficiens vt accedente voluntatis imperio, intellectum ad assensum moueat. vt infrà magis patebit.

CONCLVS. I. Verius est nos naturaliter posse assentiri mysteriis fidei præcisè propter diuinam auctoritatem obscurè reuelantem, atque adeò propter idem obiectum formale, propter quod assensu supernaturali iis assentimur: si, modò ea priùs nobis sufficienter sint proposita, ita eui-

7 Fides naturalis & supernaturalis possunt habere idem obiectum formale.

denter appareant credibilia, prout disp.13.dub. 1.dixi requiri, vt iisdem fide diuina possimus assentiri. Ita Sotus lib. 2. de Gratia c. 8. vbi fidem credentis sine gratia, ab ea, quæ procedit ex gratia, solùm distinguit in eo, quòd hæc necessariò sit firmior. & Molina in sua Concord. disput. 8. vbi plures alios citat. Et hanc sententiam necessariò tenent omnes ii, qui docent fidem theologicam tantùm esse supernaturalem secundùm modum: qui consequenter debent fateri eam non distingui obiecto formali, à fide naturali, aliàs necessariò specie distingueretur. inter quos est Caietanus 2.2. quæst. 171. a. 2. & alii.

Sotus. *Molina.* *Caietan.*

8 Probatur Primò, quia, vt iam ostendi, nulla est ratio qua probetur id fieri non posse.

Prob. Secundò, quia sicut volùtas potest efficere vt aliquas rationes aliàs leuis momenti intellectus vehementiùs apprehendat, & iis moueatur vt aliquid firmiter credat esse verum; ita potest efficere vt vehementer apprehendat auctoritatem Dei, & nos teneri firmissimè credere ea omnia, quæ prudenter iudicamus ab eo esse reuelata, & ita hunc mouere vt hæc propter eam firmiter credat. nulla enim hîc videtur ratio, cur hoc negetur; præsertim si talis non sit malè erga res fidei affectus, & nullam patiatur hîc & nunc tentationem contra articulum fidei sibi credendum propositum. Confirm. quia, vt ostendi disp. 9. num. 74 possum aliquid credere immediatè propter testimonium humanum obscurè creditum, ita vt fides mea hoc vltimò nitatur: ergo possum similiter aliquid credere propter testimonium Dei; nec enim est vlla ratio cur ceteris paribus non possim tam moueri ad assensum testimonio Dei, quàm hominis.

9 Probatur Tertiò, quia hæreticus credit Deum esse trinum præcisè quia Deus hoc reuelauit: atqui hoc ipse credit fide merè naturali, & consequenter naturæ viribus: ergo hoc fieri potest. Minorem etiam aduersarij communiter concedunt; sed negant maiorem, & aiunt hæreticum non credere illud propter diuinam reuelationem, ita vt eius fides hac vltimò nitatur; sed ob alia aliqua argumenta, quibus sibi persuadet hoc à Deo reuelatum esse, quibus eius fides vltimò nititur.

Hæretici etiam quędam credùt præcisè propter auctoritatẽ Dei.

Sed contrà, Talis firmiùs credit illud mysterium esse à Deo reuelatum, quàm vlla argumenta humana hoc ei persuadeant. quia talis sæpè est paratus negare potiùs alias veritates, quæ ipsi euidentiores apparent, quàm illud mysterium esse à Deo reuelatum, quod tamen ei est minùs euidens: ergo credit hoc immediatè propter auctoritatem diuinam: quia hæc sola potest ei esse sufficiens ratio hoc tam firmiter credendi.

10 Dices, eum hoc tam firmiter credere propter argumenta humana, quia voluntas facit intellectum his tam firmiter adhærere. Sed cõtrà, Si volũtas possit efficere vt intellectus illud mysterium tam firmiter credat propter rationes humanas, cùm tamen nulla ratio suadeat id tam firmiter propter eas rationes esse credendum; cur poterit id ita credere præcisè propter diuinam auctoritatem, cùm aperta ratio suadeat id ita esse credendum?

Confirmatur, quia talis sæpè propter aliquas occurrentes rationes quæ ei apparent euidentiores illis, quæ probant illud mysterium à Deo esse reuelatum, & videntur probare illud mysterium esse impossibile; patitur in intellectu difficultates in credendo, & tamen ex imperio voluntatis persistit in fide istius mysterii: ergo ad hoc mouetur præcisè propter auctoritatem Dei reuelantis. Quia cùm rationes quæ probant huius mysterij credibilitatem, appareant eiminùs euidentes, quàm contrariæ; nulla potest esse ratio cur illis magis moueatur ad assensum, quàm his ad dissensum. Item cùm voluntas non magis moueatur illis rationibus, quàm his; nulla est ratio, si diuinam auctoritatem amoueas, cur intellectum potiùs impellat, vt illis magis moueatur quàm his. Imò hoc efficere nequit, nisi simul efficiat vt illas apprehendat esse euidentiores aut firmiores quàm has, cùm tamen in nostro casu contrarium fiat: nam cùm hic propter rationes fidei repugnantes patiatur in intellectu difficultatem in assentiendo, signum est eum intellectu magis apprehendere rationes contrarias fidei, & has secundùm se sumptas, & secluſa diuina auctoritate apparere ipsi firmiores iis, quibus veritas fidei probatur. 11

Quòd autem eiusmodi rationes fidei contrariæ sæpè occurrant hæreticis credentibus aliqua vera mysteria fidei, patet, quia Catholicis sæpè occurrunt, & quidem cum tanta apparentia euidentis veritatis, vt nullis rationibus contrarijs, siue quæ veritatem fidei probent, possint earum vim sistere, & efficere vt intellectus plus his quàm illis moueatur; sed coguntur ad diuinam auctoritatem recurrere, eiusque apprehensione vt proprium iudicium abnegent sese inducere. Quare igitur negemus hoc idem hæreticis sæpè contingere? 12

Probatur Quartò, quia potest naturalis assensus fidei vltimò niti vt obiecto formali reuelatione diuina falsò putata subesse alicui propositioni: ergo potest etiam ita niti vera reuelatione. Patet consequentia, quia non potest ostendi maior difficultas in vno actu quàm in alio, nec vlla est causa cur vnum potiùs negemus quàm alium. 13

Antecedens probatur, quia, vt ostendi disp. 10. n. 76. & 78. fieri potest, vt Catholicus inuincibiliter iudicet rem aliquam falsam à Deo esse reuelatam, atque ita prudenter iudicet eam sibi, propter Dei testimonium putatum hîc & nunc subesse, credendam: & consequenter fieri potest vt voluntas intellectui imperet vt eam ita credat: quo casu hic assensus erit secundùm se merè naturalis (quia, vt ostendi loco iam citato, habitus fidei aut gratia nequeunt concurrere ad assensum falsum;) & tamẽ nitetur tamquam obiecto formali, testimonio Dei putatiuo, sicut vera fides nititur testimonio Dei vero (nam voluntas ex habitu supernaturali & per imperium verè meritorium & supernaturale, eodem modo imperabit hũc assensum, quo imperat alios, & intellectus eodẽ modo ex parte sua obediet

Catholici quandoque aliqua credunt propter auctoritatẽ Dei actu naturali.

diet ei in hoc imperio, sicut in alijs:) ergo assensus fidei naturalis potest vltimò niti tamquã obiecto formali testimonio Dei putatiuo, & consequenter etiam vero testimonio niti poterit.

Nec refert quòd dictus assensus non sit futurus verus assensus fidei; sed solùm putatitius, vt ostendi dubio suprà citato; quia, vt iam ostendi, siue hic assensus sit verus assensus fidei, siue non, eadem difficultas est in eo eliciendo; & consequenter eodem modo vterque naturæ viribus fieri potest, aut non potest.

15 Nec etiã refert quòd ille actus imperetur ab actu voluntatis supernaturali: quia dato semel quòd ille assensus secundùm se possit esse naturalis, facile erit probare eũ posse imperari à voluntate naturali: nam cùm ratio naturalis doceat obiectum illius voluntatis siue imperij esse per se expetendum (nam lumine naturæ clarissimum est esse honestum & expetendũ, ita propter Dei testimonium credere alicui propositioni, quam prudenter iudico à Deo esse reuelatã:) nulla est ratio cur voluntas, præsertim si nulla in contrarium tentatione pulsetur, non possit velle ita Dei testimonio credere, saltem in sententia eorum, qui docent nos naturaliter posse elicere aliquas actiones moraliter bonas.

16 Confirmatur, quia, vt dixi disp.7.dub.3. per actus supernaturales acquirimus habitum naturalem inclinantem potentiam ad eiusdem generis actus circa idem obiectũ formale eliciendos. Ponamus igitur aliquem Catholicum qui veris fidei actibus intensum eiusmodi habitum acquisiuit, fieri hæreticum discredendo vni alicui articulo fidei: hic amittet statim omnem habitum infusum; retinebit tamen acquisitum: hic propositis sibi veris fidei mysteriis, quæ adhuc credet, ab vtroque habitu acquisito tam voluntatis quàm intellectus inclinabitur, vt ea ita credat, sicut ea ante hæresim credebat. item cùm ad hæc credenda moueatur veris fidei notis, vt quia videt ea apertè haberi in Scripturis, ac à tota antiquitate apertè esse credita, prudenter ad ea credenda procedit: ergo poterit ea velle credere, atque adeò credet ob eadem motiua, ob quæ ea credebat ante hæresim; nulla enim apparet ratio hoc negandi. Et tamen cùm careat habitibus infusis, tam ipsius actus intellectus, quàm voluntatis, erunt naturales, nisi Deus singulari gratiæ concursu defectum habitus suppleat. quod nulla ratio nos cogit dicere: imò multò videtur verius tales numquam actus fidei supernaturales elicere, donec ab hæresi conuertantur.

17 Nota demum hactenus dicta maximè habere locum in iis, qui aut illa quæ iam iis proponuntur, aut saltem alia similia priùs vera fide crediderunt; atque ita habent aliquem credendi habitum, siue inclinationem vt testimonio Dei obscurè reuelanti credant. Nam in iis, qui primò ab infidelitate ad fidem conuertuntur, propter graues difficultates quæ in noua fide contra inolitas inclinationes acceptanda occurrunt, videtur semper requiri aliquod auxilium vere gratiæ, vt intellectus sufficienter res fidei apprehendat, & voluntas velit eas credere purè propter testimonium Dei, siue ex sincero erga primam veritatem affectu. Quamquam non sit opus vt ea auxilia sint, secũdùm substantiam supernaturalia, nisi vt actus fidei sit in substantia supernaturalis, & sufficiens ad inchoandam iustificationem. Sed hæc fusiùs disputare pertinet ad materiam de gratia. nobis autem ad præsens institutum sufficit assensum fidei non esse ratione sui obiecti formalis præcisè spectati necessariò supernaturalem in substantia.

DVBIVM III.

Vtrùm assensus fidei theologicæ sit necessariò honestus?

18 DOcuimus suprà disp.13. dub.6. assensum fidei theologicæ esse ex obiecto suo absolutè honestum: iam verò quæritur an sit essentialiter honestus, ita vt nulla ratione possit esse vitiosus?

Actus dupliciter vitiari potest.

Pro quo Nota, actum externum ex obiecto honestũ dupliciter posse vitiari. Primò, intrinsecè siue secundùm se ratione alicuius circumstantiæ, quæ efficit vt ipse hîc & nunc in se sit illicitus: vt si audias Sacrum quando teneris aliis intendere, aut quando tibi prohibitum est, vt tempore interdicti. Secundò, præcisè ratione intentionis, qua imperatur: vt si quis det eleëmosynam ex vana gloria.

19 Mouetur hîc igitur difficultas Primò, vtrùm ipsum imperium, quo assensus fidei imperatur, etsi ex se & suo obiecto sit honestum; possit tamen vitiari eò quòd imperetur ex alia mala voluntate. Quidam enim asserunt actum voluntatis ex obiecto bonum posse vitiari ex mala voluntate eam imperante. Sed hos satis refutaui disput.3.dub.10. vbi ostendi actum voluntatis imperatum non accipere vllam bonitatem aut malitiam ab actu imperante.

Actus voluntatis imperatus nõ accipit bonitatem aut malitiam ab imperante.

20 Secundò, vtrùm ipse assensus fidei supernaturalis possit imperari ab actu voluntatis malo, v.c. ex vana gloria, atque ita fieri malus. Caietanus enim 2.2.q.5.a.2. id affirmat, & probabilius putat Medina 1.2.qu.56.a.3. Probant Primò, quia D. Thomas loco iam citato docet, nos posse virtutibus intellectualibus non bene vti: fides autem est virtus intellectualis: ergo secũdùm D. Thomam possumus ea malè vti. Item ibidem qu.65.a.4. docet, fidem posse esse sine prudentia infusa; & 2.2.quæst.47.ar.13. ad 2. docet, fidem posse esse sine reliquis virtutibus, non tamen prudentiam; quia hæc in sua operatione dicit ordinem ad appetitum rectum, fides verò non: ergo fides potest esse sine appetitu recto, & consequenter potest imperari à praua voluntate.

Caietan. *Medinã.* *D. Thomas.*

Probatur Secundò, quia, vt docet D. Augustinus c.17.de Catechizandis rudibus: multi fiũt Christiani ob commoda temporalia, aut ex alia praua voluntate, & ex simili voluntate validè suscipiunt baptismum: ergo ex simili voluntate credunt. Tertiò, quia potest quis vti dono prophetiæ aut miraculorum ex mala voluntate: er-

Augustin.

go potest etiam credere ex simili affectu. Quartò, quia nulla potest assignari ratio cur potiùs possimus abuti reliquis habitibus speculatiuis quàm habitu fidei.

Cur habitu fidei potius maneat sine aliis virtutibus, quàm habitus prudentiæ.

21 Tertia difficultas est, vtrùm assensus fidei supernaturalis possit vitiari ex aliquibus circumstãtijs. Quidam apud Turrian. 2.2. disp.33. dub. 2. id asserũt. Primò, quia Deus potest alicui prohibere ne actum fidei eliciat, quo casu si eum eliciat, hic erit in se malus. Secũdò, quia potest is assensus esse nociuus sanitati, aut impeditiuus alterius operis præcepti. Tertiò, quia potest quis imprudenter hunc actum elicere ante sufficientem rei credendæ propositionem.

Turrian.

22 Quarta difficultas est, vtrùm assensus fidei naturalis, qua quis iuxta dicta dub. 2. credit præcisè propter Dei testimonium, possit aut ex circumstantiis vitiari, aut à mala voluntate imperari; pars enim affirmatiua videtur probari posse argumentis n. 21. allatis.

Quintò, tandem quæri potest, vtrùm quis possit actu vitioso credere mysteria diuina ob auctoritatem rationesque humanas?

23 Conclvs. I. Assensus fidei supernaturalis nullo modo potest imperari à mala volũtate. Ita Bañez 2.2.q.4.a.5.dub.2. Vasqu.1.2.disp.54.c.3. Turr. 2.2.disp.33.dub.1.& alij. & videtur omnino certa. Probatur, quia Arausic.c.5. apertè docet, voluntatem qua fides supernaturalis imperatur necessariò procedere à gratia: atqui impossibile est actum voluntatis malũ procedere à gratia: ergo ille actus voluntatis imperans fidẽ nequit esse malus. Minor prob. quia Deus est absolutè & simpliciter causa omnis actus procedentis à gratia, & quidem magis principalis, & cui ipse actus præcipuè vt causæ tribuitur: atqui Deus nullo modo potest ea ratione esse causa actus secundùm se mali, siue qui ex se, & non solùm denominatione extrinseca est malus, qualis esset ille actus voluntatis: ergo talis actus voluntatis non potest procedere ex gratia. Minor huius syllogismi probatur, quia per se videtur absurdum Deum esse causam cur hîc & nunc actus eiusmodi à me fiat siue eliciatur, quem sine peccato nequeo elicere, quia sic esset causa peccati: vt docet D. August. l. de Spiritu & lit. c. 31. vbi docet, Deum non esse causam omnis actus voluntatis: quia aliàs esset causa peccati. & l. 12. Confess. c. 11. docet, motum voluntatis malum non esse à Deo, quia hic motus peccatum est. quæ magis confirmabuntur concl. 4.

Bañez. Vasquez. Turrian. Arausic.

Actus malus nequit procedere à gratia.

August.

24 Ad primum argumentum politum num. 20. Respondeo D. Thom. 1 loco ibi citato, ab illis habitibus intellectualibus, quibus possumus malè vti, expresè excipere actum fidei, vnde ipse apertè pro nobis facit.

Ad secundum eius locum, Respondeo etiam spem posse esse sine prudentia infusa; & tamen inde non sequi eius actum posse esse malum; quare hic locus nihil facit ad rem. Ad tertium locum, Respondeo eum ibi non loqui de volũtate siue affectu imperante actum fidei, quem semper computat pro eodem actu cum ipsa fide, nec vllo modo velle hunc posse esse non pium; sed in hoc solo distinguere fidem à prudentia, quòd huius proprium sit dirigere volũtatem in bonis operibus aliarum virtutũ, ideoque requirit voluntatem erga omnes virtutes bene affectam, & consequenter vnà cum habitibus aliarum virtutum perditur; secùs autem est in fide, cuius est proprium inhærere primæ veritati ab hac reuelata credendo, ideoq; non habet necessarium ordinem siue connexionem cum affectu recto circa obiecta aliarũ virtutum.

Ad secundum, nego conseq. quia sine vera fide possumus susscipere baptismum, & exteriùs velle videri Christiani siue Christianam fidem profiteri: quod solùm vult Augustinus posse fieri ob dictas ibidem intentiones.

Ad tertium, quidquid sit de antecedente, nego conseq. quia voluntas vtendi dono prophetiæ aut miraculorum non est necessariò supernaturalis, sicut actus voluntatis, quo fides imperatur; ideoque non ita repugnat illam esse malam, sicut repugnat hanc esse malam. Externa autem patratio miraculi est secundùm se bona, sicut etiam prædictio rei futuræ ex dono prophetiæ, & in dicto casu essent solùm mala denominatione extrinseca, ratione voluntatis à qua imperantur; dictus autem actus voluntatis esset secundùm se malus. vide dicta suprà disp.3.dub.3.in fine.

Cur prophetia possit potius imperari à mala voluntate qui fides.

Ad quartum, nego assumpt. quia, vt iam ostendi, volũtas imperans actum fidei est necessariò supernaturalis, & consequenter bona; secùs est de voluntate vtendi alijs habitibus speculatiuis.

Conclvs. II. Fieri nequit vt quis eliciat assensum fidei supernaturalem ex aliqua circumstantia, aut aliũde in se malum. Ita Auctores pro 1. concl. citati. Probatur Primò, quia hic assensus necessariò procedit ex gratia: ergo nequit secũdùm se esse malus, vt patet ex dictis concl. 1. Secundò, quia aliàs voluntas eum eliciendi haberet malum obiectum, & consequenter esset mala: quod iam ostendi fieri non posse. 25

Dices, Talis poterit ignorare eum assensum esse hîc & nunc sibi illicitum: atque ita ex bona voluntate eũ velle elicere. Respondeo, etsi fortè ratione aliquarum circumstantiarum aliquãdo fieri possit vt alicui sit illicitum conari ad eliciendum actum fidei; in dicto tamen casu fieri non posse vt tali sit illicitum eum elicere, ita vt eius productio sit vel materiale peccatum. Vbi Nota cum P. Vasquez 1.2. disp.53.c.4. sub finem, actum fidei numquam secundùm se posse, aut à Deo prohiberi, aut aliter reddi illicitum, sed vt summum posse alicui hîc & nunc fieri illicitum eum elicere per accidens, ratione alicuius adiuncti, vt quia ratione vehementioris cogitationis circa obiecta fidei esset periculum lædendi sanitatem, aut quia volens eum elicere per eiusmodi contentionem fortè impediretur ab aliquo præcepto implendo, v.c. à sufficienti attentione in audiendis confessionibus, &c. quo casu ipse actus fidei propriè nõ erit prohibitus, sed solùm illa vehemens cogitatio ei coniuncta, qua siue benè, siue malè posita actus fidei erit licitus. Sicut si alicui illicitum esset audire Sacrum eò quòd nequeat sine periculo vitæ per plateas incedere, & consequenter nec templum adire; talis etsi peccaret adeundo tem- 26

Vasquez.

Actus fidei nequit secũdùm se esse illicitus.

templum, posita tamen illa additione non peccaret audiendo Sacrum.

27 Dices, Posito casu quòd aliquis non posset sine tali periculo adire templũ, posset Superior eiprohibere non solùm accessum ad templum, sed etiam immediatè ipsam Sacri auditionẽ: ergo similiter Deus posset ei cui ratione coniũctę illius attentionis esset periculũ lædendi sanitatem, aut omittendi actum præceptum, absolutè prohibere pro eo tempore elicere actũ fidei, ita vt talis immediatè peccet precisè eliciendo actũ fidei. Respondeo, negãdo conseq. Pro quo Nota, esse magnam hac ex parte differentiam inter actum fidei & auditionem Sacri: nam cùm hæc non coniũgat nos immediatè cum Deo, nec ad hanc coniunctionem sit medium absolutè necessarium, non habet tantam in se bonitatem, vt quouis tempore secundùm se spectata, & prout abstrahit ab omni incõmodo, quod ex ea sequi possit, sit ita expetibilis, vt eius cõtradictorium ratione alicuius circumstantiæ non sit melius; vt patet tempore interdicti, quo extra omne periculum incommodi, quod ex auditione Sacri sequi posset, hæc secundùm se fidelibus prohibetur, ita vt eius omissio secundùm se censeatur vtilis ad finem honestum, ideoque expetenda, atque ita hæc secundùm se præcipi potest, & auditio Sacri vetari.

Facilius potest prohiberi auditio Sacri, quàm assensus fidei.

28 Secùs est in actu fidei; qui cùm nos per se immediatè faciat Deo vt primæ veritati inhærere, & sit necessariũ medium vt possimus ei spe aut amore inhærere, ita in se est honestus & expetibilis, vt eius omissio nullo casu secundùm se sit abstrahendo ab eo, quòd sit necessaria ad vitandum maius incommodum, possit esse expetibilis, aut ad finem honestum vtilis: ideoque nec hæc secundùm se potest honestè præcipi, nec actus fidei prohiberi, nisi quatenus hîc ratione adiunctorum aliquo modo aduertitur esse causa notabilis alicuius incommodi; & consequẽter numquam secundùm se potest prohiberi ei, qui nulla ratione aduertit tale incommodum ex eo consequi. Vide etiam dicta disp. 3. n. 104. & 105.

Omissio actus fidei numquam secundùm se est expetibilis, aut præceptibilis.

29 Hinc patet responsio ad argumenta posita n. 21. Ad primum & secundum, Respondeo fieri non posse vt actus fidei aut secundùm se prohibeatur, aut vlla ratione eliciatur, quando aduertitur ratione circumstantiarum vlla ratione esse prohibitus. Ad tertium, nego assumptum: quia, vt ostendi, actus fidei necessariò imperatur à voluntate honesta quæ necessariò dirigitur prudenti iudicio.

30 Conclvs. III. Si aliunde non implicaret assensum fidei supernaturalem imperari à mala voluntate, ex eo precisè quòd Deus speciali cõcursu siue auxilio gratiæ ad eum concurrat, atq; ita sit absolutè, & quidẽ magis principalis ipsius causa, nullum oriretur impedimentum, quin ab homine ex mala intentione posset imperari, atque ita denominatione extrinseca esse malus. Ita expressè in simili docet Bañez 2.2. q. 5. a. 1. in respons. ad 1. §. *Et si quis*, &c.

Prob. quia, cùm ille assensus secũdùm omnia sibi intrinseca, etiam spectatis circũstantiis, quæ ipsius intrinsecam bonitatem afficere siue mutare possunt, sit honestus, & solùm inhonestus denominatione extrinseca, ratione malæ voluntatis, qua imperatur; Deus, qui tunc nullo modo esset verè causa illius malæ voluntatis, nullo etiam modo esset verè causa illius actus qua malus esset, siue quatenus haberet sibi cõnexam malitiam; sed is solus huius ita esset causa, qui esset causa illius malæ voluntatis. Confirm. quia possum honestè alicui suadere vt faciat aliquod opus ex se ac circumstantiis aliis bonum, eumq; in eo perficiendo iuuare. v. c. in danda eleëmosyna, aut sanando ægroto, etsi sciam eum hæc mala intentione facturum, modò non sim ei causa cur hæc mala intentione faciat, & hoc casu nullo modo possim censeri causa alicuius actionis malæ, qua mala est; cùm tamen speciali ratione concurram ad actionem ab alio mala voluntate imperatam. Et simile esset in Deo eo casu concurrente speciali concursu ad productionem illius actus fidei à mala voluntate imperati.

Licitè concurro ad actum, quem alius mala voluntate facit.

Conclvs. IV. Assensus fidei etiam naturalis si præcisè tamquam obiecto formali nitatur Dei testimonio, nequit imperari à praua voluntate. 31

Probatur Primò, quia tali assensu intellectus immediatè inhæret ipsi primæ veritati reuelanti per actum internum soli Deo secundùm se notum; quod nequit esse vtile, imò nec ab eo qui aliquo modo nouit qualis hic actus sit, nequit concipi tamquam vtile ad finem prauum: ergo voluntas nequit hunc actum tamquam medium vtile ad finem prauum eligere.

Assensus fidei esse vtilis ad malum finẽ.

Secùs est de actu siue professione fidei externa, quæ ab hominibus videri, & in eorum gratiam ex prauo affectu exerceri potest. Quãuis autem hæc ratio seiuncta ab aliis, non sit ita generalis, quin possit metaphysicus aliquis casus fingi in quo nihil probet; tamen valet in casibus, qui moraliter accidere possunt, & coniuncta aliis generatim videtur probare.

Probatur Secundò, quia, vt ostendi disp. 13. n. 33. & disp. 9. n. 73. & 74. intellectus ad talem assensum nequit moueri ab euidentia ipsius obiecti, nec est in volũtatis potestate quacumque ratione pro libitu intellectum ad hunc aliumúe assensum efficaciter applicare: sed vt imperet ei efficaciter eiusmodi assensum fidei, necessarium est quòd eum applicet, vt vehementer apprehendat auctoritatem primæ veritatis ac reuerentiam hac in parte ei debitam: item vt apprehendat hanc exigere vt rem sufficienter tamquam à Deo reuelatam sibi propositam præcisè propter eius testimonium credat. Cùm autem intellectus non despoticè (sicut potentia motiua) sed ciuiliter voluntati pareat, vt hæc illum inducat vt fortiter apprehendat diuinæ reuelationi propter se præcisè credendum esse, debet voluntas primæ veritati secundùm se actualiter bene affici: per actum autem quo assensum fidei refert ad malum finem, nullo modo afficitur bene erga primam veritatem, sed erga illum finem, in quem refert assensum fidei; & consequenter facit vt intellectus hunc magis apprehendat, quàm reuerentiam primæ veritati debitam. 32

Voluntas nequit intellectui imperare assẽsum nisi in certis circumstantiis.

Vbi Nota, ob connexionem potentiarum inter se intellectum naturaliter vehementer apprehendere ea, erga quæ voluntas vehementer afficitur, idque sub ea ratione qua hæc illis afficitur: hinc si aliquis alium multùm reuereatur ac amet, facilè inclinatur vt eius dictis credat. Quamuis autem hac in re aliquid efficiat habitualis affectio voluntatis, maximè tamen valet actualis. Et hac ratione voluntas ex vehemente pio affectu erga primam veritatem ac reuerentiam ei debitam inclinat intellectum vt eandem vehementer apprehendat, eique supra omnem rationem credat. Ex quo apertè sequitur, illum affectum voluntatis, ex quo eiusmodi apprehensio & assensus intellectus nata sunt sequi, debere esse talem, qua voluntas bene erga primam veritatem ac reuerentiam ei debitam afficitur: qualis nequit esse mala intentio.

33 Ex quibus patet, etsi fieri posset, quòd aliquis ex errore seriò apprehenderet vtile sibi esse elicere assensum fidei, propter finem malum; ex tali tamen affectu non posse immediatè sequi verum assensum fidei, qui vltimò Dei reuelatione nitatur. Et ex his etiam confirmatur prima conclusio, & prior ratio huius conclusionis.

Patet Secundò, hunc assensum necessariò etiam prærequirere prudens iudicium circa obiecti credibilitatem aliasque actus circumstantias; quia honesta voluntas, à qua necessariò imperatur, eiusmodi iudicium, vt eo dirigatur, requirit.

34 Conclvsio V. Nihil prohibet quo minùs voluntas mala applicet intellectum vt aliqua diuina mysteria credat ob auctoritatem humanam aut alias similes rationes: sicut enim hic assensus (vt ostendi disp.15. dub.4. concl.4.) non necessariò prærequirit aliquod imperium voluntatis, ita non necessariò pendet à voluntate bona; sed potest ex voluntate imprudente aut alia ratione mala sequi. Quia tamen hic actus aut vix aut fortè nullo modo potest elici ob malum finem, vix videtur posse imperari à voluntate alia ratione mala, quàm quia in eo imprudenter procedit.

DVBIVM IV.

Vtrùm fides sit certior quauis cognitione naturali?

35 *Durandus.* Dvrandus in 3.d.23.q.7. id absolutè negat. Quia nihil potest esse certiùs ea cognitione, qua cognosco totum esse maius sua parte, aut quidlibet esse vel non esse: ergo fides nequit esse certior quauis cognitione naturali. Secundò, ille assensus est certior, quo intellectus firmiùs adhæret obiecto: at qui intellectus firmiùs adhæret obiecto per scientiam, quàm per fidem: ergo illa est certior. Tertiò, ille assensus est certior, qui admittit minus dubitationis, sed talis est scientia respectu fidei: ergo illa est certior. Quartò, quia assensus quo assentior huic, Christus est homo; vel, non est homo; est certior illo quo assentior huic, Christus est homo; quia impossibile est hunc esse verum, quin ille sit verus; non tamen contrà: atqui assensus ille est cognitio naturalis: ergo aliqua cognitio naturalis est certior fide.

Caiet. verò 2.2.q.4.a.8. & Lorca ibidem disp. 28. docent, fidem ex se, & spectata eius ratione formali, qua quis mouetur ad credendum, esse certiorem quauis cognitione naturali: quia magis impossibile est Deum testari falsum, quàm quoduis medium cognitionis naturalis nos fallere. tamen esse incertiorem scientia quoad nos; quia propter imperfectionem nostram fit, quòd obiectū formale fidei non causet in nobis cognitionem tam certam quàm ex se natum sit causare. Probant suam sententiam auctoritate D. Thom. qui 2.2.q.4.a.8. docet fidem ex se esse certiorem scientia; esse tamen incertiorē ex parte subiecti. Arguuntque Durandum quòd hanc sententiam malè interpretetur, vt eam faciliùs oppugnet. 36 *Caietan. Lorca.* *D. Thomas.*

Sed, vt bene notat Bañez in dictū articulum, ipsi malè intelligunt D. Thomam; sicut etiam Durandus malè quidem putauit S. Thomam eandem, quam ipsi defendunt, opinionem tenere; bene tamen hanc oppugnauit. Quia hæc opinio nō distinguit certitudinem materialem, siue obiectiuam, qua aliqua propositio dicitur certa, aut aliquod medium dicitur certum, eò quòd illa ratione suæ euidentiæ, & hoc ratione suæ infallibilitatis nata sint causare certam cognitionem; à certitudine formali, qua assensus aliquis dicitur certus. quæ tamen valdè distinguuntur, & inter se separari possunt: nam postum dubio assensu assentiri alicui propositioni certæ, & quidem per medium ex se certissimum ac omnino infallibile, si huius vim nō satis cognoscam. v.c. aliquis non credat Ecclesiam in suis definitionibus habere infallibilē Spiritus sancti assistentiam; & quia audit eam aliquid docere tamquam de fide, putet esse probabile id esse de fide, ita tamen vt ob alias rationes putet contrarium esse probabilius: talis rei certissimæ per medium infallibile assentietur, & tamen ipsius assensus erit absolutè dubius & incertus, cùm ipse per eum dubitanter assentiatur. Quare Durandus bene docuit, fieri quidem posse, vt propositio, quæ secundùm se est certior alia, sit hac incertior quoad nos; fieri tamen nullo modo posse, vt assensus secundùm se certior, sit incertior quoad nos: quia assensus solùm dicitur certus aut incertus quoad nos, siue quatenus per eum certò aut incertò alicui obiecto assentiamur: quare non potest in eo distingui duplex certitudo, scilicet secundùm se, & quoad nos, sicut fit in propositionibus. 37 *Bañez.* *Durand.* Alia ratione propositio dicitur certa, alia verò assensus. *Durand.* In propositione est duplex certitudo; alia secundùm se, alia quo ad nos, non tamen in assensu.

Bañez verò suprà aliter D. Thomam explicat, scilicet ipsum docere fidem non esse certiorem scientia ex parte subiecti; quia si intellectus spectetur secundùm se, siue destitutus habitu supernaturali, minùs certò assentietur obiectis fidei, quàm naturaliter cognitis: informatum tamē habitu supernaturali ait certiùs assentiri rebus fidei, quàm naturaliter cognitis; atq; ita secūdùm eum fides supernaturalis est certior scientia, non tamen naturalis; & illius certitudo, saltem quatenus superat certitudinem scientiæ, præcisè prouenit ab habitu supernaturali. 38 *Bañez.*

Sed

39 Habitus fidei non reddit meum assensum certum.

Sed nec hæc sententia satisfacit. Primò, quia non explicat qua ratione hic habitus efficiat meum assensum certiorem assensu scientiæ, cùm nec reddat mihi obiectum euidentius, quàm aliàs sit (huic enim habitui essentiale est non reddere obiectum euidens) nec determinat intellectum vt firmiùs suo obiecto adhæreat, quàm naturaliter euidenter cognitis adhæreat, cùm non obstante illo habitu sit mihi liberum obiecto fidei dissentire.

40 Vt meus assensus sit certus, non sufficit quòd sit necessariò verus.

Dices, Assensus supernaturalis nullo modo potest esse falsus: ergo eum habens est omnino certus de ipsius veritate. Respondeo negando consequ. quia cùm talis, vt ostendam dub. 14. non possit certò scire se habere fidem supernaturalem, non videtur certiùs assentiri suo obiecto per fidem supernaturalem, quàm per naturalem: nam vt certò alicui rei assentiar, non sufficit quòd assensus meus sit necessariò verus, nec possit esse falsus; sed videtur requiri vt sim certus, siue vt certò sciam meum assensum esse necessariò verum. nam qui fide merè humana ob dictum alicuius hominis credit Deum esse trinum, habet assensum qui nullo modo potest esse falsus, & tamen per eum non scit certò Deum esse trinum, sed fallibiliter ac infirmiter, quia ipsi non est certum suum assensum necessariò esse verum.

Secundò, dicta sententia non satisfacit, quia secundùm eam assensus fidei naturalis elicitus propter diuinum testimonium, nullo vmquam casu posset esse certior scientiâ. quod infrà ostendam non esse verum.

41 Bañez.

Vt autem hanc difficultatem soluamus, priùs videndum est quis assensus sit dicendus certus, siue in quo consistat certitudo nostri assensus. Bañez 2.2. quæst.4. a.8. hanc ita definit: *Certitudo est firma adhæsio intellectus circa aliquod obiectum verum.* vbi benè docet Primò, vt assensus sit certus eum necessariò debere esse verũ; nam aliàs hæretici firmiter adhærentes suis erroribus, de iis essent certi.

Deinde obijcit sibi ex hac definitione sequi, eum, qui ob rationem fallibilem, quam putat esse certam, firmiter obiecto vero adhæret, fore certum. quod tamen falsum esse patet. Respondet autem suam definitionem intelligendã esse formaliter, scilicet, *quòd certitudo sit firma adhæsio intellectus ad obiectum verum secundùm firmam & stabilem rationem veritatis.*

42

Sed hæc definitio etiam sic explicata patitur difficultatem; quia ex ea videtur sequi, hæreticos, saltem quosdam, tam certo assensu credere aliquos veros fidei articulos, atque nos eos credimus; quia quidam eos credunt propter idem obiectum formale, scilicet, quia Deus eos reuelauit, vt ostendi suprà n.8. Item sequeretur, eũ, qui propter rationem quidem necessariã, quam tamen ipse non perfectè cognosceret esse necessariam, assentiretur alicui obiecto omnino firmiter, esse absolutè certum: quod tamen non videtur verum; cùm tendat in obiectum modo fallibili. v. c. ignorans quæ sit vera ratio cur luna patiatur eclipsim, firmiter ex aliqua apprehensione fallibili sibi persuaserit, quoties luna eclipsatur terram esse mediam inter ipsam & solem, & deinde videns eam eclipsari colligat terram ita esse mediam, & hoc firmiter sibi persuadeat: talis ob rationem formalem omnino certam, scilicet quia luna eclipsatur, firmiter credit terram esse mediam inter ipsam & solem, & tamen ipsius assensus non est verè certus; quia procedit modo planè fallibili.

43

Dices, definitionem debere intelligi de eo, qui aliquid cognoscit per obiectum formale, formaliter certũ, siue de cuius certitudine ipse certus sit, ita vt ipsi constet se non falli: sed hoc est quod nos contendimus, scilicet dictam definitionem non satis explicare rationem assensus certi: quia vlteriùs restat explicandũ, quando quis dicatur aliquid tali ratione cognoscere. Assensus euidens est necessariò certus.

quod quidem facile est in assensu euidenti: nam hoc ipso quo quis verè euidenter aliquid cognoscit, certus est se in ea cognitione non falli; sed est difficile id explicare in assensu fidei, nec hoc ex illa definitione sufficienter potest colligi: vt magis patebit ex dicendis.

44 Definitio certitudinis formalis.

Meliùs igitur definieris certitudinem formalem esse firmitatem assensus omnino infallibilis, siue qua intellectus alicui obiecto cognito firmiter & modo in se omnino infallibili adhæret. Ad quod requiritur Primò, vt ipse assensus sit verus; neque enim possum assensu falso aliquid certò cognoscere, cùm id reuera non cognoscam, sed circa illud errem. vnde sequitur, eo ceteris paribus aliquem assensum esse certiorem, quo magis necessariò est verus. Ad eã quatuor requiruntur.

Secundò, vt modus cognoscendi sit infallibilis, siue vt intellectus eo modo tendat in obiectum, qui nequit reperiri, nisi in assensu vero. Quare quando aliquid cognosco per aliquod medium, vt assensus sit certus requiritur Primò, vt hoc medium habeat necessariam connexionem cum veritate obiecti; (quia medium non necessarium nequit gignere assensum certum.) Secundò, vt modus eo vtendi sit infallibilis.

45 Cur nullus assensus fidei in hæreticis sit certus.

Hinc quantumuis fortè hæretici credant aliqua vera fidei mysteria præcisè propter Dei testimonium, & consequenter propter medium omnino necessarium & infallibile, & quamuis firmissimo assensu ea credant; tamen eorum assensus non est verè & propriè certus; quia modo fallibili eo medio vtuntur. Nam cùm ipsi negent in Ecclesia esse potestatem infallibiliter res fidei proponendi, aliasque veras ac infallibiles fidei notas, quibus necessariò nititur illud iudicium quod voluntatem credendi necessariò præcedit; & contrà in eo iudicio sequantur notas fallibiles (quod vel inde patet, quia secundùm easdem notas non solùm vera, sed etiam falsa credenda iudicant;) ipsi consequenter vtuntur diuino testimonio modo planè fallibili; ex quo contingit eos hoc applicare rebus tam falsis, quàm veris.

Tertiò requiritur, vt hic modus assentiendi sit ipsi assentienti infallibilis, ita scilicet vt ipse verè cognoscat suum modum cognoscendi esse infallibilem. Nam aliàs ille assensus solùm erit materialiter certus, non autem formaliter, ita vt assentiens possit ratione ipsius dici certò cognoscere suum obiectum. v.c. si Deus mecum speciali

46 ciali ratione supernaturali concurreret ad assẽsum fidei humanæ, qua alicui homini fallibili crederem, etsi eo casu meus assensus ratione modi tendendi in obiectum, siue quia supernaturali ratione, & ex speciali Dei concursu tenderet in obiectum, esset necessariò verus & infallibilis (quia, vt ostendi disput.10.dub.4. assensus supernaturalis nequit esse falsus, nec Deus potest ad assensum falsum speciali siue supernaturali ratione concurrere) si tamen ego, qui eum elicio, nescirem Deum ea ratione mecum concurrere, non essem propriè certior rem à me creditam esse veram, quàm si actu merè naturali eam crederem: quia vtroque casu simul cum ipso assensu æqualiter posset consistere formido de oppositio.

47 Quartò, requiritur vt assensus sit firmus, siue vt assentiens per illum firmiter suo obiecto adhæreat, ita scilicet vt aut nullo modo, aut non nisi difficulter valdè possit ab eo assensu dimoueri. Potest autem hæc firmitas dupliciter contingere. Primò, ratione euidentiæ ipsius obiecti, siue veræ, siue apparentis, qua intellectus necessitatur ad assensum; nec potest permanẽte illa euidentia, siue nisi ratio fortior in contrariũ occurrat, ab eo dimoueri. Secundò, ratione affectus & imperij ipsius voluntatis fortiter & constanter applicantis intellectum vt veritatem illius assensus, & certitudinem ipsius obiecti formalis vehementer apprehendat, atque ita toto conatu in assensum feratur, prout fit in assensu fidei.

Dupliciter contingit assensum esse firmum.

48 Conclvsio I. Assensus fidei theologicæ quo Catholici credunt mysteria fidei, est simpliciter & absolutè certior quauis cognitione naturali. Est iam ferè communis Doctorum. & videtur apertè sententia D. Thom. 2.2.q.5.a. 8. sub finem corporis. vbi dicit, fidem esse simpliciter certiorem scientia, & solùm incertiorem secundùm quid: prout infrà explicabo. Probatur ex definitione suprà data, & conditionibus ad certitudinem requisitis, quæ omnes magis conueniunt assensui fidei, quàm scientiæ: ergo illa est hac certior. quod de singulis ita probo.

Fides absolutè certior scientiâ.

Nam quod ad primam conditionem attinet, satis patet ex dictis disp.10.dub.4. omnino implicare assensum fidei esse falsum: adeò vt faciliùs contingeret quemuis assensum scientiæ naturalis fallere, quàm assensum fidei esse falsum. nec enim vllum scientiæ obiectum extra ipsum Deum est tam necessariò verum, quàm à Deo reuelata vt sic, siue quatenus reuelata sint necessariò vera.

Dices, Nihil potest magis necessariò esse verum quàm quod implicat esse falsum: atqui implicat conclusionem demonstrationis esse falsam: ergo à Deo reuelata non sunt magis necessariò vera, quàm sit illa conclusio. Respondeo Primò, negando minorem generatim sumptam: nam diuina potentia fieri potest vt terra sit media inter solem & lunam, & tamen ipsa non eclipsetur. item vt hæc eclipsetur, etsi terra non sit media inter eam & solem; atque ita duæ conclusiones demonstrationis erunt falsę. Respondeo Secundò, inter ea quæ implicãt vnum alio posse magis implicare: nam implicat longum præcisè sex pedes, sine vlla sua extensione, & manentem eodem loco, pertingere ad rem distantem 20. pedibus, quamdiu hæc tantum distat; magis tamen implicat eum pertingere ad rem distantem mille pedibus: quare magis necessarium est eum non posse pertingere ad hãc, quàm ad priorem. quia etsi per impossibile posset pertingere ad priorem; nondum tamen posset pertingere ad secundam. Et hac ratione quasi infinities magis implicat Deum mentiri, quàm vllam nostram cognitionem naturalem fallere.

Vna implicantia potest esse maior alia.

Infinities magis implicat Deum mentiri, quã scientiam fallere.

Quod ad secundam conditionem attinet, fides tam ex parte medij, quàm modi eo vtendi est infallibilior omni scientia. De medio patet, quia, vt ostendi disp.10.dub.1. tam impossibile est testimonium Dei esse falsum, quàm Deum non esse Deum; quare nullum medium alicuius scientiæ naturalis est tam necessariò verum, & connexum cum veritate consequentis, quàm testimonium Dei; quo medio siue obiecto formali fides nititur. Similiter modus quo fides hoc medio vtitur, siue quo nititur, est omnino infallibilis: quia iudicium quod assensum fidei præcedit, illis notis siue rationibus nititur, quas, non quidem secundùm se sumptas, sed prout subsunt diuinæ prouidentiæ, magis implicat fallere quàm implicet fallere vllam aliam cognitionem merè naturalem. 49

Omnino implicat notas fidei fallere.

Quod patet Primò, quia cùm Deus à nobis exigat vt ea, quæ nobis per Ecclesiam credenda proponit, firmissimè & omnino indubitanter credamus, adeò vt potiùs abnegemus omnẽ rationem naturalem, quatenus fidei videtur repugnare, quàm à fide recedamus; ad ipsum omnino pertinet ea nobis eo modo proponere, qui sit certissimus & omnino infallibilis. Secundò, quia cùm Deus nobis eas notas assignet, vt per eas cognoscamus quæ debeamus credere; si hæ vlla ratione fallerent, Deus moraliter loquendo nos falleret, ac testaretur falsum. quod omnino est impossibile. Tertiò, quia ipse promisit se Ecclesiæ suæ perpetuò astiturum, ne hac in re erret; & daturum ei spiritum, qui doceat eam omnem veritatem. quæ falsa essent, si posset illa falli in discernendis & proponendis rebus fidei. 50

Dices, Fieri potest vt alicui proponatur res aliqua falsa tamquam à Deo reuelata, ita probabiliter vt prudenter iudicet à Deo esse reuelatam, & tamquam talem credat, vt dictum est suprà disp.10.nu 76. ergo poterunt hæ notæ fidei fallere. Respondeo, nego consequ. quia, vt loco citato dixi, etsi alicui particulari possit aliqua res tamquam à Deo reuelata ita proponi, vt ipse ratione inuincibilis ignorantiæ prudenter possit, atque adeò teneatur credere à Deo esse reuelatam; tamen impossibile est eam ita proponi aut generatim toti Ecclesiæ, aut etiam speciatim alicui in particulari, vt verè sufficienter probetur à Deo esse reuelata, siue ita vt probetur verè ijs notis, quibus credibilitatem nostræ fidei solemus probare. Quare is cui dicto modo probatur res falsa à Deo esse reuelata, decipitur, non à veris notis fidei, sed à vanis 51

ratio-

Nemo potest veris fidei notis in errorem induci, sed solùm iis, quas sibi persuadet esse notas fidei.

rationibus, quas putat esse sufficientes notas fidei. Nec refert quòd ipse prudenter velit hîc & nunc credere, quia hoc non oritur ex eo quòd res illa verè à parte rei sit ei sufficienter proposita, tamquam à Deo reuelata: sed ratione simplicitatis ipsius & inuincibilis ignorantiæ, quæ efficit vt aliquis actus sit prudens, qui aliàs esset imprudens.

52 Ex parte tertiæ conditionis assensus fidei in Catholicis est omnino certus: quia euidenter cognoscimus ijs, quæ Ecclesia nobis proponit credenda, conuenire eas notas, quæ sufficienter probent ea esse fide diuina credenda; atque ita hac etiam ex parte clarè cognoscimus nos modo infallibili res fidei credere. Similiter patet, quartam conditionem conuenire assensui fidei; quia Catholicus ita firmiter fidei adhæret, vt paratus sit potiùs omnem rationem naturalem abnegare, quàm ab ea discedere. vt patet in mysterio Trinitatis & Eucharistiæ; vbi contra omnem naturalem experientiam, credimus accidentia esse sine subiecto.

53 Assensus intertus potest esse firmior certo.

Hinc patet Primò, maiorem firmitatem adhæsionis per se non semper arguere maiorem certitudinem assensus: quia possumus opinioni falsæ firmissimè adhærere. Item quamuis fieri possit vt hæreticus fortè firmiùs credat vera fidei mysteria quàm Catholicus, qui est parum constanti voluntate; tamen ob defectum secundæ conditionis illius assensus est semper incertior, quàm sit assensus huius.

54 Assensus liber potest esse certior necessario:

Patet Secundò, assensum necessarium non semper esse certiorem libero, quia quando inuincibiliter puto me rei falsæ habere euidẽtem demonstrationem, necessariò ei assentior, & tamen assensu falso, & consequenter omnino incerto. Imò nec ille semper est firmior hoc; quia si priùs inuincibiliter putarem me habere alicuius rei demonstrationem, necessariò ei assentirer; si tamen postea mihi omnino siue verè, siue falsò videatur repugnare mysterijs fidei, ne hæc negem ab illo assensu recedam: quare firmiùs adhæreo his quàm illi.

imò etiam firmior.

55 Fieri potest vt assensus fidei naturalis, sit certior scientia.

Patet Tertiò, si Deus alicui Catholico subtraheret habitum supernaturalem fidei, aut impediret ne influeret in ipsius assensum fidei, & ille ex habitu acquisito ob testimonium Dei assentiretur alicui mysterio fidei, quod sciret ab Ecclesia Catholica credi, huius assensum etsi naturalem, fore tamen certiorem quauis alia cognitione naturali; quia versaretur circa obiectum magis necessariò verum, & per medium magis necessarium, ac modo omnino infallibili, directus nimirum infallibili auctoritate Ecclesiæ; & euidenter sciret se in hoc assensu ita dirigi, & consequenter se falli non posse; & potiùs esset paratus ab omni alia cognitione, quàm à fide recedere; & consequenter illi obiecto credito firmiùs adhæreret, quàm vllis aliis naturaliter cognitis: atque ita omnes conditiones ad certitudinem requisitæ ei assensui perfectiùs conuenirent quàm scientijs naturalibus.

56 Visio beatifica certior fide.

Patet Quartò, visionẽ beatificam esse certiorẽ assensu fidei, quia ex parte obiecti tam formalis quàm materialis, ac modo tendendi in obiectum, non minùs implicat eã esse falsam quàm implicet fidem esse falsam: & præterea est sine comparatione firmior assensu fidei; quia intellectus illustratus lumine gloriæ nulla omnino ratione ab ea cognitione siue assensu dimoueri potest.

57 Modus quo scientia tendit in obiectum, non est omnino infallibilis.

Pro solutione argumentorum tandem Notà, etsi fieri nullo modo possit vt vera scientia aut cognitio aliàs verè euidens sit falsa; (quia aliàs necesse esset scientia, nec euidens cognitio, sed error) si tamen spectemus præcisè modum quo intellectus per eiusmodi naturales cognitiones tendit in suum obiectum, absolutè fieri potest vt fallatur: atque ita fieri potest vt ea cognitio, quæ nobis videtur euidentissima & certissima scientia, sit à parte rei error. verbi causa, vnus verè videat Petrum, & alter videat phantasma, quod Petrum perfectissimè refert; vterque, quod attinet ad modum tendendi in obiectũ, siue cognoscendi obiectum, habebit cognitionem æqualiter certam & euidentem; scilicet per visionem, aut etiam si lubet audiendo tam Petri quàm phantasmatis locutionem: & tamen vnius cognitio erit falsa.

58 Quando igitur dicimus nullam esse naturalem cognitionem aut demonstrationem tam certam ac euidentem, vt omnino implicet eam falli; non dicimus aliquem assensum aut modũ cognoscendi posse simul esse verè euidentem cognitionem, aut veram demonstrationem, & tamen esse falsum (quia sic eadem res esset vera & falsa;) sed solùm dicimus nos nullius rei posse naturaliter habere cognitionem tam euidẽtem, vt ex modo cognoscendi præcisè implicet nos falli: siue, vt fieri nequeat vt modo cognoscendi, saltem quantum discernere possumus, omnino simili feramur in rem falsam: atque ita numquam sumus omnino certi nullo modo fieri posse nos in eiusmodi cognitione falli.

59 Quod confirm. quia philosophi Gentiles, qui numquam de mysterio Trinitatis aliquid audiuerant, ex eo axiomate, *Quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*; videbantur sibi tam euidẽter inferre, fieri non posse vt tres personæ essent realiter vnus idemque Deus nulla ratione à parte rei à deitate distinctæ, & tamen inter se realiter distinguerentur: quàm ex eo quòd Petrus & Paulus inter se realiter distinguantur, euidenter inferimus eos non identificari eidem numero humanitati: & illi tam facilè quamuis aliam cognitionem negassent, quàm illam illationem; & tamen nobis constat, illos fuisse deceptos. Ex quo meritò infero, nullum naturalem modum cognoscendi esse tam certum, vt omnino implicet eum fallere, & consequenter quiuis modus cognoscendi naturalis est incertior modo cognoscendi per fidem, quem implicat fallere.

60 Ad primum argumentum positum n. 35. nego antecedens; patet enim ex dictis, fidei cognitionẽm esse certiorem.

Ad secundum, nego minorem: nam ex dictis n. 52. & 54. patet, eam esse falsam. adde, maiorem non esse vniuersaliter veram, vt patet ex dictis n. 53.

Ad tertium, distinguo antecedens: si enim loquamur de vera dubitatione, qua quis verè dica-

dicatur de re aliqua dubitare; sic cõcessa maiore nego minorem: fides enim nullo modo potest consistere cum tali dubitatione. si autem intelligatur de inuoluntarijs quibusdam dubitationis motibus, sic nego maiorem: hi enim non semper arguunt minorem certitudinem assensus, sed solùm minorem obiecti euidentiam, aut plures rationes in apparentia euidentes in contrarium occurrere. Sicut ingentem aliquam ac ramosam & altam ventisque expositam arborem magis ab his agitari, quàm virgultum aliquod humili loco, quò ventus vix pertingit, confitum, aut etiam si lubet illam tempestate euelli, dum hoc immotum manet; non arguit illam minùs firmiter terræ adhærere, aut faciliùs quàm hoc moueri & eradicari posse, sed illam maiori vi oppugnari.

Motus dubitationis non semper arguunt incertitudinem.

Ad quartum, nego maiorem. Ad probationem, Respondeo hanc solùm probare eam disiunctiuam esse veriorem, vtraque parte absolutè asserta, si spectetur secundùm suam naturam; non autem si spectetur prout subest diuinæ reuelationi. qua ratione nequit esse certior: res enim à Deo reuelata qua talis, ita est in summo gradu necessariò vera ac infallibilis, vt infallibilior, magisque necessaria esse nequeat.

Res fidei sunt in summo gradu necessariò veræ.

61 *D. Thomas.* Ad auctoritatem D. Thomæ allatam nu. 36. Respondeo eum solùm velle assensum fidei ex parte subiecti sibi proprij, scilicet intellectus secundùm se sumpti, non esse tam certũ quàm sit scientia; quia intellectus per se & sine imperio voluntatis ei non ita firmiter adhæret. Deinde addit, fidem esse etiam secundùm quid minùs certam quoad nos, non quia per fidem minùs firmiter, aut minùs certò adhæreamus obiecto quàm per scientiam; sed tum quia est in nostra potestate discedere à fide, non autem ita est in nostra potestate discedere à scientia, atque ita secundùm quid, siue secũdùm quamdam considerationem assensus fidei est minùs firmus siue immobilis. tum etiam quia vitio atque inconstantia aliquorum accidit vt à fide de facto dimoueantur, atque ita minùs ei adhæreant quàm scientiæ. Inde tamen non sequitur, fidei assensum non esse ex se, & generatim loquendo certiorem scientiâ etiam quo ad nos, siue ita vt verè per eum certiùs assentiamur rebus creditis: sed solùm eum in quibusdam particularibus personis ac circumstantiis illarum vitio esse minùs firmum, atque ita secundùm quid minùs certum.

Qua ratione fides dicatur minùs certa ex parte subiecti.

DVBIVM V.

Vtrùm actus fidei sit meritorius?

62 *D. Thomas.* HAnc quæstionem tractat D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 9. & respondet affirmatiuè; accipit autem actum fidei prout complectitur etiam actum voluntatis, quo assensus fidei immediatè imperatur: quia, vt dixi suprà, vterque actus ad virtutem fidei pertinet, & pro actu moraliter vno accipi solet, sicut actus internus & externus aliarum virtutum. Et siue moueatur difficultas de vtroque actu simul sumpto, siue de singulis per se sumptis; facile est eam definire ex dictis partim disp. 8. dub. 4. vbi explicui quænam sint necessaria vt actus aliquis sit meritorius: partim disp. 4. dub. 3. & disp. 13. dub. 4. 5. 6. vbi ostendi, actum fidei esse supernaturalem in substantia & intrinsecè honestum: totam tamen rationem libertatis, & consequenter bonitatis formalis, accipere ab actu voluntatis, quo assensus fidei imperatur. Quare paucis rem totam concludam.

CONCLVSIO I. Actus voluntatis quo assensus fidei supernaturalis imperatur, est formaliter meritorius de condigno vitæ æternæ, si fiat ab homine iusto. Est communis & certa; quia, vt patet ex locis iam citatis, est actus formaliter liber, honestus, supernaturalis, ac reliquas omnes conditiones ad meritum de condigno requisitas habet. 63

CONCLVSIO II. Assensus fidei supernaturalis secundùm se sumptus non est formaliter meritorius: quia non est formaliter liber. Sicut tamen habet intrinsecam honestatem materialem siue obiectiuam, ita coniunctus actui interno est simpliciter meritorius, sicut alij actus externi virtutum iuncti actibus internis, fiunt similiter boni & meritorij. 64

CONCLVSIO III. Actus fidei integrè sumptus, prout vtrumque actum complectitur, scilicet intellectus & voluntatis, elicitus ab homine peccatore, de cõgruo per modum dispositionis aut impetrationis est meritorius infusionis habitus fidei, si eliciens hunc nondum habeat; aut augmenti eiusdem, si eum prius habuerit: atque etiam aliquarum gratiarum præuenientium ad vlteriorem conuersionem conducentium. cùm enim hic actus sit simpliciter & formaliter honestus & supernaturalis, ideoque procedat ex gratia, quæ à Deo homini in eum fidem datur, vt homo se ad vlteriorem in ordine ad salutem conuersionem & perfectionem disponat; nulla est ratio cur negemus peccatorem per eiusmodi actum ad suprà dicta disponi, & congruere vt Deus propter illũ det huic gratiam necessariã vt vlteriùs conuerti possit: præsertim si fidem suam eò referat, vt hanc à Deo impetret, & consequẽter hanc de congruo mereatur iuxta dicta disp. 8. dub. 1. vbi explicui quæ requirantur ad meritum de congruo; & ostendi quomodo in peccatore reperiatur, & contrarias rationes solui. vide etiam dicta disp. 6. dub. 4. vbi ostendi habitum fidei infundi peccatori, in eoque per actus fidei augeri ante habitum caritatis. 65

Quæ meretur fides peccatoris.

DVBIVM VI.

Qua ratione fides sit initium nostræ iustitiæ ac salutis?

FIdem esse nostræ salutis & iustitiæ initium apertè docet Tridentinum sess. 6. c. 8. & D. Augustin. cùm pluribus aliis locis, tum epist. 105. vbi ait: *Restat igitur vt ipsam fidem, vnde omnis iustitia sumit initium,* &c. Quare omnes concedũt hoc aliquo sensu esse verum; mouent tamen difficultatem Primò, an hoc intelligendum sit de fide actuali, an verò de habituali: Secundò, an fides ita debeat dici initium nostræ salutis, vt nulla 66 *Trident. Augustin.*

nulla opera bona etiam ex præuenienti gratia facta eam possint præcedere, quæ operanti vlteriorem gratiam quâ ad fidem perueniat, impetrent, aut de congruo mereantur, eumúe ad fidem susciendam disponant.

67 *Molina.* Circa prius dubiũ Molina in sua Concord. disp.44.§.*Deinde Concilium.* docet, Trident.sup. intelligendum esse de fide habituali: quia Concilium ibidem dicit fidem esse fundamentum & radicem omnis iustificationis, & sine qua impossibile est placere Deo: quare debet etiam esse fundamentum iustificationis paruulorum baptizatorum, qui placent Deo, & tamen non habent fidem actualem : ergo Concilium loquitur de fide habituali: dicitur autem fides habitualis initium nostræ salutis, quia, vt docet ibidem Concil.c.7. per eam incipimus imperfectè inhærere ac vniri Christo, qui est vita & salus nostra, & à quo nobis vnito omnis vita & salus in nos deriuatur.

68 *Vasquez. Turrian.* Contra Vasquez 1.2.disp.210.c.7.n.52. Turrian.2.2.disp.41.dub.5. & quidam alij volunt Concilium loqui de actu fidei. Primò, quia Cõcilium ibi explicat, quo sensu Apostolus ad Rom.3. dicat nos iustificari per fidem, & quidẽ gratis, docetque prius dici, quia fides est initiũ iustificationis nostræ: secundùm verò, *quia nihil eorum quæ iustificationem antecedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur*: ergo loquitur de iustificatione adultorum, quibus solis opera & merita conuenire possunt; & de fide actuali, de qua sola posset esse suspicio meriti. Secundò, quia c.5. & 6. vbi agit de dispositionibus ad iustificationem requisitis, loquitur de iustificatione adultorum : ergo etiam hîc. Tertiò, quia Concilium loquitur in sensu Patrum: atqui hi dum dicunt fidem esse initium nostræ iustificationis, agunt de fide actuali: ergo etiam Concilium.

69 Fides tam actualis quã habitualis suo modo est initium nostræ iustificationis. Sed dicendum est, Concilium posse cõmodè intelligi de vtraque fide, siue de fide in genere prout vtramque complectitur, & sic vtramque sententiam commodè acceptam esse veram. vtraque enim fides in suo ordine est initium nostræ iustificationis. Nam si agamus de principio formali nostræ iustificationis, siue quo formaliter incepimus iustificari: hoc est necessariò fides habitualis (quia formaliter non per actus, sed per infusos nobis habitus iustificamur; vt docet ibid. Concilium c.7.) qua sicut imperfectè incipimus vniri Christo, ita etiam incipimus iustificari. Contrà si agamus de principio actuali iustificationis, siue de dispositione ex nostra parte ad iustificationem prærequisita, fides actualis dicenda est initium nostræ iustificationis, quia per hanc primò ad iustificationem incipimus disponi. Item sicut Concilium c.5. & 7. agit de iustificatione adultorum & dispositione ad hãc prærequisita : ita c.7. agit de iustificatione formali tam infantium quàm adultorum. Nec argumenta hinc inde pro vtraque sententia allata aliud probant, quàm vtramque sententiam commodo sensu esse veram, & Concil. de vtraque fide in diuerso sensu posse intelligi. Vbi Nota, dum actus fidei dicitur initium salutis nostræ, sub fide etiam comprehendi voluntatem credendi, quia, vt ostendi disp.13. num.71. Concilia & Patres per actum fidei vtrumque actum, scilicet tam voluntatis quàm intellectus, intelligunt.

Circa secundam difficultatem quidã apud Turrianum 2.2. disp. 41. dub.6. absolutè negant vllum opus etiam ex gratia præueniente factũ posse mereri etiam de congruo, aut impetrare gratiam præuenientem, qua à Deo excitemur ad fidem: aut nos tali opere ad fidem vllo modo posse disponi. Et hanc sententiam necessariò sequuntur ij omnes, qui negant infideles posse facere vlla opera bona, quos citabimus infrà disp.18.dub.5. 70 *Turrian.*

Probatur Primò, quia aliàs fides non esset initium nostræ salutis; nam cùm ista opera ad salutem conducerent, salus verè ab ijs inciperet.

Secundò, quia aliàs contra id, quod docet Apostolus ad Rom.3. homo non magis iustificaretur ex fide, quàm ex operibus: nam, vt docet Trident. suprà, ideo dicimur iustificari ex fide, quia hæc est iustitiæ nostræ initium; opera autẽ illa cùm ad iustitiam conducerent, etiam essent iustitiæ initium. *Rom.3.*

Tertiò, quia S. Augustinus epistola 105. & alibi docet, fidem nobis à Deo dari sine præcedentibus meritis, vbi ait: *Quoniam inde* (scilicet à fide) *incipiunt bona quæcumque sunt merita.* & infrà: *Opera quippe bona, inquit, fiunt ab homine, fides autem fit in homine, sine qua illa à nullo fiunt homine.* Atqui hæc essent falsa, si fidem possent præcedere aliqua opera, quibus de congruo meremur vocari ad fidem: tum enim hæc daretur nobis ex illis meritis, & merita bona fierent ab aliquo homine sine fide. *Augst.*

Quartò, quia aliàs sequeretur, hominem sine fide posse placere Deo: quia cùm talia operando Deum moueret vt sibi daret gratiam, deberet in ijs operibus Deo placere.

Plurimi tamen Theologi contrarium docẽt, 71
scilicet infidelem posse ex præueniente Dei gratia facere aliqua opera bona, quibus vlteriorẽ gratiam qua ad fidem pertingat impetret, & ad hanc susciendam se disponat; atque ita aliqua ratione eam de congruo mereatur. Ita Vasquez 1.2. disp.190.n.132. Turrian.2.2.disp.41.dub.6. Imò quidam apud Lessium l.de Grat.effic.c.10. & in appendice ad idem caput. & apud Vasqu. 1.p. disp.91. præsertim c.6. & 10. videntur operibus viribus naturæ factis tribuere aliquam dispositionem ad gratiam. *Vasquez. Turrian. Lessius.*

Sed quidquid de hac re sit, constat saltem communem ferè esse omnium Theologorum sententiam, Deum infideli per acceptam gratiam præuenientem facienti quod in se est, siue bene vtenti gratia iam accepta, dare maiorem gratiam, qua possit ad fidem & salutem peruenire; ita vt prior bonus vsus gratiæ sit aliqua ratione causa cur altera detur. Ex quo sequitur, prioris gratiæ bonum vsum aliquo modo aut mereri, aut impetrare secundam, ac operantem ad hanc susciendam disponere; neque enim est alia ratio qua possit aliquo modo dici huius esse causa.

72 Infideles possunt aliqua bona opera facere. Pro resolutione Nota Primò, certum omnino esse, infideles, saltem ex auxilio gratiæ, posse

posse facere aliqua opera moraliter bona, vt pluribus ostendam disp.18.dub.5.

Secundò, Deum neminem saltem adultum ac ratione vtentem ita in hac vita deserere, quin det ei sufficientia gratiæ auxilia, quibus possit paulatim ad salutem peruenire, si ijs prout potest & tenetur collaboret. vt fusè docet Vasquez *Vasquez.* 1.parte disp.97.cap.3 & citatis pluribus auctoribus, ac claris Scripturis ostendi tomo 2. de Sacram.disp.2.dub.1. Ex quo sequitur, infideles sæpè eiusmodi gratiam accipere, qua si velint possint bene agere.

73 Nota Tertiò, Deum post lapsum Adami omnem gratiam quam homini ad bene operādum dat, dare intuitu meritorum Christi, siue propter Christi merita, eaque intentione vt iustè operemur, ac ad iustitiam & salutem peruenimus. Hinc Patres disputantes contra Pelagianos, qui creationem, qua gratis à Deo creati sumus, vocabant gratiam ad bene operandum necessariam, sæpissimè distinguunt gratiam creatoris, qua dona naturæ accepimus, à gratia Christi, quæ ob Christi merita nobis ad bene operandum datur. Vnde etiam D. Augustinus *August.* epist 105.ait: *Non istam gratiam commendat Apostolus qua creati sumus vt homines essemus; sed qua iustificati sumus vt iusti homines essemus. Ista enim est gratia per Iesum Christum Dominum nostrum. Etenim Christus non pro nullis, vt homines conderentur; sed pro impiis mortuus est, vt iustificarentur.* Vbi apertè docet, sicut Christus mortuus est vt impij iustificarentur, ita gratiam quæ impijs à Deo propter Christum datur, ijs dari vt per eam iustificentur, siue vt bene operando ad iustitiam perueniāt. loquitur enim de gratia, qua excitamur & adiuuamur, vt bene operemur.

Deus dat nobis suā gratiā vt ea bene vtendo acquiramus salutem.

His positis Respondeo Primò, absolutè dicē- 74
dum esse, infidelem excitatū diuina gratia posse aliqua opera bona facere, quibus ad maiores gratias, per quas ad fidem conuerti possit, à Deo suscipiendas disponatur, qualque de facto impetret si illa faciat.

Probatur, quia, vt iam ostendi, Deus propter Christi merita dat omnibus adultis, & consequenter etiam infidelibus, sufficientes gratias, vt, si velint ijs collaborare, possint ad salutem paulatim peruenire: item illi etiam ante susceptam fidem possunt illis gratijs adiuti aliqua opera bona facere, v.c. dare multas eleëmosynas, exercere iustitiam, &c. Item ex dictis patet, Deum priorem illam gratiam dare propter merita Christi, ea intentione vt illi infideles illa opera faciendo paulatim ad fidem ac salutē perueniant. quod omnino frustra fieret, si illa opera ad hunc finem nihil iuuarent: nec potest videri quomodo iuuent, si operantem nullo modo melius disponant ad gratias vlteriores ad conuersionem necessarias recipiendas, nec has vllo modo à Deo impetrent. Sicut frustra aliquis princeps alicui pauperi sumptus ad studendum necessarios suppeditaret ea intentione vt eum postea promoueret ad aliquod officium, si hic bene studendo, nec posset fieri aptior ad illud officium suscipiendum, nec etiam posset impetrare vt princeps hoc ei iam docto conferret.

Nec sufficit si dicas ea opera solùm esse conditiones, sine quibus Deus non daret eas gratias, sicut auditio concionis etiam ex curiositate (vt videtur S. Augustino contigisse) est quandoque occasio cur Deus alicui det gratiam, qua conuertitur. hoc inquam non satisfacit: quia hoc solùm habet locum in actionibus externis necessarijs vt quis discat quæ sibi credenda aut facienda sunt, aut hæc in memoriam reuocet, & firmiùs sibi imprimat. quia Deus non vult hæc semper homini per se sine creaturarum cooperatione inspirare. Secùs est de alijs pijs operibus, quæ cum eiusmodi inspirationibus aut mentis illustrationibus non habent connexionem. quæ magis ex dicendis patebunt.

Respondeo Secundò, vtrùm talis debeat dici per eiusmodi opera mereri vlteriorem gratiā 75
qua ad fidem perueniat, esse quæstionem de nomine; verius tamen esse id posse dici. quia, vt ostendi disput.8.dub.1. vt aliquis per aliquod opus aliquid à Deo de congruo mereatur, sufficit quòd opus sit tale, vt omnino conueniat Deum illud facienti hoc dare, & ad hoc de facto dandum propter illud moueatur, siue vt ideò hoc det, quia illud fit. Dicta autem opera respectu illius gratiæ sunt talia: ergo hanc de congruo merentur. Minor probatur, quia cùm Deus det illi infideli priorem gratiam, vt ea bene vtenti conferat maiorem, omnino conuenit vt illud facienti hanc det; aliàs frustra priorem ea intentione daret. vnde etsi illud opus per se spectatum non sit fortè tale, quod habeat aliquā congruitatem propter quam omnino conueniat Deum hanc gratiam dare, siue propter quam Deus meritò moueatur vt hanc det: atque ita si fieret ex meris naturæ viribus, eam congruitatem non haberet; eam tamen habet quatenus procedit à gratia dicta intentione data, vt probat argumentum iam allatum.

Ad primum argumentum positum n.70. aliqui respondent fidem dici initium salutis, siue iustitiæ, quia est initium necessarium nostræ salutis, siue quia fides est primum opus ad iustificationem adultorum omnino necessarium, ita vt sine ea nullus iustificari possit. Secùs esse aiūt de alijs illis operibus fidem præcedentibus, sine quibus multi de facto iustificantur, qui subitò ex suis sceleribus ad fidem vocantur. 76

Sed hæc responsio patitur difficultatem; nam Patres & Concilia absolutè & sine restrictione dicunt fidem esse initium nostræ iustitiæ, siue iustificationis: atqui secundùm illam responsionem, in adultis, (de quibus secundùm illos Patres & Concilia agunt) fides non esset absolutè, imò nec communiter quidem initium iustitiæ ac salutis nostræ; quia in infidelium conuersione fidem communiter præcederent aliqua alia bona opera, à quibus iustitia inciperet: nam hi rarissimè cōuertuntur, quin priùs ex gratia præuenienti fecerint aliqua alia bona opera, propter quæ Deus dedit ijs eā gratiam, qua sunt conuersi ad fidē, & sine quibus sæpissimè hanc nō daret: atque ita etsi non omnino generatim, tamē in dictis personis illa opera nō solùm sunt initium iustitiæ, sed sunt etiam necessariū ipsius initium, cùm sine illis hanc non haberent.

Respon-

77 Qua ratione omnis nostra initia inciplat à fide.

Respondeo igitur, quando Concilia & Patres aiunt fidem esse initium omnis nostræ iustitiæ ac iustificationis, eos loqui non de qualuis iustitia, siue prout etiam in statu naturæ potuisset reperiri, sed de iustitia Christiana siue supernaturali, quæ consistit in actibus siue habitibus statui supernaturali proportionatis, & consequenter in substantia supernaturalibus: inter omnes autem actus aut habitus in substantia supernaturales fides est prima, atque ita est propriè & absolutè initium nostræ iustitiæ: quia ante illam nullus datur aut habitus aut actus in substantia supernaturalis. Quare etsi nostra iustificatio possit quandoque dici extrinsecè quodammodo incipere à dictis operibus, tamquam à remotis dispositionibus prærequisitis, atque ita hæc possint dici initia extrinseca, & secundùm quid nostræ iustificationis; tamen absolutè & propriè loquendo fides sola est illius initium, quia ab hac sola intrinsecè incipit.

Ante fidem non datur actus in substantia supernaturalis.

78 Cur omne opus bonum dicatur incipere à fide.

Hæc eadem est ratio, cur Patres dicant omne opus bonum in nobis incipere à fide, & sine hac nullum posse esse in nobis actum meritorium. loquuntur enim de actu, qui possit ex parte sua verè & propriè esse meritorius, siue cui posset conuenire ratio meriti propriè dicti, & prout Scripturæ de eo loquuntur, cui scilicet debetur merces & corona iustitiæ, atque ita quod ei redditur, non potest dici gratis dari, vt docet Apostolus 2. ad Timoth. 4. vbi ait: *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* & ad Rom. 4. *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* & c. 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus*; *alioqui gratia iam non est gratia.* Meritum autē de congruo solùm est meritum impropriè dictum, & secundùm quid; quia id quod ei redditur, potest absolutè dici dari gratis. Patent hæc clarè ex Tridentino sess. 6. c. 8. suprà citato, vbi explicans cur Scriptura & Patres dicant nos gratis iustificari, non obstāte eo, quòd in iustificatione adultorum fides & detestatio peccatorum, aliaque actiones quas c. 6. enumerarat, prærequirantur, quibus illi ad iustificationem disponuntur, ait: *Gratis autē iustificari ideo dicimur, quia nihil eorū, quæ iustificationem antecedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promerentur.* Quod deinde probat ex verbis citatis ex 11. ad Rom. hoc autē esset falsum, si non intelligeretur de merito de condigno. Nam contriti secundùm communiorem sententiam merentur iustificationem suam de congruo. Nec satisfacit quod aliqui dicunt, Cōcilium per iustificationem & gratiam iustificationis intelligere non solam infusionem gratiæ habitualis, qua formaliter iustificamur, sed totā seriem gratiarum quæ ad iustificationem concurrunt, & quibus ad iustificationem disponimur. quā seriem nulla merita etiam de congruo præcedunt. hoc inquam non satisfacit; quia Concilium apertè loquitur de iustificatione & gratia institutionis, quam fides aliaque opera sequentia fidem præcedunt: quæ solùm præcedunt infusionem gratiæ iustificantis. vide dicta disp. 8. dub. 6. n. 101.

2. *Timot.* 4.

Rom. 4.

Rom. 11.

Meritum de congruo est solùm meritum secundùm quid. *Trident.*

79

Dices, Hinc sequetur, secundùm modum loquendi Patrum, actum fidei informis non posse dici meritorium, quia non meretur de condigno: illud autem videtur repugnare D. Augustino, qui epistola 105. & tractatu 44. in Iohan. docet publicanum adhuc peccatorem sua fide meruisse remissionem peccatorū. Respondeo, quidquid sit de his locis D. Augustini, de quibus satis egi disp. 8. du. 8. n. 102. nego illud sequi, quia actus fidei est in substantia supernaturalis, & cō sequēter ex se meritorius de condigno, & quòd in peccatore non sit ita meritorius, per accidens est ratione ipsius status operantis; ideoq; Patres considerantes quid illi actui secūdùm se conuenire potest, tribuūt ei rationem meriti. Secus est de actibus præcedentibus ipsam fidem, qui quia secundùm suam substantiam sunt naturales, ex se nullam habent proportionem cum præmio omnino supernaturali; atque ita per se inepti sunt ad veram rationem meriti. Et ob eandem causam, D. August. pluribus locis negat in infidelibus posse reperiri vllum actum bonum, aut virtutis, vt ostendam disp. 18. dub. 5.

80 *August.*

Quare actus fidei informis potius dicatur absolutè meritorius, quàm actus eum præcedētes.

Ad secundum, nego assumptum: satis enim iam ostendi quòd fides longè aliter sit initium iustificationis nostræ, quàm dicta opera ipsam præcedentia, atque ita meritò dici iustificationem esse ex fide, non autem ex operibus eam præcedentibus.

81

Ad tertium, aliqui respondent, D. Augustinum solùm velle opera quæ ante fidem fiunt merè viribus naturæ, non posse esse vllā ratione meritoria; non tamen id negare de operibus factis ex gratia. sed hoc nullum omnino habet fundamentum in verbis S. Augustini, ijsque apertam vim facit; nam ea ratione solùm debuisset dicere nullum opus posse esse meritorium ante acceptam gratiam, & falsò dixisset nullum posse esse tale ante fidem. Quare iuxta dicta suprà, respondeo Augustinum loqui de operibus, quæ, quantum est ex se, possunt esse meritoria de condigno (quæ sola possunt propriè dici meritoria, siue habere vim merendi) qualia nulla sunt ex iis quæ præcedunt fidem, vt iam ostendi.

Ad quartum, nego assumptum: solùm enim sequitur, aliquod opus hominis infidelis posse placere Deo: cum quo optimè consistit operantem Deo absolutè displicere: sicut actus fidei in peccatore placet Deo, cùm tamen eum eliciens absolutè displiceat.

Potest opus placere Deo, etsi operans displiceat.

82 *D. Thom.*

Dices, D. Thom. 2. 2. q. 10. ar. 4. ad 3 ait, Cornelium Centurionem dum faceret eleëmosynā aliaque opera bona, quæ Actorum 10. in eo laudantur, non fuisse infidelē; quia aliàs eius opera non placuissent Deo, cui sine fide nemo potest placere. Respondeo D. Thomam ibi non velle nullam actionē infidelis posse vlla ratione placere Deo; sed solùm negat eius opera posse placere Deo ea ratione, qua Actor. 10. Cornelij actiones dicuntur placuisse Deo; ita scil. vt ratione ipsarum ipse vocetur vir religiosus & timens Deum, siue ita, vt ratione ipsarum ipse operans etiam placeat Deo, prout Cornelius placuit. Quod vel inde patet, quia probat operationem Cornelij non potuisse placere Deo sine fide, quia

Act. 10.

quia sine fide impossibile est placere Deo; quod, vt iam ostendi, non probat, nullam actionem infidelis posse placere Deo, sed solũ ipsam personam sine fide non posse placere Deo.

DVBIVM VII.

Qua ratione fides dicatur fundamentum & radix nostræ iustificationis?

83 *Trident. Rom.3.* HOc dubium proponitur, vt intelligatur locus Tridentini sess.6.c.8.vbi docet S.Paulum ad Rom.3.ideo dicere nos iustificari per fidem, quia *fides est humanæ salutis initium, fundamentum ac radix omnis iustificationis.* Bañez 2.2.q.4.a.7.dub.2. totam comparationem fidei cum fundamẽto & radice in eo cõstituit, quòd, sicut radix & fundamentum sunt origine prima pars totius ædificij aut arboris, ita fides sit origine prima pars ædificij spiritualis; vnde ait fidem informem non posse in eo comparari fundamento & radici, quasi ipsa sustentet ac connectat reliquas ædificij spiritalis partes, sicut facit fundamentum domus materialis, aut quasi fructificet sicut radix arboris: hæc enim vult soli caritati conuenire. nam ad Galat.5. & alibi fides dicitur operari per caritatem: & ad Ephes.5. Apostolus optat vt fideles sint in caritate fundati & radicati. Addit verò Bañez hoc diligenter à Catholicis obseruandum, ne cum Luthero consentiant, docente fidem, si vera sit, statim ex se fructificare spem & caritatem. Tandemque concluf.4.docet, fidem informem posse dici fundamentum secundùm potentiam & aptitudinem quasi materialem respectu ædificij Christiani.

Galat.5. *Ephes.5.*

84 *Vasquez.* Vasquez verò 1.2.disp.210.c.7. putat dictam opinionem nonnihil detrahere ipsi virtuti fidei, docetque Primò, sicut fundamentum domus materialis, dum hæc incipit paulatim exurgere, etiam antequam tectum imponatur, verè exercet rationem fundamenti sustinendo partes parietum sibi impositas: ita antequam caritas tamquam tectum domus spiritalis imponatur, dum homo iuxta Trident. sess.6.c.6 paulatim per actus fidei, timoris, spei, &c. ad iustificationem disponitur, fidem per hanc partium spiritalis ædificij sustentationem exercere actu officium fundamenti.

Trident. Fides ante infusam caritatẽ incipit exercere officium fundamenti.

85 Docet Secundò, etsi, vt fides actu exerceat rationem fundamenti respectu totius ædificij, necessarium sit adesse caritatem, sine qua illud nequit esse perfectum; ipsam tamen nõ ab hac, sed à se habere vim sustentandi ædificij; sicut etiam accidit in fundamento domus naturalis, quod nequit completũ ædificium actu sustẽtare, nisi tectum sit impositũ. Sicut tamen hoc nõ habet propriè rationem fundamenti, & vim reliqua sustentandi à tecto, sed ex se; ita ait fidem in ædificio spirituali, non habere eiusmodi vim à caritate sed à se; quia aliàs verè non haberet rationẽ fundamẽti, nec posset propriè & absolutè vocari fundamentum. Quia cùm nullam haberet vim sustentandi ædificium, nec hoc verè sustentaret (in quo tamen essentialiter consistit ratio fundamenti) nisi ratione caritatis sibi adiunctæ, ipsa secundùm se non posset verè & propriè dici fundamentum: cùm tamen à Trident. suprà, & sæpissimè à Patribus absolutè vocetur fundamentum, eique officium fundamenti tribuatur.

Fides à se, non autem à caritate, habet quòd sit apta vt sit fundamentum.

Docet Tertiò, sicut radix non solùm sustentat arborem, sed ei etiam succum subministrat, quo folia & fructum producit; ita fidem nõ esse solùm fundamentum mortuum, vt contingit in fundamento domus, sed esse fundamentum viuum instar radicis: nam non solùm super eam ædificatur domus spiritalis, sed etiam exercet officium radicis dum ipsa sperandas ac amandas nobis proponit, varias ac pias affectiones timoris, spei, aliasque similes tamquam succum aliquem in nobis excitat, ex quo fructus caritatis pullulat. Vnde S. Iudas in sua epistola pulchrè vocat hæreticos arbores autumnales, bis mortuas & eradicatas. 86 *S.Iudæ.*

Pro quo Notat Vasquez suprà c.6.arbores in fine autumni, dum fructus & folia ex quibus apparebat eorum vita, amittunt, quodammodo mori; mortuis enim arboribus planè similes sunt, & quamuis in radice vitam aliquã retineãt, hæc tamen non apparet, & cùm nec fructũ nec folia proferant, otiosæ, & pro eo tempore inutiles sunt: atque ita hæc est quasi prima mors arboris: cui similes sunt peccatores fideles, in quibus fides est otiosa; ideoque mortua dicitur. Secunda mors arboris est quando eradicatur, aut cùm radix ipsa in se moritur: cui similes sunt hæretici; ideoque à S.Iuda suprà dicuntur non solùm arbores autumnales, sed etiam bis mortuæ. Quæ Vasquez suprà ingeniosè deducit, & ex Patribus probat. Nec hæc sententia habet vllam connexionem cum sententia Lutheri, qui docet, veram fidem non posse separari à caritate, quod Vasquez cum omnibus Catholicis dãnat, nec ex sententia iam relata vllo modo sequitur. 87 *Vasquez.* Peccator & delis est similis arbori autumnali, hæreticus eradicatæ. *Vasquez.*

Et hæc sententia Vasquez ingeniosa est, & vim virtutis fidei, & qua ratione sit fundamentum & radix, bene explicat. vt tamen meliùs intelligatur, vlteriùs notandum est, quòd, etsi caritas eatenus respectu fidei habeat rationẽ fructus, quatenus ex fide proponente volũtati Deum vt caritate amabilem pullulat, tamen alia etiã ratione est vita non solùm animæ ipsius, sed etiã fidei aliarumq; virtutum, quæ sunt in anima. Primò, quatenus animam Christo perfectè vnit, in quo vita ipsius consistit, & consequenter tam eam, quàm ea quæ in ipsa sunt, facit viuere. Secũdò, quia fidem & spem aliasque virtutes excitat ad bene operandum, & fructus vitæ proferendos, iuxta illud D. Gregorij hom.30.in Euang. *Num- quam est Dei amor otiosus: operatur etenim magna, si est; si verò operari renuit, amor non est.* Vnde etiam pulcherrimè Apostolus 1. ad Corinth.13. *Caritas*, inquit, *patiens est, benigna est, caritas non æmulatur*, &c. & infrà: *Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* vbi caritati tribuit vim & functionẽ fidei, spei, aliarumq; omnium virtutũ, quia has omnes ad operandũ excitat, atq; ita facit eas viuere. Tertiò, caritas dicitur vita virtutũ, quia facit vt earum opera sint meritoria vitæ æternæ, & consequenter vt sint fructuosa & viua, quæ antea erant infructuosa, atque 88 Qua ratione caritas est vita animæ & virtutum. *Gregorius.* Amor numquã otiosus. 89 *1.Cor.13.*

Gal 5. atque ita mortua. Et ob has causas ad Galat.5. fides dicitur operari per caritatem. Demum caritas omnia sustinendo aduersa, & animam

Qua ratione fundemur ac radicemur in caritate. fortiter Deo vniendo, efficit vt virtutes fortiùs in anima radicentur & constantiùs permanent: atque hac ratione est etiam fundamentum & radix omnium virtutum, & in ea dicimur

Ephes 5. fundari & radicari, vt dicitur ad Ephes.5. Adde, alia ratione omnes virtutes dici radicari & fundari in caritate, quatenus omnes virtutes morales supernaturales, vnà cum caritate animę infunduntur, & cum eadem tolluntur. Et

D. Thomas. ob hanc causam S. Thomas 2.2. q.4.art.7. docet, caritatem connectere fidem cum reliquis ædificij partibus, siue virtutibus, & illam sine hac non habere completam rationem fundamenti.

DVBIVM VIII.

Qua ratione fides post lapsum Adæ fuerit omni tempore ad iustificationem necessaria?

90 NOta, cùm hîc agamus de necessitate fidei ad iustificationem à peccato, hanc quæstionem solùm habere locum in tempore quod lapsum Adæ fuit secutum: quia antè nulli erant qui à peccato poterant resurgere. qua ratione autem Adamo in paradiso & angelis fides fuerit necessaria, agam disp.17. dub.1.

Fides dupliciter supernaturalis. Nota Secundò, tam fidem quàm aliam cognitionem dupliciter posse esse supernaturalem. Primò, solùm ex parte obiecti, quia scilicet hoc sine diuina reuelatione nequit cognosci. Secundò, ex parte principij, quatenus elicitur ex principio supernaturali, nec potest viribus naturæ elici.

91 Necessitas alia medij, alia præcepti. Nota Tertiò, dupliciter aliquid dici necessarium. Primò, necessitate medij, sine quo iustitia obtineri omnino non potest, saltem secundùm Dei legem ordinariam. qua ratione aliqua pœnitentia saltem virtualis est necessaria ad remissionem omnis peccati actualis. Secundò, solùm necessitate præcepti. sic adultis secundũ aliquos baptismus actu susceptus est necessarius ad iustificationem: quam tamen per contritionem obtinere potest is qui baptizari nequit. Sicut autem inuincibilis ignorantia aut impotentia excusat ab obligatione præcepti, sic etiam hanc necessitatem tollit, ita saltem vt non noceat nõ ponenti rem præceptam. Secùs est de priore necessitate, quam nulla impotentia aut ignorantia tollit. vt patet in paruulis, qui extra casum martyrij, sine baptismo etiam in casu, quo ille tam ijs, quàm parentibus omnino impossibilis est, nullo modo saluari possunt.

92 Olim Manichæi, vt testatur D. Augustinus l. de Vtilitate credendi c.1. docuerunt nihil esse credendum quod non possit naturali lumine clarè demonstrari, atque ita volebant nullam

Augus. fidem ex parte obiecti aut principij supernaturalem esse ad salutem necessariã. Cui errori aliqua ex parte nonnihil aliquando fauit Soto, qui

Soto. l.2.de Natur.& gratia c.2.in 1.edit. vt ipse in 2.edit.(in qua suam sententiam corrigit) testatur, docuit fidem in lege naturę non fuisse necessariam ad iustificationem, sed sufficisse naturalẽ de Deo cognitionem cum Dei præueniente gratia, qua voluntas ad contritionem excitaretur. Et videtur posse probari, quia per talẽ cognitionem potest homini sufficienter Deus obiici vt amandus super omnia, & similiter peccatum vt Deo summè displicens, & ideo summè detestãdum: ergo voluntas ea sola cognitione posita adiuncta Dei gratia potest Deum sufficienter amare, & peccatum detestari; & consequenter iustificari.

Secundò, Vega lib.6. in Trident.c.21. docet, *Vega.* ignorantem inuincibiliter quidquam nobis à Deo esse reuelatum, posse naturaliter cognoscere Deum super omnia amandum; & peccatum, quia ei displicet, detestandum; atque ita posse hoc detestari, & iustificari: nec videtur ad hoc vllam gratiam requirere. Atque ita docet fidẽ, ad iustificationem solùm esse necessariam necessitate præcepti.

Probat Primò, quia Apostolus ad Rom.2.cũ *Rom.2.* dixisset, nõ auditores, sed factores legis iustificãdos, ait: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.* Vbi docet, Gentes, id est infideles, seruare omnem legem, & consequenter tanquam factores legis iustificari. Secundò, quia aliàs qui inuincibiliter fidem nostram ignorant, non haberent sufficientia media ad salutem, & quantumuis bene viuendo conarentur salutem assequi, hæc tamẽ esset ijs omnino impossibilis. quod absurdum est. Quod autem aliqui dicũt, si tales, quantum in ipsis est, laborarent vt bene viuerent, ac omnia peccata vitarẽt, Deum procuraturum vt ad cognitionem fidei venirent; ait *Vega.* Vega sine fundamento dici, quia Deus non solet facere miracula.

Alij quidam apud Turrian.2.2. disp.25.dub. *Tur.* 3. planè in alio extremo docent, fidem in eo, qui non habet cognitionem supernaturalem rerum fidei, esse ita necessariam ad eliciendum amorem Dei super omnia, aut contritionem, vt hæ actiones per nullam Dei potentiam possint ab illo sine fide præuia elici.

Probant Primò, quia Apostolus ad Hebr.11. *Hebr.11.* absolutè dicit esse impossibile sine fide placere Deo: quod non videtur fore verum, si hoc solũ esset impossibile ex Dei decreto, præsertim cùm de hoc non cõstet nobis. Secundò, quia volitio supernaturalis essentialiter prærequirit cognitionem supernaturalem, & omnis cognitio naturalis est planè improportionata ad volitionẽ supernaturalẽ: ergo, sicut per nullam potentiam fieri potest, vt quis velit rem omnino incognitã, ita fieri nequit, vt velit aliquid volitione supernaturali sola cognitione naturali cognitũ. Tertiò, quia actus spei essentialiter prærequirit actũ fidei supernaturalis: atqui ille actus est necessaria dispositio ad iustificationẽ, nec potest elici actus caritatis nisi actus spei aut præcedat aut sequatur (quia cũ actus caritatis virtute includat propositum vitandi in posterum omnia peccata mortalia, necessariò excitat spem veniæ:) ergo sine fide nequit haberi ex parte voluntatis dispositio necessaria ad iustificationem.

Maior prob. quia cùm spes debeat esse firmissima, nequit ipsa niti sola fide humana quæ incerta & infirma est, nec etiam potest niti cognitione naturali euidenti, quia hæc de promissione Dei haberi nequit.

95 Conclvs.I. Fides fuit omni tempore medium ad salutem necessarium. Ita cum D. Thoma 2.2.q.2.a.3. communiter Theologi, & est omnino certa, &, vt ait Bañez 2.2 q.2.ar.8. dub.1. aut est de fide, aut fidei proxima. vnde etiam Canus relect. de Sacram. p.2.q.2.concl.1. dicit contrarium esse erroneum. Prob. ex Apostolo ad Hebr.11. vbi absolutè docet, sine fide impossibile esse placere Deo: & expresè loquitur etiam de iis, qui vixerunt in lege natura: illud autè foret falsum, si fides non esset medium necessarium ad iustitiam, qua placemus Deo. quod patet, quia quoties adesset inuincibilis ignorantia rerum fidei, posset quis sine ea placere Deo; atque ita hoc nō esset impossibile. Similiter Marci vlt. dicitur: *Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et Iohannis 3. *Qui autem non crediderit, iam iudicatus est.* vbi Christus quasi rem omnino claram & indubitatam docet, infidelem ita esse in statu damnationis, ac si de facto iam esset damnatus.

D. Thomas. *Bañez.* *Canus.* *Hebr.11.* *Marci vlt.* *Iohan.3.*

96 Dices, hæc loca posse explicari de necessitate præcepti, atque ita ordinariè & extra casum inuincibilis ignorantiæ habere locum; quia ibi etiam dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* & tamen baptismus solùm videtur necessarius necessitate præcepti, quia quando hic impossibilis est, potest quis sine eo per contritionem saluari.

97 Respondeo, quidquid sit de hac quæstione, an baptismus debeat dici necessarius necessitate medij, an solùm præcepti (de qua satis egi tomo 1. de Sacramentis q.68.a.1.dub.2.) magnam hac in re esse differentiam inter baptismum & fidem. Primò, quia cùm sine fide non possimus hîc cognoscere ea, quæ omnino decet hominē ad filiationem Dei, & æternam beatitudinem destinatum cognoscere, quæque non potest sine indecentia & inconuenientia ignorare; fides ex natura rei est medium aliquo modo necessarium ad iustificationem & salutem peccatoris; ita vt quamuis Deus absolutè possit peccatorem sine fide iustificare & saluare, tamen id minùs conuenienter fieret. Quod sic probo, quia hominem vrentem ratione non conuenit à peccatis iustificari, & in amicitiam Dei recipi, nisi hoc expetat, & de peccatis doleat, saltem virtualiter Deum super omnia amando: ad quod omnino necessarium est vt ipse priùs cognoscat Deum esse summè bonum, & paratum eum in gratiam & amicitiam accipere: quod secundum sine reuelatione Dei nequit cognoscere.

Aliter fides necessaria est, quàm baptismus.

98 Dices, Etsi homo non possit naturaliter sine Dei reuelatione cognoscere Deum esse paratum eum in amicum & regni heredem accipere, potest tamen naturaliter cognoscere Deum esse summè bonum, & super omnia amandum, & saltem cum auxilio gratiæ eum ita amare, & consequenter poterit se conuenienter ad iustificationem disponere. Item poterit Deus ei clarè reuelare præcipua mysteria fidei: quo casu ipse ea sine propriè dicta fide clara cognitione à posteriore cognoscet esse vera, iuxta dicta disput.9. dubio 8. & consequenter non indigebit fide vt se conuenienter disponat ad iustificationem.

Respondeo negando vtroque casu consequentiam. Quia iustificatio & assumptio hominis in filium Dei, est res omnino supernaturalis, ideoque vt voluntas ad eam conuenienter disponatur, requiritur horum desiderium, siue actus spei & amoris Dei, ac peccati detestatio saltem virtualis; requiruntur hi inquam actus, non qualescumque, sed liberi & supernaturales: vt media sint proportionata fini. & similiter in intellectu requiritur cognitio, non qualiscumque, sed tali fini atque actibus voluntatis proportionata, qualis est sola fides supernaturalis, vt homo ea ratione, tam intellectu quàm voluntate liberè in Deum tendat, & firmissimè prout res tanta exigit, primæ veritati, & summæ bonitati adhæreat. 99

Cùm igitur ex dictis pateat, actum fidei ad dictum finem esse medium ex natura rei conuenientissimum, atque adeò saltem ad bene esse, & vt iustificatio conueniēti modo fiat necessarium: & contrà cùm baptismus ex se ac ex natura rei nullam cum iustificatione proportionem habeat, sed ex sola Dei institutione sit medium ad hanc conueniens. item cùm constet, verba Scripturæ secundùm diuersitatem materiæ in quam cadunt, diuersimodè & accommodatè rebus de quibus agitur esse intelligenda; manifestè sequitur, verba Scripturæ quæ absolutè docent fidem esse necessariam ad iustificationem, intelligenda esse de necessitate medij, etsi similia planè verba in materia baptismi solùm intelligerentur de necessitate præcepti. 100

Verba Scripturæ ratione materiæ, de qua agit, sæpe diuersimodè sunt intelligenda.

Secundò, inter fidem & baptismum magna hac in parte differentia est ex parte verborum Scripturæ. nam ad Hebræos 11. absolutè dicitur impossibile esse sine fide placere Deo, quod nullibi ita absolutè dicitur de baptismo. nam quod Iohannis 3. dicitur: *Nisi quis renatus fuerit*, &c. facilè mitiorem explicationem admittit, & potest intelligi de necessitate præcepti. Quod exemplis facilè potest probari. Nam verè alicui dico, Nisi die Dominico Sacrum audieris, peccabis mortaliter: malè tamen ei dicerem, Impossibile est te non audire Sacrum quin pecces mortaliter. 101

Hebr.11. *Iohan.3.*

Item Scriptura sæpè innuit aliquem posse saluari, & consequēter iustificari sine baptismo. nam apertè docet omnes Martyres saluandos, non requirens in iis baptismum: item dicit omnes verè amantes Deum aut dolentes de peccatis à Deo diligi, & accipere remissionem peccati. Prouerb.8. *Ego diligentes me diligo.* Iohan.14. *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum.* & 1.Iohannis 4. *Omnis qui diligit, ex Deo est.* & Ezechielis 18. & 33. generatim promittitur omnibus verè pœnitentibus remissio peccati; nec his locis, etiam in nouo testamēto, vlla fit mentio baptismi. Nec refert quòd etiam

Prouerb.8. *Iohan.14.* *1. Iohan.4.* *Ezech.18. & 33.*

non

non fiat mentio fidei: quia actus caritatis & pœnitentiæ nequeunt, vt iam ostendi, conuenienter fieri sine fide, nec Deus dat gratiam ad eos eliciendos necessariam alijs quàm fidelibus, atque ita Scriptura supponit elicientes eos actus habere fidem; hi tamen actus facilè fiunt sine baptismo, quando hic haberi non potest; nec Scriptura potest dici supponere eos, qui hos actus eliciunt, esse baptizatos. Tertiò, ex Actorum 10. apertè colligitur Cornelium *Act.10.* fuisse iustificatum ante baptismum: nam dicitur vir religiosus & timēs Deum, & cum tota domo sua ante baptismum accepisse Spiritum sanctū, qui non datur nisi aut iustificatis, aut simul cum iustificatione: vnde apertè sequitur, eius omnes domesticos fuisse ante baptismum iustificatos.

102 Nullibi autem Scriptura vel leuiter insinuat aliquem aliquando fuisse iustificatum, aut potuisse iustificari sine fide: imò Apostolus ad Hebr. *Hebr.11.* 11. ex eo quòd Enoch placuerit Deo, tamquam necessariò consequens infert, eum habuisse fidem, apertè ostendens nullum vmquam sine fide Deo placuisse, idque quia sine fide impossibile est placere Deo. Quæ vera non essent, si fides ad iustificationem solùm esset necessaria necessitate præcepti, quia tunc inuincibilis ignorantia ab ea necessitate excusaret, atque ita inuincibiliter ignorans res fidei posset sine fide placere Deo, vt vult Vega: & Apostolus ex eo quòd *Vega.* Enoch placuit Deo, malè inferret, eum habuisse fidem, maleque etiam probaret consequentiam, ex eo quòd sine fide sit impossibile placere Deo. Ex quibus omnibus patet, Scripturam longè aliter requirere fidem vt necessariam ad iustificationem, quàm baptismum.

103 Idem probatur ex Concilijs: nam Trident. *Trident.* sess.6.c.7. vocat baptismum Sacramentum fidei, *sine qua nulli vmquam contigit iustificatio.* Et ne fortè quis dicat, nullum quidem de facto fuisse iustificatum sine fide, inde tamen non inferri id fieri non posse, c.8. ex Apostolo docet sine fide impossibile esse placere Deo, aut ad consortium filiorum Dei peruenire, siue iustificari. Idem apertè docet Arausicanum cap.8. *Arausic.* & probat ex illo Iohannis 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* *Iohan 6.* Qualia numquam aut Scriptura aut Concilia dicunt de iis, quæ solùm sunt necessaria necessitate præcepti: cùm tam Ecclesia quàm Scriptura doceat, multos sine baptismo iustificari, qui tamen in noua lege maximè præceptus est.

104 Ad primum argumentum positum num.93. Respōdeo Apostolum ibi nullo modo docere, aliquos siue fide totam legem, etiam naturæ, seruasse aut iustificatos fuisse. Sed si ibi loquatur, vt multi volunt, de gentibus infidelibus, dicendum est eum non velle hos totam legem naturæ seruasse, sed solùm aliqua eius præcepta seruasse: nam cùm dicat eas gentes naturaliter seruare quæ legis sunt, si loqueretur de obseruatione totius legis, sequeretur, eas viribus naturæ totam legem naturæ seruasse. quod Pelagianum est, damnatum à Mileuitano c.4. & *Mileuitan. August.* 5. & ab Augustino locis pluribus. Imò apertè repugnat ipsi Apostolo, qui ibidem cap.1. dicit gentes ante fidem Christi maximis sceleribus fuisse implicatas. Et ne fortè quis credat hoc non esse accipiendum de omnibus omnino gentibus; cap.3. ait, *Causati enim sumus Iudæos & Græcos* (id est gentes) *omnes sub peccato esse; sicut scriptum est: Quia non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum: omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Vbi expressè docet, omnes infideles nemine excepto ad peccata declinasse. Alij verò, & fortè melius, illum locum Pauli intelligunt de gentibus fidelibus, qui dicuntur naturaliter, id est sine lege scripta (opponit enim ibi Apostolus naturaliter non gratiæ aut fidei, sed legi scriptæ, in qua Iudæi gloriabantur) obseruasse mandata naturæ; atque ita sibi fuisse lex. Vide Vasquez in paraphrasi *Vasquez.* istius loci.

Qua ratione gentes dicātur naturaliter facere ea, quæ legis sunt.

Ad secundum, nego assumptum. quia si tales cum auxiliis gratiæ quæ Deus certis temporibus secundùm suum beneplacitum ijs sufficientia suppeditat, conarentur quantum moraliter possunt, bene viuere & peccata vitare; Deus ipsos pergeret vlteriùs adiuuare, eaque iis media siue per angelos, siue per homines subministraret, quibus ad fidem, & ita ad iustitiam peruenirent. quod non asseritur sine fundamēto; sed apertè colligitur Primò, ex Scriptura, quæ sæpiùs docet, Deum non cupere mortem peccatoris, sed velle omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Et rursum alibi docet, id fieri non posse sine fide. vnde inferimus Deū (qui, vt dicitur Iohan.1. illuminat *Ioh an.1.* omnem hominem venientem in hunc mundū, quantum scilicet est ex parte sua, siue ita vt per ipsum non stet quo minùs aliquis illuminetur) tales sua fide illuminaturum, qui ex parte sua impedimentum non ponunt, sed quantū possunt ad hoc se disponunt. Quod potest facere vel per miraculum, si ei placuerit, vel etiam sine miraculo, res ita disponendo, vt illi tandem fidei prædicatores audiant. Secundò, id colligimus ex varijs historijs, quibus partim in Scriptura, Actorum 8. & 10. partim apud alios scriptores narratur Deum sæpè extraordinario aut etiam miraculoso modo procurasse, vt tales fidei prædicationem audirent.

105

Conclvsio II. Ad iustificationem necessaria est fides supernaturalis ex parte obiecti, siue quæ feratur in obiectum, quod solo naturæ lumine, sine diuina reuelatione cognosci nequeat. Est communis Catholicorum. Et probatur Primò, quia fides theologica necessariò nititur obiecto formali supernaturali, scilicet testimonio siue reuelatione Dei. Secundò, quia, vt docet Apostolus ad Hebræos 11. vt placeamus Deo, *Hebr. 11.* necessaria est fides qua credamus Deum esse remuneratorem iis qui ipsum inquirunt. Quod (vt patet ex varijs locis, totoque contextu illius capitis) intelligēdum est de remuneratione supernaturali quam fideles post hanc vitam sperant: de qua ex Isaiæ 64.1. ad Corinth.2. dicitur, *1.Cor.2.* *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Vbi apertè significatur, hanc remunerationem non posse naturaliter cognosci.

106

Confirmatur, quia Apostolus loco suprà citato docet, impossibile esse placere Deo sine fide; de qua antè dixerat, eam esse substantiam rerum sperandarum, & argumentum non apparentium, quæ scilicet post mortem accepturi sumus, & hic cognoscere naturaliter non possumus: vnde ibidem, præsertim v.15. docet, omnes sanctos, qui olim in fide excelluerunt, deseruisse terrena & præsentia, vt cælestia, & à cognitione nostra remota consequerentur.

107 CONCLVSIO III. Fides ad iustitiam necessaria debet esse supernaturalis ex parte sui principij, siue proficiscì ab auxilio Dei supernaturali. Est etiam communis Doctorum, & apertè definita in Tridēt. sess.6.can.3. vbi dicitur anathema ei, qui dicit nos viribus naturæ sine Dei auxilio posse credere, sperare, &c. prout requiritur ad iustificationem. Idem definitur in Arausic.c.5. & sæpissimè docet S. Augustinus contra Pelagianos; & apertè habetur Iohan.6. vbi dicitur, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Vbi Christus agit de accessu per fidem, vt apertè patet ex adiunctis.

Trident.

Arausic. August. Iohan.6.

108 CONCLVSIO IV. Per absolutam Dei potētiam fieri potest, vt quis sine fide supernaturali ex sola cognitione naturali (qua naturæ lumine cognoscit Deum super omnia amandum;) & ex fide humana (qua credit viris fide dignis, à quibus audiuit Deum contritis remittere peccata, & bene viuentibus promittere vitam æternam) per auxilium Dei speciale, quo voluntas eius adiuuetur, veros actus spei, caritatis ac cōtritionis supernaturales eliciat, ac ita se ad iustificationem disponat. Ita plures viri docti, quos tacito nomine citat Turrian.2.2.q.25.dub.3. Et eandem, vt consequenter loquantur, necessariò tenentij, qui docent actum supernaturalem & naturalem posse versari circa idem obiectum formale. quos citaui disp.5.dub.3.

Turrian.

Probatur Primò, quia nulla vel apparens potest ostendi implicantia ob quam id fieri nequeat, vt patebit ex solutione argumentorū: ergo hoc non est diuinæ potentiæ negandum.

Secundò, quia, vt patet in hæreticis, potest quis, præsertim posita Dei reuelatione, naturali cognitione, siue fide humana cognoscere siue credere Deum esse summè diligendum, peccata esse detestanda, & vitam æternam nobis bene operantibus promissam, idque planè constanter ac firmiter, præsertim si eius volūtas diuina gratia adiuuetur. Item poterit voluntas eius ea cognitione excitari vt Deum tanti boni fontem aliquo modo diligat, & peccatum oderit, ac illa bona à Deo speret (nam videmus aliquos hæreticos sine fide supernaturali, firmiter dicta credere, & sibi æternam salutem firmiter promittere:) quare si Deus specialiter cum eius voluntate concurrat, illi actus erunt perfecti & supernaturales.

109 Tertiò, quia ideo præcisè actus intellectus est absolutè prærequisitus ad volendum, quia voluntas nequit ferri in obiectum, nisi perceptibiliter ei proponatur: atqui siue obiectum aliquod voluntati proponatur fide naturali siue supernaturali, æqualiter est nobis perceptibile, & æqualiter voluntas eo mouetur: ergo sicex parte sua æquale habeat auxilium, æquales in vtroque casu actus poterit elicere.

Actus intellectus naturalis & supernaturalis reddunt obiectum volūtati æqualiter appetibile.

Minor probatur: quia aliàs ex diuersa perceptione obiecti, ac motione voluntatis possemus ipsa experientia percipere nos habere fidem supernaturalem; & hunc actum clarè distinguere à fide naturali: quod experimur esse falsū. Quare quòd fides aut cognitio naturalis dicitur improportionata ad eliciendum actum voluntatis supernaturalem, non est intelligendum ei deesse proportionem physicè & ex natura rei necessariò requisitam: sed accipiendum est de proportione moraliter, & ad decentem conuenientiam requisita, quia scilicet, vt dixi nu.99. omnino conuenit, vt homo ad finem supernaturalem tendat actibus tam ex parte intellectus quàm voluntatis supernaturalibus: ideoque Deus firmiter statuit ne hoc aliter sufficienter ad salutem obtinendam fiat; nec enim est vlla ratio quæ aliud probet.

Intellectio naturalis sufficiens moraliter est improportionata volitioni supernaturali.

Ad primum argumentum positum num.94. 110 nego assumptum; nam ad veritatem illius dicti sufficit sine fide placere Deo esse impossibile ex decreto Dei, quod sufficienter ex Scripturis colligimus, vt patet ex dictis.

Ad secundum, nego antecedens: vt patet ex dictis n. præcedenti.

Ad tertium, nego maiorem. Ad prob. nego assumptum: nam vt firmiter aliquid sperem, nō est omnino necessarium vt id planè infallibiliter siue modo omnino infallibili cognoscam: sed sufficit quòd id firmissimè credam, vt patet in hæreticis, qui firmissimè sibi promittunt vitam æternam, quam tamen modo ex se fallibili cognoscunt. Nec refert, quòd hæc spes sit falsa; quia hoc non fit, eò quòd eorum cognitio sit ex se fallibilis, sed quia fundamentum, quo eorum spes nititur, est falsum. In casu autem conclusionis nostræ etsi fundamentum illius spei fortè cognitione fallibili cognosceretur, tamē ipsum in se esset verissimum ac certissimum. Adde, si talis crederet Deum nobis illa promisisse, quia clarè videt Ecclesiam hoc docere, eius cognitionem fore omnino certam; nam niteretur Ecclesiæ doctrina euidenter cognita, quæ fallere non potest.

DVBIVM IX.

Quænam necessariò necessitate medij explicitè credenda sint, vt quis possit iustificari?

DE iis, quæ necessariò nobis credenda sunt 111 agit D. Thom.2.2.q.2.a.4.5.6.7.8. docetque nos tenere explicitè credere ea, per quæ efficimur beati, scilicet tam obiectiuè (qualia sunt ea ad quæ necessariò terminatur visio beatifica) quàm effectiuè (qualia sunt merita Christi & gratia Dei:) sed ipse non agit illis articulis de illis solis, quæ necessariò necessitate medij credenda sunt, sed etiam de ijs, quæ ex præcepto credenda sunt; nos autem hìc agimus de solis prioribus, de alijs autem dubio sequenti agemus.

D.Thom.

Vt autem distinctiùs procedamus, Notādum 112 est Primò, nos id explicitè credere, quod secundùm se distinctè cognitum particulatim credimus: implicitè verò credimus id, quod secun-

Quæ dicamur explicitè credere: quæ implicitè.

secundùm se nobis ignotum , aut saltem non creditum; virtute continetur in alia propositione, quam distinctè credimus. v.c. qui expresè credit omnia esse vera, quæ credit Ecclesia Catholica , implicitè credit Deum esse trinum & vnum, Christum esse incarnatum, &c. etsi hæc fortè ignoret; item secundùm eos, qui dicunt actum fidei non posse consistere cum actu scientiæ circa idem obiectum , qui per naturalem demonstrationem scit Deum esse, & credit eum factum esse hominem, implicitè credit eum esse , cùm tamen id explicitè & secundùm se nequeat credere.

113 Nota Secundò, nos hîc de iis non agere , qui numquam vsi sunt ratione; nec etiam quærere quænam iusti teneantur credere , vt possint in iustitia perseuerare. Iustis enim ad hoc nullus actus fidei propriè est necessarius necessitate medii, nisi fortè per accidens, quatenus sine eo non possunt aliquod præceptum hîc & nunc obligans implere. Quare etsi iustus nullum vmquam actum fidei eliciat, si in eo contra nullum præceptum peccet , non oberit ei quo minùs in iustitia perseueret. Quamuis si diu vtens ratione viuat, fieri nequeat quin aliquo præcepto per se aut per accidens ad varios actus fidei eliciendos obligetur; excusabitur tamen in iis, quæ inuincibiliter ignorabit.

Iustus vt in iustitia perseueret, actus fidei solum est necessarius necessitate præcepti.

114 Similiter non agimus propriè de eo qui in fide sufficienter est instructus circa omnia mysteria necessariò credenda , quæque aliquando actu explicito credidit, & retinet circa ea fidem habitualem , & solam caritatem amisit ; nam cùm hic habeat habitum fidei, ac moraliter loquendo censeatur adhuc perseuerare in actuali fide, quam semel habuit , nec vmquam reuocauit , ex parte intellectus est sufficienter in Deum conuersus , (sicut tom.1 de Sacram.q. 64.a.8.dub.5. dixi de eo qui habuit aliquando sufficientem dispositionem ad susceptionem Sacramenti, & postea ante illius reuocationem, in amentia baptizatur , aliudue Sacramentum susçipit) & noua conuersio in Deum per actum fidei ea tenus in eo vt iustificetur solùm requiritur , quatenus hic necessarius est vt voluntas eos actus eliciat qui ei hîc & nũc ad iustificationem necessarii sunt. Quare cùm fieri possit, vt talis si sit immemor sui peccati, subitò excitetur ad actũ caritatis, atque ita iustificetur (vt ostendi tom.2. de Sacramentis, disp.2. dub.6.) solus ille actus fidei tunc erit ei necessarius qui alicui iusto necessarius est vt actum caritatis eliciat.

Quæ fides necessaria sit peccatori fideli ad iustificationẽ.

Lorca. Ita Lorca 2.2.disp 22.n.15.

Propriè igitur solùm hîc agimus de homine adulto vtente ratione , qui habitu fidei caret, aut mysteria fidei ad salutem necessaria numquam explicitè credidit, & quærimus qualis fides explicita sit ei ad salutem necessaria?

115 Nota Tertiò, omisso statu hominis in paradiso (de quo agemus disp.17.dub.1.) triplicem alium hîc posse considerari. Primò, quem habuit homo post lapsum in lege naturæ. Secundò, quem habuit sub lege veteri. Tertiò, quem habuit sub lege gratiæ : de singulis enim sunt diuersæ aliquorum sententiæ.

Nota Quartò, exceptis quibusdam, quos citaui nu.92. & 93. Doctores ferè communiter admittere , tali homini ad iustificationem necessitate medij quouis tempore fuisse necessarium explicitè credere , aut alia saltem ratione sufficienter cognoscere ea quæ necessariò cognoscenda sunt , vt possimus Deum vero cultu latriæ , siue tamquam Deum colere, & veram beatitudinem ab eo sperare. Quia sine huiusmodi cognitione fieri saltem connaturaliter nequit , vt nostra voluntas se verè à peccato in Deum conuertat, prout decet eam conuerti, vt à peccatis liberemur , & in filios ac heredes Dei acceptemur ; quæ conuersio sicut est medium naturaliter necessarium vt peccator conuenienti modo in filium Dei assumatur, ita ex decreto Dei est medium ad hoc absolutè necessarium; iuxta dicta n.100. Quod etiam clarè patet ex Apostolo ad Hebræos 11. vbi docet, impossibile esse sine fide placere Deo , quia accedentem ad Deum oportet credere , quia est, & quòd inquirentibus eum remunerator sit; scilicet illa remuneratione , quam , vt docuit initio capitis, ab eo speramus, quæ est vita æterna.

Quænam omnes necessariò credẽda admittãt.

*Hebr.*11.

Hinc sequitur, esse necessarium necessitate medij vt credat Primò, Deum esse verè Deum: item eum esse vnum, increatum & omnipotentem : quia aliàs non crederet eum verè esse Deum, sed aliquid aliud , quod Deus non est. Secundò, Deum esse principium seu creatorem totius vniuersi : quia aliàs nec haberet dignam de Deo existimationem , si eum quasi in alienum domicilium in hunc mundum introductum crederet ; nec posset eum vera latria adorare ; quia per hanc testamur Deum tamquam rerum omnium primum principium, summum habere in omnia dominium ac potestatem. Tertiò , Deum habere rerum omnium prouidentiam: quia aliàs nec posset incitari vt ad eum tamquam ad suum seruatorem ac protectorem confugeret , aut vt ei pro acceptis beneficijs gratias competenter ageret ; quia non conciperet hæc ex Dei beneficio sibi prouenire; imò nec dignum Deo de Deo haberet conceptum, quia non conciperet eum vt rectorem & gubernatorem mundi, aut talem , quem debeat colere, eiusue gratiam expetere : nam si Deus non habet rerum nostrarum prouidentiam, parum curat quid agamus , aut an eum colamus nec ne; imò Deus hæc ne quidem consideraret, cùm hæc considerare & curare sit pars siue actus prouidentiæ & gubernationis circa vniuersum. 116

Quartò , Deo virtutem placere & vitia esse odio , & consequenter eum esse vindicem peccatorum & remuneratorem bonorum operum: quia aliàs nequit concipere quomodo benè gubernet vniuersum siue hunc mundum, nisi concipiat eum punire peccata , & præmia bonis operibus reddere. Item nisi credat Deo displicere vitia , & virtutes placere , nequit talem de Deo habere cognitionem, quæ ipsum à vitiis ad virtutem conuertat, siue quæ in ipso sit nata excitare contritionem , aut etiam attritionem. Nec enim possum odisse vitia, quia Deo displicent , aut quia ipse ea punit, nisi credam Deum 117

ea odisse ac punire: vt autem à peccato iustificer, necesse est me de peccatis conteri, aut saltem atteri cum susceptione Sacramenti; & consequenter necesse est me habere talem circa Deum & peccata fidem, quæ in me nata sit excitare contritionem aut attritionem. Nam sicut in voluntate ad iustificationem necessaria est necessitate medii contritio aut attritio cum Sacramento; ita ad eamdem in intellectu necessaria est fides, quæ dictos affectus nata sit excitare.

118 Dices Primò, Potest fieri vt talis non cogitet de suis peccatis, & excitetur in Dei amorem ex sola cognitione bonitatis ipsius, & sic iustificetur. Respondeo, ad iustificationem non sufficere qualemcumque amorem Dei; sed debere esse talem, qui contineat virtute contritionem, siue qui naturaliter & necessariò excitet contritionem in eo, qui memor est se esse in peccato: nam aliàs in adulto posset esse remissio peccati sine vlla omnino etiam virtuali contritione, aut dolore de peccato. quod est contra apertam doctrinam Concilii Trident. sess. 14. c. 4. de Sacramento pœnitentiæ. Talis autem amor Dei virtute continens contritionem nequit esse in eo, qui omnino ignorat peccata Deo displicere. Quamuis enim is, qui habitualiter scit Deum summè odisse peccata, possit excitare in se verum actum caritatis, qui virtualiter sit contritio, etsi nihil omnino actu cogitet de peccatis, siue an hæc Deo displiceant: secùs tamen est de eo, qui hoc ignorat; quia alter actu sic est affectus, tam intellectu quàm voluntate, vt si ei occurreret cogitatio peccati, statim conciperet id Deo displicere & vt tale detestaretur; secùs est de eo qui hoc ignorat: quare alterius amor continet virtute contritionem, huius autem non.

Qualis amor Dei requiratur ad iustificationem.

Trident.

119 Nec refert quòd hic fortè Deo singulariter concurrente possit ex amore Dei in voluntate ita esse affectus, vt statim summè odisset peccatum si sciret id Deo displicere. Quia hinc solùm sequitur, talem habiturum virtualem contritionem si haberet sufficientem de Deo cognitionem; siue nisi esset ille defectus in intellectu; ex quo consequenter sequitur aliquis defectus in voluntate. Adde, nos hîc non quærere quid de potentia Dei absoluta fieri possit, sed quid conueniat fieri, atque ita de potentia Dei ordinaria fieri possit: ex dictis autem satis patet minùs conuenire, atque ita secundùm Dei præsens decretum fieri non posse vt Deus ei peccata remittat, qui ne virtualiter quidem de iis dolet. vnde etiam vlteriùs sequitur, non conuenire Deum carenti fide ad talem dolorem omnino necessaria dare eiusmodi auxilia, quibus ipsum super omnia amet; & consequenter fieri non posse, vt ea fide carens eliciat verum actum caritatis Dei.

120 Dices Secundò, vt docet Trident. sess. 14. c. 4. vt quis iustificetur per Sacramentum, sufficit attritio concepta ex consideratione turpitudinis peccati: atqui poterit aliquis hanc turpitudinem sufficienter concipere, eamque detestari, etsi ignoret eam Deo displicere: ergo cum hac ignorantia poterit sufficienter atteri, vt per Sacramentum iustificetur.

Trident.

Respondeo negando minorem: quia cùm Concilium ibi loquatur de attritione supernaturali (nam naturalis nequit esse dispositio ad iustitiam etiam per Sacramentum acquirendã.) non debet intelligi loqui de quauis consideratione turpitudinis peccati; sed de ea, quæ fit cum aliquo respectu ad Deum, siue qua Deus offendatur, siue qua considerem peccatum esse valdè turpe quod Deum ita grauiter offendit. Nam loquitur de consideratione turpitudinis peccati, quæ mouet peccatorem non solùm ad huius detestationem, sed etiam ad desiderium veniæ & reconciliationis cum Deo, quia requirit attritionem coniunctam cum spe veniæ: talis autem consideratio nequit esse in eo, qui ignorat Deum peccatis offendi; nam spes veniæ supponit offensam; nec possum sperare veniam ab eo, quem non offendi.

Non omnis detestatio turpitudinis peccati sufficiens disposito ad susceptionem Sacramenti.

121 His adde Primò, fieri non posse vt dignam de Deo opinionem habeam, imò vt verè credam eum esse Deum, & tamen absolutè ignorem ipsum peccatis offendi; quia non offendi peccatis, siue hæc non odisse nimis apertè repugnat illi summæ bonitati. Hinc nulla natio tam barbara reperitur, quæ Deum esse fateatur, & tamen ignoret eum peccatis offendi; quantumuis multi credant eum quibusdam actionibus non offendi, quæ verè peccata sunt, quia non putant has esse peccata.

Non concipit Deum verè esse Deum, qui ignorat eum offendi peccatis.

Adde Secundò, hoc ipso quo Apostolus suprà docet, accedentem ad Deum debere credere Deum esse remuneratorem inquirentibus eũ, scilicet per bona opera, simul apertè docere eum teneri credere Deum virtuti præmium reddere, & consequenter punire vitia: hæc enim coniuncta sunt & ad eumdem pertinent.

Eiusdem est punire peccata, & remunerari virtutem.

122 Quintò, debet explicitè credere animam esse immortalem, & post hanc vitam pro meritis accepturam præmia vel supplicia. Patet, quia Apostolus suprà docet, accedentem ad Deum debere credere quòd inquirentibus ipsum remunerator sit; loquiturque de remuneratione æterna, quam post hanc vitam expectamus, vt patet ex initio capitis & vers. 15. vt etiam suprà ostendi: nisi autem quis credat animam esse immortalem, & post hanc vitam superesse aliam, in qua Deus pro meritis præmia aut supplicia reddit, ipse satis nequit intelligere, quomodo Deus reddat præmia virtuti, & iupplicia peccatis, cùm hoc in hac vita sæpissimè nõ faciat; nam videmus hîc sæpissimè bonos affligi, & malos omnibus commodis affluere.

123 Sextò, debet explicitè credere se non posse suis viribus à miseriis erui, & æterna illa præmia consequi; hoc enim omnino necesse est vt cum requisita demissione animique subiectione, & conuenienti in Deum fiducia sine præsumptione, ad eius amicitiã & æterna præmia aspiret; & consequenter, vt sufficiẽter à peccatis ad Deum tam quam ad suum iustificatorem & patrem cõuertatur: neque enim sufficienter est dispositus vt conuenienter tanta bona à Deo recipiat, qui hæc ab eo nullo modo sperat accipere; nec ea à Deo sperare potest, qui putat se ea non Dei auxilio, sed suis viribus debere assequi. Neque etiam

iam debitè quis potest erga Deum, vt suum iustificatorem, affici, qui eum talem esse ignorat. quare vt adultus conuenienter ad iustificationem disponatur, omnino necessarium est, vt sciat se ad hoc aliquo Dei auxilio indigere; etsi non teneatur distinctè scire quale hoc auxilium sit. quæ magis patebunt ex dicendis concluſ.2. 3.4. His autem positis quadruplex hîc occurrit difficultas.

Prima difficultas est, vtrùm ii, qui aliqua ex supradictis, v.c. Deum esse vnum, esse creatorem & gubernatorem vniuersi, &c. per naturalem demonstrationem sciunt, teneantur eadem fide theologica credere.

124 D. Thomas 2.2.q.2.a.4. in corpore docet, nos *D. Thomas.* debere fide credere etiam ea quæ naturaliter possumus per demonstrationem cognoscere. Primò, quia aliàs nimis tardè & post multa studia ea cognoscerемus. Secundò, quia aliàs multi rudiores aut qui numquam studuerunt, qui consequenter non possunt dictorum habere veram demonstrationem, aut vim eiusmodi demonstrationis clarè cognoscere, non possent habere sufficientem cognitionem rerum fidei. Tertiò, vt certiùs eas res possimus cognoscere: quia ea, quibus tota nostra spes & religio nititur, debemus certissimò cognoscere; omnis autem nostra cognitio naturalis, præsertim circa res diuinas, est magna ex parte fallibilis & erroribus obnoxia. vt patet in antiquis philosophis, qui circa Deum eiusque prouidentiam ac potentiam habuerunt varios errores, & minùs firmi ac constantes in suis opinionibus fuerunt. Quæ ratio cùm generalis sit, & spectet directè eos, qui naturaliter aliqua de Deo clarè sciunt, apertè concludit etiam hos teneri hæc credere. Contrà tamen videtur facere quod idem ibidem docet in respons. ad 2. vbi ait: *Dicendum quòd de eodem non potest esse scientia & fides apud eumdem, sed id, quod est ab vno scitum, potest esse ab alio creditum.* Vbi videtur negare, nos posse fide credere ea, quæ naturaliter clarè scimus. Quare mens D. Thomæ nonnihil obscura est, ideoque varii eum variè interpretantur, vt patet apud Turrian. 2.2.disp.26.dub.1. ego verò credo æquius esse ea quæ habet in dicta respõs. interpretari secundùm ea quæ habet in corpore, quàm contra; cùm & ratio & Scriptura illi interpretationi magis faueant, vt patet ex dictis disp.11. dub.1. & ex dicendis infrà concluſ.1. patebit. *Turrian.*

125 Quidam verò putantes scientiam nullo modo posse consistere cum fide circa idem obiectum, consequenter putant nos nullo modo teneri, imò nec posse, vera fide credere ea, quorum habemus claram demonstrationem; quorum fundamenta retuli & refutaui disput.11. dubio 1.

Alii volunt, nos talia posse, atque adeò teneri credere, non quidem eodem tempore, quo habemus circa ea actum scientiæ, sed alio tempore.

Sed hoc etiam loco citato n.24. & 25. refutaui. Et inde sequeretur, philosophum Gentilem, qui haberet actu cognitionem claram, quòd Deus sit vnus & rerum omnium creator ac gubernator, non posse pro eo tempore vllo modo conuerti ad fidem: quia aut deberet tunc simul circa eamdem rem habere fidem & scientiam, aut conuerti sine fide istarum rerum: quod illi vtrumque negant. Omnino autem videtur absurdum dicere aliquem reddi ineptum vt conuertatur præcisè quia naturaliter clarè cognoscit Deum esse rerum omnium opificem ac gubernatorem; cùm hoc potiùs ad eius conuersionem iuuet: palàm enim est talem esse aptiorem qui conuertatur, quàm si esset omnino atheus.

Nec sufficit, quod aliqui respondent talem posse tunc expellere illum actum scientiæ, & ita credere. Primò, quia, vt ostendi loco citato nu.25. fieri nequit vt habens claram cognitionem alicuius obiecti hanc expellat, quamdiu de eo obiecto distinctè cogitat: qui autem vult aliquid credere, debet de eo distinctè cogitare. Secundò, quia tunc talis cognitio secundùm se honesta & expetenda, & qua S. Auguſt. l.14. de Trinit. c.1. docet fidem gigni, nutriri & confirmari, directè obesset fidei, & tali homini esset noxia, & conuersionis impedimentum. quæ absurda sunt. *Auguſt.*

Tertiò, alii docent, talem posse & teneri dicta credere, non quidem explicitè & distinctè secundùm se (quia hoc putant esse impossibile) sed implicitè & in alio: v.c. talis credèdo Deum esse remuneratorem siue largitorem præmiorum supernaturalium, & iustificatorem (quæ homo naturaliter nequit cognoscere,) simul implicitè credit eum esse. Ita videtur sentire Lorca 2.2.disp.14.n.13. 126 *Lorca.*

Sed nec hæc responsio satisfacit. Primò, quia non possum dici verè & propriè credere implicitè & in alio, quod secluſa omni ignorantia non possum credere explicitè & in se. Sicut, etsi ex eo quòd homo sit risibilis necessariò inferatur eum esse animal rationale; tamen si hoc non possim secundùm se scire actu verè scientifico, neque potero hoc scire vero actu scientifico in alio. quia sicut vt aliquid sit in se distinctè scibile, debet in se distinctè esse demonstrabile, ita vt aliquid sit scibile in alio, debet esse demonstrabile in alio: hominem autem esse animal rationale, non est vllo modo demonstrabile per illam demonstrationem, qua demonstro & scio hominem esse risibilem; & per consequens nec est scibile per illam demonstrationem. Quare qui scit hominem esse risibilem, per illum actũ propriè non scit eum esse animal rationale; sed supponit hoc alio actu cognitum. & similiter si is qui actu euidenter scit Deum esse, non possit distinctè credere eum esse, nec poterit id implicitè credere per eum actum, quo credit eum esse iustificatorem; sed hic actus supponit alium actum, quo cognoscet eum esse, & per illum actum solùm credet hoc attributum ei cõuenire. Nequeo id credere implicitè quod secluſa ignorãtia nequeo credere explicitè.

127 Confirmatur, quia in hac propositione, *Petrus laborat febri*, non minùs implicitè continetur hæc, *Petrus est* siue *viuit*; quàm in hac, *Deus est iustificator*, contineatur hæc, *Deus est*. & tamen quando Petrus credit medico dicenti eum laborare febri, non credit ei, siue propter dictum ipsius, se esse aut viuere (ridiculum enim est dicere,

cere, Petrum credere, & consequenter cognoscere se viuere, quia medicus dicit eum ægrotare) sed illa cognitione aliunde supposita credit sibi febrim inesse: ergo similiter dicendum est de eo, qui propter actualem scientiam nequit credere Deum esse, quòd scilicet hoc nequeat implicitè credere.

128 Secundò, dicta responsio non satisfacit; quia ex ea sequitur Primò, aut ad iustificationem hominis infidelis, non requiri tamquam medium necessarium explicitam cognitionem, qua cognoscat Deum esse, aut ad eam sufficere ac disponere cognitionem huius obiecti merè naturalem: vtrumque autem videtur apertè absurdum: ergo & id vnde sequitur. Maior probatur, quia secundùm illam responsionem talis nullo modo haberet explicitam fidem qua crederet distinctè Deum esse; sed explicitè id solùm cognosceret cognitione merè naturali. item cùm talis, vt suppono, tunc iustificetur, & consequenter necessariò habeat omnia media ad iustificationem necessaria; apertè sequitur, ad iustificationem aut non requiri tamquam medium necessarium explicitam illius obiecti cognitionem, aut sufficiens medium esse cognitionem Dei merè naturalem. Minor probatur: quia communiter omnes docent, explicitè & distinctè cognoscere Deum esse medium necessarium ad iustificationem. Item, dicere cognitionem merè naturalem posse esse medium necessarium aut conducens ad salutem, apertè repugnat Mileuit. c. 4. & Arausic. c. 5.

Arausic. Mileuit.

129 Secundò, sequeretur, tali homini non esse ad iustificationem necessarium, credere Deum esse rerum omnium creatorem si hoc clarè sciret: quia hoc non ita continetur in aliis propositionibus, quas necessitate medii tenemur credere vt iustificemur: posset enim quis reliquas omnes firmiter credere, siue sibi persuadere esse veras, negando Deum esse rerum omnium conditorem: quare qui has omnes credit non necessariò implicitè credit illam: vt autem iam suprà ostendi, nemo potest iustificari nisi credat Deum esse rerum omnium creatorem; nec potest dici sufficere hoc scire cognitione naturali, quia hæc nequit esse medium necessarium aut conducens ad salutem.

Secunda difficultas est, vtrùm ante Christum natum, tam sub lege naturali quàm sub lege Moysis necessarium fuerit explicitè credere Christum siue Messiam venturum, vt nos à peccatis liberaret?

130 Veteres tripliciter potuerunt credere venturũ Messiam.

Vt sensus difficultatis clariùs intelligatur, Nota antiquos tripliciter potuisse credere, venturum Messiam, & nos à peccatis liberaturum. Primò, omnino implicitè & in confuso, solùm credendo Deum nos liberaturum à miseriis ac peccatis, & ad finem ac beatitudinem perducturum, iis mediis, quæ prouidentia ipsius optima iudicaret; inter quæ media cùm præcipua essent natiuitas, merita ac passio Christi, qui illa credebant, implicitè etiam hæc credebant.

Secundò, credendo explicitè venturum Messiam, siue aliquem à Deo mittendum, qui esset mediator inter homines & Deum, & nos huic reconciliaret, modo ipsi noto; abstrahendo ab hoc vel illo modo in particulari; & an ille futurus esset Deus & homo, an verò purus homo.

Tertiò, explicitè credendo Christum futurum Deum & hominem, & sua morte nos à peccatis liberaturum. Inter quos modos secundus est medius, & respectu prioris potest dici fides explicita Messiæ, siue mediatoris venturi; respectu verò tertii est fides implicita Christi ac passionis eius.

Omissa igitur opinione Vegæ refutata dubio præcedenti, qui putabat non esse necessarium necessitate medii aliquid credere; 131

Prima opinio docet, ante Christum natum non fuisse necessarium quidquam de eo venturo explicitè credere, sed sufficisse explicitè credere Deum esse nostrum iustificatorem, nosque liberaturum modo sibi cognito; in qua fide continetur implicita fides venturi Christi. Ita Durand. in 3. d. 25. qu. 1. Richard. ibidem a. 3. qu. 2. Bañez 2. 2. q. 2. a. 8. dub. 1. concluſ. 3. §. *Ad tertij argumenti.* & dub. 2. in fine concluſ. 2. & 3. Ratio huius opinionis est. Primò, quia Apostolus ad Hebr. c. 11. non videtur aliam fidem requirere. Secundò, quia hæc fides est sufficiès vt quis possit per actum contritionis ad Deum conuerti, & in ea sufficienter videtur implicitè contineri fides Christi. Tertiò, quia aliàs plurimis Gentibus, quibus non fuit reuelatus Messias, fuisset impossibilis salus.

Durand. Richard. Bañez. Hebr. 11.

Secunda sententia docet, priorem sententiam 132 saltem fuisse veram pro tempore legis naturæ; secùs tamen fuisse tempore legis Moysis. Ita Alensis 3. p. q. 69. memb. 3. a. 1. & 2. Prior pars probari potest tertia ratione allata pro priori sententia. Secunda autem probatur: quia tempore legis Moysis fuit aduentus Messiæ apertè reuelatus, & omnibus credendus propositus.

Alens.

Tertia sententia docet, omni tempore fuisse 133 necessarium explicitè credere, non solùm Christum venturum, sed etiam eum fore verũ Deum & hominem, & morte sua nos redẽpturum. Ita quidam apud Bañez 2. 2. q. 2. a. 8. dub. 2. concl. 5. Eamdem opinionem tenuit quidam olim tẽpore S. Bernardi, qui putabat omnes veteres iustos ea omnia quæ fides docet de Christo, tam explicitè credidisse futura, quàm nos credimus facta, quem ipse epistola 77. fusè refutat. Dicta autem sententia videtur maximè niti auctoritate D. Augustini, qui sæpiùs docet, quouis tempore fuisse necessarium ad iustificationem credere Christi diuinitatem, natiuitatem, & mortem: cuius verba infrà referemus, & ostendemus ea debere intelligi de fide implicita istorum mysteriorum.

Bañez. Bernardus.

Quarta demum sententia, quam infrà probabo, docet, necessarium iis fuisse credere explicitè Messiam venturum, iuxta secundum modum explicatum n. 130.

Tertia difficultas est, vtrùm post Christum natum, ac sufficientem Euangelii promulgationem necessitate medii ad iustificationem sit necessarium explicitè credere Christum esse verum Deum & hominem, nosque sua morte redemisse, ac à mortuis resurrexisse?

Multi id absolutè affirmant; ita cum quibusdam 134

Lorca. Carthus. Pesantius. Malder. Valentia. Sanchez. Magister.

busdam recentioribus Lorca 2.2.disp.22.nu.4. & Carthus.in 3.qu.1. §. *Præterea ad fidem.* & Pesantius 2.2.qu.2.art.7 dub.1.concl.6. Malderus ibidem. Valentia disp.1.q.2. puncto 4. Sanchez in præcepta lib.2.c.2. & alij. Ex antiquis autem citantur pro eadem sententia Primò, Magister in 3.d.25.vbi §.1. quærit an olim ad salutem sufficerit credere quòd Deus sit, & sit remunerator sperantium in se. & subdit: *Nam tempore gratiæ constat certissimè, hoc non sufficere; oportet enim vniuersa credi, quæ in Symbolis continentur.* quæ in sequentibus paragraphis etiam sæpiùs supponit. Sed hoc aut nihil probat, aut nimiùm. nam si intelligatur de necessitate medii, & fide explicita, est apertè falsum: nam multa in Symbolis continentur, sine quorum explicita fide potest obtineri salus ab ijs qui ea inuincibiliter ignorant. Vt quòd Spiritus sanctus à Patre & Filio procedat, &c. Quare Magister videtur intelligendus de fide implicita, aut potiùs de necessitate præcepti. & sic verba citata nihil probant.

135 Secundò, citatur Bonauent. ibidem a.1 qu.3. *Bonauent.* vbi ait iam omnes Christianos teneri credere Deum esse trinum & vnum, Christi natiuitatem, passionem, & resurrectionem: & peccatorum remissionem. & subdit, *Ab horum cognitione & notitia nullus ratione vtens excipitur, nec ignorantia excusatur, quia non potest esse talis ignorantia sine negligentia & contemptu.* Item Scotus ibidem q.1.§. *Sed posito.* vbi in fine ait, quemlibet etiam rudem teneri aliquando explicitè credere *quæ sunt grossa ad capiendum: sicut quòd Christus natus est & passus, & alia quæ pertinent ad redemptionem.*

136 Sed vterque loquitur apertè de necessitate præcepti, & de ijs, qui inter Christianos viuunt. Quod ex D.Bonauent. patet; quia ait ideo nullum ab illorum necessaria cognitione excipi, quia nemo ea potest sine negligentia & contemptu ignorare. quod probat, quia hæc non solùm ex concionibus, sed etiam ex Ecclesiæ vsu (quo scilicet festis annuis celebrat dicta mysteria) & consuetudine signandi se cruce in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quiuis potest discere. Quæ patet solis ijs conuenire qui inter Catholicos versantur; nullo autem modo remotis barbaris, qui numquam de ijs rebus audiuerunt. Itẽ cùm dicat, eos ideò non excusari, quia nequeunt ea sine culpa ignorare, patet eum non loqui de ijs, qui hæc numquam audiuerunt, ideoque ea inuincibiliter ignorant; & consequenter non loquitur de necessitate medij, à qua nulla impotentia excusat.

137 Idem probatur de Scoto, quia sicut ibi dicit rudiores teneri dicta explicitè credere, ita docet, doctos teneri omnes fidei articulos explicitè credere. Secundò, quia paulò antè dixerat rudiores non teneri explicitè credere illa quæ subtilia sunt, quæque non ita possunt capere; quia Deus nullum obligat ad impossibile. Ex quibus patet Primò, eum non loqui de necessitate medij, quæ non distinguit inter rudes & doctos, nec tollitur per impossibilitatem. Secundò, eum non velle eos teneri dicta credere, qui de ijs nihil vnquam audire potuerunt, quia docet neminem teneri ad impossibile. His addę, Scotum ibidem expressè docere, non omnes teneri habere explicitam & distinctam fidem Trinitatis; vnde consequenter necessariò dicendum est, non omnes teneri credere distinctè mysterium incarnationis; quia ad hoc necessarium est credere secundam personam esse distinctam à prima & tertia, & esse solam incarnatam, quod sine explicita fide Trinitatis fieri nequit. Quare Scotus videtur omnino fuisse in contraria sententia.

Tertiò, citatur Gabriel in 3.d.25 qu.vnica 138 concluſ.3. & 4. sed ibi nihil de hac re definit, *Gabriel.* sed in concluſ.3. remittit se ad concluſ.5. vbi idem omnino docet, quod Scotus suprà. quare potiùs pro contraria sententia facit.

Quartò, citatur Alensis 3.p.qu 82. memb.3. *Alensis.* a.1. sed ipse non satis se explicat, an loquatur de necessitate medij an præcepti. Dẽmum citatur D.Thom.2.2.q.2.a.7. vbi in corpore docet, iam *D.Thomas.* omnes teneri explicitè credere mysterium Incarnationis & Trinitatis. Sed loquitur de necessitate præcepti: nam in responsione ad 3. e presse docet, in ijs qui habent eorum inuincibilem ignorantiam, sufficere fidem implicit.

Probatur autem hæc sententia. Primò, ex 139 Scripturis, & quidem Primò, ex illo Marci vl- *Marci vlt.* timo: *Prædicate Euangelium omni creaturæ. qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Quem locum explicans D.Bernardus epistola 77. docet ibi dici dã- *Bernard.* nandum qui non crediderit, non verò eum qui non fuerit baptizatus; quia fides (scilicet viua & caritate informata, de qua ibi loquitur Bernard.) quandoque sola sufficit ad salutem, sine ea verò nihil sufficit. Quare, teste D.Bernardo, dicto loco Marci agitur de fide necessaria necessitate medij, & tamen agitur de fide explicita Trinitatis & incarnationis, quam Apostoli iubebantur prædicare: ergo hæc est necessaria necessitate medij.

Secundò, quia Apostolus 1.ad Corint.3. do- *1.Cor.3.* cet, Christum esse necessarium fundamentum, super quo solo & nullo alio possit ædificium spirituale ædificari: hoc autem fit per fidem: ergo, &c.

Tertiò, ad Roman. 10. dicitur, *Hoc est verbum* *Rom.10.* *fidei quod prædicamus: quoniam si credideris in Dominum Iesum Christum, & ore tuo confitearis, & in corde tuo credideris, quòd Deus suscitauit eum à mortuis, saluus eris.* vbi ad salutem requiritur expressa fides mortis & resurrectionis Christi.

Quartò, Iohan.3. dicitur, *Qui credit in illum* *Iohan.3.* (Christum) *non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est; quia non credit in nomine Filij Dei vnigeniti.* Vbi expressè dicitur omnes manere in damnationis sententia, qui non credunt in Christum. Et quòd loquatur de fide explicita, patet, quia comparat ibi se mortem quę suam cum exaltatione serpentis in deserto, docetque sicut morsi à serpentibus illius aspectu sanabãtur, ita nos habere salutem, siue sanari à peccatis ex fide ipsius Christi exaltati in cruce: atqui vt læsi à serpentibus sanarentur, debebant æneum serpentem explicitè intueri: ergo vt sanemur à peccato, debemus explicitè in Christum crucifixum credere.

Quintò,

Iohan.7. Quintò, quia Iohan.7. dicitur, *Hæc est autem vita æterna*, (id est vera & necessaria via ad vitam æternam) *vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christũ.* vbi cognitio Christi dicitur eodem modo via ad vitam æternam, sicut cognitio Dei: atqui hæc necessariò debet esse explicita: ergo & illa. Adferuntur plura alia loca, sed quæ solùm probent, aut nos non potuisse saluari sine meritis & morte Christi, aut horum fidem implicitam esse necessariam, aut loquuntur de necessitate præcepti: atque ita iam allata maximè videntur vrgere.

140 *Augusti.* Probatur Secundò, ex Patribus: quia S. Augustl.lib.de Corrept.& gratia cap.7.ait: *Si enim, sicut veritas loquitur, nemo liberatur à damnatione, quæ facta est per Adam, nisi per fidem Iesu Christi, & tamen ab hac damnatione non se liberabunt, qui dicere poterunt se non audiuisse Euangelium Christi,* &c. Vbi apertè docet, neminem, quantumuis non potuerit audire Euangelium, posse damnationem euadere sine fide Christi; vnde infrà docet, non esse dubium quin Deus omnibus prædestinatis procuret prædicari Euangelium sine cuius fide nequeunt saluari. vnde etiam l.1. de Prædest.cap.7.de Cornelio ait: *Cuius acceptæ eleëmosynæ, & auditæ orationes antequam credidisset in Christum; nec tamen sine aliqua fide donabat, & orabat; nam quomodo inuocaret, in quem non crediderat? sed si posset sine fide Christi esse saluus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus.* Similia habet multis alijs locis. Similiter *Chrysost.* Chrysostomus hom. de fide & lege naturæ to. 3. in fine docet, sicut hominibus primò opus est vt præcedat vita, & sic nutriantur; ita necessarium esse vt præcedat vitam æternam spes in Christum. Vbi etiam docet, Cornelium Centurionem non potuisse saluari, nisi audiuisset à S. Petro fidem Christi, & opera eius priùs fuisse mortua, eò quòd non procederent ex fide. Item Irenæus lib 3.c.21. *Ignorantes,* ait, *eum qui ex virgine est Emmanuelem, priuantur munere eius, quod est vita æterna.* Item Bernardus epist.77.docet fidem in Christum magis necessariam esse ad salutem quàm baptismum: ergo illa est necessaria necessitate medij.

S.Irenæus.

Bernard.

141 *Athanas.* Probatur Tertiò, quia in Symbolo Athanasij, in quo mysterium Trinitatis & Incarnationis explicitè traditur, dicitur: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterq; crediderit, saluus esse non poterit.* Item c.*Firmiter*, de summa Trinitate. & Extrauag. *Vnam sanctam*, de maioritate & obedientia. dicitur Ecclesiam Catholicam esse vnam, extra quam non est salus; patet autem fidem Ecclesiæ Catholicæ, esse fidem explicitam Trinitatis & Incarnationis.

c.Firmiter. extr.Vnã.

142 Probatur Quartò ratione. Primò, quia baptismus in quo fit explicita professio Trinitatis, est necessarius necessitate medij: ergo in adultis similiter est necessaria fides explicita Trinitatis, & consequenter Incarnationis: quia est eadem vtriusque ratio. Confirmatur Primò, quia paruulis est necessaria fides explicita Trinitatis expressa in baptismo re suscepto: ergo etiam adultis; quia incredibile est in adultis fidem minorem requiri, quàm in paruulis. Confirmatur Secundò, quia in Sacramento, quo iam paruuli iustificatur, requiritur magis explicita protestatio fidei Trinitatis, quàm olim requirebatur in eo, quo iustificabantur ante legem gratiæ: ergo in iustificatione adulti etiam fides magis explicita requiritur.

Secundò, quia nemo iam potest saluari nisi Christianus: atqui sine fide explicita Christi, nemo est Christianus, (quia in hoc differt Christianus à Iudæo, quòd ille habet fidem explicitam Christi, hic solùm implicitam:) ergo nemo potest saluari sine fide explicita Christi.

Canus verò relect. de Sacramentis in communi p.2.q.2. concluſ.3. & Bañez 2.2.qu.2.a.8. dub.vlt.concluſ.1.& 2. & à Castro lib.2.de Lege pœnali cap.14.docent fidem implicitam Incarnationis ac mortis Christi sufficere quidem ad iustificationem, non tamen ad ingrediendum vitam æternam. Probant præcipuè, quia Cornelius Actor.10. ante fidem explicitam Christi fuit iustificatus, & tamen non potuit sine ea saluari; quod probant ex testimonijs Augustl. & Chrysostl. allatis n.140. 143 *Canus. Bañez. à Castro.* *Actor.10.*

Quarta difficultas est circa mysterium Trinitatis: circa quod ferè eædem sunt sententiæ, ac circa mysterium Incarnationis: qui enim circa hoc requirunt fidem explicitam, etiam circa illud similem requirunt; & necessariò vnum ex altero sequitur. Quia ego nequeo explicitè credere solum Filium inter diuinas personas esse incarnatum, & simul cum alijs personis esse vnum verum & propriè dictum Deum, nisi credam tres personas inter se distinctas in ratione personæ, esse vnum Deum. Item non est ratio cur iam tenear explicitè credere mysterium Trinitatis, nisi vt possim explicitè credere mysterium Incarnationis. Vnde etiam mysterium Trinitatis primùm cœpit vulgo credendum proponi post Christi incarnationem, quo tempore hoc mysterium fuit saltem necessitate præcepti ab omnibus necessariò explicitè credendum. 144 Cur post Christũ pſ. mò incepe. rit proponi mysterium Trinitatis explicitè credendum.

Conclvs.I. Omnino dicendum est fidem supernaturalem etiam eorum quæ possumus naturaliter cognoscere, (v.c. Deum esse vnum, esse creatorem & gubernatorem vniuersi, habere rerum humanarum prouidentiam, animam humanam esse immortalem) esse medium necessarium ad salutem. Hanc concluſ. tenent omnes, qui docent fidem posse consistere cum scientia; & quidam etiam alij, vt patet apud Turrian.2.2.disp.26.dub.1. Sequitur apertè ex dictis suprà num.125.& sequentibus, & disp.11. dub.1. vbi fundamenta contrariæ sententiæ refutaui, & ex illo Apostoli ad Hebræos 11. *Accedentem enim ad Deum oportet credere quia est,* ostendi clarè conuinci, quemuis, etiam qui hoc naturaliter cognoscit, debere id credere. 145 *Turrian.* *Hebr.11.*

Et hîc breuiter confirmo: quia istarum rerum cognitio non solùm (prout aliqui contrariæ sententiæ auctores volunt) præsupponitur iustificationi quasi per accidens, sicut eidem præsupponitur hominem esse natum aut creatum à Deo; sed est medium per se conducens, atque adeò necessariò requisitum ad salutem, vt patet tum ex eo ad Hebræos 11. *Accedentem enim ad* 146

Deum

Cognitio, qua cognoscimus Deũ esse, & nos gubernare, est medium necessarium & fundamentum nostræ salutis.

Deum oportet credere quia est. vbi hæc fides tamquam medium necessarium & sine quo nequeo accedere ad Deum, requiritur. Tum quia tota religio Christiana tamquam primo suo fundamento, sine quo nequeat subsistere, nititur, ac in suis actionibus dirigitur istarum rerum cognitione. Vt enim Deum amem, necessariò dirigor illa cognitione, qua cognosco illum esse. Item vt eum cultu latriæ, tamquam primum rerum omnium principium venerer, necessariò dirigor ea cognitione, qua cognosco eum esse tale principium. Rursum vt eum timeam, aut aliquid ab eo sperem, necessariò dirigor cognitione, qua scio eum habere rerum omnium prouidentiam. ergo horum cognitio est verum ac omnino necessarium medium, ad eliciendas eiusmodi actiones, quibus ad iustitiam disponimur, & fundamentum quo religio nostra nititur. Vnde sic argumentor, vel sufficit ad iustificationem illa cognoscere cognitione naturali, & tunc cognitio naturalis erit initium salutis, & medium ad eam conducens; quod apertè à Mileuit. & Arausic. in Pelagianis damnatum est: vel non sufficit illa ita cognoscere, sed necessarium est ea fide supernaturali credere; & tunc vera est nostra conclusio.

Mileuit. Arausic.

Nec sufficit dicere, ea credere esse necessarium non secundùm se, sed prout implicitè continentur in alio obiecto supernaturali. quia hoc iam refutaui n. 126.

147 Quæ fides fuerit necessaria in lege naturæ & Moysis.

CONCLVSIO II. Post lapsum Adami semper fuit ad salutem necessarium medium explicitè credere venturum aliquem mediatorem, cuius meritis possemus à Deo gratiam, & misericordiam, ac demum salutem consequi. Ita Magister in 3. distinct. 25. & cum eo maxima pars Theologorum, quos fusè citat & sequitur Lorca 2.2. disputatione 21. numero 4.

Magister.

Lorca.

Actor 4.

Probatur Primò, ex Scriptura: quia Actorum 4. cùm S. Petrus reprehendisset principes populi, quòd Christum reprobassent, nec voluissent in eum credere, subdit: *Et non est in aliquo alio salus. Nec enim aliud nomen datum est sub cælo hominibus, in quo* (scilicet credendo) *oporteat nos saluos fieri.* Vbi apertè ostendit necessariam omnino esse fidem in Christum, vt quis possit saluari. Nec potest intelligi solùm de tempore futuro, siue quod fuit post Christum, quia Petrus generatim loquitur: & aliàs sequeretur, aliquando aliquos in alio nomine fuisse saluatos. quod absurdum est.

148 *Rom. 3.*

Clariora hæc sunt apud Apostolum ad Romanos 3. Vbi cùm generatim docuisset, omnes antiquos fuisse sub peccato, nec per legem potuisse saluari; deinde ostendens qua ratione iustificati fuerint, quicumque fuerunt iustificati, subdit: *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum; non enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt; & egent gloria Dei: iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem posuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* & infrà: *Vt sit ipse iustus & iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi.* vbi generatim docet, sicut omnes peccauerunt, & gloria siue gratia & redemptione Christi egent, ita omnes iustificari per fidem in Christum. Sicut igitur illud generatim omnibus hominibus post lapsum Adami conuenit, ita etiam hoc.

Idem apertè docet ad Galat. 3. vbi ait: *Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahæ.* 149 *Galat. 3.* *Prouidens autem Scriptura, quia ex fide iustificat Gentes Deus, prænunciauit Abrahæ; Quia benedicentur in te omnes generationes.* Vbi docet, Gentes iustificari illa fide, quæ nititur illa promissione facta Abrahæ. Et paulò pòst ostendens, quæ sit illa promissio, ait: *Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. non dixit, Et seminibus, quasi in multis; sed quasi in vno, Et semini tuo, qui est Christus.* Vbi apertè ostendit, omnes gentes antiquitus ex fide Christi iustificatas fuisse; & ideò Scripturam dixisse omnes gentes in semine Abrahæ benedicendas; vt ostenderet cuius meritis ac fide essent benedicendæ; vnde infrà subdit, legem non potuisse conferre salutem, & Scripturam omnia concluisse sub peccato (id est, ostendisse omnes esse peccatores, & egere gloria Dei, vt dicitur ad Romanos 3.) *Vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Vbi apertè docet, sicut omnes fuerunt in peccato, ita omnes accepisse iustitiam & benedictionem ex fide Christi, quicumque illam acceperunt. Vnde etiam 1. ad Corinth. 10. docet, omnes antiquos eamdem spiritalem escam manducasse, & eumdem potum bibisse de spiritali petra, quę erat Christus. quod nequit aliter intelligi nisi de manducatione & potatione per fidem in Christum. *1. Cor. 10.*

Idem apertè probatur ex Iohannis 3. vbi 150 Christus ait: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis* (scilicet moriendo in cruce) *vt omnis qui credit in ipsum, non pereat.* Vbi comparat suam crucifixionem cum exaltatione illius serpentis; quia sicut hic fuit exaltatus in deserto, vt possent sanari qui à serpentibus erant læsi, ita Christus fuit crucifixus, vt possent sanari qui æstutia serpentis in paradiso peccatum originale contraxerant; & sicut æneus serpens nullum sanabat nisi in se aspicientem, ita Christus solùm sanat in se credentes. hoc enim apertè significant illa verba, *Vt omnis qui credit in ipsum non pereat.* Vnde infrà subdit: *Qui credit in eum non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est* (id est manet in antiqua damnatione iam olim per peccatum originale, aliaúe contracta) *quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei.* Id est, sicut olim omnes in deserto læsi à serpentibus, qui aspiciebant serpentem æneum sanabantur, qui autem eum non aspiciebant necessariò moriebantur, quia eum non aspiciebant: ita omnes diaboli arte infecti peccato, vt sanentur, siue ne pereant, debent necessariò credere in Christum crucifixum. *Iohan. 3.*

Comparatio Christi cum serpente æneo.

Ex quibus patet, quòd sicut Christus fuit exaltatus in cruce, non solùm vt posteri, sed etiam vt præcedentes siue Iudæi, siue Gentes possent liberari à peccato, nec vllus omnino

Fides Christi adultis omnibus necessaria est, quibus passio est necessaria.

nino sine eius morte potuit liberari, ita nemo potuerit liberari sine eius fide. Quæ semper intellige de vtentibus ratione, quia infantibus fides actualis non est necessaria.

151 Probatur Secundò, ex Patribus citatis suprà nu.140. qui apertè docent neminem vmquam potuisse liberari à peccato, aut saluari sine fide Christi, &, vt patet ex eorum contextu, generatim loquuntur de omnibus qui peccato Adami infecti fuerunt.

August. Addam hîc clarissimum locum D. Augustini ex libr.2. de Gratia Christi, siue de peccato originali cap.24. Vbi postquam citasset illud Actorum 4. *Non enim est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*; addit: *Itaque sine ista fide, hoc est sine fide vnius mediatoris Dei & hominum, hominis Christi Iesu, sine fide inquam resurrectionis eius, quam Deus hominibus definiuit, quæ vtique sine incarnatione eius ac morte non potest veraciter credi. Sine fide ergo incarnationis & mortis & resurrectionis Christi, nec antiquos iustos vt iusti essent à peccatis potuisse mundari, & Dei gratia iustificari, veritas Christiana non dubitat: siue in ijs iustis quos sancta Scriptura commemorat, siue in ijs iustis, quos quidem illa non commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt; vel ante diluuium, vel inde vsque ad datam legem, vel ipsius legis tempore, non solùm in filijs Israël, sicut fuerunt Prophetæ, sed etiam extrà eundem populum, sicut fuit Iob.*

152 Item libr.18. de Ciuitate cap.47. agens de ijs, qui olim ex Gentibus saluati sunt, ait, *Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui diuinitus reuelatus vnus mediator Dei & hominum homo, Christus Iesus, qui venturus in carne, sic antiquis sanctis prænunciabatur, quemadmodum venisse nobis nunciatus est; vt vna eademque fides per ipsum, omnes in Dei ciuitatem, in domum Dei, in Dei templum prædestinatos perducat ad Deum.*

Item lib.de Natura & gratia cap.44. *Eaquippe*, inquit, *fides iustos sanauit antiquos, quæ sanat & nos, id est mediatoris Dei & hominum hominis Iesu Christi, fides sanguinis eius, fides crucis eius, fides mortis & resurrectionis eius.*

153 In his autem duobus testimonijs notandum est, eum dicere Christum, omnibus ijs qui olim salui facti sunt necessariò fuisse reuelatum, quo significatur eos particularem & aliquo modo distinctam de eo, saltem sub nomine mediatoris, habuisse fidem. Aliàs si tantùm credidissent Deum eos saluaturum modis sibi cognitis, sine particulari cognitione mediatoris venturi, non posset verè & propriè dici ijs Christus esse reuelatus venturus, cùm hac ratione non potuissent vllo modo conijcere an esset venturus nec ne. Item notandum, quòd dicit eamdem fuisse eorum fidem de Christo ac nostram, & fuisse sic illis reuelatum venturum, sicut nobis reuelatus est venisse. Quibus verbis significat eamdem fidem vtrisque necessitate medij fuisse necessariam.

154 Probatur Tertiò, ratione, non quidem ex natura rei omnino esse impossibile aliquem aliter, si Deus vellet, iustificari; sed quòd omnino conuenerit Deum non velle aliquem aliter iustificari. Quia ex pluribus Scripturæ locis constat neminem posse iustificari, nisi per merita Christi, & nisi hic in eum, tamquam caput in membra, & vitis in palmites, suam gratiam influat siue deriuet, vt constat ex Tridentino sessione 6.cap.16. & ex Iohannis 15. Vbi dicitur neminem posse facere fructum pertinentem ad salutem, nisi sit ac manserit in Christo vt palmes in vite, & aliàs proijciendum esse foras ad comburendum: atqui quiin Christum non credit, nequit esse membrum ipsius, aut tamquam palmes in eo manere: ergo sine ea fide nequit facere fructum salutis aut iustificari. Minor probatur: quia Iohannis 6. dicimur per fidem venire ad Christum; & in Tridentino sessione 6.cap.7. dicimur per fidem incipere vniri Christo: atqui non possumus tamquam palmites esse aut manere in Christo, nisi priùs ad eum accesserimus, eique cœperimus vniri: ergo antequam in Christum credamus, non possumus in eo esse ac manere tamquam palmites in vite.

Nemo iustificatur nisi meritis & influxu Christi.

Trident.

Iohan.15.

Sine fide in Christum nemo potest esse membrum aut palmes Christi.

Iohan.6.

Secundò, quia sicut Deus est causa vniuersalis effectiua nostræ iustificationis & salutis, ita Christus respectu omnium omnino hominum est eiusdem causa vniuersalis meritoria, vt docet Tridentinum sessione 6. cap.7. ergo sicut nemo potest iustificari aut Deo placere, nisi per fidem accesserit ad Deum, vt docet Apostolus ad Hebræos 11. ita nemo potest iustificari, nisi per fidem accedat ad Christum, in eum credendo. Videtur enim omnino eadem conuenientia ac necessitas. Vnde etiam D.Augustinus locis supràcitatis, & alibi, ex eo quòd nemo potest saluari sine meritis Christi, infert neminem posse saluari sine fide Christi. Hinc etiam libr. de Natura & gratia cap.2. cùm docuisset si fieri potuisset, vt qui de Christo nihil audiuisset, sine eius fide credendo in Deum creatorem rectè ac iustè viueret, fieri etiam potuisse vt sine fide Christi saluaretur, subdit: *Quod si fieri potuit aut potest, hoc & ego dico, quod de lege dixit Apostolus; Ergo Christus gratis mortuus est.* & infrà: *Si autem non gratis Christus mortuus est; ergo omnis humana natura iustificari & redimi ab ira Dei iustissima, hoc est à vindicta, nullo modo potest, nisi per fidem & Sacramentum sanguinis Christi.* Vbi omnino pro eodem habet aliquem posse iustificari sine fide Christi, & posse iustificari sine gratia ac meritis Christi.

Christus est vniuersalis causa meritoria nostræ salutis.

Trident.

Hebr.11.

August.

156 Dices, iam dicta sufficienter quidem probare, neminem posse saluari aut iustificari sine fide Christi, non tamen probare requiri fidem explicitam in Christum, siue in mediatorem: nam qui credit in Deum iustificatorem & saluatorem, siue qui credit se diuino auxilio modo Deo cognito sibi conferendo esse saluandum, implicitè credit in Christum, per quem Deus ipsi id auxilium collaturus est; & hoc modo possunt omnia dicta loca explicari. Confirmatur: quia si ea loca debeant intelligi de fide explicita, tunc nimiùm probabunt, scilicet omnes antiquos necessariò debuisse credere

dere Christum pro peccatis nostris moriturum ac resurrecturum; hoc enim docent omnia testimonia D. Augustini.

157 Non quæuis implicita fides mediatoris potest dici fides in Christum.

Respondeo, nego assumptum: nam qui dicto modo solùm implicitè & confusè credit in Christum, non magis credit in Christum, quàm credat tempore legis nouæ futura septem Sacramenta, quibus gratia conferatur; & baptismum & confessionem instituenda, vt per ea remittantur peccata; aut quàm credat futuros duodecim Apostolos, quorum opera Deus omnes gentes vocet ad fidem & iustitiam. idemque est de similibus medijs, quibus Deus nostram salutem operatus est; quia hæc omnia continentur sub generali illa Dei prouidentia, qua modis sibi cognitis nostram salutem voluit operari. Clarissimè autem patet tam ex Scripturis, quàm ex Patribus suprà citatis requirentibus specialiter fidem in Christum, hanc longè aliter requiri, quàm requiratur fides aliorum istorum mediorum: nequit autem concipi quomodo hæc fides in Christum sit specialiter necessaria, nisi necessaria sit fides explicita mediatoris.

158 Ad confirmationem, nego assumptum: quia tam Augustinus quàm Scripturæ solùm requirunt vt hæc speciali ratione, & magis particulatim quàm alia multa mysteria fidei credamus: quod fit dum modo dicto explicitè credimus in mediatorem, qui nos suis meritis, modo Deo cognito à miserijs liberabit. quo casu directè & specialiter, etsi modo obscuro & in confuso, credimus eius mortem & resurrectionem: quia hic fuit modus, quo nos liberauit. Quod etiam apertè insinuat D. Augustinus epistola 49 quæstione 2. vbi ait, *Itaque ab exordio generis humani, quicumque in eum crediderunt, eúmque vtcumque intellexerunt*, &c. Quibus vltimis verbis videtur insinuare hæc mysteria non debuisse necessariò explicitè ab omnibus cognosci; & quamuis fortè alius sit huius loci sensus, hic tamen etiam est probabilis, aut saltem ex alio probabiliter infertur.

Augus.

159 Dices Secundò, Christus venturus non fuit ab initio omnibus reuelatus; nam videtur primùm Abrahæ fuisse facta promissio venturi Christi; vt videtur colligi ex cap.3. ad Galatas, citato suprà num.149. ergo fides explicita mediatoris non fuit semper medium necessarium ad salutem.

Galat.3.

Christus statim post lapsum promissus.

Respondeo, nego antecedens: nam certum est statim ab initio Adamo post lapsum fuisse reuelatum, ventutum Messiam. vt patet vel ex illo Genesis 3. *Et ipsa conteret caput tuum.* Vbi prædicitur Beatam Virginem patiendo Christum contrituram caput diaboli: in Hebræo habetur, *Et ipsum* (scilicet semen mulieris) *conteret caput tuum.* Vbi (vt testatur D. Leo sermone 2 de natiuitate Christi sub initium) promittitur Christus ex Eua nasciturus, qui serpentis, siue diaboli, caput conterat, eum sua morte superando. Nulli autem potest esse dubium quin Adam hæc posteris tradiderit. Item testatur S. Iudas in sua epistola Enoch septimum ab Adam prophetasse de Christo, eiusque aduentu ad iudicium. Et quamuis fortè liber ex quo hoc S. Iudas descripsit, non fuerit canonicus, tamen de fide est ea esse vera quæ ipse ex illo citat; quia aliàs ipse scripsisset falsa, quod sine hæresi dici nequit.

Genes.3.

D. Leo.

S. Iudæ.

Ad confirmationem, Respondeo in illo cap.3. ad Galatas solùm insinuari Abrahamum fuisse primum cui multiplicatis iam hominibus post diluuium fuit facta promissio quòd Christus ex eius semine nasceretur. Similiter Noë de eadem re suos posteros instruxit; vnde, vt patet ex historia Iob cap.19. etiam alij, qui non erant Iudæi, habuerunt cognitionem mediatoris venturi. Item Sibyllæ multa de Christo prædixerunt. Atque ita, quantum est ex parte Dei, huius rei notitia sufficienter fuit hominibus reuelata. Quòd si verò aliquibus fuit incognita, suis peccatis id imputent, quibus diuinam illustrationem impediuerunt. nam si cum gratiæ diuinæ auxilio, prout poterant & tenebantur, elaborassent, vt bene viuerent, & necessaria ad salutem cognoscerent, Deus eos vlteriùs illuminasset, donec ad veram fidem peruenissent.

Etiam non Iudæi olim habuerunt cognitionē mediatoris.

160 Dices Tertiò, Ad eliciendum verum actum caritatis ac contritionis, sufficit credere Deum esse vnum, creatorem totius vniuersi, & habere rerum humanarum prouidentiam, noséque ab eo peccatorum veniam ac beatitudinem debere sperare: ergo qui hæc sola credit, poterit elicere actum caritatis ac contritionis, & ita iustificari. Respondeo hoc solùm probare, ex natura rei fidem explicitam mediatoris non esse absolutè necessariam, vt peccator possit iustificari, sicut nec meritum siue satisfactio Christi fuit ad hoc absolutè necessaria, quia Deus sine his potuisset absolutè nobis dare gratiam ex mera sua liberalitate, qua possemus de peccatis conteri, & deinde contritis peccata remittere. Sicut tamen magis conueniens fuit hæc fieri mediantibus meritis & satisfactione Christi, vt hac ratione diuinæ iustitiæ satisfieret: ita etiam conuenientius fuit nemini remitti peccata sine fide in Christum, ob dicta suprà num. 154. & 155. Ideoque sicut Deus absolutè statuit nemini dare gratiam, qua possit conuerti, nisi per merita Christi: ita absolutè statuit nemini infideli dare gratiam sufficientem vt possit elicere actum caritatis aut contritionis, nisi priùs excitauerit eum ad fidem in Christum; & quamdiu hanc non habet, illam gratiam ei non dat: & consequenter ipse nequit supradictos actus elicere. Ex quibus patet responsio ad argumenta posita n.131.

Cur nemo possit conteri sine fide Christi.

161 Conclvsio III. Ante Christi aduentum non erat necessarium ad iustificationem necessitate medij explicitè credere aut mysterium Trinitatis, aut Christum futurum verè Deum & hominem, aut sua morte nos liberaturum à peccatis. Hæc est communis Theologorum cum Magistro in 3.d.25.§.2. & D.Thom. 2.2.q.2.a.7. in corpore. vbi docent, minores siue simpliciores non debuisse necessariò supradicta

Magister. D. Thomas.

Bernard. explicitè credere. Et est aperta sententia D. Bernardi epist. 77. vbi contrariam sententiam fusè refutat.

Mysterium Trinitatis olim paucis fuit explicitè reuelatũ.

Probatur, quia, etsi antiquis fuerit obscurè mysterium Trinitatis, incarnationis, & mortis Christi prænunciatum; non fuit tamen illis explicitè & apertè credendum propositum, nisi fortè quibusdam à Deo specialiter illuminatis, reliquis verò nullo modo ante aduentum Christi sufficienter explicabatur, vt possent id explicitè cognoscere; atque ita nemo eorum id vmquam explicitè cognouit sine specialialiqua Dei reuelatione, aut singulari mentis in Scripturis intelligendis illustratione; vt

Bernardus. docet D. Bernardus suprà. Quod vel inde patet, quòd tempore etiam Christi non modò vulgus Iudæorum, sed etiam sacerdotes & legis doctores, & boni ac pij ignorarint Christum fore verè Deum, ac sua morte nos liberaturum à peccatis: vt patet Iohannis 3. vbi hæc debuerunt

Iohan.3. Nicodemo legis doctori speciatim explicari, vt posset ea scire; & adhuc vix ea capere poterat.

162 Probatur Secundò, ex Scripturis. Ad Ephesios 3. vers. 3. dicitur mysterium Christi, siue incarnationis & mortis ipsius non fuisse

Ephes.3. agnitum superioribus sæculis, sicut reuelatum fuit Apostolis. Et vers. 9. dicit Apostolus, sibi commissum esse Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti abscondi à seculis in Deo. Sacramentum autem ibi vocat secretum incarnationis & passionis filij Dei; quod ita etiam ipsis Iudæis erat ignotum, vt illud prædicantes essent Iudæis scandalum,

1.Cor.1. & Gentibus stultitia; vt dicitur 1. ad Corinth. 1.

Coloss.1. vers. 23. Item ad Colossenses 1. ait Paulus sibi commissam dispensationem annunciandi mysterium (scilicet incarnationis & passionis Christi, vt patet ex contextu) quod absconditum fuit à seculis & generationibus; nunc autem manifestatum est sanctis eius. Quæ verè dici non possent, si hæc mysteria fuissent in lege antiqua sufficienter reuelata, & omnibus credenda proposita, ita vt omnes potuissent il-

Antiquis nõ erat præcepta explicita fides incarnationis. la explicitè credere. Quare cùm nemo obligetur ad impossibile, sequitur ne quidem necessitate præcepti homines fuisse tunc communiter obligatos supradicta explicitè credere.

163 Conclvsio VI. Etsi sententia allata num. 134. sit probabilis, tum propter auctoritatem Doctorum qui eam tenent, tum etiam propter probabiles rationes; tamen contraria non est minùs probabilis, scilicet etiam in lege gratiæ non esse necessitate medij necessarium ad iustificationem vt quis explicitè credat mysterium

Fides explicita incarnationis non est iam necessarium mediũ iustificationis. incarnationis, siue secundam personam fuisse incarnatam, & Christum fuisse verum Deum & hominem, & pro nobis in cruce mortuum ac resurrexisse: atque adeò sufficere vt hæc implicitè credat, credendo explicitè eum esse mediatorem & saluatorem nostrum. Ita Richar-

Richard. Vega. Sotus. Corduba. Medina. dus in 3. d. 25. art. 4. quæst. 1. Vega libr. 6. in Trident. cap. 20. Sotus in 4. d. 5. quæst. 1. art. 2. Corduba lib. 2. quæst. 4. propos. 3. Michaël Medina lib. 4. de Recta in Deum fide cap. 10. Henriquez lib. 4. de Sacramentis cap. 21. §. 2. vbi etiam alios citat. Suarez in 3. p. tomo 4. disput. 4. sect. 2. num. 17. in fine. Emmanuel Sà v. Fides, num. 1. Turrianus 2. 2. disp. 27. dub. 7. Vbi ait idem docuisse Vasquez. Insinuat eam apertè D. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 7. ad 3. Nec refert quòd Sotus, Corduba & Medina suprà dicant fidem explicitam esse necessariam necessitate medij, quia statim subdunt ab hac tamen necessitate excusare inuincibilem ignorantiam; atque ita expressè ostendunt se reipsa nobiscum sentire, etsi minùs commodè loquantur. Eandem tenent Bañez, Canus & Castro, citati num. 143. etsi malè plus requirant ad salutem, quàm ad iustificationem. Pro eadem etiam citari possent Scotus & Gabriel, quos num. 137. & 138. ostendi magis huic sententiæ fauere quàm contrariæ. Eamdem tenent multi recentiores apud Turrianum suprà & Lorcam 2. 2. disp. 22. num. 1.

Henriq. Suarez. Sà. Turrian. Vasquez. D.Thom. Bañez. Canus. Castro. Scotus. Gabriel.

Probatur hæc sententia. Primò, quia videtur communior Theologorum. Secundò, quia quando Patres agunt de fide absolutè necessaria ad salutem, & sine qua nullo casu potest adultus iustificari, non distinguunt inter fidem veterum & nostram: vt facilè est videre ex locis pro contraria sententia citatis, & magis patebit in solutione argumentorum: atqui, vt constat ex dictis, non erat antiquis maior fides necessaria necessitate medij: ergo nec iam maior est necessaria. Tertiò, quia hæc necessitas, cùm grauissima sit, non debet induci sine euidenti ratione; nec ad eam probandam aliquæ congruentiæ sufficiunt: atqui, vt patebit ex solutione argumentorum, nulla talis ratio potest adduci: ergo non est asserenda. Quartò, tota ratio, quantum nos possumus conijcere, cur Deus voluerit fidem in Christum esse medium absolutè necessarium ad salutem, est quia nemo potest iustificari sine meritis Christi, & gratia per eum accepta, & consequenter nisi sit membrum eius; & Patres, præsertim Augustinus, semper hanc rationem adferunt, cur fides Christi sit necessaria, vt ostendinumero 154. & 155. atqui eodem planè modo antiqui per merita & gratiam Christi iustificati sunt, & fuerunt eius membra, sicut nos: ergo ex necessitate medij, debuerunt tam explicitè in eum credere, ac nos; quæ enim fides sufficit vt tunc potuerint fieri Christi membra, etiam iam sufficit. 164

Eadem ratio necessitatis fidei explicitæ fuit in antiquis & in nobis.

Dices, esse diuersam rationem, quia iam Christus est magis explicitè nobis reuelatus, quàm fuerit antiquis: ergo iam debemus magis explicitè in eum credere. Respondeo inde solùm probari fidem magis explicitam esse iam necessariam necessitate præcepti, à qua excusat inuincibilis ignorantia. nam loquendo de necessitate medii, à qua nulla quantumuis inuincibilis ignorantia excusat, eiusmodi necessitas nullo modo potest probari ex eo quòd hoc mysterium iam sit pluribus hominibus magis explicitè reuelatum. Inde enim solùm probari potest eam fidem explicitam iam esse necessa- 165

riam

riam iis, quibus hoc mysterium magis explicitè reuelatum est, aut qui potuerunt id magis explicitè cognoscere: secùs autem est de iis qui id non potuerunt magis explicitè cognoscere; nam respectu horum se habet ac si non esset magis explicitè reuelatum. Nam quòd alijs sit magis explicitè reuelatum, ad ipsos, quibus de facto non est ita reuelatum, non spectat. sicut quòd olim Prophetis mysterium incarnationis fuit explicitè reuelatum nullam id explicitè credendi necessitatem inducebat aliis, quibus non erat ita reuelatum. Cùm igitur necessitas medii æqualiter spectet ad omnes, hæc ex illo argumento nequit probari; sed solùm maior necessitas præcepti.

Magis explicita reuelatio solùm inducit maiorē necessitatem præcepti.

166 Confirmatur: quia aliàs dicendum esset, Iudæos, quibus in lege erat magis explicitè Christus reuelatus quàm aliis Gentibus, necessitare medii debuisse habere magis explicitam fidem Christi, quàm Gentes; & inter hos posteriores magis explicitam, quàm anteriores: quia his per Prophetas, & præsertim per Dauidem in pluribus psalmis; & per Isaiam & Ieremiam, Christus eiusque natiuitas ac mors erant longè magis explicitè reuelata. nam psalmo 21. passio Christi tota valdè explicitè describitur. illud autem ab omnibus communiter reiicitur. quare consequenter dicendum est magis explicitam reuelationem solùm inducere maiorem necessitatem præcepti, non autem medii.

167 Ad primum argumentum positum num. 139. Respondeo illum locum D. Marci nihil facere ad rem, quia solùm loquitur de iis quibus Euangelium erat prædicatum, quique ideò nequeunt habere eius ignorantiam inuincibilem, & consequenter peccant non credendo.

Ad auctoritatem D. Bernardi, Respondeo eum ibi videri docere fidem esse necessariam necessitate medii; sed non explicare quàm hæc fides debeat esse explicata, atque ita facilè potest intelligi iuxta nostram conclusionem, necenim habet vllum verbum, quod nos cogat eum aliter intelligere. & quamuis suam sententiam confirmet ex loco D. Marci citato; tamen non docet absolutè hunc esse loci illius sensum, sed solùm suam sententiam posse probabiliter ex illo colligi: nam dicit fortè ideò Saluatorem ea ratione ibi locutum, vt sciremus nos aliquando posse saluari sine baptismo, numquam tamen sine fide.

Ad loca D. Pauli ad Corinthios, & Romanos, Respondeo inde solùm probari aliquam fidem, saltem implicitam, in Christum esse omnibus omnino necessariam necessitate medij (nam etiam antiquis Christi fides fuit fundamentum super quod debuerunt necessariò ædificare) & ijs, quibus sufficienter mysteria illa annunciata sunt, ex præcepto necessariam esse fidem eorum explicitam.

168 Ad locum Iohannis 3. Respondeo Christum ibi loqui etiam de antiquis Patribus, & docere omnibus omnino ad salutem necessarium esse ac fuisse credere in nomine vnigeniti filij Dei, & mortem ipsius.

Quare hic locus non potest intelligi de fide illorum mysteriorum explicita, nisi velimus hanc antiquis etiam fuisse necessariam. Ad probationem contrariam ibi adiunctam, Respondeo eam potiùs pro nobis facere: nam etsi vt læsi in deserto sanarentur, necessarium fuerit eos aliquo modo explicitè serpentem æneum oculis videre; non tamen erat necesse eos videre eum omnino distinctè, ita vt possent distinctè cognoscere ipsius materiam & formam: nam aliàs non sufficisset eum eminus videre, atque ita plurimi, qui fortè ob multitudinem, aut ob defectum temporis aut virium non potuissent propiùs accedere, debuissent necessariò mori. quod videtur incredibile. Et similiter omnes infecti peccato vt sanentur debent explicitè credere in Christum mediatorem; atque ita aliquo modo credere etiam eius natiuitatem & mortem; tamen non est absolutè necesse vt hæc distinctè intelligant.

Idem Respondeo ad locum allatum ex Iohannis 17. nam fides in Deum & Christum mittendum fuit etiam antiquis via necessaria ad vitam æternam. Quod confirmatur: quia, si ibi fuisset requisita fides omnino explicita, vt alii volunt, debuisset etiam fieri mentio Spiritus sancti: nam secundùm eos necessaria est cognitio explicita mysterii Trinitatis.

Ad loca ex S. Augustino citata num. 140. 169
Respondeo eum omnibus locis, quibus docet fidem Christi necessariam esse ad salutem, ita vt nulla ignorantia excuset, eamdem fidem requirere in antiquis ac in nobis: vt facilè patebit loca citata inspicientibus, & clarè ostendi suprà nu. 153. tam ex ipsius verbis quàm ex ratione, qua suam sententiam probat, quia scilicet omnibus semper fuit necessaria gratia Christi, quæ fuit æqualiter necessaria antiquis & nobis.

Dices, D. Augustinus lib. 19. contra Faustum 170
cap. 14. & epistola 49. q. 2. docet, fidem veterum *August.*
fuisse magis occultam & variis adumbrationibus velatam, nostram verò esse magis apertam & explicitam: ergo vult nobis ad iustificationem magis explicitam fidem esse necessariam, quàm illis.

Respondeo, negando consequentiam: nam dictis locis non disputat quid illis aut nobis fuerit necessariò credendum ad salutem; sed qua ratione fuerit eadem fides & religio in vetere & noua lege: docetque nostram fidem esse eamdem cum fide antiquorum; illius tamen mysteria nobis clariùs esse reuelata, quàm illis. quòd autem ipsi mysterium incarnationis aut passionis Christi minùs explicitè debuerint credere vt possent iustificari, quàm nos, ibi nec dicit nec insinuat: imò contra Faustum loco citato potiùs contrarium insinuat, dum ait: *Ex qua* (scilicet reuelatione fidei) *licet adhuc operta & abscondita, munere tamen pietatis intellecta etiam tunc ipsi viuebant.* Vbi insinuat eos fidei mysteria etsi velatè sibi reuelata, tamen fidei lumine & pietatis studio satis intellexisse.

171 Nec obest, quòd dicta epistola 49. dicat antiquos vtcumque Christum intellexisse; quia vt summum inde colligitur illos communiter mysteria fidei minùs clarè & distinctè intellexisse, quàm iam intelliguntur; quod autem iam maior siue distinctior cognitio sit ad salutem necessaria, nec ibi, nec vllibi insinuat. Adde, illud *vtcumque* posse aliter, & fortè magis ex mẽte S. Augustini & accommodatiùs contextui intelligi, vt non significet imperfectionem intellectionis, sed varium modum siue rationem intelligendi, quæ tunc in diuersis fuit, quia aliqui mysteria fidei intellexerunt per immediatam reuelationem, alij ex figuris legis, alij ex traditione, &c.

172 Ad ea autem quæ ipse libr. 1. de Prædestinatione cap. 7. docet de Cornelio, si ipse senserit Cornelium ante prædicationem Petri verè non fuisse iustum; dicendum est ipsum putasse Cornelium priùs ne quidem implicitam habuisse fidem Christi; atque ideò non potuisse iustificari. Quid autem de Cornelio senserit, mihi non est omnino clarè compertum, nec ex ijs verbis potest clarè colligi. Nam tract. 13. in Iohannem, & lib. 4. contra Donatistas cap. 21. & alibi, simili modo videtur dicere neminem quantumuis caritate feruentem, posse iustificari, aut à peccatis liberari ante baptismum reipsa susceptum: quod tamen, prout verba sonant, nequit sanè intelligi, & ipsi S. Augustino apertè repugnat. Vide quæ dixi tomo 1. de Sacramentis quæst. 68. num. 32. Et eodem modo respondendum est ad locum Chrysostomi, qui apertè videtur supponere Cornelium solum habuisse naturalem Dei cognitionem: hanc enim tota illa homilia cum fide Christi comparat, & sine hac insufficientem dicit.

Locus citatus ex Irenæo nihil facit ad rem. Loquitur enim solùm de hæreticis, nolentibus credere mysterium incarnationis sufficienter sibi propositum.

Ad D. Bernard. respondi num. 167.

173 Ad argumenta allata numer. 141. Respondeo ea solùm probare nos teneri ea omnia saltem implicitè credere, aut etiam explicitè quando sufficienter nobis proposita sunt, ita vt scienter non adhæreamus contrarijs erroribus: nam aliàs probarent omnes teneri explicitè credere Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio, & reliqua omnia quæ in Symbolo Athanasij continentur; nam de his omnibus ibi dicitur, *Hæc est fides Catholica*, &c. imò probarent omnes necessitate medij debere explicitè credere omnia quæ docet fides Catholica, quia explicita horum omnium fides est fides Catholica. hæc autem apertè absurda sunt.

174 Ad primum argumentum ex ratione positum num. 142. nego consequentiam: si enim aliquid probaret, sequeretur, nullam omnino etiam implicitam fidem incarnationis esse medium ad iustitiam necessarium; nam in baptismo nulla huius necessariò fit professio, sed solius Trinitatis. Quare quòd in eo hæc professio fiat, ex particulari Dei instituto fit, ob causas, quæ in materia de baptismo explicari solent, nec ad alios casus extra baptismum tradendum est; nisi in ijs probetur particulare Dei decretum.

Ad primam confirmationem, nego antecedens: quia paruuli in baptismo nihil explicitè credunt per se, nec etiam necessariò per suos parentes aut baptizantes, quia hi possunt esse infideles, vt ostendi in materia de baptismo. *Vt infantes ritè baptizẽtur, nec per se, nec per alios aliquid necessario credunt.*

Ad secundam confirmationem, neganda est consequentia. vt patet ex dictis.

Ad secundum argumentum, nego minorem eiusque probationem. nam si loquamur de Iudæo fideli, in hoc quod ad fidem attinet, differt à Christiano, quòd ille præcisè credat Christum olim fuisse nasciturum, hic verò credit eum iam natum esse. & aliàs sequeretur, Prophetas qui explicitè crediderunt mysterium incarnationis, non fuisse Iudæos, sed Christianos. à Iudæo autem infideli distinguimur, quia ipse non credit Christum natum esse, & mysterium Trinitatis negat: nos autem vtrumque credimus. *Differentia inter fidem Christiani & fidelis olim Iudæi.*

Conclvsio V. Loquendo de necessitate medij, præcisè non requiritur maior, siue magis explicita fides ad perueniendum ad regnum cælorum, quàm requiritur ad iustificationem. Est communis Theologorum, paucis suprà citatis exceptis. 175

Probatur Primò, ex Trident. sess. 6. c. 16. vbi dicitur, *Nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quo minùs plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censeantur.* Vbi apertè docet, iustificatis in gratia decedentibus nihil deesse, quo minùs vitam æternam consequantur. quod falsum esset, si aliqui decedentes iustificati possent cælo perpetuò excludi. *Trident.*

Nec refert quòd Concilium ibidem dicat, tales etiam censeri plenè legi diuinæ satisfecisse; quia hoc intelligendum est, quantum nimirum hoc fieri potuit; ita scilicet vt nullũ præceptum culpabiliter omiserint. Ita autem credentes nullum præceptum fidei culpabiliter omittunt, alioqui non iustificarentur.

Probatur Secundò, quia est aperta sententia D. Augustini l. de Natura & gratia c. 2. vbi docet, si fieri posset, vt quis impleret legem naturæ & perficeret iustitiam absque fide sanguinis Christi, eò quòd inuincibiliter Christum ignoraret, eum debere esse securum de regno cælorum. & addit: *Non enim iniustus Deus, qui iustos fraudet mercede iustitiæ: si ijs non est annunciatum sacramentum diuinitatis & humanitatis Christi, quod manifestatum est in carne.* Quæ apertè essent falsa, si quis verè iustus ob inuincibilem ignorantiam mysterij incarnationis, aut alterius articuli fidei posset excludi cælo: quia talis nullo modo posset esse securus de præmio. 176 *Augustin.*

Probatur Tertiò, quia talis est verè filius Dei, & consequenter heres Dei, ac habens ius ad regnum cælorum: ergo si sine peccato mortali moriatur, Deus debit ei hereditatem siue gloriam cælestem; quia ipse numquam negabit nobis ius nostrum, aut fallet fidem, 177

qua

Trident. qua hereditatē promisit filijs. vt docet Trident. sess.6.c.16. Antecedens expresè habetur 1.Iohannis 4. vbi dicitur, *Caritas ex Deo est.* & infrà, *Deus caritas est; & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Item ad Rom.3. de omnibus iustis dicitur, quòd spes eos non confundat; *Quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* vnde iisdem c.8.dicitur: *Sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater; ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei; si autem filij, & heredes,* &c. Omnes autem iusti habent in se caritatem, Deumque diligunt, & spiritu Dei aguntur, & consequenter ex Deo nati sunt, ac filij ac heredes Dei, nec spes potest eos confundere, aut hereditas promissa deficere, si sine peccato mortali moriantur.

1.Iohan.4

Rom.3.

178 Dices, tales habituros quidem regnum cælorum si sine peccato mortali moriantur; fieri tamen non posse vt ita moriantur, quia si se conseruent à peccato mortali, Deus ijs reliqua mysteria fidei reuelabit.

Sed hoc sine fundamento dicitur, præsertim cùm fieri possit, vt quis cum tali fide iam iam moriturus conteratur; & statim moriatur. Quòd autem Deus eo casu ipsius vitam miraculosè prolongabit, donec mysteria fidei exactiùs didicerit, sine vlla ratione dicitur.

179 Ad argumentum de Cornelio quod contrà obijciebatur, Respondeo Primò, si ille fuerit verè iustificatus ante aduentum Christi, ipsum sine dubio iturum fuisse ad cælum, si tunc fuisset mortuus. Nec hoc vmquam D. Augustinus negasset, ad cuius verba respondi suprà numer.172.

Cornelius fuit iustus ante S. Petri ad eum aduentum.

Respondeo Secundò, verius videri eum priùs fuisse iustificatum (vt etiam communior tenet opinio) quia in Scriptura eodem cap.10. dicitur vir religiosus & timens Deum. quod de peccatoribus Scriptura numquam dicit: habuit ergo ille fidem implicitam Christi, quam ex Iudæis didicerat; missus tamen est ad eum Petrus vt eum plenius in fide instrueret, ne hanc tandem ex ignorantia vincibili ignoraret, atque ita iustitiam & cælum perderet. Et hac fortè sola ratione D. Augustinus voluit ei Petri concionem fuisse necessariam.

Mysterium Trinitatis & incarnationis equaliter explicitè credenda sunt.

180 Conclvsio VI. Idem dicendum est de fide Trinitatis, ac de fide incarnationis; nam quicumque Doctores huius exigunt explicitam fidem ad iustificationem, id faciunt quia mysterium incarnationis nequit explicitè & distinctè credi, sine explicita fide Trinitatis; & quicumque illam non requirunt, nec hanc requirunt. Quod vel inde etiam colligitur, quia mysterium Trinitatis tum primùm incepit palàm omnibus proponi credendum, quando mysterium incarnationis erat ita saltem ex necessitate præcepti credendum.

DVBIVM X.

Quæ sint necessariò explicitè credenda ex necessitate præcepti?

NOta Primò, nos dupliciter posse ex præcepto diuino aut naturali obligari aliqua explicitè credere. Primò per se, & quatenus Christiani sumus: qualia sunt ea omnia sine quorum fide non possumus fungi officio hominis Christiani, sine prout decet Christianum viuere. & constat hæc ab omnibus Christianis necessariò esse credenda, quia omnes tenentur Christiano more viuere, & Christiani hominis officio fungi. Secundò, ratione particularis alicuius officij, quo quis fungitur, aut ratione alterius actionis quam hîc & nunc vult aut etiam tenetur exercere; quia constat quemuis obligari vt habeat cognitionem necessariam, vt possit conuenienter obire munus, quo fungitur: cùm autem in diuersis sint huiusmodi actiones aut officia diuersa, constat in diuersis etiam diuersam cognitionem requiri. 181

Obligamur quædam credere per se, quædam per accidens.

Diuersi ad diuersa credenda obligantur.

Solent igitur Doctores hac de re disputantes tres classes hominum constituere; scilicet maiorum, mediorum, & infimorum. Per priores intelligunt Episcopos, & similes Prælatos, quibus incumbit ipsam Ecclesiam regere, & ipsos etiam Pastores docere. Per secundos intelligūt Pastores, concionatores, & similes, quibus incumbit plebem in rebus fidei instruere. Per tertios intelligunt reliquam plebem. 182

Homines maiores, medij, & infimi.

Nota Secundò, Doctores ferè communiter in hac quæstione non tam quærere quid singuli teneantur explicitè credere actu fidei propriè dicto (nam multa enumerant etiam inter ea, quæ omnes tenentur scire, quæ non tenentur propriè fide diuina credere: qualia sunt præcepta Ecclesiæ) sed quid teneantur quatenus fideles sunt explicitè scire, siue ea fide diuina credant, siue aliter cognoscant. 183

Nota Tertiò, duplicem posse hîc disputari difficultatem. Primò, an circa res fidei sufficienter à nobis cognitas teneamur aliquando elicere verum actum fidei, & quando? Secundò, quænam obiecta fidei, aut aliàs Christiano homini necessariò cognita teneamur explicitè cognoscere, vt possimus circa ea actum fidei dum necesse erit elicere, aut earum cognitione alia ratione in functionibus Christiani hominis vti; & consequenter quam diligentiam teneamur in ijs addiscendis adhibere? Qua in re præcipua difficultas est circa tertium genus hominum ex numeratis num.182. 184

Omissa igitur hæresi quorumdam sectariorum, quos citat Valentia 2.2.disp.1.q.2. puncto 6. qui docent sufficere credere in verum Deum & Christum, imò, vt alij quidam, in solū Deum, atque adeò quasuis sectas credentes vnū Deum posse in sua fide saluari: fuit etiam error quorumdam Iuristarum, quos citat Sanchius l.2. in præcepta c.3. docentium sufficere rudioribus explicitè generatim credere quod credit Ecclesia, atque ita omnes articulos fidei implicitè credere. Sed hos satis refutaui dub.9.vbi osten- 185

Valentia.

Sanchius.

dinecessariò quædam explicitè credenda esse. vnde hanc opinionem alij Doctores erroneam aut etiam hæreticam vocant, quia, vt patet ex dictis, apertis Scripturis,& Patrum sententijs repugnat.

186 *Sanchez.* Tres circa ea, quæ teneamur explicitè scire aut credere, sententiæ.

Præter hos igitur Sanchez suprà tres recitat Catholicorum sententias, circa articulos fidei quos omnes explicitè scire teneantur. Quarum Prima docet,omnes teneri scire articulos fidei contentos in Symbolo Apostolorum.Secunda docet, omnes teneri explicitè credere omnes eos articulos, quos Ecclesia solemnizat, siue quos per solemnia festa celebrat. Tertia docet, omnes teneri credere quatuordecim articulos fidei, qui in catechismo pueris addiscendi proponuntur. Auctores harum sententiarum, etsi diuersi diuersimodè suam sententiam proferãt, tamen quod ad rem attinet,ferè in omnibus cõsentiunt,exceptis paucis articulis,scilicet de circumcisione, & præsentatione Christi in templo in purificatione B.Virginis,&de aduentu Spiritus sancti in discipulos,quos Lorca 2.2.disp.23. num.12. ab omnibus credendos affirmat; Sanchez verò suprà negat. *Lorca.*

187 Conclvsio I. Omnes ex necessitate præcepti tenẽtur explicitè scire ea omnia quæ sunt explicitè credenda necessitate medij. Hæc est communis & certa. quia cùm horum cognitio sit maximè necessaria ad salutem,etiam est maximè præcepta.

188 Omnes tenentur scire Symbolum Apostol. *Sairus.* *Valentia.* *Malderus.*

Conclvsio II. Tenentur omnes præterea scire eos articulos qui in Symbolo Apostolorum continentur,saltem quoad eorum substantiam , & quatenus à rudioribus communiter concipi possunt. ita Sairus in claui regia l.2.c.9. Valentia 2.2.disput.1.q.2.puncto 3. concl.2. & puncto 4.sub finem,§.*Sed probabilior*.& Malderus ibidem q.2.a.7.concl.vlt. Probatur Primò, quia Apostoli discessuri in diuersas mundi partes hoc Symbolum composuerunt, vt id iuxta præceptum Christi Marci vlt.docerent omnem creaturam siue omnes homines, antequam eos baptizarent: ergo omnes homines id tenentur discere,aliàs illi frustra id tenerentur docere.

Probatur Secundò, ex praxi Ecclesiæ, quæ hos articulos omnibus credendos proponit, & suis ministris præcipit vt eos rudes doceant, vt patet ex c.*Deus qui*. de pœnitentijs & remiss.vbi Põtifex præcipit Clericis Liuonien sibus vt subditos sollicitè doceant orationem Dominicam & Symbolum Apostolorum. hinc etiam Ecclesia præcipit ne vlli adulti ad baptismum admittantur qui eos ignorent.vt patet ex c.*Ante viginti dies*,54.c.*Baptizandos*,57.c.*Non liceat*,58.de cõsecrat. dist.4. ideoque ibidem,c. *Symbolum*,55. præcipitur vt id octo diebus ante Pascha competenter in ecclesia prædicetur. Idemq; docet D.Augustinus l.8.Confess.c.2. Ex quibus clarè patet, omnes Christianos teneri hos articulos scire. Et ratio est, quia in ijs præcipua fidei mysteria,quæ ad diuinitatem ac Christi humanitatem, & nostram redemptionem, iustificationẽ ac beatitudinem pertinent, continentur.

*c.*Deus qui. *c.* Ante. *c.* Baptizandos. *c.*Non liceat. *c.*Symbolum. *Augusti.*

Non omnes tenẽtur scire contenta in Symbolo quoad circumstantias & subtiles sensus.

Dixi,omnes teneri dictos articulos scire quoad substantiã,&c.quia non tenentur omnes ita strictè eos scire quoad eorũ circumstãtias etiam in Symbolo expressas, aut quoad subtiliores & proprios conceptus,aut minùs obuium sensum. Hinc multi asserunt non omnes teneri explicitè scire Christum passum esse sub Pilato, aut quâ ratione dicatur sedere ad dexteram Dei: aut in Deo esse vnam essentiam & tres personas, & in Christo duas naturas & vnam personam (hæc enim vix docti satis concipiũt;) sed sufficere rudioribus scire Christum verè esse Deum & hominem,& verè passum esse & mortuum in cruce,ac ad cælos ascendisse,item Patrem& Filium ac Spiritum sanctum esse verè vnum Deum. siue Patrem esse verè Deum , & Filium esse verè Deum,ac Spiritum sanctum esse verè Deum,& tamen tantùm esse vnum Deum. siue sufficere quòd interroganti an Pater sit Deus,& an Filius sit Deus,& an Spiritus sanctus sit Deus, & an sint plures dij quàm vnus,possint ad singula distinctè respondere;etsi nesciant distinctè respõdere quando præcisè interrogantur quot sint personæ in Deo. vide Vasquez 1.2. disp.121.c.2. & Sanchez in Præcepta l.2.c.3.num.17. *Vasquez.* *Sanchez.*

Quænam rudioribus sufficiant; & quomodo Symbolum docendi.

Vbi etiam num.7. docet,rudiores absolutè non teneri credere Sanctorum communionem, quia huius rei cognitio non videtur ita necessaria scitu,& videtur habere maiorem subtilitatẽ, cùm etiam docti disputent in quibus rebus hæc communio consistat. 189

Omnes tenentur scire solã Catholicã esse veri Ecclesiam.

Tenentur tamen omnes distinctè credere Ecclesiam Catholicam,siue vnicam esse fideliũ congregationem , quæ sub vno in terris capite vnam fidem ac religionem colit, extra quã non est salus. Hoc enim omnino est necessarium,vt sciant cui fidelium cœtui adhærere,& quas sectas fugere debeant: & vt veros pastores à lupis possint distinguere. Item necessarium est vt credant Christum esse natum sine viri opera ex B.Virgine,atque ita hanc perpetuò mansisse virginem.

Item Christũ natum ex virgine tali permanente.

190 Circumcisio & præsentatio Christi. missio Spiritus sancti explicitè credenda.

Quod autem attinet ad circumcisionem, & præsentationem Christi in templo, & Spiritus sancti descensum in Apostolos , credo omnes Catholicos teneri hæc explicitè scire. per se enim indecens est hæc ita in Ecclesia celebrari,& à Catholico ignorari. Quia tamẽ horum cognitio non est per se necessaria ad vitam rectè & prout decet Catholicum instituendam, & sine ea primaria nostræ fidei obiecta explicitè credi, & sufficienter cognosci possunt, puto hanc obligationem non esse ita strictam ; atque ita per se non esse peccatum mortale hæc ignorare. & sic fortè possunt conciliari auctores citati num. 186.Nullo autem modo puto communi populo necessarium esse explicitè credere Spiritum sanctum procedere ex Patre & Filio, aut alia similia quæ ipsi capere non possunt.

Videtur tamen hæc obligatio minùs stricta.

Processio Sp. sancti à Patre & Filio à rudioribus potest solum implicitè credi.

191 Omnes tenentur saltẽ tria Sacramenta scire.

Conclvsio III. Tenentur etiam omnes explicitè scire saltem tria Sacramenta , scilicet Baptismum,Eucharistiam, & Pœnitentiam; ita vt sciant sub secundo Christum Deum & hominem verè ac integrè contineri,& in eo adorandum esse,ac à communicantibus verè sumi,omnesque fideles adultos obligari id suo tempore suscipere vt cibum animæ spiritualem.hæc enim cognitio ad huius Sacramenti conuenientem susceptionem est necessaria. Item Baptismum ac

Pœni-

Pœnitentiam suscipi in remissionem peccatorum; illum necessariò semel ab omnibus, hanc à relapsis in peccatum mortale. ita Henriqu l.6. de Sacramentis c.28.num.2. Valentia 2.2.disp. 1.q.2.puncto 5.post 2.concl. dub.1. Sanchez in Præcept.l.2.c.3.num.9. vbi addunt, reliqua Sacramenta teneri explicitè scire eos solos, qui ea volunt suscipere.

Henriqu. Valentia. Sanchez.

192 Omnes tenentur scire esse septem Sacramenta.

Crediderim tamen, omnes teneri saltem in genere scire esse septem Ecclesiæ Sacramenta, quia hoc facilè sciri potest, & pueri hoc passim docentur; & ipsa sunt ex præcipuis salutis nostræ remedijs. Nec refert quòd non teneamur omnia suscipere, nec omnes omnia suscipiant; quia hæc cognitio non ordinatur solùm ad eorum susceptionem, sed etiam vt cognoscamus quanto beneficio Deus ea Ecclesiæ suæ reliquerit, quantumque à Deo bonum per ea in nos manet. nam aliàs cùm baptismum communiter omnes infantes suscipiant, & vix vlli adulti; hi communiter non tenerentur scire hunc esse verum Sacramentum. Crediderim tamen hanc obligationem non esse ita strictam respectu eorum, qui dicta Sacramenta numquam sunt susceptur: quare hi ea ignorantes facilè à grauiori peccato poterunt excusari. & ita intelligo Auctores suprà citatos.

193 Quæ præceptorũ cognitio necessaria sit.

Conclvsio IV. Tenentur etiam omnes scire orationem Dominicam, & præcepta decalogi, eaque præcepta Ecclesiæ quæ ab omnibus obseruanda sunt; v.c. de celebrandis festis, audiendo Sacro, annua confessione & communione, &c. Est communis Doctorum. Et ratio est, quia in illa docemur ea, quæ debemus à Deo petere & sperare; in his ea, quæ debemus agere, aut vitare: ita vt sine illorum cognitione, nec rectè Deum orare, nec bene viuere possimus.

194 An omnes teneantur supradicta verbotenus ediscere.

Conclvsio V. Etsi omnino deceat omnes ita scire Symbolum Apostolorum, orationem Dominicam, & decem præcepta, vt possint ea memoriter recitare ijsdem verbis, quibus in Ecclesia omnibus ediscenda proponuntur, atque adeò saltem sub veniali omnes ad hoc communiter obligentur; tamen nec hoc sufficit, nec ad id est omnibus stricta obligatio. sed necessarium est ad vitandum peccatum mortale, ac etiam sufficit illorum sensum scire, ita vt ad singula interrogantibus quis possit distinctè respondere. Ita cum communiore sententia Sanchez suprà num.16.

Sanchez.

Tenentur illa intelligere. nec sufficit ea posse recitare lingua ignota.

Ex quibus patet, non sufficere quòd quis dicta possit recitare aliqua lingua sibi ignota, v.c. Latina quam non intelligit: & consequẽter qui linguam Latinam non intelligunt, debent ea ediscere in lingua vernacula, aliaue ijs cognita: singulaque ijs debent ita explicari, vt ea pro suo captu intelligant.

195

Hinc sequitur Primò, pueros statim atque ad vsum rationis venerint, teneri hæc discere, & prout possunt intelligere; & parentes alioque, qui eorum curam habent, teneri eos hæc docere: sicut etiam Parochi alique, quibus incumbit cura alios instruendi, tenentur hæc docere eos, qui eorum curæ commissi sunt: aut in concionibus aut catechismis hæc ijs sæpiùs data occasione explicare; eosque docere quanta in singulis sit obligatio hæc sciendi, ac in parentibus hæc suos filios, alioque subditos docendi. Acin his rebus explicandis & inculcandis, præsertim in pagis ac etiam in opidis in quibus rudiores sunt, sæpè longè vtiliùs conciones insumerentur, quàm in explicatione Euangelij, & quibusdam rebus subtilioribus adferendis, quas auditores vix concipiunt. Quod autem dixi pueros hæc statim teneri discere, hoc intelligendum est moraliter, & prout occasio & oportunitas sese offeret; quæ in alijs atque alijs maior aut minor est, sicut etiam capacitas discendi. Et cõsequenter tam in ijs qui tenentur ea discere, quàm in ijs qui tenentur ea docere, erit maior aut minor culpa, si dicta diutiùs, quàm par sit, ab aliquibus ignorentur.

In concionibus vtilissimè catechistica tractatur.

196 Quæ Parochi & similes teneãtur explicitè scire.

Conclvsio VI. Parochi, concionatores, cõfessarij, ac similes quibus incumbit cura alios in rebus fidei ac morum instruendi, non solùm tenentur supradicta explicitè scire, sed ea ita scire vt possint ea ceteris explicare, & difficultates, quæ communiter in ijs possunt hominibus plebeijs occurrere, exponere. Item tenentur scire ac posse explicare, quando, & qua ratione Sacramenta percipienda sint, & quis fructus ex eorum perceptione accipiatur. Item qua ratione Sacrum, aliaque diuina officia decenter audienda sint; aliaque similia, quæ ad Christiani hominis officium spectant. Quia, vt iam ostendi, & docet Tridentinum sess.5.c.2.de reform. & sess.24. c.5 de reform. ipsi tenentur suprà dicta sibi commissis explicare; quod sine dicta scientia fieri non potest. Qualis autem scientia tam in Parochis quàm in alijs requiratur vt possint confessiones audire, explicui tom.2.de Sacram. disp.8.dub.16.

Trident.

197

Vbi Nota, omnino conuenire quidem Parochum esse versatum in controuersijs, & posse articulos fidei contra oppugnantes defendere; imò in locis hæresi infectis, aut vicinis ipsis hæreticis, vbi aliàs esset periculum subditis ne ab illis peruerterentur, si viderent Pastorem suum non posse illorum argumenta soluere, esset omnino necessarium illum ad hoc habere sufficiẽtem scientiam. tamen extra hos casus, absolutè loquendo, hoc necessarium non est, quia per se loquendo, sicut ipse non est iudex controuersiarũ fidei, ita non tenetur has omnes controuersias posse explicare, & fidem contra oppugnantes tueri; sed sufficit eum sufficienter scire ea, quæ suis tenetur explicare, ita vt sine periculo erroris, id possit securè facere. in grauioribus autem difficultatibus potest ad Episcopum recurrere. Ita Durand. in 3.d.25.q.1.lit.K. & ex eo Lorca 2.2.disput.23.numer.7. Et insinuant etiam alij Doctores, dum dicunt, Episcoporum esse fidem contra impugnãtes posse defendere.

Durand. *Lorca.*

198

Conclvsio VII. Episcopi tenentur non solùm omnes fidei articulos explicitè scire, sed eos etiam posse explicare, ac contra oppugnantes defendere. ita Durand. & Lorca suprà, & videtur communis.

Durand. *Lorca.*

Probatur Primò, ex Apostolo ad Titum 1. vbi ait Episcopum debere esse *amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est fidelem sermonẽ: vt potens sit exhortari*

Titum 1.

exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicũt, arguere. Græcè est ἐλέγχειν, id est argumentis conuincere. Et 1. ad Timoth. 3. dicit Episcopum debere esse doctorem, id est sufficienti doctrina instructum, vt possit omnes suos subditos docere. ad quod pertinet argumenta contraria refutare.

1. Timoth. 3.

Carthag. 4. Secundò, ex Carthaginensi IV. c. 1. vbi ordinandus Episcopus iubetur examinari an sit literatus, in lege Domini instructus, in Scripturarum sensibus cautus, in dogmatibus exercitatus, &c. Quæ non ob aliam causam in eo requiruntur, quàm vt possit doctrinam fidei alios securè docere, controuersias in ea ortas dissoluere, eamque contra oppugnantes defendere.

199 Tertiò probatur ratione; quia Episcopi in Concilijs tenentur de controuersijs fidei iudicare: ergo tenentur eas bene intelligere. Item ipsi sunt Pastores populi, & quidem supremi in suo ordine: ergo tenentur non solùm oues pascere, sed etiam contra lupos siue hæreticos defendere, horum argumenta dissoluendo.

Matth. 5. Quartò, quia ipsi sunt successores Apostolorum, qui Matth. 5. dicuntur sal terræ, & lux mũdi: ergo ad eos spectat tenebras, quas hæretici suis argutijs ac sophismatibus fidei offundunt, doctrinæ suæ luce dispellere; &, vt ait D. Augustinus l. 1. de serm. Domini c. 6. explicans dictum

August. locum Matth. suprà, ipsi constituti sunt vt per eos auferatur aliorum error; quod fieri nequit nisi argumenta fidei contraria dissoluendo.

Demum cùm certũ sit aliquos debere esse in Ecclesia qui possint fidem contra impugnantes defendere, clarum est id maximè ad Episcopos pertinere: nam, vt dicitur in loco ex Matthæo suprà, *si sal infatuatum fuerit, in quo saletur?* id est, vt notat S. August. suprà, si Episcopi per quos alij condiendi sunt, & in sana doctrina erudiendi ac conseruandi, inscitia infatuentur, quo tandem sale, siue cuius doctrina, ipsi condientur, & in sanæ doctrinæ soliditate conseruabuntur, cùm ipsi constituti sint vt per eos alij in sana doctrina conseruentur ac defendantur? vide plura hac de re in D. Chrysost. lib. 4. de Sacerdotio

Chrysost. S. Leo. Gregorius. sub finem, S. Leone epistol. 23 ac S. Gregorio in Pastorali p. 2. c. vlt.

200 Inconueniẽs est Episcopũ non posse per se sibi subditos erudire.

Dices, non esse opus vt Episcopus supradicta per se faciat, sed sufficere vt ea faciat per suos Theologos & concionatores. Sed contrà facit, quòd omnino inconueniens sit lucem mundi non posse per se lucere, sed debere ab alijs lumẽ mutuari. vnde etiam Trident. sess. 5 cap. 2. de reform. & sess. 24. c. 4. de reform. exigit ab Episcopis vt per se populum doceant, nisi legitimè sint

Trident. impediti. Item Lateranense sub Innoc. III. c. 10.

Lateranens. quamuis permittat Episcopis vt propter morbos aut legitimas occupationes per alios populum erudiant; tamen dicit omnino intolerandum esse, si id faciant ob defectum scientiæ.

201 *Lorca.* Non est necesse vt Episcopus possit ex tempore omnibus dubijs respondere.

Nota tamen Primò, cum Lorca suprà, non esse opus Episcopum semper esse tam doctum, vt ex tempore possit ad eiusmodi controuersias, præsertim difficiliores, respondere: sed sufficere quòd falsam doctrinam à vera possit dignoscere, & grauiores obortas difficultates adhibito studio, aut etiam alijs consultis dijudicare ac dissoluere: quamuis enim tunc aliorum operâ vtatur in ijs difficultatibus discutiendis, dum tamen per se de ijs dijudicat, per se etiam lucet.

202 Variæ conditiones in Episcopo requisitæ.

Nota Secundò, etsi dicta scientia in Episcopo per se requiratur, tamen quia non requiritur sola, sed cum ea requirũtur multa alia, non minùs, imò magis necessaria ad munus Episcopale ritè obeundum, v. c. magna in gubernando dexteritas ac prudentia, & apud suos auctoritas, aut etiam apud alios, contra quorum potentiã subditi defendendi sunt. vnde etiam quandoq; requiritur secularis potentia, præsertim quando Ecclesiæ imminet periculum à vicinis hæreticis, qui eam conantur opprimere, aut eius bona inuadere, aut iura minuere, ideoque aliquando necessarium est Ecclesiam habere aliquem Episcopum potentem, & secularibus Principibus sanguine coniunctum, vt hac ratione insidiantium inimicorum potentiæ possit resistere.

203 Quandoque minùs eruditi, quia in aliis excellunt, vtiliores sunt Episcopis.

Hinc cùm sæpè contingat has conditiones non reperiri in viris valdè eruditis, necesse sæpè est minùs eruditos assumere in Episcopos, qui alijs illis conditionibus Ecclesiæ magis necessarijs, defectum eruditionis supplent. Præsertim cùm longè minùs sit inconueniens Episcopum minùs eruditum aut eloquentem debere per alios suos subditos docere; quàm minùs prudentem per se non posse regere: nam cùm homini innatum sit sibi persuadere se satis prudentem esse, & sua consilia esse optima, qui in regendo est minùs prudens facillimè grauissimas turbas excitabit, & grauissima cauſabit incommoda, quibus postea difficillimè poterit mederi.

Minùs periculosè gubernat minùs doctus, quàm minùs prudens.

204 Ad quid teneatur Episcopus minùs doctus.

Ex quibus patet, subditos sæpè malè facere damnantes aut Prælatos suos quasi eo munere indignos eò quòd sibi videantur minùs docti, aut etiam eos, qui relictis quandoque doctioribus minùs doctos promouent; quia possunt facilè habere alias causas iustissimas cur hoc faciant. Quicumque tamen talis in Episcopum assumptus est, tenetur quantum sine graui incommodo potest dare operam vt sufficientem doctrinam acquirat, qualem in Episcopo requiri diximus. Et magnatum filij, qui ad eiusmodi dignitates aspirant, tenentur dum iuuenes sunt, diligenter studijs incumbendo quantum possunt elaborare, vt eiusmodi scientiam acquirant.

205 Quando teneamur actum fidei elicere. *Azor. Sanchez. Valentia.*

Circa aliam quæstionem propositam n. 184. quando scilicet teneamur verum actum fidei elicere, Azor l. 8. Moral. c. 7. q. 6. Sanchez l. 2. in præcepta c. 1. Valentia 2. 2. disp. 1. q. 2. puncto 5. sub finem, ponunt has regulas.

Infideles tenentur rebus sibi sufficiẽter propositis statim assentiri.

Regula prima, is qui res fidei ignorat, vt sunt infideles, siue Gentiles, siue hæretici, aut etiam fideles qui in rebus fidei non sunt sufficienter instructi, statim atque ijs articuli fidei sufficienter proponuntur vt credibiles, iuxta dicta disp. 11. dub. 1. tenentur circa ea assensum fidei elicere: quia si præceptum fidei vm quam obliget, tunc maximè videtur obligare.

206 Cur peccẽt differendo.

Adde Primò, infidelem non solùm omni ex parte tam voluntatis, quàm intellectus, esse à Deo alienum, & nullo modo ipsius aut Ecclesiæ membrum: sed etiam profiteri religionem veræ fidei contrariam; atque ita stare à parte eorum, qui

qui Deum veramque fidem oppugnant. Quare sicut si miles, aut subditus alicuius regis in castris hostium esset ascriptus, siue ex malitia, siue etiam ex inuincibili errore, statim veritate cognita, dataq; commoditate teneretur castra hostium deserere, seque alijs sui legitimi principis subditis adiungere, atque adeò id differendo pergeret hostibus fauere, ac regem suum oppugnare, ideoque grauiter contra eum peccaret: ita etiam infidelis peccat differendo credere agnitam veritatem.

207 Adde Secundò, etsi metaphysicè fieri possit vt quis circa obiectum fidei ita sibi propositum habeat se merè negatiuè eidem neque assentiendo, neque dissentiendo, nec etiam de eius veritate dubitando; tamen moraliter loquendo hoc difficulter fieri potest; præsertim in ijs rebus ex quarum fide videmus nostram salutem pendere: nec videtur posse occurrere ratio cur ijs differamus assentiri, nisi quia de ijs aliquo modo dubitamus, aut ea contemnimus. Quare infidelis qui alicui fidei articulo sibi sufficienter ad credendum proposito voluntariè differt assentiri, aut de eo verè dubitat, aut saltem moraliter quodammodo significat se de eo dubitare eumque cõtemnere. quæ sine graui erga primam veritatem irreuerentia fieri nequeunt. Quare hæc ratio habet etiam locum in baptizatis res fidei ignorantibus; qui statim atque sufficienter cognoscunt rem sibi propositam esse ex ijs quæ necessariò explicitè fide diuina sunt credendæ, tenentur eam ita credere, siue ad hoc ex parte sua conari: quod si faciunt, Deus sua gratia non deerit vt hoc ita credere possint.

Differès assentiri rebus fidei sufficienter propositis, inuit se de iis dubitare.

208 Dices Primò, Quando mihi sufficienter proponitur res aliqua tamquam à Deo reuelata, quam aliàs non teneor explicitè credere aut scire à Deo esse reuelatam: etsi non possim tunc de eius veritate sine graui peccato dubitare; tamen non teneor ei positiuè assentiri, sed possum cohibere omnem circa eam assensum; & hoc faciendo non ostendam me de ea dubitare, eamue contemnere: ergo idem dicendum erit in ijs quæ ab omnibus necessariò explicitè credenda sunt.

Secundò, existens in peccato mortali non tenetur statim ac commodè potest conteri: ergo nec infidelis tenetur statim ac commodè potest credere.

Tertiò, non baptizatus postquam cognouit baptismum sibi esse absolutè necessarium, etsi habeat commoditatem statim suscipiendi, potest tamen sine peccato eum aliquantulum differre: ergo idem dicendum de assensu fidei.

209 Ad primum, nego consequentiam. quia in casu antecedẽtis sicut sine vlla fidei iniuria possem nolle illam veritatem indagare, ita possem apprehendere eius cognitionem nihil ad me pertinere, & vt talem eam in medio relinquere: secùs est in casu consequẽtis; cùm enim illius veritatem planè tenear cognoscere, non possum iã oblatam sine fidei iniuria respuere, aut tãquam ad me non pertinentem relinquere, ideoque & hoc faciendo interpretatiuè censebor aut eam contemnere, aut de ea dubitare, cùm non possit esse alia ratio cur eius assensum reiiciam.

Ad secundum, nego consequentiam. Primò, 210
quia peccator fidelis non est ita totaliter à Deo auersus, nec censetur contra Deum seu primam veritatem militare sicut infidelis. Secundò, quia in eliciendo vero actu contritionis, aut in confitendo sæpè est magna difficultas, atque ita peccator ex huius horrore potest differre conuersionem; in eliciendo autem assensu fidei, posita eiusdem sufficienti propositione, siue posito quòd quis clarè videat rem propositam omnino fide diuina esse credibilem, ita vt nullum dubium contrarium occurrat, nulla vlterior est difficultas: nam in assensu fidei tota difficultas est in superãdis contrariis dubitationibus. quare posito quòd aut nulla occurrat dubitatio, aut quòd intellectus ex imperio voluntatis eas constanter reiiciat, in ipso præcisè assensu nulla est difficultas, & consequenter nulla potest esse causa differendi assensum. Posito autem quòd adhuc animus fluctuet, & de veritate sibi proposita dubitet, hoc ipso committitur peccatum infidelitatis; quia dubitare de veritate fidei sufficienter proposita, est peccatum infidelitatis.

Dices, eum assensum habere difficultatem 211
etiam in eo qui de eius veritate non dubitat, quia adfert secum necessitatem mutandi vitam, & à moribus infidelium transeundi ad consuetudinem viuendi more fidelium. Respondeo Primò, hoc non posse habere locum in fideli ignorante adhuc res fidei, qui non debet transire ad alium viuendi ritum. Respondeo Secundò, assensum internum fidei præcisè ad nullum viuendi ritum obligare, ad quem is qui eum elicit antè non fuerat obligatus: nam ad peccata cõtra ius naturæ vitanda tališ eodem modo obligatur siue credat, siue non credat: ad alias verò leges Christianorum obseruandas solùm tenetur post baptismum. Quòd si differat fidem amplecti, quia docet quædam esse peccata contra ius naturæ, quę ipsius fides docet esse licita, tunc differt credere ex affectu peccati, & consequenter cum peccato.

Ad tertium, nego consequentiam: quia fieri 212
potest quòd sit aliquod incommodum in suscipiendo baptismo, aut quòd speretur paulò post cum maiore fructu posse susci pi; secùs autẽ est in assensu interiore. Quòd si autem nulla iusta causa sit differendi baptismum, cum aliquo peccato differtur maiore aut minore, prout erit lõga dilatio, sicut dixi tom.1. de Sacram. q.68. art. 3. dub.1.

Nota Primò, cum Bañez 2.2.q.10.a.1. dub.3. 213
infidelem qui antea de sua religione non dubitauit, non teneri statim atque aliquem audit annunciantem sibi Euangelium ei credere: sed requiri vt ille iis rationibus huic sua dicta probet, vt satis apertè videat, aut saltem, nisi mala voluntas obstaret, facilè videre posset, religionem sibi iam propositam esse meliorem sua: statim tamen atque incipit dubitare, aut de veritate alterius religionis, aut de falsitate suæ, tenetur õmni modo veritatem inquirere. vt fusiùs dicam disp.18. dub.3.

Bañez. Ad quid teneatur infidelis, cui res fidei proponuntur.

Nota Secundò, cum Sanchez suprà cap.3. in baptizatis ignorantibus quidem quæ credenda sunt, non habentibus tamen vllam opinionẽ iis con- *Sanchez.*

contrariam, etsi possit sæpè esse aliqua negligentia in fidei mysterijs addiscendis, tamen vix vnquam contingere vt peccent non credendo res fidei sufficienter sibi propositas; quia respectu huius assensus nullam habent repugnantiam, aut aliquid quod possit eos ab eo retardare; ideoque sibi sufficienter propositis statim assentiuntur. aut ita se habent vt saltem bona fide putent se ijs sufficienter assentiri: etsi sæpè initio, præsertim in pueris, sit sola fides humana.

214 Regula II. Tenemur elicere actum fidei vt vincamus tentationem contrariam.

Regula secunda. Tenetur quis quandoque elicere actum fidei, quando grauem contra fidem patitur tentationem, quam putat se aliter non posse superare. Per se patet, quia sicut tenetur cauere peccatum contra fidem, ita ad hoc tenetur adhibere tale medium, quod putat hîc & nunc esse necessarium. Sed quamuis sæpè patientibus eiusmodi tentationes sit valdè vtile elicere firmum actum fidei, tamen rarò à parte rei id est omnino necessarium, cùm diuertendo aliò cogitationē possint eam tentationem superare, & quando que faciliùs: ex erronea tamen conscientia qua putant esse necessarium elicere actum fidei, quandoque aliqui possunt ad hoc obligari. Bene tamen notat Sanchius suprà hāc regulam non conuenire scrupulosis, qui sæpè apprehendunt se pati dubitationes in fide, atque etiam ijs consentire; & quo magis ijs conātur resistere, eo magis vexantur. quibus omnino suadendum est, vt credant falsas esse imaginationes, easque tamquam somnia contemnāt; nam nullus est alius modus eos liberandi.

Sanchius.

Quid scrupulosis suadendum.

215 Regula III.

Tertiò, tenetur quis per accidens elicere actum fidei quando credit id esse necessarium vt vincat aliquam tentationem contra aliam virtutem. estque eadem ratio quæ in casu præcedenti: nisi quòd hîc difficiliùs possit contingere, vt verè à parte rei & secluſa falsa imaginatione sit vera necessitas. Notatque bene Sanchius tunc omittentem actum fidei, solùm peccaturum contra virtutem, contra quam peccandi periculo per illam omissionem aut verè aut saltem secundùm suam opinionem exponitur.

216 Regula IV. Qui tenetur conteri, tenetur elicere actum fidei.

Quartò, tenetur peccator elicere actum fidei quando tenetur conteri, quia hoc sine fide, qua actu credat Deum paratum esse sibi remittere peccata, fieri non potest, saltem communiter & secundùm ordinaria Dei auxilia: nisi enim quis speret à Deo veniam peccatorum, non mouetur ad efficacem eorum detestationem; ad eiusmodi autem spem non excitatur nisi per fidem. vnde Trident. sess.6.c.6. inter dispositiones ad remissionem peccatorum necessarias requirit actum fidei & spei. Quidam tamen putant sufficere actum fidei virtualem: sed minùs bene. nam, vt bene notauit Suarez in 3.p. tom.3.disp. 28.sect.2.§. *Dices quamuis.* etsi possit dari vnus actus fidei qui virtualiter siue implicitè contineat alium; nullus tamen in hac vita datur actus à fide distinctus, qui actum fidei virtualiter contineat, cùm hic sit primus actus supernaturalis.

Trident.

Suarez.

Nullus hîc datur actus à à fide distinctus, qui hāc virtute contineat.

217 Regula.

Quintò, tenetur quis per accidens elicere actum fidei, quoties obligatur exercere aliquem alium actū, quem sine actuali fide debitè exercere nequit, vt cùm tenemur aut etiā sponte volumus communicare, aut aliud Sacramentū suscipere: tenemur enim tunc velle illud dignè suscipere, & consequenter credere esse verum Sacramentum, & præsertim in susceptione Venerabilis Sacramenti tenemur credere Christū in eo esse præsentem. Item quando tenemur coram tyranno fidem confiteri, quia nisi actu credamus fidem nostram esse veram, vix eam constanter poterimus profiteri.

Sextò, aliqui aiunt, nos teneri elicere actum fidei in hora mortis, & aliquoties per vitam. Alij autem negant id esse necessarium, nisi occurrente aliqua alia necessitate ex causis iam narratis. Sed quamuis hæc speculatiuè possent in vtramque partem disputari, quoad praxim tamen nequit esse difficultas: nam ratione actuum spei ac caritatis, aliorumque quos tam instante morte quàm sæpè aliàs per vitam tenemur elicere, constat nos sæpius teneri elicere actus fidei, quibus præcepto eos eliciendi, si quod sit, satisfacimus.

218 Regula VI.

DVBIVM XI.

Vtrùm detur ignorantia inuincibilis rerum fidei, & an eas ignorantes possint absolui in confessione.

Triplex difficultas.

TRiplex hîc est difficultas. Prima, an in infidelibus aut nutritis inter infideles possit esse inuincibilis ignorantia rerū fidei? Secunda, vtrū eiusmodi ignorantia possit reperiri in iis, qui inter fideles nutriti sunt? Tertia, quaratione cōfessarius se debeat gerere cum iis, qui res fidei vincibiliter aut inuincibiliter ignorant? Non agimus autem hîc de ignorantia vnius Dei & trinitatis, quæ lumine naturæ maximè nota sunt (de quibus agam disp.18.) sed solùm in genere quærimus an aliqui possint inuincibiliter ignorare aliquas res fidei, ad salutem scitu necessarias.

219

Circa duas priores difficultates quidam absolutè docent, nec in fidelibus, nec in infidelibus posse dari ignorantiam inuincibilem earum rerum, quarum cognitio est ad salutem necessaria. Ita Bonauent. in 3.d.25.ar.1.q.2.ad vlt. & q. 3.ad penult. Adrian. quodlib.2.qu.1 fine argumentis, ad secundum.

Bonauent. *Adrian.*

Probatur Primò, quia, cùm Deus omni faciēti quod in se est, det gratiam; omnes, si velint facere quod in se est, possunt habere gratiam ad fidem necessariam & consequenter ipsam fidē: ergo in nullo potest esse ignorantia inuincibilis rerum fidei scitu necessariarum.

Secundò, quia aliàs sequeretur, alicui salutem esse impossibilem.

Tertiò, ponamus aliquem adultum infidelē cum tali ignorantia mori, antequam peccarit materialiter; nullus ei locus assignari poterit. Quia nec limbus puerorum, nam hic locus non est pro adultis: neque infernus, quia non merebitur pœnam sensus.

Quartò, quia Apostolus ad Roman.10. insinuat, mysteria nostræ fidei scitu necessaria omnibus sufficienter esse annunciata, vt possint ea credere

Rom.10.

credere si velint: ait enim, *Sed numquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Psal.78. 2.Thess.1.

Quintò, quia omnes ignorantes res fidei à Deo puniuntur: ergo in eo peccant. Antecedens probatur: quia psal.78. dicitur: *Effunde iram tuã in gentes, quæ te non nouerunt.* & 2. ad Thessal.1.v. 8. dicuntur puniendi in die iudicij qui non nouerunt Deum. & 1. ad Cor.14. dicitur, *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* Et Luc.12. dicitur quòd seruus qui non cognouit voluntatem domini sui, vapulabit paucis.

1.Cor.14. Luc.12.

220 Alij tenent, saltem inter fideles non posse esse inuincibilem ignorantiam rerum fidei, quas omnes tenentur explicitè credere. Ita Gabr. in 3.dist.25.ar.2. post 5.concl. Durand.ibid.q.1.

Gabriel. Durand.

Probatur, quia versantes inter fideles res illas facillimè ex concionatoribus, qui satis frequentes apud fideles sunt, possunt discere; aut ex ipsis festis quæ vident in Ecclesia celebrari, cognoscere, & habent vbique ad manum quos possunt consulere.

221 Datur inuincibilis ignorantia rerum fidei. Vasquez. Nauarr. Azor. Sairus. Sanchez. Pesantius. Iohan.15.

Sed communior & verior sententia est, in vtrisque posse dari ignorantiam inuincibilẽ. Ita Vasqu.1.2.disp.1:1.c.2. Nauarr. in Manuali c.11. n.22. Azor tom.1. Moral.c.6.q.6. Sairus in claui regia l.2.c.9.n.15. Sanchez in Præcepta l.2.c.3.n. 20. Pesantius 2.2.q.10.art.1.disp.2. vbi, etsi agat propriè de infidelibus, eius tamen rationes de vtrisq; probant. Probatur, quia Iohan.15. dicitur: *Si nõ venissem, & locutus fuissem eis, peccatũ non haberent* (scil. infidelitatis) *nunc autem excusationem nõ habẽt de peccato suo.* Vbi Christus apertè insinuat, Iudæos non fuisse peccaturos non credendo in Christum, si ijs non fuisset annũciatus. vt docet

Augusti. D. Augusti. tract.89. in Iohannem explicãs hunc locũ. vbi etiam expresè docet, eos, qui nihil vnquam de fide audierunt, non peccare non credendo, & in hoc habere iustam excusationem: atqui multi sunt in extrema barbarie, qui nihil vnquam de fide audierũt, & similiter sunt quandoq; quidam rustici inter Christianos, qui de quibusdam fidei articulis, quos omnes tenẽtur explicitè scire, nihil vnquã audierunt, nec ijs venit vnquam suspicio in mentem fortè tales aliquos articulos esse sibi credendos: ergo sine culpa eos ignorant. Confirm. quia contrarium videtur apertè damnatum à duobus Pontificibus, qui hanc propositionem (quæ est 64.) damnarunt: *Infidelitas purè negatiua in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

222 Aliud est me non teneri aliquid facere, aliud me excusari à culpa id omittendo.

Pro horum autem maiore intelligẽtia Nota Primò, aliud esse me teneri aliquid facere; aliud verò me culpabiliter peccare illud omittendo. v.c. omnes Catholici non legitimè impediti, tenentur diebus festis audire Sacrum, & tamẽ inuincibiliter ignorans iam esse diem festum, id non audiendo excusatur à culpa. vide dicta disp.3.n.47.

223 Nota Secundò, vt aliquid mihi imputetur ad culpã, id debere mihi aliquo modo esse voluntarium, non solùm secũdùm suã rationẽ physicam, sed etiam quatenus habet rationem malitiæ: vt communiter omnes fatẽtur, & omnino certum est; quia nemo potest peccare saltem culpabiliter, nisi aliquo modo volũtariè, vt sæpiùs S.

Augusti. & ex eo communiter Theologi docẽt. *August.*

Item nihil posse esse voluntarium, nisi sit aliquo modo cognitum: vt docet D.Thom.1.2.q. 6.a.8. & cum eo communiter Theologi. Hinc etsi Iacob quãdo primò cognouit Liam, sciuerit se cognoscere aliquam feminam, ideoque hic actus vt sic fuerit ei voluntarius; quia tamen nullo modo sciebat se cognoscere non suam, seque committere adulterium sibi illicitum, hic actus qua talis ei nullo modo erat voluntarius, & consequenter nec culpabilis.

D. Thomas. Nullum incognitum est voluntariũ.

Nota Tertiò, vt carentia alicuius rei dicatur mihi voluntaria, non sufficere quòd hoc vel illud faciendo potuerim illã acquirere; sed necesse esse me aliquo modo sciuisse hoc vel illud facere esse medium idoneum ad illã rem acquirẽdam. Quare posito quòd hoc omnino ignorem, etsi illud voluntariè atque etiam cum peccato omittam, nihil ominùs carẽtia illius rei non erit mihi voluntaria & culpabilis. v.c. aliquis ob illatum iniustè alteri damnum ei sit obligatus aliquot aureos restituere, & non habeat vnde restituat; hic tenetur quantũ sine notabili incommodo potest, quærere media quibus illos aureos restituat. Ponamus autem illum die festo culpabiliter omisisse Sacrum, quod si audiuisset, fuisset ei oblata occasio, facilè & iustè lucrandi tantum pecuniæ, quãtum obligatur restituere. Tali casu ille peccabit quidem contra præceptum Ecclesiæ non adeundo templum; & consequenter omittendo illud medium consequendi pecuniam sibi necessariam materialiter sumptum, siue omittendo accessum ad templum, qui erat medium consequendi eam pecuniam. quia tamen penitus ignorauit hoc esse tale medium, nec hoc vlla ratione potuit suspicari; non peccabit culpabiliter omittendo illud medium formaliter sumptum, siue quatenus præcisè erat medium consequendi pecuniam: nec ob illius omissionem carentia pecuniæ potest ei vllo modo dici voluntaria. Et simile etiam est in exẽplo Iacobi, cui ad vitandum illud adulteriũ erat necessarium nosse illam personam, quam parabat cognoscere: & potuisset absolutè eam cognitionem habere si diligentiùs in eam inquisiuisset; sed quia nullo modo veniebat ei in mentem hîc posse subesse fraudem, aut periculum cognoscendi non suam, illa ignorantia erat ei absolutè inuincibilis & inculpabilis.

Quid requiratur vt rei alicuius carentia mihi fit volũtaria. 224

Ex his probatur concl.2. quia plurimi Gentiles, v.c. olim nati in Iaponia & America, numquam audiuerunt quidquam de mysteriis nostræ fidei; nec vnquam venit illis in mentem eiusmodi fidem esse, aut esse posse: imò plurimi inter illos simpliciores numquam vllo modo suspicati sunt esse vllam aliam veram fidẽ præter suam. quare quamuis absolutè cum gratia Dei quantum poterant bene viuendo potuissent ad cognitionem veritatis diuino auxilio peruenire; tamen nullo modo potuerũt vnquã suspicari hoc ad illud esse medium necessarium; atq; ita hæc ignorantia fuit illis omnino inuincibilis. 225

Similiter multi rustici statim atque incipiunt ratione vti, applicantur pascendis pecoribus, & rarò permittuntur templum adire, & rarissimè mittuntur ad conciones; atque ita nec 226

in templo quidquã de rebus fidei audiunt, nec domi ab heris aut parentibus in rebus fidei instruuntur; ideoque etiam nullam suspicionem habent aliquid sibi circa fidei mysteria necessariò discendum esse. Quamuis igitur hi interrogando aliquando suos Parochos aut alios in fide instructos, aut faciendo quandoque maiorem diligentiam vt possent conciones aut catechismos audire, possent sufficienter in fide instrui; quia tamen omnino ignorant, hoc ad illum finem esse necessarium, nequeunt ex huius desiderio ad illud faciendum excitari: atque ita hæc ignorantia manet illis inuoluntaria siue inuincibilis.

227 Ad primum argumentum contrarium positum n.219. nego consequ. quia plurimi penitus ignorant eiusmodi medium adhunc finem esse necessarium.

Ad secundum, nego assumptum; quia hoc solùm sequeretur, si faciendo quod in se est vt bene viuerent, ac omnia peccata vitarent, non possent veritatem assequi.

Ad tertium, Respondeo posito illo casu, siue sit possibilis, siue non, talem iturum ad limbum puerorũ. Nec refert quòd hic locus dicitur solis pueris deputatus; quia hoc fit eò quòd cõmuniter supponatur nullũ adultũ de facto cum solo peccato originali è vita discedere, quia communiter omnes docent, neminem sine gratia habituali posse notabili aliquo tempore omnem legem naturæ seruare. Quòd si fortè contingeret aliquem statim post adeptum vsum rationis, antequam grauiùs peccaret, mori, inter pueros computandus esset: præsertim cùm diuersitas illa locorum non tam respiciat diuersitatem ætatis quàm culparum.

Cur limbus dicatur solis pueris deputatus.

228 *Vasquez.* Ad quartum, respondet Vasquez 1.2.q.121.c. 3. Apostolum ibi loqui de annunciatione per cælos facta, quatenus ex eorũ mirabili structura, continua circumvolutione & siderũ ornatu homines possunt naturaliter Deum, eiusq; potentiam ac prouidentiam cognoscere, atque ita hac cognitione cum gratia Dei bene vtendo ad fidei cognitionem paulatim venire. Quæ expositio probari potest, quia psal.18. quẽ Apostolus ibi citat, in eo sensu loquitur; & hoc modo expositus locus Apostoli solùm probat nulli adulto denegari gratiam, qua absolutè possit sensim ad fidẽ peruenire. Quòd si quis velit Apostolũ illum psalmum mysticè intelligere & citare pro annunciatione Euangelij per Apostolos aliosq; viros Apostolicos facta; dicendum est Apostolũ solùm loqui de orbe Romano imperio subiecto, aut saltem cõmuniter cognito, in cuius præcipuis partibus tunc Euangelium annunciatum fuerat: aut etiam prophetice prædicere futurum vt in toto orbe fides aliquando annũtietur. Inde tamen nullo modo sequitur, singulos sufficienter Euangelij annuntiationem audisse: quia, vt iam ostendi, etiã in locis vbi Euangelium prędicatur, possunt aliqui eius doctrinam maxima ex parte inuincibiliter ignorare; quanto magis id potuit olim fieri in locis vbi Euangelium numquam fuerat annuntiatum.

Ad quintũ, Respondeo omnibus illis locis agi de iis qui laborant ignorantia vincibili: nam in duobus prioribus agitur de ijs, qui derelicto cultu veri Dei colũt idola, aliisq; grauibus peccatis contra ius naturæ se scienter immergũt innocentes persequendo; vt patet in loco ex epist. ad Thessal. In 3. loco ex epistola ad Cor. Apostolus agit contra eos, qui ipsius mãdata non obseruabant, simulantes se ea ignorare; aut nolentes credere se iis obligari; vt patet ex versu præcedente, scilicet 37. vbi ijs inculcat vt diligẽter attendant ijs quæ ipsis præscribit, & cogitent esse mandata non hominis, sed Dei. Ad locũ S. Lucæ, Respondeo ibi non simpliciter eũm vapulaturum, qui ignorat voluntatem domini sui, sed additur, *& digna plagis fecerit.* agit igitur de eo, qui sciebat aliquo modo se malè agere, aut saltem id facilè scire poterat: etsi fortè non crederet, id ita domino displiciturum.

229 *Quid requiratur vt ignorantia sit culpabilis.* Hinc patet Primò, vt alicui hæc ignorãtia sit culpabilis, debuisse ei aliquando venisse in mẽtem, saltem in confuso, siue in genere, talem aliquam cognitionem sibi ad salutem esse necessariam, aut se teneri vt eam acquirat diligenter Deum orare, eiq; seruire, ac peccata fugere, vel templum adire, aut conciones aut catechismos audire, &c. aut vt volentes eum docere, aut iubentes vt discendi causa templum adeat, audire noluerit. Aliàs sicut nullius obligationis potest habere cognitionem; ita eius violatio nequit ei esse voluntaria.

Obligati rusticos res fidei ignorantes docere præ his culpandi sunt. Patet Secundò, interrusticos sæpiùs parẽtes aut heros esse magis accusandos, qui non curant vt filij aut iuniores famuli scitu necessaria discãt, quàm ipsos adolescentes hæc ignorãtes; quia sæpè magis est illorum culpa, quàm horũ. Imò præ vtrisque quandoq; accusandi sunt Pastores, aut similes quorum est illos instruere, qui pro concionibus sæpiùs nescio quas materias suis minùs accõmodatas explicant, & doctrinam necessariã omittunt, nec sufficienter parẽtibus & heris exponunt, quantum obligẽtur curare vt eorum domestici in fide bene instruantur. Quæ si sæpè ijs pro concione bene explicarentur ac inculcarentur, minor hac in re esset defectus.

230 *Ad quid obligentur infideles.* Patet Tertiò, eos qui inter infideles enutriti ignorant necessaria ad salutẽ, statim atque audierunt aliquid de mysteriis nostræ fidei, ita siue cum ijs circumstantiis ac rationibus vt meritò possint suspicari ea fortè esse vera; aut quando occurrit ratio cur meritò dubitent an sua religio sit vera; teneri seriò adhibere diligẽtiam vt cognoscant veritatem, adhibendo ea media quæ ad hoc credũt esse necessaria. Atque adeò si illa suspicio sit vehemẽs, siue si adsit grauis valdè causa dicta suspicandi, tenentur ad illam diligentiã adhibendam etiam cum periculo vitæ. Probatur, quia cùm agatur in re grauissima de honore Dei, & æterna salute perdenda vel acquirenda, tenentur his alia omnia postponere. Si enim tenear exponere vitam periculo pro salute alterius, qui aliter nequit saluari, quanto magis id teneor facere pro mea salute.

Prudentiores omnes Iudæi, Turcæ & hæretici laborant ignorantia vincibili. Patet Quartò, omnes Turcas, Iudæos ac hæreticos, prudentiores laborare iam communiter ignorantia vincibili: quia si diligenter huic rei intendant, habent sufficientes rationes de sua religione dubitandi. Ideoque ipsi etiam cum

cum periculo vitæ tenentur veritatem seriò inquirere.

231 Obligatio confessarij circa ignorantes. *Sanchius.* Circa tertiam difficultatem qua ratione scilicet debeat confessarius se cum ijs qui dicta ignorant gerere; Respondent quidam apud Sanchium l. 2. de Præcept. c. 3. nu. 21. eum, quãdo quid simile suspicatur teneri pœnitentem in rebus fidei examinare; quia quoties confessarius deprehendit pœnitentem per se non integrè confiteri, debet illum examinare circa peccata, quæ putat eum omittere. Adduntque eum deprehensum in tali ignorantia non debere absolui, quia est in peccato mortali. Sed meliùs ibidem Sanchius secutus Azor tomo 1. Moral. c. 8. q. vlt. docet, talibus non esse negandam absolutionem; quia sæpè fieri potest eos cousque laborasse ignorantia inuincibili; aut si culpabili laborarint admonendi sunt vt de hac culpa, sicut de alijs doleant, & proponant in posterum debitam diligẽtiam adhibere vt ea discant: atque ita absoluendos esse. Quòd si sæpiùs moniti in eadem negligentia persisterent, tunc agendum cum ijs sicut cum illis qui sæpiùs in eadem peccata labuntur.

Azor.

232 Addit confessarium optimè facturum tunc ante absolutionem eos ignorantes instruendo in præcipuis fidei mysterijs. scilicet docendo eos tantùm esse vnum Deum, & tamen Patrem esse verè Deum, Filium esse verè Deum, Spiritum sanctum esse verè Deum, nec tamen esse plures Deos. Item Filium pro nobis factum hominem, mortuum, ac resurrexisse, ad cælos ascẽdisse, & tandem venturum ad iudicium vt reddat præmia iustis, scilicet vitam æternam, & malis æterna supplicia. Item eum esse verè præsentem in Venerabili Sacramento, & quomodo oporteat confiteri ac communicare. Circa præcepta verò decalogi docet, non esse communiter laborandum; quia vix sunt qui nesciant non esse furandum, fornicandum, peierandum, &c. Excipe casũm quo confessarius deprehenderet pœnitentem ex his aliqua ignorare: quod in desiderijs impudicis, & iocosis mendacijs iuramento affirmatis facilè contingit, quæ multi nesciunt esse peccata mortalia.

233 Quod consilium sine dubio optimum est quando confessario integrum est ei instructioni vacare; sed quia sæpè aliorum confessionibus impedito non est ita integrum vni tantum temporis impendere, communiter sufficit eos gratiter monere vt dicta ab alijs discant, & id promittentes absolui possunt; nisi ignorarent scitu necessaria necessitate medij ad iustificationem: tunc enim in his ante absolutionem rudi modo instruendi sunt, ita vt saltem prout à confessario proponuntur ea credant; etsi minùs exactè ea concipiant.

DVBIVM XII.

Vtrùm omnes actus fidei sint eiusdem speciei?

234 HOc dubium hîc tractandum est ad explicandas quasdam difficultates, quæ oriuntur ex varijs modis loquendi Scripturæ. ex quibus partim hæretici, partim etiam Catholici sumpserunt occasionem variè fidem vsurpandi eiusque actus distinguendi. Item quidam putãt fidem, quæ nititur reuelatione priuata, esse diuersæ speciei ab ea, quæ nititur reuelatione facta toti Ecclesiæ. Quos refutaui disp. 9. dub. 6. concluſ. 2. Alij putant assensum fidei practicum distingui specie à speculatiuo. Quos commodiùs refutabo infrà disputat. 16. dubio 2. concluſ. 6. vbi probabo omnes assensus fidei theologicæ, eò quòd habeant idem obiectum formale, esse eiusdem speciei. Hîc verò solùm intendo explicare quosdam modos loquendi Scripturæ, in quibus fides videtur variè accipi.

Primò itaque multi distinguunt fidem, quatenus per eam in Scriptura dicimur credere Deo, Deum, & in Deum. Vnde D. Thom. 2. 2. quæst. 2. art. 2. docet, nos dici credere Deum, quatenus credimus eum esse: credere verò Deo, quatenus aliquid credimus ob ipsius testificationem: & demum credere in Deum, quatenus voluntas actum fidei refert in Deum tamquam in finem. Atque ita ait hæc tria conuenire eidem actui. Primum, quatenus respicit Deum vt obiectum materiale. Secundum, quatenus respicit Deum vt obiectum formale. Tertium, quatenus respicit Deum vt finem in quem voluntas credentis, qua assensus fidei imperatur, tendit. vnde hoc tertium propriè solùm conuenit fidei imperatæ ab actu caritatis, & quatenus hunc actum includit, qui propriè fertur in Deum, vt in finem. Vnde etiam D. Augustinus, qui huius distinctionis primus meminit, tractatu 29. in Iohan. ait: *Quid est credere in Deum? credendo amare, credendo ire in eum, & eius membris incorporari.* vnde infert Primò, peccatores posse quidem credere Deum, & Deo, non tamen in Deum, quia hi amando non tendunt in Deum: omnes verò qui credunt in Deum, etiã credere Deum & Deo. Infert Secundò, nos licitè & res alias & aliis hominibus credere, in solum tamen Deum licitè credere: quia hic solus est noster verus vltimus finis.

D. Thom.

Quomodo distinguãtur credere Deum, Deo, & in Deum.

August.

235 Quæ quidem à parte rei vera sunt, sed phrasi Scripturæ minùs consona, quæ tria dicta pro eodem accipit. Hebræi enim casibus carent, & quamuis per diuersos articulos diuersos casus sæpè exprimant, tamen hos sæpè etiam confundunt. vt vel ex dicendis patebit. Item verbis intelligendi, videndi, tangendi, sæpè solùm elegantiæ causa apponunt litteram ב. quæ significat, *in.* Sic Psalm. 105. vers. 5. dicitur, *Ad videndum in bonitate electorum tuorum.* pro, *ad videndum bonitatem.* Et 1. Regum 16. vers. 16. vbi Latina habent, *Scientem psallere cithara*, Hebræa habent מְנַגֵּן בְּכִנּוֹר pulsantem in cithara, id est citharam. Item Exodi 14. vers. vltim. vbi Latina habent, *Et crediderunt* (scilicet filij Israel) *Domino & Moysi seruo eius*, Hebræa habent, בַּיהוָה וּבְמֹשֶׁה in Dominum & in Moysen. Hinc Apostolus ad Romanos 4. versu 3. & 5. apertè pro eodem sumit, credere Deo, & in Deum.

Quomodo Hebræi defectum casuum suppleant.

Psalm. 105.

1. Reg. 16.

Rom. 4.

Philem.5. Et ad Philemonem v.5. dicit se audiuisse fidem ipsius, quam habebat *in Domino Iesu & in omnes sanctos.* vbi *habere fidem in* construitur modò cum dativo, modò cum accusativo, & significat credere Domino & sanctis. Similiter S. Iohan. epistola 1. cap.5. ait: *Qui non credit filio, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de filio suo.* Et in suo Euangelio cap.12. docet, multos principes credidisse in Christum, qui tamen diligebant magis gloriam hominum quàm Dei, & ideo non audebant eum palàm confiteri, & consequenter manebant in peccatis.

1.Iohan.5.

236 Ex quibus patet Scripturam tam de peccatoribus quàm de iustis dicere, quòd credant in Deum. Item nos secundùm modum loquendi Scripturæ non tantùm in Deum, sed etiam in Dei testimonium, ac in sanctos, ac Dei seruos credere. Quare secundùm eam credere alicui & credere in aliquem idem significant.

Secundùm Scripturam etiam peccatores credùnt in Deum.

Simili etiam modo loquuntur aliqui Patres. Nam Chrysost. homil.52. in Matth. ait: *Nihil prodest, si credas in Patrem, & Filium & Spiritum sanctum, nisi rectè vixeris.* Et D. Hieron. in maioribus commentarijs in epist. ad Philem vt ex dicet locum suprà ex hac epistola citatum, adfert locum suprà citatum ex Exodo, additque: *Vna atque eadem credulitas in Moysen refertur, & in Deum, vt populus qui credebat in Deum, æquè credidisse dicatur in seruum.* Deinde explicat, qua ratione, qui credunt in Deum, etiam credant in sanctos eius, dum credunt vera esse quæ de his scripta sunt. vbi apertè pro eodem accipit credere in sanctos, & credere sanctos esse tales, quales in Scriptura describuntur. Multi tamen, adducti auctoritate S. Augustini, & quia proprietati Latinæ linguæ consonantius est, tria dicta cum D. Thom. modo supradicto distinguunt. Ideoque etiam in Symbolo dicimus nos credere in Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum, non autem in Ecclesiam, sed Ecclesiam.

Chrysost.

Hieron.

237 Secundò, est difficultas, vtrùm sit eadem fides Catholica, & miraculorum: quã fusè tractat Vasquez 1.2.disp.209.c.4. Et Primo, distinguit fidem in Catholicam qua credimus mysteria fidei toti Ecclesiæ reuelata: & in priuatam. Quam rursum tripliciter diuidit. Prima est, qua quis credit aliquid sibi priuatim à Deo reuelatum. Secunda, quia quis credit Deum per se facturum hîc & nunc miraculum, & dicitur fides miraculorum. Tertia, qua quis credit se à Deo obtenturum quæ petit, & dicitur fides promissionis.

Vasquez.

Fides miraculorum & promissionis.

238 Deinde disput.210. cap.4. eos, qui dicunt hos omnes assensus esse eiusdem speciei, aut ab eodem habitu elici, fusè refutat. Primò, quia hi tres actus habent diuersum obiectum formale: nam primus nititur immediatè reuelatione diuina, vt obiecto formali, secùs est de alijs actibus. Nam iis, qui hos eliciunt non est reuelatum Deum facturum per eos miracula, aut hîc & nunc facturum ea quæ petunt. Secundò, quia etsi hi non crederent Deum facturum per eos miracula, aut daturum ea quæ petunt, non essent hæretici; secùs est si non crederent ea esse vera, quæ Deus siue iis, siue Ecclesiæ reuelauit.

Et quidem hac in re credo omnino certum esse primum illum assensum fidei priuatæ esse eiusdem omnino speciei cum fide Catholica, quia nititur eodem obiecto formali, vt ostendi disput.9.dub.6.concluf.2. Item duos assensus alios secundùm se sumptos esse omnino diuersæ speciei à priore, nec ab eodem habitu elici; vt bene probat Vasquez. Sed credo etiam alios Auctores nũquam voluisse docere, hos duos actus esse eiusdem speciei cum fide theologica, si præcisè secundùm se siue metaphysicè considerentur: nam dictos duos actus sic consideratos nolunt vocari propriè fidem, sed fiduciam, & aiunt magis ad voluntatem quàm ad intellectũ spectare. Quare dum eos confundunt cum fide theologica, solùm volunt eos nasci ex perfectione & firmitate fidei theologicæ, ideoque in Scripturis per hanc tamquam moraliter eundem cum ea actum significari. vnde etiam contendunt, fidem quæ in Scripturis laudatur, semper accipi pro theologica. quod alij negant, quare tota res redit ad quæstionem de nomine. 239

DVBIVM XIII.

Qualis fides requiratur ad iustificationem, & an ad hanc sola fides sufficiat?

HÆc difficultas est cum hæreticis nostris, qui, vt ex eorum scriptis docet Bellarm.l.1. de iustificatione c.4. quadruplicem ponunt fidem. Primam, qua credimus omnia mysteria fidei: quam vocant historicam. Secundam vocant fidem miraculorum, de qua aiunt loqui Apostolum 1.ad Cor.13. vbi ait, *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam*, &c. Tertiam vocant fidem promissorum, quam aiunt esse duplicem. Vnam qua generatim credimus Deum ex parte sua impleturum, quæ nobis promisit circa remissionem peccatorum, vt cùm Marci vlt. dixit; *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Alteram, qua quisque credit in se ea promissa esse completa, siue peccata sibi in particulari esse remissa. Et hanc fidem vbique deprædicant, & per hanc solam aiunt nos iustificari; quatenus per eam apprehendimus iustitiam Christi, eamque nobis appropriamus, atque ita per eam fimus iusti. vnde inferunt sine hac fide neminem posse esse iustum; cumque qui eam habet necessariò esse iustum, nec posse esse non iustum: atque ita aiunt, hanc solam fidem homini ad iustitiam sufficere. 240

Bellarm.

Quadruplex hæreticorũ fides.

1.Cor.13.

Marci vlt.

Et quidem hanc fidem esse concedendam probant: quia Spiritus sanctus vnicuique iusto particulatim testatur ipsum esse filium Dei: ergo hic potest hoc credere. Antecedens patet ex c. 8.ad Roman. vbi dicitur. *Ipse enim Spiritus* (scilicet sanctus) *testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei.* vnde etiam infrà Apostolus ait: *Certus enim sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli*, &c. *poterunt nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu.* Ad quod requiritur, quòd sit certus, & se, & eos, quos alloquitur, esse in caritate siue in gratia Dei. 241

Rom.8.

Hanc

242 Hanc autem fidem sufficere ad iustitiam probant. Primò, quia Scriptura sæpè iustitiam ita tribuit fidei vt præter eam nihil aliud requirat. *Luc.7.&8.* Lucæ 7.v.vlt. dicitur Magdalenæ, *Fides tua te saluam fecit.* idem dicitur c.8. mulieri fluxum sanguinis patiẽti.& Iairo dicitur, *Noli timere, sed crede tantùm, & saluus erit*, scilicet filia tua. Iohan.3. dicitur Christus debere exaltari in cruce, *vt omnis qui credit in eum nõ pereat, sed habeat vitam æternam.* vnde etiam c.11. dicitur: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Actor. 13.v.39. *In hoc omnis qui credit iustificatur.* Ad Roman.5.v.1. *Iustificati ergo per fidem*, &c.

Secundò, quia Scriptura docet nos gratis iustificari. Ad Rom.3. dicimur *iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem, per fidem*, &c. ergo sine vllis meritis sola fide, qua apprehendimus Christi iustitiam siue merita, iustificamur.

Tertiò, quia Scriptura sæpè docet nos iustificari per fidem sine operibus. Ad Ephes.2. *Gratia estis saluati per fidem, non ex operibus.* Ad Galat. 2. *Scientes quòd non iustificatur homo ex operibus legis.* Ad Rom.3. *Arbitramur enim hominem iustificari per fidem sine operibus legis.* Et cap.4. *Ei verò, qui non operatur, credenti verò in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.*

243 Demum adferunt varia loca Patrum, quibus conantur suum errorem confirmare. quæ *Bellarm.* referunt & explicant Bellarm.l.1.de Iustifi.c.25. *Vasquez.* & Vasquez 1.2. disp.110.c.1.& 9. quibus etiam locis dictum errorem doctissimè refutant; quod etiam multi alij qui omnium manibus teruntur, sufficienter fecerunt. quare hîc solùm breuiter ponemus quædam fundamenta, ex quibus ille error facilè conuelli & Catholica fides stabiliri possit.

244 CONCLVSIO I. Hæreticum est dicere hominem sola fide iustificari, ita vt nihil aliud ex parte ipsius iustificandi requiratur, quàm ipsa fides. Ita Trident. sess.6.can.9 Et tenuerunt semper omnes Catholici. Probatur Primò, quia Scriptura expressis verbis pluribus locis *Matth.7.* contrarium docet. Matth.7. Christus ait: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum. Sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* Deinde dicit, in die iudicij multos à regno cælorum excludendos, qui multas virtutes ac miracula in nomine Christi fecerunt, quia non fecerunt voluntatem Patris; & tamen clarum est hos habuisse fidem: nam aliàs nec Christum vocarent Dominum, ipsius misericordiam inuocando, nec in nomine eius miracula ac virtutes operarentur. Quæ autem sit illa voluntas Patris, quam necessariò facere oportet vt intremus in regnum cælorum, apertè docet ibidem *Matth.17.* c.17. vbi interroganti quid esset necessarium vt posset in vitam ingredi, ait, *Si autem vis ad vitam ingredi serua mandata*, scilicet decalogi, vt Chri- *Matth.25.* stus ibidem explicat. Et cap.25. docet eos excludendos à regno cælorum, qui non fecerunt opera misericordiæ; quando scilicet hæc potuerunt, & tenebantur facere.

245 *1.Iohan.3.4* Item S. Iohannes epistola 1.cap.3.& 4. fusissimè docet, nos per caritatem Deo placere, & ex eo nasci ac ipsius filios esse: & omnes, qui non habent caritatem, qua Deum & proximum amant, manere in morte & esse alienos à Deo. Qualis autem hæc caritas esse debeat, explicat c.3.v.17. vbi ait: *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo* (scilicet non adiuuando eum) *quomodo manet caritas Dei in eo? filioli mei non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate.* Hinc etiam Apostolus 1.Corinth.13. *1.Cor.13.* docet nec fidem, nec quidquam aliud nobis posse prodesse sine caritate. Et Iacobus in epi- *Iacob.2.* stola sua c.2. fusè docet, fidem sine operibus esse mortuam, nec posse iustificare. Ex quibus aliisque similibus locis, patet solam fidem ad iustitiam non sufficere: aliàs enim qui eam solam haberet sine operibus & sine caritate, non esset nihil, nec maneret in morte: sed esset iustus, filius Dei, & posset ingredi in regnum cælorum.

246 Respondent hæretici Primò, quando Scriptura docet fidem non sufficere ad iustitiam, eam loqui de fide historica, qua credimus mysteria fidei, non autem de fide promissionum, qua quisque in particulari credit sibi remissa esse peccata. Sed contrà, præterquam quòd hæc fides contra omnem veritatem fingatur, si ea daretur, & nos sola iustificaret, malè diceret Scriptura fidem sine caritate nihil esse, nihil prodesse, mortuam esse, &c. sed deberet dicere fidem historicam nihil esse, non prodesse, &c. sine illa particulari fide promissionis. Item malè præter fidem requireret caritatem, & opera misericordiæ, & obseruationem mandatorum: quia hæc sunt distincta ab illa fide promissionum. Sicut si dicerem, Ad bene concionandum præter doctrinam requiritur etiam eloquentia, aut, illa sine hac nihil est, nihil prodest, est quid mortuum, &c. falsum dicerem, si sine eloquentia ad bene concionandum sufficeret doctrina grammaticalis aut philosophica. Ergo similiter falsum dicit Scriptura, dum fidem sine caritate & operibus docet esse mortuam aut nihil prodesse, & præter illam hæc ad ingrediendum regnum cælorum necessariò requirit; si vlla fides; quæcumque illa sit quæ ab his distinguitur, ad iustitiam & salutem sufficiat.

247 Respondent Secundò, caritatem & opera à Scriptura requiri, non quòd fides per se non sufficiat ad salutem, si sola daretur, sed quia illa sunt signa veræ fidei, & quia fides sine ijs esse nequit.

Sed contrà Primò, sine omni fundamento fingitur neminem posse habere fidem veram sine caritate & obseruatione mandatorum. nam siue spectemus veram fidem, quam nos Catholicam vocamus, siue falsam, quam illi vocant priuatam fidem promissionum, nihil obest quin aliquis verè credat omnia quæ docet fides esse vera, & tamen hæreat in peccatis; vt quotidiana docet experientia. Item nihil obest, quin aliquis ex quadam præsumptione credat sibi omnia peccata esse remissa, & simul maneat in peccatis suis: vt patet in nostris hæreticis, qui cùm diuersissima de fide sen-

tiant, & se mutuo hæreseos damnent, atque ita necessariò alterutri in peccatis sint, tamen omnes credunt propter Christum sibi remissa esse peccata, atque ita saltem eorum aliqui sine caritate & iustificatione habent illam particularem fidem.

248 *Iohan.12.* Secundò, illa responsio repugnat apertè Scripturæ, quæ Iohannis 12. apertè docet, multos ex principibus credidisse in Christum, & tamen non habuisse caritatem, quia magis diligebant gloriam hominum quàm Dei. Quod autem aliqui dicunt, eos non habuisse veram fidē; apertè repugnat Scripturæ, quæ eodem modo de eorum fide loquitur, sicut de fide aliorum, quos eo capite docet habuisse veram & viuam fidem: dicens vtrosque credidisse in Christum. Fusiùs hæc tam ex Scripturis, quàm Patribus docet Bellarm. l. 1. de Iustific. c. 15.

Bellarm. 249 Tertiò, illa resp̄sio nullo modo potest quadrare Scripturis suprà citatis: nam secundùm eam S. Iacobus non deberet dicere fidem sine operibus otiosam esse, sed esse non posse. sicut homo sine anima non est otiosus, sed omnino non est homo. Apostolus autem ibidem apertè insinuat, carentes operibus posse habere veram fidem, sed otiosam siue infructuosam: vocatque mortuam, non sicut homo sine anima dicitur mortuus, sed sicut corpus sine anima dicitur mortuum, quod tamen manet verum corpus.

250 *1. Cor.13.* Similiter falsò diceret Apostolus 1. ad Corinth. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* Nam ponamus vinum non posse habere bonum saporem atque alias bonas vini qualitates, nisi habeat etiam bonum odorem; etsi eo casu bonus odor sit necessarium signum bonitatis vini, tamen falsò dicerem, etsi vinum habeat optimum saporem, & alias vini qualitates optimas; tamen, si nullum habeat odorem, nihil, siue nullius valoris & bonitatis est. Nam si aliquod vinum siue per possibile, siue per impossibile haberet dictas qualitates optimas sine vllo odore, sine dubio esset valdè bonum, & magni valoris. Et similiter si fides per se, vt distinguitur à caritate & operibus, nos iustificaret, ita vt quicumque eam haberet necessariò esset iustus, quantumuis fides à caritate separati non posset; tamen falsò diceretur, Si haberem omnem fidem & carerem caritate, nihil essem; cùm contrarium esset verissimum, scilicet, Si haberem omnem fidem, etsi non haberem caritatem (siue id fieri possit, siue non) essem verè iustus, & consequenter essem aliquid, & fides mihi prodesset. sicut etsi sine oculis nequeam videre, & consequenter nec legere: tamen hæc est verissima, Si possem sine oculis clarè ac perfectè videre, possem sine ijs legere.

251 Sola fides qua credimus mysteria à Deo reuelata, est initiū iustificationis.

Conclvsio II. Etsi fides Catholica siue qua credimus mysterium Trinitatis, incarnationis, & reliqua nobis à Deo reuelata esse vera, sit necessaria ad iustificationem, & verè dicamur ea iustificari inchoatiuè, quatenus est initium nostræ iustificationis, iuxta dicta suprà dub. 7. tamen hæc sine vllo fundamento finguntur conuenire illi fidei, qua hæretici credunt sibi remissa esse peccata.

Probatur, quia cùm Scriptura faciens mentionem fidei iustificantis siue necessariæ ad salutem, explicat quam fidem requirat, semper ostendit se non loqui de illa fide qua credimus nobis remissa esse peccata; sed de ea qua credimus aliquod mysterium fidei; nec illam aliam fidem vllibi requirit: ergo illa sine fundamento fingitur: præsertim ab hæreticis, qui nihil extra Scripturam credendum volunt.

Antecedens probatur Primò, ex cap. 11. ad Hebr. vbi cùm Apostolus docuisset, impossibile esse sine fide placere Deo, subdit; *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* vbi plurima alia enumerans quæ Sancti credendo placuerunt Deo, semper recenset ea, quæ credunturea fide quam illi vocant historicam, aut iis similia: nullam autem facit mentionem vllius, qui crediderit sibi remissa esse peccata. Similiter ad Roman. 4. & Genes. 15. Scriptura docet, fidem Abrahæ ipsi fuisse reputatam ad iustitiam, non qua credidit sibi remissa esse peccata, sed qua credidit Deum multiplicaturum suum semen. Sic Lucæ 8. vers. 48. dicitur mulieri, *fides tua te saluam fecit*; qua scilicet credidit Christum se posse sanare; non autem sibi remissa esse peccata. Et v. 50. iubetur Iairus credere filiam suam à Christo excitandam, non autem sibi remissa esse peccata. Et cap. 7. vers. 9. Christus miratur fidem Centurionis, dicitque se non reperisse tantam in Israel, qua scilicet ipse credebat Christum etiam absentem posse suum seruum sanare. Item Matth. 16. vers. 17. Christus laudat fidem S. Petri, eumque propter eam vocat beatum, qua ipse credidit Christum esse filium Dei viui, non autem sibi remissa esse peccata. Idemque est de aliis locis, in quibus fides laudatur aut exigitur. Sed clarissimus locus est Iohannis 17. vbi Christus ait: *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* vbi vitam æternam vocat fidem qua ad vitam æternam perducimur, & consequenter qua inchoatiuè iustificamur, eamque constituit in cognitione siue fide, qua credimus Deum & Christum esse. vide plura apud Bellarmin. libr. 1. de Iustific. cap. 8.

252 *Hebr.11.* *Rom.4.* *Genes.15.* *Luc.8.* *Matth.16.* *Iohan.17.* *Bellarm.*

Quamuis autem in Scriptura multis locis dicatur ad salutem esse necessarium vt credamus Christum venisse in hunc mundum, & mortuum esse, vt per eius mortem acciperemus remissionem peccatorum, & nos sine huius meritis ac fide iustificari non posse; item omnes qui fide viua, siue per dilectionem operante (vt infrà ostendemus) hæc credunt, iustificari; tamen sicut (si paucos in Scriptura à iustitia & caritate in Deum laudatos excipias) nullibi est reuelatum hunc, vel illum in particulari habere hāc fidem viuam: ita à nullo in particulari requiritur, vt credat se eam habere, aut sibi remissa esse peccata; imò sine particulari reuelatione hoc nullo modo credere potest. Quare hæretici apertè sibi contradicunt, dum dicunt nihil esse credeu-

253 Nullibi in Scripturis iubemur credere nobis remissa esse peccata. Hæreticorū antilogia.

credendum quod non habetur in Scriptura, & tamen aiunt Petrum aut Paulum v. c. teneri credere sibi remissa esse peccata, quod nullibi habetur in Scriptura.

254 Hæreticorũ fides contradictionẽ involuit.

CONCLVS. III. Quemque in particulari vera fide diuina credere remissa sibi esse peccata, eaque fide iustificari, planè impossibile est, & contradictionem quamdam inuoluit.

Probatur Primò, quia nihil possum credere fide diuina, nisi Deus hoc reuelauerit, vt ostendi disp. 9. dub. 5. concl. 2. atqui Deus nullibi reuelauit remissa mihi esse peccata: ergo nequeo hoc vera fide diuina credere. Minor patet, quia secundùm aduersarios nihil credendum est, quod non habetur in sacra Scriptura; hoc autem nullibi habetur in sacra Scriptura. Etsi enim hæc sæpè doceat, verè pœnitentibus, aut fide viua, quæ per dilectionem operatur in Deum, credentibus remitti peccata; nullibi tamen docet me ita pœnitere, aut credere, aut mihi remissa esse peccata. Necesse est itaque fateantur hæretici, aut aliquid fide diuina credẽdum esse quod non habetur in Scriptura, aut hoc non esse credendum.

255 Probatur Secundò, quia impossibile est talem fidem esse veram, & per eam remitti peccata: ergo est omnino falsa & commentitia. Antecẽd. probatur: quia vt fides, qua credo mihi remissa esse peccata, sit vera, necessarium est peccata mihi esse remissa priusquam id credam, sicut vt assensu vero credam Christum esse passum, debet priùs esse passus quàm id credam. Contrà verò vt hæc fides sit causa remissionis peccati, necesse est me priùs credere quàm peccata remittantur: nam causa debet esse prior effectu, præsertim secundùm aduersarios, qui dicunt hanc fidem non esse causam formalem nostræ iustificationis, sed esse quasi instrumentum quo apprehendimus iustitiam Christi, qua formaliter iustificamur. Sicut igitur instrumentum quo parieti applico albedinem, & ipsa applicatio necessariò debent esse priùs quàm paries per ea sit dealbatus: ita secundùm eorum sententiam fides, qua apprehendimus, nobisq; applicamus iustitiam Christi, debet esse prior quàm Christi iustitia sit nobis applicata, & cõsequenter priusquam peccata nobis sint remissa. Quæ apertè contradicunt prioribus.

256 Confirmatur: quia eiusmodi fides respectu iustificationis se haberet eodẽ modo, atque vehemens apprehensio, qua sanus quis apprehenderet se ægrotare, atque ita simul ipsum morbũ apprehenderet ac sibi causaret, se haberet respectu huius morbi. Nã sicut secundùm illos peccator credẽdo sibi remissa esse peccata, seque esse iustum, hac fide tamquam quadam manu siue instrumento apprehendit iustitiam Christi, qua formaliter iustificatur; ita ille sanus apprehendendo se ægrotare, hac apprehensione acquirit sibi morbum, quo verè ægrotat: ergo sicut huius apprehensio est falsa, nec potest esse causa cur sanus ægrotet, nisi sit falsa (nam si esset vera, apprehendens deberet priùs ægrotare quàm id apprehendat, & consequenter apprehensio non esset causa cur priùs sanus iam ægrotaret) ita etiam illa fides necessariò est falsa, nec potest esse causa cur peccator iustificetur, nisi sit falsa. Atque ita sicut ille per falsam apprehensionem ægrotat, ita hæretici nostri per falsam fidem iustificantur, qui per veram quam non habent, iustificari non possunt: vnde etiam vt fiat illis secundùm fidem suam, falsò iustificantur. Hæreticorũ fides necessariò est falsa.

Pro solutione obiectorum Nota Primò, Apostolum in epistolis ad Rom. & ad Galar. maximè laborare vt duos errores Iudæorum refutet. Prior erat, quo sibi persuadebant sibi propter obseruationem legis veteris deberi singularem Dei fauorem & gratiam, qua in peculiarem Dei populum à Christo eligerentur; seque suis operibus esse meritos vt Deus eos à peccatis alijsque miserijs per Christum liberaret. Vt Apostolus ad Rom. prioribus capitibus sæpè insinuat. Secundus erat, quo putabant etiam conuersis ad fidem Christi necessariam esse obseruationem legis veteris. vt patet Actor. 15. vers. 1. & 5. & c. 21. vers. 20. & 21. & ex epistola ad Galatas. Igitur vt Apostolus hos errores refutet, in epistolis ad Roman. & ad Galatas sæpè docet & multis probat, nulla opera sine fide Christi posse prodesse ad salutem, eosque nullis eiusmodi operibus potuisse mereri gratiam, qua ad fidem vocarentur, & à peccatis liberarẽtur, sed Deum hanc nobis gratis sine meritis nostris concedere. Item docet, legem per se inutilem esse, & non posse conferre vires quibus ipsam impleamus; sed has nobis à Deo gratis conferri propter merita Christi. Tertiò docet, veteris legis vim & obligationem durasse solùm vsque ad Christum, iam verò adueniente lege gratiæ omnino desijsse obligare, vt patet ex c. 7. ad Roman. initio, & tota epistola ad Galat. præsertim cap. 4. initio. 257 Quis sit scopus Apostoli in epistolis ad Rom. & ad Galat.

Ex quibus patet, dum fidem opponit operibus, & dicit eam sine his iustificare, ipsum loqui de operibus veteris legis, aut alijs sine gratia & fide Christi factis. Hinc ad Roman. 11. docet reliquias Israel ex electione gratiæ saluas factas esse, additque; *Si autem ex gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.* Et ad Philippens. 3. cùm enumerasset qua ratione ipse octauo die circumcisus, & secundùm legem enutritus in eius studio & æmulatione supra alios profecisset, subiungit, se hæc omnia post conuersionem vt stercora contempsisse, *Vt*, inquit, *Christum lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est* (quam scilicet priùs ex æmulatione legis sine fide, imò contra fidem Christi, mihi videbar comparasse) *sed illam quæ ex fide est Iesu Christi.* 258 Apostolus per opera quę opponit fidei intelligit sola opera legis, aut alia sine gratia facta. *Rom.* 11. *Philip.* 3.

Nota Secundò, Scripturam Hebræa phrasi, sæpè initium siue viam, qua ad finem aliquem tenditur, vocare nomine ipsius finis. Sic in Euangelio sæpissimè præsens Ecclesiæ status dicitur regnum cælorum, quia est quædam inchoatio & via ad regnum cælorum. Et Iohannis 17. vers. 3. cognitio siue fides veri Dei ac Christi dicitur vita æterna; quia est via ad vitam æternam. Et simili ratione fides dicitur iustificare, quia est via ad iustificationem, eiusque initium, siue inchoata quædam iustificatio. Item quia fides est initium & radix spei ac caritatis, vt ostendi 259 Scriptura sæpè viam vocat nomine finis. *Iohan.* 17.

Cur Scriptura nostrâ iustificationem modò fidei, modò caritati tribuat.

suprà dub.7. ideò sæpè in Scriptura accipitur prout complectitur spem & caritatem. Hinc S.Iohannes epistola 1.cùm cap.3.& 4.fusè docuisset, nos per caritatem ex Deo nasci, eiusque filios constitui, & sine ea manere in morte; c.5. initio ait: *Omnis qui credit quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est.* & deinde pergit pluribus commendare modò caritatem, modò fidem, ostendens se loqui de his, prout simul coniunguntur: nam fides sine caritate nihil prodest. vt ipse c.3.& 4. apertè insinuat; & clarè docet Apostolus 1. ad Corint.13. Hinc etiam Apostolus ad Galatas 5. volens ostendere quàm fidem intelligat, dum tam ibi quàm alibi toties dicit nos fide iustificari, ait: *Nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides quæ per caritatem operatur.* Et ex his erit facile soluere argumenta contraria.

1.*Iohan.*5.

1.*Cor.*13. *Galat.*5.

260 Ad primum argumentum positum nu.241. nego antecedens. Ad probationem & auctoritatem Pauli, varij variè respondent, sed, si spectemus Apostoli intentionem & contextum, loca ibi citata non habent difficultatem. Nam cùm Apostolus ibi alloquatur omnes Christianos Romanos, inter quos sine dubio erant multi peccatores, & postea damnandi, non potuit generatim dicere, se omnino certum esse quòd nihil posset eos separare à caritate Dei, aut ijs præcipere vt fide crederent se omnes esse iustos.

261 Vt igitur eius mēs clariùs pateat, Nota Apostolum initio capitis 8.ad Roman. distinguere triplicis generis homines, quorum aliqui viuūt sub lege seruitutis, siue veteri, ex timore pœnæ operantes, tamquam serui; & hanc legem tam hîc quàm cap.7. ait infirmam, nec posse dare veram libertatem. Alij viuunt secundùm carnem; ideóque spiritu mortui sunt, & spiritu Dei carent. Tertij viuunt sub lege gratiæ & spiritu Christi ac Dei, qui est spiritus, non timoris, sed amoris; ideóque amore aguntur ad bene operandum, nec sunt serui, sed filii Dei. quod ita probat: *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd simus filij Dei.* Quatenus nimirum nos excitat, vt Deum; non iam tamquam dominum exercituum, sicut antiqui, seruiliter timeamus, sed tamquam patrem filialiter amemus, & Patris nomine compellemus. Vnde patet, Apostolum non intēdere hîc definire, omnes fideles Romanos esse iustos, aut singulos hoc debere de se credere; sed solùm omnes iustos esse filios Dei, & Spiritū hoc testari, non per singulare aliquod testimonium, quod singulis exhibeat, sed quatenus in Scripturis generatim testatur Deum esse patrē iustorum, & iustos omnes excitat vt Deum vocent patrem. Atque ita in eo siue eius auctoritate nixi clamamus, Abba Pater.

Qua ratione Spiritus S. testetur nos esse filios Dei.

262 Notandum Secundò, cùm Apostolus vers. 14. dixisset eos esse filios Dei, qui spiritu Dei aguntur, vers.15. subdit: *Non enim accepistis,* &c. quasi supponens omnes Romanos fideles accepisse spiritum Dei, siue agi spiritu Dei. non quòd crederet omnes esse tales, aut vellet singulos hoc de se credere (nam ad Philip.2.v.12. iubet nos de salute nostra esse sollicitos. & hîc vers.9. apertè insinuat non esse certum nos agi spiritu Dei) sed partim quia omnino credebat multos inter eos esse in gratia Dei & iustos, ideóque (vt alibi sæpè) à maiori parte omnes tales denominat; hoc tamen non esse certum ostendit vers.9.dum ait: *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu; si tamen spiritus Dei habitat in vobis.* Quod non adderet, si vellet eos fide credere spiritum Dei in ipsis habitare. Quare sicut hoc versu primò absolutè dicit: *Vos in carne non estis* (quia nimirum ex bono affectu hoc de ijs sperabat) ita quia hoc non erat certum, subdit: *Si tamen spiritus Dei habitat in vobis.* Et similiter cùm infrà dicit: *Accepistis enim spiritum,* &c. eamdem conditionem sub intelligit. Nec enim ibi intendit describere, quales Romani tunc de facto essent, sed quales ex professione sua esse deberēt. Similiter etiam ait Spiritum testari spiritui nostro, quòd sumus filij Dei: non absolutè, sed posito, quòd secundùm nostram professionem viuamus. Quia Spiritus hoc non aliter testatur, quàm quatenus iubet omnes iustos Deum vocare patrem; loquendo de attestatione infallibili, de qua Paulus hîc loquitur. Nam si loquamur de testificatione solùm probabili, alia est ratio, vt infrà ostendam.

Quo sensu Apostolus dicat Romanos fideles accepisse Spiritum S.

263 Explicatio illius loci ad Rom. *Certus sum,* &c.

Ad secundum locum respondent multi, *certus sum*, valere idem quod probabiliter credo; Græcū enim πέπεισμαι significat persuasum habeo. Sed verius credo id hîc pro absoluta certitudine accipi. Nam Paulus ibi non docet, se credere neminem eorum vmquam sua culpa à caritate Dei esse separandum, vt illi putant, sed Deum numquam nos ex sua parte sua caritate, gratia ac protectione destituturum. nec vllam esse creaturam quæ nos possit à Deo separare, nisi nos sponte ab eo discedamus. hortatur enim ibi fideles vt fortiter pro Deo omnia aduersa sustineant, nec vllas calumnias falsas, accusationes aut hominum vel angelorum, vim aut tormenta timeant, cùm nihil horum illis possit obesse, aut à Deo ac sperata felicitate separare. Cùm contrà dicta omnia fortiter ea pro Deo sustinentibus sint profutura: quia diligentibus Deum hæc omnia cooperantur in bonum. Quod probat, quia Deus *quos præsciuit* (id est præcipuè dilexit) *prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* scilicet hîc in passionibus sustinendis, vt postea sint ei similes in gloria. Secundò, quia *si Deus pro nobis, quis contra nos?* & cùm Deus sit qui iustificat pios, quis aduersus eos accusabit? id est, quæ calumniæ ijs poterunt nocere? præsertim cùm Christus pro ijs mortuus sit ac interpellet. Vnde infert nullas angustias aut persecutiones fore ita potentes, vt nos separent à caritate Dei quæ est in Christo, siue qua Deus nos diligit propter Christum, & ita protegit ac confortat, vt hæc omnia facilè superemus, nihilque nos possit vincere nisi velimus, atq; ita nihil nos separabit à Deo nisi nos sponte separemus. Nec enim Apostolus hîc vult docere, iustos non posse cadere in peccata (hoc enim non excitaret eos, vt aduersa patienter ferrent, sed potiùs vt vana confidentia super Dei misericordia nixi languidè in ijs tolerandis agerent,

*Philip.*2.

agerent, aut etiam ijs cederent credentes se non posse à beatitudine excidere, sed eos non posse inuitos à Dei gratia ac felicitate excidere; nec Deum permissurum vt supra vires affligantur, sed cum afflictionibus aucturum gratiam eos fortificantem; præcipuè cùm nos hîc affligi non sit signum minoris, sed potiùs maioris amoris Dei in nos. quod probat exemplo Christi, qui maximè passus est, sicut & omnes illi, qui Deo maximè placuerunt.

Nos hic affligi est signũ amoris Dei erga nos.

264 Ad primum argumentum allatum num.242. Respondeo loca ibi citata, aliaque similia salutem tribuere fidei, non quasi eam se sola operetur; sed quia ipsa huius est initium, & quatenus est radix spei & caritatis, atque ita hæc quodammodo includit; siue quatenus per caritatem operatur, vt docet Apostolus ad Galat. 5. Adde, simili etiam ratione salutem tribui timori & spei; vt docet Bellarm. suprà cap. 13. Imò etiam eleëmosynæ; nam Tob. 4. dicitur, *Quoniam eleëmosyna ab omni peccato & à morte liberat.* & Daniel. cap. 4. v. 24. ait Nabuchodonosori, *Peccata tua eleëmosynis redime.* & Lucæ 11. v. 41. Christus ait Pharisæis, *Date eleëmosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Vbi liberatio à peccato & morte, & peccati redemptio ac mundatio tribuuntur eleëmosynæ, nec sit mentio fidei aut alterius operis. Ergo secundùm argumentationem hæreticorum, sequitur, eleëmosynam sine fide & caritate liberare & mundare à peccatis.

Qua ratione salus tribuatur fidei. *Galat. 5.* *Bellarm. Tob. 4.* *Daniel. 4.* *Luc. 11.*

Trident. Cur dicamur gratis iustificari.

Ad secundum, Respondeo Primò, cum Tridentino sess. 6. cap. 8. nos dici gratis iustificari, quia nullis præcedentibus meritis iustificationis gratiam meremur. Nam etsi gratia Dei præueni, possimus nos per fidem & contritionem ad iustificationem disponere, hanc tamen non possumus propriè siue de condigno mereri.

Respondeo Secundò, id etiam dici, quia primam gratiam, qua ad iustificationem disponimur, nullis præcedentibus operibus vlla ratione possumus mereri.

265 Ad tertium, varij variè Respondent. Quidam enim docent, Apostolum solùm ibi reijcere opera legis, tamquam ad iustificationem iam inutilia. Alij verò volunt eum loqui de operibus viribus naturæ sine gratia factis. Alij cum D. August. lib. 83 quæstionum, qu. 76. aiunt Apostolum loqui de operibus fidem præcedentibus, quia hæc nos iustificare non possunt, nec iustificatio ab ijs vllo modo propriè potest sumere initium, vt ostendi suprà nu. 77. & 78. atque ita eum conciliant cum cap. 2. D. Iacobi, quòd hic loquatur de operibus fidem sequentibus. Quæ explicationes omnes satis commodæ sunt, & ex mente Apostoli, vt patet ex dictis n. 257. & 258.

Qua ratione dicamur iustificari sine operibus. *August.*

266 Ad auctoritatem Patrum citatam num. 243. generatim Respondeo Primò, eos, dum dicunt nos fide iustificari, loqui de fide viua, quæ per dilectionem operatur, iuxta iam dicta, vt facilè ex eorum scriptis patet. Secundò, multos ex illis solùm dicere fidem sine obseruatione veteris legis nobis sufficere ad salutem. Alios verò dicere fidem quandoque viuam, siue coniunctam cum interna caritate, siue alijs externis operibus, sufficere ad salutem, quando ob breuitatem vitæ non est facultas alia opera exercendi, vt contigit in Latrone, cuius exemplum adferunt. Ita S. Chrysost. hom. de fide & lege naturæ. Alij dicentes, solam fidem Catholicam posse saluare aut sufficere ad salutem; non distinguunt eam à caritate, aut alijs operibus, nec intendunt dicere illam sine his sufficere ad salutem; sed distinguunt illam à falsis opinionibus hæreticorum, dicuntque illam solam posse saluare, aut sufficere ad salutem; quia præter eam nulla alia saluare, aut ad salutem vlla ratione sufficere potest. vide plura apud Bellarm. & Vasquez citatos n. 243.

Chrysost. *Bellarm. Vasquez.*

DVBIVM XIV.

Vtrùm possimus fide diuina credere, aut aliàs omnino certò cognoscere nos habere fidem?

267 VArias hac de re sententias adfert Vasquez 1.2. disp. 201. c. 1. & 2. *Vasquez.*

Prima docet, nos posse euidenter scire, aut saltem cognitione omnino certa, & cui nequit subesse falsum, cognoscere nos habere actum fidei diuinæ. Addunt tamen nos non posse omnino certò scire, hunc actum procedere ex habitu, quia hoc occultum est. Hanc tenent quidam moderni apud Vasquez, & præterea Vega lib. 9. in Trident. cap. 37. Item nos certò posse cognoscere nos habere fidem, docet Sotus l. 3. de Gratia cap. 10. in 8. rat. & Bañez 2.2. q. 6. a. 2. *Vega.* *Sotus.* *Bañez.*

Probatur autem Primò, auctoritate D. Augustini, qui lib. 13. de Trinit. c. 1. dicit habentem fidem hanc in se videre, & certissima scientia tenere. & D. Thomæ 1.2. qu. 112. a. 5. ad 2. vbi ait: *Quicumque habet scientiam ac fidem certus est se eam habere.* *August.* *D. Thom.*

Probant Secundò, quia 2. ad Corinth. c. vlt. 268 dicitur: *Vosmetipsos tentate si estis in fide, ipsi probate.* scilicet probatione infallibili. *2. Cor. vlt.*

Tertiò, quia quinis Christianus est paratus potiùs quiduis negare, quàm suam fidem: ergo habet summam certitudinem, se habere veram fidem.

Quartò, quia, si Christianus non haberet de sua fide perfectam certitudinem, posset dubitare an fidei suæ posset subesse falsum. quod absurdum est.

Quintò, quia, si posset quis dubitare an haberet veram fidem diuinam, posset etiam dubitare an sit Christianus: atqui hoc est falsum: ergo & illud.

Sextò, quia fidelis experitur se firmissimè credere mysterium Trinitatis: atqui hoc nequit facere nisi ob reuelationem diuinam: ergo experitur se hoc credere fide diuina.

Septimò, qui aliquid scit eadem scientia scit se scire: ergo qui aliquid credit fide diuina, eadem fide credit se credere.

Octauò, quia nemo fidelis petit sibi à Deo dari fidem: ergo certò supponit se eam habere.

Secunda sententia distinguit duplicem fidem in quouis fideli. Prima est, qua credit concionatori aut Ecclesiæ proponenti sibi rem fidei; & hæc est fides humana. Secunda, qua eadem res credit fide diuina immediatè ob auctoritatem 269

ritatem Dei. Deinde docet Primò, fidelem ita debere credere se habere fidem Catholicam necessariam ad salutem, siue humanam, siue diuinam, vt de ea dubitare non possit. Quia manifestè experitur se credere omnia, quæ Ecclesia credenda proponit, & scit hanc fidem esse Catholicam.

Secundò, quemuis fidelem euidenter scire se habere hanc fidem. Tertiò, eum euidenter scire se illa credere ob auctoritatem concionatoris, aut Ecclesiæ ea proponentis. hoc enim clarè in se experitur. Quartò, omnem fidelem teneri credere hanc fidem, etiam vt nititur auctoritate proponentis esse donum gratiæ: quod *Arausic.* probant ex Concilio Arausicano II. c. 5. & 7. Sed hoc nihil facit ad rem præsentem; nam solùm loquitur de fide diuina siue qua mysterium fidei credimus prout oportet ad iustificationem, docetq; tam hanc, quàm eius initium siue credulitatis affectum esse ex gratia. Quintò, quemuis eadem certitudine ac fide, qua credit mysteria fidei, debere credere se habere fidem diuinam; qua ea credat immediatè ob auctoritatem Dei.

Probant, quia fide Catholica certum est cuiuis hoc ipso, quo mysteria nostræ fidei sibi proposita prudenter credit, esse fidelem, & habere fidem necessariam ad salutem: quia habenti fidem nixam auctoritate proponentis infallibiliter statim datur fides diuina, nec vllo modo dici potest Deum habenti priorem fidē, negare secundam. Confirmatur: quia, cùm talis firmissimè credat omnia mysteria fidei, etiam eadem fide credit sibi ex parte intellectus nihil necessarium ad salutem deesse: ergo similiter credit se habere fidem diuinam: quia fides docet hanc esse necessariam ad salutem. Et huic sententiæ, quatenus docet nos fide diuina credere nos habere veram fidem, suffragatur Ca- *Caietan.* ietan. 1. 2. qu. 112. a. 5. In ea autem quædam sunt clara, quædam videntur mihi apertæ rationi repugnare; vt infrà ostendam.

270 Tertia docet, quemuis posse scire se aliqua fide credere mysteria fidei, tamen non posse omnino & metaphysicè esse certum se ea credere fide diuina. Ita Durandus in 1. d. 17. q. 4. ad 2. *Durandus. Richard.* Richard. in 3. d. 23. in expositione textus. & quidam alij. Quę sententia præ ceteris videtur probanda, vt patebit ex dicendis.

271 Conclvsio I. Quiuis potest certò cognoscere se aliqua fide diuina vel humana credere mysteria nostræ fidei. Et hoc apertè & nihil aliud docent D. Augustinus, & D. Thomas supra *Augusti. D. Thomas.* citati num. 267. & eorum ratio hoc solùm probat. Nam apertè possumus in nobis videre, siue clara experientia cognoscere, nos huic vel illi obiecto assentiri, vt per se patet. Item possumus clarè experiri nos ad illum assensum non moueri obiecti euidentia (cùm apertè nobis constet hoc nobis in se esse incuidēs) aut alia etiam clara ratione; sed sola auctoritate illud asserentium: præsertim abstrahendo an moueamur immediatè sola auctoritate Dei, an verò eorum, qui nobis fidem annunciant.

Conclvsio II. Sine particulari reuelatione nemo potest fide diuina credere se habere fidem mysteriorum fidei, siue se hæc verè credere, sine fide diuina, siue humana. Ratio est clara, quia cùm fides diuina necessariò nitatur testimonio Dei, fieri nequit vt aliquid fide diuina credam, nisi Deus hoc reuelauerit, siue testatus sit: atqui ipse nullibi testatus est, me hunc vel illum articulum credere: ergo non possum hoc fide diuina credere. Hanc conclusionem necessariò tenent ij omnes, qui docent conclusionem ductam ex præmissa de fide, & altera naturaliter cognita non posse fide diuina credi; quos citaui disp. 9. num. 122. vbi id etiam sufficienter probaui.

Auctores autem qui contrarium tenent, fal- 272 luntur non distinguēdo inter hæc duo: *Credo fide diuina obiectum mei assensus* (quo v. c. assētior Deū esse trinum & vnū) *esse verum.* &, *Credo fide diuina me illud verè credere.* Prior propositio est vera, secunda falsa. Ratio diuersitatis est clara; quia nimirum obiectum mei assensus esse verum à Deo est reuelatum; atque ita potest à me fide diuina credi. me autem hoc, verè, credere siue fide diuina, siue humana, nullibi reuelatum est; quare cùm ei nullo modo conueniat obiectum formale fidei diuinæ, fieri nequit vt id fide diuina credam.

Fide diuina credo obiectum mei assensus dei esse verum, nonta- men me habere fidem.

Conclvsio III. Etsi fidelis sine speciali 273 reuelatione morali certitudine, quæ excludat omnem veram dubitationem, possit cognoscere se habere fidem diuinam; nequit tamen id scire omnino euidenter, aut ea cognitione cui omnino repugnet subesse falsum. Hæc videtur mens Auctorum quartæ sententiæ, & ita docet Valentia tom. 2. disp. 8. qu. 4. puncto 4. §. *Sextò si vel maximè*, &c. *Valentia.*

Prior pars est communis; & vel inde patet, quia, vt communiter Scholastici docent, & solet probari in materia de gratia, ex variis experientijs & coniecturis possumus moraliter certò cognoscere nos esse in gratia; ergo multò magis possumus cognoscere nos habere fidem diuinam. Quia gratia iustificans hanc supponit, eamque facilius quàm illam in nobis deprehendimus.

Vbi Nota, vt aliqua nostra cognitio possit dici moraliter certa, & sufficiens vt meritò à nobis excludat omnem veram dubitationem, non requiri vt sit omnino infallibilis, aut etiam vt credamus eam esse talem: sed sufficere quòd nitatur talibus rationibus, quas videmus difficulter posse fallere; nec vlla probabilis ratio occurrat; ob quam merito credamus nos hîc & nunc in ijs falli. Sic sine vlla dubitatione credimus hostiam, quam ipsi consecrauimus, esse legitimè consecratam; cùm tamen fieri possit vt non simus veri sacerdotes, ob defectum Episcopi nos ordinantis, atque ita illa hostia non sit verè à parte rei consecrata.

Quæ cognitio dicatur moraliter certa.

Secunda pars probatur Primò, quia, etsi cer- 274 tò experiamur nos credere fidei mysteria, tamen non ita certò experimur nos ea credere immediatè ob auctoritatem Dei reuelantis, ita vt Deum ea reuelasse credamus, nō propter auctoritatē hominis aut Ecclesiæ ea proponentis, similesue rationes; sed præcisè ob auctoritatem Dei hoc attestantis, prout necessarium est vt cre-

Non possumus omnino infallibiliter scire nos credere præcisè ob Dei testimoniū.

credamus aliquid fide diuina. Illud autem (scilicet nos mysteria fidei credere præcisè propter auctoritatem Dei) non posse à nobis naturaliter ita certò cognosci, vt nullo modo possimus in eo decipi; vel inde patet, quòd sæpè in eiusmodi actibus intellectus aut voluntatis moueamur aliquibus occultis rationibus, quas non ita possumus deprehendere.

275 Confirmatur Primò, quia communiter hæretici aut Iudæi omnino sibi persuadent se credere mysteria suæ fidei præcisè ob auctoritatem Dei reuelantis; cùm tamen, aut omnes (prout multi volunt) aut saltem multi ex ijs, vt ea credant, moueantur rationibus merè humanis.

Secundò, quia, vt habeamus dictam fidem, non solùm requiritur actus intellectus, sed etiam pius motus voluntatis, quo ille imperetur, de quo, sicut etiam de alijs pijs actibus voluntatis, non possumus omnino certò scire an sit talis, qualis necessariò requiritur ad fidem diuinam.

276 Non possumus certò scire nostrũ assensum esse supernaturalem. Tertio, quia fides necessaria ad salutem debet non solùm immediatè niti sola auctoritate Dei, sed esse etiam in substantia sua supernaturalis; nullo autem modo possumus naturaliter omnino euidenter, aut alia cognitione planè infallibili cognoscere actionem, quàm hic & nunc elicimus, esse in sua substantia supernaturalem. Nam, etsi demus nos non posse sine aliqua gratia assentiri mysterijs fidei præcisè ob auctoritatem Dei, tamen longè verius est ad hoc non requiri gratiam in substantia supernaturalem; quia hæc solùm requiritur vt actus sit talis, qualis requiritur ad meritum de condigno; aut vt per eum constituamur in statu supernaturali; aut disponamur ad iustificationem; nam in statu puræ naturæ homo per auxilium ordinis naturalis, potuisset simili modo assentiri reuelatis à Deo. iuxta dicta disp. 4. num. 128. Quamuis autem Deus ex parte sua numquam deficiat nobis dare gratiam, qua credamus res fidei, vt oportet ad salutem consequendam, si nihil ex nostra parte desit; tamen nobis nequit certò constare nihil ex nostra parte deesse. Sic ut nequit nobis constare nihil ex nostra parte deesse cur Deus non det nobis gratiam efficacem ad contritionem, aut ad actum caritatis. Quare sicut ex eo, quòd Deus facienti quod in se est, siue bene vtenti gratijs præcedentibus semper infallibiliter det gratias requisitas vt possit ad iustitiam peruenire, non possumus euidenter cognoscere nos esse in gratia, siue nos habere veram contritionem aut gratiam efficacem: ita ex simili argumento non possumus certò concludere nos habere fidem in substantia supernaturalem. Quia in neutro casu possumus clarè omnino scire, nihil ex parte nostra ad eiusmodi effectus requisitum deesse.

Certum est Deum non negare nobis suam gratiã, si ex nostra parte non sit defectus; tamen non possumus certò scire nos non deficere.

277 Ad primum argumentum contrarium positum num. 267. Respondeo id solùm probare priorem partem nostræ conclusionis, vt patet ex dictis.

Ad secundum, Respondeo Apostolum ibi loqui de probatione quæ moralem certitudinem inducat; atque ita solùm probare priorem partem huius conclusionis.

Ad tertium & quartum, Respondeo solùm probare fidelem esse certum de veritate obiecti suæ fidei, aut etiam eum esse certum se hoc aliqua fide in genere firmiter credere; non autem eum esse certum se hoc credere fide diuina.

Ad quintum, Respondeo Primò, id nihil facere contra nos: nam fatemur nos posse cognoscere nos habere fidem diuinam ea certitudine quæ excludat omnem dubitationem. An possimus certò scire nos esse Christianos. Respondeo Secundò, si me esse Christianum solùm significet me verè credere ea quæ fides Christiana docet, nec vllis opinionibus fidei repugnantibus voluntariè adhærere (prout vulgò accipitur) sic possum omnino certò scire, me esse talem, vt patet ex prima conclusione. Si autem significet me præterea habere fidem in substantia supernaturalem; id solùm possum scire certitudine morali excludente quidem omnem veram dubitationem; non tamen omnino infallibili. iuxta dicta concl. 3.

Ad sextum, Respondeo Primò, nego minorem: quia etiam hæretici firmiter credunt mysteria suæ fidei, & tamen non semper ea credunt præcisè ob auctoritatem Dei. 278

Respondeo Secundò, nego consequentiam: quia, vt patet ex dictis, possum fide in substantia naturali credere aliquem articulum præcisè ob testimonium Dei.

Ad septimum, nego consequentiam: quia cùm scientia sit euidens, reflectit se virtualiter supra se; secùs est de actu fidei. Imò in hoc id experimur esse planè falsum & impossibile, etiam in fide humana. Nam cùm credo Paulo mihi aliquid dicenti, certò quidem scio me ei credere, hoc tamen (scilicet me ei credere) nullo modo credo, imò nec credere possum; quia ad hoc esset necessarium mihi aliquem testari me Paulo credere. Hinc patet quid dicendum sit de pronunciatis tertiæ sententiæ. Quare potiùs sciam me scire, quã credam me credere.

Ad primum enim dicendum, fidelem hoc posse certò scire; non tamen propriè credere, quia nemo ei testatur ipsum talem assensum in se habere. Secundum & tertium probant solùm primam nostram conclusionem.

Quartum nullo fundamento nititur, vt id referendo etiam notaui: nec enim vlla sufficiẽti ratione probatur me sine vlla gratia non posse concionatori aut Euangelistis narrantibus Christum esse passum, aut talia docuisse, &c. credere; sicut possum alijs historicis credere referentibus gesta Romanorum. Et contrarium videtur claræ experientiæ repugnare. Nam hæretici multa fidei mysteria prudenter credunt, quia vident ea apertè contineri in Scripturis, aut ab Ecclesia perpetuò ab initio tradita, idq; sine vlla gratia, cùm illorum fides sit naturalis, nec ad salutem conducat. 279

Quintum, vt patet ex concluſ. 2. alijsque supradictis, est omnino impossibile sine particulari Dei reuelatione. 280

Ad eius probationem, nego assumptum. nec enim est vlla ratio, quæ probet inter vtrumque dictum assensum esse necessariam connexionẽ,

aut

aut secundum à priore separari non posse: nam etsi Deus habenti priorem assensum ex parte sua offerat gratiam, qua ipse possit secundum elicere; tamen eum ad hoc non necessitat: sed hic potest liberè secundum assensum ex negligentia, voluntatis tepiditate, aut alia ratione non elicere. Et patet in hæreticis, qui, vt iam dixi, ob Ecclesiæ, antiquorum aut Scripturæ auctoritatem credunt quædam mysteria fidei priori assensu; cùm tamen etiam secundùm Auctores illius sententiæ non habeant secundum.

231 Nec refert, quòd hæreticus non credat omnia fidei mysteria. Quia nec Catholicus habens priorem assensum semper actu credit omnia fidei mysteria; & fieri potest vt, dum hæreticus dictum assensum circa vnum articulum elicit, nulli alteri actu dissentiat, aliudue fidei impedimentum ponat. habitualis autem eius dispositio, cùm nihil ponat in re, aut nullum huic rei ponit impedimentum, aut si impedimentum ponat, saltem hoc exemplum ostendit hos duos assensus non esse ita necessariò connexos, vt ob nostrum aliquem defectum nequeant disiungi.

Adde, quòd, etsi concederemus eos assensus non posse disiungi, solùm sequeretur talem certò scire se habere fidem, non autem ipsum hoc fide diuina siue supernaturali credere: vt patet ex dictis.

Ad confirmationem, nego assumptum: nullo enim fundamento nititur, &, vt patet ex dictis, repugnat apertè rationi: cùm enim nobis reuelatum non sit, nihil ex parte nostri intellectus ad salutem necessarium nobis deesse, quomodo id possumus fide diuina credere?

DISPVTATIO XV.

De externa fidei confessione.

DVBIVM I.

Vtrùm externa fidei confessio sit actus virtutis fidei; & an sit præcepta?

1 RAtio dubitandi est Primò, quia vt aliquis actus sit proprius alicuius virtutis, debet ab ea elici: atqui externa fidei confessio non elicitur à virtute fidei: ergo non est actus virtutis fidei. Minor probatur: quia neque elicitur ab ea physicè, vt per se patet, quia virtus siue habitus fidei est in intellectu, confessio autem est in potentia externa. Neque etiam moraliter (quatenus nimirum actus externus eò quòd ab interno moraliter informetur, censetur cum hoc moraliter idem, atque ita ab eadem potentia elici) quia cùm actus intellectus non sit in se formaliter liber, aut bonus, nequit tribuere formalem libertatem aut bonitatem externæ confessioni; & consequenter nequit cum hoc constituere actum moraliter vnum. Secundò, quia te exteriùs profiteri fidem, quam interiùs credis, pertinet ad virtutem veracitatis (sicut alias res exteriùs eloqui, sicut intus eas intelligis, ad veracitatem pertinet:) ergo non pertinet ad virtutem fidei.

2 CONCLVSIO I. Omnino dicendum est, externam fidei confessionem per se pertinere ad virtutem fidei, siue esse actum proprium virtutis fidei: sicut actus externus temperantiæ, est actus virtutis temperantiæ. Ita D. Thomas 2.2. q. 3. a. 1. & cum eo communiter Theologi.

Externa fidei confessio est actus virtutis fidei.

D. Thomas.

Actus externus & internus habẽtes eamdem honestatem sibi intrinsecã ad eamdem virtutem pertinent.

Probatur Primò, ratione D. Thomæ, quia externa fidei confessio habet ex se eumdem finem siue honestatem, quam habet interior fidei assensus: qua enim ratione per se honestum est credere mysteria fidei propter Dei auctoritatem, eadem ratione honestum est ea exteriùs vt talia profiteri. Sicut igitur ideo actus externus & internus temperantiæ ad eandem virtutẽ pertinent, quia habent eamdẽ intrinsecam honestatẽ, ille obiectiuam, hic formalem: ita etiam actus internus, & externa confessio fidei. Confirmatur Primò, quia omnis actus externus per se ad illam virtutem spectat, quæ per se ad eum propter suam propriam honestatem expetendum siue exercendum inclinat: atqui habitus fidei, tam intellectus, quàm præsertim is qui est in voluntate, per se inclinat ad externam confessionem fidei; propter se, siue propter huius intrinsecam honestatem expetendam & exercendam: ergo hæc pertinet ad virtutem fidei. Confirmatur Secundò, quia externa negatio fidei per se, etiam facta ex timore sine interna abnegatione, contrariatur fidei, & est actus externus infidelitatis: ergo externa confessio pertinet ad virtutem fidei, & est actus externus fidei.

3 Probatur Secundò, quia internus fidei assensus, & externa eiusdem confessio sunt moraliter vnus actus, non ratione eiusdem libertatis, sicut actus internus imperans est externus imperatus (quia neuter in se habet libertatem) sed Primò, quia externa confessio est quasi vicaria interni assensus, & ipsius locum subit; sicut omnis externa locutio est vicaria interni cõceptus: quia enim hic nequit hominibus secundùm se ostendi, siue proponi, ideo externa locutio illius loco prodit, vt ipse in hac videatur. sicut igitur princeps, eiusque vicarius, quatenus hic illius personam agit ac absentiam supplet, sunt quodammodo vna persona, ita vtraq; illa actio. Secundò, quia, vt verba externa habeant veram rationem locutionis, debent ab interno actu intellectus dirigi: hinc verba prolata ab eo, qui nullo modo intelligit quid agat, non habent veram rationem locutionis, sicut nec verba à psittaco prolata: atque ita interna intellectio est quasi anima, seu forma externæ locu-

Qua ratione externa fidei confessio & internus assensus sint idem actus.

Interna intellectio est quasi forma ac anima externæ locutionis.

locutionis, ideoque cum hac vnum actum componit.

4 Actus honestius nō semper elicitur ab ea virtute ad quam ex se pertinet.

Pro solutione argumentorum Nota aliud esse aliquam actionem ab hac aut illa virtute elici; aliud verò eam ad hanc vel illam virtutem pertinere; nam illud ad hoc nullo modo est necessarium. Nam quando quis moderatè iciunat ex amore castitatis, externa illa actio secundùm se, & secundùm intrinsecam suam honestatem est verè actus temperantiæ, & solùm denominatione extrinseca est actus castitatis: & tamen eo casu nullo modo elicitur ab habitu siue virtute temperantiæ.

5 Ad primum igitur argumentum contrarium, nego maiorem: iam enim ostendi hoc non esse necessarium vt aliquis actus ad certam virtutem pertineat. Vtrùm autem hæc externa confessio debeat dici elici à virtute fidei, an solùm imperari, quæstio est de nomine. & sanè si actus externi aliarum virtutum debeant dici elici à virtute ad quam pertinent, eò quòd huius habitus ad eos per se inclinet, atque ita mediante alia potentia eos eliciat; patet apertè ex dictis idem dicendum esse de confessione fidei, quæ etiam ab actu voluntatis assensum fidei imperante, & ad virtutem fidei pertinente bonitatem formalem accipit, atq; ita ab ea moraliter informatur; & præterea alia etiam ratione iuxta dicta est moraliter vnus actus cum assensu fidei interno. Quare negāda est etiam maior illius argumenti, eiusque probatio. Censetur enim externa confessio moraliter elici ab interno habitu fidei, quatenus moraliter componit vnum actum cum interno assensu, & quatenus internus habitus, præsertim voluntatis, ad eam inclinat, iuxta dicta.

Externa actio ob diuersam honestatem ad diuersas virtutes pertinet.

Ad secundum, nego consequentiam: quia eadem externa actio potest ad diuersas virtutes pertinere, quando habet in se diuersam honestatem obiectiuam, sicut in dicta confessione accidit, vt patet ex dictis.

6 Præceptum confessionis fidei aliud negatiuum, aliud affirmatiuum.

Conclvsio II. Est duplex præceptum confessionis fidei: vnum negatiuum, quo iubemur non negare fidem; alterum affirmatiuum, quo iubemur eam aliquando exteriùs confiteri.

fides negatur tam factis quàm verbis; verbis variis modis negatur.

Vbi Nota, fidem posse negari Primò, verbis; Secundò, factis, siue aliquid faciendo quo videris veram fidem negare, aut falsam profiteri. Verbis autem fidem negat, non solùm is, qui negat eam esse veram, aut aliquem eius articulum esse verum, sed etiam qui dicit aliquem eius articulum non esse firmissimè credendum; aut qui negat se esse Christianum. Item qui dicit fidem Catholicæ repugnantem esse veram, aut probabilem, aut se illius esse sectatorem. v.c. dicendo se esse Lutheranum, Caluinistam, &c.

Quinam factis eam negent.

Factis verò eam negat, qui facto aliquo ostendit se falsæ alicuius fidei esse cultorem, v.c. adolendo thus idolis, adeundo cœnam Caluinisticam, &c. quæ fusiùs sequentibus dubijs explicabimus.

DVBIVM II.

Vtrùm liceat aliquando negare fidem?

7 Sampsæorū error.

FVerunt olim quidam hæretici Sampsæi, aut Helcesaitæ dicti, qui dicebant tempore persecutionis ad seruandam vitam licere exteriùs negare fidem, modò intus eam integram seruares; vt testatur Eusebius libr.6. Histor. cap.31. & Epiphanius hæresi 19. Quos imitati sunt Priscilianistæ, teste D. Augustino libr. de hæres. hæresi 70. quorum fertur fuisse commune axioma:

Eusēb. *Epiphan.* *August.* Priscilianistarum error.

Iura, periura, secretum prodere noli.

8 Numquam licet negare fidem.

Conclvsio I. Certa fide tenendum est numquam etiam ob metum mortis licere exteriùs negare fidem, quantumuis interiùs eam integram seruet. Est communis Catholicorum: & habetur clarè in Scripturis. nam Matth.10. *Matth.10.* cùm Christus dixisset non esse timendos homines siue tyrannos fideles persequentes, qui solùm corpus occidere possunt; subdit: *Omnis ergo, qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est: qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Idem dicitur Lucæ 12. vers. 8. Et cap. 9. dicitur: *Qui enim* *Luca 12. & 9.* *voluerit animam suam saluam facere* (scilicet negando fidem ne à tyranno occidatur) *perdet eam*, mortaliter scilicet peccando, atque ita eam damnando. & rationem infrà subiungit: *Nam qui me erubuerit & sermones meos, hunc filius hominis erubescet cùm venerit in maiestate sua*: in die nimirum iudicij, negando se eum nosse coram Patre & angelis, sicut alter negauit se eum nosse, siue se tenere eius fidem coram hominibus. Patet etiam ex gestis omnium Martyrum, qui maluerunt omnia tormenta perpeti, quàm vel leuiter negare fidem. Et ex perpetuo Ecclesiæ iudicio, quæ semper iudicauit maximum esse crimen metu mortis negare fidem, & eos, qui hoc fecerant, non nisi post longam pœnitentiam ad communionem solebat recipere.

9 Qui negat se Christianū, Catholicū, &c. negat fidem.

Conclvs. II. Non solùm is peccat mortaliter qui ob metum mortis, aliamue causam, aut fidem simpliciter aut aliquem eius articulum, negat: sed etiam qui negat, se esse Christianum aut Catholicum, aut etiam Papistam apud nostros hæreticos, qui per Papistas intelligunt Catholicos siue Romano Pontifici communicantes, eumq; caput Ecclesiæ agnoscentes. Item qui negat se scire an fides Catholica sit vera, aut necessaria ad salutem. Ita communiter omnes Catholici. Patet clarè ex facto S. Petri, qui solùm negauit se Christum nosse, seu se esse eius discipulum; & tamen grauissimè peccauit, & dicitur negasse Christum. Et ratio est, quia qui suprà dicta negat, implicitè negat se credere fidem Christi aut Catholicam esse veram, ac ad salutē necessariam, & consequenter indicat eam aut esse falsam, aut non necessariam ad salutem, aut saltem non esse certò veram ac necessariam: atque ita implicitè fidem negat. Vnde omnes semper Catholici reputarunt tales verè negasse fidem. Idem iudicium est de eo, qui diceret se esse Iudæum, Mahometanum, Caluinistā, &c.

quia qui has sectas fidei Catholicæ contrarias profitetur, implicitè fidem Catholicam negat.

10 Vno casu licitè te negas Christianū.

Excipiunt hîc communiter Auctores casum, quo gens aliqua bellum gereret cū Christianis, aut eos aliàs grauissimè odisset, non causa fidei, sed ob causas aliquas ciuiles, vt v.c. quia grauibus damnis ab ijs esset affecta, atq; ita per Christianum aut Catholicum non intelligeret cultorem talis fidei quam ipsa nō curat, sed hominem talis nationis, à qua iniuria affecta est: tunc enim aiunt eum qui in manus talium incidit, & rogatur an Christianus sit, atque id negat, non negare fidem, nec contra huius confessionem peccare, quia nomen *Christianus* in his circumstantijs solùm significat hominē talis nationis; quare ille solùm negat se esse talis nationis. Idē esset quando princeps aliquis, aut respublica Catholica ob res merè ciuiles bellum cum Pontifice gereret, & omnes in causa illius belli adhærentes Papæ vocarent Papistas, non ratione fidei, aut subiectionis in spiritualibus, sed ratione adhęsionis in hoc bello: tunc enim incidens inmilites hostes Papæ sine periculo fidei potest negare se esse Papistam. Vide Sanchez in Præcepta l.2.c.4.n.8.

Sanchez.

11 Negans se sacerdotem aut Religiosum non negat fidem.

Vbi etiam n.10. cum alijs bene docet, eum, qui interrogatus ab hęreticis, an sit clericus, sacerdos, aut Religiosus id negat non peccare cōtra fidem: quia cùm laici sint verè Catholici, nullo modo negat se esse Christianum aut Catholicum. quare si in eo mentiatur, solùm est mendacium officiosum, atque adeò nec est mendacium si vtatur legitimè restrictione mentali.

12 An interrogatus de fide possit ambiguè respondere.

Et hæc quidem certa sunt inter omnes Catholicos: est tamen aliqua difficultas, vtrùm possit quis verbis ambiguis, quæ possunt alium sensum verum habere, aut cum restrictione mentali negare se esse Christianum, aut dicere se esse Mahometanum, Caluinistam, &c. Videtur enim id licitè fieri. Primò, quia 4. Regum 10. Iehu vt deciperet sacerdotes Baal, dixit se velle colere Baal pluſquam Achab fecerat, & tamen ibidem paulò infrà laudatur, quòd studiosè egerit quod rectum erat in conspectu Domini. Secundò, quia talis verè non negat fidem, sed solùm aliis ex imprudentia videtur negare fidem. nam suprà disp.10.dub.3.nu.51. dixi eos, qui in alijs rebus commodè vtuntur restrictione mentali, verè non mentiri, ideoque id sæpè licere: ergo idem dicendum est in materia fidei. Tertiò, quia in theatris agens personam Apostatæ licitè simulat se negare fidem: ergo id aliquando licet. Quartò, quia vtendo cæremonijs & vestibus infidelium licitè aliquando factis simulamus falsam fidem: ergo etiam licitè eam simulamus verbis. Ideoque hanc sententiam tenet Adrianus in 4. in tract. de Baptismo q.1.a.1.in responsione ad 5. paulò ante §. *Contra primam partem.*

4. Reg.10.

Adrian.

13 Dupliciter possumus simulare nos negare fidē.

Pro solutione Nota nos dupliciter posse verbis aut factis simulare nos fidē negare: Primò, verè & propriè, ita vt adstantes possint habere occasionem absolutè credendi nos verè fidem negare. Secundò, apertè simulatoriè, siue ita, vt omnes apertè videant te non seriò, sed solùm ioco id facere, aut te solùm velle repræsentare id facientes; vt fit in theatris: aut quando quis vtitur quibusdam verbis ambiguis, quę secundùm vnum sensum etiam maximè obuiū significant quidem negationem fidei, tamen id ita facit vt omnes aduertant ipsum ijs verbis in alio sensu vti: ita vt nemo possit suspicari eum id facere animo asserendi hæresim. & de hoc casu hîc non agimus, quia tales nullo sensu possunt dici negare, aut videri negare fidem; sed agimus de casu quo quis saltem quoad apparentiam externam, & præsentium apprehensionem videtur verè negare fidem.

14 Negare fidē etiam quo ad solam externam apparentiam est illicitum. *Valentia. Sanchez. Pejantius.*

Conclvs.III. Nullo modo licet, aut cum restrictione mentali, aut verbis ambiguis, etiam quoad apparentiam solùm externam negare fidem, aut hæresim asserere, ita vt præsentes apprehendant te verè & seriò ea facere. Ita Valentia 2.2.disp.1.q.3. puncto 2.dub.4. Sanchez l.2. de Præcept.c.4.n.14. Pesantius 2.2.q.3.a.2.disp. 1.concl.2. vbi dicit esse communem. Probatur, quia præceptum confessionis non solùm obligat nos ne verè negemus fidem, aut ne asseramus hæresim aliquam esse veram, sed etiam ne id faciamus quoad externam apparentiam, siue ita vt adstantes omnino credant nos verè ac seriò ista facere, siue ne ita agamus, vt censeamur velle exteriùs videri negasse fidem: atqui dicto casu talis id facit: ergo peccat contra præceptum confessionis fidei. Minor patet. Maior probatur Primò, quia aliàs coram tyranno ob metum mortis verè exteriùs negare fidem, modò in animo retineretur, non esset peccatum mortale, sed solùm mendacium officiosum: quia in quauis re alia metu mortis ita negare veritatem, etiam in re grauissima & coram iudice non legitimè interrogante (qualis est ille tyrannus) modò absit iniuriosum nocumentum tertij, solùm est peccatum veniale: & consequenter secundùm aliam sententiam idem esset dicendum in verè exteriùs negante fidem: quod tamen catholicè dici nequit.

15

Dices, ideo verè exteriùs negare fidem esse peccatum mortale, quia multum detrahitur honori Dei & veræ fidei, dum hæc falsa, & consequenter ille mendax asseritur, sicut est peccatum mortale etiam coram iudice illegitimè interrogante metu mortis imponere alteri falsum crimen.

Respondeo hæc pro nobis facere, atque ita probare dictam maiorem. Quia non solùm est peccatum mortale, siue coram tyranno in iudicio, siue etiam extra cum vero mendacio imponere alteri falsum crimen: sed etiam cum restrictione mentali, aut verbis ambiguis id secundùm solam quandam apparentiam ita facere, vt præsentibus verè videaris id de eo asserere; nam sicut æqualiter noceo proximo, siue per mendacium, siue verbis ambiguis & cum restrictione mentali persuadeam alijs illum commisisse tale crimen: ita etiam æqualem ei infero iniuriam, atque adeò æqualiter pecco contra iustitiam: ergo similiter siue vero mendacio, siue per verba ambigua, aut per restrictionem mentalem, persuadeam adstantibus me verè negare fidem, aut hæresim asse-

Æquè peccat contra iustitiam qui verbis ambiguis alterius famā lædit ac qui apertis.

asserere, æqualiter honori Dei, ac fidei detraho, & consequenter æqualem his iniuriam infero.

16 Probatur Tertiò, quia aliàs non essent omnino certò condemnandi, qui metu mortis coram tyrannis fidem negant, quia omnes deberemus præsumere eos id facere cum restrictione mentali, aut ea verba solùm materialiter proferre, sine intentione quidquam significandi: quia nisi de contrario constet, tenemur factum proximi præsertim in tanta necessitate constituti, in optimam partem interpretari: atqui illud est falsum; nam tota semper Ecclesia id facientes sine vlla dubitatione tamquam grauissimi sceleris reos damnauit: ergo etiam id ex quo sequitur est falsum. Et confirmatur: quia aliàs Christiani olim facilè potuissent, atque adeò debuissent instrui, vt dicta ratione coram tyrannis simularent se negare fidem; atque ita facilè euasissent omnia pericula. quod tamè est contra sensum & vsum totius Ecclesię.

17 Dices, ideo non licere eo casu simulare negationem fidei, quia quoties quis à publica potestate interrogatur de fide, aut iubetur fidem negare, obligat præceptum affirmatiuum confitendi fidem. Sed contrà Primò, hoc generatim non est verum, vt infrà ostendam: imò rarò accidit me tunc teneri positiuè confiteri fidem, nisi quatenus hoc est necessarium ne præsentibus videar eam negasse. quare aut hoc debet concedi absolutè esse malum, aut illa obligatio rarissima erit. Secundò, quia secundùm eam responsionem qui negassent coram tyranno fidem, nisi constaret eos hoc ex animo fecisse, non deberent censeri grauiùs peccasse, quàm ij, qui solùm non confitentur fidem, quando tenentur; quod tamen est contra communem Catholicorum sententiam.

18 Quinã olim dicti sunt Libellatici. Grauiter à Patribus reprehensi. Aliquid facere ex quo velis videri negasse fidẽ semper fuit habitũ grãue crimen.

Probatur Quartò, quia olim libellatici (ita dicti sunt qui vt sine vera fidei abnegatione euitarent pericula vitæ & fortunarum, clàm data præsidi pecunia accipiebant ab eo libellum quo ipse testabatur eos immolasse idolis) grauissimè semper à Patribus, totaque Ecclesia accusati sunt, eo solo nomine quòd voluissent alijs videri sacrificasse. Ex quo patet semper in Ecclesia fuisse existimatum graue crimen facere aliquid, quo videaris alijs fidem abnegasse.

19 Factum Iehu sola ignorãtia excusari potest.

Ad primum argumentum positum num. 12. Respondeo, Iehu in eo grauiter peccasse, sicut etiam in eo quòd non recesserit à peccatis Ieroboam, vt ibidem dicitur. Nec Scriptura laudat totum ipsius factum: sed solùm quòd studiosè egerit, siue perfecerit id quod Dominus ei præceperat, delẽdo nimirum totam domum Achab, & falsos prophetas Baal: nam aliàs Scriptura etiam laudasset non solùm quòd simularit se velle colere Baal, sed etiam quòd iusserit vt sacerdotes ipsius offerrent ei holocaustum; quod etsi bono fine fecerit, tamen cùm sciret eos id seriò & cum vera idololatria facturos, patet hoc fuisse absolutè illicitum, nec potuisse à Scriptura laudari. Quare factum Iehu nullo modo excusari potest, nisi fortè ignorantia, qua omnino putabat hæc ob finem bonum licere; quæ in viro militari, & parum in rebus diuinis instructo facilè potuit esse tolerabilis, & fortè ideo à Scriptura non reprehenditur.

Ad secundum, nego consequentiam. Nam non solùm est illicitum verè negare fidem, sed etiam id facere quoad externam apparentiam, ita vt alijs verè videaris eam negare; secùs autem est in alijs materijs. 20

Ad tertium, nego consequentiam: quia in casu antecedentis nullo modo verè simulatur negatio fidei, sed solùm repręsentatur, quæ valdè sunt diuersa, vt patet ex dictis. Ad quartum, patebit responsio ex dubijs sequentibus.

DVBIVM III.

Vtrùm liceat factis occultare aut dissimulare veram fidem, aut simulare contrariam?

NOta Primò, eum propriè factis simulare falsam fidem, qui aliquid facit quod hîc & nunc præsentibus natũ est significare ipsum colere, siue profiteri illam fidem; vt si quis immolet idolis, aut curet se à Iudæis aut Turcis circumcidi. Suam verò fidem solùm dissimulat, siue positiuè occultat, qui facit aliquid ex quo ipsius fides siue religio ita occultatur, vt alij nequeant colligere eum esse Christianum siue Catholicum; quod tamẽ non sit natum præsentibus indicare eum colere aliam religionem, aut non esse Catholicum. Loquimur autem hoc toto dubio de ijs solis, qui hæc seriò agunt, aut saltem ita vt alijs videantur ea seriò agere, non autem de ijs qui hæc solùm in theatris repræsentant. Item agimus hîc solùm in casu, quo aliàs confessio fidei non obligat. Quærimus itaque hîc solùm quid liceat, aut non liceat spectato præcisè præcepto vetante negationem fidei. 21 Quis facto dicatur alienam fidem simulare. quis verò suam dissimulare.

Nota Secundò, hæc posse fieri dupliciter: Primò, aliqua actione, v.g. exercendo aliquas cæremonias falsæ religionis, adeundo templa hæreticorum, comedendo carnes die prohibito, &c. Secundò, vsu vestium quibus vtuntur cultores falsæ religionis. 22

Nota Tertiò, tam has actiones quàm vestes esse duplicis generis. Quędam enim non habent alium vsum, saltem in quem soleant vsurpari, quàm exercitium aut significationem falsæ religionis, atque adeò institutæ sunt ad deferendum alicui falsum cultum. qualia sunt adolere thus idolo, gestare vestes, quibus sacrificuli, dum impijs sacris operantur, vtuntur. Alię verò habent alium vsum, nec sunt institutæ ad deferendum alicui falsum cultum. qualia sunt comedere carnes die prohibito: quod communiter etiam ab hæreticis non fit, vt significetur falsa religio, sed vt satisfiat gulæ. Item ferre vestes, quibus aliquę nationes infideles communiter vestiuntur. 23 Signa falsæ religionis sunt duplicia.

Nota Quartò, has secundi generis vestes, rursũ esse quadruplices. Primi generis sunt, quæ quidem propriæ sunt genti alicui infideli, tamẽ nullo modo assumuntur in signum religionis, sed ad nationis distinctionem; ita vt ferrentur etiam ab ea gente etsi ad fidem conuerteretur. quales sunt vestes quas Turcæ vulgò gerunt. 24

Secundi generis sunt quæ præcipuè quidem assumuntur ob necessitatem naturæ, v.c. ad arcendum frigus, & nuditatem tegendam, tamen simul etiam ratione formæ significant aliquo modo gestantem esse cultorem talis aut talis religionis. quales sunt vestes quas communiter gerunt, siue falsæ, siue veræ religionis sacerdotes aut Religiosi, vtentes habitu distincto à plebeio. Tertij generis sunt, quæ ob rationem aliquam politicam præscribuntur ijs, qui certam aliquam religionem colunt, non quidem vt eas gestando suam religionem profiteantur, sed vt ab alijs quibuscum habitant, quique eam non colunt, distinguantur, eò quòd hoc Reipublicæ expediat. Qualis Romæ est pileus flauus, quo Iudæi ab alijs distinguuntur. Quarti generis sunt, quæ directè sunt institutæ non ob rationem politicam, sed ad profitendam fidem. vt si aliquis princeps infidelis præciperet suis subditis, vt omnes qui inter eos sunt Mahometani ferrent vestem talis coloris ac formæ, ad testandum se esse cultores Mahometis.

25 Prima igitur hîc difficultas est, vtrùm liceat aliquando simulare falsam religionem vtendo aliquibus ipsius cæremonijs, quibus illa in cultu sibi proprio vtitur.

Adrian. Adrianus suprà citatus num.12. videtur asserere id absolutè licere, quoties non est scandalum, nec vrget fidei confessio. Probat Primò, rationibus loco citato allatis. Secundò, exemplo Naaman, qui 4.Regum cap.5. sanatus ab *4.Reg.5.* Eliseo à lepra, & ita conuersus ad veram fidem, petijt vt posset adorante domino suo in templo Remnon simul cum eo adorare. quod ei *Hieron.* Eliseus concessit. Tertiò, quia S.Hieronymus in epistolam ad Galatas videtur id asserere.

26 Alij volunt licere saltem vti eiusmodi cæremonijs, non quidem quatenus sunt cæremoniæ illius religionis (hoc enim aiunt esse peccatum) sed ob alium finem. Adferuntque exemplum Abassinorum, qui suos filios circumcidunt, non vt obseruent legem veterem, sed vt hac ratione Christum imitentur. Aiuntque illud vel hac intentione, vel mortificationis causa licitè *Medina.* fieri posse. Ita Medina 1.2.quæst.103.art.4. Ca- *Caietan.* ietanus 3.p.quæst 37.art.1. Lorca 2.2. quæst.6. *Lorca.* disp.24.num.7.

Probatur Primò, rationibus allatis pro sententia Adriani. Secundò, quia Apostoli sæpè vsi sunt eiusmodi cæremonijs, etiam post promulgationem legis nouæ, quando earum vsus erat *Act.16.& 21.* omnino illicitus. Nam Paulus Actor.16.vers.3. Timotheum circumcidit; & cap.21. cum alijs purificatus templum intrauit, aliasque cæremonias legis obseruauit. Tertiò, quia Abassini iam vtuntur circumcisione, nec in eo damnantur ab Ecclesia, nec coguntur eam deserere. Quartò, quia causa mortificationis licitè nos etiam aculeatis flagellis vsque ad sanguinis effusionem flagellamus: ergo ob similem causam licitè quis se circumcidit.

27 Additque Lorca nu.9. id verum esse etiam- *Lorca.* si hæc ita fiant, vt videntes credant nos illas cæremonias formaliter vsurpare, quatenus sunt cæremoniæ illius religionis. Quia, inquit, hæc est simulatio, aut potiùs dissimulatio; quam Patres citati probant. Atque ita videtur apertè priorem sententiam Adriani docere. Addit tamen num.8. triplicem limitationem. Primò, vt actiones tales sint vt ratio cultus ab ijs separari possit: ideoque damnat adorationem externam coram idolo factam cum ijs circumstantijs, quibus nata est significare eiusdem internam adorationem. Secundò, vt ab sit scandalum. Tertiò, vt illo vsu nec obscuretur confessio fidei, quando hæc obligat, nec ex circumstantijs censeri possit fides negari.

Sed vt omittam hîc inquisitionem veritatis 28
huius opinionis de qua infrà agam, hic discursus continet aliqua parum cohærentia. Primò, nam illa vltima limitatio videtur apertè repugnare ijs quæ docet num.9. & retulinum 27. initio. Quomodo enim fieri potest vt exerceam eas cæremonias ita, siue cum talibus circumstantijs, vt adstantibus videar eas formaliter exercere, & in cultum illius religionis, & ita aliquo modo simulem falsam religionem; & tamen id faciam ita, vt ab ijs non censear falsam religionem profiteri, & consequenter nec censear veram negare: cùm hæc communiter ab hominibus pro eodem reputentur, scilicet me setiò vsurpare cæremonias talis religionis, præsertim formaliter & qua tales sunt, & me eâ exteriùs profiteri? Secundò, quia Lorca cum alijs dicit, nos non posse illas cæremonias exercere quatenus sunt cæremoniæ illius legis; & tamen sententiam suam probat ex facto Apostolorum vsurpantium cæremonias legis veteris; qui tamen vsurpabant eas formaliter, siue vt cæremonias legis veteris, vt fusiùs ostendam infrà num.43.

Secunda difficultas est, an Catholicis ver- 29
santibus in locis hæreticorum, & inter hæreticos, ne ab illis cum graui suo periculo deprehendantur esse Catholici, liceat vesci carnibus ijs diebus, quibus hoc ab Ecclesia prohibitum est? Valentia 1.2.disp.7.q.15.puncto 6. cas.4. ait *Valentia.* id non licere, quando eiusmodi comestio esset signum hæreseos. Quod verum est; sed petitur an hoc sit semper tale signum, aut quando sit, & quando non. Sanchez verò de Præcept.lib.2. *Sanchez.* cap.4.num.25. cum Azor, ait id in tali periculo *Azor.* licere, nisi sit periculum scandali, aut contemptus religionis nostræ, aut nisi auctoritate publica tentetur comedentis religio.

Tertia difficultas est, vtrùm Catholicis ha- 30
bitantibus inter hæreticos liceat adire eorum conciones. Quain re certum est id non licere, quando adest periculum peruersionis; vt si quis non sit ita firmus in fide: aut quàdo hoc nequit fieri nisi communicando cum ijs in cæremonijs, aut saltem si sit periculum cum ijs ita communicandi: sed quæritur an id liceat quando hæc absunt, & illud sine scandalo fieri potest?

Et præcipua difficultas est, quando princeps 31
hæreticus sub graui pœna præcipit omnibus subditis, vt hæreticorum templa adeant, ac alijs eorum officijs intersint. Quidam enim putant etiam tunc licere ijs interesse, modò ea frequentans protestetur se id facere præcisè vt suo principi obediat, seque nullo modo inten-

intendere ea ratione cum hæreticis communicare. Ratio eorum est, quia tunc hæc templi frequentatio nec potest esse signum professionis, aut probationis illius fidei, nec etiam est communicatio, aut signum communicationis cum hæreticis (quia per illam protestationem hæc omnia sufficienter tolluntur) sed solùm est ciuilis obedientia erga principem: ergo est licita; & confirmatur facto Naaman qui ex iussu sui regis ita frequentabat templum Remnon, idque licitè.

32 Quarta difficultas est, an liceat aliquando ob grauem necessitatē vesci idolothytis. Quidam apud Lorcam 2.2.disp.24.nu.6. videntur asserere id numquam licere, etiamsi aliàs moriendum sit fame, & absit omne scandalum. *Lorca.*

1.Cor.10. Primò, quia Apostolus 1.ad Corint.10. id dicit esse illicitum ijs, qui sciunt esse idolothyta. Secundò, quia S. Augustinus epistola 154. interrogatus an in extrema ex fame necessitate liceat ijs vesci, respondit, Si certum est esse idolothytum, melius Christiana virtute respuitur. Vnde aiunt vulgò dici, satius esse fame mori quàm idolothytis vesci. Ipse autem n.11. respondet, illa ab Apostolo & Augustino dici, quia olim id fuerat Apostolico præcepto prohibitum, quod vsque ad Augustini tempora durabat, iam autem esse desijt. *August.*

33 Quinta difficultas est, vtrùm ad vitandum graue periculum liceat aliquando vti vestibus infidelium. Qua in re omnes satis consentiunt, licere quandoque ad graue periculum vitandum vti vestibus primi generis ex recensitis n.24. quia cùm hæ nullo modo sint institutæ ad significandam falsam religionem, eas ex iusta causa gestans non potest per hoc vllo modo dici aut videri profiteri falsam religionem. Sed difficultas est de alijs vestibus ibidem recensitis. Quidam enim generaliter negant vmquam licere eas gestare. Quia illas gestans hoc ipso significat se esse professorem illius religionis: nam sicut hæc verba, *sum Mahometanus*, significant ea seriò pronunciantem esse talem; ita gestatio illarum vestium significat gestantem esse Mahometanum. Nec refert quòd fortè initio non sint directè institutæ ad fidem profitendam, sed ob vsum politicum; quia sufficit quòd iam ex consuetudine eam significationem obtineant. Ita Caietanus in Summa, v. *Habitus*, in fin. S. Antonin. p.2.t.12.c.6. sub finem, Siluester v. *Apostasia*, q.1.n.4. Angelus v. *Infidelitas*, nu.9. Nauarrus c.11.n.27. & alij quidam. *Quibus infidelium vestibus liceat vti.* *Caietan.* *S.Antonin.* *Siluest.* *Angelus.* *Nauarr.*

34 Alij verò docent, saltem omnino esse illicitū vti vestibus quarti generis, scilicet institutis ad fidem profitendam, quia has gerere est apertè significare se profiteri talem fidem. Nam cùm hæ vestes ita sint directè institutæ ad significandam professionem falsæ fidei, sicut verba sunt instituta ad rem aliquam significandam; earum gestatio non minùs significat professionē falsæ fidei, quàm si quis id verbis exprimeret. Confirmatur, quia infideles eas gestando peccant contra fidem, eò quòd hoc ipso censeantur falsam fidem profiteri: ergo idem dicendum de fidelibus easdem gestantibus. Nec enim est vlla ratio, cur his magis liceat illas gestare, quā illis.

Contrà verò quidam apud Sanchez lib.2.de Præcept.c.4.n.20. generatim docent, omnibus his vestibus (exceptis ijs, quæ sunt institutæ ad immediatè deferendum aliquem cultum falsis dijs) licere vti ad vitandum mortis periculum, quando scandalum, aliaque similia incommoda absunt. Quia cùm hæc gestatio habeat alium vsum, nec princeps suo instituto, nec consuetudo Gentilium eas ferentium efficere possint, vt semper significet professionem falsæ fidei. 35 *Sanchez.*

Sexta difficultas est, vtrùm quando aliquis princeps statueret vt omnes Christiani sibi subditi ferrent certum signum, ad vitandum graue periculum liceret illud omittere? Caietan.2.2.qu.3.art.1. respondet id licere quando illud signum est institutum ob solum finem politicum; secùs tamen esse quando est institutum ad profitendam fidem: nisi fortè illa lex aut recepta non sit, aut communiter non obseruetur. Ratio eius est, quia princeps per illam legē singulos interrogat circa suam fidem: atqui omnis fidelis à principe de fide interrogatus tenetur eam profiteri, quod eo casu fit gestatione talis signi: ergo fideles illius loci ad hoc tenentur. 36 *Caietan.*

Vt autem ad hæc distinctiùs respondeamus, Nota dupliciter posse cōtingere vt ex omissione talis vestis aut signi mihi incumbat periculum. Primò, si infideles inuadant vrbem in qua sum, intendentes omnes qui non sunt ipsorum religionis, siue non habentes illam vestem, occidere. Aut quando princeps infidelis hoc subitò in aliqua vrbe fieri præcipit, iubetque omnes non habentes tale signum occidere. Secundò, quando ex aliqua causa vellem transire per terras infidelium, aut inter eos commorari, & id sine graui periculo facere non possem, si agnoscerer Christianus. 37

Conclvsio I. Certum omnino est nullam ob causam licere propriè simulare professionē falsæ religionis. Hanc conclusionem sub his terminis omnes communiter admittunt; etiam ij, quos citaui n.26. quamuis alijs verbis contrarium asserant, vt mox ostendam. Et patet clarè ex dictis dub.2. conclus.3. vbi ostendi absolutè esse illicitum, non solùm verè negare fidem veram, aut profiteri falsam: sed etiam id verè simulare, quia vtroque casu vera & grauis iniuria veræ fidei ac Deo irrogatur. Nihil autem refert vtrùm hæc simulatio fiat verbis an factis: sicut nihil refert an verbis, an factis alium falsi criminis insimules. 38 *Numquam licitè falsam religionem simulas.*

Conclvsio II. Nullo modo licet ob vllum finem vti cæremonijs proprijs falsæ religioni; nisi fortè eo modo ijs vtaris, vt apertè appareat te ijs non vti vt cæremonijs, aut in ordine ad aliquem cultum aut religionem; sicut ijs vtuntur qui agunt in theatris, aut sicut vteretur circumcisione is, cui ea esset necessaria ad sanitatem recuperandam; quitamen casus fingi facilius potest, quàm accidere. Ita Turrian.2.2. disp.35. dub.5. Valentia disp.1. qu.3.puncto 2.dub.4. Sanchez de Præcept.lib. 2.cap.4.num.14. Vasquez 1.2.disp.182.n.19. & 77. vbi docet esse communem sententiam Patrum & Doctorum, ob seruationem cæremoniarum 39 *Illicitè vteris cæremoniis falsæ religionis.* *Turrian.* *Valentia.* *Sanchez.* *Vasquez.*

arum Iudaicarum esse mortiferam post Euangelij sufficientem promulgationem, & absurdissimè dici Ecclesiam iam posse præcipere circumcisionem, aut similes cæremonias legis veteris.

40 Probatur Primò: quia, vt ostendi dub.2. concluſ.3. non solùm est illicitum verè abnegare fidem veram, aut falsam religionem profiteri: sed etiam est illicitum id facere secundùm externam apparentiam, ita ex præsentibus videaris eam abnegare: atqui qui vtitur cæremonijs falsæ religionis ea ratione, vt adstantibus videatur ijs vti vt cæremonijs, siue in ordine ad aliquem cultum, quoad externam apparentiam profitetur falsam religionem: ergo illicitè illud facit.

41 Nec refert, quòd dictus vsus possit habere aliam significationem, & quòd adstantes ex ignorantia aut imprudentia colligant ijs vtentem eo vsu potiùs significare falsam professionem, quàm aliquid aliud: quia etiam verba ambigua possunt aliud significare quàm professionem falsæ religionis, & tamen non licet ijs etiam in ea significatione ita vti, vt adstantibus ex ignorantia aut imprudentia videaris per ea falsam religionem verè profiteri, vt loco citato ostendi: ergo idem dicendum est de eiusmodi vsu cæremoniarum. Et confirmatur, quia aliàs liceret tibi tempore persecutionis Gentilium publicè coram idolo orare, & thus incendere, ac proposita ibidem idolothyta comedere, modò orationem tuam secretò dirigeres ad verum Deum eum orando, ac in eius honorem thus incendendo, ac idolothyta comederes præcisè vt famem pelleres. Præsertim quando nemine te circa fidem interrogante, aut vt dicta in honorem idoli faceres incitante, præceptum affirmatiuum fidei non vrgeret, atque ita omnibus facilè esset effugere omnem suspicionem christianismi, & consequenter periculum persecutionis: illud autem apertissimè falsum ac erroneum est.

42 Initio legis gratiæ vsus veterum cæremoniarū erat indifferens.

Conclvsio III. Etsi post promulgationem Euangelij in Pentecoste factam mortuæ fuerint cæremoniæ veteris legis, quatenus nullus ad earum vsum ampliùs obligabatur, nisi fortè vitandi scandali causa, aut pro aliquo tempore ex præcepto Apostolico lato Act. 15. tamen, præsertim conuersis ex Iudæis, earum vsus erat adhuc aliquamdiu licitus, idque vt lex vetus non statim tamquam mala damnaretur, sed paulatim abrogaretur: cùm enim illæ cæremoniæ nō fuerint institutæ ad aliquem falsum, sed ad verum cultum Deo exhibendum, conueniebat omnino eas non statim penitus damnari tamquam malas, sed aliquamdiu adhuc tolerari, quatenus præcisè erant cæremoniæ in Dei cultum institutæ, præscindēdo ab eo quòd essent futurorum significatiuæ, idque donec legem veterem iam omnino compleram, ac in posterum inutilem esse omnibus clarè probaretur. Ita ex D. Augustino S. Thomas 1.2.q.103.a. 4.ad 1.& cum eo communiter Scholastici, paucis exceptis. *D.Thomas.*

Probatur apertè exemplo ipsorum Apostolorum, qui eas initio obseruarunt. Nam S. Petrus Actor.10.v.14. renuit comedere lege prohibita. & cap.16. v.3.S.Paulus circumcidit Timotheum. & c.21.v.26. obseruat leges purificationis Iudaicæ, & curat pro se & suis sacrificia offerri, quæ sine dubio ipse numquam fecisset, si ea tunc fuissent illicita. *Act.10. Act.16. Act.21.*

Dices, Apostolos ea tunc fecisse, non quatenus erant cæremoniæ legis, sed merè materialiter ea vsurpasse ad vitandum scandalum. 43

Sed contrà est Primò, quòd dicto c.21.v.20. S.Iacobus, alijque seniores siue præcipui inter Christianos dicant S.Paulo: *Vides frater quot millia sunt in Iudæis qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis.* Deinde dicunt hos in Paulo scandalizari, eò quòd audierint eum docere discessionem à lege Moysis, & Iudæos conuersos non debere secundùm legem circumcidere filios suos. Deinde suadent ei vt facto contrarium probet, & cum alijs quatuor qui habebant votum nazareorum, caput radat, aliasque illius voti cæremonias obseruet, ac sacrificia pro se offerri curet, prout præscribitur Numer. 6. v.18. Et subditur: *Et scient omnes quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas & ipse secundùm legem.* Quorum consilium S.Paulus secutus est vt ibidem narratur. *Numer. 6. Act.21.*

Ex quibus sic argumentor, Isti Iudæi conuersi erant æmulatores legis: ergo eiusmodi cæremonias legis obseruabant formaliter, & vt cæremonias legis, & tamen in hoc non reprehendebantur ab Apostolis; imò S.Iacobus eorum Episcopus simul cum ijs eas cæremonias obseruabat. Item suaserunt S.Paulo vt eas cæremonias ita obseruaret, vt ostenderet se secundùm legem ambulare, & non docere discessionem à lege, siue huius obseruationem esse illicitam; quibus hic acquieuit, vt suo facto ostenderet se ista non docere: ergo sensit illius obseruationem non esse illicitam. aliàs enim debuisset illius obseruationis suaforibus non acquiescere; sed palàm ostendere se id docere, & meritò docere. Tertiò, curauit pro se offerri sacrificium; aut saltem habuit intentionem id faciendi, nisi fuisset à tumultuantibus Iudæis ipsum comprehendentibus impeditus; hoc autem nullo modo potuit aliter vsurpari nisi vt cæremonia legis, & clarissimum est eos, qui fuissent id oblaturi, tali ratione id fuisse facturos. & consequenter si hoc fuisset illicitum, peccasset S.Paulus illos inducendo, vt pro se sacrificium offerrent: sicut iam sine dubio peccaret, qui Iudæum ad aliquid simile induceret. 44

Secundò, contra eam responsionem facit, quòd si tunc fuisset illicitum eas cæremonias vt tales vsurpare, Apostolus perniciosè simulasset se eas ita obseruare: nam cùm, vt patet ex dictis, eas obseruarit ea intentione, saltem quantum exteriùs apparere poterat, vt alijs suo facto persuaderet obseruationem legis esse licitam, seque non docere contrarium, aliosin perniciosum errorem induxisset; quia ex ipsius exemplo potuissent meritò credere id esse licitum. Dicta autem sine magna tanti Apostoli iniuria non possumus de eo suspicari. Quæ fusè etiam ex hoc alijsque locis probat D. Augustinus epist. 19. ad D. Hieron. 45 *Augus.*

Ad

46 Ad primum argumentum positum nu. 25. responsum est n. 19. & 20. Ad secundum, Respondeo exemplum Naaman nihil facere ad rem: nam ipse non flectebat ibi genua quasi honorans idolum Remnon, neque hoc vllo modo etiam quoad externam apparentiam simulabat: sed solùm flectebat genua in obsequium

Naaman post conuersionem nec verè nec simulatoriè adorabat idola.

fui regis, vt scilicet hic interadorandum posset illo commodius niti, vt apertè loco citato insinuatur. vnde in isto loco adorare respectu Naaman non significat deferre cultum, sed incuruare se, siue inflectere: nam Naaman solùm petit vt rege ingresso templum & super eum innitente ipse possit in templo adorare, siue se inflectere, nimirum vt rex ei commodiùs innitatur: hoc enim propriè significat Hebræum הִשְׁתַּחֲוֶה, id est incuruauit se. quod noster interpres communiter vertit *adorare*, quia adorantes incuruant se. Nullum ergo falsum cultum Naaman ibi simulauit, sed solùm debitum obsequium suo regi exhibuit. Quòd autem id exhiberet in templo, vel extra templum, hoc erat per accidens.

Ad tertium, Respondeo aut D. Hieron. benignè interpretandum, vt quidam conantur facere, aut cum D. Augustino epist. 19. ab eo recedendum esse.

August.

47 Ad primum argumentũ positũ n. 26. iam responsum est. Ad secundum, Respondeo initio licuisse vti illis cæremonijs, vt iam ostendi: modò autem id nullo modo licere. Ad tertium,

Ecclesia nũquã probauit quòd Abassini suos filios circũcidant. *Godinus.*

nego assumptum: nam Ecclesia Catholica hoc in Abassinis numquam probauit, sed semper damnauit, sicut etiam eorum schisma, & alias hæreses damnat. Qua de re vide nostrum Godinium de Abassinorum rebus à cap. 27. vsque ad 32. Quòd autem tam alij quidam quàm Lorca contendunt id licitè fieri ad imitandum Christum, aut ad mortificationem carnis, sicut in hunc finem multi laudabiliter se flagellant; sine fundamento dicitur, & contra sensum totius Ecclesiæ, quæ post promulgatum sufficienter Euangelium, quando in ea iam desijt omnis distinctio inter Iudæum & Græcum, circumcidentes se semper habuit pro Iudæis, Mahumetanis, aut hæreticis; & baptizatos id facientes tamquam apostatas puniuit: quod immeritò faceret, si id ad imitationem Christi, aut ad mortificationem liceret. Item malè Apostolus

Galat. 5. ad Galatas 5. dixisset: *Ego autem Paulus dico vobis; quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* nam vt summum debuisset dicere: Si obseruetis circumcisionem, quasi adhuc necessariam ad salutem, aut vt cæremoniam legis adhuc obligantis, Christus vobis nihil proderit.

48 Confirmatur, quia si liceret se circumcidere ad imitationem Christi, simili ratione ob eundem finem etiam liceret ritu Iudaico immolare & comedere agnum paschalem, atque ita totam legem veterem obseruare; quia Christus hoc fecit. quod absurdissimum est.

Adde, Abassinos circumcidendo suos infantes non imitari Christum qui neminem circũcidit, sed octauo die sponte circumcisionem suscepit. Quare nec maiores suos infantes circumcidendo Christum imitantur, (quia hac ratione ipsi non suscipiunt circumcisionem) nec etiam infantes eum imitantur patiendo circũcisionem, quia non sponte, sed inuiti ac reluctantes circumciduntur. Imò neutri hac in re Christum imitari possunt; quia nec magni octauo die, nec parui sponte circumcidi possunt.

Ad quartum, Respondeo Primò, hoc saltem 49
non posse habere locum in circumcisione infantium, qui mortificationis incapaces sunt.

Respondeo Secundò, non quamuis mortificationem licitè assumi, sed eam solam quæ ad corpus domandum vtilis est, nec tamen illud aliqua sui parte minuit, nec nimiùm valetudinem affligit. Aliàs laudabile esset aures sibi aut nares mortificationis causa præscindere. quod absurdissimum est. Idemque est de circumcisione, qua etiam pars aliqua corporis abscinditur. Adde, eam ad mortificationem esse inutilem: nam excepto fortè tempore illo quo dolor eius perseuerat, nec corpus affligit, nec domat; nec sicut flagellatio sæpiùs repeti potest.

Non quæuis corporis mortificatio licita.

Conclvsio IV. Catholici versantes inter hæreticos, ad vitandum graue periculum die prohibito licitè vescuntur carnibus, quando existentibus cum alijs, qui eos ignorant esse Catholicos, eæ apponuntur sine vlla omnino mentione prohibitionis Ecclesiæ. Secùs autem est Primò, quando quis ab omnibus præsentibus scitur esse Catholicus. Secundò, quando solùm adest periculum irrisionis; aut quando quis sine notabili periculo necessitatem edendi potest aliqua industria euitare, v. c. prætexendo debilitatem stomachi non ferentis eius carnium, aut aliquam similem causam. Tertiò, quando ex ea comestione oriretur scandalũ, vt si alij putantes aliquem à fide defecisse, ad idem incitarentur. Quartò, quando alij Catholicos inuitant, aut se mutuo hortantur ad eas comedendas, aut in contemptum præcepti Ecclesiæ, aut vt ostendant se non esse Catholicos, aut se non curare præcepta Ecclesiæ; aut dicendo, Videamus an aliquis inter nos sit Papistà, qui non audeat comedere carnes, &c. Et hanc puto esse mentem Auctorum quos citaui n. 29.

50 Licitè quandoque ad vitandum periculum edimus cibos prohibitos.

Quandoque id illicitè fit.

Prima pars probatur: quia tali casu comedens carnes nec peccat contra præceptum Ecclesiæ, quod in tanto periculo non obligat; nec etiam contra præceptum aut confessionem fidei quasi hanc suo facto videatur negare: nam illa comestio nec ex natura sua, nec etiam ex hominum instituto est signum professionis falsæ religionis, aut negationis veræ: vt per se patet (quia aliàs si quis Catholicus solus, aut ratione morbi, aut vt satisfaceret gulæ, comederet carnes die prohibito, peccaret contra confessionem fidei: quod apertè falsum est.) nec etiam est tale signum ratione circumstantiarum, quia nullæ hîc adsunt quæ eam ad hoc significandum possint determinare.

Nec obest quòd fortè aliqui ex eius facto 51
suspicabuntur eum non esse Catholicum, quia nec ipse tenetur hanc suspicionem (quæ non est tantimomenti) cum tanto suo periculo euitare: nec ipsa, quãdiu interiùs in animo manet,

potest hanc comestionem afficere, aut eam determinare, ad significandam defectionem à fide. Ad hoc enim requiritur aliqua circũstantia externa eam comestionem afficiens, vt in simili ostendi disp.10.n.41.& 42.

52 Secunda pars probatur, quantũ ad primum & secundũ casum: quia tunc nulla est sufficiens causa faciendi contra Ecclesiæ præceptũ. Nam irrisio illa est parui momenti & contemnenda, vel potiùs vt gloriosa pro Deo appetenda. Item quando quis ab omnibus noscitur esse Catholicus, nullum ei ex illa abstinentia præcisè potest imminere periculum. Non tamen sufficeret vt tenereris ab eo esu abstinere, quòd vnus aut alter à quibus tibi non imminet periculum, sciret te esse Catholicum, modò ab alijs qui id nesciunt ex ea abstinentia immineat periculum, nisi fortè sit periculum grauis scandali, de quo mox dicam.

53 Probatur tertius casus: quia mea comestio tunc cederet in graue religionis nostræ, ac animarum detrimentum, quod teneor etiam cum graui meo periculo vitare, vt communiter omnes fatentur. Sed hoc maximè locum habet in personis magnæ auctoritatis, quorum exemplo multi in vtramque partem mouentur: ad quod etiam necesse est vt eorum factum sit publicandum; quia aliàs nequit parere scandalum. Quare quando tales versantur inter omnino ignotos, nequit esse periculum talis scandali.

Quartus casus probatur: quia tunc illa comestio à circumstantijs determinatur ad significandam aut defectionem à fide & obedientia Ecclesiæ, aut professionem contrariæ fidei.

54 Vt autem hic vltimus casus, & prior pars nostræ conclusionis clariora sint; Notanda est doctrina Apostoli 1.ad Corinth.10. vbi interrogatus an liceret comedere idolothyta, cùm cap.8. v.1.4.& 7. docuisset idolum nihil esse, nec posse reddere cibos sibi immolatos immundos, nisi ijs, qui putant eorum comestionem cedere in honorem idoli, qui consequenter ea comestione polluuntur: ideoq; propter horum conscientiam ait non esse comedenda idolothyta in iis circumstantijs, in quibus his ea comestio possit videri signum honoris idolo exhibiti. Deinde c.10.v.27.ait: *Si quis vocat vos infidelium* (scilicet ad conuiuium) *& vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit, Hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum qui indicauit, & propter conscientiam: conscientiam dico non tuã, sed alterius.* Quibus clarè docet, comedere idolothyta in communi mensa instar aliorum ciborum, sine reflexione exteriùs ostensa ad hoc quòd sint idolothyta, siue quando nemo facit mentionem quòd sint idolothyta, nullo modo esse signum honoris idolo exhibiti, ideoque id licitè fieri; secus tamen esse quando aliquis dicit esse idolothyta: quia hac ratione tacitè innuit ea comedi in honorem idoli, aut etiam alios ad hoc ita faciendum inuitat; ideoque ea tunc comedens astantibus videtur ea secũdùm mentem inuitantis, siue in honorẽ idoli comedere. cùm enim ea in re obsequatur inuitanti, etiam ipsius intentioni videtur inseruire: atque ita illa comestio respectu astantium est signum honoris idolo exhibiti; & ideo addit Apostolus: *Conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius.* Ac si dicat; Illa comestio mala est, non quia tu in honorem idoli comedis, sed quia astãtibus id ita videris facere, siue quia tua comestio in his circumstantijs est illis apparens signum talis intentionis. Et similis omnino est ratio in casu primo & vltimo nostræ conclusionis. Quæ doctrina etiam valdè notanda est propter ea quæ infrà dicemus, & ad soluendos varios casus, qui circa similes materias accidere possent.

Quando licitè comedantur idolothyta:

quando illicitè.

Conclvsio V. Catholicum adire conciones hæreticorum per se, non est signum professionis falsæ fidei; nam ob varios alios fines id fieri potest; & in quibusdam locis vbi Catholici hæreticis permisti habitant, multi etiam noti Catholici quandoque eas conciones adeunt sine vlla suspicione hæreseos. vnde etiam infertur, id ob iustam causam, quando abest omne periculum peruersionis ac scandali, licitè fieri posse. Ita Valentia 2.2.disp.1.q.2.puncto 2.dub. 4.in fine. Azor tom.1.Moral l.8. c.27.q.5. Sanchez l.2. de Præceptis c.4.n.26. vbi tamen meritò requirit grauem aliquam causam, vt id licitè fiat; quæ vix videtur posse esse alia, quàm vt concionatoris falsa doctrina & impostura possint clariùs deprehendi, & refutari. Quare indoctis vix vnquam eiusmodi iusta causa videtur posse accidere, nisi cùm famuli coguntur suos dominos conciones adeuntes honoris præcisè & obsequij causa comitari. vnde etiam Sanchez suprà satis apertè improbat eos, qui ex sola curiositate eas adeunt; nec ego eos vnquam probare potui.

55 An licitè audiamus conciones hæreticorũ.

Valentia. Azor. Sanchius.

Ex sola curiositate hæreticorũ conciones nullè adeuntur.

Conclvsio VI. Talis autem accessus esset signum saltem alicuius communicationis siue consensus cum hæreticis qua tales sunt. Primò, quando quis adeundo conciones simul cũ hæreticis in eorum cæremonijs communicaret, v.c. cum ijs simul canendo psalmos, aut aliter communiter orando. Hæc enim semper habita sunt tamquã notæ communicationis in fide.

56 Quando peccent eas adeuntes.

Secundò, quando quis id faceret vt concionatori gratificaretur, eumúe honoraret; hoc enim apertè esset ipsius actionibus fauere, eique auctoritatem in malo addere.

Tertiò, quando princeps aut magistratus hæreticus præcipit omnibus subditis vt conciones hæreticas adeant: cùm enim hac ratione ipli concionatores multitudine auditorum honorentur, iisque ea ratione auctoritas accrescat, & consequenter eorum doctrina etiam maiorem auctoritatem habeat; paret eiusmodi populi ad concionem confluxum cedere in fauorem hæreseos, & fidei Catholicæ iniuriam. Item cùm princeps hæreticus in illum finem hunc accessum præcipiat, qui ei obediunt, eidem fini & consequenter hæresi suo facto fauent, idque hoc externo signo profitentur. Iuxta dicta in simili n.54.

57 Principi liberti frequentare conciones hæreticas illicitè obeditur.

Nec refert quòd Catholici eas conciones adeuntes protestentur se id facere non vt hæresi vlla ratione faueant, sed solùm vt principi ciuilem

58

ciuilem obedientiam exhibeant ; quia facto suo contrarium ostendunt , vt iam probaui, & hoc ipso quo intendunt hac in re principi obedire , implicitè simul intendunt finem à principe intentum promouere , & consequenter hæresi fauere, vt iam ostendi.

59 Idemque dicendum esset, etsi ipse princeps in suo edicto expressè diceret se hac in re nihil aliud exigere quàm ciuilem obedientiam, nec vllo modo velle quemquam cogere vt à fide sua deficiat; quia ipse facto, vt iam ostendi, contrarium facit; nec hoc præceptum potest esse ciuile, aut immediatè ob finem merè ciuilem præcipi, sed immediatus ipsius finis non potest esse alius quàm iam dictus, aut etiam peior, vt scilicet Catholici in externis illis ritibus se hæreticis conforment, & hac ratione paulatim peruertantur. Nec enim fieri potest vt passim Catholici eas conciones frequentent, & paulatim non peruertantur saltem magnâ ex parte. Quamuis autem quibusdam in fide firmioribus hac ex parte non sit periculum; tamen suo exemplo alios minùs firmos vt templum adeant inducendo, aut eos in hoc confirmando sunt ijs scandalo, & causa ruinæ. Atque
1. *Cor.* 8. ita, vt in simili ait Apostolus 1. ad Corint. 8. v. 11. perit infirmus in eorum exemplo , propter quem Christus mortuus est.

Quæ confirmantur etiam auctoritate Sanctiss. Domini nostri Pauli V. qui consultus an liceret Anglis Catholicis eiusmodi edicto sui regis obedire , expressè definiuit id nullo modo licere , vt patet ex bulla ante aliquot annos ab eo super hac re edita.

60 Ex his patet Primò, in Anglia eos, qui vt edicto regis pareant templa hæreticorum adeunt, meritò tam à Catholicis quàm ab hæreticis censeri à fide, saltem ex parte & quoad apparentiam externam, defecisse, atque ita contra præceptum non negandi fidem suo externo facto peccasse.

61 An liceat precibus hæreticorũ interesse. Patet Secundò, omnino illicitum esse adire templa hæreticorum aut aliorum infidelium, dum alia sua officia siue preces celebrant, atque his ita interesse vt cum ijs in his exterius participes, v. c. simul cum ijs orando , aliaque saltem quoad externam apparentiam faciendo, quæ alij, qui verè cum iis in religione communicant, faciunt; quia hæc sunt verè externa signa communicationis cum ipsis in fide ; nam sunt vera externa communicatio cum ipsis in iis cæremonijs , quibus exterius suam fidem profitentur. Quod clarius adhuc patet, quando id fit iubente hæretico principe aut magistratu, vt patet ex dictis.

62 Secus est quando quis merè materialiter ijs interest, ita scilicet exterius se gerendo, vt apertè appareat eum cum alijs in ijs cæremonijs non communicare, vt si ea spectet sine vllo signo reuerentiæ, nec vllo modo eorum ritibus secũdùm aliorum laicorum morem se accommodando, sed planè omnino se habendo ac si spectaret aliquam comœdiam.

4. *Reg.* 5. Et hac ratione 4. Reg. 5. Naaman licitè vnà cum suo rege intererat sacrilegis sacrificijs, his nullam reuerentiam exhibendo, sed solùm regi suo debitum obsequium præstando. Eademque ratione famuli Catholici suos dominos hæreticos, & ancillæ suas dominas ad templa hæreticorum comitari possunt; quando id sine graui incommodo effugere non possunt; ita scilicet in his se gerendo, vt solùm dominis suis, non autem hæreticorum ritibus reuerentiam exhibere videantur. Ita Pesantius 2. 2. q. 3. art. 2. disp. 1. q. 3. & Sanchez in Præcepta l. 2. c. 4. n. 26. in medio. & Malderus 2. 2. q. 3. art. 2. membr. 3. Vbi etiam bene notat, licere Catholicis in locis hæreticorum habitantibus amicitiæ causa adire eorum conuiuia nuptialia, ijsque bene precari, etsi more hæretico contrahant, atque adeò interesse ipsi contractui. Et simili modo licitè comitantur eorum funera, similiaque amicitiæ officia ipsis in eiusmodi rebus præstant: modò hæc ita faciant, vt in cæremonijs & precibus cũ ijs non communicent , sed ea tamquam nihil ad se pertinentia, & quasi actionem profanam spectent. Docuit hæc olim pulchrè Tertullianus lib. de Idololattia cap. 16. & 17. vbi ait: *Circa officia verò* (quę scilicet Christiani Gentilibus exhibent) *communium solemnitatum, vt toga pura, vt sponsalium, vt nuptialium, vt nominalium, nullum putem periculum obseruari de statu idololatriæ, quæ interuenit. causæ enim sunt considerandæ, quibus præstatur officium*: id est, cùm res ad quas honorandas vocor, sint licitæ, eas mea præsentia honorando non pecco. Deinde paulò inferius sibi obijcit: *Sed hũ accommodantur sacrificia*, id est, in his solemnitatibus sacrificia adhibentur, quibus Christiani vocati debebunt interesse; & respondet, *Si in vocatu, nec in sacrificiis sit titulus officij, & operæ meæ expunctio, quid tum? si libet.* scilicet adire: id est, si meam operam ac officium solùm amicus exigat, & ego exhibeam, vt vocatus ad nuptias , aut similem solemnitatem hanc honorem, non autem vt sacrificijs communicem; nihil ad me spectat quòd ipsi sacrificent, si libeat mihi solemnitati officij causa interesse; subdit, *Vtinam quidem nec videre posſimus, quæ facere nobis nefas est. Sed quoniam ita malis circumdedit sæculum idololatria; licebit adesse in quibusdam, quæ nos homini, non idolo officiosos habent. Planè ad sacerdotium & sacrificium vocatus non ibo (proprium enim idoli officium est) sed neque consiliũ, neque sumptu, aliaue operæ eiusmodi fungar. Si propter sacrificium vocatus assistam, ero particeps idololatriæ; si me alia causa contingit sacrificanti, ero tantùm spectator sacrificij.* Deinde pergit docere, famulos posse suis dominis sacrificantibus assistere, & ciuilia exhibere ministeria; nullo tamen modo posse ipsi sacrificio vllam suam operam impendere. Quæ fusiùs citare volui, quia supradicta omnia non solùm auctoritate , sed etiam ratione pulchrè confirmant.

Qua ratione liceat famulis hæreticos dominos ad templa hæreticorum comitari.

Sanchez. *Pesantius.* *Malderus.*

Licitè Catholici adeunt conuiuia nuptialia hæreticorũ & funera comitantur.

Tertull.

63 Coram Ministris hæreticis illicitè contrahũtur matrimonia. Patet Tertiò, nullo modo licere Catholicis degentibus inter hæreticos, iuxta præceptum magistratus hæretici, contrahere matrimonia coram Ministris hæreticis; quantumuis priùs aut postea ritu Catholico coram sacerdote contrahant. Ita Malderus suprà. & probatur: quia cùm magistratus id præcipiat, vt contrahentes hac ratione agnoscant eum Ministrum

Malderus.

tan-

tamquam legitimum veræ Ecclesiæ Ministrum, & se alijs in ritu contrahendi matrimonia cõforment, hoc ipso quo Catholici magistratui hac in re obediunt, externo facto profitentur se ea facere, quæ magistratus intendit: quod patet repugnare professioni fidei. Secundò, quia illi contractus coram Ministris celebrantur cũ certis quibusdam ritibus hæreticis proprijs, in quibus contrahentes necessariò cum iis communicant, cùm circa ipsos, & eorum causa exhibeantur: quod, vt patet ex dictis, illicitum est.

Licitè contrahuntur, aut potiùs declarantur contracta coram magistratu hæretico.

Secùs est de iis, qui solùm coram magistratu ciuili contrahunt, aut testantur se contraxisse, modò etiam ritu Catholico priùs vel postea contrahant, quia illud solùm in finem politicum exigitur, vt scilicet publicè constet quinam sint coniuges.

64

Patet Quartò, responsio ad 4. difficultatem positam num. 32 dicendum enim est manducare idolothyta per se non esse malum, sed solùm quando est signum cultus ipsis idolis exhibiti, aut participationis ex sacrificiis illorum; vt si comedantur publicè in idolio siue in loco sacrificij, aut cum ijs qui testantur se ea comedere in honorem idoli, aut ad ita comedendum expresè vel tacitè inuitant. Patet ex auctoritate & explicatione Apostoli allata numer. 54. Ad auctoritatem D. Augustini, respondeo illum loqui de idolothytis positis in idolio, de quibus ex circumstantijs clarè constat esse idolothyta: quod nescio quî fieri possit, nisi adsint qui id asserant, cùm, vt ipse ibidem etiam argumentatur, fieri possit vt illi cibi eò ob aliam causam allati sint. Quare D. Augustinus loquitur in casu quo illa comestio sit signum participationis ipsius sacrificij, & honoris idolo exhibiti. Quia tamen fieri posset vt ille homo omninò solus ibi esset, atque ita illa comestio respectu nullius esset verè tale signum, ideo D. August. non dicit absolutè eam esse malam, sed eam meliùs Christiana virtute respui, quia scilicet facilè fieri posset vt alij occulti adessent, aut superuenirent, atq; esset periculum ne comestio illa alijs esset signum peruersi cultus.

Lorca.

Lorca autem suprà dicit Augustini responsionem esse nimis duram, sed facilè, vt iam ostendi, potest ita explicari vt dura non sit.

65

Vestibus idolorum sacrificijs destinatis illicitè vteris.

Conclvsio VII. Ob nullum periculum licet vti vestibus directè, & per se destinatis ad cultum falsum, quales sunt, quibus idololatræ inter sacrificandum ex instituto vtuntur. Quia ex communi hominum vsu & æstimatione illa gestatio est determinata ad significandum talem cultum. Et hæc est communis Doctorum sententia, vt patet ex Bañez 2.2.q.3.ar.2.dub.2. concluſ.4. Pesantio disp.1.q.5. Turrian. disp.35. dub.4. Sanchez de præcept. l.2.c.4.n.21.

Bañez. Pesant. Turrian. Sanchez.

Contrà verò omnes communiter fatentur, ex rationabili causa licere aliquando gestare vestes primi generis ex recensitis num. 24. quia cùm hæ nec directè, nec indirectè sint institutæ ad profitendam falsam fidem; nequeunt huius esse signum, nisi fortè ratione aliquarum circumstantiarum. vt si fortè in aliquo loco inter Turcas, vbi multi degunt Christiani, qui omnes vtuntur veste distincta à Turcica, aliquis notus antè Christianus sine vlla alia apparentia iustæ causæ publicè inciperet gestare habitum Turcicum; tali enim facto in ijs circumstantijs daret vulgò omnibus iustam causam suspicandi eum inclinare in turcismum, cùm non possent aliam causam excogitare, cur illud faceret.

Quando licitè aut illicitè vtaris vestibus Turcicis.

Conclvsio VIII. Ad vitandum graue periculum licitè quandoque vtimur vestibus secundi aut tertij generis ex recensitis num. 24. vt si infideles subitò inuaderent Christianos, aliquo loco inter eos, aut etiam alibi habitantes, ea intentione vt hos omnes interficerent: tunc enim posset quis similem vestem sibi assumere, vt hoc modo ab ijs non posset agnosci, atque ita eorum manus euaderet. Ita Azor tom. 1. libr. 8. Moral. c. 24. q. 4. Turrian. Pesant. Bañez concl. 2. & Sanchez nu. 19. citati nu. 65. cum multis alijs quos hic citat. 66

Azor. Turrian. Pesantius. Bañez. Sanchez.

Probant id aliqui Primò, quia cùm istæ vestes solùm ex instituto, aut consuetudine habeant vim significandi gestantem profiteri talem religionem, & natura sua habeant alium vsum, sunt ex se indifferentes ad hoc vel illud significandum; atque ita eorum gestatio non est necessariò signum falsæ religionis. Secùs autem aiunt esse in verbis, quæ cùm solùm sint inuenta ad significandum, sunt absolutè determinata ad rem certam significandam, v.c. in præsenti materia ad significandam professionem veræ aut falsæ fidei. Secundò, quia si illa gestatio esset professio falsæ fidei, infideles eas vestes gestantes hoc ipso peccarent, & consequenter illicitè hoc ipsis præciperetur. quod constat esse falsum; nam Romæ ipse Pontifex præcipit Iudæis vt gestent pileum flauum, quo tales esse cognoscantur.

Sed hæc vel nimiùm probant aut nihil: nam si primum aliquid probaret, probaret etiam licere tegere suam religionem vtendo verbis ambiguis, quæ nata sunt significare proferentem esse Turcam atque etiam aliquid aliud indifferens, idque etiam eo casu, quo audientes ea acciperent in priore sensu. quod num. 14. ex communi sententia ostendi esse falsum. Idem probaret secundum argumentum: nam princeps Christianus habens in suo exercitu diuersæ religionis homines vtentes omnes ijsdem vestibus, posset iustas ob causas, v.c. vt sciat qua ratione quibusque debeat fidere, omnibus præcipere, vt singuli palàm dicant quam sectam profiteantur, atque ita vt vnus dicat se esse Mahometanum, alter Iudæum, alter Lutheranum, &c. vnde secundùm illorum modum argumentandi, sic argumentor: Ille princeps licitè hoc illis præcipit, ergo illi non peccant dicendo se esse Mahometanos, Iudæos, &c. ergo etiam Catholicus vt vitet pericula, potest saltem cum restrictione mentali dicere se esse talem, ita vt id dicendo non peccaret contra confessionem fidei. 67

Vt igitur probemus conclusionem, recolenda sunt dicta suprà disp. 10. nu. 51. vbi ostendi eadem verba sæpè ratione diuersarum circumstantiarum alia atque alia significare. Quod multò 68

multò magis habet locũ in alijs signis, præsertim ijs, quę diuersum vsum habere possunt. Respondeo igitur, etsi gestatio talium vestium aliàs significet gestantem profiteri talem aut talem fidem: id tamen nullo modo in his circumstantijs significat, sed solam intentionem latendi. Hinc etsi in casu conclusionis, dum infidelibus omnibus videntibus quòd aliquis Christianus tali veste indutus paulatim se subduceret, siue inde discederet, possit contingere vt eorum nemini occurrat eum fortè esse Christianum, quia super hac re non reflectunt; tamen si suspicarentur eum fortè esse vnum ex Christianis, aut super hoc reflecterent, aut nullus aut vix vllus ex multis millibus ob illam vestem suspicaretur eum desijsse esse Christianum; sed cogitarent eum cupere ea ratione latere, & mortem effugere: secùs esset si coram ijs abnegaret fidem, aut diceret se iam esse, aut velle esse Turcam aut Iudæum; omnes enim tunc conciperent eum saltem timoris causa fidem suam negare. Ex quibus patet distinctio inter verba, & gestationem eiusmodi vestium, & consequenter responsio ad argumentum contrarium positum n.33. Nam in eiusmodi casibus verba immediatè inseruiunt ad dissimulandam propriam fidẽ aut alienam simulandam; vestes verò præcisè ad occultandam personam.

69 Vtrùm Turca iussus dicere cuius religionis sit peccet dicẽdo se esse Turcam.

Sed petes, qua ratione excusari possint à peccato illi infideles, qui in casu posito nu.67. principi, aut etiam alteri interroganti cuius sectæ sint, respondent se esse Turcas, Lutheranos. &c. Omnino enim videtur dicendum, eos non peccare id dicendo; nam aliàs nemo id illis licitè præciperet, eósue inuitaret vt dicerent cuius sectæ sint; nam illicitè vrgeo aliquem vt faciat id, quod facere licitè non potest.

Respondeo, eos eo facto non peccare, quia cùm ab ijs non petatur vt fidem suam profiteantur, eamque asserant, sed vt præcisè veritatem manifestam circa seipsos & statum suum faciãt: idque eodem omnino modo sicut si eam de statu siue fide alterius manifestarent si interrogarentur, cuius religionis hic sit; ipsi simpliciter respondendo se esse Iudæos, &c. non censentur id facere vt fidem suam profiteantur, aut hanc veram esse asserant, sed præcisè vt veritatem de se testentur, sicut eam de alio interroganti testarentur, quare etsi peccent eam fidem sectando, tamen posito quòd eam sectentur, non peccant illud præcisè ex dicta intentione dicendo, sicut non peccaret qui diceret se esse vsurarium.

70 An peccent Iudæi ferentes pileum flauum.

Simili modo Iudæi Romæ ferentes pileum flauum in eo non peccant, si id faciant præcisè vt obediant Pontifici: nam hic illud non præcipit vt ipsi ea gestatione suam fidem profiteantur, sed vt ij qui sunt istius fidei ab alijs distinguantur. Quamuis igitur Iudæi peccent tenendo falsam fidem, posito tamen quòd eam teneant non peccant gestando dicta intentione eum pileum.

71

Secùs esset si Christianus ita interroganti responderet se esse Iudæum, aut sine iusta causa illum pileum ferret vt putaretur esse Iudæus; quia cùm non posset id facere ob alium finem saltem quoad externam apparentiam, nisi vt crederetur esse Iudæus, illis verbis, eoúe facto significaret se esse talem, aut saltem se velle videri talem: atque ita quoad externam saltem apparentiam fidem negaret. quod est absolutè malum.

72

Conclvsio IX. Non est improbabile in casu in conclus. 8. expresso, alioúe omnino simili licere etiam vti vestibus quarti generis ex recensitis n.24. ita Azor tom.1. Moral.l.8.cap.27. q.4. in fine. & Sanchez l.2. de Præcept. c.4.nu. 20. & patet ex dictis, quia, vt iam ostendi, vsus illius rei in tali casu nequit esse signum professionis illius. *Azor. Sanchius.*

73

Bene tamen notat Sanchez ibidem iuncto n. 27. nulla ratione ob vlla pericula vitanda fore licitum ferre tale signum, siue vestem, quando princeps non solùm Mahometanis, sed omnibus suis subditis aut in regno suo degentibus, cuiuscumque fidei essent, præciperet talem vestem, aut tale signum ferre, ad testandum se esse cultores Mahometis. Ratio diuersitatis est, quia cùm in priore casu ille princeps præcipiens solis Turcis vsum talis vestis, nullo modo suo edicto præciperet vt Christiani suam fidem negarent, aut quid simile tali signo testarentur, nec etiam quisquam Christianus periclitaretur præcisè quia hoc non ferret; illud in dicto casu assumere non esset signum abnegationis fidei, sed desiderij latendi; secùs esset in secundo casu, quia quicumque viderent tunc aliquem Christianum hoc signum assumentem, statim crederent eum hoc facere, vt hac ratione regis voluntati satisfaceret, & ita mortem effugeret. vide dicta n.54. & 57.

74

Nota Secundò, non semper licere vti his vestibus quando licet vti vestibus 2. & 3. generis ex recensitis num.24. quia cùm vestes 2. & 3. generis non sint per se institutæ ad significandam directè professionem fidei; facilius possunt occurrere circumstantiæ, in quibus hanc non significent. Quare saltem ob Doctorum auctoritatem non est omnino improbabile cũ cui ob graues valdè causas necessariò esset trãseundum per terras infidelium, aut in ijs aliquãdiu commorandum, nec posset hoc tutò facere nisi assumptis eiusmodi vestibus, id licitè facere. hoc enim tenent quidam viri docti, & apertè insinuant Bañez & Sanchez supràcitati nu. 19. & 22. & quidam alij. Secùs tamen omninò est dicendum de vestibus quarti generis; & credo dictos auctores de his idem mecum sentire. Imò cum Maldero 2.2.q.3. a.2. membr.3. concl. 3. credo longè verius esse in eo casu esse illicitũ vti vestibus secundi generis, ex dictis n.24 quia hæ saltem secundariè institutæ sunt ad significandum directè cultum, siue professionem falsæ fidei. & quamuis ratione circumstantiarum hæc significatio omnino tollatur in casu proposito in conclus.8. aut similibus: secùs tamen videtur in casu præsenti, eiúe similibus. Nec refert quòd sæcularis in simili casu licitè vtatur vestibus veri Religiosi, quia ipse licitè cupit videri Religiosus, nemo tamen licitè cupit videri cultor falsæ religionis. Hinc etiam sæcularis ex iusta causa posset in vero sensu licitè vti verbis ambi- *Bañez. Sanchez. Malder.*

Quare potius liceat assumere vestes Religiosi Christiani quàm idololatræ.

ambiguis, quibus alij intelligerent eum significare se esse verè Religiosum, illicitè tamen ita significaret se esse sacerdotem idolorum.

75 Nota Tertiò, in his omnibus casibus cauendum esse scandalum; quod facilè accideret quando quis vteretur eiusmodi signis coram eis, qui ipsum norunt, & ignorantes causam ob quam id licitè faceret, putarent eum negasse fidem, eiusque auctoritate ad hanc negandam incitarentur, aut saltem ad eiusmodi signis illicito modo vtendum.

76 Conclvsio X. Quando princeps infidelis statuit vt Christiani in ipsius terris degentes gerant certum signum quo tales agnoscantur, siue id faciat ob finem politicum, siue ob aliũ, licitè ad vitandum graue periculum eiusmodi signi gestatio omittitur à Christianis, tam indigenis, quàm alijs quibus illac transeundum est. Ita Auctores citati pro concluſ.8. & patet ex dictis; quia ille princeps nullam habet potestatem præscribendi mihi certum modum, quo in tali casu tenear profiteri meam fidem, quare omissio illius signi in tali casu nullo modo est signum abnegationis fidei. Et confirmatur: quia aliàs posset ea ratione tyrannus statim deprehendere omnes Christianos in ipsius terris degentes, eosque occidere, & ita fidem penitus exstinguere. quod esset grauissimum incommodum.

Ad argumentum Caietani positum num.36. nego maiorem: nulla enim hîc est fidei interrogatio, ad quam fidelis teneatur respondere.

DVBIVM IV.

Quibus modis obliget præceptum affirmatiuum confessionis fidei?

77 NOta hoc præceptum dupliciter posse nos obligare. Primò per se, siue ratione ipsius fidei, quæ hîc & nunc confessionem sui externam postulat, ne ipsius honor detrimentum patiatur. Secundò, quasi per accidens ratione alicuius alterius virtutis. Ponemus autem hîc breuiter varios casus vtriusque huius obligationis, & sequenti dubio quasdam difficultates circa eas occurrentes examinabimus.

78 Quibus casibus fides per se nos obliget vt eam profiteamur.

Conclvsio I. Fides obligat ratione sui ad confessionem. Primò, quando quis recèns admittitur in Ecclesiam; cùm enim homines nequeant videre internam fidem, talis visibili Ecclesiæ constanti ex hominibus non modò interna fide, sed etiam externa eius confessione debet vniri. Deinde hæc vnio nequit fieri inter homines & humano modo nisi per externum aliquod signum: tale autem signum necessariò debet esse confessio fidei saltem implicita; imò ea ipsa petitio qua quis petit admitti ad Ecclesiam siue communionem fidelium est quædam implicita confessio fidei. nã hoc ipso quo ostendo me velle Ecclesiæ vniri, declaro me eius fidem credere, atque ita hanc exteriùs profiteor. Hinc baptismus à Trident. sess. 6. c. 7. dicitur Sacramentũ fidei, quia in eo fidẽ profitemur; vnde etiam Ecclesia semper iussit eos, qui ipsam adulti volũt ingredi, explicitè fidei articulos profiteri.

Trident. Baptismus Sacramentũ fidei.

Secundò, quando quis alios tenetur in fide instruere: hoc enim fieri nequit nisi ipse eã profiteatur. Quomodo enim potero persuadere vt hoc vel illud credas, nisi ostendam me id credere? 79

Tertiò, quando alicuius externa cõfessio est necessaria, vel valdè vtilis ad aliquorũ vel conuersionem ad fidem, vel in eadem vacillantium confirmationem. Quod maximè accidit quando quis est magna auctoritate apud aliquos infideles aut minùs firmos in fide, præsertim si hi aliàs crederentur fidem metu tormentorum, aut similem ob causam negaturi: talis autem tũc tenetur profiteri fidem non tantùm ratione caritatis, qua tenetur aliorum saluti consulere, sed etiam ratione virtutis fidei, cuius honor exigit vt eam non modò in nobis, sed etiam in alijs quãtum possumus promoueamus. sicut virtus v.c. castitatis, non modò obligat me, vt castè viuam, sed etiam vt quantum possum peccata luxuriæ in alijs impediam. Ex quo patet etsi alij teneantur ex præcepto negatiuo non negare fidem; tamẽ me ex præcepto affirmatiuo eo casu teneri ad confessionem fidei; quia hanc omittendo pecco, non per actum positiuum, sed per omissionem actus præcepti necessarij ad fidei conseruationem.

Fidei honor exigit vt eam etiam in alijs promoueamus.

Quartò, quando aliqui coram nobis fidem irrident aut blasphemant, tenemur eam profiteri, vel ostendendo palàm nos eam magnifacere, vel eos etiam reprehendendo, si sine periculo id facere possimus. Idque etiam locum habet, quamuis non speretur emendatio aliorum: quia per eam increparionem & fidei professionem eius honor ab alijs læsus aliquo modo restituitur; sicut si audiens alicui detrahentes, hunc laudarem, eosque mendacij arguerem, illi famam restituerem. Quòd si illi putentur emendandi, teneor etiam ad eam confessionem vt in ijs fidem conseruem iuxta tertium casum, aut etiam ex præcepto correptionis fraternæ. 80

Blasphemantes teneor corripere etiã sine spe emendationis, nisi timeã grauius malum.

Quintò, quandocumque non confitendo viderer moraliter negare fidem: sed tunc propriè obligor præcepto negatiuo.

Sextò, ad fidei confessionem iure positiuo ex præcepto Trident. sess. 24. cap. 12. de reform. & sess. 25. c. 2. de reform. tenẽtur Primò, prouisi de beneficijs, quibus animarum cura annexa est, adeoque omnes Episcopi, Pastores, & similes. Secundò, admissi ad canonicatus, aut dignitates in Ecclesijs cathedralibus: qui omnes tenẽtur coram personis ibi præscriptis ex certa formula professionem fidei facere. Tertiò, ex proprio motu Pij Quinti, qui incipit, *In sacrosancta*; Doctores, Magistri, Regentes, alijque siue clerici, siue laici, qui in publicis Academijs, Vniuersitatibus, aut alibi cuiusuis facultatis, lectoris, siue Professoris ordinariam aut extraordinariam cathedram obtinere aut retinere volunt, tenentur similiter fidem profiteri. quæ doctè explicat Sanchez l.2. de Præceptis c.5. 81

Trident. Beneficiati & quidã alij tenẽtur ad fidei professionem.

Sanchez.

Conclvsio II. Ratione aliarum virtutum confessio fidei obligat; Primò, ratione religionis, quotiescunque vel audiendo Sacrum, vel Sacramenta suscipiendo, vel Venerabilem Eucharistiam comitando, vel transeuntem honorando, 82

rando, vel alijs de causis tenemur Deo aliquem externum cultum exhibere. Quia hęc exhibitio est implicita quædam fidei confessio. Secundò, ratione caritatis, quando illa confessio est necessaria ad proximi instructionem, conuersionem, vel in fide & pietate confirmationem. quæ obligatio in Prælatis & Pastoribus oritur etiam ex virtute iustitiæ. Quanto autem cum periculo ad hæc obligemur, dicemus infrà.

DVBIVM V.

Quando obliget præceptum affirmatiuum confessionis fidei?

HÆc difficultas præcipuè proponitur, vt sciamus qua ratione obligemur tempore persecutionis, aut quando aliàs sumus in consortio hæreticorum, fidem confiteri; præsertim si nos de fide nostra interrogent; & quando sit peccatum tunc eam tacendo, aut simili ratione occultare.

83 Variis modis fidē occultare possumus. Vbi Nota Primò, nos varijs modis posse nostram fidem occultare. Primò, merè negatiuè, siue præcisè eam non confitendo; Secundò, nos ipsos occultando vt reperiri non possimus, aut aliò fugiendo; Tertiò, si interrogati taceamus; Quartò, si ambiguè vel aliàs nihil ad rem pertinentia respondeamus; Quintò, vtendo vestibus, aut alijs signis infidelitū. Sed de hac re satis egi dubio 3. quare omisso quinto modo de reliquis hîc agemus.

84 D. Thom. Nota Secundò, D. Thomam 2.2. quæst. 3. a. 2. docere, confessionem non esse semper necessariam, sed tunc quando per eius omissionem *subtraheretur honor debitus Deo, & etiam vtilitas proximis impendenda, puta si aliquis interrogatus de fide, taceret, & ex hoc crederetur, vel quòd non haberet fidem; vel quòd fides non esset vera; vel alij per eius taciturnitatem auerterentur à fide.* Vbi videtur assignare tres casus, in quibus interrogatus circa suam fidem tacendo peccaret. Primus, quando ideo alij putarent eum non habere fidem; Secundus, quando alij ideo putarent fidem non esse veram; Tertius, quando alij ideò à fide auerterentur: vt fieri posset quando ita interrogatus esset magna auctoritate, & alij crederent eum hoc facere, quia nequit fidem defendere, aut quia timet puniri propter eam, & ita redderentur aut dubij in fide, aut timidiores in eius confessione.

85 Sed hæc doctrina videtur habere aliquam difficultatem: Primò, quia primus casus non videtur verus: nam secluso omni alio incommodo, quòd aliqui credant me non esse Catholicum, non videtur tanti momenti, vt id cum graui meo periculo tenear euitare; aliàs enim numquam liceret dissimulare fidem, aut eius occultandæ causa inter infideles eorum habitu vti, quia inde accidit multos putare talem non esse fidelem; quod tamen dub. 3. ostendimus sæpè esse licitum.

86 Bañez. Bañez igitur ibidem dub. 1. concluſ. 3. & quidam alij docēt, doctrinam D. Thomæ intelligēdam esse, quando quis interrogatur à potestate publica, v.c. à principe, eiusue præfecto aut magistratu, etiamsi id aliàs secretò fiat: putantque nos tunc semper teneri apertè fidem confiteri. Quia tunc videtur honor fidei exigere vt eam confiteamur, & tacendo videmur eam erubescere contra prohibitionem Christi Lucæ 9. minantis se eos negaturum coram Patre suo, qui ipsum erubuerint confiteri coram hominibus. Et confirmatur, quia præceptum affirmatiuum confitendi fidem aliquando obligat; ergo maximè in dicto casu. Alij tamen volunt hoc solùm esse verum quando quis ita interrogatur publicè; quia quòd vnus aliquis, etiā princeps, putat me, præsertim priuatum hominē, non esse fidelem, non videtur tanti esse momenti, quia inde honor fidei parum aut nihil videtur minui; secùs aiunt esse quando multi id putant.

87 Non semper tenemur euitare ne alij, etiam principes, putent nos esse infideles. Sed hæc etiam responsio est difficilis: nam quòd etiam princeps cum omnibus suis putet aliquem priuatum hominem esse fidelem, aut infidelem, non videtur semper tantum promotioni siue honori fidei posse prodesse, aut obesse, vt ideò tenear cum periculo vitæ eam positiuè confiteri. Confirmatur, quia aliàs quoties aliquis sciret illos putare se esse infidelem, teneretur etiam non interrogatus suam fidem coram eis profiteri: atqui hoc est apertè falsum, & contra exemplum S. Sebastiani, & aliorum Christianorum, qui olim in aulis tyrannorum habitabant, & ab ijs, totaque eorum familia, imò communirer ab omnibus infidelibus putabantur esse cultores deorum; nec tamen ideò fidem suam coram ijs profitebantur, nec in hoc ab alijs vmquam reprehensi sunt. Maior autem probatur, quia si interrogatus vel ideò præcisè teneatur confiteri fidem, ne credatur infidelis, cùm tam credatur esse infidelis ante interrogationem quàm postea, eodem modo tenebitur eam confiteri priùs ac postea.

88 Ad argumentū Bañez, Respondeo esse alios casus in quibus præceptū cōfessionis fidei obligat (vt patet ex dictis dub. 4. & infrà ostēdemus) in quibus eam erubescere est contra præceptum Christi. quare ille locus Lucæ non conuincit præceptum confessionis fidei, per se loquendo, siue exclusis alijs incommodis, semper obligare quoties coram tyranno interrogamur.

89 Error Tertulliani & Montanistarum. Secunda difficultas est, vtrùm tempore persecutionis liceat fugere? Olim Tertullianus cum suis Montanistis, & quidam alij hæretici docebant, esse absolutè illicitum fugere tempore persecutionis. Sed omnes Catholici semper docuerunt communiter licere fugere tempore persecutionis, quamuis quibusdam personis id in quibusdam casibus sit illicitum, quos infrà explicabimus.

90 Tertia difficultas est, an, quando interrogatus à tyranno tacet, debeat censeri mortaliter siue interpretatiuè negasse fidem? Quidam hîc eodem modo distinguunt inter eum, qui à priuato interrogatur, & eum qui interrogatur publica auctoritate: & putant hunc censeri negare fidem si taceat; secùs tamen esse de priore.

91 Sed ego hac in re non possum videre discrimen; nam qui interroganti an Christianus sit siue

Nolēs interroganti an sit Christianus, respondere potiùs videtur confiteri fidem quàm negare.

(siue interrogans publica auctoritate fungatur, siue priuatus sit) respondet, Quid ad te? non dicam tibi; aut quid simile; vel etiam omnino tacet, non tam videtur illud negare, quàm interrogantis auctoritatem contemnere, & significare eum non habere ius talia interrogandi. Quare cùm hac ratione apertè significet se in rebus fidei non esse infideli magistratui subiectum, potiùs significat se non consentire cum eo in fide, quàm contrà. Item cùm sciat magistratum odisse christianismum, & se posse ei placere negando se esse Christianum, & contrà faciendo sine vllo temporali commodo incurrere illius indignationem, & periculum grauis mali; si verè non esset Christianus, nulla ei esset causa cur statim non negaret se esse talem: quare contrarium faciendo videtur apertè innuere se esse Christianum, aut saltem id nullo modo negare.

92 Conclvsio I. Non semper teneor tempore persecutionis confiteri fidem, aut me prodere tyrannis: imò teneor aliquando me non prodere. Est certa, & communis Catholicorum.

D.Thomas. Prior pars patet: quia, vt docet D.Thomas 2.2.quæst.3.art.2. cùm præceptum confessionis fidei sit affirmatiuum, non obligat pro semper, siue vt quouis tempore fidem profitear; sed solùm quando Deo aut fidei debitus honor, aut proximi vtilitas id exigunt, quæ id non exigunt quouis tempore, etiam in persecutione.

Valentia. Sanchius. Non quiuis Dei honor aut proximi vtilitas obligat me vt fidē profitear.

Vbi Nota cum Valentia 2.2.disput.1.quæst. 3.puncto 2.dub.1. & Sanchez de Præcep.libr.2. c.4.num.3. vt teneat ad confessionem fidei non sufficere quòd aliquis Dei honor, aut proximi vtilitas inde speretur (quia non teneor semper & quocumque modo illa promouere) sed requiri vt ea sint tanti momenti, vt ea hic & nunc cum tanto meo periculo teneat procurare: vt quando mea confessio est necessaria vt multi ad fidem conuertantur, aut in ea conseruentur.

93 An teneat conculcātes imagines reprehendere.

Vnde quod ait Sanchez suprà num.5. cum quibusdam alijs, Catholicum videntem infideles conculcantes imagines, aliisque iniurijs fidem afficientes, teneri eam sua confessione tueri, intelligendum est, quando ea ratione id poterit impedire, aut alios in fide confirmare, aut saltem quando sine graui periculo suo læsum fidei honorem aliqua ratione poterit reparare. iuxta dicta numer.80. secùs autem est, quando nihil horum speratur: quia tunc sine profectu se periculis exponeret.

94 *Pesantius.* Addit Pesantius 2.2.quæst.3. art.2.d.1. concluſ.2.§.*Dixi initio*, Pastorem tempore persecutionis non posse latere, sed teneri publicè fidem profiteri etiam cum vitæ periculo, quia aliàs oriretur scandalum. Idemque docet de viro priuato, quando hic solus in aliqua vrbe esset doctus. Sed hoc, vt sonat, verum non est; quia talis potiùs tenetur se occultare, vt secretò possit alios in fide instruere & confirmare; vt mox dicam; nec inde vllum potest oriri iustum scandalum, sed magna vtilitas.

95 Secunda pars probatur Primò, quia cùm non possim me prodere fidem publicè confitendo, nisi cum graui vitæ periculo, non possum id facere, nisi inde notabilis proximi spiritualis vtilitas, aut Dei honor sperentur; aliàs enim vitam prodigerem, quam tamen teneor conseruare. Item mea interfectio fieret cum graui proximi scelere ac iniuria in fidem ac Deum, quæ nisi ingenti aliunde emolumento compensentur, teneor prout commodè possum vitare: atqui sæpè accidere potest, vt ex mea confessione nulla aliorum vtilitas, & exiguus aliàs Dei honor speretur, vt si sim inter aliquot nebulones, aut etiam in ditione alicuius tyranni, qui intelligentes me fidem confitentem statim clàm interficerent: ergo vt dicta incommoda vitem, teneor tunc quantum commodè possum, fidem meam licitis modis occultare.

Cur peccet temere fidem coram tyranno confitens.

Casus quibus quis tenetur suam fidem occultare, etsi interior sit.

Secundò, quia fieri potest quòd manendo 96
in vita longè magis fidem, Dei cultum, aliorúmque salutem sim promoturus, quàm si pro eius confessione morerer. Imò fieri potest, vt mea vita necessaria sit ad aliorum salutem, vt si in aliqua vrbe sim vnicus sacerdos, aut talis ad quem solum alij in suis difficultatibus possint recurrere; aut si ratione status & officij mei, quod licitè administro, possim multa mala, quæ aliàs Catholicis inferrentur, impedire; quibus solatijs mea confessione, & morte inde sequente eos priuarem: tunc enim ipse honor fidei, & caritas proximi obligant me vt quantum licitè possum, vitam conseruem, ideoque fidem meam aut etiam meipsum occultem.

Tertiò, quia sæpè potest esse probabile pe- 97
riculum, fore vt mea publica confessione sponte oblata grauiter tyrannus iritetur, & atrociùs in Catholicos desæuiat: & sic per eam essem alijs causa grauis mali, & multis fortasse etiam lapsus, siue negationis fidei; quæ sine dubio vitare teneor. Et in his casibus valet illud Christi Matth.7. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conuersi disrumpant vos.* Matth.7.

Quintò, quia sæpè meritò etiam possum timere de mea inconstantia, ne fortè tormentis, eorumúe metu victus fidem negem; & ideo tunc tenebor me non temerè periculis obijcere.

Conclvsio II. Per se loquendo, & si aliud 98
notabile incommodum inde non sequatur, licitum est tempore persecutionis fugere, aut alia ratione se occultare. Est communis Doctorum imò totius Ecclesiæ sensus.

Probatur clarè ex Scripturis. Primò, Matth. Matth.10.
10. dicitur, *Cùm autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Quod non solùm de Apostolis intelligendum est, vt vult Tertullian. sed etiam de omnibus fidelibus: nam antecedentia & consequentia illius loci non minùs in alios fideles, quàm in Apostolos conueniunt; imò quædam in alios fideles optimè, nullo tamen modo in Apostolos conuenire possunt. vt quod immediatè antè dicitur: *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient.* quæ nullo modo Apostolis conueniunt.

Pro-

99 Probatur Secundo, exemplo omnium Sanctorum, tam antiqui, quàm noui testamenti. Nam 3.Reg.18.centũ Prophetæ fugientes sæuiente Iezabel latuerunt apud Abdiam. & c.19. ipse Elias eiusdem tyrannidem fugit. Item 2.ad Corinth.11. S. Paulus ne Damasci comprehenderetur, in sporta noctu per murum dimissus captiuitatem effugit. Item Actor.12. S.Petrus iam captus ab Herode diuinitus liberatus eius manus effugit. Imò ipse Christus, qui tamẽ virtute sua poterat omnem sæuientium vim comprimere, vt nobis daret exemplum, maluit eam fugiendo declinare. Sic Marth.2.v.14. fugit in Ægyptum, & c.4.v.12. audiens mortem Iohannis secedit in Galilæam. & Iohan.8.v.vltimo, fugiens Iudæos volentes eum lapidare se abscondit; & c.10.v.40. abit trans Iordanem; & c.11. v. 54. quia Iudæi quærebant eum interficere, *Iam non in palam ambulabat apud Iudæos, sed abijt in regionem iuxta desertum in ciuitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis.*

3.Reg.18. & 19. 2.Cor.11. Act.12. Matth.2. & 4. Iohan.8. Iohan.10. & 11.

100 Probatur Tertiò, ratione: quia fugiens persecutionem nullo modo negat fidem, sed tãtùm eam expresè non confitetur, ad quod nõ semper tenetur. imò implicitè quodammodo ipso suo facto eam confitetur, dum ostendit sibi eam esse tanti, vt malit patriam deserere, quàm eam negare.

Fugiens persecutionẽ implicitè fidẽ confitetur.

101 Ex quibus patet, tempore persecutionis fugam sæpè non solùm esse licitam, sed etiam aliquando præceptam, vt quando vita nostra est necessaria ad proximorum & Ecclesiæ vtilitatẽ, quam etiam absentes procurare possumus. Aut quando ex mea mansione meritò timeatur tyrannus exacerbandus, & grauiorem persecutionem excitaturus, aut etiam quando timeo ne tormentis victus fidem abnegem.

Fuga aliquãdo præcepta.

102 Et hæc quidem satis clara sunt in priuatis hominibus, quorum præsentia ad aliorum salutem non est ita necessaria. Sed tota difficultas est in Episcopis, Pastoribus, alijsque similibus, qui ex officio tenentur suarum ouium saluti prospicere, easq; in periculis non deserere. Et quæri potest vtrùm etiam his tempore persecutionis fugere liceat. Hanc autem difficultatem pulchrè tractat D. Augustinus epist.180. ex qua ponam duas sequentes conclusiones.

Augustin.

103 Conclvsio III. Quandoque etiam ipsis Episcopis alijsque Pastoribus licitum est fugere tempore persecutionis. Primò, quando tyrannus ipsos solos persequitur, & reliquos sacerdotes ac plebem permittit pacificè sua agere; vt contigit tempore Athanasij. Ratio est, quia tunc sine notabili incommodo fugere possunt, idque sæpè expedit ne sua præsentia tyrannum grauiùs exacerbent. Secundò, quando eorum vita est valdè necessaria Ecclesiæ Dei, cui multùm possunt prodesse, aut quando aliæ rationabiles causæ fugam suadent; & absentes per alios, qui parati sunt manere, possunt sufficienter plebi suæ prospicere. Tunc enim etiam in generali totius cleri & plebis persecutione possunt, atque etiam quandoque tenentur fugere. Ita D. Augustinus suprà, & patet ex locis suprà ex Scriptura citatis, quæ loquuntur de Prælatis & Pastoribus; atque adeò Apostoli, & ipse Chri-

Quandoque etiam Pastores licitè fugiunt.

Augustin.

stus Prælati & Pastores erant, & tamen in similibus casibus fugerunt.

104 Conclvsio IV. Tam Episcopus, quàm quiuis alius, cui incumbit aliorum salutem procurare, illicitè fugit, quando eius præsentia est necessaria saluti subditorum, vt si hi eo fugiente omni Pastore, aut alio qui vicem eius ageret, essent destituendi; vt fieret quando talis solus ibi esset sacerdos, aut alij sacerdotes essent insufficientes vt sine eo munia omnia pastoralia obire possent, aut eius exemplo essent etiam fugituri: aut etiam quando magnum scandalum aut turbatio ex eius fuga timeretur. Probatur ex Scriptura, quæ Iohan.10.v.11. & 12. docet in similibus casibus boni pastoris esse ponere animam suam pro ouibus, & fugientes vocat mercenarios. Et S.Iohannes epist.1.cap.3. ait nos debere animam nostram ponere pro fratribus, quia Christus suam pro nobis posuit.

Quando non liceat Pastoribus fugere.

Iohan.10.

1 Iohan.3.

Probatur Secundò ratione, quia tantam fidei iacturam quæ ex aliorum à fide defectione sequeretur, tenetur quisque fidelis etiam propria morte auertere, quia in eo consistit ingens Dei honor, quem caritas Dei præcipit nos vitæ propriæ præponere.

Item quia ex caritate erga proximum tenemur huius salutem spiritualem in tanta, & præsertim communi necessitate, propriæ vitæ præponere; vt docet locus citatus ex epistola S.Iohannis. Quod maximè locum habet in Pastore, à quo oues desertæ omnium luporum morsibus patent, atque ita in summa necessitate constituuntur. Quare Pastores etiam ratione officij tenentur ex iustitia suos in tali casu non deserere, sicut nauclerus in periculo naufragij, quamdiu est vlla spes quòd poterit suis vectoribus esse auxilio, tenetur ex iustitia eos non deserere. Quæ pulchrè docet Nicolaus Papa relatus cap. *Sciscitaris*, q.1. & D. Augustinus epist.180. suprà citata.

105

c. Sciscitaris. Augustin.

106 Vbi cum eo Nota Primò, quãdo non est omnino clarum vtrùm expediat, an verò illicitum sit, Episcopum, aliumue Pastorem hîc & nunc fugere persecutionem, optimum esse vt hac in re non suo, sed aliorum regatur arbitrio, quia sic erit minus periculi ne proprio amore decipiatur, & minor longè erit occasio scandali, si sciatur illum ex se paratum remanere, aliorum suasu discedere.

Quæ regulæ seruandæ sint quando dubitatur an aliquis debeat fugere.

Secundò, quando inter diuersos sacerdotes (quos omnino expediret partim manere, ne plebs destituatur; & partim etiam discedere, ne fortè totus Clerus simul comprehendatur & occidatur) oriretur dubium qui deberent discedere, qui manere, nec posset hoc communi consilio satis definiri, id sorte finiendum esse.

Tertiò, quando Pastor potest inter suos subditos occultè latere, eum non posse fugere, quia tunc potest sine periculo suis auxilio esse: atque ita non est causa cur eos deserat. Ita autem latere semper ei licet, quoties aliàs ei immineat periculum, quia hac ratione suos non deserit.

107

His adde Quartò, quando alterius non Pastoris, præsentia simili modo esset saluti aliorum

Quandoque etiam non Pastor tenetur cum periculo vitæ non fugere.

necessaria, ita vt eo absente multi grauibus periculis atque incommodis spiritualibus essent exponendi, præsertim si essent omni Sacramentorum vsu priuandi, eum etiam cum periculo vitæ teneri non fugere; quia etiam eum honor fidei, & caritas Dei ac proximi in tali casu obligant animam suam pro fratribus ponere, vt probant argumenta ex ratione, & ex epistola S. Iohannis suprà allata.

108 Illicitè ita respondes vt videaris negasse fidem.

CONCLVSIO V. Interrogatus de fide siue auctoritate publica, siue priuata nullo modo licitè potest vtendo restrictione mentali aut verbis ambiguis ita respondere, vt præsentibus videatur fidem negasse. Patet ex dictis suprà dub. 2. concluſ. 3.

Dices, Tyrannus non habet ius me interrogandi de fide; ergo non teneor illi clarè respondere. Respondeo, hinc solùm probari me non teneri ei respondere: non autem me posse ita ei respondere, vt videar negare fidem; quia reuerentia Deo ac fidei debita me obligat vt omnem eius etiam apparentem negationem vitem; vt loco citato satis probaui.

109 *Lorca.*

CONCLVSIO VI. Interrogatus an sit Christianus, siue publica siue priuata auctoritate id fiat, per se loquendo, non tenetur respondere, quoties interrogans non habet ius eum hac de re interrogandi; vt communiter fit, quando infideles Christianos talia interrogant. Ita Lorca 2. 2. disput. 24. numer. 21. & 22. & alij, & patet ex dictis numero 85. & 87. Et confirmatur: quia si ita interrogatus posset fugiendo euitare responsionem, id licitè faceret; quare etiam non poterit manens coram tyranno responsionem declinare, si aliud malum non sequatur?

110

CONCLVSIO VII. Communiter tamen per accidens ita interrogatus auctoritate publica tenetur respondere, & fidem confiteri. Quia taciturnitas nullo modo ei prodesset, quia cùm interrogans possit tunc eum tormentis compellere ad respondendum, nullo modo erit ipsius taciturnitate contentus; imò tamquam contemptus, per eam magis exacerbabitur, atque ita grauiùs in illum desæuiet, præsertim si duriùs respondeat, dicendo, Non dicam, aut, quid ad te? atque ita sic respondens maiores turbas concitabit, & incommoda sibi aut etiam alijs accerset, animum tyranni in omnes fideles tamquam ipsius contemptores concitando; quæ quisque fidelis tenetur vitare. & sic intellecta multorum sententia dicentium interrogatum publicè de fide teneri eam confiteri, est vera.

111 Taciturnitas non est signũ negationis, nisi aliquando per accidens. *Lorca.*

CONCLVSIO VIII. Interrogatum etiam publica auctoritate, an sit Christianus, tacere, non est signum eum fidem negare. Ita Lorca suprà, & patet ex dictis numer. 91. Quandoque tamen ratione circumstantiarum eiusmodi taciturnitas est tale signum, & consequenter peccatum contra præceptum negatiuum confessionis fidei. Et sic intellige D. Thomam citatum num. 84. quia tunc propriè alicuius taciturnitas est causa cur putetur non habere fidem, aut fidem non esse veram, quando ille tacendo interpretatiuè censetur negare se esse Christianum, aut fidem Christianam esse veram. & sic eius doctrina clara est. *D. Thom.*

112 Quando ho- mes censetur negare fidem.

Censetur autem eiusmodi taciturnitas esse tacita fidei negatio, Primò, quando multi simul interrogantur an sint Christiani, & alijs multis id negantibus, aut dicentibus se paratos negare fidem pauci aliquot inter eos tacent, quo facto videntur tacitè eorum responsionem approbare, & tamquam suam acceptare. Secundò, quando festinanter multi rogantur an parati sint negare fidem, & quibusdam id negantibus, aliisque annuentibus, aliqui tacent, atque ita inter eos qui sunt parati negare in catalogum referuntur. Tertiò, quando iudici interroganti an sis paratus negare veram fidem, aut falsam suscipere, alius pro te tacente respondet te paratum esse, nec contradicis; hoc enim videtur fuisse olim crimen libellaticorum quorumdam, qui per se non negabant fidem, sed solùm permittebant vt alij pro ijs testarentur ipsos negasse fidem, vt nu. 117. & 118. ostendam. Imò hoc etiam inter priuatos factum posset habere rationem tacitæ negationis fidei, præsertim si nullum signum indignationis ostendas. Idem in alijs similibus casibus potest contingere, qui vna generali regula comprehendi non possunt, sed prudenti iudicio ex circumstantijs spectandi sunt.

113 Licitè dat tyranno pecuniam ne cogatis profiteri falsam religionem. *Baron.*

Notandum est demum, semper fuisse licitum tempore persecutionis data pecunia à Præsidibus impetrare ne quis ad sacrificandum, aut fidem negandam compellatur, vt contra Tertullianum hoc in Catholicis reprehendentem bene probat Baronius anno 205. num. 17. Et simili ratione licitum esset precibus, aut alia ratione eiusmodi abnegationem etiam coram publico magistratu à se amoliri; & consequenter interrogatus à magistratibus infidelibus circa res fidei, potest eos rogare ne cogant eum ad talia respondere, modò id ita faciat vt nullo modo innuat se de fidei veritate dubitare; hoc enim non est negare fidem, sed potiùs eam tacitè confiteri: ita enim agens apertè insinuat se credere fidem nostram esse veram; id tamen ne magistratuum iram in se concitet non libenter publicè confiteri, ad quod non semper tenemur.

114 Quandoque per accidens illicitè deprecaris ne cogaris fidē profiteri.

Quandoque tamen propter scandalum, aut periculum assistentium id posset esse illicitum. vt si multi interrogarentur circa fidem, alijs quidem eminus spectantibus, non tamen quid diceretur audientibus, & quicumque eam non negarent conijcerentur in carceres; tunc tali deprecatione dimissus putaretur ab omnibus negasse fidem: atque ita eiusmodi eius modus agendi esset alijs pro signo negationis. quod ille teneretur euitare; quia etli sæpè licitè nos ita geramus vt alij nequeant cognoscere an simus fideles nec ne; tamen interrogati de fide non possumus ita respondere, vt alijs communiter videamur eam negasse. Item quando interrogatus esset magna apud alios auctoritate, atque ita alij videntes eum non confitentem expressè & constanter, sed deprecarine circa fidem interrogetur, multi redderentur timidiores, cum præsenti periculo negandi; tunc horum

rum salus etiam cum periculo vitæ è periculis in quibus aliàs constitueretur, publica & constanti confessione eruenda esset.

115 Vt autem dicta meliùs intelligantur & confirmentur, definiendum nobis est breuiter, quinam olim dicti sint libellatici. Quidam igitur apud Baron. anno 253. numer. 20. putarunt eos dictos fuisse libellaticos, qui pecuniam dabant magistratibus ne compellerentur sacrificare aut fidem negare. Quos ipse meritò ibi refutat; quia illud semper fuit in Ecclesia existimatum esse licitum: libellatici verò semper fuerunt accusati tamquam rei grauis criminis.

Baron. Quinam dicti sint libellatici.

116 Ipse verò ibidem num. 21. docet, libellaticos dictos eos, qui gerentes magistratum secretò per se vel alios adeuntes dicebant se Christum negare; & interim data pecunia impetrabant ne publicè cogerentur negare fidem. & dato à magistratu libello ab vlteriore vexatione reddebantur immunes. Probat suam sententiam Primò, ex epistola Cleri Romani ad Cyprianũ, quæ est 31. inter huius epistolas; vbi dicitur: *Sententiam nostram dilucida expositione protulimus aduersus eos, qui seipsos infideles illicita nefariorum libellorum professione prodiderant, quasi cuiusuis irretientes illos diaboli laqueos viderentur, quo non minùs quàm si ad nefarias aras accessissent, hoc ipso quo ipsum contestati fuerant* (scilicet se accessisse ad aras, ad hoc enim hæc verba necessariò referenda sunt) *tenerentur: sed etiam aduersus illos, qui acta fecissent* (id est qui curarant sibi à magistratu dari libellum, quo tamquam actu aliquo publico ille testaretur ipsos sacrificasse) *licet præsentes cùm fierent non essent, cùm præsentiam suam vtique vt sic scriberentur mandando fecissent*, &c. Secundò, ex libro Cypriani de Lapsis, vbi paulò post medium ait, *Nec sibi quo minùs agant pœnitentiam blandiantur, qui etsi nefandis sacrificiis manus non polluerunt, libellis tamen conscientiam prostituerunt. Et illa professio denegantis* (scilicet fidem) *contestatio est Christiani quod fuerat abnuentis. Feciße se dixit, quod alius faciendo commisit.*

Cyprian.

Cyprian.

117 Contra verò Malderus 2.2. quæst. 3. artic. 2. membro 2. docet illos numquam negasse fidem, sed tantùm impetrasse libellos quibus magistratus testaretur ipsos sacrificasse.

Malder.

Probat ex epistola Cypriani 52. ad Antonianum, vbi libellaticum ita loquentem facit: *Ad magistratum veni, vel alio eunte mandaui Christianum me esse, sacrificare mihi non licere, ad aras diaboli me venire non posse, dare me ob hoc præmium, ne quod non licet faciam.* Item ex epistola Cleri Romani ad Cyprianum suprà citata, vbi dicitur, *Qui vult videri propositis aduersus Euangelium vel edictis vel legibus satis feciße, hoc ipso iam paruit, quòd videri paruiße se voluit.*

Sed dicendum est vtriusque sententiam in diuersis fuisse veram; nam loca quæ superiùs attuli, pro Baronio satis innuunt, quosdam aliquando negasse verè fidem, saltem per alios: hoc enim apertè innuunt illa verba Cleri Romani ad Cyprianum: *Hoc ipso quo ipsum contestati fuerant*; vt suprà exposui. Item illa Cypriani ex libro de Lapsis; *Et illa professio denegantis*, &c. *Et feciße se dixit, quod alius faciendo commisit.*

118

Contrà verò, aliquos nullo modo verè negasse fidem, sed solùm accepisse libellum, quo magistratus testabatur eos illud fecisse, probant loca quæ Malderus pro se adfert: præsertim cùm ille libellaticus apud Cyprianum expresè testetur paulò ante verba suprà citata, & etiam paulò post, se omninò putasse, in eo suo facto nihil illicitum à se committi. quod nulla veritatis apparentia aut putare aut dicere potuisset, si verè coram magistratu, quantumuis aliàs secretò, Christum negasset: nimis enim compertum semper omnibus Catholicis fuit hoc esse illicitum.

Deinde hanc distinctionem apertè innuit prior locus ex epistola Cleri Romani suprà allatus, qui apertè distinguit duplicis generis libellaticos, & priores dicit testatos fuisse se sacrificasse, ideoque ait eos non minùs peccasse, quàm si id reipsa feciσsent. Alios verò ait solùm acta feciσse, aut fieri mandasse. Acta autem vocant librum in quem referebantur ea, quæ in iudicio coram magistratibus fuerant acta: dicebantur autem illi facere, aut mandare fieri acta, qui magistratum pecunia corruptum inducebant, vt eiusmodi libellum conscriberet, in quo ipsi dicerentur coram magistratu vocati sacrificasse, ac Imperatorum mandatis paruisse, cùm tamen nihil horum fuisset factum. Imò ipsi magistratus vt pecuniam acciperent videntur aliquando alijs eiusmodi libellos sponte obtuliσse, eosque vt eos peterent inuitasse; vt apertè innuit ille libellaticus apud Cyprianum epist. 52. vbi reddens causam cur acceperit libellum ait: *Cùm occasio libelli fuisset oblata* (scilicet à magistratu) *quem nec ipsum acciperem nisi ostensa fuisset occasio.*

119

Cyprian. Qui dicantur feciσse acta.

Cyprian.

DISPVTATIO XVI.

De virtute siue habitu fidei.

HAc de re multa dixi disput.6.vbi egi de habitibus supernaturalibus in genere, & consequenter etiam de hoc habitu, quatenus cum alijs in ratione habitus conuenit. Item disput.13.art.6.concl.6.ostendi fidem requirere particularem habitum in voluntate. Quare hîc solùm tractabimus ea, quæ habitui fidei, quo ipse assensus fidei elicitur, particularia sunt.

DVBIVM I.

Vtrùm habitus fidei sit in intellectu vt in subiecto?

1 *D.Thomas.* DIuus Thomas 2.2.q.4.art.2. docet, habitum fidei, quo ipse assensus fidei elicitur, esse in intellectu, vt in subiecto; requirere tamen alium habitum in voluntate, quo elicitur ille actus voluntatis, à quo assensus fidei imperatur. Quamuis autem circa secundum hunc habitum aliqua sit inter Theologos difficultas, de qua satis egi disput.13.dub.6. tamen de priore nullum inter Catholicos est dubium. Solùm est aliqua difficultas cum nostris hæreticis, qui cùm fidem, quæ est initium salutis, velint consistere, non in aliquo assensu intellectus, sed in quadam fiducia, quæ est actus voluntatis; docent, virtutem fidei esse in voluntate, non autem in intellectu. Probant autem ex illo ad Roman.10. *Corde creditur ad iustitiam.* *Rom.10. Caluinus.* quæ verba Caluinus explicans, docet fidei sedem non in cerebro esse, sed in corde: & nomen cordis eo loco pro serio & sincero affectu sumi.

2 Sed omissis ijs, quæ dixi disput.14.dubio 13. concluſ.2.& 3. vbi eorum particularem illam fidem ac fiduciam fusè refutaui, hæc opinio vel ex hoc ipso Apostoli loco falsa conuincitur: reddit enim ibi rationem eorum, quæ versu præcedente dixerat. vbi ait: *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum Christum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris: corde enim,* &c. Vbi apertè docet, fidem illam qua corde creditur ad iustitiam, esse eam, qua credimus Christum resurrexisse à mortuis; quod patet fieri, non per affectum voluntatis, sed per assensum intellectus. *Cur dicamur corde credere.* Dicit itaque Apostolus, nos corde credere; quia fides inuoluit necessariò actum voluntatis, quo imperatur actus intellectus, & omnis fidei libertas, & consequenter meritum ab actu voluntatis prouenit, vt ostendi disput.13. dub.4.

DVBIVM II.

Vtrùm habitus fidei sit vnus & simplex, simul practicus, & speculatiuus?

NOta, satis constare, posito quòd detur aliquis particularis habitus in voluntate, necessariò concedendum esse duplicem fidei habitum, vnum in intellectu, & alium in voluntate: sed hîc solùm quærimus, an habitus fidei qui ponitur in intellectu sit vnicus & simplex, an verò multiplex ac compositus: hunc enim habitum non posse consistere in simplici aliqua qualitate, videtur probari 3

Primò, quia alij habitus intellectuales non consistunt in simplici habitu; multi enim, quos citat & sequitur Hurtado tractatu de Anima, disput.16. sect.2. docent habitum scientiæ nihil esse aliud, quàm varias species, quæ certo ordine res cognoscibiles ita repræsentant, vt intellectus clarè earum inter se connexionem videat. Quod videtur etiam posse probari, quia omnis difficultas quam habemus in rebus cognoscendis, videtur inde orini, quòd non possimus eas sufficienter apprehendere, atque ita clarè intellectui proponere, vt earum natura ac inter se connexio ei clarè appareat. Hinc statim atque hæc ei ab aliquo clarè proponuntur ea intelligit. Quod clara experientia videtur posse probari. nam quædam res minùs apertè siue clarè nobis propositæ videntur omnino incredibiles; quas tamen postea per aliquam claram demonstrationem nobis apertè propositas clarissimè cognoscimus. quod maximè apparet in demonstrationibus mathematicis circa figurarum proportiones. Quæ cognitio tamdiu manet, quamdiu manet viua apprehensio illius demonstrationis, qua res cognita nobis fuit clarè proposita, eaque deficiente statim etiam deficit cognitio. Confirmatur, quia intellectus in se bene dispositus non est minùs proportionatus ad cognoscẽdum suum obiectum clarè sibi propositum, quàm oculus ad cognoscendum suum obiectum: atqui oculus bene dispositus vt perfectè videat suum obiectũ, solùm indiget clara ipsius propositione siue speciebus id sibi clarè proponentibus: ergo similiter intellectus bene naturaliter dispositus ad cognoscendum suum obiectum solis indiget speciebus, quibus illud sibi clarè proponatur. 4 *Hurtado.* *Anscientiæ ordo ipsarum.* *Difficultas intelligendi nascitur ex defectu clarę apprehensionis obiecti.*

Probatur Secundò, quia etsi concedamus habitus scientificos ac similes secundùm se esse simplices qualitates distinctas à speciebus, quod fusè probat Vasquez 1.2. disp.78.c.2. tamen per se non sufficiunt ad intelligendum, sed necessariò requirunt species sibi proportionatas, quibus obiectum intellectui proponatur: ergo similiter actus fidei, cùm sit in substantia 5 *Vasquez.*

super-

supernaturalis, præter habitum requiret species sibi proportionatas, & in substantia supernaturales.

6 Tertiò, quia omnis cognitio imprimit intellectui aut memoriæ aliquam speciem rei cognitæ quasi quoddam sui vestigium, quæ postea ad eiusdem rei cognitionem repetendã iuuat: ergo similem speciem imprimet assensus fidei, & quidem supernaturalem in substantia: nam cùm ipse sit supernaturalis in substantia, species in substantia naturalis nequit ei esse proportionata, & consequenter nec verum ipsius vestigium. Vnde vlteriùs sequitur, eos saltem, qui sæpiùs actus fidei elicuerunt, habere duplicem habitum supernaturalem, ad assensum fidei concurrentem.

7 Quartò, quia præter habitum fidei videtur nobis infundi aliquod lumen; Scriptura enim sæpè testatur credentibus aliquod lumen infundi. nam 2. ad Corint. 4 dicitur, *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ.* Et 1. Petri 2. dicitur, *Qui vos vocauit de tenebris in admirabile lumen suum*: atqui ipse habitus fidei nequit dici lumẽ, cùm non adferat claritatem, sed inclinet ad actum obscurum: ergo debet nobis infundi aliud lumen.

2. Cor. 4.

1. Petr 2.

8 Quintò, quia fide non solùm credimus obiecta speculatiua, sed etiam practica: ergo debet habere duplicem habitum; quia cognitio practica & speculatiua, essentialiter inter se tamquam diuersæ species distinguuntur, & cõsequenter nequeunt elici ab eodem habitu.

9 Sextò, quia habitus scientifici, alijque similes non solùm admittunt quandam quasi compositionem, quatenus per diuersos gradus, siue homogenios, siue heterogenios inter se vnitos intenduntur: sed etiam quatenus simili quodam modo ad diuersa obiecta extenduntur per simile sui augmentum, vt fusè probat Vasquez 1. 2. disp. 80. cap. 3. ergo simile augmentum erit admittendum in habitu fidei, & consequenter quædam compositio. Ob hæc argumenta variæ sunt circa hanc difficultatem sententiæ.

Habitus scientifici duplici modo augentur, & quasi ex partibus componuntur. *Vasquez.*

10 Primò, igitur quidam apud Turrian. 2. 2. disp. 38. cap. 5. præter habitum fidei putant nobis infundi species supernaturales. Alij verò ibidem putant saltem per actus fidei tales species in nobis gigni. Alij verò putant nobis præter eas species & habitum fidei infundi quoddam lumen supernaturale.

Turrian.

11 Secundò, quidam apud Durandum qu. 5. in prologum videntur sentire fidẽ solùm esse speculatiuam, nam sentiunt Theologiã solùm esse speculatiuam. Antiquiores autem communiter sub Theologia simul comprehendunt fidem. Ipse verò ibidem sentit, Theologiam, qua credimus articulos fidei (quæ sine dubio est ipsa fides) esse absolutè practicam, quia putat ipsius præcipuum subiectum attributionis esse actum meritorium. quod fundamẽtum refutaui disp. 9. dub. 1. Idem sentit Scotus qu. 4. in prolog. §. *Ad quæstionem.* Probat, quia omnis cognitio mouẽs affectum voluntatis est practica: atqui fides etiam quatenus per eam credimus ea, quæ nobis de Deo, eiusque natura reuelata sunt, mouet affectum voluntatis, quia incitat nos ad Deum amandum ac colendum: ergo etiam qua talis est practica.

Durand.

Antiqui sub Theologia comprehendunt fidem.

Scotus.

Caietanus verò 2. 2. q. 4. a. 2. sentit fidem nec esse formaliter practicam nec speculatiuam: sed eminenter vtramque rationem continere; quia aliàs non posset esse vnus simplex habitus. *Caietan.*

Conclvsio I. Habitus fidei nobis infusus est qualitas quædam distincta à speciebus intellectualibus. Est communis DD. & certa. Quia illæ species propriè ad hoc iuuant, vt obiecta possint à nobis apprehẽdi, aut etiam perfectiùs apprehendi, quàm aliàs apprehendi possent: atqui habitus fidei non efficit vt eius obiecta perfectiùs apprehendamus, sed vt assensum supernaturalem possimus elicere: ergo est distinctus à speciebus intelligibilibus. Minor probatur, quia apertè experimur nos ratione illius non apprehendere obiecta fidei perfectiùs, quàm aliàs sine illo per species naturaliter acquisitas possimus ea apprehendere: hinc hæretici, qui fidei habitu carent, ea tam perfectè apprehendunt, imò etiam perfectiùs si docti sint & bono ingenio, quàm rudes Catholici. 12

Cur habitus fidei necessariò distinguatur à speciebus.

Conclvs. II. Præter habitum fidei non infunduntur nobis aliquæ species intellectuales supernaturales. ita cum communi sententia Turrianus suprà. Probatur, quia eiusmodi species, vt patet ex dictis, propriè ad hoc iuuarent vt obiecta fidei possemus clariùs apprehendere: vt autem iam ostendi, fides non efficit vt eius obiecta clariùs aut perfectiùs apprehendamus, quã per species naturaliter acquisitas possimus ea apprehendere (nam aliàs possemus clarè experiri nos habere fidem supernaturalem, quod tamen constat esse falsum:) sed solùm efficit vt possimus assensum supernaturalem elicere, ad quod sufficit habitus supernaturalis cum speciebus acquisitis. Excitat quidem Deus nos aliquando, præsertim dum quis initio ad fidem conuertitur, vt obiecta fidei, & rationes quę eo rum credibilitatem probant, fortiùs, & nostro ingenio accõmodatiùs apprehendamus, quàm ea aliàs apprehenderemus: sed ad hoc non requiruntur nouæ species; sed sufficit intellectum applicari vt per species naturaliter acquisitas dicta vehementiùs apprehẽdat: nam etiam per imperium voluntatis, aut per alterius orationem, qua commodè res fidei nobis explicat, intellectus potest ad similem apprehensionem excitari. *Turrian.* 13

Sine nouis speciebus possumus aliquod obiectum meliùs apprehendere.

Conclvsio III. Præter habitum fidei non est opus alio lumine nobis infuso. Est etiam communis: & patet, quia nulla est ratio quare illud lumen requiratur, nisi vt clariùs obiecta fidei intelligamus: atqui, vt iam ostendi, fides non efficit vt eius obiecta clariùs intelligamus: ergo non continet tale lumen. dicitur autem in Scripturis, & aliàs sæpè lumen, Deusque dicitur fideles illuminare. Primò, quatenus efficit vt assentiamur obiectis fidei, atq; ita ea cognoscamus: omnis enim cognitio dicitur lumen. Secundò, quatenus Deus per gratias suas præuenientes excitat intellectum nostrum vt perfectiùs apprehendamus rationes fidem suaden- 14

Cur fides dicatur lumen.

tes,& impedit passiones quæ intellectum aliàs obscurarent,& à fide auerterent. Tertiò,etiam quatenus Deus nobis obiecta fidei reuelauit, quę aliàs naturaliter non possemus cognoscere. Ex quibus patet solutio quarti argumenti allati num.7.

15 *Actus naturalis & supernaturalis,æquales imprimunt species.*

Conclvsio IV. Actus fidei supernaturales non alias species impressas in memoria relinquunt, quàm relinquerent si essent merè naturales circa idem obiectum. Memoriam autem hîc voco ipsam vim reminiscendi, siue eam animæ potentiam cui imprimuntur species illæ rememoratiuæ; siue hæc distinguatur ab intellectu, siue non. quod ad præsentem quæstionem non spectat. Probatur,quia actus nostri,siue intellectus, siue voluntatis non aliter imprimunt sui speciem in memoria, quàm quatenus à nobis perceptibiliter eliciuntur,ita scilicet,vt percipiamus nos eos elicere. quod vel inde patet, quia quo magis vel minùs percipimus nos elicere aliquem actum, eo hic magis vel minùs imprimit sui speciem in memoria. Hinc quando valdè distracti aliquem actum elicimus, postea nullam ipsius habemus memoriam. Cùm igitur actus supernaturales in nobis non aliter percipiamus; quàm eos perciperemus si essent merè naturales, ita vt eos qua supernaturales sunt, siue eorum supernaturalitatem nullo modo percipiamus;apertè sequitur, eos qua supernaturales sunt non imprimere nobis speciem, sed solùm quatenus sunt naturales, & consequenter planè similem ei, quam actus naturales nobis imprimunt.

16 *Turrian. Lorca. Pesantius. D. Thomas.*

Conclvsio V. Habitus fidei est formaliter speculatiuus & practicus, quia elicit aliquas cognitiones formaliter speculatiuas, & alias formaliter practicas. Ita Turrianus 2.2. disp.38. dub.6.Lorca disp.26 Pesant.q.4.a.2.in fine, & est apertè S. Thomæ ibidem. Probatur, quia assensus, quo credimus Deum esse trinum & vnum, Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio per voluntatem, Filium à solo Patre per intellectum, &c. sunt cognitiones merè speculatiuæ, quia nullo modo immediatè dirigunt operationes voluntatis. Contrà assensus quo credimus Deum esse super omnia amandum & colendum,& similia,est verè & formaliter practicus,quia voluntatem immediatè in sua operatione dirigit.

17 *Vasquez. Quid requiratur vt cognitio sit practica.*

Nota cum Vasquez 1.p.disp.8.cap.5.nu.23. Turrian suprà,& alijs multis,quos citant,vt aliqua cognitio sit practica, non sufficere quòd ipsa nata sit excitare affectum aliquem in voluntate, quia sic omnis omnino cognitio esset practica,nec daretur vlla scientia aut cognitio speculatiua: nam omnis cognitio est nata excitare aut amorem aut odium obiecti sui; spem, aut timorem; aut saltem aliquam delectationem, aut tædium; vel alium similem affectum. Quare vt aliqua cognitio sit practica,præterea requiritur, quòd immediatè respiciat ipsam operationem,ostendendo qua ratione aliquid bene vel malè fieri possit,siue quid agendum,aut fugiendum sit; & hac ratione ipsam voluntatem immediatè dirigat. Quæ nullo modo conueniunt assensui, quo credo Deum esse trinum, aliaúe similia;quare eiusmodi assensus est merè speculatiuus. Ex quo patet responsio ad argumentum Scoti allatum num.11. neganda enim est maior.

Conclvs.VI. Vnicus est habitus fidei,quo elicimus omnes assensus fidei,siue speculatiuos, siue practicos Est communis DD. Et probatur clarè ratione, quam adfert D.Th.2.2.qu.4.a.6. quia quidquid credimus fide theologica,credimus immediatè propter idē omnino obiectum formale, scilicet propter auctoritatem Dei reuelantem; & consequenter per eosdem specie actus, & per eundem habitum infusum. Quia nulla hîc alia potest occurrere ratio, cur dicamus hæc fieri per diuersum habitum, aut per actus specie distinctos. quod magis patebit ex solutione argumenti contrarij. Probant id etiam aliqui,quia ad Ephes.4.dicitur, *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Sed Apostolus ibi solùm voluit docere, fidem omnium fidelium ea ratione esse vnam, quatenus omnes eosdem articulos fidei credimus, idque propter Dei attestationem: vtrùm autem hoc vno aut pluribus habitibus fieret, non ita ibi curauit; ex eo tamen quòd doceat nos omnes eadem, & propter eandem Dei attestationem credere, bene infertur nos omnes eadem specie fide credere; ob rationem iam illatam. 18 *D. Thom.* *Ephes.4.*

Conclvs.VII. Etsi sit valdè probabile habitus scientificos, præsertim naturales non solùm componi ex diuersis gradibus eos intendentibus, sed etiam per diuersas quasi partes extendi ad diuersas conclusiones,vt docet Vasquez citatus nu.9. tamen hoc secundum nullo modo potest dici de habitu fidei; atque adeò hic nullo modo est compositus: nisi velis dici compositum,quatenus constat ex diuersis gradibus,quibus intenditur. Et hæc est etiam communis Doctorum. Ratio autem diuersitatis inter hunc habitum & alios scientificos, præsertim naturales, est Primò, quia hi comparantur ex actibus, & sunt horum quasi quoddam vestigium: sicut igitur hi sunt diuersi, ita etiam diuersum sui vestigium intellectui imprimunt. Secundò,quia,etsi diuersæ conclusiones possint ex eodem principio deduci; tamen singulæ diuersimodè ex eo deducuntur, & per aliam atque aliam consequentiam: atque ita etiam diuersam habent cum illo principio connexionem, & diuersimodè ex eo cognoscuntur, & propter rationem formalem ex parte diuersam: sicut enim ipsa connexio conclusionis cum antecedente est ex parte ratio cur huic assentiamur; ita est etiam partiale obiectum formale huius assensus. Contrà accidit in habitu fidei; qui non generatur per actus, nec horum est vestigium;sed à Deo nobis infunditur,& habet se per modum potentiæ. Sicut igitur est eadem omnino potentia, qua eliciuntur varij actus scientifici,ita idem omnino est habitus,quo eliciuntur omnes assensus fidei. 19 *Vasquez. Habitus fidei nullo modo est compositus nisi ratione graduum intensionis.* *Cur habitus fidei sit simplicior habitu scientifico.*

Item omnes propositiones reuelatę eandem planè habent cum prima veritate connexionē, & consequenter idem obiectum formale. Nec his obest quòd fortè per diuersas externas reuelationes sint reuelatæ; quia hoc hac in re se habet 20

habet merè materialiter & per accidẽs, & intellectus dum ijs per fidem assentitur, nullo modo apprehendit aut notat hanc diuersitatem: sicut notat diuersitatem consequentiæ, dum diuersis conclusionibus assentitur; quia dum his singulis assentitur distinctè in particulari, earum cõnexionem cum suo principio apprehendit & ponderat; contrà verò intellectus in assensu fidei non cogitat qua reuelatione hæc propositio in particulari sit reuelata (nam hoc vt summum potest aliquo modo spectare ad iudicium præuium actui fidei, quo res proposita iudicatur esse credenda) sed solùm quòd reuelata sit, atque ita omnis assensus fidei theologicæ habet simpliciter & omni ex parte idem obiectum formale.

21 Ad primum argumentum positum num.4. Respondeo, quidquid sit de habitibus acquisitis qui sunt vestigia quædam actuum, & reddunt sua obiecta intellectui clara, aliud omnino dicendum esse de habitu fidei infuso, in quem hæc nullo modo conueniunt, vt patet ex dictis.

Ad secundum, tertium, & quartum, patet responsio ex secunda, tertia & quarta conclusione; vbi illa argumenta ex contrarijs principijs satis refutaui.

Ad quintum, nego consequentiam: quia valdè diuersa est ratio inter scientias naturales, quæ deducunt conclusiones ex principijs intrinsecis, quæ nequeunt esse eadem respectu conclusionis practicæ & speculatiuæ; & inter fidem, quæ pro obiecto formali habet principium rei creditæ omnino extrinsecum, & omnino idem in omni suo assensu, vt ostendi: quare non est mirum si idem specie habitus fidei possit simul esse practicus & speculatiuus, cùm tamen id in scientijs acquisitis fieri nequeat.

Cur habitus fidei potius quàm scientificus possit simul esse practicus & speculatiuus.

Ad sextum, patet responsio ex concl.7.

DVBIVM III.

Vtrùm habitus fidei sit virtus, & qualis?

22 POtest hæc difficultas intelligi tam de habitu fidei qui est in voluntate, quàm de eo qui est in intellectu. Et quidem si id intelligamus de priore, posito quòd talis aliquis particularis habitus detur, prout dari docui disp.13. dub.6.concl.6. dubitári nequit quin hic habitus sit vera virtus; posset tamen dubitari an sit theologica an moralis, de quo mox breuiter aliquid dicemus. Sed præcipua hîc difficultas est, an fides quæ est in intellectu, sit vera virtus.

23 *Durand.* Durandus in 3.d.23.q.6. docet, fidem posse dici virtutem largo modo, quatenus virtus significat omnem habitum laudabilem inclinantem ad bonum: non tamen strictè & propriè; quia virtus sic accepta significat habitum ponentem potentiam in vltimo perfectionis debitæ suo actui: atqui fidei, cùm sit obscura, hoc non conuenit, nam eius actus potest vlteriùs perfici per claram scientiam: ergo fides non est propriè virtus. Videtur autem Durandus eam *Aristot.* definitionem sumpsisse ex Aristotele 7.Physic. cap.3.textu 17. vbi, vt multi putant, ipse definit virtutem, quòd sit dispositio perfecti ad optimum. Sed falluntur: nam Aristoteles ibi non definit virtutem moralem aut intellectualem, sed fortitudinem siue robur, & pulchritudinem. Videtur autem sententia Durandi posse confirmari, Primò, ex Arist. 6. Ethic.c.4. vbi enumerans virtutes intellectuales nullam facit mentionem fidei. Secundò, ex Apostolo 1.ad Corinth.13. vbi docet, fidem esse imperfectam, ideoque destruendam in patria, cùm venerit quod perfectum est: atqui virtus non continet imperfectionem: ergo fides non est virtus. *Aristot.* *1.Cor.13.*

Caietanus verò 2.2.qu.4.art.5.docet, fidem non esse quidem virtutem intellectualem, esse tamen virtutem intellectus. vbi sine fundamẽto inter hæc distinguit: nisi fortè ad priorem partem asserendam motus fuerit auctoritate Aristotelis non numerantis fidem inter virtutes intellectuales; & ad secundam partem, ne recederet à D.Thoma dicto articulo docente fidem esse virtutem intellectus. 24 *Caietan.* Malè distinguitur virtus intellectus à virtute intellectuali.

Alij volunt fidem formatam esse virtutem, non tamen informem.

CONCLVSIO I. Habitus fidei infusus voluntati est vera virtus, non tamen theologica; sed moralis. Hãc tenent omnes, qui hunc habitum admitrunt; quos citaui disp.13.dub.6.concl.6. 25

Prior pars probatur, quia est habitus inclinans voluntatem, siue ex se tendens in actum necessariò bonum; vt patet ex ibidem dictis; nec quidquam habet imperfectionis, cur à definitione veræ virtutis debeat excludi.

Secunda & tertia pars probantur: quia ille habitus non habet pro obiecto suo immediato Deum, sed ipsum assensum fidei: sicut religio habet pro obiecto suo ipsum actum, quo Deus colitur, atque ita ille simili modo atque hæc est verè virtus moralis.

CONCLVSIO II. Habitus fidei qui est in intellectu, est vera, & propriè dicta virtus intellectualis. Ita Lorca 2.2.q.4.a.5. in explicatione artic.num.2. Turrian.disp.40.dub.1. & alij. 26 *Lorca.* *Turrian.*

Probatur, quia, vt colligitur ex Aristotele 6. Ethic.c.3. ille habitus intellectus habet veram rationem virtutis intellectualis, qui inclinat intellectum necessariò in bonum intellectus, siue in verum, ita vt nullo modo possit tendere in falsum: atqui habitus fidei est talis, vt patet ex dictis disp.10.dub.4. ergo est vera virtus intellectualis. Confirmatur, quia, sicut ille habitus voluntatis est vera virtus, qui ita inclinat voluntatem in bonum honestum, vt non possit rendere in non honestum; ita ille habitus intellectus est vera virtus intellectus, qui hunc ita inclinat in suum bonum, scilicet in verum, vt nullo modo possit inclinare in falsum: atqui habitus fidei est talis: ergo est vera virtus intellectualis. *Aristot.* Quid requiratur ad virtutem intellectualem.

Ad argumentum Durandi, quidquid sit de maiore, nego minorem: nam fides tribuit intellectui perfectissimam cognitionem circa Deum & res diuinas, quæ ei in hac vita sit debita, siue conueniens in via, in qua conuenit eum ambulare per fidem, siue cognitionem obscuram, vt hac ratione mereatur visionem in patria. Vt autem illa definitio Durandi sit probabilis, non 27

debet

debet intelligi de summa perfectione potentiæ quacumque ratione etiam supernaturali possibili (quia talis non potest dici debita potentiæ, & aliàs nulla præsertim in hac vita esset virtus intellectualis, quia nulla est hîc cognitio, quæ non sit imperfecta respectu cognitionis patriæ) sed de summa perfectione ipsi potentiæ secundùm suum statum debita. qua ratione fides est perfectissima cognitio, quam hîc de Deo, & rebus diuinis conuenientem nostro statui habere possumus; quia longè certiùs dicta cognoscimus per fidem, quàm per vllam cognitionem, quam hîc possimus quacumque ratione acquirere.

28 Cur Aristot. non numeret fidē inter virtutes intellectus.

Ad primam confirmationem, Respondeo non esse mirum si Aristoteles non recenseat fidem inter virtutes intellectus, quia ipse solùm agnouit fidem humanam, quæ fallibilis est, & consequenter non est virtus intellectus.

Ad secundam, Respondeo inde solùm sequi, fidem non habere omnem perfectionem in ratione cognitionis, quam intellectus supernaturaliter habere potest; atque ita esse imperfectam respectu cognitionis patriæ; quod non impedit quo minus sit vera virtus intellectus, vt iam ostendi.

29 Fides informis est virtus intrinsecè perfecta.

Conclvsio III. Si consideremus rationem virtutis secundùm intrinseca, eique essentialia, vterque dictus habitus habet veram rationem perfectæ virtutis, etiamsi informis sit, siue separatus à caritate; caret tamen aliqua perfectione, ipsi quidem virtuti secundùm essentiam suam consideratæ extrinseca, ei tamen debita vt habeat statum conuenientem virtuti, atque ita vt habeat rationem omnino perfectæ virtutis. Ita Auctores citati pro secunda concluſ. Et hæc videtur omnino mens D. Thomæ 2.2.q.4.a.5.

Non habet tamen statū virtuti conuenientem.

D. Thomas.

Prior pars probatur: quia fidei etiam separatæ à caritate conuenit omnis ratio virtutis suprà explicata, nec ipse habitus, eiusue actus per accessum caritatis intrinsecè perficiuntur.

30 *Augusſ.*

Secunda pars probatur: quia, vt fusè docet D. Augustinus lib. 4. contra Iulianum c.3. nulla virtus habet rationem & statum perfectæ virtutis, nisi possit esse fructuosa, siue meritoria vitæ æternæ; aliàs enim sicut eius opera, ita etiam ipsa virtus dicitur mortua, sicut arbor, quæ nec fructus nec folia profert, dicitur mortua, vt

Augusſ.

ostendi disp.14.n.87. Vnde D. Augustinus loco iam citato accipiens virtutem strictè pro virtute viua, & quæ habeat rationem perfectæ virtutis, contendit nullam posse reperiri perfectam ac veram virtutem nisi in iusto. quem in modo loquendi sequitur ex parte D. Thom. loco citato.

D. Thom.

DVBIVM IV.

Qua ratione fides informetur ac dependeat in sui vnitate, infusione & conseruatione à caritate?

31 Qvadruplex hîc est difficultas. Primò, qua ratione caritas informet fidem? Secundò, an fides possit conseruari sine caritate? Tertiò, an eadem sit fides formata, & informis? Quartò, an aliquando infundatur sine caritate?

Circa primam difficultatem Richardus in 3.d.23.art.5.qu.1. videtur docere, caritatem non solùm moraliter, sed etiam physicè informare fidem. Primò, quia quando duo principia inter se subordinata sunt in eodem subiecto, & ad eamdem actionem concurrunt, vnum alterum perficit: atqui fides & caritas sunt tales: ergo hæc illam perficit. Secundò, quia voluntas est in anima mediante intellectu: ergo caritas est in eadem mediante fide, & consequenter illa hanc physicè informat. Sed ipse satis obscurè loquitur, & videtur solùm velle habitum caritatis perficere habitum fidei, hunc adiuuando vt facilius & perfectius operetur, sicut multi homines iuncti se mutuò iuuant. Cuiuscumque autem ea opinio sit, est contra communem sententiam Scholasticorum, & rationes illius nullius sunt momenti. 32 *Richard.*

Ad primum Respōdeo, vt maior sit vera, eam debere intelligi de principijs ordinatis immediatè ad eumdem actum, & quorum vnum mediante altero insit ipsi subiecto, qualia sunt habitus & potentia in sententia eorum, qui potentias realiter distinguunt ab ipsa anima: fides autem & caritas nullo modo sunt eiusmodi principia; nam vnaquæq; ordinatur ad distinctum sibique proprium actum.

Ad secundum, nego antecedens: est enim apertè falsum.

Circa secundam difficultatem hæreticinostri multis contendunt, veram fidem non posse esse sine caritate; quorum fundamenta retuli & refutaui disput.14. dub.13. præsertim num.247. 33

Circa tertiam, Alensis 3.p.qu 64.in 6. putat fidem formatam & informem esse distinctos habitus. Quod probabile etiam putat Magister in 3.d.23 §. *Si verò*. Probatur Primò, quia, vt dicitur 1. ad Corinth.13. *Cùm venerit quod perfectum est, euacuabitur quod imperfectum est*: sed fides informis est imperfecta respectu formatæ: ergo hac veniente illa euacuatur. Secundò, quia vna & eadem res nequit esse mortua & viua: atqui, vt dicitur Iacobi 2. fides informis est mortua, formata verò est viua: ergo vtraque nequit esse vna & eadem. 34 *Alens.* *Magister.* *1.Cor.13.* *Iacob.2.*

Circa quartam, etsi omnes Catholici doceant fidem semel infusam remanere amissa caritate, tamen quidam putant eam numquam infundi ante caritatem. Ita Bonauent. in 3.d.23. in exposition.text.dubio 6. & in 4. d.14.1.parte distinctionis, a.2.q.3. Durandus in 3.d.23.qu.6. Richardus ibidem art.5. & 6 qu.3. Occam d.25. Scotus d.36. in fine. quorum rationes attuli disp.6.dub.4. 35 *Bonauent.* *Durandus.* *Richard.* *Occam.* *Scotus.*

Alij docent, tunc solùm fidem infundi ante caritatem, quando adultus verè quidem credens, sine legitima tamen dispositione ad iustificationem baptizatur. Ita Sotus l.2. de Natura & gratia c.8. *Sotus.*

Conclvsio I. Caritas nullo modo informat fidem physicè eam intrinsecè perficiendo (quia sic fides deberet esse subiectum caritatis, quod per se apparet absurdum;) sed solùm extrinsecè, & ratione quadam morali. Primò, quatenus 36

Qua ratione caritas sit forma fidei.

tenus ipsius actus dirigit in suum finem. Secundò, quatenus ipsum credentem efficit filium Dei, & consequenter Primò quidem ipsi subiecto, deinde hoc mediante ipsius actibus tribuit moralem quandam dignitatem, redditque eos meritorios vitæ æternæ. Ita D. Thom. 2.2.q. 4.art.3. & communiter Theologi. quæ fusius ostendi disp.8.dub.4.

D. Thomas.

37 Conclvsio II. Certa fide tenendum est, fidem non amitti per omne peccatum mortale, eamque posse manere sine caritate siue gratia iustificante. Ita expresè definit Trident. sess.6. can.28. quod etiam satis probaui disp.14.dub. 13.præsertim n.247. eamque clarè docet S. Augustinus lib.15.de Trinitate cap.18. vbi ex Apostolo 1.ad Corinth. 13. pulchrè docet, fidem nihil prodesse sine caritate. & tandem subiungit; *Ita vt ipsam fidem non faciat vtilem nisi caritas. Sine caritate quippe fides potest quidem esse, sed non & prodesse.*

Trident.

Augustin.

1.Cor.13.

Idem communiter docent alij Patres, explicantes parabolam decem virginum allatam à Christo Matth.25. vbi per virgines fatuas intelligunt habentes veram fidem sine caritate. Vide Valentiam 2.2.disp.1.q.4. puncto 4. & Bellarm. l.1.de Iustif.c.15. qui hæc fusiùs tractant, & Patrum sententias citant.

Matt.25.

Valentin.

Bellarm.

38 Contra hanc conclusionem hæretici varia obijciunt. Primò, quia Scripturæ videntur negare veram fidem posse esse sine caritate. Nam Apostolus 1.ad Timoth.1. ait: *Finis autem præcepti est caritas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Vbi insinuat fidem sine caritate esse fictam. vnde c.5. dicit eum, qui suorum domesticorum curam non habet, fidem negasse. Item S.Iohan.epist.1.cap.2.ait, *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.*

1.Tim.1.

1.Tim.5.

1.Iohan.2.

Secundò, ex Patribus qui simili modo loquuntur. Nam S.Cyprian. libr.de Simplicitate Prælat. ait. *Quid dicis te habere fidem, si præcepta Christi facere non vis?* Item S.Hieron. in prologo super Threnos Ierem. docet, animam peccatricem perdere omnia sua ornamenta: ergo etiam fidem. & in epist.ad Galat. cap.5. explicans illud, *Sed fides quæ per caritatem operatur*, ait, abcedente caritate statim abcedere & fidem. Item D. Gregor. hom.29. in Euangelia, *Vera fides est*, inquit, *quando id, quod credimus, moribus & vita confirmatur.* Similia habet Beda explicans cap.2. Iacobi. Vnde etiam alij Patres sæpè imitati S. Iacobum cap.2. aiunt fidem peccatorum esse fidem dæmoniorum.

Cyprian.

Hieron.

Gregorius.

Beda.

39 Pro resolutione Nota, fidem dupliciter posse dici veram, siue germanam. Primò, secundùm sua intrinseca & essentialia præcisè. Secundò, ratione sui finis, & effectus, quem nata est producere, ita vt illa fides dicatur vera, quæ his coniuncta est; & ita per fructus quos profert, probatur hominibus esse vera, ita vt dicatur vera quæ non solùm verè talis est, sed etiam exterius ostenditur esse talis.

Fides dupliciter potest dici vera fides.

Et similiter potest dupliciter dici falsa, siue ficta & adulterata. Primò, secundùm suam substantiam, siue essentialia, qualis est fides hæreticorum. Secundò, quia caret suo fine, & effectu, scilicet caritate ac bonis operibus: quæ ex fide tamquam ex radice nata sunt pullulare. Atque ita ob hunc defectum hominibus apparet non esse vera, aut saltem non probatur esse vera fides.

Item dupliciter potest quis negare fidem. Primò, verè & realiter negando aliquem fidei articulum, aut falsam fidem profitendo. Secundò, quoad externam apparentiam, ita viuendo ac si non haberet fidem. Sic Apost. ad Titum cap.1. dicit quosdam dicere se nosse Deum, & tamen id factis negare; quia nimirum ita viuunt ac si nec Deus, nec cælum, nec infernus esset. & clariùs 1.ad Timoth.5. docet, eum qui suorum domesticorum curam non habet, fidem negasse, & esse infideli deteriorem. Quæ vltima dum addit, ostendit eum verè non esse infidelem, quia apertè eum ab infideli distinguit; si autem verè negasset fidem, eamue amisisset, esset verè infidelis. Dicit itaque eum negasse fidem, quo ad externam quandam apparentiam, quia scilicet ita agit ac si esset infidelis. Sic solemus etiam communiter dicere oriundum ex Belgio, Hispania, Italia aut Francia, qui induit mores omnino alienos à moribus suæ patriæ, non esse amplius verum Belgam, aut verum Hispanum, &c.

40 Dupliciter aliquis dicitur negare fidem.

Titum 1.

1 *Tim.5.*

Nota Tertiò, verba Video, nosco, &c. in Scriptura dupliciter sumi. Primò, propriè prout communiter sumuntur. Secundò, impropriè, vt idem significent, quod *amo*, vel *approbo*, aut *diligenter curo*. Sic psalm.1.v.vlt. Deus dicitur nosse viam iustorum, id est approbare & dirigere. & ad Roman.8. *Quos præscivit*, id est singulariter amauit, *hos & prædestinauit*. Et contrà dicitur non nouisse ea, quæ improbat. sic Habacuc 1. Deo dicitur, *Mundi sunt oculi tui ne videas* (id est ne approbes) *malum; & respicere ad iniquitatem non poteris.* & Matth.7. vers.27. Dominus ait de improbis: *Et tunc confitebor illis, quia numquam noui vos.* & cap.25.v.12. fatuis virginibus in die iudicij Dominus dicet: *Amen dico vobis, quia nescio vos.*

41 Cognoscere & videre in Scriptura sæpè significat approbare & curare.

Psalm.1.

Rom 8.

Habac.1.

Matth.7.

Matth.25.

Ad locum igitur Apostoli ad Timoth. Respondeo, ibi dici fidem non fictam, quæ verum fidei fructum profert, & quæ hunc non profert insinuatur non esse omnino vera & germana fides, sed quodammodo ficta, iuxta dicta n.39.

42 Fides infructifera dicitur ficta.

Ad secundum locum ex cap.5. responsum est num.40.

Ad locum ex epistola S.Iohannis, Respondeo talem dici mentiri: Primò, quia factis ostendit se non credere Deum esse, aut se non credere Deum esse vindicem malorum. Secundò, quia talis verè etiam non nouit Deum, iuxta sensum Scripturæ explicatum num.41. quia scilicet non amat Deum, nec Dei honor & obedientia ei debita ipsi curæ sunt.

Qua ratione peccator dicatur non nosse Deum.

Ad locum S.Cypriani, Respondeo eum non negare tales habere fidem, sed reprehendere eos iactantes se habere fidem, cùm tamen ita viuant, ac si eam non haberent; atque ita neganti eos verè credere nequeant id probare.

43

Ad primum locum S.Hieron. Respondeo eum videri loqui de eo qui à fide apostatat. Ad secundum, Respondeo eum dicere abcedente caritate abcedere statim fidem. Primò, quia qui

qui caritatè carent facilè etiam amittunt fidem. Secundò, quia hi perdunt statim fidem, quoad finem, & fructum ipsum fidei, atque ita fides non manet in ijs perfecta, & quoad externam apparentiam omnino perit; iuxta dicta n.40. Et simili etiam modo posset prior locus intelligi. Similiter etiam intelligendus est locus allatus ex D.Gregorio, vt vel ex ipsius verbis patet. & simili ratione intelligendus Beda. Ad locum autem S.Iacobi, & aliorum Patrum, comparantium fidem peccatorum cum fide dæmonum, Respondeo eos vtramque fidem solùm in eo comparare, quòd vtraque sterilis & infructuosa sit, ac quamdiu manet talis, sit inutilis ad salutem; licet quoad essentialia vna ab altera plurimùm distinguatur. Qua ratione autem argumentum D.Iacobi eo loco vim suam habeat, etsi in dæmonibus non sit vera fides, dicam disp.17.dub.2.

44 Conclvsio III. Fides informis & formata est idem numero habitus. Est iam communis, & sequitur ex prima concl. Quia cùm caritas solùm extrinsecè & secundùm rationem moralem informet fidem; hæc ab ea secundùm suum esse physicum non pendet, nec ea abcedente intrinsecè mutatur. Confirmatur: quia Tridentinum sess.6. can.28. definit fidem pereunte caritate remanere, ac esse veram fidem; quod propriè loquendo verum non esset, si non maneret eadem; quia sic prior fides propriè non maneret, sed huic alia succederet. *Trident.*

45 Ad primum argumentum Alensis positum num.34. nego minorem intellectam in sensu maioris, quæ agit de casu quo res intrinsecè & essentialiter perfectior succedit imperfectiori: quod hîc non fit; nam fides formata non est intrinsecè perfectior informi. Adde, fidem formatam non superuenire siue succedere informi, cùm eadem omnino priùs & postea maneat.

Ad secundum, nego maiorem: nam idem corpus est viuum & mortuum, vt ostendi tomo 1.de Sacram.q.76.nu.14. Adde, etsi ea, quæ viuunt physicè per formam sibi intrinsecam non manerent eadem viua & mortua, tamen hoc non haberet locum in præsenti casu, quia caritas est forma extrinseca fidei.

Conclvsio IV. Habitus fidei etiam extra susceptionem baptismi sæpè homini infunditur ante caritatem: quoties scilicet quis ad fidem conuertitur per verum actum fidei supernaturalem, antequam sufficienter disponatur ad iustificationem: quod communiter fit in ijs qui adulti ad fidem conuertuntur. Ita Pesantius 2.2.q.4.a.7.concluſ.3. Lorca sect.1.disp.32. Turrian.disp.41.dub.9. Valentia disp.1.q.6. puncto 2. Bañez qu.6.a.2. Caietan.ibid. vbi eandem videtur expresè docere D.Thomas in respons. ad 3. Vbiapertè docet, fidem aliquando infundi ante caritatem: & quamuis in præcedentibus videatur loqui de actu; tamen videtur etiam loqui de habitu, quia hic propriè infunditur, non autem ille. Eandem docent Suarez 3.p. tomo 3.disp.28 sect.3. & Vasquez 1.2.disp.203. num.117. quam etiam fusè probaui suprà disp. 6.dubio 4. 46 *Pesantius. Lorca. Turrian. Valentia. Bañez. Caietan. D.Thomas. Suarez. Vasquez.*

DISPVTATIO XVII.

De subiecto fidei, siue de ijs, quibus inest fides.

EX dictis satis constat, omnibus viatoribus post lapsum necessariam esse fidem, vt possint iustificari, aut in iustitia perseuerare. sed est difficultas circa angelos viatores, Adamum in paradiso, damnatos, hæreticos, ac Beatos, & existentes in Purgatorio, an scilicet hi habeant fidem. Quam sequentibus dubijs explicabimus.

DVBIVM I.

Vtrùm angeli in via, & Adam in paradiso habuerint fidem?

1 PRima opinio docet, in neutris fuisse fidem, sed vtrosque habuisse cognitionem aliquam excellentiorem & mediam inter hanc & visionem beatificam. Hanc respectu Adami videtur secutus Magister in 2.d.23.§.4. Eidem videtur fauere Hugo de S.Victore lib.1. de Sacram.p.5. c.14.& p.6.c.14. Et ratio esse potest, quia fides habet cognitionem obscuram, qualem non decuit esse in illo statu, quem decebat habere intellectum ab omni obscuritate clarum. Sed D.Thom.2.2.q.5.a.1. benignè Hugonem interpretatur, quasi solùm voluerit eos habuisse clariorem cognitionem rerum diuinarum, quàm nos habeamus, talem tamen quæ cum fide poterat consistere. Et valdè verosimile est ipsum solùm voluisse eos habuisse claram rerum fidei reuelationem, qua hæ fuerint ijs claræ in attestante, siue cognitione à posteriore, prout dixi disp.9.dub.8.& disput.11.dub.1.& 2. vbi etiam ostendi, hanc cognitionem posse consistere cum fide. *Magister. Hugo Victorinus.* *D.Thomas.*

Secunda opinio docet, saltem angelos in via non habuisse fidē. Hanc tamquam probabilem tenet Durandus in 3.d.23.q.9.a.3. Quia angeli habuerunt euidentiam rerum reuelatarum in attestante, & consequenter clarè cognouerunt eas esse veras; vnde vlteriùs infert eos non habuisse earum fidem. Sed ad hoc argumentum satis responsum est disp.11.dub.1. Eandem opinionem videtur tenuisse Ludou. Viues in comment. in cap.9.libr.11. de Ciuit. ex alio tamen capite, quia videtur puraſſe angelos sanctos ab initio semper vidisse clarè Deum. Cuius etiam opinionis aliqui putant fuisse D. Augustinum l.4.de Genesi ad lit.cap.22.vbi videtur docere, angelos 2 *Durand. Viues. August.*

angelos statim initio vidisse omnes creaturas in Verbo, antequam eas viderent in se.

3 Sed certum omnino est D. Augustinum sensisse angelos bonos statim initio creationis suę non vidisse clarè Deum, nec perfectè, sed tolùm inchoatè fuisse beatos; quatenus in felici valdè statu ita creati erant, vt facilè possent ad perfectam beatitudinem peruenire. Nam sæpè docet, eos potuisse cadere, & omnino liberè in bono perseueraſſe: atque ita in bono perseuerantes perfectam beatitudinem fuisse promeritos. Imò sæpè insinuat angelos malos ante lapsum non habuisse minorem gratiam, quàm bonos; quamuis aliquibus locis de eo dubitet. Primo enim libr. de Correptione & gratia cap.11. cùm docuisset, angelo malo fuisse datum sufficiens adiutorium, quo posset perseuerare in bono si vellet, subdit: *Sed quia noluit permanere, profectò eius culpa est, cuius meritum fuisset si permanere voluisset: sicut fecerunt angeli sancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbrium steterunt ipsi; & huius mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua ijs certissimum sit semper se in illa mansuros.* Vbi apertè insinuat, initio vtriusque angeli æqualem fuisse conditionem, & vnum tam liberè perseueraſſe, quàm alter ceciderit, ideoque illum meruisse perfectam beatitudinem, à qua cadere non posset; & consequenter innuit angelum bonum initio non fuisse certum de sua perseuerantia. Quæ nullo modo dici possent si angelus bonus initio vidisset intuitiuè Deum, quia tunc nullo modo cadere potuisset (quia clara Dei visio reddit hominem intrinsecè impeccabilem) nec potuisset suam beatitudinem mereri, quia iam eam habuisset, & fuisset non in via, sed in termino.

4 Item libr.11. de Ciuitate cap.13. cùm docuisset, angelos bonos iam esse certos de æternitate suæ felicitatis, angelos verò malos numquam potuisse esse certos se non lapsuros, vt prius membrum confirmet, subdit: *Aut si durum videtur quando facti sunt angeli, alios credere ita factos vt non acciperent præscientiam vel perseuerantiæ, vel casus sui; alios verò ita factos vt veritate certissima æternitatem suæ beatitudinis nossent: sed æqualis felicitatis omnes ab initio creati sunt: & ita fuerunt, donec isti, qui nunc mali sunt, ab illo bonitatis lumine sua voluntate cecidissent: proculdubio multò est durius nunc putare angelos sanctos æternæ suæ beatitudinis incertos,* &c. Vbi apertè insinuat, esse saltem probabilius vtrumque angelum initio fuisse æqualis beatitudinis, & æquè de sua perseuerantia incertum, & contrarium dicere esse durum: etsi minùs durum sit, quàm dicere angelos beatos iam esse incertos de æternitate suæ beatitudinis.

Item l.12. cap.9. tamquam probabile dicit vtrumque angelum initio æqualiter in gratia creatum esse.

5 Quidam igitur putant D. Augustinum his locis reuocasse quæ in lib.4. in Genes. suprà citato docuerat: sed hoc non est probabile; quia lib.11. de Ciuitate cap.9. doctrinam ibi traditam videtur apertè approbare. Respondeo igitur, D. Augustinum, dum docet, angelos initio creationis mundi vidisse priùs res omnes in Verbo, quã in seipsis, aut loqui de visione quam habuerunt postquam iam adepti sunt beatitudinem, antequam res aliæ crearentur; quod facilè fieri potuit, si breui valdè spatio fuerunt in via, vt valdè probabile est: vel eum loqui de cognitione, quã angeli initio suæ creationis antequam res aliæ crearentur, easue in seipsis videre possent, à Deo acceperunt, per species sibi infusas, siue per cognitionem habitualem à Deo sibi infusam, qua res omnes, modumque quo à Deo procederent & penderẽt, clariùs cognouerunt, & Deum etiam in ijs; quam ex earum reali existentia sibi obiecta eadem postea per se, siue seclusa illa Dei illustratione potuissent cognoscere; qua ratione etiam ipsum Adamum initio similem cognitionem, licet imperfectiorem, à Deo accepisse communiter omnes fatentur.

Dicit autem angelos eas omnes res vidisse in Verbo, quia eas cognouerunt per illuminationem & scientiam à Verbo, quod est sapientia Patris, acceptam. Vt autem D. Augustini mentem ita interpreter, moueor Primò, quia ipse D. Augustinus dicto cap.22. apertè docet, angelos has cognitiones creaturarum non accepisse omnes simul, sed vnam post aliam cum aliquo interuallo, & ita distinguit sex dies creationis rerum, per sex interualla, quibus eas angeli priùs in Verbo, deinde in se viderunt; ea autem quæ Beati vident in Verbo, omnia simul vident, nec vnum post aliud. Secundò, quia ipse D. Augustinus lib.11. de Ciuit. cap.9. ita apertè seipsum explicat. vbi per illud Genes.1. *Dixit Deus, Fiat lux,* &c. intelligit creationem angelorum, & hos dicit lucem & diem, ob participationem æterni luminis, quam à Sapientia Dei, quæ est Dei Verbum, acceperunt. Deinde id probans, subiungit: *Lumen quippe verum, quod illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem, hoc illuminat omnem angelũ mundum, vt sit lux, non in seipso, sed in Deo: à quo si auertatur angelus fit immundus, sicut sunt omnes qui vocãtur immundi spiritus, nec iã lux in Domino, sed in seipsis tenebræ, priuati participatione lucis æternæ.* Vbi apertè ostẽdit, angelum dici diem & lucem, per illuminationẽ quam à Verbo habuit in via, & potuit amittere, sicut diabolus eam amisit. Agit autem apertè de illa illuminatione & luce, quam dicto c.22. in Genes. vocat cognitionem matutinam, siue cognitionem in Verbo, per quam singulorum dierum lucem siue manè intelligit fieri. Nec refert quòd alijs locis per cognitionem matutinam intelligat veram cognitionem creaturarum in Verbo: quia alia ratione & secundùm alium angelorum statum ibi loquitur, quàm locis iam citatis.

6 Qua ratione S. Augustinus dicat angelos priùs omnia vidisse in Verbo, quã in se.

Genes.1.

7 Est præterea difficultas, qualem siue cuius obiecti fidem angeli, & Adam initio habuerunt. Et quidem inter omnes constat, eos explicitè cognouisse omnia mysteria spectantia ad diuinitatem & beatitudinem; quæ nos credimus. Sed difficultas est, vtrùm habuerint explicitam fidem mysterij incarnationis.

Quarum rerum fidem angelus & Adam in via habuerint.

8 Prima igitur opinio docet, tam angelũ, quàm Adamum statim initio suæ creationis habuisse

fidem explicitam incarnationis. Et hanc sententiam necessariò sequuntur ij omnes qui docent Christum fuisse incarnandum, etsi Adam non peccasset, & tam angelos, quàm primum hominem omnem suam iustitiam accepisse ex meritis Christi: nam ex meritis Christi nemo iustificatur, nisi per fidē Christi, vt ostendi disp. 14. dub. 9. non videtur autem credibile eos solùm implicitam fidē habuisse illius mysterij. Et *Suarez.* hanc sententiam apertè docet Suarez in 3.p.to. 1.q.1.in explicatione a.3. §. *Secundò explicandum.*

9 Secunda docet, Adamum initio suæ creationis non habuisse fidem incarnationis Christi; sed eam habuisse post somnum à Deo ei immissum, in quo ei Deus hoc mysterium reuelauit. *Turrian. Vasquez.* Ita Turrian. 2.2.disp.27.dub.1. Vasquez 3.p.to. 1.disp.12.c.vlt. Priorem partem probant, quia Adam non accepit suam iustitiam ex meritis Christi; ergo nec ex fide Christi; quia nulla videtur ratio cur dicamus ei necessariam fuisse fidem Christi, nisi quia eius meritis debuit iustificari. Quare cùm eadem ratio sit in angelis, qui secundùm illos non fuerunt iustificati ex meritis Christi, idem secundùm illos de his videtur dicendum.

10 Secundam partem probant, quia illud quod *Genes. 2.* dixit Adam Genes. 2. cùm euigilans è somno vidit Euam, *Quamobrem relinquet homo patrem* *Ephes. 5.* *suum & matrem*, &c. Apostolus ad Ephes. 5. docet dictum de Christo & Ecclesia. Vnde multi Patres docent, tunc Adamum illis verbis prophetasse de incarnatione Christi, & Ecclesiæ ex eius latere formatione. Quare hæc debuerūt ei ibi fuisse reuelata. Negant tamen ij Auctores Adamo fuisse reuelatam passionem Christi, eūque venturum vt nos à peccato redimeret; quia sic debuisset ei reuelari futurus ipsius lapsus, quod non videtur probabile fuisse factum, hoc enim nimiam ei tristitiam iniecisset.

11 Tertia sententia docet, Adamo tunc non fuisse explicitè reuelatum mysterium incarnationis, sed tantùm in figura, quatenus nimirum efformatio Euæ ex latere ipsius dormientis fuit figura efformationis Ecclesiæ ex latere Christi mortui in cruce. Et illa verba quibus dicebat hominem relicto patre & matre adhæsurum vxori, significabant amorem Christi erga Ecclesiam, & vnionē eius cum humana natura. Nam relicto cęlesti Patre descendit in terras accepturus humanam naturam, & relicta matre sua synagoga congregauit sibi Ecclesiam ex Gentibus. Hæc itaq; secundùm eos Adam cognouit, & prophetauit in figura & mysticè. Sicut Iacob *Genes. 17.* Genes. 17. tegendo manus & colla hœdinis pellibus, & dicendo se esse Esau, figura fuit Christi assumentis naturam humanam, & simul tanquā hœdinas pelles nostra peccata, vt pro ijs satisfaceret Patri: atque ita ille hæc mysticè prophetauit, etsi tunc non satis intellexerit, quid suo illo *Lessius.* facto significaretur. Ita Lessius lib. de Prædest. Christi, sect. 2. nu. 26. quod varijs ibi rationibus probat; præcipua autem est, quia, vt patet ex ipsius facto, & Patres etiam docent, Adam ibi non tantùm præfigurauit & prophetauit futuram incarnationem, sed etiam efformationem Ecclesiæ ex latere Christi, ac infidelitatem Iudæorum, ob quam erant deserendi. Quæ communiter omnes docent Adamum nullo modo explicitè cognouisse, quia debuisset aliàs præsciuisse suū lapsum. Cùm igitur necessariò concedendum sit Adamum præcipuum significatū huius prophetiæ ac figuræ solū cognouisse valdè implicitè in quodā ænigmate, omnino idem videtur dicendum de alio ipsius significato, scilicet de mysterio incarnationis; necest magis absurdum concedere ei cognitionem & fidem ita implicitam circa vnam partem illius mysterij, quàm circa aliam.

Pro resolutione suppono Primò, omnino esse 12 certū, nec à Catholico negari posse Adamū habuisse aliqua dona supernaturalia ac auxilia, sine quibus non poterat facere opera vitæ æternę meritoria, ac in bono perseuerare: idemq; dicē dū esse de angelis, vt ostēdi disp. 4. du. 3. hæc autē dona non fuisse solùm actualia, sed etiā habitualia videtur omnino certum esse: nā aliàs nos perfectiùs iustificaremur quàm illi, quia nos iustificamur per dona supernaturalia habitualia, atq; ita per veram iustitiam nobis inhærentē & supernaturalē permanenter iusti sumus, illi autē solùm fuissent iusti per dona trāseuntia, aut per fauorē Dei extrinsecum, aut per extrinsecā denominationem, & ens morale relicta post actus bonos: quæ iustitia est lōgè imperfectior priore.

Tam Adam quàm angeli habuerunt auxilia supernaturalia habitualia, quibus potuerunt mereri & exercebant.

Conclvsio 1. Omnino dicendum est, Adamum in paradiso habuisse veram fidem tam actualem, quàm habitualem. Ita omnes Auctores suprà citati, & Pesant. 2.2.q.5.a.3.disp.1.concluſ.3. Lorca disp.29.n.4. & D.Thom.q.5.a.1.& communiter cum eo Theologi. 13

Adam habuit veram fidem. *Pesantius. Lorca. D.Thomas.*

Probatur Primò, ex D. Augustin. lib. 14. de Ciuit. cap. 17. vbi ait, primos parentes post peccatum cognouisse se nudos, quia perdiderunt gratiam qua priùs fiebat ne eorum nuditas esset pudenda; & subdit: *Hoc itaque cognouerunt, quod felicius ignorarent, si Deo credentes & obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri infidelitas & inobedientia quid nocerent.* Vbi apertè docet, eos debuisse Deo credere, & non credendo peccasse peccato infidelitatis, & ita gratiam fidei amisisse. Clarius S. Ambrosius libr. 5 epist. 33. de *Ambros.* Adamo ait: *Agnoscis te esse nudum, quia bona indumenta fidei perdidisti.* Item S. Prosper ad excerpta *Prosper.* Genuensium in respons. ad 3. dub. ait: *Quid est autem, quòd eidem naturæ* (scilicet primorum parentum) *solam fidem non vult esse præceptam, quam nisi amisisset* (scilicet Adam, aut natura humana in Adam) *ceteris omnibus bonis non careret? Credendo enim Adam diabolo, non credidit Deo*, &c. Vbi cùm ille apertè doceat, Adamum fuisse obligatum credere, & non credendo fidem amisisse, apertè supponunt eum habuisse fidem habitualem, quam amitteret, & qua priùs poterat credere: & cùm accusent eum præcisè in hoc puncto, quòd non crediderit Deo dicenti eum moriturum si comederet ex ligno vetito, apertè supponunt eum in reliquis Deo credidisse.

Probatur Secundò, quia Apostolus ad Heb. 14 11. absolutè & generatim dicit, impossibile esse *Hebr. 11.* sine fide placere Deo; & accedentem ad Deum debere credere hunc esse, ac merita remunerare: cùm igitur Adam initio placuerit Deo,

Deo, & viator fuerit, atque ita ad eum debuerit accedere, necessariò dicendum est eum habuisse fidem: quia nulla est omnino ratio eum excipiendi à generali illa Apostoli regula.

Probatur Tertiò, quia Adam nullo modo poterat naturaliter cognoscere mysterium Trinitatis, futuram beatitudinem, & similia: cùm igitur certum sit eum hæc cognouisse, debuit ea cognouisse vel clarè in se intuendo, vel ex reuelatione diuina. Prius dici nequit, quia sic non fuisset in via, sed beatus in patria, & omninò impeccabilis: ergo secundum dicendum est. Vnde vlteriùs infero, ergo vel ea cognouit sola cognitione à posteriore, quatenus clarè videbat ea sibi reuelari, indeque certò inferebat ea esse vera, vel per veram fidem: prius dici nequit, quia sic habuisset solùm cognitionem rerum fidei in sua substantia naturalem, & consequenter imperfectiorem nostra, & omnino improportionatam statui supernaturali, in quo tunc erat, & præmio quod ei merendum proponebatur: ergo secundum dicendum est, scilicet eum habuisse veram fidem.

15 Dices, eum potuisse habere cognitionem supernaturalem istorum mysteriorum euidentem, abstractiuam tamen: quatenus nimirum lumine supernaturali illustratus clarè videbat ea sibi à Deo reuelari, seque ea clariùs concipere, quàm naturaliter ea posset concipere; atque ita eodem lumine clarè videbat ea necessariò debere esse vera; nulla enim potest reddi ratio, cur hoc fieri non potuerit.

Respondeo, etsi hoc non implicet fieri, gratis tamen omnino fingitur factum: imò hoc omnino est improbabile: quia sic nullo modo liberè, sed omnino necessariò fuisset assensus Deo ea sibi reuelanti, & consequenter non potuisset ea credendo vlla ratione mereri. quod videtur omnino absurdum.

16 Angeli ambularunt per fidem. Conclvsio II. Videtur omnino certum etiam angelos habuisse veram fidem. Hanc etiam tenent Auctores citati prima concl. Probatur, quia ipsi debuerunt etiam credere quædam quæ non poterant naturaliter cognoscere, vt mysterium Trinitatis, & futuram beatitudinem: ergo per veram fidem ea crediderunt: quia, vt iam ostẽdi, nulla alia cognitio eorum statui erat aptior, vt per eam possent ad beatitudinem merendo tendere. Item cùm ipsi Deo placuerint, & ad eum debuerint accedere, necessaria ijs erat fides, vt patet ex Apost. ad Hebr. 11. Nec refert quòd ibi videatur loqui de solis hominibus, quia eius ratio etiam in angelos conuenit. *Hebr. 11.*

17 *2. Cor. 5. Augusſt.* Dices. Fides solùm conuenit ijs, qui peregrinantur à Domino, vt docet Apost. 2. ad Corint. 5. atqui, vt docet D. Augustin. lib. 11. de Ciuit. c. 9. angeli boni numquam sunt peregrinati à Domino: ergo non habuerunt fidem.

Angeli in via peregrinabantur à Domino. Respondeo, negando minorem ad sensum Apostoli: nam ipse ibi apertè docet, omnes peregrinari à Domino, & ambulare per fidem, qui non vident clarè Deum: atqui nec Adam nec angelus in paradiso viderunt clarè Deum: ergo secundùm Apostolum sunt peregrinati per fidem.

Et confirmatur, quia non fuerunt propriè in patria; nam aliàs fuissent in termino, & non in via: quod absolutè falsum est; quia fuerunt veri viatores tendentes ad patriam: ergo fuerunt etiam peregrini: quia secũdùm Apostolum & rei veritatem omnes sunt peregrini, qui non sunt in patria, sed eam inquirunt, vt patet ex loco citato ex epist. ad Corint. & ex 11. ad Hebr. v. 13. & 14. Quare hæc vtramque nostram conclusionem apertè confirmant.

Ad auctoritatẽ S. Augustini, Respondeo cũ 18 strictiùs ibi sumere nomen peregrini, quàm Apostolus, solosque veros exules vocare peregrinos, siue eos solos, qui ob culpam è loco, in quo erant conditi, in hanc vallem miseriarum, tam quam in exilium missi sunt: quales non fuerunt angeli boni, nec homines in paradiso. *S. Augustinus aliter accipit peregrinari, quã Apostolus.*

Conclvsio III. Etsi longè verius sit Verbum numquam incarnandum fuisse, si Adam non peccasset; tamen hoc non obstante cùm Deus præuiso ab æterno peccato Adami statuerit vt Verbum suo tempore carnem assumeret; potuit ipse hoc mysterium angelo, ac primo homini statim initio suæ creationis, aut etiam tẽpore illius somni, quem Adamo immisit, reuelare, idque præcisè quatenus continebat Christum futurum verum Deum & hominem, & caput omnium Beatorum, celato mysterio passionis ac redemptionis. Nulla enim hîc potest ostendi implicantia, & potuit Deus id velle, vt Christus futurus starim ab illis honoraretur. Vtrùm autem Deus hoc de facto ita fecerit, non potest nobis certò constare. Et quamuis rationes quas pro se adferunt Auctores tertiæ sentẽtiæ allatæ n. 11. sint valdè probabiles, tamen non ita conuincunt, quin tam prima quàm secunda sententia possint etiam probabiliter defendi: etsi secluſa Doctorum auctoritate minùs firmo nitantur fundamento. 19

DVBIVM II.

Vtrùm dæmones, alijq; damnati habeant veram fidem?

Magister in 3. d. 23. §. 4. videtur in dæmonibus agnoscere fidem similem ei, quam habent mali Christiani. Item Durand. ibid. q. 9. docet, damnatos, qui habuerunt fidem in via, habere eandem etiam in inferno: atque etiam dæmones eam habere, si eam habuerint in via; an verò eam in via habuerint ipse dubitat. 20 *Magister. Durand.*

Probatur Primò, quia nec eam amiserunt ratione infidelitatis, quia non omnes hoc peccato peccarunt: nec ratione status, quia hic nullam habet cum fide repugnantiam. Secundò, quia fides videtur relinquenda in fidelibus in peccato morientibus, vt hac ratione distinguantur ab infidelibus. Tertiò, quia S. Iacob. cap. 2. ex eo quòd dæmones habeant fidem, & tamen ijs non prosit ad salutem, probat etiam nobis fidem sine caritate & operibus non prodesse ad salutem: ergo sentit dæmones habere veram fidem similẽ ei quam peccatores habent, aliàs eius argumentum esset nullum; nam ex eo quòd fides impropriè dicta non prosit dæmonibus sine caritate, nõ sequitur quòd fides propriè *Iacob. 2.*

dicta hominibus nequeat sine caritate prodesse. Et confirmatur, quia Patres imitantes S.Iacobum sæpè comparant fidem peccatorum fidei dæmonum.

21 *Bañez.* Bañez verò 2.2.q.5.a.2.dubio 2. docet, damnatos habere fidem acquisitam, qua credant mysteria fidei, & hanc esse quodammodo liberam, quodammodo coactam, sicut ei, qui vt euadat naufragium, proijcit suas merces in mare, ipsa proiectio est quodammodo libera, & quodammodo coacta siue inuoluntaria. Sed si hoc exemplum esset huic rei accommodum, probaret fidem dæmonum esse absolutè liberam, & solùm inuoluntariam secundùm quid, *D.Thomas. Lorca.* quia illa proiectio est talis, vt docet D.Thom. 1.2.q.6.a.6. Eandem opinionem sequitur Lorca 2.2.disp.30.num.7.vbi ait, dæmonum fidem dici quodammodo coactam, non quia aliquid credunt, quod nollent credere: sed quia credunt id quod nollent esse verum. Sed simili ratione posset dici coactus peccare is, qui facit aliquid quod dolet esse peccatum, & omninò vellet id non esse tale, siue se id licitè facere posse.

22 Conclvsio I. Fides infusa seu supernaturalis secundùm habitum nullo modo manet in damnatis. Est communis Theologorum. Et Bañez suprà dub.1.putat contrarium esse temerarium.

Probatur Primò, quia cùm damnati non solùm sint indigni omnibus Dei beneficijs ac donis supernaturalibus, sed etiam sint in eo statu, in quo virtutes infusæ nequeunt vllo modo habere suum finem, ad quem à Deo destinantur, scilicet iustificationem, & peruentionem ad beatitudinẽ, nulla est ratio cur dicamus Deum has in ijs ampliùs conseruare. *Virtutes infusæ in damnatis essent omnino inutiles.*

23 Secundò, quia habitus infusi statim tolluntur in ijs, qui habent actus eis, siue eorum actibus ita contrarios, vt simul cum his nequeant consistere; quales statim habent omnes damnati saltem ex parte voluntatis: cùm enim habeant voluntatem à Deo omninò auersam, statim eliciũt actum contrarium piæ illi voluntati, qua fides necessariò imperatur, quia cuperent, quantum est ex parte sua, si possent, nulla in re Deo credere, & omnem reuerẽtiam hac ex parte primæ veritati debitam ei abnegare. Quare etsi aliàs retinerent habitum fidei, tamen ratione huius actus eo priuarentur, quatenus consistit in voluntate, & consequenter etiam quatenus consistit in intellectu, quia vnus habitus numquam sine alio infunditur, aut conseruatur. *Dãnati statim eliciunt actum incõpossibilem cum actu fidei.*

Tertiò, quia cùm, vt mox ostendam, numquã possint elicere verum actum fidei theologicæ, ille habitus in ijs frustra maneret.

24 Conclvsio II. Damnati nequeunt elicere verum actum fidei theologicæ, non solùm supernaturalem, sed etiam naturalem, quo scilicet aliquid credant immediatè & præcisè propter auctoritatem Dei id reuelantis, prout superiùs disp.9.dub.4.& 5. dixi nos credere articulos fidei. Est etiam communis, præsertim secundùm primam partem. *Dãnati nulla ratione possunt elicere actum fidei theologicæ etiam naturalem.*

Prior pars probatur, quia carẽt habitu supernaturali, aliaq; gratia necessaria ad eliciendum actum supernaturalem: ergo hunc nequeunt elicere.

Secunda pars prob. quia omnis eiusmodi actus fidei siue naturalis, siue supernaturalis, necessariò pendet à pia motione voluntatis, sine qua nequit elici, vt ostendi disp.13.dub.4.atqui cùm eorum voluntas sit obstinata in malo, & omnino à Deo auersa, sine summa difficultate fieri nequit vt concipiant piam volũtatem erga Deum, quem ita oderunt: cùm enim hac ratione contra suam in Dei odium vehemẽtissimam inclinationem deberent summa contentione niti in reuerentiam primæ veritatis, actus hic esset difficilior, quàm vt solis naturæ viribus sine Dei auxilio eum possent elicere; illud autem auxilium eis numquam datur. 25

Conclvsio III. Habent tamen fidem aliquam impropriè dictam, præsertim dæmones, quatenus assentiuntur mysterijs fidei propter euidentiam rationum, quibus eorum intellectus conuincitur. Ita D.Thomas 2.2.q.5.a.2.& ferè communiter Scholastici. Probatur, quia vident apertè se à Deo esse damnatos, ac puniri, idque propter sua peccata: atque ita compelluntur credere Deum esse, ac peccata in inferno punire. 26 *Habent fidẽ impropriè dictam.*

Item dæmones in via clarissimè viderunt Deum sibi mysteria fidei reuelare, & consequẽter ea esse vera: vt ostendi disp.11.dub.2.concl. 2.quam scientiam ipsi iam adhuc retinent.

Item ex consideratione omnium notarum fidei, huius credibilitas, atq; adeò etiam veritas ita clarè illis obijcitur, vt intellectus eorum planè conuincatur. Nam si, vt ostendi disp.11. dub.2.concl.6.quandoque viri docti in hac vita ex illarum consideratione ita conuincantur, vt de veritate nostræ fidei nequeant dubitare; quanto magis cõuincitur intellectus dæmonis, qui plurima, quæ nos solùm ex auditu percipimus, per se vidit, aut etiam in se est expertus, & longè clariùs ac altiùs notas fidei penetrat, quàm nos eas possimus penetrare. Eiusmodi autem assensum non esse propriè dictam fidem, sed potiùs scientiam à posteriore, ostendi disp. 9.dub.8.

Conclvsio IV. Hic assensus non est dæmoni vllo modo liber quoad specificationem, imò nec quoad exercitium, quoties obiecta fidei ita ei obijciuntur, vt non possit de ijs non cogitare: quare ad eum eliciendum nullus prærequiritur actus voluntatis. Ita Vasquez 1.p.disp. 219.num.6.& Turrian.2.2.disp.43.dub.3. §.*Sed contrariam.* Et est apertè D.Thom.2.2.qu.5.a.2. ad 2. vbi docet, dæmones cogi ad credendum ex perspicacitate intellectus: & ad tertium docet, eos euidentia notarum fidei compelli ad credendum, idque contra voluntatem, siue ita vt hoc ipsis displiceat. Nec his obest quòd in responsione ad 1. dicat eorum fidem esse quodammodo coactã: quia hoc non dicit quòd putet eam ex parte esse liberã, vt vult Bañez suprà. Sed quia non est verè & propriè loquendo coacta: nam cùm hic assensus procedat ab intrinseco, in eo nequit esse propriè dicta coactio, quæ significat vim extrinsecus illatã passo non cooperante. Hæc conclusio sequitur apertè ex dictis 27 *Dæmon necessariò & inuitus assentitur rebus fidei.* *Vasquez. Turrian. D.Thom.*

dictis conclusione tertia, vbi ostendi hanc veritatem dæmonibus clarissimè obijci; sicut autem oculus apertus necessariò videt rem sibi clarè obiectam: ita etiam intellectus veritati clarè sibi propositæ necessariò assentitur, quia non est potentia libera, nec suos actus habet in sua potestate; nam hoc soli voluntati immediatè conuenit.

28 Fides peccatoris tripliciter differt à fide dæmonum.

Ex dictis sequitur, fidem peccatoris fidelis tripliciter distingui à fide damnatorum. Primò, quia illa est in substantia supernaturalis, hæcnon. Secundò, quòd illa pro immediato suo obiecto formali habeat præcisè diuinam auctoritatem reuelantē, & nullo modo nitatur discursu, ideoque est vera & propriè dicta fides; hæc verò fit cùm discursu, & tamquam obiecto formali, saltem partiali & proximo nititur immediatè ipsa euidentia consecutionis, siue connexionis consequentis cum antecedente. Ideò enim damnatus assentitur alicui propositioni de fide, quia clarè videt eius veritatem, ex testimonio Dei clarè sibi cognito, aut ex alijs fidei notis sibi clarè cognitis euidenter sequi, atque ita eius assensus non est propriè dicta fides, sed potiùs scientia à posteriore; vt dixi disput.9.dubio 8. Tertiò, quia prior fides necessariò pendet à libero actu voluntatis, ideoque libera est; hæc verò est omnino necessaria, vt suprà ostendi, nec pendet ab actu voluntatis, nisi quandoque remotè: quatenus aliquando est in potestate dæmonis de quibusdam fidei mysterijs non cogitare. sed hoc non est generale; nam sæpè nullo modo efficere potest, vt de quibusdam non cogitet, quando ei nimis clarè ex aliqua occasione obijciuntur: imò de quibusdam etiam voluntate repugnante semper necessariò cogitat, ijsque assentitur, v.c. quòd propter sua peccata à Deo puniatur; quodque ipsius manum sine punitionem nullo modo possit effugere, & similibus.

Qua ratione dæmon libere aut necessariò assentiatur rebus fidei.

29 Ad primum argumentum positum num.20. Respondeo fidem in ijs statim à morte aut damnatione perire, Deo subtrahente ei concursum: idque tum ratione status, cui tale donum omnino inconueniens, inutile & otiosum est; tum etiam ratione malæ voluntatis assensui fidei repugnantis: vt ostendi concl.1.

Ad secundum, nego assumptum; tum quia hæc distinctio non est ita necessaria, vt ideo tātum Dei donum in damnatis debeat perpetuò conseruari: tum etiam quia alia ratione poterūt facilè distingui, scilicet aut per characterem, si baptizati sint, aut aliàs per peccata infidelitatis, quæ alij commiserunt.

30 Variæ explicationes illius Iacobi 2. *dæmones credunt*, &c.

Ad tertium, respondent multi Apostolum non comparare ibi fidem peccatoris, cum fide dæmonis in omnibus: sed in eo solùm, quòd vtraque sit infructuosa & inutilis ad salutem, quamdiu illa manet sine caritate. Quæ quidem vera sunt, sed non satisfaciunt argumento, nec ostendunt quomodo hoc supposito argumentum Apostoli sit bonum.

Lorca. Lorca igitur 2.2.disp.30.nu.8. respondet argumentum valere, quia cùm vtraque fides sit verè insufficiens ad salutem, benè Apostolus arguit à simili, ex insufficientia vnius inferendo insufficientiam alterius, quia etsi peccatoris fides sit altera melior, tamen non potest dici sufficere ad salutem.

Sed secundùm hanc responsionem argumentum Apostoli supponeret tam fidem peccatoris quàm dæmonis esse inutilē ad salutem, licet illa sit minùs inutilis; & deinde à simili ex eo quòd dæmonis fides sit inutilis ad salutem, probaret fidem peccatoris etiam esse inutilem, atque ita apertè supponeret id, quod probandum est, scilicet fidem peccatoris quamdiu deest caritas esse inutilem siue insufficientem ad salutem.

31 Vera explicatio illius loci.

Pro resolutione Nota ex dictis disput.14.dubio 7. caritatem ex fide, sicut folia & fructus ex radice arboris, pullulare: atque ita sicut hæc dicuntur vita arboris, quia sunt signum vitæ arboris, & earum productio est actus vitalis, atque ita actualis quædam vita ipsius arboris; ita opera caritatis sunt signum vitæ fidei, & quædam vitalis ipsius actio. Vnde sicut ex eo, quòd videamus arborem nec fructus, nec folia proferentem, colligimus eam esse mortuam: ita S.Iacobus cap.2. vers.17. ex eo quòd fides *Iacob.2.* nullos bonorum operum fructus proferat, bene infert eam esse mortuā. Deinde v.18.id confirmans ait: *Tu fidem habes, & ego opera; ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* ac si diceret, Tu potes quidem dicere te habere fidem viuam: sed nō potes id ex actionibus vitalibus probare. Deinde rursum sibi obijcit: *Tu credis quoniam vnus est Deus*; id est, dices mihi, Ipso actu fidei, quo credo Deum esse, vitaliter in eum tendo: ergo habeo viuam fidem. Et respondet: *Benè facis: & dæmones credunt, & contremiscunt.* ac si diceret, Bene quidē facis credendo, & habes inde initium vitæ, sed hoc non sufficit vt probes te habere vitam, quādiu non profers fructus vitæ, scilicet opera bona: nam licut quantumuis fides dæmonum tendat etiam in Deum, quē esse credunt & contremiscunt, & hac ratione videatur habere vitam; tamē ex eo quòd non proferat bona opera, quæ sunt signa vitæ, benè colligimus eam esse mortuam & otiosam; ita ex eo quòd tua fides etiam non proferat bona opera, similiter bene colligimus eam esse otiosam & mortuam. quāuis enim vtraq; fides multùm differat secundùm sua intrinseca, tamen in eo vna alteri similis est, quòd neutra exerceat actiones vitales proferēdo bona opera; vt per se patet, & ipse Apostolus in præcedentibus de fide peccatoris probauit. Cū igitur præcisa actualis ratio, cur fides dæmonis (siue aliàs sit propriè dicta fides, siue non, quod ad rem præsentem impertinens est) dicatur otiosa ac mortua, sit quòd ipsa disiuncta à caritate nequeat proferre fructus siue opera vitæ: ex eo quòd fides peccatoris similiter tales fructus proferre nequeat, bene infert Apostolus eam similiter esse otiosam, ac mortuam. Sicut etsi corpus hominis sit longè perfectius corpore vermis, tamen ex eo quòd neutrum exerceat actiones vitales, æqualiter colligimus vtrumque esse mortuum. Atque ita optimum est argumentum Apostoli.

Quare in tertio argumento suprà allato, nego antecedens: quia Apostolus ibi ex eo quòd dæmonum fides non sufficiat ad salutem, nullo modo directè & immediatè intendit probare fidem peccatoris non sufficere ad salutem, prout in illo argumento sumitur. Sed solùm ex eo quòd dæmonum fides sine operibus est otiosa, infert fidem peccatoris similiter carentem operibus bonis, similiter esse otiosam siue mortuam. Ex quo relinquit inferendum eam non prodesse ad salutem: quod etiam versu sequenti probat.

In quo Patres comparent fidem peccatoris cum fide dæmonis.

Ad confirmationem, Respondeo Patres fidem peccatoris cum fide dæmonis solùm in hoc comparare, quòd vtraque sit mortua, & inutilis ad salutem, quamdiu ille manet in peccatis; imitantur enim apertè modum loquendi ac argumentandi ipsius Apostoli.

DVBIVM III.

Vtrùm fides maneat in hæreticis?

32 Ex ignorantia dissentientes vni articulo fidei, alio actu eũdem implicitè credũt.

SAtis constat, dissentientes vni articulo fidei, non perdere statim fidem acquisitam circa alios articulos. Item constat, eos qui ex ignorantia inuincibili dissentiunt alicui articulo fidei non perdere fidem infusam: quia eum ipsum articulum pergunt implicitè credere, quatenus explicitè credunt omnia quæ Ecclesia docet esse vera, & à Deo reuelata. Sed difficultas est, vtrùm fidelis qui voluntariè dissentit alicui articulo, quem non ignorat esse de fide, perdat statim fidem infusam circa alios omnes fidei articulos? Durandus in 3. d.23.q.9.a. 1. id negat. Primò, quia talis pergit eodem modo credere reliquos articulos, sicut antè: ergo retinet circa hos fidem. Secundò, quia possum perdere habitus acquisitos, v.c. scientiam circa vnum obiectum, & eos retinere circa alia: ergo idem dicendum est de habitu infuso.

Durand.

33 Conclvsio. Certum est in hæreticis non manere fidem infusam, siue fideles qui voluntariè dissentiunt vni articulo statim amittere fidem infusam circa omnes alios. Ita D. Thom. 2.2.qu.5.a.3. & cum eo communiter ferè omnes Theologi.

D. Thom.

1. Timoth. 1. Probatur Primò, ex 1. ad Timoth. 1. vbi in fine dicitur hæreticos naufragari, siue naufragium fecisse circa fidem: qua phrasi significatur eos hanc absolutè perdidisse. Vnde Chrysost. hom. 5. in eam epistolam dictum locum explicans, docet: sicut is, qui naufragium fecit amissis omnibus nudus euadit; ita eum qui ex fide excidit, nihil sibi ex Dei donis ac virtutibus ampliùs retinere. Cùm igitur iuxta Apostolum omnis hæreticus fidei naufragium faciat, sequitur, eum nec fidem, nec alias virtutes ampliùs retinere.

Chrysost.

34 *Trident.* Probatur Secundò, ex Trident. sess 6. cap. 15. vbi ait: *Asserendum est non modò infidelitate, per quã & ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio peccato mortali, quamuis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti.* Vbi apertè docet, fidem amitti per infidelitatem, idque sicut gratia iustificans amittitur per quoduis peccatum mortale: atqui omnis hæresis est vera infidelitas; item per omne peccatum mortale gratia iustificans penitus amittitur: ergo etiam fides per quamuis hæresim penitus amittitur.

Probatur Tertiò, quia aliàs hæreticus errans circa vnicum articulum maneret verè fidelis: nam retineret ipsum habitum fidei, quo propriè constituimur fideles, vt patet in infantibus baptizatis, qui verè fideles sunt, etsi actum fidei numquam habuerint, nec habere possint. Item talis alios articulos fidei vera fide supernaturali crederet, atque ita etiam ex hac parte posset absolutè dici fidelis, sicut debet absolutè dici Mathematicus, qui pauculas conclusiones Mathematicas ignorat, aut circa eas errat, quando alias bene calleat. 35 Cõstituimur propriè fideles per habitum fidei.

Durandus suprà concedit totum; aitque non esse absurdum si aliquis dicatur secundùm habitum, & alios actus fidelis, qui circa vnum aut alterum actum est infidelis. 36 *Durand.*

Sed hoc dici nullo modo potest: quia inde sequeretur, talem manere verum membrum Ecclesiæ, quæ est congregatio omnium fidelium, & consequenter omnes fideles sunt membrum huius congregationis siue Ecclesiæ, secluſa saltem excommunicatione. Illud autem apertè absurdum est, cùm constet hæreticos etiã præscindendo ab omni excommunicatione ab Ecclesia alienos esse. Hæreticus nequit dici verè fidelis.

Confirmatur ex Apostolo 2. ad Corinth. 6. v. 14. vbi docet, fideles non debere ducere iugum siue contrahere matrimonia cum infidelibus, quia non potest esse participatio iustitiæ cum iniustitia, luci cum tenebris, Christo cum Belial, fideli cum infideli, &, vt ait Cyprian. lib. 4. epist. 3. ad Cornel. in fine, *Nulla societas fidei cum perfidia esse potest.* atqui secundùm sententiam Durandi in eodem Ecclesiæ corpore esset hæreticus cum Catholico, fide inter se tamquam membra colligati, & in eadem anima essent fides, & hæresis siue perfidia consociatæ, & consequenter esset participatio & societas luci cum tenebris, iniquitati cum iustitia, fidei cum perfidia. *2. Cor. 6.* *Cyprian.*

Huius conclusionis rationem quidam reddunt, quia qui voluntariè dissentit alicui articulo fidei, quem Ecclesia omnibus credendum proponit, recedit ab infallibili regula proponente nobis obiecta fidei, eamque suo facto iudicat esse fallibilem; & consequenter non retinet infallibilem regulam proponentem res credendas, atque ita alios articulos nequit credere ob testimonium Dei nobis per Ecclesiam infallibiliter propositum: sed solùm eos credit sequendo suum proprium iudicium, quod fallibile est; & consequenter non credit illos vera fide. 37

Sed hoc non satisfacit, quia etsi assensum fidei, vt ostendi disp. 13. dub. 1. necessariò præcedat prũdens iudicium quo res credenda iudicatur euidenter credibilis, idque communiter & securissimè nitatur auctoritate Ecclesiæ tamquam infallibili omninò regula; tamen hæc non est sola regula, qua iudicium illud securè possit niti: nam iudicium quo iudicamus nobis credendum esse Ecclesiam habere infallibilem omnino auctoritatem proponendi res fidei, debet 38 Iudicium præcedens actum fidei non nititur necessario auctoritate Ecclesiæ.

debet alijs notis, siue alio fundamento niti. Nam cùm hæc infallibilitas auctoritatis Ecclesiæ non sit mihi per se euidens, vt iudicem auctoritatem Ecclesiæ esse omninò infallibilem, debeo hoc ex alijs notis cognoscere. Et tamen hoc iudicium nititur sufficienti regula qua dirigatur. Ex quo patet actum veræ fidei posse dirigi alia regula, quàm auctoritate Ecclesiæ. Item fieri potest, vt aliquid alicui priuatim reueletur sufficienter, vt teneatur illud credere: quę fides, & iudicium eam præcedens nulla ratione nitūtur auctoritate Ecclesiæ: ergo qui habet eiusmodi priuatam reuelationem, retinebit circa hanc, eiusque obiectum fidem infusam, etsi dissentiat alicui articulo ab Ecclesia sibi proposito, & contrà dissentiens priuatæ reuelationi etiam cùm ei tenetur credere, poterit assentiri articulis ab Ecclesia propositis, quia ab hac regula non recessit.

Ob hæc argumenta quidam admittunt hæc illata; sed omninò absurda sunt; & euidenter pugnant cum argumentis suprà allatis, & cum aperta veritate, vt statim ostendam.

39 Cur dissentiens vni articulo amittat fidem circa alios.

Tota igitur huius conclusionis ratio est, quia fides infusa non constat diuersis partibus, quibus ad diuersa obiecta extendatur, sicut contingit in habitibus acquisitis; sed hac ex parte est res omnino simplex, vt ostendi disput. 16.dub.2.concluf.7.& consequenter nequit ex parte, siue quatenus spectat vnum obiectum amitti, & ex parte alia, siue quatenus spectat alia obiecta retineri, prout contingit in habitibus acquisitis: atqui qui dissentit vnico articulo fidei sufficienter sibi proposito, ita vt teneatur eum credere, (siue hic sit toti Ecclesiæ reuelatus, siue ei soli priuatim) verè amittit fidem infusam circa eum articulum: ergo etiam amittit eam circa alios articulos.

Consequentia clara est. Minorem etiam Durandus admittit; & probatur, quia talis circa eum articulum admittit actum directè moraliter repugnantem fidei infusæ, non minùs quàm omne peccatum mortale repugnat caritati: ergo propter illum actum amittit fidem infusam circa illum articulū, & consequenter circa alios omnes, sicut peccans mortaliter amittit caritatem. vide quæ dicam disp.18.dub.4.

40 Ad primum argumentum Durandi positum n.32. nego anteced. nam talis priùs credebat alios articulos fidei assensu supernaturali in substantia, post hæresim autem solùm credit eos assensu naturali. An autem eos possit credere propter idem obiectum formale, vide dicta disp.14.dub.2.

Ad secundum, nego consequentiam: patet enim diuersam esse rationem in habitu fidei, qui omnino simplex est, & in alijs scientijs, quæ per diuersas partes, ad diuersas conclusiones extenduntur. Vtrùm autem habitus theologicus, eiusue actus maneat in hæretico, dixi disp. 4.dub.6.in fine.

DVBIVM IV.

Vtrùm fides maneat in Beatis aut in existentibus in Purgatorio?

TErtul. l. de Patientia c.12. Irenæus l.2.contra hæreses cap.47.explicans illud Apostoli 1.ad Corinth.13. *Nunc autem manent, fides, spes, caritas.* & Photius in eundem locum, videntur sentire fidem manere in patria; tamen Valentia 2.2.disp.1.q.5.puncto 2.& quidam alij conantur eos in vero sensu explicare, vt non velint veram fidem ibi remanere, sed cognitionem ei aliquo modo similem. Quidā etiam Scholastici putant fidem verè manere in patria, non quidem circa illa obiecta quæ Beati ibi intuentur, sed circa alia, quæ Deus ijs reuelat futura. Hæc enim non vident in se, sed solùm propter auctoritatē Dei reuelantis ea credunt: ergo per veram fidem. 41 *Tertull.* *Irenaus.* 1.*Cor.*13. *Photius.* *Valentia.*

Conclvsio I. Actus fidei non manet in Beatis. Est ferè communis Theologorum, & videtur apertè sententia Apostoli 1.ad Corint.13. vbi caritatem comparans cum fide, alijsque donis supernaturalibus, de illa tamquam aliquid singulare prędicat quòd nunquam excidat, siue quòd etiam in patria perseueret. & cùm ostendisset quomodo per fidem hîc imperfectè, & ex parte, ac in ænigmate cognoscamus, subdit: *Cùm autem venerit quod perfectum est* (nimirum clara & perfecta cognitio patriæ) *euacuabitur quod ex parte est*, scilicet imperfecta fidei cognitio. Item 2.ad Corinth.c.5.docet, nos hîc peregrinari à Domino, quia per fidem ambulamus, & non per speciem, id est non per claram visionem: ideoque nos cupere peregrinari à corpore, siue hoc corpore per mortem exui, vt præsentes simus Domino eum clarè intuendo. Vbi apertè hæc duo opponit, fidem claræ visioni, & docet nos tamdiu peregrinari à Domino, quamdiu per fidem ambulamus; & consequenter desituram fidem statim ac desinemus peregrinari à Domino. Vide dicta disp.11.dub.1.concl.1. vbi rationem huius conclusionis reddidi, ex qua patet solutio argumenti contrarij. 42 1.*Cor.*13. 2.*Cor.*5.

Conclvs.II. Non manet in Beatis habitus fidei. Est etiam ferè communis Theologorū. Et ratio est, quia esset ibi frustra, cùm numquam posset exire in actum: & intellectus longè meliùs in ordine ad cognitionem rerum diuinarū omni ratione perficitur per lumen beatificum, quàm per fidem posset perfici; ideoque illo veniente, Deo subtrahente concursum hæc euacuatur, quia frustra conseruaretur, etiam secundùm habitum voluntatis, quia hic non habet vsum nisi vt eliciat actum imperantem assensum fidei. 43

Conclvs.III. Manet fides in animabus existentibus in Purgatorio. Ita Malderus 2.2.q.5.a. 2.dub.3. Et videtur communis. Et ratio est, quia cùm illæ nondum clarè Deum videant, verè adhuc peregrinantur à Domino, & consequenter ambulant per fidem; & cùm nondum ijs aduenerit quod perfectum est, nondum in iis debuit euacuari quod erat ex parte, vt apertè colligitur ex locis Apostoli citatis n.42. 44 *Malderus.*

D. VBIVM V.

Qua ratione fides sit maior in vno, quàm in alio.

45 *D. Thomas.* DIuus Thomas 2.2.q.5.ar.4. respondet fidē posse esse maiorem in vno quàm in alio. Primò, ex parte obiecti materialis, quia qui habet maiorem cognitionem rerum fidei, plura explicitè credit, quàm alius qui habet minorē earumdem cognitionem. His adde, quosdā simpliciter plura credere quàm alij, non solùm explicitè, sed etiam implicitè credant. v.c. nūc credimus Cornelium Act.10. misisse nuncios, qui quærerent S. Petrum; illumque ab hoc postea in fide instructum, & deinde baptizatum fuisse, & alia similia particularia quæ Apostoli egerunt; quæ antiquis Patribus neque explicitè, neque implicitè fuerunt reuelata, vnde ipsi ea nullo modo potuerunt credere fide diuina; quia hac nihil possumus credere quod reuelatum nō sit. Item quædam interdum aliquibus in particulari reuelātur, quæ circa eorum statum particularem pertinent, quæ antea nullo modo fuerunt reuelata, & consequenter non potuerunt fide diuina credi.

Quidam fideles & explicitè & implicitè plura credūt quàm alij.

Act.10.

46 Secundò, docet fidem posse esse maiorem ex parte subiecti, idque rursum dupliciter. Primò, ex parte ipsius intellectus, *propter maiorem certitudinem & firmitatem.* Secundò, ex parte voluntatis, *propter maiorem promptitudinem, seu deuotionem aut confidentiam.*

Circa quæ apparet quædam difficultas. Nam cùm fides nostra nitatur testimonio primæ veritatis omnino infallibili, idque firmissimè, ita vt nihil credam firmiùs, videtur fides non posse esse certior in vno, quàm in altero. Sed respondeo, hinc solùm probari, fidē non posse certiorem esse in vno quàm in alio, quantum est ex parte obiecti formalis. Item ex parte subiecti (modò sit vera fides theologica) necessariò esse firmiorem quouis alio assensu naturali; cum hoc tamen optimè consistit, quòd vnus alijs firmiùs fidei mysteria vera fide theologica credat. Nam qui promptè & immobiliter obiectis fidei adhæret, firmiùs ea credit, quàm is qui difficulter & mobiliter ijsdem adhæret; ita vt accedente tentatione facile possit à sua fide dimoueri. Sicut etsi omnes qui Deum vero actu caritatis amant, eum ament super omnia, tamē vnus eum etiam appretiatiuè magis alio amat, vt infrà suo loco ostendam: ita quāuis omnes ijs, quę vera fide diuina credimus, firmiùs assentiamur, quā alia ratione cognitis, tamen fieri potest vt vnus alio firmiùs ijsdem assentiatur. Posito autem quòd vnus alio firmiùs articulos fidei credat, etiam ceteris paribus eosdem certiùs credit; quia quo assensus est firmior, eo ceteris paribus est certior: sicut quo est infirmior, eo ceteris paribus est incertior. vide dicta disp.14.dub.4.n.44.&c.

Fides in vno est firmior, atque ita certior quā in alio.

47 Ex his patet varijs modis posse contingere fidem esse perfectiorem in vno, quàm in alio. Primò, intensiuè, quia is qui plures & intensiores fidei actus elicuit, habet habitum intensiorem. Secundò, extensiuè, quia nimirum vnus plura credit, quàm alius, iuxta dicta suprà. Tertiò, ratione maioris firmitatis ac certitudinis, iuxta dicta n.47. Quartò, ratione maioris promptitudinis ac facilitatis exeūdi in actum. Prouenit autem hæc maior firmitas ac promptitudo Primò, ex clariore rerum fidei propositione, aut apprehensione, qua quis siue ex ingenij inclinatione, siue ratione maioris & frequētioris meditationis, aut etiā ex diuina gratia & illustratione clariùs & perfectiùs obiecta fidei vt credibilia, ac notas siue rationes eorū credibilitatem persuadentes apprehendit, atque ita faciliùs & firmiùs ijs adhæret. Secundò, eò quòd alicui pauciores difficultates credendi, siue rationes, quibus fides possit impugnari, occurrant. Quę causa sæpè nascitur ex priore: quo enim aliquis clariùs apprehendit res fidei vt credibiles, eo minùs turbatur rationibus ei in specie contrarijs, aut etiam hæ minùs ei occurrunt.

Fides variis modis est in vno perfectior, quā in alio.

Vnde oritur maior facilitas ac firmitas assensus fidei.

Aliàs etiam prouenit ex simplicitate ipsius credentis, siue quia hic nequit apprehendere subtilitatem aut vim rationum, quæ secundùm apparentiam fidei repugnant, atque ita ijs non turbatur, aut etiam ei numquam occurrūt; præcipuè tamen hæc prouenium ex gratia Dei nos custodientis ac impedientis ne nimiùm eiusmodi rationibus turbemur.

Tertiò, hæc facilitas prouenit ratione maioris habitus acquisiti; hi enim habitus nō solùm per actus naturales, sed etiam per supernaturales acquiruntur, & vtrosque facilitant. 48

Quartò, ratione maioris feruoris ipsius volūtatis: hæc enim bene & feruidè affecta erga Deū & reuerentiam primæ veritati debitam, facilè efficit, vt intellectus vehementer apprehendat tamquam certissimè & sine vlla vlteriore inquisitione constantissimè credenda ea, quæ vt à Deo reuelata nobis Ecclesia proponit: qua apprehensione posita facilè ijs assentitur. Et hanc fidem solet consequi magna in Deum fiducia, siue spes quæuis ad salutem pertinentia ab eo consequendi.

Item hæc solet sæpè vocari fides miraculorum; ac de ea videtur locutus Dominus Matth. 17. vbi discipulis ait: *Amen dico vobis si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc, & transibit.* Exigit enim ab ijs fidem feruidam & coniunctam cum magna fiducia, sicut granum sinapi calidum & efficax est. *Matth.17.* *Quæ dicatur fides miraculorum.*

Quintò, demum fides redditur perfectior ratione caritatis eam moraliter informantis, à qua eius actus accipiunt dignitatem moralem, & quòd sint de cōdigno meritorij vitæ æternæ.

Ex his facile est respondere ad illam difficultatem, quam hîc aliqui proponunt, an fides possit minui? Dicendum enim est habitum fidei secundùm perfectionem suam intrinsecam siue physicam, siue secundùm intensionem non posse minui, quia per actum hæreseos tota tollitur. Item alij actus ei non contrariantur secundùm perfectionem physicam, siue intensionem, sed solùm secundùm perfectionem extrinsecam aut moralem, adeoque per hos non minuitur in priore perfectione, sed solùm in secunda, quatenus nimirum homo amissa per peccatum mortale gratia, nequit ampliùs elicere 49 *Vtrum fides possit minui.*

cere actus fidei meritorios,& redditur etiã sæpè minùs promptus & constans in credendo,nec habet illam fiduciam, quæ solet ex fide formata nasci.

DVBIVM VI.

Quibus actibus habitus fidei in nobis augeatur, siue intendatur?

30 HAc in re inter omnes constat, habitũ fidei intendi per actus fidei ipso habitu intensiores, quando hi eliciuntur à subiecto existẽte in gratia:nulla enim potest esse ratio hoc negandi. Sed difficultas est Primò, an augeatur per actus fidei informis; Secundò, an augeatur per actus fidei habitu remissiores; Tertiò, an augeatur per actus aliarum virtutũ. Agimus autem hîc solùm de augmento secundùm intensionẽ.

31 Circa primam difficultatem videtur absolutè dicendum eum per tales actus non augeri, quia habitus virtutum supernaturaliũ non augentur in nobis nisi meritoriè, saltem extra susceptionem Sacramenti: atqui tales actus in peccatore non sunt meritorij:ergo per eos fides non augetur. Et hanc sententiam necessariò sequuntur ij omnes, qui negant fidem vmquam infundi ante caritatem, quos citaui disp.6.dub. 4.n.49.

32 Fides intenditur etiam per actus fideiinformes. Sed tenendo sententiam quam ibidem n.51. tamquam veriorem amplexus sum, dicendum est hunc habitum intendi etiam per actus fidei informes, saltem quando hi sunt intensiores habitu: quia sicut primus actus fidei per modum dispositionis aut meriti de congruo potest esse causa cur Deus peccatori primò infundat habitum fidei;ita sequentes actus, præsertim si habitu sint intensiores, simili modo possunt esse causa cur Deus peccatori infundat augmentum illius habitus secundùm intensionẽ: posito enim priore nulla est ratio negandi secundum: quare quicumque tenent prius, necessariò tenent secundum, & nominatim Bañez 2.2.q.5.a.4.in 3. concl.& in fine dubij. Valentia ibidem puncto 4.in fine.Turriah.disp.45.dub.1. Lorca disp.32. in fine.

Bañez. Valentia. Turrian. Lorca.

Ad argumentum contrarium, Respondeo habitus supernaturales nostris actibus posse augeri non solùm ex merito de condigno, sed etiã per modum dispositionis aut meriti de cõgruo, quando ij habitus possunt manere in peccatore. patet ex dictis.

33 Circa secundam difficultatem ij omnes qui docent gratiam habitualem in iusto non augeri per actus habitu remissiores, consequẽter idem dicent de habitu fidei:est enim eadem ratio. Sed sicut disput.8.dub.9. ostendi multò verius esse gratiam habitualem in iustis augeri per actus ea remissiores:ita similiter dicendũ est habitum fidei augeri per actum se remissiorem, quãdo hic à iusto elicitur: nam in iusto non solùm caritas, sed etiam fidei actus meretur augmentum habitus,nec est ratio hoc negandi:nec puto vllum ex ijs qui prius concedunt, negaturum secundum. An verò habitus fidei etiam in peccatore augeatur per actus remissiores,maius est dubiũ. Cum Turriano tamen suprà puto, probabilius esse eum per tales actus augeri, per modum moralis dispositionis,aut meriti de congruo: præsertim cùm non sit improbabile etiam habitus acquisitos augeri per actus ipsis remissiores: sæpiùs enim eiusmodi actus exercentes experimur in nobis gigni maiorem facilitatem & inclinationem ad eosdem producendos.

Fides in iusto intenditur actu habitu remissiore.

Idem probabile est fieri in peccatore.

Circa tertiam difficultatem res est satis dubia, quia pro neutra parte habemus satis certa fundamenta. Turrian. suprà citans Aragonium, negat fidem per eiusmodi actus augeri:quia alia est ratiõ fidei & gratiæ habitualis, quæ per omnes eiusmodi actus augetur, eò quòd per singulos eorum homo fiat Deo actualiter gratior, atque ita meretur gratiæ augmentum: per eos tamen non fit magis fidelis, atque ita non meretur fidei augmentum. Confirmari potest:quia cùm caritas maneat in patria, & ei, non autem propriè fidei,respondeat visio beatifica,in qua fundamentaliter consistit tota nostra beatitudo (erit enim ibi beatior, non qui hîc habuerit intensiorem fidem, sed qui habuerit hîc maiorem caritatem) sicut iustus per quosuis actus supernaturales bonos meretur maiorem beatitudinem; ita etiam necessariò meretur augmentum caritatis, & consequenter aliarum virtutum moralium, quæ in sui infusione, conseruatione, & augmento cum caritate necessariò connexæ sunt. Secùs est in fide quæ in patria non manet, nec cum caritate necessariam habet connexionem,atque ita non necessariò simul cum ea augetur. 54 *Turrian.*

Et ob dicta argumenta hæc sententia est valdè probabilis in iusto habente habitum fidei intensiorem habitu caritatis. Secùs tamen est dicendum in eo qui non haberet illum hoc intensiorem: quia aliàs fieri posset, vt quis tandem haberet alios habitus infusos intensiores habitu fidei:quod videtur absurdum Nam sicut alij habitus infusi tam in produci,quàm in conseruari ex Dei statuto necessariò dependent ab habitu fidei: ita etiam videntur omnino ab eodem dependere in suo augmento; atque ita non posse eo in eodem esse intensiores. vide dicta disp.6.dub.4.num.60.& 61.

Habitus fidei augetur per actus aliarum virtutum, quãdo non est his intẽsior, aliàs non.

DISPVTATIO XVIII.

De infidelitate.

DVBIVM I.

Quotuplex sit infidelitas?

1 QVidam ponunt triplicem infidelitatem. Primò, merè negatiuam, quam volunt esse in ijs, qui res fidei ad salutem necessarias inuincibiliter ignorant. Secundò, priuatiuam, quam ponunt in ijs qui culpabiliter res fidei ignorant. Tertiò, positiuam, quando quis positiuè errat contra fidem, credendo aliquid ei contrarium, aut negando eam esse veram.

2 Nulla datur infidelitas merè negatiua. Quæ distinctio quod ad rē attinet, est vera, sed prima infidelitas impropriè dicitur merè negatiua; cùm sit ignorantia obiecti debiti cognoscì, ac negatio fidei debitæ inesse. Cùm enim ea fides sit illis necessaria ad salutem necessitate medij vel præcepti, sine dubio est ijs debita inesse, & ipsi ad eam acquirendam obligantur, etsi ob inuincibilem ignorantiam eam non inquirendo à culpa excusentur, vt dixi disp.14. n. 222. Cùm igitur omnis negatio rei debitæ inesse sit vera priuatio, hæc infidelitas debet etiam dici priuatiua. Quare si aliqua infidelitas sit dicenda merè negatiua, hæc debet respicere fidem nullo modo debitam inesse; qualis respectu antiquorum fuit fides explicita Trinitatis, quam communiter saltem non tenebantur explicitè credere. Sed cùm eiusmodi ignorantia subiectum suum non efficiat vllo modo propriè infidele, nequit propriè dici infidelitas.

3 Omnis infidelitas aut priuatiua, aut positiua. Hinc infertur Primò, propriè loquendo infidelitatem immediatè diuidi in priuatiuam & positiuam. Item vtramque posse esse vel culpabilem siue vincibilem, aut etiam inculpabilem siue inuincibilem. Nam sicut aliquis potest inuincibiliter ignorare aliquem articulum fidei, quem tenetur credere, ità potest inuincibiliter putare aliquid, quod à parte rei falsum aut etiam hæreticum est, verè à Deo esse reuelatum, ac sibi tamquam tale credendum esse. Quando autem ignorantia rerum fidei debeat dici inuincibilis, & quando vincibilis, dixi disp. 14. n. 223. &c.

Vtraque potest esse inculpabilis.

4 Infidelitas priuatiua duplex. Rursum infidelitas priuatiua alia est absolutè talis, quæ scilicet consistit in priuatione, & actus & habitus fidei; & hac laborans dicitur simpliciter infidelis. Alia verò consistit in priuatione solius actus, & solùm est infidelitas secundùm quid; quia ab ea non dicimur absolutè infideles, sed solùm secundùm quid. Talis autem infidelitas est, quando aliquis fidelis aut culpabiliter ignorat ea, quæ tenetur explicitè credere, ideoque hæc non credit explicitè: aut quando in fide aliàs sufficienter instructus, non elicit actum fidei, quando ad id tenetur. Quando autem peccetur non eliciendo actum fidei, aut negligendo discere res fidei, dixi disput. 14. num. 205. & sequentibus, & num. 223. & sequentibus.

5 Aliquis quadrupliciter potest se habere circa articulum quē non credit. Nota quemuis sufficienter proposito sibi aliquo articulo fidei, quem antea non credidit, ita vt teneatur eum iam credere, quadrupliciter posse se habere. Primò, credendo eum non esse verum; Secundò, de eo dubitando; Tertiò, absolutè & positiuè, nolendo ei credere: ita tamen vt nec positiuè ei dissentiat, nec de eo dubiter; Quartò, habendo se merè negatiuè, siue nullum circa eum actum voluntatis aut intellectus eliciendo. Et in duobus prioribus modis est apertè infidelitas positiua, in quarto verò est apertè infidelitas priuatiua, quia cùm nullus hîc actus eliciatur, non potest esse nisi priuatio. Difficultas autem est de tertio modo, an sit infidelitas positiua, an priuatiua. Sed dicendum est esse positiuam, tum quia illa nolitio positiuè directè repugnat pio illi affectui, quo fides necessariò imperatur, quique censetur moraliter vnus actus cum assensu fidei, & ita communiter comprehenditur nomine fidei: tum etiam quia hoc ipso quo illa volitio positiuè directè contrariatur illi affectui, à quo assensus fidei necessariò pendet, etiam indirectè positiuè contrariatur ipsi assensui fidei. sicut qui diu me positiuè impedit ne respirem, positiuè impedit ne pergam viuere, & positiuè meæ vitæ contrariatur.

Nolens credere articulo sibi proposito, est positiuè infidelis.

DVBIVM II.

Vtrùm possit dari infidelitas siue ignorantia inculpabilis omnium omnino mysteriorum fidei?

6 SVprà disp.14. dub.11. ostendi in genere posse dari ignorantiam aliquarum rerum, quarum fides est ad salutem necessaria, etiam necessitate medij: earum scilicet, quarum cognitio nequit haberi sine Dei reuelatione: nunc autem quærimus vtrùm fieri possit vt quis etiam alia mysteria fidei, quæ possunt naturali lumine cognosci, possit inuincibiliter ignorare; aut si ea naturaliter aliquo modo cognoscat possit sine noua culpa ea non credere fide diuina, siue supernaturali. Præcipua autem difficultas est de fide vnius Dei, ac prouidentiæ ipsius, qua res humanas gubernat, ac peccatis offenditur, eaque punit.

7 Est igitur hîc difficultas. Primò, vtrùm aliquis adultus ratione vtens (de his enim solis hîc agimus) possit inuincibiliter ignorare esse aliquem Deum, aut eum habere rerum nostrarum prouidentiam, aut peccatis nostris offendi. videtur

detur enim id fieri posse. Primò, quia, etsi Deus possit cognosci ex suis effectibus, siue ex creaturis, tamen ad hoc videtur opus magno ingenio ac studio: quare rudiores si numquam de eo quidquam audiuerunt, poterunt eum inuincibiliter ignorare, aut saltem nescire eum res nostras curare. Secundò, quia multi etiam magno ingenio, & in studijs versati, & qui ab alijs suprà dicta sæpè audiuerunt, persuadent sibi ea esse falsa: quod fieri non posset si ea in se essent adeò perspicua, vt nemo ea posset penitus ignorare. Tertiò, quia non magis per se clarum est, quòd sit aliquis verus Deus, qui res nostras curat, quàm sit clarum falsos illos Gentilium deos, præsertim crocodilos, serpentes, & similia mõstra, non esse veros deos: atqui multi inuincibiliter putarunt hæc esse veros deos (quia aliàs ea tanto studio, tantisque impensis non coluissent:) ergo similiter poterunt inuincibiliter ignorare esse aliquem verum Deum.

8 Secunda opinio potest esse his planè contraria, scil. in adulto nullo modo posse esse inuincibilem ignorantiam veri Dei, aut prouidentiæ ipsius, aut inuincibilem errorẽ circa falsos deos, hos putando esse veros deos: & hanc opinionẽ necessariò sequuntur ij, qui putant non dari ignorantiam inuincibilem earum rerum, quarum fides ad salutem est necessaria, quos citaui disp. 14. dub. 11. num. 219. Et præter argumenta pro ea ibi allata, probatur Primò, quia ad Roman. 1. de Gentibus idololatris dicitur, quòd meritò à Deo puniantur: *Quia quod notum est Dei* (id est cognitio Dei) *manifestum est in illis: Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus & diuinitas: ita vt sint inexcusabiles.* vbi clarè docet, neminem ab hac cognitione excusari. *Rom. 1.*

Secundò, quia psal. 18. dicitur: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum: in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Vbi docet, cælos ac sidera ita Dei maiestatem & virtutem omnibus annunciare, vt nemo sit ad quem eorum vox siue doctrina non perueniat. *Psal. 18.*

Tertiò, quia Sapient. 13. 14. & 15. Baruch 6. & Isaiæ 44. fusissimè & grauissimè culpantur, ac demonstrantur inexcusabiles, qui relicto cultu veri Dei, falsos deos colunt: ergo nulli eorum sunt excusabiles. *Sapient. 13. 14. 15. Baruch 6. Isaiæ 44.*

9 Quartò, quia experimur nobis naturaliter esse inditos quosdam stimulos, quibus ad agnoscendum & timendum Deum incitamur; ita vt grauibus peccatis obnoxij, quantumcumque ea sint secreta, nec timeant ne ab hominibus puniantur, tamen intus semper sint inquieti, & punitionem horreant; & quantumcumq; conentur hos conscientiæ motus penitus extinguere, & sibi certò persuadere nullum esse Deum, qui scelera puniat; tamen id numquam possunt ita assequi, vt planè quieti eiusmodi stimulis non agitentur. Vnde etiam nullæ fuerunt vmquam nationes tam rudes ac barbaræ, quæ non habuerint aliquod numen, quod colerent, quodque timerent suis peccatis offendere. Nec his obstat quòd multæ gentes colant falsos deos, quia hoc faciunt temerè, & sine diligenti examine: nam si adhiberent tantam diligentiam, quantam rei magnitudo requirit ad inquirendam veritatem, facilè, præsertim Dei adiuuante gratia, possent videre, eos, quos colunt, non esse deos. Quod vel inde patet, quia ij ipsi semper suis dijs aliqua adscribunt, quæ euidentissimè cum vera deitate pugnant, vnde etiam in Scripturis suprà citatis dicuntur planè inexcusabiles.

Secunda difficultas est, vtrùm illi qui naturaliter agnoscunt esse vnum Deum habentem prouidentiam rerum humanarum, semper peccent, si id fide supernaturali non credant. Quidam apud Bañez 2. 2. q. 10. a. 1. dub. 1. §. *Sequitur secundò.* id videntur asserere. Et potest probari Primò, quia eiusmodi fides est etiam talibus necessaria ad salutem necessitate medij, & absolutè ab omnibus haberi potest; quia si illi, qui eam non habent, non ponerent impedimentum gratiæ, quam Deus ex parte sua omnibus offert, facilè possent illis rebus fide diuina assentiri: ergo tales peccant ijs ita non assentiendo. 10 *Bañez.*

Secundò, quia cui concionator fidem sufficienter annunciat, vt possit ei credere, peccat si ei non credat fide diuina: atqui, vt ait D. Augustinus l. 15. de Trinit. cap. 4. non solùm diuinorum librorum auctoritas, aut Euangelij præcones, sed omnis creatura nobis creatorem nostrum, eiusque prouidentiam annũciant. Quod maximè verum est, si iungamus Dei internam illustrationem, quam suo tempore non desinit omnibus immittere, qua eos ad talem sui cognitionem, qualis ad salutem requiritur, excitat: ergo omnes, qui hac cognitione siue fide carent, hoc ipso grauiter peccant. *Augustin.* Omnis creatura nobis Deum eiusq; prouidentiã annunciat.

Tertiò, quia Scripturæ n. 8. allatæ, & præsertim Sap. cap. 13. arguunt idololatras, non solùm quia idola coluerunt pro Deo, sed etiam quia non habuerunt talem Dei cognitionem, qualis ad salutem requiritur. Sapiens enim ait: *Vani sunt autem omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnouerunt quis esset artifex*: atqui scientia Dei quam in nobis requirit, est ipsa fides, sine qua omnis alia nostra cognitio hîc inutilis est; vnde etiam de ea scientia cap. 15. ait: *Noße enim te consummata iustitia est,* (id est via ad eam iustitiam) *& scire iustitiam & virtutem tuam radix est immortalitatis*: ergo Sapiens ibi arguit eos omnes, qui non habuerunt fidem diuinam vnius veri Dei. *Sap. 13.* *Sap. 15.*

Contrarium tamen tenet Bañez suprà: nam docet illos idololatras adorando plures deos peccare quidem contra ius & lumen naturæ, quæ docent id esse illicitum, non tamen peccare contra fidem si de ea nihil audierint. quod falsum esset si peccarent non credendo fide diuina contrarium: quare ipse debet tenere eos non peccare in eo præcisè quòd non credunt fide diuina esse vnum Deum. 11 *Bañez.*

Conclvsio I. Esse aliquem Deum qui res humanas gubernat, quemque ideo tenemur 12

Potest quis breui tempore, non tamē longo Deum inuincibiliter ignorare.

mur colere & reuereri, potest quidem ab ijs, qui hoc numquam audierunt, aliquantulo tempore, dum primò incipiunt vti ratione, inuincibiliter ignorari, non tamen notabiliter longo tempore. Hæc videtur aperta sententia

Vasquez. Sanchez. Pesantius.

Vasquez 1.2.disp.122.nu.3. & Sanchij libr.1. de Præceptis c.16.n.33.& Pesantij 2.2.q.10.a.1.disp. 4.concl.2. vbi hanc conclusionem docent de præceptis decalogi, inter quæ primum est de agnoscendo & colendo Deum.

Prior pars probatur, quia, etsi possit ex creaturis cognosci Deum esse, & res nostras gubernare; tamen hoc non est ita cuiuis obuium ac facile, quin aliquo serio studio ac ingenij contentione ad hoc opus sit; quare facilè fieri potest, vt homini rudi hac de re nihil audienti, cùm primùm ad vsum rationis peruenerit, aliquo tempore nulla ea de re incidat cogitatio, saltem ita vehemens ac efficax, vt eum sufficienter excitet, vt seriò de ea cogitet; nam pueri vix vmquam per se serias cogitationes suscipiunt.

13 Dices, Hinc sequetur talibus pro eo tẽpore esse impossibile iustificari, quia hoc fieri nequit sine fide vnius Dei. Respondeo negando consequentiam: quia etsi Deus talibus non inspiret quouis tempore tales illustrationes, aut internos instinctus, qui immediatè sufficiant ad Dei cognitionem ex creaturis consequendam, tamen numquam desinit ijs suis temporibus, prout iudicat expedire, dare aliquos instinctus, quibus incitantur ad vitanda ea, quæ sciunt esse mala; quibus si benè vterentur, daret ijs gratiam vlteriorem, qua tandem sufficientem Dei cognitionem acquirerent, & ad iustitiam peruenirent: ex illo igitur vt summum sequitur, non esse quouis instanti, aut etiam intra exiguũ tempus immediatè in omnium potestate contritionem elicere, aut alia ratione ad iustificationem se disponere. Quod nihil absurdi continet, quia inde nullo modo sequitur non esse absolutè & moraliter, ac secundùm communem modum loquendi in cuiusuis ratione vtẽtis potestate peruenire ad iustitiam, si velit auxilijs à Deo ipsi submini strat is bene vti. Nec etiam hinc sequitur, illis de quibus in conclusione agimus, ignorantiam rerum fidei imputari ad culpam, eò quòd ferè aliqua eorum culpa accidat quòd eiusmodi cognitione careant: quia quamuis peccent non bene vtendo gratia quam Deus de facto ijs dat, siue faciendo ea quæ sciunt esse mala, atque ita maiorem Dei gratiam, qua sensim ad fidem peruenire possent, impediant; tamen quia nesciunt se hanc ea ratione impedire, huius carentia non est ijs ad culpam imputabilis.

Tali tamen non est impossibilis salus.

14 Secunda pars probatur rationibus allatis pro 2. opinione n. 8. & 9. & confirmatur, quia, etsi fortè Deus eiusque prouidentia non ita clarè ac euidenter in creaturis eluceat, vt quiuis quantumuis rudis possit ea ex his certò cognoscere; tamen creaturæ dant facilè cuiuis aliquam ansam suspicandi esse aliquem Deum omnia gubernantem; præsertim cùm naturaliter sit nobis aliqua inclinatio ab auctore naturæ indita, quæ nos sæpè excitat ad iudicandum aliquod esse numen, à quo res omnes pendeant & gubernentur; vt probat 4. argumentum allatum nu.9. quem naturalem instinctum Deus etiam sua gratia ac interna illustratione solet iuuare, ita vt numquam aliquem diu relinquat sine aliqua eiusmodi cogitatione; habita autem semel eiusmodi cogitatione cùm res hæc gratissima sit, statim homo obligatur seriò ingeniũ suum intẽdere vt possit veritatem cognoscere: quod si faciat, Deus eum vlteriùs iuuabit. Quia tamen, vt dixi, in pueris qui recenter ad vsum rationis peruenerunt, eò quòd illa ætas præsertim in rudioribus sit naturaliter minùs capax vt ex se sine alterius instructione serias cogitationes suscipiat, naturales illi instinctus ad Deum seriò inquirendum tenues sunt, & facilè alijs cogitationibus ita obruuntur, vt illi hos vix aduertant, aut super eos non reflectant, sicut nec circa vllam aliam seriam cogitationem: ideoque vt ad talem cogitationem seriò suscipiendam efficaciter excitarentur, opus est singulari Dei illustratione, quam ipse non semper dat: hinc facilè fieri potest vt breui tempore eiusmodi cognitione inculpabiliter careant.

Habens alliquam Dei suspicionem tenetur tandem seriò de eo inquirere.

Creaturæ facilè cuiuis iniiciunt aliquam suspicionem Dei.

15 Nota, Pesantium suprà putare, aliquos posse etiam longo tempore inuincibiliter putare Deum non esse aliquid distinctum à cælo, aut sole: quia multi philosophi id putarunt, quanto magis rudiores id credent, qui spiritualia aut distincta ab ijs quæ sensu percipiunt concipere nequeunt? Sed hoc videtur repugnare Sapientiæ 13. vbi de ijs, qui solem vt Deum adorant, dicitur eos esse quidem minùs inexcusabiles, quàm eos qui lapides adorant, sed tamen ijs nullo modo ignoscendum esse, nec posse absolutè excusari: *Si enim tantum potuerunt scire, vt possent æstimare sæculum: quomodo huius Dominum non facilius inuenerunt?* Quare etsi fortasse hi aliquamdiu possint inuincibili ignorantia laborare, credendo aliorum auctoritati, dicentiũ solem esse Deum; id tamen non potest esse diuturnũ. Nam etsi fortè aliqui rudes & simplices, atque ita facilè alijs credentes, si sibi omnino relinquerẽtur, possent fortè tota vita sua inuincibiliter credere solem esse Deum, quia suos principes & sacerdotes audiunt id docentes: secùs tamen dicendum est, si spectemus Dei prouidentiã omnes homines occultis quibusdã instinctibus ad veri Dei cognitionem trahentem, quos si sequerentur, & prout ijs impelluntur veritatem diligenter quærerent, eam Dei auxilio facilè reperuent; vt etiam Pesant. suprà in fine illius conclusionis docet.

Sap.13.

Ignorantia credentium solem esse Deum nequit diu esse inuincibilis.

Pesantius.

16 Ex his facile erit respondere ad argumenta contraria: nam ferè alterutram partem nostræ conclusionis probãt. Ad primum positum n.7. Respondeo id solùm probare, tales homines nõ posse subitò veram Dei cognitionem assequi, sed opus ijs esse diligenti aliqua consideratione ac inquisitione. Item, eos per se non posse omnino certam eiusmodi cognitionem assequi: cũ quo optimè id stat, quod nos asseruimus & probauimus, scilicet eos non posse diu esse sine aliqua Dei suspicione, aut etiam probabili aliqua cognitione; qua habita statim summa diligentia tenentur veritatem inquirere. Quod si fece-

fecerint, Deus, qui ipsos ad huiusmodi inquisitionem excitat, eos etiam iuuabit vt possint veritatem certò assequi.

Quare aliqui fiant athei.

Ad secundum, respondeo hoc non prouenire ex rei obscuritate ac cognitionis difficultate, sed ex eorum prauitate, quæ eos occæcat, & quia, vt meliùs possint suis cupiditatibus indulgere, optarent Deum nullum esse, id sibi quantum possunt persuadent. Quamuis, vt suprà dixi, id sibi numquam ita persuadeant, vt omnem scrupulum siue dubitationem sibi possint eximere.

Numquam sunt sine scrupulo.

17 Ad tertium, nego maiorem loquendo de claritate respectu nostri, siue in ordine ad inuincibilem ignorantiam: nam, etsi per se loquendo, sit æquè manifestum falsos illos Gentilium deos non esse veros deos, quàm sit euidens verum aliquem Deum esse; tamen per accidens illud faciliùs à rudioribus potest ignorari. Quia homo naturaliter magis inclinatur ac incitatur, vt credat esse aliquem Deum, quàm vt credat illos falsos deos, non esse veros deos: vnde fit vt hoc faciliùs omnino ignoret. Quod experientia etiam suadet; longè enim plures videmus firmiter credere aliquod idolum esse Deum, quàm sint qui firmiter credant nullum omnino esse Deum.

Facilius est credere falsos deos esse verè deos, quàm nullũ Deum esse.

Respondeo Secundò, nego minorem: nam, vt patet ex argumentis allatis numer. 8. videtur fieri non posse, vt quis notabili tempore inuincibiliter credat ligna, lapides, crocodilos, & similia esse verè deos; nam Scripturæ ibi citatæ absolutè dicunt tales esse inexcusabiles: quod non esset ita generatim verum, si aliqui id credentes laborarent diu ignorantia omnino inuincibili, quia hæc simpliciter excusat à culpa. Dictæ tamen Scripturæ non sunt ita intelligendæ, quasi non possit fieri vt peruenientes ad vsum rationis, breui tempore eiusmodi veritatem penitus ignorent: nam de hoc casu Scriptura non agit, sed apertè agit contra eos, qui post perfectum rationis vsum in ijs erroribus perseuerant; prout faciebant illæ gentes, quas ibidem arguit.

Ex his etiam patet responsio ad argumenta posita num. 8. quatenus contra nos videntur facere: solùm enim probant aliquem vtentem perfectè ratione non posse diu eiusmodi inuincibili ignorantia laborare: quod nos etiam asseruimus.

18 Conclvsio II. Non solùm illi laborant infidelitate culpabili, qui diu omnino ignorant esse aliquem verum Deum qui res nostras curat, sed etiam ij qui id dubitanter credunt; res enim tanti momenti, summusque honor Deo debitus omnino exigunt vt statim ac aliquo modo nobis persuademus, aut etiam suspicamur esse talem Deum, veritatem diligentissimè inquiramus, eique cognitæ firmissimè adhæreamus, parati potiùs omnia pati quàm eam negare. vnde omnes vtentes perfectè ratione iudicamus atheos, ac impios eos esse qui de ea vel leuiter dubitant.

Dubitantes de Deo culpabiliter sunt infideles.

19 Conclvsio III. Qui quantum potest firmissimè sibi persuadet Deum esse, ac habere prouidentiam rerum humanarum, etsi sine fide supernaturali nequeat iustificari, tamen ex eo præcisè quòd fortè ea careat, non peccat nisi sciat eam sibi esse ad salutem necessariam, seque ea carere, ac negligat adhibere ea media quæ nouit ad eam acquirendam esse necessaria: vt contingit in ijs qui saltem valdè probabiliter sciunt solam nostram fidem esse veram, & tamen ob respectus humanos, nec eam exteriùs profitentur, nec seriò animum applicant vt interiùs ei seriò adhæreant. Illi autem qui numquam de nostra fide quidquam audierunt, cùm nullo modo possint suspicari eiusmodi fidem supernaturalem sibi esse necessariam, aut se eam consequi posse, quantumuis alijs suis peccatis sint causa, cur Deus ijs non infundat fidem, eosue interiùs magis illuminet, atque hac ratione possint dici sua culpa ea carere; tamen non peccant per hoc præcisè quòd ea careant, siue quòd eam non acquirant: quia sicut hoc ijs est omnino ignotum, ita etiam est ijs inuoluntarium.

Possunt aliqui inculpabiliter carere fide theologica.

Et in hoc sensu puto esse veram sententiam Bañez citatam num. 11. quamuis ipse plus videatur asserere, scilicet tales sua idololatria non peccare contra virtutem fidei: quod non videtur dici posse, nam apertè peccant contra eam virtutem, quæ nos obligat ad veram de Deo cognitionem habendam, & ad respuenda ea omnia, quæ illi cognitioni aduersantur: hæc autem virtus est ipsa fides. Nec eos excusat quòd ignorent nos teneri fide diuina credere vnum solum Deum esse colendum, quia sufficit eos facilè posse scire, nos teneri hoc aliqua fide siue cognitione nobis firmiter persuadere.

Ad primum argumentum positum numero 10. nego consequentiam: tales enim quando nihil omnino de necessitate fidei audiuerunt, excusantur à culpa per ignorantiam, vt iam ostendi. vide etiam dicta disp. 14. n. 224. 20

Ad secundum, respondeo, si is cui aliquis annunciat mysteria fidei hæc crederet ea ratione, qua ea per gratiam quam de facto habet, credere potest, etsi hic actus non esset supernaturalis in substantia, & consequenter nec sufficiens ad salutem, ipse non peccaret per hoc præcisè quòd ea non crederet fide supernaturali. Nec refert quòd fortè ob alia sua peccata careat gratia ad fidem supernaturalem requisita; si enim ipse omnino ignoret hanc gratiam sibi esse necessariam, aut se eam peccatis suis impedire, tota hæc carentia est et inuoluntaria; atque ita in hoc casu maior illius argumenti est falsa.

Quia tamen ijs, quibus homines expresè fidem annunciant, ijsdem solent etiã annunciare qua ratione debeant credere, scilicet propter Dei auctoritatem, & quòd ad hoc indigeant diuina gratia, quæ hominum peccatis impeditur; fieri communiter non potest, vt eiusmodi conciones audientes laborent ex hac parte aliqua ignorantia inuincibili: imò numquam accidit vt ipsi ex parte sua conentur verè credere prout concionator annunciat esse credendum, & prout verè in eo casu tenentur, scilicet præcisè propter testimonium Dei, quin Deus, qui nobis ex parte sua numquam deest, ijs sufficientẽ gratiam impertiatur vt fide supernaturali credant. 21

Secùs autem est in ijs, quibus Deus solùm annunciatur per irrationabiles creaturas, quæ non exprimunt qua ratione ipsi debeant credere, aut quòd indigeant gratia supernaturali: quare hi facilè possunt hoc ignorare. Credo tamen eos, qui non habent huius rei veram fidem diuinam, ea communiter carere ex aliqua sua culpa contra fidem: vt quia culpabiliter adhærent alicui alteri errori fidei contrario; aut quia non conantur ea sinceritate & firmitate credere Deum eiusque prouidentiam, atque ipsi per præsens Dei auxilium id possent ac tenentur facere: nam si facerent hac ex parte quod in se est, Deus ijs non deesset. Et hoc vt summum probant Scripturæ allatæ in 3. argumento; & fortè Auctores illius opinionis nihil aliud volunt.

DVBIVM III.

Vtrùm infidelitas sit in intellectu vt in subiecto?

22 HOc dubium breuiter hîc soluendum est, vt faciliùs infrà dicenda intelligantur. Ad hoc autem D. Thomas 2.2. quæst. 10. art. 2. re-
D. Thom. spondet, infidelitatem esse in intellectu sicut in proximo subiecto, in voluntate autem sicut in mouente intellectũ ad infidelitatẽ. sicut etiam fides est in intellectu prout mouetur à voluntate. Quare sicut actus voluntatis vnà cum assensu fidei quem imperat, est moraliter vnus actus, cuius tota formalis libertas, & consequenter tota ratio formalis bonitatis & meriti consistit in actu voluntatis: ita etiam actus infidelitatis oritur ex actu voluntatis, & actu intellectus, (aut si consistat in mera priuatione, com-
Infidelitas culpabilis est partim in intellectu, partim in voluntate. ponitur ex priuatione vtriusque actus vel habitus) totaque ratio formalis peccati & demeriti consistit in actu voluntatis, saltem interpretatiuo, quo infidelitas intellectus est voluntaria.

23 Dices, Quando aliquis voluntariè dubitat de aliquo articulo fidei sufficienter sibi proposito vt possit eum credere: item quando aliquis habens claram demonstrationem alicuius articuli fidei, in voluntate ita est actualiter affectus, vt illum articulum quantumuis sufficienter sibi propositum vt eum fide diuina credat, nollet tamen ita credere, nisi haberet illam demonstrationem; vterque peccat peccato infidelitatis sine vllo errore, aut priuatione actus intellectus, præsertim quando dicta fiunt eo tempore, quo illi non tenentur elicere actum fidei: ergo infidelitas non semper consistit in intellectu vt in subiecto.

Respondeo, nego secundam partem antecedentis: nam tam ille qui voluntariè dubitat de articulo fidei sufficienter sibi proposito, quàm is qui statuit eundem non credere, nisi haberet claram eiusdem demonstrationem, habent verè iudicium prauum in intellectu contrarium fidei: nam prior iudicat illum articulum esse
Dubitans de aliqua re iudicat eam esse dubiam. dubium, siue non esse omnino certum. hoc ipso enim quo de aliqua re dubitamus, iudicamus eam esse dubiam, saltem respectu nostri, sique nos non habere sufficientem rationem eam firmiter credendi: tale autem iudicium respectu articuli fidei mihi sufficienter proposita apertè contrariatur virtuti fidei, quæ me tunc obligat vt iudicem illum articulum firmissimè credendum esse, aut saltem vt non iudicem contrarium.

Secundus autem iudicat illum articulum 24
non esse sibi credendum immediatè propter auctoritatem Dei: nam hoc ipso quo actualiter est ita affectus vt nollet illi articulo assentiri, nisi haberet eam demonstrationem, actu vult ei non credere nisi propter eam demonstrationem, saltem tamquam propter obiectum formale partiale; & consequenter vult ei non credere, præcisè & immediatè propter Dei testimonium. quod sine dicto iudicio facere non posset. Nisi enim intellectus iudicet aliquid esse faciendum, aut omittendum saltem implicitè, scilicet iudicando esse bonum siue commodum id facere aut omittere, voluntas (quæ non potest ferri nisi in aliquod bonum, saltem vtile aut delectabile iudicatum tale) non potest id positiuè velle facere aut omittere. Quare vt voluntas positiuè statuat alicui articulo fidei sufficienter proposito numquam credere immediatè ob auctoritatem diuinam, intellectus debet priùs iudicare ex aliquo capite esse bonum eum numquam ita credere, scilicet quia iudicat aut eum non esse à Deo reuelatum, aut Deo reuelanti non esse credendum, siue Deum non esse dignum fide, (quæ iudicia continent apertum errorem contra fidem) aut sibi ob aliquem finem esse vtile numquam Deo credere, saltem in illa materia; quod iudicium, præsertim quando efficax ac deliberatum est, apertè repugnat assensui fidei, qui cum eo non potest consistere, continetque implicitum contemptum auctoritatis Dei, ac fidei. sicut qui iudicat sibi violandum esse præceptum Dei ob lucrum, aut similem causam, implicitè, & secundùm moralem considerationem contemnit Dei præceptum, ei præferendo lucrum: sicut censeretur contemnere aliquem principem, qui ipsi plebeium præponeret.

DVBIVM IV.

Quænam infidelitas, & qua ratione fidem expellat?

HAc in re satis constat Primò, fidem non 25
expelli per quoduis peccatum contra vir- Non quilibet peccans contra fidem, hanc amittit.
tutem fidei: nam qui legendo libros hæreticos exponit se periculo peruersionis peccat contra fidem, & tamen eam non amittit. Secundò, eam non expelli per solam infidelitatem secundùm quid, siue quæ consistit in mera priuatione etiam voluntaria actus fidei, quem quis tenetur elicere; aliàs enim qui culpabiliter aliqua mysteria fidei ignoraret, perderet fidem. quod
Error verè procedens ex ignorantia etiam culpabili non destruit fidem. constat esse falsum. Tertiò, errorem contra fidem hanc non expellere quamdiu verè procedit ex ignorantia, quantumuis vincibili, quamdiu adest sincera voluntas credendi contra-

rium

rum statim ac sufficienter constabit id esse credendum, siue id tamquam tale ab Ecclesia proponi; quia talis error cùm non sit pertinax, non facit errantem hæreticum, vt ostendam dubio 7.

26 Quæ requirantur vt infidelitas expellat fidem.

Ex quo infertur, vt infidelitas aliqua fidem expellat, requiri Primò, vt sit positiua, quia merè priuatiua eam non expellit. Secundò, vt sidei ita repugnet, vt cun actu circa idem obiectum nequeat consi quamdiu enim ipsi ita non repugnat, potest consistere cum eius actu, ita multò magis cum eius habitu. Tertiò, vt sit sufficienter voluntaria, de quo agam dub. 7.

Quadruplex infidelitas fidem expellit.

Potest autē eiusmodi infidelitas esse quadruplex. Primò, quando quis credit aliquem articulum fidei esse falsum, quem scit à Catholicis credi, aut qui aliàs ei sufficienter est propositus vt possit eum vera fide credere. Secundò, quando quis aliquid credit, quod scit à Catholicis, siue ab Ecclesia tamquam fidei repugnans damnari; quia tunc fidem implicitè negat. Tertiò, quando quis voluntariè dubitat de aliquo articulo fidei sibi sufficienter proposito. Quartò, quando aliquis secum deliberatè statuit numquam credere articulos nostræ fidei, aut omnes, aut aliquos; quantumuis ob euidentiam rationum siue notarum, quibus fidei veritas ei probatur, illis articulis positiuè non dissentiat iudicando eos non esse veros. Sed hoc vix potest contingere, nisi in eo qui Deum omnino auersatur, vt fit in damnatis.

27 Hi autem omnes actus ita directè cum fide theologica pugnant, vt cum ea, siue cum eius actu etiam implicito circa idem obiectum nequeant consistere. quod de tribus primis actibus clarum est. Nam fieri nequit, vt sciens credam aut aliquid esse falsum, aut id quod scio ei repugnare esse verum, aut etiam de eo dubitem, & simul firmiter credam id esse verum. Item elicientes dictos actus interpretatiuè siue secundùm æstimationem moralem faciunt Deum mendacem, vt ostendi disput. 9. num. 56. & 74. atque ita euertunt quodammodo obiectum formale fidei. Eliciens autem quartum actum nullo modo potest simul habere voluntatem credendi eos omnes articulos fidei præcisè propter auctoritatem Dei, à qua tamen assensus fidei necessariò dependent. vnde vlteriùs sequitur, assensum fidei nullo modo posse simul cum eiusmodi voluntate circa eos articulos consistere.

28 Dices, Qui aliquem ex tribus prioribus actibus elicit, non negat expresè hanc propositionem, *Quidquid Deus reuelauit est verum, & propter eius testimonium firmissimè credendum*: ergo dum illos elicit poterit hanc simul explicitè credere, præcisè propter Dei testimonium, & consequenter implicitè credet illam propositionem circa quam errat. Confirmatur, quia fides implicita potest circa idem obiectum consistere cum errore ex ignorantia etiam vincibili profecto, vt suprà dictum est: atqui dictos actus eliciens errat ex aliqua ignorantia, quia ideo dictum articulum non credit, quia putat à Deo non esse reuelatum: ergo potest circa eundem simul cum tali actu habere implicitam fidem.

29 Ad argumentum, nego consequentiam, si loquamur de fide quæ sit vera virtus theologica: nam, etsi talis fortè possit aliqua ratione illam propositionem, aut etiam aliam quam fatetur à Deo esse reuelatam, credere, quia à Deo reuelata est (qua de re satis dixi disput. 14. dub. 2.) tamen hic actus non feretur in suum obiectum modo omnino infallibili, vt ostendam num. 32. Nec procedet ex pio & omnino sincero affectu erga primam veritatem, qualis necessariò requiritur ad imperandum verum actum virtutis fidei theologicæ; quo scilicet voluntas ita intellectum subijcit primæ veritati, vt hic paratus sit credere quidquid ei tamquam à Deo reuelatum sufficienter ad credendum proponitur. qualem affectum nullo modo habere possunt qui ita errant: nam si essent dicto modo erga primam veritatem affecti, crederent etiam illum articulū circa quem errant, cùm ijs sit sufficienter propositus. vnde etiam sequitur, eos habere etiam aliquem defectum immediatè siue intrinsecè in suo assensu intellectus. quia sicut ipse actus voluntatis quo isti volunt credere Deo reuelanti, non extendit se simpliciter ad generatim credenda ea omnia, quæ à Deo nobis reuelata sunt, sed solùm ad ea credenda, quæ ipsi tamquam à Deo reuelata probauerunt: ita etiam intellectus ab illa voluntate necessariò pendens non credit illam propositionem, *Quidquid Deus reuelauit, est verum*. omnino generatim, sed cum aliqua virtuali limitatione ad ea, quæ suo iudicio credenda probauerit.

30 Ad confirmationem, nego maiorem generatim sumptam: nam etsi fides possit consistere cum aliquo errore sibi contrario orto ex ignorantia, non tamen potest consistere cum quouis eiusmodi errore, & ex quauis ignorantia profecto.

Duplicitèr possum aliquid vincibiliter ignorare.

Pro quo Nota, me dupliciter posse aliquid vincibiliter ignorare. Primò, propriè, quando scilicet hîc & nunc verè non adest mihi sufficiens ratio cognoscēdi veritatem, siue cùm ignoro veritatem mihi insufficienter propositam vt possim eam cognoscere, etsi id mea culpa fiat, quia nolo eam prout debeo inquirere. Et hæc ignorantia potest consistere cum absoluta voluntate assentiendi ipsi veritati, quandocumque mihi sufficienter proponetur. quod etiam potest contingere in ignorantia affectata, vt ostendam dub. 7. concl. 5.

31 Secundò, minùs propriè, quando scilicet ipsa veritas est mihi sufficienter proposita, ita vt facilè possem eam cognoscere, si ad hoc vellem considerationem intendere: sed ex affectu erga errorem contrarium id negligo, aut etiam positiuè nolo facere. Et tunc potiùs erro ex defectu considerationis, & ex praua voluntate, quàm ex vera ignorantia, quæ requirit in intellectu carentiam specierum, quæ cognitionem possunt gignere; aliàs possemus dici ignorare ea, quæ habitualiter scimus, quando de iis actu non cogitamus; præsertim si ex illa inconsideratione circa ea erremus. Quando autem obiectum aliquod fidei ita

alicui est propositum, vt teneatur illud credere, non desunt ei species, ex quibus posset veram cognitionem elicere, si vellet ijs attentè vti, sed solùm deest sufficiens consideratio.

Cum quali errore ex ignorantia nato possit aut nō possit fides consistere.

Ad maiorem igitur confirmationis istius, Respondeo fidem posse consistere cum errore nato ex ignorantia, quæ causatur ex defectu sufficientis propositionis obiecti credendi, siue hic defectus sit erranti voluntarius, siue non: secùs tamen esse de errore nato ex ignorantia obiecti sufficienter ad credendum propositi. Qui enim hanc habet, non tam ignorat illud esse credendum, quàm id scire non vult, quæ magis adhuc patebunt ex dicendis.

32 *D. Thom. Valentia.*

Ex his patet Primò, quomodo intelligendum sit quod docent D. Thom. 2.2. quæst. 5. art. 3. Valentia ibidem disput. 1. quæst. 5. puncto 3. & quidam alij, scilicet hæreticum errantem circa vnum articulum non posse retinere fidem circa alios, quia tollit sibi quodammodo obiectum formale fidei, siue efficit vt hoc apud eu non vigeat: hoc enim fit Primò, quia, vt

Qua ratione hæreticus sibi tollat obiectum formale fidei.

lisputat. 9. numer. 56. talis interpretatiuè

Deum mendacem, atque ita quantum est

tollit primam veritatem. Secundò, quia ratione illius praui affectus voluntatis intellectus efficitur non paratus in omnibus quantum ratio postulat se auctoritati Dei subijcere, eaque ratione siue ea regula, quam ipsa veritas præscripsit, in credendo dirigi: sed in hoc sequitur proprium iudicium, ac prauum voluntatis affectum, atque ita non est aptus infallibiliter primæ veritati adhærere: ideoque etiam veros articulos quos credit, modo fallibili credit, & hac ex parte obiectum formale fidei deserit, non adhærendo ei, prout exigit, illudque in ipso suum vigorem amittit. vide dicta disput. 14. num. 49. & 52.

33

Patet Secundò, qua ratione dicti omnes actus directè pugnent cum vero actu fidei, non solùm circa idem obiectum, sed etiam circa omnia credenda, reddendo eum qui eos elicit omnino inhabilem ad verum actum fidei eliciendum, quamdiu illis erroribus adhæret. Quia nimirum directè tollunt voluntatem integrè & absolutè subijciendi intellectum primę veritati, & infallibili ipsius in assensu fidei directioni; atque ita reddunt intellectum ineptū vt infallibiliter primæ veritati immediatè propter seipsam adhæreat. Et hac ratione hic error differt ab errore eorum, qui errant circa obiecta fidei nondum sibi sufficienter ad credendū proposita; quòd hi retineant rectum erga primā veritatem affectum, & saltem implicitè verè credant omnia mysteria fidei, etiam ea circa quæ ita errant: secùs in vtroque est in alijs, vt patet ex dictis.

Dissentiens pertinaciter vni articulo fit inhabilis vt credat reliquos.

34 An hæresis expellat habitum fidei physicè.

His positis est difficultas, qua ratione illi actus recensiti num. 26. expellant habitum fidei, an scilicet physicè propter repugnantiam, quā cum eo habent, ita vt naturaliter simul cum eo nequeant consistere; an solùm demeritoriè, siue ex voluntate Dei subtrahentis suum concursum? Quidam asserunt omnem actum hæreseos priore modo expellere fidem. Ita Caietan. 2.2. q. 5. a. 3. Bañez ibid. & alij. Probatur Primò, quia

Caietan. Bañez.

omnis eliciens talem actum sibi tollit obiectum formale fidei, scilicet primam veritatem nobis res fidei per ministerium Ecclesiæ reuelantem: atqui qui tollit sibi obiectum formale alicuius habitus, tollit sibi ipsum habitum, quia hic sine suo obiecto formali à quo speciem accepit, esse nequit: ergo eliciens tales actus tollit sibi habitum fidei.

Secundò, quia omnis hæreticus deserit infallibilem propositionem Ecclesiæ, circa articulos fidei: atqui qui hoc facit, non habet obiecta fidei sibi applicata per propositionem Ecclesiæ: ergo non potest circa ea habere fidem.

Tertiò, quia aliàs dicendum esset, quòd fides per hæresim tantùm tolleretur demeritoriè, & ex Dei voluntate siue decreto: atqui hoc dici nequit: ergo dicendum est quòd tollatur naturaliter ratione physicæ oppositionis cum actu hæreseos. Minor probatur, quia aliàs habitus fidei deberet multò magis tolli per odium Dei, quia hoc est grauius peccatum, quàm sit hæresis. Item deberet potiùs tolli in eo, qui verè interiùs credens omnia nostræ fidei mysteria esse vera, tamen ex ambitione aut simili causa multis hæresim persuadet, quàm in eo, qui in veram hæresim internam ab alijs seductus incidit; quia hic minùs peccat contra fidem, quàm ille: atqui illa sunt falsa: ergo etiam falsum est id ex quo sequuntur.

35 Hæresis tollit moraliter expellit fidē.

Conclvsio. Dicti actus non tollunt habitum fidei ex natura rei, sed solùm aut demeritoriè, aut ratione cuiusdam dispositionis, actibus veræ fidei repugnantis, reddendo nimirum suum subiectum ineptum ad habendam veram fidem actualem, iuxta dicta num. 26. & 32. atque ita mouendo Deum vt concursum suum habitui subtrahat, qui statuit eum in similibus non conseruare. Ita Scotus in 3. distin. 23. quæst. vnica §. *Ad primum*, versu *Ad aliud*. Gabriel ibidem quæst. 2. art. 3. dub. 2. Suarez in 3. p. tom. 3. quæst. 63. in explicatione ar. 5. §. *Quartus sensus*. Malder. 2.2. quæst. 5. ar. 3. in respons. ad 1. & ad 4. Lorca sect. 1. disp. 33. num. 7. iuncta sect. 3. disp. 22. num. 8. & 9. & alij cum ijs.

Scotus. Gabriel. Suarez. Malderus. Lorca.

36

Probatur Primò, quia actus hæreseos, aut alterius infidelitatis neq; per se formaliter & immediatè potest expellere habitum fidei, neque etiam effectiuè, siue generando in nobis aliquē habitum habitui fidei repugnantem, qua ratione expelluntur habitus acquisiti per actus contrarios: ergo nullo modo possunt eos natura sua, ac physicè expellere. Prior pars antecedentis probatur, quia actus non contrariantur per se formaliter & immediatè habitibus, sed solùm ratione habitus à se producti, vt communiter omnes fatentur. Secunda pars probatur, quia habitus naturales non repugnant infusis, sed possunt cum ijs in eodem subiecto simul consistere etiam in gradu intenso, vt patet in eo qui post-

Actus non contrariātur formaliter habitibus.

Habitus naturales non repugnant infusis.

quā intensos habitus infusos fidei, spei, caritatis, aliarumq; virtutum meritis suis acquisiuit, labitur in grauissima peccata infidelitatis, desperationis, &c. diuq; in ijs perseuerās intensos eorū habitus acquirit, & postea subitò per attritionē cum Sacramento, & actus fidei & spei remissos iustificatur: qui, vt ostendi tom. 2. de Sacram. disput.

disput.2.dub.20. recipit omnes habitus infusos in eodem gradu quo eos antè amisit, cum aliquo gratiæ augmento; & tamen, vt patet experientia, habitus vitiorum acquisitos, ferè æquè intensos retinet: atque ita eo casu in gradu intenso habet habitus infusos virtutum, & acquisitos vitiorum contrariorum.

Secundò, quia aliàs habitus fidei intensus non posset corrumpi per vnicum actum remissum infidelitatis, vt patet in alijs habitibus, qui physicè per actus contrarios corrumpuntur: illud autem apertè est falsum; ergo & id vnde sequitur.

Tertiò, quia contraria sententia nullo probabili fundamento nititur, vt patebit ex solutione obiectorum.

37 Ad primum argumentum positum num.34. Respondeo Primò, in maiori supponi falsum, scilicet obiectum formale fidei esse primam veritatem reuelantem mysteria fidei per ministerium Ecclesiæ; nam Ecclesiæ auctoritas ac testimonium nullo modo cõstituunt obiectum formale fidei, nec Deus modò nobis per eam quidquam de nouo reuelat: sed priùs reuelata nobis infallibiliter explicat, ac credenda proponit, & possum fide theologica multa credere sine respectu ad propositionem aut auctoritatem Ecclesiæ, vt si quæ mihi alia ratione sufficienter sunt proposita, aut etiam priuatim reuelata. vide dicta disp.9.n.65. Respondeo Secundò, negotiminorem: nam habitus nec constituitur nec pendet intrinsecè ex obiecto suo formali, sed solùm ratione suorum actuum, siue vt possit hos elicere. nam aliàs qui profundè dormit, aut vi morbi omni ratione & sensu destituitur, perderet statim omnes suos habitus, quia non retinet eorum obiectũ formale, cùm de eo nullo modo possit cogitare. Patet tamen tales nullo modo perdere suos habitus, sed solùm non posse pro eo tempore ijs vti. Item sequeretur, eum qui ob aliquam turbationem & defectum rationis, aut alia ex causa inculpabiliter crederet Deum posse aliquando mentiri, statim amissurum habitũ fidei, quia tolleret sibi eius obiectum formale; illud autem omnino absurdum est.

Habitus per se immediatè in conseruari non pẽdet à suo obiecto formali.

38 Ad secundum, Respõdeo Primò, nego consequentiam, quia talis si aliud non obesset, posset sibi obiectum fidei alia ratione applicare ob alias fidei notas iudicando id esse credibile, atque ita illud credere. Respondeo Secundò, id vt summum probare, talem dum in sua opinione persistit, reddere sibi impossibilem omnem verum actum fidei theologicæ. quod ob dicta suprà libenter concedimus, sed inde non sequitur, eum amittere habitum fidei, quia ipsius error non repugnat habitui fidei, sed soli actui.

Vt peccatũ mereatur ablationem alicuius habitus infusi, non tã spectatur eius grauitas quã repugnantia cum illius actibus.

Ad tertium, nego minorem, eiusque probationem: nam vt aliquis actus mereatur ablationem habitus fidei, aut etiam alterius habitus infusi, in eo non tam spectatur grauitas malitiæ ipsius, quàm directa cum actibus illius habitus repugnantia, ita vt homo per eum voluntariè se constituat in eo statu, in quo nequit actus illius habitus elicere. quod respectu habitus fidei fit per omnem & solum actum infidelitatis, iuxta dicta suprà. Et ideo etiam quia actus spei nequit elici sine fide, hinc spes non solùm per desperationem, sed etiam per infidelitatem perditur. & caritas amittitur per omne peccatum mortale, quia actus caritatis nequit consistere cum vllo actuali peccato mortali; quia aliàs deberet quis simul amare Deum super omnia, & aliquid aliud supra Deum: nam qui peccat mortaliter, aliquid amicitiæ Dei præfert; atque ita illud amat præ Deo: apertè autem implicat me simul actualiter amare Deum supra omnia, & aliquid aliud supra eum. Quæ clariùs patebunt ex dicendis disput.25. dubio 1.

Cur spes per infidelitatẽ & caritas per omne peccatum mortale perdatur.

DVBIVM V.

Vtrùm infideles possint exercere aliquos actus moraliter bonos, an verò contrà omnes eorum actiones liberæ sint peccata?

39 NOta nos hîc non quærere, vtrùm aliquod opus verè moraliter bonum, & ex nulla circumstantia malum fieri possit sine gratia, hoc enim ad 1.2. pertinet; sed an tale opus fieri possit, atque adeò de facto aliquando fiat ab homine infideli, siue id fiat ex auxilio gratiæ, aut sine illo.

Multi ex nostris hæreticis (quos citat Bellarm. lib.5.de gratia & libero arbr.cap.4. quibusque ex parte aliqui aliquando Catholici assenserunt) putarunt infideles, aut etiam omnes existentes in peccato mortali, nullam posse facere actionem moraliter bonam, sed omnem eorum actionem esse verum peccatum. Primò, quia Isaiæ cap.1.& 66. Deus dicit incensum & sacrificia malorum Iudæorum sibi esse abominationem, seque ea odisse, & offerentes bouem sibi eodem loco esse ac mactantes canem ac carnem suillam; quæ prohibita erant offerri. Item Matth.7. dicitur arborem malam non posse bonos fructus facere; & ad Roman. 14. *Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.* Ad Titum 1. *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum.* Ad Heb.11. *Sine fide impossibile est placere Deo*: ergo sine fide nulla possunt fieri opera, quæ Deo placeant, & consequenter nec bona. Secundò, quia D. Augustin. varijs locis, & præsertim libr.4. contra Iulian.c.3. fusè docet, omnes actiones Gentilium, quantumuis videantur laudabiles, fuisse peccata ac vitia. Eundem sequuntur Fulgentius libr. de Incarn.c.25. & Prosper l.1. de Vocat.gẽt.c.7. Tertiò, quia, vt dicitur Luc.11. cuius oculus, id est intentio, est nequam, totum eius corpus, id est opera omnia ipsius, erunt nequam & tenebrosa: atqui intentio infidelis in omnibus operibus est nequam; nam cùm se & sua omnia semel obtulerit ad honorem idoli, donec eam intentionem reuocet, censetur omnia sua facere in honorem idoli.

Bellarm. *Isaiæ 1.& 66.* *Matth.7.* *Rom.14.* *Titum 1.* *Hebr.11.* *Augustin.* *Fulgentius.* *Prosper.* *Luc.11.*

CONCLVSIO. Certum omnino est existentem in peccato, aut etiam infidelem posse exercere aliquam veram virtutem moralem, quæ in se nullo modo sit verè mala ac vitiosa. 40

Probatur Primò, quia est communis omnium Theologorum. Secundò, quia hæc propositio quæ est 25. inter damnatas: *Omnia infidelium opera sunt peccata, & philosophorum virtutes sunt vitia*, est damnata à duobus Pontificibus; quæ tamen secundùm sententiam negantium opera indifferentia in individuo esset necessariò vera, si ipsi non possent facere opus aliquod verè moraliter bonum. Quidam dictam propositionem aliter referunt, scilicet hoc modo: *Ad pelagianismum reijcienda est illa sententia, Omnia opera infidelium sunt peccata*, &c. dicuntque in quibusdam Bullæ exemplaribus ita haberi. Sed est aperta menda. Nam, vt patet ex alijs sententijs ibidem damnatis, præsertim 22.27.& 36. & libro ipsius Auctoris de virtutibus impiorũ c.4. & 5. fuit clara illius Auctoris sententia, omnia infidelium opera esse peccata. Quare illa verba, *Ad pelagianismum reijcienda est illa sententia*, ad priorem propositionem referuntur. Sic enim habet Bulla: *A vanis & otiosis hominibus secundùm insipientiam philosophorum excogitata est illa sententia, Hominem ab initio sic constitutum, vt per dona naturæ superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus: & ad pelagianismum reijcienda est illa sententia*; sequiturque, *Omnia infidelium*, &c. Idem ex libr. Auctoris de prima hominis iustitia c.8. ex quo hæc sententia sumpta est, clarissimè patet.

41 Infideles sæpè suis operibus aliqua à Deo impetrant. *Exod.1.*

Tertiò, quia infideles sæpè quibusdam suis operibus Deum ad misericordiam sibi exhibẽdam aut aliqua dona conferenda excitarunt. Exod.1. quia obstetrices timuerunt Deum (scilicet nolẽdo secundùm præceptum regis interficere infantes Hebræorum) ædificauit eis domos, id est dedit eis magnam posteritatem. Item 3.Reg.21.& Ionæ 3. Deus placatus pœnitentia Achab & Niniuitarum merita supplicia distulit. Hinc Daniel c.4. suadet Nabuchodonosori vt peccata sua eleemosynis redimat: ergo opera illa infidelium erant bona, quia alias Deo non placuissent, nec ijs fuisset motus vt operantibus aliqua bona conferret.

3.*Reg.*21. *Ionæ* 3. *Daniel* 4.

Quartò, quia nulla potest assignari ratio cur infidelis non possit vel ex instinctu naturæ, vel ex Dei præueniente gratia aliqua bona opera facere. Imò, vt docet D. August. de Spiritu & litteta cap.27. difficillimum est aliquem esse tam malum, vt nulla vmquam bona opera faciat.

August. Difficulter aliquis est tam malus vt nihil boni faciat.

42

Ad locum Isaiæ, Respondeo ibi sacrificia ac solemnitates Iudæorum dici Deo odibilia, & abominationes, non ex se, sed ratione intentionis offerentium, & circumstantiarum in quibus fiebant. Quia scilicet Iudæi putabant ea sibi sufficere ad iustitiam, & vt Deum sibi seruarent placatum, quantumcumque aliàs grauissimis sceleribus se inquinarent; atque ita eorũ fiducia in peccatis perseuerabant, ac si per illa sufficienter mundarentur, ita vt perseuerantibus ea offerre nulla peccata deberent ad culpã aut pœnam à Deo imputari. vnde Deus subiungit, se eos sacrificantes & orantes non auditurum, quia manus eorum plenæ erant sanguine; iubetque eos priùs animum mundare à vitijs, si velint exaudiri.

Ad locum Matth. Respondeo Christum ibi vocare arborem malam hæreticos ac falsos doctores, & solùm docere ex eorum doctrina non posse nasci bonos fructus, siue per eam mores non posse corrigi, sed peruerti; atque ita eorum opera non quidem necessariò omnia, sed maxima ex parte esse mala: & si quæ bona sint, illa non nasci ex illa doctrina, sed aliunde. Similiter cap.12. ait, arborem, id est hominem inuidum (de tali enim ibi loquitur: nam agit contra Iudæos sua miracula ex inuidia calumniantes) non posse facere fructum bonum, id est, non posse aliqua bona dicere aut facere proximo, sed semper malè de eo loqui: non quòd hoc sit omnino necessarium, sed quia vix vmquam aliter fit. vnde rationem reddit; *Quia ex abundantia cordis os loquitur.* quod communiter accidit, non tamen necessariò semper.

Qua ratione arbor mala in Euangelio dicatur non posse facere fructus bonos.

Ad locum Pauli ad Roman. Respondeo fidem ibi accipi pro conscientia, & dicitur fieri sine fide, quod fit contra conscientiam opinantem aliquid esse peccatum. Et clarum quidem est eiusmodi factum contra conscientiam esse peccatum, sed hoc nihil contra nos facit.

Fine fide fieri dicitur quod contra conscientiã fit.

43 Quomodo mundi dicantur omnia mundis esse, & immundis immunda.

Ad locum ex epistola ad Titum, Respondeo Apostolum ibi nihil aliud velle, quàm Christianos habentes mundas conscientias non coinquinari comedendo cibos lege veteri prohibitos, prout quidam hæretici conabantur ijs persuadere; & contrà illis hæreticis coinquinatam & peruersam habentibus conscientiam, nullos cibos esse mundos, quia omnes sumunt cum discrimine à lege præscripto, & cum intentione hanc tamquam obligantem obseruandi, & eius obseruationem alijs persuadendi, & ita omnium ciborum esu ob malam illam intentionem coinquinantur: de his enim solis ibi Apostolus agit, vt patet ex textu.

Ad locum ex epistola ad Hebr. Respondeo solùm probare hominẽ sine fide non posse placere Deo, quia infidelitas inest homini quamdiu non credit, atque ita eum inficit; non tamen inest singulis eius operibus, atque ita non inficit singula.

44

Ad Augustinum, respondent aliqui eum dicere omnia opera infidelium esse peccata, quia communiter talia sunt, eò quòd ex mala intentione fiunt, etiamsi aliquando contrarium accidat, vt scilicet aliquod opus bene faciant: quia tamen hoc rarum est, non æstimatur.

Sed hoc non satisfacit. Primò, quia S. Augustinus locis citatis sæpè absolutè dicit nullam omnino posse esse virtutem sine fide, & omnia opera infidelium esse peccata; idque probat nõ quia difficile ijs est habere bonam intentionẽ, sed quia Apostolus docet, omne quod non est ex fide esse peccatum (putat enim fidem ibi accipi pro fide theologica:) certum autem est nullum infidelis opus esse ex fide theologica. vnde dicto capite sub finem ait: *Per hoc discе eum qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc est eius quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est plenum nigredine peccatorum.* Quæ notanda sunt, quia inde sensum Augustini infrà colligemus. *Augus.*

Se-

45 Secundò, quia ibidem superiùs cùm docuisset non esse veras virtutes quæ exercentur vt seruiatur auaritiæ aut commodis temporalibus, siue quæ propter hæc fiunt, subdit: *Quæ autem nulli rei seruire volunt* (id est, quæ non ob alium finem, sed ob intrinsecam honestatem exercentur) *neque ipsæ veræ sunt; veræ quippe virtutes Deo seruiunt*, &c. Item libr.19. de Ciuit.cap.25. *Nam licet*, ait, *à quibusdam tunc veræ & honestæ putentur esse virtutes, cùm ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur; etiam tunc inflatæ ac superbæ, ideoq; non virtutes, sed vitia iudicandæ sunt.* Vbi apertè dicit, virtutes etiam ob intrinsecam bonitatem exercitas esse vitia. & rationem subdit: *Quia id necessariò supra hominem est, quod nos facit beatè viuere.* quæ notanda sunt ob infrà dicenda.

46 Pro resolutione Nota Primò, Iulianum, alioſque Pelagianos putasse hominibus naturaliter inesse vim faciendi opera bona, quæque haberent non solùm rationem veræ virtutis moralis, sed etiam vim merendi vitam æternam. vt ostendi disp.4.dub.4. vnde S. Augustino alijsque negantibus nos sine gratia posse eiusmodi opera facere, solebant obijcere opera Ethnicorum, quos aiebant omni gratia destitutos perfectas virtutes exercuisse, vt probarēt Christianos sine gratia posse exercere opera veræ virtutis, & quidem, vt dixi, meritoria vitæ æternæ; cùm hi haberent veram fidem, quam solam putabant Ethnicis deesse, quo minùs per sua opera vitam æternam consequerentur. Atque ita volebant horum opera ex se habere sufficientem vim merendi vitam æternam, si ea faciētes propter infidelitatem non fuissent huius consequendæ incapaces. Vnde D. Augustinus *Augusti.* lib.4.contra Iulianum cap.3. eius hæc verba refert: *Cunctarum origo virtutum in rationali animo sita est, & affectus omnes, per quos aut fructuosè* (scilicet ad merendam beatitudinem) *aut sterliter boni sumus.* Et infrà: *Horum igitur affectuum vis cum insit homini naturaliter, non tamen ad vnum finem in omnibus properat, sed pro iudicio voluntatis cuius nutui seruunt, aut ad æterna aut ad temporalia diriguntur.*

47 Nota Secundò, eos asseruisse in Ethnicis non solùm fuisse aliquos singulares actus virtutum, sed virtutes ita ijs insuisse, vt ab ijs deberent absolutè dici iusti, adeò vt Iulianus voluerit Scipionem, Fabricium, & similes fuisse verè iustos, ideoque eos non esse in damnatione æterna. Verba eius apud Augustinum suprà sunt: *Eruntne ergo* (scilicet Fabricius, Scipio, Camillus,) *in damnatione æterna, in quibus erat vera iustitia?* Cui Augustinus respondet: *O vocem impudentiamatore præcipitem! non erat inquam in eis vera iustitia, quia non actibus, sed finibus pensantur officia.*

48 Respondeo igitur, quando Augustinus, alijque Patres contra dictos hæreticos disputantes negant aliquem sine fide aut caritate posse facere aliqua opera veræ virtutis, eos non negare ea opera secundùm se præcisè sumpta posse esse ex obiecto & circumstantijs verè bona (hoc enim ipsi apertè quandoque asserunt) sed solùm negare ea habere perfectam rationem virtutis, ita vt operans ab ijs absolutè possit dici iustus, ac Deo placere, ac beatus esse, aut damnationem euadere.

Patet Primò, quia intendunt illud negare in sensu Pelagianorum, eo sensu hoc asserentium. Secundò, quia Augustinus dicto cap. id probat *Augusti.* Primò, quia animus infidelis fornicatur à Deo: ergo in eo non potest esse vera continentia. Secundò, *Absit*, inquit, *vt in aliquo sit vera virtus, nisi fuerit iustus; absit autem vt iustus verè sit, nisi viuat ex fide.* ac si dicat, Infidelis non est iustus; ergo non est in eo vera virtus. Probat Tertiò, quia, etsi Ethnici bene definirent virtutem quòd sit habitus naturæ modo ac rationi consentaneus; tamen nescierunt quid sit consentaneum liberandæ ac beatificādæ naturæ mortalium, quod per solum Christum fieri potest, ideoque iustus ex fide viuit. Vnde infert iustum per hoc omnibus virtutibus rectè sapienterque viuere, quia fideliter viuit, siue quia fidem in Christum habet. Ac subdit: *Si ergo ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides, quæ in Christo est vera, promittit, nihil prosint homini virtutes, nullo modo veræ possunt esse virtutes.* Et sub finem capitis ait: *Aut certè quando saltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem regnumq; perducere; scito nos illud (id est eam rem) bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia, quæ datur per vnum mediatorem Dei & hominum, nemini posse conferri, per quod solùm homo potest ad æternum Dei donum regnumq; perduci*, &c. Vbi docet, solum illud opus posse dici verè bonum & opus virtutis quod conducit ad vitam æternam. Quibus etiam consonant suprà citata ex lib.19. cap.25.de Ciuit.

Probat suam sententiam Quartò, quia si infidelis faceret opera verè bona, esset arbor bona, ac placeret Deo: atqui hoc est falsum, quia sine fide impossibile est placere Deo. Vbi etiam addit ideo opera infidelis esse mala, quia ea infideliter ac stulta & infideli voluntate facit. Quod non potest positiuè intelligi, quasi ipse omnia faciat ob finem repugnantem fidei: hoc enim per se patet esse falsum, & ab Augustino nullo modo intenditur, cùm, vt patet ex dictis, agat etiam de ijs actibus quibus virtus non refertur ad alium finem, sed exercetur ob suam intrinsecam honestatem. debet igitur intelligi negatiuè, aut materialiter, quia scilicet infidelis non facit ea ex fide ac voluntate fideli, sed voluntate quæ in se mala ac infidelis est. 49

Ex quibus omnibus clarè patet, D. Augustinum opera infidelium, omniumque iniustorum, etiamsi ex obiecto & circumstantijs honesta sint, ac propter suam honestatem expetantur, negare tamen esse verè bona & virtutes, quia non fiunt à voluntate absolutè bona, atque ita vt operans possit absolutè dici bonus; nec prosunt ad beatitudinem obtinendam. Item vocat ea mala ac peccata. Primò, quatenus 50

Quo sensu Patres negēt nos sine fide posse actus bonos exercere.

Iulianus putauit Scipionem & similes non esse damnatos, sed iustos.

Patres negātes nos sine fide aut gratia posse aliquid boni facere, id negant secundum sensum Pelagianorū.

Quare Augustinus vocat nulla opera infidelia esse bona, sed omnia esse peccata.

quidquid aliquem defectum patitur potest dici malum ac peccatum: hi autem actus in hoc deficiunt, quòd fiant à voluntate in se non bona, sed mala propter infidelitatem, atque ita non omnino perfectè, sed aliquo modo malè fiunt. Secundò, quia opera, quantumuis in se bona, quæ fiunt à voluntate peccatis inquinata, & in sua inquinatione permanente, ab hac quodammodo inquinantur: sicut contrà quæ fiunt à voluntate caritate informata, ab hac exornantur. Ita apertè docet sub finem capitis, vbi ait: *Discecum qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc est, eius quæ per dilectionem operatur, totum illud corpus, quod illis velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est plenum nigredine peccatorum.* Vbi alludens ad Matth.6.v.23.comparat intentionem siue voluntatem qua operamur oculo, & omnia nostra opera vni corpori, quasi varia eius membra, aitque hæc omnia necessariò esse tenebrosa, quantumuis aliàs secundùm se videantur esse pulchra, si voluntas lumine fidei per caritatem operantis destituta cæca & tenebrosa sit. Et eumdem loquēdi modum quidam alij Patres eius sectatores sequuntur. Eadem etiam opera vocant mendacia, quia cùm talia appareant quæ hominem iustum ac Deo placentem efficiant, & hoc verè non faciant, quodammodo mentiuntur.

Cur Patres opera bona infidelium vocent mēdacia.

51 Ad vltimum argumētum Respondeo; quidquid sit de maiore, siue de sensu illius loci citati ex S.Luca, nego minorem. Nam non omnes infideles sunt idololatræ, vt patet in Iudæis & hæreticis. Secundò, quia non omnes idololatræ omnes suas actiones ad honorem idoli obtulerunt: multi enim hac de re numquam cogitarunt. Tertiò, quia, etsi hoc semel fecissent, tamen non sufficeret vt omnes eorum actiones sequentes censerentur ea intentione fieri; sicut vt omnes nostræ actiones verè censeantur fieri ex caritate, non sufficit quòd semel intenderimus eas omnes ita facere.

DVBIVM VI.

Vtrùm infidelitas bene distinguatur in hæresim, iudaismum & paganismum; & qua ratione hæc inter se distinguantur?

52 *D.Thomas.* D.Thom.2.2.q.10.a.5.respondet eam rectè ita diuidi, idque probat, quia infidelitas consistit in eo quòd quis renititur fidei (scilicet contrarium ei credendo.) quod tripliciter fieri potest. Nam infidelis vel renititur Christianæ fidei nullo modo susceptæ, & sic est paganus; vel renititur fidei susceptæ in figuris, & sic est Iudæus, (Iudæi enim dum legē, eiusq; cæremonias ac Prophetas suscipiunt, in quibus tamquā in figura nostra fides continetur & prædicitur, etiam nostram fidem in figura suscipiunt;) vel tertiò renititur fidei in clara manifestatione, siue secundùm se susceptæ, & sic est hæreticus.

Iudæi nostrā fidem in figura suscipiunt & profitentur.

53 Est igitur hîc difficultas Primò, quia illa diuisio non videtur continere omnem infidelitatem. Primò, nam turcismus non videtur ad vllam ex dictis pertinere, cùm ex omnibus aliquid credat. Secundò, quia dubitans de fide ad nullam ex his videtur pertinere. Tertiò, quia olim inter Iudæos quidam à fide errabant, quibus nulla ex dictis speciebus conueniebat. Quartò, quia infidelitas philosophorum Gentilium qui vnum Deum ex lumine naturæ admittebant, videtur debere distingui ab infidelitate eorum qui falsos deos colunt, aut etiam putant nullum esse Deum. Quintò, quia apostasia est infidelitas, & sub nulla ex his speciebus continetur.

Sed dicendum est eam diuisionem esse sufficientem, quatenus directè continet omnes species infidelitatis, quæ hoc statu rerum esse possunt; & quæ olim esse potuerunt, ad aliquam ex dictis possunt reduci.

Ad primum, Respondeo turcismum ad paganismum pertinere, quia Turcæ nullo modo fidem Christianam suscipiunt; & quamuis quędam credant, quæ aut nos credimus, aut Iudæi credunt, ea tamen non credunt vt à Christo dicta, aut quatenus ad nostram aut Iudæorum fidem pertinent, sed quatenus à Mahomete dicta & probata sunt. 54

Ad secundum, Respondeo dubitationem in fide non pertinere ad certam speciem infidelitatis, sed potiùs esse instar generis respectu omnium: nam qui dubitat simpliciter an tota nostra fides sit falsa, fit Paganus; qui verò dubitat an iudaismus verior sit quàm nostra fides, fit Iudæus; qui verò de paucis articulis dubitat reliquos credens, fit hæreticus. Idemque dicendum de apostasia, prout enim apostata vel omnino, vel ex parte à fide deficit, fit aut Paganus, aut Iudæus, aut hæreticus. ex quo patet solutio quinti argumenti.

Vbi Nota, apostasiam propriè significare recessum siue absistentiam ab aliquo, à verbo ἀφίστημι, id est absisto. sumitur autem communiter pro recessu à Deo. D. autem Thomas infrà qu.12.art.1. docet, id tribus modis fieri posse. Primò, deserēdo obseruationem mandatorum Dei, siue eius amicitiam; & sic omnis peccans mortaliter apostatat à Deo. Secundò, deserēdo Ordinem sacrum quem quis suscepit, aut Religionem quam professus est. Tertiò, deserendo fidem Catholicam; rarò autem in prima significatione sumitur, sæpiùs in secunda, præsertim quando aliquis Religionem quam professus est deserit; proprijssimè autem sumitur in tertia: qui enim fidem deserit omnino à Deo deficit, præsertim si eam omnino deserat, transeundo ad Iudæos vel Turcas, siue Gētiles. & hos communiter solemus absolutè vocare apostatas, distinguendo eos ab hæreticis, etiam ijs, qui à fide defecerunt, quantumuis hi etiam verè apostatæ sint. 55 Apostasia quid sit. *D.Thomas.*

Ad tertium, Respondeo illorum infidelitatem non pertinere ad præsentem fidei statum, atque ita non pertinere etiam directè ad hanc diuisionem: reduci tamen ad hæresim, quia illi deficiebant à fide quam pergebāt quoad apparentiam profiteri, siue quam protestabantur se integrè profiteri; nam profitebantur se esse veros Iudæos, seque sequi fidem traditam olim Mosi. In eiusmodi autem defectione consistit propriè hæresis, vt infrà ostendam. 56

Ad

57 Ad quartum, Respondeo vtrorumque infidelitatem tantùm materialiter & quoad maiorem aut minorem extensionem distingui, sicut infidelitas hæreticorum, quorum vnus plures articulos fidei negat quàm alter. Nam vtrique illi Gentiles absolutè à fide Christiana totaliter recedunt, quantumuis aliqui in quibusdam obiectis materialibus ei positiuè non repugnēt, v.c. admittendo vnum esse Deum, & similia; hæc tamen non credunt tamquam Christiani, siue ob testimonium Christi etiam quoad externam apparentiam & professionem: nullo enim modo profitentur se Christianos esse.

58 Secundò, est difficultas in verbis D. Thomæ, præsertim in tertio membro, in quo ad hæresim videtur requirere vt quis deficiat à fide quam semel verè susceperit; & asserere omnem qui ita deficit esse verè & propriè hæreticum, tametsi Iudæus aut Turca fiat. Et ita eum intelligunt Bañez & Caiet. 2.2. q. 10. a. 5. & probant, quia si talis sit verè baptizatus manet Ecclesiæ subiectus, & potest tamquam hæreticus puniri: ergo est propriè hæreticus; sed hæc consequentia nulla est, quia omnis apostata ab Ecclesia ita puniri potest.

Bañez. Caietan.

59 Lorca igitur ibidem num. 4. dicit hunc sensum D. Thomæ indignum esse. Et sanè hic modus loquendi repugnat Primò, communi omnium sensui: nec enim solemus vocare tales hæreticos, sed Turcas, aut Iudæos; & verè tales sunt, non minùs quàm alij qui numquam fuerunt Christiani; nam vtrique eandem omnino fidem profitentur: à fidei autem professione dicitur quis Iudæus, Turca, aut hæreticus, & vt talis sit omnino impertinens est, quòd antè fuerit Christianus nec ne: sicut vt aliquis iam sit verè Catholicus, sufficit quòd fidem Catholicam integrè verè credat ac profiteatur, & omnino impertinens est an semper talis fuerit, an verò aliquando fuerit Iudæus, Turca vel hæreticus.

Lorca.

Vt aliquis sit Iudæus, Paganus aut hæreticus, spectanda est præsens eius fides, eaque quam antè profitebatur est impertinens.

Confirmatur, quia filij hæreticorum numquam baptizati, qui iam adulti parentum sequuntur fidem, sunt veri hæretici, etsi fidem Catholicam numquam vlla ratione aut susceperint, aut professi sint. Nam olim Manichæi quantumuis non baptizarentur, tamen à Patribus sunt simpliciter dicti hæretici: & iam Anabaptistæ etiam ante baptismum, quem valdè adulti sæpè suscipiunt, simpliciter solent dici hæretici. Item si aliquis Turca aut Iudæus fieret Lutheranus, fieret verè hæreticus, cùm tamen numquam fuisset Catholicus.

60 Secundò, ille sensus repugnat apertè ipsi D. Thomæ, q. 12. art. 1. ad 3. vbi docet, apostasiam non sumere speciem ratione termini à quo receditur, sed ratione termini ad quem tenditur, siue in quo sistitur. Cuius ratio est, quia etsi apostasia dicat determinatum terminum à quo (nam omnis apostata à fide Catholica deficit) tamen non dicit determinatum terminum ad quem (nam potest Catholicus deficere vel ad hæreticos, vel ad Iudæos, vel ad Paganos) ideoque ipse docet apostasiam non dicere determinatam speciem infidelitatis; sed circumstantiam aggrauātem, quæ potest cuiuis infidelitati conuenire. quod secundùm alios falsum esset, secundùm quos omnis apostasia à fide esset hæresis, vt etiam Bañez ibidem admittit.

D. Thomas.

Probatur Tertiò, quia tam Scripturæ quàm Patres vt aliquis sit hæreticus, requirunt vt profiteatur se esse Christianum. nam Matt. 7. Christus describens hæreticos vocat eos falsos prophetas venientes sub vestimentis ouium; quia scilicet exteriùs profitentur se docere fidem Christi, vt docet D. Hieron. in hunc locum. Item Apostolus 2. ad Timoth. 3. describens hæreticos, ait eos habere speciem veritatis (quia scilicet exteriùs fidem Christi profitentur) & virtutem eius abnegare. Hinc D. Ambros. libr. 7. in Lucam, *Nemo*, ait, *hæreticorum Christi nomen negat.* & D. Gregorius lib. 20. Moral. cap. 9. docet, hæreticos sub nomine Christi contra Christum militare. Ex quibus clarè patet baptizatum abnegantem Christum, eiusque fidem, non incidere in hæresim, sed in iudaismum aut paganismum.

61 *Non est hæreticus qui non profitetur se Christianum.*

Matth. 7.

Hieron.

2. Tim. 3.

Ambros.

Gregorius.

Respondeo igitur cum Lorca suprà, & Maldero ibidem, D. Thomam dicere eos reniti fidei susceptæ, qui negant aliquem articulum illius fidei, quam actu suscipiunt ac profitentur; sicut hæretici & Iudæi faciunt, qui vel expressè (vt hæretici) vel implicitè & in figura (vt Iudæi) profitentur Christianam fidem esse veram eamque suscipiunt, & tamen aliquos ipsius articulos negant.

62 *Lorca. Maldon.*

Sunt igitur ex mente D. Thomæ & communi sensu hac ratione tres illæ species infidelitatis distinguendæ; quòd paganismus ita recedat à fide Christiana, vt eam nullo modo profiteatur; iudaismus ita, vt eam profiteatur in figura, in se tamen eam neget; hæresis verò eam in se profitetur, quosdam tamen eius articulos negat. Quòd autem infidelis fuerit aliquando Catholicus, & iam sit apostata, grauat quidem eius infidelitatem, non tamen mutat speciem.

Qua ratione distinguantur species infidelitatis.

Tertiò, est difficultas, vtrùm dicta diuisio sit generis in veras species. Caietan. & Bañez suprà id affirmant. Quia qui fornicatur post professionem castitatis, aut contractum matrimonij, committit peccatum alterius speciei quàm is qui voto & matrimonio solutus fornicatur: ergo similiter qui renititur fidei, quam semel professus est, alterius speciei infidelitatem committit, quàm alius.

63 *Caietan. Bañez.*

Sed hæc ratio peccat Primò, quia supponit dictas infidelitates per hoc distingui quòd aliquis deficiat à fide quam antea susceperat, aut ab ea quam non susceperat; quam refutaui. Secundò, quia supponit suscipientem baptismum emittere verum votum seruandi fidem Catholicam, imò supponit Iudæum idem votum emittere implicitè (aliàs exemplum peccantis contra emissum à se votum castitatis nihil faceret ad rem;) illud tamen non est verum: nam cùm pueri à nobis baptizantur, aut à Iudæis circumciduntur, omnino sunt incapaces emittendi voti. Nec sufficit dicere eos emittere votum per alios, qui eos offerunt baptizandos aut circumcidendos; quia obligatio voti est omnino personalis, nec vllum ligare potest sine ipsius proprio consensu; puer autem baptizatus aut circum-

64 *Votum nullū ligat sine proprio cōsensu.*

circumcisus nec tunc nec aliàs in illud votum consensit, cùm illud numquam ipsi venerit in mentem, præsertim quando ante vsum rationis ad aliam religionem transfertur & in ea educatur, vt contingit quando pueri Christianorum à Turcis rapiuntur & circumciduntur; aut in filijs hæreticorum.

65 Tertiò, quia, etsi admittamus tale votum, id tamen non inducet diuersam speciem infidelitatis, prout hæc opponitur fidei Catholicæ, sed distinctum peccatum contra votum; siue peccatum infidelitatis, prout opponitur fidelitati in seruandis promissis: qua ratione etiam fornicatio contra votum, aut à coniugato facta in ratione luxuriæ est eiusdem speciei cum fornicatione soluti; sed habet aliam speciem peccati sibi annexam contra virtutem religionis in priore casu, aut contra iustitiam & reuerentiam Sacramento debitam quando fit à coniugato.

66 *Malderus.* Dictam tamen opinionem sequitur etiam Malderus suprà, eamque probat. Quia infidelitas non est spectanda ex eo quòd simpliciter fidei contradicat (nam aliàs Christianus qui ex ignorantia inuincibili alicui fidei articulo contradiceret fieret infidelis) sed ex eo quòd contradicat fidei per prædicationem propositæ: qui autem vna ratione contradicit fidei, quam alia ratione suscipit siue profitetur, renititur fidei aliter sibi propositæ, quàm is qui contradicit fidei numquam à se susceptæ: ergo ille committit diuersam speciem infidelitatem: sicut qui fornicatur cõtra votum castitatis, committit fornicationem alterius speciei. Confirmatur, quia, vt dicitur ad Galat.5. omnis qui se circumcidit fit debitor vniuersæ legis seruandæ: ergo omnis qui aliqua ratione profitetur fidẽ, singulariter obligatur eam totam credere. *Galat.5.*

67 *Malder.* Sed nec hoc argumentum quidquam probat; nam Primò, minor est falsa: nam Turcæ aut Iudæo longo tempore inter Christianos conuersanti potest nostra fides tam esse propositа ac nota quàm hæretico, imò sæpè magis. Item siue Christianus deficiat ad hæresim, siue ad iudaismum, siue ad turcismum, renititur fidei eodem modo sibi prædicatæ: & tamen non incidit in eandem infidelitatem, vt etiam Malderus fatetur. Secundò, neganda est consequentia: quia ex antecedente solùm sequitur quòd vnus grauiùs altero peccet: sicut quando duo in eandem hæresim incidunt, quorum vnus longè maiorem fidei cognitionem habet quàm alter, prior deficit à fide aliter sibi propositа ac cognita, & tamen non committit infidelitatem diuersæ speciei, sed grauiorem.

Exemplum autem de fornicante contra votum castitatis nihil facit ad rem, tum quia in fidei professione non reperitur tale votum; tum etiam quia, etsi hic esset tale votum, tamen non adderet infidelitati nouam malitiam contra fidem, sed contra virtutem fidelitatis in seruandis Deo promissis.

68 Ad confirmationẽ Respondeo Primò, si aliquid probaret, probaret omnẽ infidelitatẽ baptizati esse eiusdẽ rationis, quia baptismus propriè respondet circumcisioni, & per eum eiusmodi obligatio maximè contrahitur.

Respondeo Secundò, Apostolum ad Galatas non velle omnem se circumcidentem verè obligari obseruare omnem legem veterẽ; (hoc enim apertè cum veritate, & Apostoli doctrina tota illa epistola pugnat; & aliàs Iudæi baptizati aut Christiani facti tenerentur totam legem Mosis obseruare; quod absurdissimum est;) sed solùm velle eos ad hoc obligari ex conscientia erronea, siue ex falsa suppositione, qua putabant se obligari circumcidi: nam posito quòd lex eos obligaret ad circumcisionem, etiam obligaret ad integram sui obseruationem.

Quare cum Lorca suprà num.8. & Turriano disp.50. dub.4. & alijs Respondeo eam diuisionem non esse generis in species propriè dictas, sed lato modo, & secundùm quandam moralem æstimationem ac similitudinem cum veris speciebus; quia, vt ostendi, nullum est fundamentum dicendi contrarium. 69 *Lorca. Turrian.*

Nota tamen, cùm omnis negatio fidei contineat aliquam blasphemiam in Deum & fidẽ, prout diuersi articuli negantur, ita committi diuersas blasphemias etiam specie differentes, & grauiores aut leuiores, prout articuli, qui directè negantur, magis minusue ad Dei diuinitatem & honorem spectãt. v.c. qui negat Christum aut secundam personam esse verè Deum, grauiùs blasphemat, & peccato alterius speciei, quàm qui solùm dicit non esse septem Sacramenta, aut non esse Purgatorium, quia illud longè alia ratione Deo est iniuriosum. Quare cùm dictæ species infidelitatis diuersos fidei articulos negent, in confessione explicandæ sunt, quando quis post baptismum in eas incidit. Imò idem dicendum quando quis in diuersas hæreses, aut in diuersum paganismum incidit: grauius enim est Christianum fieri omnino atheum, aut colere idola, quàm abnegata solùm fide Christiana pergere colere vnum Deum. *Qua ratione diuersæ infidelitates cõtineãt diuersa specie peccata in confessione explicanda.*

Quartò, demum hîc est difficultas, quænam ex dictis infidelitatibus sit peior. D.Thom.2.2. qu.10.a.6. respondet infidelitatem dupliciter posse considerari. Primò, ex modo renitendi fidei; Secundò, ex parte materiæ siue articulorum quos negat. Docetque ex priore capite pessimam esse hæresim: quia renititur fidei susceptæ, siue ei quam ipse hæreticus profitetur. Et hac etiam ex parte docet, iudaismum peiorem esse paganismo. Contrà verò ex secundo capite docet, paganismũ esse pessimũ, quia plurimos articulos fidei negat, & secundo loco iudaismum, tertio hæresim. Denique addit hæresim absolutè debere dici pessimam infidelitatem. Astipulatur his D.Chrysost. hom.50. ad populum Antioch. paulò post initium, vbi loquens de ijs, qui dicunt se Christianos, & tamen negant futuram vitam, ait: *Numquam talem Christianum dicam, sed potiùs Gentilibus peiorem.* Idem aliqui etiam probant ex S. Augustin. lib.21. de Ciuit. cap.25. vbi ait: *Cùm peior vtique sit desertor fidei, & ex desertore oppugnator eius effectus; quàm ille qui numquam deseruit* (scilicet fidem) *quam nunquam susceperit.* Sed hic locus non probat directè intentum: nam D.Augustin. ibi non comparat hære- 70 *Quænam infidelitas sit alijs peior. D.Thomas. Hæresis pessima infidelitas. Chrysost. Augustin.*

hæreticum Pagano, sed hæreticum qui aliquando fuit Catholicus, cum alio hæretico qui numquam fuit Catholicus. Ratio tamen eius generatim probat, hæreticum à fide apostatam, peiorem esse Pagano non apostata.

71 Qua ratione hæretici sint peiores alijs infidelibus.

Dicta tamen sententia probatur. Primò, quia maiorem nobis facit iniuriam, qui simulans se nobis amicum nos oppugnat, quam qui apertè fatetur se nobis esse hostem. Item qui exteriùs profitetur se militem alicuius principis, & sub eius signis latitans, eum tamen oppugnat, ipsiusque arma in ipsum conatur conuertere, multò grauiùs in eum peccat, quàm apertus hostis: atqui hæretici profitendo Christi nomen, doctrinam eius ac amicitiam exteriùs simulant, eiusque militiam profitentur, & interim occultè sacris Scripturis, quæ Christi arma ac signa sunt, abutuntur ad Christum, eiusque fidem oppugnandam: atque ita, vt docet D. Gregor. lib. 20. Moral. cap. 9. sub Christi nomine contra Christum militant: ergo grauiùs in eum peccant, quàm ij qui apertè fatentur se non esse Christianos. Vnde etiam in eos optimè conuenit illa querela Dauidis in persona Christi psalm. 54. *Quoniam si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem vtique, & si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo vnanimis*, &c.

Gregorius. *Psalm. 54.*

72 Secundò, quia cùm hæretici continuò sacram Scripturam voluant, & mysteria fidei scrutentur, & eorum veram cognitionem profiteantur, eorum error in fide est communiter magis voluntarius ac inexcusabilis, quia errant in re, quam dicunt sibi perfectè notam; & alijs verbis expresè negant id, quod alijs implicitè profitentur esse verum: nam dum fatentur totam Christi doctrinam esse veram, implicitè etiam fatentur eam esse veram quam negant. Et hanc rationem insinuat D. Chrysost. suprà. vbi cùm dixisset talem esse infideli peiorem, subdit: *In quo? in hoc quòd Christum putans esse Deum ei non credit tamquam Deo. Impietas enim illa,* (scilicet Paganorum) *quandam habet consequentiam* (id est, non ita vno modo negat, quod alio concedit) *qui namque Christum Deum esse non credit, hunc nec illi credere necesse est; hæc autem impietas* (scilicet hæreticorum) *neque consequentiam habet, Deum confiteri, & in his quæ dicit, eum fide dignum non censere.*

Chrysost.

73 Tertiò, quia hæretici communiter ferè sunt à fide apostatæ, quia vel aliquando fuerunt simpliciter Catholici, vel saltem communiter baptizati sunt, atque ita in militiam Christi vt veri eius milites inscripti verum militiæ Christianæ signum siue sacramentum susceperunt; quare à fide contra susceptum sacramentum deficientes, longè peiores sunt alijs qui numquam fidei sacramentum susceperunt: vt docent non modò D. August. lib. 21. de Ciuit. cap. 25. suprà citatus, sed etiam D. Petrus epist 2. c. 2. vbi de ijs ait: *Facta sunt eis posteriora deteriora prioribus; melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum reuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.*

August. *2. Petr 2.*

Hæc vltima tamen ratio, atque etiam magna ex parte secunda conuenit etiam in eos, qui à nostra fide ad Iudæos aut Turcas deficiunt, quare hi cæteris paribus peiores sunt hæreticis; quia magis à Deo deficiunt.

DVBIVM VII.

In quo propriè consistat hæresis, siue quænam requirantur vt aliquis sit verè hæreticus?

NOta nomen hæresis ex sua prima origine siue institutione significare electionem, à verbo αἱρέομαι, id est eligo. Vnde deinde deriuatum est ad significandam quamuis opinionem in quauis disciplina, quam aliqui sibi sequendam eligebant; quæ dicebatur secta, quia eam aliqui sequebantur, & hæresis, eò quòd hi eam sibi sequendam præ alijs eligebant: qua ratione olim alia fuit secta siue hæresis Peripateticorum, alia Stoicorum, &c. Sed apud Ecclesiasticos scriptores hæresis ferè in malam partem accipitur pro errore in fide, quem aliqui sectandum sibi deligunt. Quare fides Catholica ex duplici capite nequit dici hæresis. Primò, quia non continet errorem. Secundò, quia in ea non eligimus quid nobis sit sequendũ siue credendum (prout hæretici faciunt qui suo iudicio sibi deligunt quæ credant aut non credant) sed ea credimus quæ Deus nobis per Ecclesiam proponit credenda. Hic igitur de hæresi in hac vltima significatione accepta disputamus; quã varij variè definiunt, & quę conditiones ad eam requiruntur inter se dissentiunt: de quibus nobis etiam disputandum est. Prius tamen ponemus eas conditiones, de quibus inter omnes conuenit, aut quas iam suprà ostendi ad hæresim requiri, aut non requiri; & deinde eas explicabimus, de quibus dubitatur.

74 Quid hæresis apud prophanos significet.

Quid apud Ecclesiasticos.

Constat igitur inter omnes Primò, ad hæresim requiri aliquem errorem in fide; vt patet ex dictis & communi hominum sensu: eos enim solos vocamus iam hæreticos, qui in fide errant. Secundò, hunc errorem debere aliquo modo esse voluntarium, siue vincibilem: nam qui inuincibiliter errat, nec fidem amittit, nec hæreticus dici potest, vt ex dicendis etiam clariùs constabit. Et ratio est, quia sicut fides non consistit in solo intellectu, sed etiam in voluntate (volentes enim credimus:) ita hęresis ei opposita etiam ex parte in voluntate consistit, dicitque errorem voluntarium.

75 Quæ requirantur ad hæresim.

Tertiò, hunc errorem debere esse pertinacem: nemo enim est verè hæreticus nisi in suo errore sit pertinax. Patet Primò, ex D. August. qui epist. 162. initio explicans illud Apostoli ad Titum 3. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionẽ deuita, sciens quia subuersus est eiusmodi*; ait: *Sed qui sententiam suam quamuis falsam atque peruersam nulla pertinaci animositate defendunt*, &c. *parati corrigi cùm inuenerint* (scilicet veritatem) *nequaquam sunt inter hæreticos computandi.* Item contra Manichæos citatus c. *Qui in Ecclesia*, 24. qu. 3. ait: *Qui in Ecclesia morbidum aliquid prauumq; quid sapiunt, si correcti vt sanum rectumq; sapiant, resistant contumaciter, suaq; pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare per-*

76

August. *Titum 3.*

c Qui in Ecclesia.

persistunt, hæretici sunt. In quibus locis ad hæresim apertè requirit pertinaciam, non paratam corrigi. Item lib.4. de Baptis. contra Donatistas cap.16. docet, ex errore credentem idem cum Photino tum primùm esse hæreticum, cùm manifestata sibi doctrina Catholicæ fidei, maluerit resistere, & illud quod tenebat elegerit. *Concil. Viennens.* Idem apertè docet Concilium Viennense relatum Clement. 1. de summa Trinit. §. 2. vbi docet eos esse hæreticos, qui pertinaciter contradicunt ibidem definitis.

77 Pertinacia requiritur ad hæresim formalem. Vbi Nota, quosdam docere, pertinaciam quidem requiri vt aliquis sit hæreticus: non tamen ad hæresim. Sed hi abuntur voce, non distinguentes hæresim obiectiuam aut materialem à formali; illa potest esse in fideli inuincibiliter errante; hæc solùm in hæretico.

Requirunt præterea aliqui vt aliquis dicatur hæreticus, vt sit baptizatus, aut saltem aliquando rectam fidem tenuerit: & omnem baptizatum contra fidem pertinaciter errantem volũt esse hæreticum, quantumuis totaliter à fide deficiat, & fiat Iudæus aut Turca. Sed vtramq; partem refutaui suprà n. 59. & 61. vbi ostendi, vt aliquis errans contra fidem sit hæreticus, & non potiùs Iudæus aut Paganus, requiri vt non recedat totaliter à fide Christiana, sed Christum confiteatur. & esse impertinens an aliquando veram fidem habuerit, vel baptizatus sit, nec ne.

78 Quæ requirantur vt quis sit pertinax in errore. *Vasquez. Valentia. Sanchez.* His positis, difficultas est Primò, in quo hæc pertinacia consistat, siue qualis debeat esse, vt ad hæresim sufficiat?

Vbi Nota, cum Vasquez 1.2. disp.126. nu.6. Valentia 2.2. disp.1. q.11. puncto 1. diffic. 4. ad 2. & Sanchez l.2. de Præcept. cap.7. n.3.4. & c. vbi alios multos citat, ad hanc pertinaciam non requiri, quòd quis velit directè obsistere auctoritati veræ Ecclesiæ fidem proponentis, vt patebit ex dicendis nu.118. aut quòd nolit credere id, quod certò nouit esse verum, siue de fide, aut à Deo reuelatum, aut à vera Christi Ecclesia credi: sic enim aut nulli, aut vix vlli essent verè hæretici; nam communiter omnes putant id quod negant, esse falsum, & contra veram fidem, nec esse à Deo reuelatum, eamque Ecclesiam quæ hoc docet, non esse veram Ecclesiam. Sed sufficere eos scire eam doctrinam, quam negant, doceri ab ea Ecclesia, quam tenentur scire esse veram Ecclesiam; aut quòd negent doctrinam sibi aliàs sufficienter propositam vt teneantur eam credere.

79 Vnde patet ab hac pertinacia non excusari eos, qui parati sunt credere, postquam sufficientibus rationibus, quæ eorum intellectum omnino conuincant, ijs fuerit probatum eam doctrinam esse de fide. Quia vt teneamur aliquid credere, non est opus vt hoc ita nobis probetur esse de fide, vt intellectus omnino conuincatur, sed sufficit id nobis ita proponi ac probari vt non possimus prudenter de eo dubitare. Ita Vasquez *Vasquez. Sanchez.* suprà num.9. & cum alijs Sanchez num.6.

80 Est igitur hîc tota difficultas, vtrùm ad hanc pertinaciam sufficiat errare contra fidem ex ignorantia vincibili, qua quis ignorat aliquid ab Ecclesia Catholica doceri.

Quidam id asserunt. Primò, quia in alijs omnibus peccatis ea, quæ committũtur ex ignorantia crassa, sunt eiusdem speciei cum ijs quæ committuntur scienter, & qui ex tali ignorantia committit homicidium aut adulterium, est verus homicida aut adulter: ergo idem dicendum de hæresi, siue errore contra fidem. Secũdò, quia D. Augustin. epist.162. docet, errantem *Augustin.* contra fidem non esse hæreticum, si diligenter veritatem inquirat: ergo censet eum esse hæreticum, qui eam non inquirit. Tertiò, quia talis peccat vera infidelitate, & amittit fidem, vt docet Trident. sess.6. cap.15. ergo vel peccat hæresi, vel paganismo, &c. Quartò, quia aliàs sequeretur, natos ex hæreticis in Germania & Anglia, sequentes parentum doctrinam, non esse hæreticos, quia errant ex tali ignorantia. Ita Sotus in 4.d.22. q.2.a.3. post 5. concl. casu 1. & Lorca 2.2.q.11.disp.41.n.15. *Trident. Sotus. Lorca.*

Canus verò lib.12. de Locis Theolog. cap.8. 81 versu, *Illud deinde consectarium est*; Petrus Nauarra de Restit. lib.2. cap.4. p.2. dub 8. num.208. & *Canus. Nauarra.* quidam alij volunt errantem contra fidem ex ignorantia affectata esse verè hæreticum. Primò, quia hæc ignorantia non minuit, sed auget peccatum: ergo si is, qui scienter credit aliquid contra fidem sit hæreticus, etiam alter erit hæreticus. Secundò, quia talis errat ex electione, nec est paratus corrigi: ergo est hæreticus.

Alij verò absolutè negant talem esse hæreticum. ita Arragon 2.2.q.11.a.2. versu, *Ad hæc argumenta.* Bañez ibidem versu, *Sed quæret quis.* Azor to.1. Moral. l.1.c.14.q.9. Sairus in claui regia, l.2. c.9.n.34. *Arragon. Bañez. Azor. Sairus.*

Secundò, est difficultas, vtrùm dubitans de 82 aliquo articulo fidei sit hæreticus? Qua in re certum omnino est, eum qui inuoluntariè dubitat propter inuincibilem ignorantiam, aut quia inuitus tales dubitationis motus patitur, nullo modo esse hæreticum, imò non peccare si illa ignorantia sit omnino inuincibilis, aut si illis dubitationibus quantum tenetur resistat. An dubitans de fide sit hæreticus.

Vbi Nota cum Sanchez l.2. de Præcept. c.7. pro scrupulosis, eũ qui patitur tales motus non posse esse hæreticum, quamdiu iudicat se ob tales motus esse hæreticum, quia hoc ipso iudicat rem circa quam illos motus patitur esse de fide. Quare tales non sunt iudicandi peccare quamdiu illi motus ipsis sunt molesti, siue quãdiu ægrè ferunt se eos pati. Meliùs autem faciũt eos penitus contẽnendo, quàm multùm contra eos disputando aut obluctando: quia hac ratione magis augerent scrupulos, imò dubitationes magis sibi molestas redderent. Horum autem ratio est, quia tales verè de fide non dubitant, sed imaginantur se dubitare ex eo, quòd quædam rationes contra fidem ijs occurrant, quas imaginationes quo fortiùs apprehendunt tamquam illicitas, easque conantur refellere, eo magis illis turbantur, & sic plures, ac sæpiùs eas patiuntur. *Sanchez.* Quid dicendum de patientibus motus dubitationis cõtra fidẽ, in quibus putant se peccare. Quid illis suadendum.

Difficultas igitur procedit in ijs, qui volun- 83 tariè dubitant circa articulum sufficienter sibi propositum, ita vt teneantur eum fide diuina credere.

Quidam

Quidam autem negant talem esse hæreticum. Quia hæreticus est, qui opinionem fidei cõtrariam eligit, siue sequitur, vt docent D. Augustin. lib. de Vtilitate credendi cap. 1. & D. Hieron. in cap. 5 ad Galat. & in cap. 3. ad Titum: atqui dubitans nullam opinionem eligit aut sequitur, sed inter vtramque hæret: ergo non est hæreticus. Secundò, quia sicut fides dicit positiuum assensum, ita hæresis dicit positiuum errorem & dissensum: dubius autem hæret medius, nec dissentiens, nec assentiens. Tertiò, quia hæresis contrariatur fidei, non solùm qua certa est, sed etiam qua vera est; dubitatio autem solùm ei contrariatur qua certa: ergo dubitatio in rebus fidei non est hæresis. Ita Canus lib. 12. de Locis cap. 9. versu, *Controuersantur autem.* & Malder. 2.2. q. 11. a. 2. memb. 2. §. *Respondeo dubium*, &c.

Augustin. Hieron. *Canus.* *Malder.*

84 Alij dicunt aliquem dupliciter posse dubitare de fide. Primò, ita vt solùm dubitet hærendo pendulus inter assensum & dissensum. Secundò, per actum reflexum supra suam dubitationem, iudicando obiectum fidei esse à parte rei dubium. Et priorem aiunt quidẽ peccare contra fidem, non tamen esse hæreticum. Secundum verò aiunt esse hæreticum, quia supra dubitationem addit iudicium erroneum, quo iudicat res fidei esse dubias. Et hanc etiam sententiam amplectitur Malderus suprà, memb. 4. §. *Nota tamen.* vbi etiam addit priorem esse verè infidelem & fidem amittere, licet non sit hæreticus.

Malder.

85 Sed hæc sententia mihi videtur difficilis. Primò, quia vel vult illum dubitantem solùm considerare obiectum fidei, & rationes quæ possunt mouere ad assensum aut dissensum, ita vt præterea nullum positiuum actum eliciat iudicando illud esse falsum, aut verum, aut dubium, siue tale quod non possit certò credi, vel vult illum præter illam considerationem aliquod iudicium elicere. Si prius dicatur, talis verè non dubitat: nam circa rem mihi certissimam sine vlla dubitatione possum considerare varias rationes, quibus possit oppugnari, nihil de ijs iudicando. Item talis nullo modo peccaret contra fidem, nisi fortè pro illo instanti teneretur elicere assensum fidei; quo casu peccaret præcisè contra præceptum fidei affirmatiuum, idque non quia de ea re dubitaret, sed solùm quia non eliceret actum præceptum, nec per hoc fieret verè infidelis, aut fidem amitteret, prout illa volunt.

Si secundum dicatur, necessariò debet illi obiecto vel assentiri, vel dissentire, saltem opinando, vel iudicare esse omnino dubium siue incertum; nec enim video quod hîc possit esse aliud iudicium.

86 Secundò, quia isti illud iudicium quo res proposita iudicatur esse dubia, vocant actum reflexum. quod videtur non esse verum: nam actus reflexus dicitur ille, quo potentia reflectitur supra suum actum. v.c. si voluntas velit se velle, si intellectus iudicet se intelligere, dubitare, assentiri, &c. atque ita actus reflexus habet pro obiecto non rem circa quam dubitatur, sed ipsam dubitationem. Iudicium autem, quo iudico rem aliquam esse dubiam, habet pro obiecto rem ipsam de qua dubitatur. Vt autem esset actus reflexus, deberem iudicare me dubitare, non autem rem esse dubiam.

Quid sit actus reflexus.

Ex quibus patet, *aliquem dere aliqua dubitare,* 87 non dicere eum nullum omnino circa eam assensum aut dissensum elicere; sed eum solùm non elicere talem quo iudicet eam esse veram aut falsam. Iudicans autem rem sibi propositam esse dubiam, siue talem cui non possit determinatè assentiri aut dissentire, hæret adhuc pendulus siue dubius inter assensum & dissensum circa rei veritatem, & ideò proprijssimè dicitur dubitare. Atque ita dubitare non est propriè omne omnino continere iudicium, sed iudicare rem esse dubiam; ideoque continere assensum ac dissensum circa eius veritatem.

Dubitans aliquem assensum elicit.

Malderus suprà membr. 2. §. *Obijcitur tertiò,* 88 mouet aliud dubium, vtrùm is qui opinaretur aliquem articulum fidei sufficiẽter sibi propositum esse verum, sit hæreticus? Respondet autẽ, talẽ, si in opinione illa sit pertinax, peccare quidem contra præceptum fidei; tamen non esse propriè hæreticum, quia non errat contra fidem: nam etsi non iudicet obiectum fidei esse omnino certum; dicit tamen esse verum, & cõsequenter idem dicit quod fides, etsi alio modo ac minùs conuenienti. Sicut qui opinatur rem scibilem, non errat contra scientiam, sed eius perfectionem non assequitur.

Malder.

Sed hæc etiam sententia habet difficultatem. Nam ita opinans vel simul explicitè aut implicitè iudicat illud obiectum non esse omnino certum siue firmissimè credendum, vel solùm assensu infirmo iudicat illud obiectum esse verum, nullo modo etiam implicitè iudicando id non esse omnino certum, & fide diuina credendum. Si prius dicatur, talis verè positiuo iudicio errat contra fidem sufficienter sibi propositam, & est hæreticus: si secundum dicatur, non apparet quare talis peccet, præsertim peccato infidelitatis. Nam posita eorum sententia, qui docent fidem diuinam posse consistere circa idem obiectum cum opinione, qui ob diuersa media circa idem obiectum vtrumque actum simul eliceret, nullo modo peccaret. imò eo casu præcepto fidei affirmatiuo si quod obligaret, satisfaceret.

89

Dices Primò, ita opinantem sine fidei assensu coniuncto peccare, quia non elicit actum fidei, quando ad hoc tenetur; aut quia statuit numquam illud obiectum fide diuina credere.

Sed tunc talis non peccabit, quia habebit illam opinionem, sed præcisè quia carebit actu fidei quem hîc & nunc tenetur elicere, aut quia habebit illam peruersam voluntatem; & eodem modo peccaret, etiamsi illum opinatiuum assensum non haberet, atque ita hic erit planè impertinens.

Dices Secundò, Ille hoc modo opinando 91 deficit à vero assensu fidei, atque ita peccat in actu exercito, siue errore practico, non speculatiuo. Sed si talis assensus nullo modo etiam implicitè dicat illud obiectum non esse omnino certum, non video quomodo talis possit dici

errare contra fidem siue errore practico, siue speculatiuo: nisi dicas eum omnem practicè, siue in praxi ita errare, qui non attingit perfectionem fidei, siue qui elicit actum minùs perfectum, quàm sit fides. Sed hoc etiam dici nequit; quia nisi talis tunc careat actu fidei, quem tenetur elicere, nulla est ratio cur peccet. Nam aliàs qui circa obiecta fidei eliceret actum scientificum etiam peccaret, quia etiam hic actus deficit à perfectione actus fidei: illud autem est falsum: nam quamuis ille posset peccare nolendo elicere verum actum fidei, aut in perpetuum, aut quando ad hoc tenetur, tamen non peccaret præcisè eliciendo illum actum scientificum; vt omnes fatentur.

92 Dices Tertiò, Ita opinans peccat, quia circa obiectum fidei elicit actum incompossibilem cum actu fidei. Sed nec hoc satisfacit. Primò, quia multi dicunt actum fidei posse consistere cum actu opinionis circa idem obiectum. quare talis in eorum sententia non peccabit. Secundò, quia velle elicere assensum verum incompossibilem cum actu fidei, etiam circa obiectum fidei mihi ad credendum sufficienter propositum, eo tempore quo non teneor elicere actum fidei, non est peccatum; aliàs secundùm eorum sententiam, qui dicunt scientiam non posse consistere cum fide, nullus posset elicere actum scientificum circa obiecta, quæ scit esse de fide: ergo me velle elicere eiusmodi assensum opinatiuum, circa obiectum quod scio esse de fide, quando non teneor elicere actum fidei, non erit peccatum, & consequenter in eo eliciendo non poterit tunc esse pertinacia, quia hæc dicit renisum siue resistentiam contra aliquam obligationem.

93 Pertinacia ad hæresim requisita. Conclvsio I. Pertinacia ad hæresim requisita consistit in aliqua dispositione voluntatis ita repugnante pio illi affectui, à quo fides necessariò dependet ac imperatur, vt cum hoc nequeat consistere. Hæc videtur communis sententia, *Augusti.* & apertè ipsius Augustini citati nu. 76. vbi ad hæresim requirit vt errans non sit paratus corrigi, sed verum ostendenti contumaciter resistat. quod apertè indicat talem voluntatis dispositionem; nam quicumque hanc dispositionem habet non est paratus corrigi, & veritatem docenti, ipsique veritati sufficienter propositæ contumaciter resistit. Item quicumque hæc facit necessariò habet illam voluntatis dispositionem: nisi enim hanc haberet, non resisteret. Ex quibus apertè infertur secundùm D. Augustinum præter iudicium erroneum ad hæresim ex parte voluntatis requiri ac sufficere eiusmodi dispositionem. quæ magis ex dicendis patebunt.

94 Conclvs. II. Ad hanc contumaciam non sufficit volũtatis dispositio merè habitualis, qua quis ita habitualiter est dispositus, vt nollet ab aliquo errore discedere, etsi sciret eum repugnare doctrinæ Ecclesiæ, modò illa numquam in actum secundum prodierit. Ita Vasquez 1.2. *Vasquez. Turrian.* disp. 126. nu. 8. & ex eo Turrian. 2.2. disp. 55. dub. 2. §. *Item ex doctrina.* sub finem.

Probatur, quia si quis inuincibiliter putaret aliquam propositionem hæreticam esse veram, eique ob certas rationes ita vehementer adhæreret, vt, quamuis ostenderetur ei clarè Ecclesiam contrarium credere, nollet mutare sententiam; & tamen, quia inuincibiliter sibi persuadet se in ea sentire cum Ecclesia, simul omnino indubitanter crederet, eam fidem quam Ecclesia Catholica docet, esse veram, ita vt numquam actu habuerit vllum propositum non recedẽdi à sua sententia, posito quòd sciret Ecclesiã contrarium docere; talis verè nec esset hæreticus, nec pertinax; & ille error cùm inuincibiliter ignoraretur esse talis, esset ei omnino non voluntarius, & cõsequenter nec culpabilis, quia nihil non volũtarium potest esse culpabile. Ratio est, quia talis dispositio quamdiu est merè habitualis, & coniuncta cum illa ignorantia, optimè consistit cum actuali proposito, siue cum pio affectu, quo quis statuit credere omnia, quæ Deus nobis per Ecclesiam, aliaúe ratione credenda proponit: atque ita talis potest vera fide implicitè credere etiam articulum, in quo errat.

Confirmatur, quia qui putãs occidere feram adhibita omni diligentia, ad quam tenetur, ne hominem occidat, iaculatur, & casu occidit inimicum, de quo tunc nullo modo cogitabat, quem tamen ita oderat, vt si de eo cogitasset, & sciuisset se eum hoc ictu posse occidere id fecisset, nullo modo illo actu peccat; vt cum communiore sententia bene docet Lessius de Iustitia c. 7. dub. 9. quia talis occisio est omnino non voluntaria, & actu consistit cum vera voluntate hîc & nunc nemini nocendi; & illa voluntas habitualis quamdiu nõ influit in actum, nullo modo eum deprauat: ergo idem dicendum est de ita errante. 95 Voluntas merè habitualis qui. diu non influit in actũ, hunc non deprauat. *Lessius.*

Conclvs. III. Non requiritur tamen ad hæresim, vt voluntas verè & physicè vllum actum eliciat, quo error ei sit voluntarius, sed sufficit quòd ei sit interpretatiuè voluntarius. Hæc etiam videtur communis, & clarè patet. Nam secundùm omnes quicumq; actu creditaliquem errorem, quẽ scit esse contra doctrinam Ecclesiæ, committit veram hæresim, & consequenter est in errore pertinax; & tamen hoc potest fieri sine vllo physico actu voluntatis: nam vt quis alicui propositioni assentiatur propter rationes, quę ei apparent euidentes, nullo modo opus est vt positiuè id velit; sed sufficit quòd voluntas intellectum non auertat ab eo assensu: quando autem voluntas tenetur intellectum auertere ab aliquo assensu, hoc ipso quo id omittit censetur interpretatiuè eum velle; eique in genere moris & quoad imputationem ad culpam est eodem modo voluntarius, ac si eum physico actu vellet. 96 Interpretatiuè voluntarius quod non impedimus cum tenemur.

Ratio conclusionis est, quia talis voluntatis dispositio, siue volitio interpretatiua nequit vllo modo consistere cum pio affectu credendi omnia sufficiẽter vt à Deo reuelata sibi proposita, & respuẽdi contraria: nam huic affectui directè repugnat volũtas siue realis, siue interpretatiua credendi aliquid, quòd intellectui illius hominis sufficienter ostenditur fidei repugnare.

Conclvsio IV. Errans contra fidem ex ignorantia crassa mortaliter quidem peccat; quamdiu tamen hæc est verè antecedens, siue 97

ne causa illius erroris, adeò vt cognita veritate, siue posito quòd hæc ei sufficienter proponeretur paratus sit eam credere; ille non fit hæreticus. ita Nauarrus cap.11.num.2. Azor tom.1.Moral.lib.1.cap.14.quæst.9. Henriquez lib.13. de Sacrament. cap.17. num.3. in comment.lit.Z. Petrus Nauarra de Restitutione lib. 2.cap.4. part.2.dubio 8. num.201. Vasquez 1.2. disput.126.cap.2. Malderus 2.2. quæst.11. art.2. memb.4. Bañez ibidem. & Turrianus disput. 55.dubio 2. Sayro in claui regia lib.2.cap.9. nu. 34. & alij plurimi. Sequitur ex conclusione prima. vbi ex D. Augustino, & communi sententia ostendi ad hæresim requiri in voluntate pertinaciam, siue talem dispositionem quæ ita repugnet pio illi affectui, quo fides imperatur, vt cum hoc nullo modo possit consistere. Dictus autem non habet talem dispositionem in voluntate, vt patet: quia aliàs non esset paratus credere posita sufficiente fidei propositione.

Nauarr. Azor. Henriq. Petr. Nauarra. Vasquez. Malderus. Bañez. Turrian. Sayro.

Probatur Secundò, quia omnis actualis hæresis siue infidelitas consistit in eo, quòd quis negando articulum fidei ita sibi propositum, vt teneatur eum credere, aut saltem sine temeritate nequeat dubitare an sit à Deo reuelatus, faciat Deum mendacem: atqui errans circa articulum nondum sibi sufficienter propositum, quantumuis id eius culpa contigerit; non negat articulum quem hîc & nunc, siue in his circumstantijs teneatur credere, aut de quo sine temeritate nequeat dubitare, an sit à Deo reuelatus: ergo non peccat vera hæresi aut infidelitate.

98 Probatur Tertiò, quia, vt ostendi dubio 4. vt quis fidem amittat, debet actualiter ita esse affectus circa aliquem fidei articulum, vt eum ne quidem implicitè possit credere, quamdiu illa affectio durat: nam quamdiu aliquis omnes articulos fidei implicitè verè credit, non habet dispositionem actui fidei repugnantem, & consequenter eius habitum non amittit, vt ibidem ostendi: atqui talis non habet eiusmodi affectionem, sed implicitè adhuc tam illum articulum circa quem errat, quàm omnes alios vera fide credit, verè credendo omnia quæ Deus nobis reuelauit, siue per Ecclesiam credenda proposuit: ergo non amittit fidem, & consequenter non fit hæreticus.

Cur ignorantia crassa potius excuset ab hæresi quàm ab homicidio.

Ex his patet cur ex ignorantia vincibili aliquem occidens fiat verè homicida, & ex simili ignorantia errans circa fidem non fiat hæreticus; quia scilicet ad verum homicidium perpetrandum non requiritur in voluntate pertinacia, sicut requiritur ad hæresim.

99 Ad primum igitur argumentum positum numero 80. neganda est consequentia, vt patet ex iam dictis. Ad secundum, nego consequentiam: nam etiamsi Augustinus illo loco dicat eum non esse hæreticum, qui diligenter veritatem inquirit; non tamen dicit eum solum non esse hæreticum, siue omnes alios contra fidem errantes esse hæreticos: & alijs locis citatis numero 76. apertè contrarium docet. Nam docet eos errantes non esse hæreticos, qui manifestata sibi veritate parati sunt ei credere, quales sunt etiam ij, qui ex vincibili ignorantia errant.

Ad tertium, nego antecedens: nam cùm talis error procedat ex ignorantia, est secundùm se inuoluntarius, & solùm voluntarius in causa, siue in illa negligentia: ideoque non est vera infidelitas, quam sanctus Thomas in hæresim, iudaismum & paganismum diuidit, & per quam Tridentinum docet fidem amitti: nam hoc solùm comperit illi errori qui ratione prauæ voluntatis, à qua procedit, ita repugnat actui veræ fidei, vt cum eo nullo modo possit consistere: qualis non est error procedens ex ignorantia, vt iam ostendi.

Ad quartum, nego hoc sequi: nam cùm tales sciant se credere contraria ijs, quæ Ecclesia Catholica docet, errant contra fidem sufficienter sibi propositam, atque ita secundùm dicta sunt hæretici. Nec refert quòd ignorent se errare contra veram fidem, aut Ecclesiam Catholicam esse veram Ecclesiam, quia, vt ostendi num.78. hæc ignorantia non excusat ab hæresi.

Conclvsio V. Errans ex ignorantia affectata, quamdiu hæc est verè antecedens, siue causa ipsius erroris, ita vt ille posita sufficienti fidei propositione sit paratus credere, non fit hæreticus. ita Auctores citati num.81. in fine. & præterea Vasquez, Turrianus, Malderus citati numero 97. & Sanchez de Præceptis lib.2.cap.7. numero 23. Hi tamen addunt quamdam limitationem: aiunt enim talem non fieri hæreticum quando affectat eam ignorantiam affectu alicuius vitij non repugnantis fidei; vt si quis vt liberiùs possit exercere vsuras cupiat ignorare id esse illicitum, ideoque negligat veritatem inquirere, paratus tamen illud credere, si sciret Ecclesiam docere id esse illicitum: secùs aiunt de eo, qui ideo cupit ignorare quid Ecclesia de aliquo articulo fidei doceat, quia vult absolutè suo errori adhærere, aut quia paruipendit quid Ecclesia doceat. Sed etsi hoc verum sit, tamen hæc limitatio non videtur necessariò conclusioni addenda: nam tales non errant ex ignorantia verè antecedente, nec sunt parati credere posita sufficienti fidei propositione. Si enim hac posita essent parati credere, non paruipenderent Ecclesiæ auctoritatem; sed magni eam facerent, cùm propter eam essent parati suum errorem deserere. Quare quòd tales sint hæretici, non repugnat nostræ conclusioni. Nec puto Auctores citatos numero 81. in fine aliud velle. 100

Vasquez. Turrian. Malder. Sanchez.

Ratio conclusionis est, quia talis verè non est pertinax, & verè credit omnia quæ Deus nobis per Ecclesiam, aut alia ratione credenda proponit, atque adeò implicitè credit etiam ipsum articulum, circa quem errat, & consequenter non est hæreticus: quia hæreticus nullo modo verè credit articulos circa quos errat, imò nullos omnino credit fide diuina. 101

Errans circa conclusionē theologicā non est hæreticus.

Ex his sequitur, ad hæresim non sufficere aliquem errare circa conclusionem merè theologicam, quantumuis euidenter ex princi-

pijs fidei deductam. Quia talis non errat in fide, nec hanc negat, sed aut principium aliquod naturale, aut consequentiam illius argumenti.

Sæpè tamen talis præsumitur.

Quanquam quando hæc sunt omnino euidentia, quia talis præsumitur non hæc negare, sed principium fidei, in foro externo præsumatur hæreticus.

102 Conclvsio VI. Voluntariè dubitans de aliquo articulo fidei sufficienter ei ad credendum proposito est verus hæreticus. ita Caietanus 2.2.quæst.11.art.2.in responsione ad 3.sub finem. Gabriel in 4. distinct.13. quæst.2. art.1. not.3.Valentia 2.2.disput.1 qu.11.puncto 1. diffic.2.Azor tomo 1.Moral.libr.8.cap.9.quæst.5. Siluester verb.*Hæresis*,1.quæst.3. Toletus libr.4. Summæ cap.4.in fine. Angelus verb.*Hæreticus*, initio. Castro libr.1. aduersus hæreses cap.10. & lib.1. de Iusta hæreticorum punitione cap.9. reg.1.in fine.Lorca 2.2.disput.42.num.5.& alij plurimi apud Sanchez de Præcept. lib.2.cap.7. num.11.

Caietan. Gabriel. Valentia. Azor. Siluester. Toletus. Angelus. Castro. Lorca. Sanchez.

Probatur Primò,ex cap.1. de hæreticis, vbi dubius in fide dicitur esse infidelis. Et ex Concilio Viennensi relato Clementina de summa Trinitate §.*Porro*, vbi docet, doctrinam vertentem in dubium an anima rationalis sit forma humani corporis, esse inimicam Catholicæ fidei, eiúque pertinaciter adhærentem esse censendum hæreticum.

Concil. Viennense.

Concil. Lateran.

Idem docet Concil.Lateranense sub Leone X. sess.8. de asserentibus aut in dubium vertentibus an anima rationalis sit immortalis,& diuersa in singulis hominibus.

103 Respondent aliqui, illud cap.1. de hæreticis posse intelligi de infidelitate negatiua. Sed hoc dici nequit Primò, quia si talis non fiat verè hæreticus, non est cur fidem amittat, & consequenter nec est ratio cur fiat infidelis. Secundò, quia alia Iura ea ratione nequeunt explicari.

Dices Secundò, illa Iura debere intelligi quoad forum externum, in quo tales præsumuntur esse hæretici. Sed cùm illa Concilia non solùm ipsum dubitantem, sed etiam ipsam doctrinam siue dubitationem tamquam inimicam fidei damnent, nequeunt intelligi de sola præsumptione; quia etsi homo possit præsumi hæreticus, qui verè non est, eò quòd præsumatur aliter sentire quàm clarè exprimat, ipsa tamen doctrina nequit meritò præsumi talis, nisi verè talis sit; nisi fortè quando obscura est ac sensum hæreticum habere potest, qualis non est illa de qua agitur.

104 Probatur deinde clara ratione, quia, vt ostendi num.85. & 87. dubitans de aliqua propositione verè iudicat eam esse dubiam: atqui voluntariè iudicans aliquem articulum fidei esse dubium voluntariè habet errorem fidei repugnantem, atque adeò si ille articulus sit ei sufficienter propositus, est verè hæreticus, vt etiam aduersarij fatentur: ergo voluntariè dubitans de articulo fidei sufficienter sibi proposito est hæreticus.

Ex his patet responsio ad argumenta allata num.83. patet enim dubitantem in fide habere errorem positiuum veritati fidei repugnantem, quæ docet non solùm eum articulum esse verum, sed etiam esse certissimum.

Conclvsio VII. Qui alicui articulo fidei sufficienter sibi proposito assentitur solo assensu opinatiuo, est infidelis siue hæreticus. Ita Azor tomo 1.Moralium libr.8.cap.9.quæst. 6.Castro lib.1.aduersus hæreses cap.10. initio. Arragon 2.2.quæst.11.art.2. dubio 2. Lorca ibidem disput.42.num.7. & alij. Et videtur aperta sententia D. Augustini libr.8. de Trinitate cap.5.vbi loquens de beata Virgine ait: *Itaque hîc salua fide licet dicere, Fortè talem habebat faciem, fortè non talem: fortè autem de virgine natus est Christus, nemo salua fide Christiana dixerit.* Vbi apertè docet, esse contra fidem, siue hæreticum, dicere siue iudicare Christum fortè esse natum de virgine: atqui id opinari nihil est aliud quàm iudicare id fortè ita esse: ergo id ita opinari est hæreticum.

105

Azor. Castro. Arragon. Lorca. Augustin.

Pro quo Nota Primò, tripliciter posse concipi me articulo fidei opinatiuo assensu assentiri. Primò, spectata præcisè aliqua ratione probabili mihi sola pro eius veritate probanda occurrente. Secundò, præcisè propter Dei reuelationem siue testimonium, fatendo nimirum rem esse à Deo reuelatam, & simul solùm opinando eam esse veram; & hoc non videtur fieri posse, nisi aut credam solùm esse probabile Deum eam reuelasse, aut credam eum fortè esse mentitum. quod secundum est apertè impium. Tertiò, vt spectatis omnibus notis fidei quibus mihi ille articulus tamquam à Deo reuelatus sufficienter, vt eum fide diuina credam, proponitur, solo assensu opinatiuo, sine quo iudico eum esse probabilem, eidem assentiar.

106

Tripliciter possumus opinari.

Non agimus hîc autem de primo casu, qui non potest habere locum, quando articulus fidei est mihi sufficienter propositus, quia tunc non proponitur credendus ob rationem solùm probabilem: sed agimus de secundo, & præcipuè de tertio casu, qui maximè potest accidere in praxi, & prior pars secundi casus ad hunc reducitur, si ille articulus sit opinanti sufficienter propositus; si non sit sufficienter propositus, ad præsentem quæstionem non spectat.

Nota Secundò, sicut *aliquid esse contingens* siue *contingere esse*, potest duplicitèr accipi. Primò, generatim, siue largo modo, vt idem sit quod *id esse possibile*, & sic potest dici tam de eo quod necessariò est, quàm de eo quod contingenter est, & potest non esse. Secundò, speciatim & propriè, pro eo solo quod ita est vt possit etiam non esse. Sic etiam probabile potest sumi. Primò, generatim tam pro eo quod est omnino certum, quàm pro eo quod non est certum. Secundò, speciatim & propriè, pro eo quod non est certò verum aut falsum; & sic sumptum fundat assensum opinatiuum. Priore autem modo sumptum etiam conuenit obiecto fidei aut scientiæ; nam sciens cùm iudicet suum obiectum esse certum, etiam iudicat illud dicto modo esse probabile. Sed minùs propriè minusque vsitatè ita sumitur, & solet communiter secundo modo sumi;

107

Contingens & probabile dupliciter sumuntur.

&

Quod certũ est non dicitur propriè probabile.

& sic de eo hîc loquimur. Atque ita propriè loquendo iudicare aliquod obiectum esse probabile, est iudicare illud non esse certò verum aut falsum, sed solùm probabiliter esse verum, siue ita esse verum, vt tamen fieri possit vt sit falsum: sicut iudicare rem aliquam esse contingentem, est iudicare eam posse esse, & non esse.

108 Ex triplici capite potest contingere assensum solùm esse opinatiuum.

Nota Tertiò, tripliciter posse contingere meum assensum solùm esse opinatiuum. Primò, præcisè ex parte, siue ex defectu ipsius obiecti, quia scilicet hoc est fallibile, atque ita quantumuis huic firmissimè assentiar, assensus tamen necessariò erit fallibilis. Secundò, præcisè ex parte mea; quando obiecto formali omnino infallibili infirmiter assentior, solùm iudicando illud esse probabile. Sicut enim mea licuirei assentiri ex parte mea omnino certò, nihil est aliud quàm me iudicare eam esse certò veram: ita me ei assentiri assensu ex parte mea solùm probabili, nihil est aliud quàm me iudicare eam esse probabilem. Tertiò, ex parte vtriusque, quando ob rationem solùm probabilem iudico aliquid esse probabile. Agimus autem hîc de solo secundo casu: nam obiectum fidei nullo modo potest ex se esse causa cur assensus qui circa id versatur sit solùm probabilis. Siue enim spectes Dei reuelationem, siue ipsas notas fidei, v.c. auctoritatem Ecclesiæ aliquid mihi credendum proponentis, hæc nulla ratione possunt fallere, atque adeò in se certissima sunt. Quare si alicui articulo fidei sufficienter mihi proposito assensu solùm probabili assentiar; cùm hic defectus nequeat prouenire ex parte obiecti, debet prouenire ex parte mea, quia scilicet non assentior obiecto tam firmiter quàm ipsum postulat.

Assensu opinatiuo siue solùm probabili alicui rei assentiri est iudicare eam esse probabilem.

109 Nota Quartò, has propositiones multùm distingui, *Iudico illud esse probabile spectata præcisè ea ratione, qua mihi nunc probatur.* &, *Iudico illud absolutè, siue secundùm se esse probabile.* Prior enim solùm significat me iudicare illam rationem per se consideratam esse probabilem, & si nihil aliud obsit probabiliter suadere illud esse verum: secunda verò significat me iudicare ipsam rem, quæ dicta ratione probatur, secundùm se absolutè esse probabilem. Vnde etiam patet dicta iudicia versari circa obiecta planè distincta; hinc etiam fit quòd prius iudicium possim elicere circa propositionem, quam aliunde actualiter omnino certò scio esse necessariò veram, aut etiam falsam: secùs est de secundo. Fieri enim nequit vt iudicem aliquid esse probabile (sumendo hoc verbum strictè & propriè iuxta dicta num.107.) quod actu certò scio, aut esse falsum (vt per se patet) aut etiam necessariò esse verum. Nam sicut propriè & strictè loquendo hoc ipso quo iudico rem aliquam esse contingentem, simul etiam iudico eam non necessariò existere: ita etiam propriè ac strictè loquendo hoc ipso quo iudico propositionem aliquam esse probabilem, iudico eam non esse necessariò veram: quia propriè & strictè loquendo hæc idem sunt.

Contrà verò contingere potest, vt pro aliqua propositione habeam ex vna parte rationes, quæ mihi videntur omnino certò ac euidenter probare eius veritatem, ita vt nullo modo videam quomodo possit ijs satisfieri: & simul ex altera parte occurrant aliæ, quæ mihi videantur æquè certè ac euidenter probare eam esse falsam. Quo casu iudicabo eam rem consideratam præcisè prout subest prioribus rationibus esse certò veram; & contra prout subest præcisè posterioribus esse certò falsam; secundùm se tamen, siue absolutè loquendo, esse dubiam, siue tam eius veritatem quàm falsitatem esse probabilem. Quia hoc nihil est aliud quàm me iudicare priores rationes esse, aut saltem mihi apparere tales, quæ omnino conuincerent illius propositionis veritatem, si nihil huic aliunde obstaret; & posteriores simili ratione probare eius falsitatem: vtrasque autem simul sumptas mutuam vim eneruare, atq; ita relinquere rem dubiam, siue in vtramque partem probabilem.

Quamdiu autem iudico dictas rationes æqualiter probare hinc illius veritatem, & inde illius falsitatem, nec alia ratio occurrit cur his potiùs adhæream quàm illis, fieri nullo modo potest vt dictam propositionem absolutè iudicem esse veram: aut contrà eam esse falsam. Aut vt iudicem eam spectatam præcisè prout subest prioribus rationibus esse strictè loquendo probabilem, quia hoc esset iudicare priores rationes secundùm se sumptas eam solùm probabiliter probare. quod nequeo iudicare, quamdiu iudico eas secundùm se præcisè sumptas eam certò probare.

110 Fieri nequit vt quod certò scio esse verum, iudicem solùm esse probabile.

Hinc sequitur Primò, fieri non posse vt rem aliquam quam habitualiter scio omnino esse certam, ob aliquam rationem eam probabiliter suadentem iudicem à parte rei esse strictè loquendo probabilem, siue eam esse solùm probabilem (hæc enim, vt suprà ostendi, eadem sunt) nisi fortè pro illo tempore nullo modo mihi occurrat eam esse certam (quod fortè fieri posset, quando illa certitudo non est mihi ita clara ac perfectè cognita.) Quia si hoc mihi occurrat, cùm tunc necessariò iudicem eam esse certam, fieri nequit vt simul iudicem eam solùm esse probabilem: quia tunc simul iudicarem eam esse certam, & non esse certam; & consequenter iudicarem contradictoria esse simul vera.

Dices, Potero tunc iudicare eam esse probabilem, & suspendere iudicium de eius certitudine, siue nullum actum circa hanc elicere, prout proponitur sub ea ratione, qua scio eam certò probari. Respondeo hoc fieri non posse. Quia cùm intellectus non sit liber, fieri nequit vt circa obiecti veritatem clarè sibi propositam nullum eliciat iudicium. Nam sicut fieri nequit vt oculus apertus ac sanus non videat obiectum sibi clarè propositum: ita intellectus nequit non intelligere veritatem sibi omnino clarè propositam (qua ratione necessariò ei proponitur obiectum ab eo habitualiter certò cognitum, quoties ei proponitur sub ea ratione, qua illud certò nouit) ipsum autem hanc ita intelligere, nihil est aliud quàm ipsum iudicare rem esse certò veram.

111 Sequitur Secundò, quando mihi res aliqua proponitur sub certa aliqua ratione credenda, v.c. Pelagium esse hæreticum, quia S. Augustinus hoc dicit, etsi fieri possit vt tunc iudicem illud esse probabile, prout præcisè subest illi rationi, interim abstrahendo, siue non iudicando, an verè à parte rei sit certum, an solùm probabile; verum, an falsum; tamen fieri non posse vt iudicem illud secundùm se, siue à parte rei esse propriè probabile, & simul abstraham an sit certum, an solùm probabile. Ratio est, quia in priore casu meum iudicium, & abstractio iudicij versantur circa diuersa obiecta, in secundo verò versarentur circa idem obiectum; fieri autem nullo modo potest vt simul iudicem aliquid esse propriè probabile, & abstraham, siue non iudicem an sit solùm probabile, siue non omnino certum; quia, vt iam sæpiùs dixi, hæc propriè loquendo planè sunt eadem, me iudicare aliquid esse probabile, & me iudicare id esse solùm probabile, siue non esse omnino certum.

112 Dices, Eminus videns aliquid moueri possum iudicare illud esse animal, abstrahendo an sit homo, an brutum: ergo possum iudicare aliquid esse verum, abstrahendo an sit certò verum, an solùm probabiliter. Respondeo nego consequentiam: antecedens enim potiùs contrarium probat. nam etsi videndo aliquid eminus moueri, possim iudicare id esse animal, abstrahendo an sit homo, an brutum; non possum tamen id ita iudicare quin apprehendam illud mihi apparere tamquam incertum an sit homo, an brutum, siue quin apprehendam illud mihi apparere vt incertum quale in se sit. Et similiter, etsi aliquid possit mihi ita obijci, vt non iudicem an in se sit necessariò verum, an non; tamen vt sufficienter obijciatur in ordine ad ferendum aliquod de eo iudicium, debet mihi obijci vel tamquam certum, vel tamquam incertum an sit tale.

113 Ex his patet Primò, clara ratio nostræ conclusionis; nam vel iudico articulum fidei mihi sufficiéter propositum, omnibus spectatis, siue verè à parte rei esse certum, & sic non erit actus opinionis, sed assẽsus omnino siue omni ex parte firmus ac certus, atque adeò vel scientiæ vel fidei; aut iudico eum omnibus spectatis solùm esse probabilem, & consequenter non esse omnino certum, sed fortè non verum; & hoc iudicium apertè repugnat fidei.

Item vel intellectus adhæret illi obiecto assensu omnino certo, & sic non erit opinio: vel incerto, & tunc, cùm hæc incertitudo nõ possit prouenire ex parte obiecti, quod omnino certũ & infallibile est, debebit necessariò prouenire ex parte ipsius assensus siue intellectus elicientis assensum ex parte sua incertum: quod nihil est aliud quàm ipsum iudicare obiectum non esse omnino certum. Nam sicut intellectum ex parte sua certò ac firmiter adhærere alicui obiecto, nihil est aliud quàm eum iudicare hoc esse certum: ita eum eidem adhærere assensu ex parte sua incerto, siue infirmo, nihil est aliud quàm eum iudicare id esse incertum, siue non omnino certum.

Dices, hæc solùm procedere in eo qui positiuè incertus est, non autem in eo qui solùm priuatiuè incertus est: nam ad hoc solùm videtur requiri vt ipsius iudicium non sit ita certum. 114

Sed etsi hoc fieri possit, quando hæc incertitudo prouenit præcisè ex parte ipsius obiecti formalis, siue quando hoc non est infallibile; tamen quando obiectum formale est omnino infallibile, prout in nostro casu contingit (nam tam notæ fidei, quàm reuelatio diuina per eas proposita omnino infallibiliter suum obiectum credendum proponunt) & tota incertitudo prouenit ex parte solius intellectus incerto siue infirmo assensu obiecto adhærentis: illud dici non potest; nam eo casu nulla potest fingi ratio, cur intellectus infirmo ac incerto modo feratur in obiectum, nisi quia iudicat illud prout hîc & nunc proponitur, non esse omnino certum. Confirmatur, quia (loquendo de firmitate proueniente præcisè ex parte intellectus, & secluso imperio voluntatis) intellectum alicui rei firmiter assentiri, nihil est aliud quàm ipsum iudicare hanc certò esse veram: ergo illum infirmiter huic assentiri, nihil est aliud quàm ipsum iudicare hanc non esse, aut saltem sibi non satis probari esse omninò certam: nec potest probabiliter quidquam aliud fingi, quod ea verba significent. Vnde infero vlteriùs intellectum hoc ipso quo infirmo assensu articulum fidei sibi sufficienter propositum iudicat esse verum, implicitè iudicare eum esse incertum: aut saltem notas fidei, quibus ipsi credendus suadetur, non facere eius certam fidem: & consequenter, si sciat illum ab Ecclesia doceri tamquam articulum fidei, implicitè iudicabit eam in hoc fortè falli. Hoc ipso quo intellectus alicui obiecto infirmo assensu assentitur, iudicat id esse incertum.

Patet Secundò, solutio argumenti allati nu. 88. Iam enim satis ostendi eum, qui propriè opinatur circa veritatem alicuius articuli fidei, iudicando eum à parte rei esse probabilem, implicitè iudicare eiusmodi articulum non esse omnino certum, atque ita errare circa fidem: & consequenter eam amittere, si ille articulus ei sit sufficienter ad credendum propositus. Idemque est dicendum de eo, qui obiectum scibile opinatur esse verum, scilicet ipsum errare contra eam scientiam, implicitè iudicando eius obiectum esse incertum. Quod clarissimum est, quando ei talis obiecti veritas per veram demonstrationem probatur: tunc enim iudicando eam esse probabilem, tam circa illius obiectum formale, quàm circa materiale errat. Secùs in vtroque casu est quando iudicat eiusmodi obiecta esse probabilia, non prout sunt à parte rei siue in se spectata; sed spectata præcisè quatenus subsunt alicui rationi probabili, vt ostendi num. 109. 115

Patet Tertiò, vt aliquis sit hæreticus tria requiri. Primò, vt confiteatur Christum, siue vt velit haberi Christianus; nam, vt ostendi suprà numer. 59. qui absolutè negat Christum, non est hæreticus, sed Iudæus aut Paganus. Secundò, vt in aliquo erret contra fidem. Tertiò, vt sit in errore pertinax. Atque ita hære- 116 Vt aliquis sit hæreticus tria requirantur.

Hæretici definitio.

hæreticus definiti potest; Credens in Christum, & pertinaciter errans in aliquo articulo fidei.

117 Lorca.

Lorca tamen 2.2.quæst.11.disput.39. num.2. & 4.requirit præterea Primò, vt talis erret contra articulum fidei quem Ecclesia Catholica docet siue credit. vnde ait, eum qui aliquid sibi priuatim à Deo sufficienter reuelatum, ita vt teneretur illud credere, negaret, non fore hæreticum, sed temerarium.

Secundò, vt sit manifestum articulum contra quem errat ab Ecclesia credi. Hinc ait propositionem contrariam alicui propositioni quę verè à Deo reuelata est, sed obscurè; ita vt non possit dici clarè ac manifestè ab Ecclesia doceri siue credi, non esse hæreticam, sed solùm erroneam. probatque ex Concilio Constantiensi sess.8. vbi ait, assertiones Wiclephi *alias esse notoriè hæreticas, alias erroneas*, &c. vbi ipse notat Concilium non dixisse alias esse notoriè erroneas; quia error notorius contra fidem est hæresis, vnde etiam disput.40.nu.7.& 8.infert, propositionem repugnantem alicui articulo fidei nondum omnino manifestato, ita vt de eo multi dubitent, ante Ecclesiæ definitionem esse erroneam, postea verò hæreticam.

Concil. Constans.

118 Negans propositionem sibi à Deo priuatim reuelatam est hæreticus. *Azor. Vega. Catharin. Sanchez.*

Sed quod ad priorem conditionem attinet, puto eam nullo modo requiri, atque adeò eum qui negaret propositionem sibi à Deo priuatim ita reuelatam, vt non possit prudenter dubitare quin ea reuelatio sit à Deo, fore verè hæreticum. Ita Azor tom.1.Moral.l.8.c.9.q.4. Vega l.9.de Iustificatione c.3.Catharin. in Apologia de certitudine gratiæ cap. vlt. & cum alijs Sanchez libr.2.de Præcept.cap.7.n.32.& Auctores quos citaui disp.9.n.87. tenentes nos tali reuelationi eadem fide credere, qua credimus alios fidei articulos, necessariò etiam hîc mecum sentiunt. Et probatur Primò, quia, vt ibidē ostendi, eadem planè fide, tam ex parte voluntatis quàm intellectus, ac assensu eiusdem omnino speciei ac rationis quoad omnia intrinseca credimus reuelata nobis priuatim, quo credimus ea quæ docet Ecclesia Catholica; ergo similiter eiusdem rationis est error, quo contra vtraque erramus. Consequentia probatur, quia vitia, quæ eidem virtuti eadem ratione opponuntur, sunt eiusdem rationis: vterque autem hic error eidem virtuti fidei eodem modo opponitur, quia vtroque eodem modo, & æquè voluntariè resistitur primæ veritati reuelanti, cui nos fides iubet credere: ergo vterque est eiusdem rationis.

119

Probatur Secundò, quia sicut fidei bonitas non consistit in eo, quòd credens subijciat se auctoritati Ecclesiæ eiúe obediat (hoc enim nō facit propriè per actum fidei, sed vt summum per iudicium fidei præuium, quo propter Ecclesiæ auctoritatem iudicat aliquid esse credendum; nam assensus fidei nullo modo auctoritate Ecclesiæ, sed sola diuina nititur) sed quòd subijciat se sponte, siue voluntariè auctoritati primæ veritatis ei firmissimè adhærendo. sic etiam malitia erroris contra fidem, quatenus habet rationem infidelitatis, non consistit in eo, quòd quis sit contumax contra Ecclesiam, eiúsve auctoritatem contemnat (quia sic peccat propriè non contra fidem, sed contra obedientiam ac reuerentiam Ecclesiæ debitam;) sed quòd voluntariè resistat auctoritati primæ veritatis, ac implicitè faciat eam mendacem: atqui vterque errans eodem modo, ac æquè voluntariè resistit primæ veritati, ac eam facit mendacem: ergo vterque error habet eandem malitiam contra fidem, siue infidelitatis.

Probatur Tertiò, quia talis habet voluntatem ac intellectum affecta praua dispositione directè repugnante actui fidei, pioque affectui, quo hic imperatur, ita vt nequeat implicitè credere omnia quæ Deus reuelauit: ergo amittit fidem, & positiuè ac directè est infidelis; nam, vt ostendi suprà dub.4. fides per omnem eiusmodi actum ita sibi repugnantem amittitur. vnde vlteriùs sequitur, eum necessariò fieri, aut hæreticum, si adhuc pergit Christum confiteri; aut Iudæum vel Paganum, si hunc neget.

120 An negans sibi priuatim reuelata incurrat pœnas hæreticis statutas. *Azor. Sanchez.*

Dubitant tamen hîc aliqui ex ijs, qui censent talem esse hæreticum, an etiam incurrat omnes pœnas per Ecclesiam in hæreticos constitutas. Azor suprà id negat; quia Ecclesia solùm punit eos, qui negant ea quæ ipsa omnibus credenda proponit: quod talis non facit. Sanchez verò suprà cum alijs affirmat eū eas incurrere. Quia implicitè & interpretatiuè, siue secundùm moralem æstimationem negat Deum esse summè veracem, eique in omnibus credendum esse; quod repugnat fidei, quam Ecclesia omnibus credendam proponit. Quare puto hanc sententiam esse probabiliorem, si hic error in actum externum prodeat.

121

Ex dictis etiam facilè poterit colligi quid dicendū sit ad secundū à Lorca ad hęresim requisitum. In quo dicendum est Primò, propositionem à Deo verè Ecclesiæ reuelatam, licet obscuriùs, ita vt pauci eius sensum percipiāt, ideoque contrarium sentientes in Ecclesia tolerentur, esse verè de fide: atque adeò dum Ecclesia eam postea data occasione definit, non efficere eam de fide, sed solùm declarare eam esse de fide, vt cum multis alijs fatetur ipse Lorca disp. 38.num.9.& 15. & sequitur ex dictis disput.9. dub.5. vbi ostendi aliquam propositionem cōstitui obiectum fidei, non per Ecclesiæ definitionem, sed per solum diuinum testimonium. Quare si propriè loquendo dicamus eam propositionem esse de fide, quæ est verè obiectum fidei, siue talis quæ habeat omnes conditiones ex parte sua necessarias, vt posset atque adeò debeat fide diuina credi ab ijs, quibus sufficienter cognita est; omnis omnino propositio nobis à Deo reuelata debet absolutè dici de fide.

Lorca.

122

Quare quod aliqui dicunt, eas solas propositiones esse de fide, quæ ita clarè nobis propositæ sunt, vt non possimus sine peccato infidelitatis de ijs dubitare; in eo minùs propriè loquuntur, non distinguentes inter hæc duo, scilicet, *Aliquid esse de fide*; &, *Esse manifestè de fide*. & ita confundentes hæc duo, *Aliquid esse de fide*; &, *Nos teneri hoc credere*. Quæ si essent eadem, paucissima essent absolutè de fide, nimirum ea sola quæ omnes tenentur credere; & reliqua solùm essent de fide respectiuè, siue respectu eorum

qui tenentur ea explicitè credere. Quæ valdè pauca sunt respectu eorum quæ communiter omnes fatemur absolutè debere dici esse de fide. vide dicta disp.12. dub.6. n.66.

123 Secundò, si quis eiusmodi propositioni sufficienter sibi cognitæ, ita vt non posset prudenter dubitare quin sit à Deo reuelata, dissentiret, esset verè hæreticus, quia pertinaciter erraret in fide, & interpretatiuè faceret Deum mendacem, vt ostendi in simili n.119.

124 Omnis propositio directè contradicens propositioni reuelatæ, est hæretica. *Lorca.*

Vnde sequitur, dicendum Tertiò, propositionem suprà dictæ contradictoriam propriè loquendo debere dici hæreticã. Probatur, quia, vt docet ipse Lorca disp.38.n.14. illa propositio debet dici hæretica, quæ quantum est ex se, est nata esse obiectum hæresis, siue credentẽ constituere hęreticum, quamuis per accidens ratione ignorantiæ eam credens possit non esse hæreticus: atqui dicta propositio est talis, vt patet ex dictis n.123. ergo est hæretica. Confirmatur ex Concilio Constantiensi sess.8. vbi dicit multas propositiones Wiclephi esse notoriè hæreticas; quibus verbis apertè innuit aliquas propositiones posse esse hæreticas non notoriè, siue ita esse hæreticas, vt hoc non sit omnino manifestum; quia aliàs si omnes propositiones hæreticæ, essent necessariò notoriè tales, frustra tamquam aliquid singulare hoc de aliquibus diceret. Non addidit autem eam vocem *notoriè* singulis qualificationibus, tum quia initio posita sufficienter poterat ad omnes sequentes referri, tum etiam quia magis clarum ac manifestum est, quæ propositio sit hæretica, quàm quæ sit erronea. Ex quibus patet, argumentum Lorcæ positum n.117. pro nobis facere. Quare huius sententiæ sunt Castro lib.1. de Iusta hæret. punit. cap.1. Turrecr. l.4. Summæ p.2. cap.3. Gabriel in 4 d.23.q.2.art.1. Couarr. lib.3. var. resol. cap.1.

Concil. Constant.

Castro Turrecrem. Gabriel. Couarruu.

DVBIVM VIII.

De variis propositionum qualificationibus, siue censuris?

125 NOta, propositiones aliqua ratione directè aut indirectè fidei contrarias aut nocuas in varijs gradibus constitui, prout minùs vel magis ei aduersantur, atque ita varijs nominibus notari, quibus earum qualitas, qua fidei aduersantur, significatur; ideoque dicuntur per ea nomina qualificari.

Quædam enim dicuntur hæreticæ, quędam erroneæ, quædam hæresim sapientes, quædam suspectæ, quædam hæresi proximæ, quædã malè sonantes, piasue aures offendentes, quædam temerariæ. Occasio autem horum nominũ est desumpta ex Concilio Constantiensi sess.8. vbi dictis nominibus notantur propositiones Iohannis Hus: de quibus variè Auctores disputãt, vt explicẽt quibus propositionibus singula hæc nomina propriè conueniant. Et valdè inter se dissentiunt, dum vnus eas hoc modo definit, alius alio, vt videre est apud Canum libr.12. de Locis Theol. cap.11. Caiet.2.2. q.11.ar.1. Bañez ibid. art.2. Castro suprà, & Turrecrem. c.10. Silu. est. verbo *hæresis* q.1. Lorcam 2.2. q.11. disp.40. Turrian. disp.55. dub.3. Sed quia hæ quæstiones sunt ferè de nomine, nec tanti momenti, breuiter hic solùm declarabo, quid nobis videatur probabilius: qui fusiùs hæc disputata cupit videre, dictos Auctores consulat.

Canus. Caietan. Bañez. Castro. Turrecrem. Siluester.

Lorca. *Turrian.*

Propositio hæretica, Iudaica, Pagana, athea.

Igitur propositio hæretica propriè loquendo 126.
est quæ articulum aliquem fidei, siue hic sit manifestè talis, siue non manifestè, ita negat, eiue directè contradicit, vt tamen non tollat omnino fidẽ Christianam, siue vt illius assensus possit consistere cum huius professione. Et simili modo Iudaica est, qua ita Christus negatur, vt tamen lex vetus admittatur. Pagana verò, qua ita tam fides Iudaica quàm Christiana negantur, vt tamen non negetur esse aliquem Deum. Athea demum, qua Deus absolutè saltem implicitè negatur. Patet ex dictis, quia illa propositio dicitur hæretica, Iudaica, &c. cui aliquis fidelis voluntariè siue pertinaciter assentiens, fit hæreticus, aut Iudæus, &c. atqui propositiones illæ sunt tales: ergo, &c.

Caiet. & Bañez suprà, volunt dictas propo- 127
sitiones non debere dici absolutè tales, sed tantùm quando animo hæretico, aut Iudaico, &c. proferuntur, atque ita eas propositiones prolatas ab ignorante non esse tales. Probant Primò, quia hæresis nequit esse sine pertinacia: atqui propositio prolata ab ignorante nõ habet pertinaciam: ergo non est hæresis. Secundò, quia sicut qui credit falsum est falsus, & qui fornicationem admittit, est fornicator, ita qui credit hæresin est hæreticus: atqui is, qui ignoranter credit propositionem aliàs hæreticam, non est hæreticus: ergo talis propositio in eo non est hæretica. Tertiò, quia aliàs propositio hæretica nõ differret ab erronea. Quartò, quia aliàs propositio, quæ semel est hæretica, semper esset hæretica, & sic nullę essent nouæ hereses. Quintò, quia hæc propositio, *Christus non est mortuus*, iam est hæretica, & tamen non fuit talis ante Christi mortem: ergo propositio semel hæretica, non est semper talis pro quouis tempore.

Sed hæ obiectiones supponunt falsum, scili- 128
cet hæresin propriè & formaliter sumptam, quę significat pertinax iudicium intellectus fidei contrarium, idem esse cum propositione hæretica, quæ significat solùm obiectum illius iudicij: quæ si distinguas, illas facilè solues. Eiusmodi tamen propositio quandoque tropicè dicitur hæresis, sicut fidei obiectum dicitur fides.

Ad primum igitur, concedo totum accipiendo hæresin propriè; si autem accipiatur pro obiecto hæreseos, siue pro propositione hæretica, nego maiorem. Ad secundum, nego maiorem: nam vt quis sit fornicator, vel falsus siue deceptus, non requiritur pertinacia, sicut requiritur vt quis sit hæreticus. Adde, fornicationem significare actionem malam, propositionẽ verò hæreticam solùm significare obiectum actionis malæ.

Ad tertium, nego assumptum: nam ex dicen- 129
dis satis patebit eas aliter differre.

Ad quartum, respondeo propositionem se-

Propositio hæretica manet perpetuò talis; non tamen fuit necessariò semper hæretica.

mel hæreticam manere perpetuò hæreticã, non tamen necessariò semper fuisse hæreticam: quia antè quàm Deus eius contradictorium testaretur esse verum, sicut hoc non fuit de fide, ita nec illa fuit hæretica. Quamuis autem post tempora Apostolorum sicut nullæ propositiones incipiunt recenter esse de fide, ita nullæ incipiunt esse hæreticæ (Excipio casus quibus Deus aliqua quibusdam priuatim reuelat;) possunt tamen incipere nouæ hæreses, dum aliqui recenter incipiunt errare circa fidem sibi sufficienter propositam credentes propositionem hæreticam esse veram.

Propositio diuersò tempore prolata, est formaliter diuersa.

Ad quintum, concedo totum: quia tunc contradictorium illius propositionis nondum erat reuelatum. Adde, hanc propositionem, *Christus non est mortuus*, iam prolatam, & prolatam ante bis mille annos non esse formaliter eandẽ, cùm habeat distinctam omnino significationẽ. Nam iam prolata significat Christum ante hoc tempus non fuisse mortuum; priùs verò prolata significabat eum non fuisse mortuum pro eo tempore, siue ante bis mille annos; quæ valdè diuersa sunt, & vnum verum, aliud falsum.

Propositio erronea, & errori proxima.

130 *Lorca.*

Lorca 2.2. quæst. 11. disput. 40. refutatis varijs opinionibus priorem definit esse eam, *quæ directè quidem doctrinæ fidei aduersatur, sed non manifestè & notoriè.* sed suprà nu. 124. ostendi talem propositionem melùs dici hæreticam. Quare cum Maldero 2.2. q. 11. ar. 2. membr. 5. ad 3. Turrian. disput. 55. dub. 3. §. *Item Cano*, & alijs credo erroneam dici, quæ directè contradicit non ipsi fidei, sed conclusioni euidenter ex principijs fidei deductæ. Sicut errori proxima dicitur ea, quæ ita contradicit conclusioni probabilissimè ex principijs fidei deductæ.

Malderus. Turrian.

Propositio hæresim sapiens.

131 *Lorca.*

Hæc à Lorca suprà num. 10. non malè definitur esse ea, quæ non continet propriè errorem in fide, videtur tamen eum supponere, siue ex eo nasci; & est probabile argumentum eam proferentem errare in fide. Quare etiam posset dici suspecta de hæresi, quia proferentem reddit suspectum, vt innuit Lorca suprà nu. 12. Talem autem ait esse hanc; *Stultum & inutile est Venerab. Sacramentum solemni pompa in supplicationibus circumferre.* Hæc enim videtur supponere Christum non esse verè in eo Sacramento præsentem: & qui illam tenet meritò suspicamur etiam hanc tenere.

Propositio hæresi proxima.

132 *Lorca.*

Lorca suprà num. 11. hanc docet, esse eam, quam suprà vocauimus erroneam, & non malè sic etiam vocari potest: nam sicut propositio quæ apertè deducitur ex principijs fidei, quia habet certitudinem proximã certitudini fidei, potest non incommodè dici proxima fidei; ita propositio ei contradictoria videtur posse dici proxima hæresi. Si tamen vim illius nominis, & communem vsum (qui has duas propositiones distinguit) penitiùs inspicias, melùs dicas, cùm aliqua propositio dicitur proxima fidei aut hæresi, non tam significari qualis in se sit, quàm qualis appareat. Atque ita communiter dicitur proxima fidei, quæ probabiliter, etsi non certò probatur esse de fide, siue verè à Deo reuelata sit, siue non. Qua ratione fieri potest vt quandoque verè à parte rei sit à Deo reuelata, atque ita sit de fide. Et huic contradictoria est proxima hæresi, siue à parte rei sit verè hæretica, siue non.

Propositio malè sonans, aut temeraria.

133 *Lorca.*

Prior ex his dicitur, quæ sensu magis obuio & vsitato significat errorem contra fidẽ, potest tamen habere sensum verum & Catholicum. Ita cum alijs Lorca suprà n. 15. aitque talem esse hanc, *Pernicioſum est ditare clerum.* Temeraria ab omnibus communiter dicitur, quæ in rebus ad fidem aliquo modo aut etiam ad bonos mores pertinentibus sine sufficiente fundamento contra communem Doctorum sententiam asseritur.

134 An Ecclesia possit errare in propositionum qualificatione. *Bañez.*

Disputant hîc præterea Doctores, an Ecclesia definiendo aliquam propositionem esse erroneam, aut sapientem hæresim, aut temerariam, &c. possit in eo errare.

Malder. Turrian.

Bañez verò 2.2. q. 11. a. 2 in fine docet, esse erroneum, aut errori proximum, dicere Ecclesiam in eo posse errare; Malderus ibid. membr. 5. in fine dicit id esse hæreticum; Turrian autem disp. 55. dub. 5. dicit esse valdè certum eam non posse in ea definitione errare. Mihi cum Maldero valdè probabile est, esse de fide eam non posse errare; quia 1. ad Tim. 3. Ecclesia dicitur *columna & firmamentum veritatis.* & Iohan. 14. & 16. promittitur ei spiritus veritatis, siue perpetua assistentia Spiritus sancti, qui doceat eam omnem veritatem. Quod videtur non solùm intelligẽdum de rebus quæ propriè sunt de fide, sed etiam de ijs quæ ad fidem aliquo modo pertinẽt, quales sunt illarum sententiarum qualificationes, quarum assertio fidem aliquo modo labefactare posset.

1. Timoth. 3. Iohan. 14. & 16.

135 *Malder. Bañez.*

Addunt tamen Malderus & Bañez suprà, minùs peccare siue errare eum qui asserit propositionem aliquam esse veram aut probabilem, quam Ecclesia definit esse erroneam aut temerariam, &c. quàm eum qui dicit Ecclesiam in ea definitione errare. Cuius ipsi diuersas rationes reddunt: sed vera ratio est, quia prior directè dicit Ecclesiam in sua definitione errare, atque ita posito quòd sit de fide Ecclesiam in ea errare non posse, asserit propositionem verè hæreticam; alter verò solùm asserit id, ex quo per euidentem consequentiam sequitur Ecclesiam errare: atque ita non asserit hæresim; quia etsi sit de fide Ecclesiam in ea definitione non errare, tamen res definita non est de fide, quia non est à Deo reuelata. Nam aliàs Ecclesia non deberet definire contrà sentientes errare, aut temere agere, &c. sed esse hæreticos, quia negarent articulum fidei. vide dicta disp. 9. dub. 5. & disput. 12. dub. 6.

DVBIVM

DVBIVM IX.

Vtrùm licitum sit cum hæreticis de fide præsertim publicè disputare.

136 QVidam ex Patribus ita de eiusmodi disputationibus loquuntur, ac si penitus fugiendæ nec vmquam vsurpandæ essent: nam Tertul. de Præscript.c.16. putat eas ab Apostolo ad Titum 3. prohiberi, his verbis, *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est qui huiusmodi est.* Vbi notat, Apostolum non dicere, Post vnam disputationem, sed Post vnam correptionem, siue admonitionē, aitque: *Fides nostra obsequium Apostolo debet prohibenti quæstiones inire, nouis vocibus aures accommodare, hæreticum post vnam correptionem conuenire, non post disputationem. Adeò interdixit disputationem,* &c. Similia habent quidam alij, quibus consonat illud Apostoli 2.ad Timoth.2. *Noli verbis contendere: ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium*; vbi loquitur de contentione siue disputatione ineunda cum hæreticis circa res fidei. Idem multi alij Patres insinuant.

Tertull. *Titum 3.* *2. Tim. 2.*

137 Ratio huius est quam reddit Apostolus suprà ad Titum 3. his verbis: *Sciens quia subuersus est qui huiusmodi est.* ac si dicat, Pro certo debes tibi persuadere, tales ita esse obstinatos, vt rationibus ad mentem reduci nequeant: vnde nō tam attendunt quid pro vera fide dicas, & quàm firmiter eam probes, quàm qua ratione tua argumenta possint eludere aut ea irridendo, aut quacumque ratione ijs contraria obijciendo, vt auditorum mentes à veritate auertant, iisque victoriam obtinuisse videantur. Quare bene de ijs D.August. libr.3. contra Faustum, cap.12. *Non enim*, ait, *disputare amant hæretici, sed quoquo modo superare impudentißima pertinacia.* vnde etiā ipsa experientia satis docet, ex eiusmodi disputationibus rarò aliquem fructum percipi.

Titum 3. *August.*

138 Contrà hæc tamen faciunt exempla, tam Apostolorum quàm plurium aliorum Sāctorum, quos legimus cum hæreticis de fide tam verbis, quàm scriptis disputasse. Nam Actor.6. & 7. S.Stephanus publicè cum Iudæis disputat, & S. Paulus Act.9. disputat cum Iudæis & Græcis. Et ad Titum 1. exigit vt Episcopus sit ita doctus, vt possit contradicentes, siue fidem ipsam impugnantes arguere, græcè ἐλέγχειν, argumentis siue disputando conuincere. Atque adeò etiam ipse Christus Ioan.8. cum Pharisæis disputat. Hos imitati sancti Patres sæpiùs cum hæreticis disputarunt, vt patet tam ex gestis quàm scriptis D.Augustini, Hieronymi, & aliorum. Imò etiam ex varijs Concilijs, v.c. Niceno I. & II. Constantinop. III. Constantiensi, Lugdunensi, Florentino, in quibus publicè cum hæreticis disputatum fuit, idque magno cum fructu.

Act.6. & 7. *Actor.9.* *Titum 1.* *Ioan. 8.*

139 Igitur D.Thomas 2.2.q.10.art.7. & cum eo communiter alij Doctores docent, aliquando cum infidelibus de fide disputandum esse, quando scilicet certæ adsunt cōditiones. Quales sunt, vt in disputante sit bona intentio propugnandi veram fidem, & errores confutandi, & ad vtrumque sufficiens doctrina. Item vt auditores sint tales, qui putantur ex ea disputatione aliquem fructum & nullum damnum percepturi. vnde bene monet D.Thomas non esse facilè disputandum de fide coram simplicioribus, qui faciliùs capiunt argumēta contraria, quàm eorum solutionem; præsertim si hi numquam audiuerint argumenta contra fidē obijci, quia tunc eorum auditione solùm possunt turbari. Secùs tamen est quando ipsis ab hæreticis eiusmodi argumenta priùs proposita sunt, quibus incipiunt moueri, & in fide inquietari: tūc enim necessariò coram ijs soluenda sunt, ne fides in ijs periclitetur. Hinc D.Gregor. in Pastorali p.2.c.4.initio, *Sicut*, inquit, *incauta locutio in errorem pertrahit: ita indiscretum silentium eos qui erudiri poterant, in errore relinquit.*

D.Thom. Coram simplicibus non est facilè disputandū de fide. *Gregorius.*

Quibus circumstantiis licitè cum hæreticis disputetur.

Vnde etiam inferunt hanc disputationē esse illicitam, Primò, quando defendens fidem, non est sufficiens vt argumenta contraria clarè soluat; tunc enim disputatio ferè cedit in contemptum fidei, & periculum peruersionis audientium; qui putant eum meliorem tueri causam, qui suam fidem plausibilius defendit. 140

Vbi Nota: vt quis hac ex parte sit idoneus qui præsertim coram alijs minùs doctis de fide cum hæreticis disputet, non sufficere quòd sit verè doctus, & argumenta sibi obiecta satis intelligat, ac possit soluere; sed requiritur vt possit ea ita soluere vt audientes etiam rudes solutionem facilè capiant. Vnde ad eiusmodi disputationes coram populo ineundas, sæpè aptior est mediocriter doctus, & in similibus rebus vtcumque versatus, qui clarè ac populariter differere, ac se explicarè potest, quàm alius valdè doctus qui non habet eam gratiam se explicandi. 141

Populatis sæpè commodiùs cum hæreticis disputat qui doctus.

Secundò, inferunt eam disputationem esse illicitam quando disputans non intendit fidem defendere, sed disputando inquirere an vera sit; quia talis de fide dubitat, atque adeò hæreticus, aut alia ratione infidelis est: vt ostendi suprànu.100. atque ita cùm eiusmodi disputatio procedat ex affectu hæretico, mala est. 142

Vbi etiam benè notant hoc intelligendum esse de ijs, quibus fides sufficienter est proposita, ita vt teneantur eam credere. Quaratione non solùm lex diuina, sed etiam Imperatoria Martiani, l.*Nemo*, C. de summa Trinitate, vetat in dubium disputando vocare ea, quæ à Concilio generali definita sunt: in quam legem grauiter peccasse Kemnitium reuocando in dubium definitiones Tridentini, bene ostendit Valentia 2.2.disp.1.q.10.puncto 4. Secùs autem est de eo, cui fides non est sufficienter proposita, & disputat de ea veritatis inquirendæ causa, paratus hanc satis probatam amplecti. Imò etsi hæretici malè faciant dubitando de fide, quam sciunt à Catholica Ecclesia credi; tamen posita hac dubitatione, quando eam ob quædam argumenta non possunt ita statim expellere; non malè, sed bene faciunt rationes, ob quas dubitant, viris doctis exponendo vt ab ijs instruantur; modò ijs pertinaciter non inhæreāt, sed habita rationabili earum solutione parati sint credere. Hoc autem ijs licere patet, quia humanitus

l.Nemo. *Valentia.*

tis loquendo non est alius modus, quo possint omnino conuerti, & in vera fide stabiliri. Imò tales hoc ipso quo dicta intentione veritatem inquirunt, iam desinunt esse verè hæretici, vt patet ex D. Augustino citato n. 76.

143 Ex quibus patet duplex esse genus hominum, quo cum nobis possit esse de fide disputatio. Primò eorum, qui de fide dubitantes veritatem inquirunt, aut saltem ex ignorantia errant, & parati sunt credere, si veritas ijs sufficienter probetur, ita vt nequeant de ea vlteriùs sine pertinacia dubitare. & tunc cum his omnino disputandum esse ijs qui ad hoc idonei sunt, docet *Gregorius.* D. Gregor. citat. n. 139. Secundò, eorum qui in suo sunt errore pertinaces, & ex malitia errant. & cum his non esse disputandum docent Apostolus, & Patres citati nu. 136. quia id nullo fructu fieret. Excipe tamen casum quo id esset necessarium vt ab ijs decepti ab errore reuocarentur, aut vt alij quos inceperunt peruertere, in fide continerentur.

144 *Quæ seruanda in disputatione cum hæreticis.* In qua disputatione hoc obseruandum est, vt ipsi quantum fieri potest, cogantur respondere in forma & directè ad quæstiones propositas, nec permittantur aliò diuagari, donec interrogationi propositæ sit satisfactũ; ad quod vtilissimum esset, si deligeretur aliquis æquus iudex, qui eos ad hoc cogeret. Item instanter vrgeantur argumentis allatis disp. 12. dub. 5. alijsúe similibus, vt fateantur non posse causam fidei inter hæreticos & Catholicos sufficienter decidi, nisi admittatur à Christo statutus aliquis iudex, qui infallibiliter & clarè sententiam proferat. Quòd si aliquem alium admittant præter Scripturam sacram, clarum est hunc non posse esse alium quàm Ecclesiam, præsertim in generali Concilio congregatam; & sic vicimus: si autem obstinatè negèt alium iudicem præter Scripturam & internum spiritum à Christo nobis in hac causa datum esse, tunc primò populari modo dicta argumenta sunt vrgenda. Deinde vrgendi vt aliquem locum controuersum ex sacra Scriptura ita probèt, vt clarè videamus Scripturam dicere id quod ipsi volunt. Ad quod nõ sufficit aliqua loca apparentia adferre, sed vrgendi sunt vt ostendant hunc esse illorum locorum sensum. quod numquam vlla ratione facient. V.c. dicũt nos nihil debere credere quod non sit expressum in Scriptura sacra. iubeantur hoc probare. adferent quidem aliqua loca quibus probent nos nihil debere addere sacræ Scripturæ, vel potiùs nihil esse addendum certis quibusdam ipsius libris, v.c. Apocalypsi: vt ibidem dicitur c. vltimo in fine; aut quibus Iudæi prohibentur in suis sacrificijs adhibere alios ritus, præter illos quos Deus per Moysen illis præscripsit, aliaúe similia. sed nullibi ostendent esse prohibitum ne quid credamus præter ea, quæ in sacra Scriptura habentur; sed solùm ne credamus contraria ijs quæ Apostoli nos docuerunt: hæc autem omnia esse in Scripturis comprehensa, nullibi habetur.

145 *c. Quicumque.* Nota demum c. *Quicumque*, §. *Inhibemus quoque*, de hæreticis, in 6. sub pœna excommunicationis ferendæ, prohiberi omnibus laicis (quales sunt omnes ij, qui non gaudent priuilegio clericali; imò etiam Religiosi qui non ad studia, sed ad opera domestica destinantur) ne cũ hæreticis de fide disputent. Quamuis autem hæc lex lata sit, quia laici communiter indocti sunt, & ad eiusmodi disputationes inidonei; tamen obligat etiam doctos. nam etsi in his videatur cessare ratio legis, tamen verè non omnino cessat: nam si doctis permitteretur hæc disputatio, quiuis putaret se satis doctum esse, atque ita non vitaretur periculum ne minùs idonei cum hæreticis disputarẽt, & lex redderetur inutilis; ideoque id vniuersaliter omnibus prohibet.

Prohibentur laici etiam docti cum hæreticis de fide disputare.

Caietanus autem 2.2.q.10.a.7. & alij cum eo limitant hanc legem, vt intelligatur solùm de disputatione quam vocat formalem, quando scilicet agitur seriò, ad conuincendos eos qui in fide errant. Non autẽ de disputatione solùm materiali, qua aliqui solius exercitij causa, vt fit in scholis, de fide disputant, sicut disputarent de quauis re alia ipsis clarissima. 146 *Caietan.*

Secundò, Valentia 2.2. disp. 1. q. 10. p. 4. & cũ eo alii, eandem limitat, vt non habeat locum in casu necessitatis, aut notabilis & euidentis vtilitatis; vt quando aliquis hæreticus coram aliis multa contra fidem diceret, cum periculo ne alii peruerterentur, aut in hæresi confirmarentur, & Catholicos tamquam non potentes contradicere, despicerent, & absentibus clericis ad id idoneis, adesset laicus qui commodè posset eũdem clarè refellere, & fidem confirmare: tunc enim ille iure naturæ tenetur honorem Dei ac fidei defendere, aliosque à periculo eripere. quare nulla ratione est mens illius legis eum ab hoc prohibere. 147 *Valentia.*

In necessitate laicus licitè de fide disputat.

Addunt iidem, quia in locis vbi hæretici mistim cum Catholicis habitant, crebroque inter se versantur, eiusmodi casus sæpissimè accidit, in his eam legem contrario vsu sublatam esse: nam videmus Prælatis non contradicentibus eiusmodi disputationes passim ab iis qui idonei sunt suscipi; & hoc propter occurrentes necessarias occasiones commodè impediri non potest. Nihilominùs tamen iure naturæ tenentur ab ea abstinere qui ad eam inidonei sunt; aut etiam vbi vident eam cum fructu non posse à se hìc & nunc suscipi. 148

DVBIVM X.

Vtrùm infideles possint habere dominium in fideles, eoúe per Ecclesiam priuari?

NOta Primò, dominium hominis in hominem esse duplex, scilicet despoticum, quale habet dominus in suã mancipia; & politicũ, quale habet rex in omnes suos subditos: & de vtroque hìc est quæstio. 149 *Dominium aliud despoticum, aliud politicum.*

Nota Secundò, satis inter omnes constare, infideles non esse iure naturæ incapaces dominii in fideles: nulla enim vel probabili ratione illud afferi posset. sed quæstio est vtrùm iure humano, eo priuati sint, aut priuari possint.

Nota Tertiò, infideles alios esse baptizatos, quales sunt hæretici & apostatæ, de quibus agemus dub. 14. conclus. 1. alios non baptizatos, subiectos tamen principibus Christianis; alios demum *Infideles triplicis generis.*

demum nec baptizatos, nec principibus Christianis subiectos. Et de his est præcipua difficultas, vtrùm Ecclesia possit eos priuare dominio siue politico, siue despotico, quod habent in fideles.

150 *Lorca. Bañez.* Lorca 2.2.q.10.a.10. & Bañez ibid. sub finem §. *Quarta concl.* & quidam alij, docēt, Ecclesiam absolutè posse eiusmodi infideles spoliare dominio, quod habēt in fideles, etsi id ad vitanda scandala de facto non faciat. Probatur Primò, 1. *Cor.* 6. quia 1. ad Corinth. 6. v. 1. Apostolus reprehēdit fideles quòd vocent alios fideles in iudicium apud iudices infideles: ergo Apostolus priuat hos iudices iurisdictione, quam habebant in eos fideles. Secundò, quia periculosum & indecēs est fidelē seruire infideli: ergo Ecclesia nomine Dei potest hunc illius dominio priuare, quia hoc expedit tum saluti fidelis, tum honori ipsius fidei: sicut princeps potest ob bonū publicum subditū aliquem priuare suis bonis. Cōfirmatur, quia iure Ecclesiastico fidelis coniux potest deserere infidelem nolētem conuerti: ergo multò magis poterit seruus eodem iure deserere dominum infidelem, si Ecclesia hoc statuat. Tertiò, quia *Matth.* 17. Matth. 17. filij sunt liberi à tributo: ergo cùm omnes fideles sint filii Dei, aut de facto sunt liberi à subiectione infidelium, aut saltē possunt ab ea per Ecclesiam liberari, quatenus hoc expedit vt in sua adoptione siue in sua fide perseuerent. Confirmatur, quia Christiani in Scriptura dicuntur liberi: ergo non sunt serui infidelium. Quartò, quia infideles suis peccatis merentur priuari vita: ergo multò magis merentur priuari suo dominio in fideles.

151 Sed hæc nulla ratione probant intentum. Ad primum, respondeo si quidquam probaret, etiam probaret omnes fideles à tempore Apostolorum à iurisdictione magistratuum infidelium fuisse exemptos: quod apertissimè falsum est. Reprehendit igitur Apostolus ibidem Corinthios, quòd indecorè contrà quam fraterna caritas exigebat, alter alterum in ius vocaret, idque coram infidelibus, qui hac ratione poterāt scandalizari videntes Christianos ita inter se contendere, & alterum alteri iniuriam facere. Docetque eos potiùs debere pati iniuriam, quàm hoc facere. Ex quo nullo modo sequitur id quod infertur.

152 Ad secundum, respondeo Primò, nego antecedens, intelligendo illud generatim & per se, ac de periculo graui. Nam quando dominus permittit seruo liberè viuere secundùm religionem Christianam, nullum huic ex eo seruitio tātimomenti imminet periculum, vt propterea dominus possit re sua priuari; cùm seruus si bonæ voluntatis sit, per Dei gratiam facilè possit omne eiusmodi periculum, si quod ipsi ex ea subiectione immineat, superare. Confirm. quia quando seruus habitat apud dominum fidelem quidem, cuius tamen tota familia est peruersis moribus, maius salutis periculum ei hinc imminet, quàm si habitaret apud dominum infidelē, qui aliàs esset moribus probis; & tamen illo casu non licet ei fugere, si dominus non conetur eum iniuriosè aut magna importunitate ad peccatum pertrahere: ergo nec in hoc. Quod autem spectat ad indecentiam, seruum Christianum seruire domino infideli non magis est contra dignitatem fidei, quàm sit contra dignitatem virtutis & filiorum Dei, seruum iustum & filium Dei seruire domino fideli, nequam & mancipio diaboli: sed vtrumque Christianæ humilitati est consonum.

Respondeo Secundò, nego consequentiam: 153 nam vel illud periculum, illaq; indecentia sunt tanti momenti, vt sufficiant vt seruus possit sua auctoritate à domino suo fugere, sicut id potest quando dominus eum iniuriosè conatur ad peccatum pertrahere: & tunc auctoritate Ecclesiæ opus non est. vel non sunt tanti momenti, vt ad illud sufficiant, & tunc nec etiā sufficiunt vt Ecclesia propterea possit dominum suo mancipio priuare, quia hanc potestatem nec habet iure naturæ aut gentium, cùm ille Ecclesiæ non sit subiectus; nec etiam diuino: nullo enim indicio probari potest Ecclesiæ eiusmodi potestatem à Deo esse collatam. nam siue spectemus Scripturas, siue Concilia ac canones, nihil in his reperiemus, quo vel probabiliter insinuent Christianos subditos infidelibus dominis (saltem quādo hi non sunt vicissim subiecti principibus Christianis) aut debere aut posse per Ecclesiam ab eiusmodi subiectione liberari. Sed contrà ram Scriptura, quàm canones sæpiùs innuunt nullam eiusmodi potestatem in Ecclesia esse; dum ita subiectis grauiter præcipiunt, vt suis dominis diligenter obediant, idque non solùm ita vt ad oculum seruiant, timore pœnæ aut scandali; sed quia in conscientia ad hoc verè obligantur.

Quod autem adfertur exemplum principis 154 politici, qui exigente id bono publico potest aliquem sibi subditum priuare suis bonis: solùm probat Ecclesiam ac Christianos principes posse infideles sibi subiectos spoliare suis mancipijs Christianis, quia hoc ad honorem fidei expedit. quod etiam de facto faciunt. Et contrà, sicut respublica politica nullo modo potest aliquem sibi non subditum, nec membrum suum, spoliare suis bonis, quantumuis id publico bono valdè expediat: ita nec Ecclesia potest vllo modo suis bonis spoliare eos, qui nec ipsi sunt membra Ecclesiæ, nec ei vllo modo subiecti, quantumuis illud ad bonum spirituale Christianorum sit conueniens. vnde tam illud exemplū reip. politicæ, quàm ei consona Ecclesię consuetudo pro nobis faciunt. Ad confirmationē, nego antecedēs: quòd enim coniux conuersus possit deserere infidelem pertinacem in sua infidelitate, concessum est iure diuino, nullo autem modo Ecclesiastico, quod circa dissolutionem matrimonij consummati nihil omnino potest, vt ex 1. ad Cor. 7. ostendi tom. 2. de Sacramentis disp. 26. dub. 5. n. 58. & 66.

Nemo sibi non subditi licitè ob peccata sua punit.

Ad tertium, respondeo Primò, si illud quid- 155 quam probaret, probaret omnes Christianos de facto esse liberos ab omni subiectione ac tributo præstandis, non solùm principibus infidelibus, sed etiam Christianis, quia regum filij nulli tributum præstant. Quare ex illo loco solùm probatur, Christum filium Dei naturalē, atque adeò totius mundi & ipsorum etiam regum altiore

tiore quadam ratione dominum, nō fuisse olim obligatum præstare ijs vllum tributum.

Christiani sunt liberi non à subiectione, sed à peccato.

Ad confirmationem, Respondeo Christianos in Scriptura dici liberos à peccato, non autem à subiectione humana; nam hoc esset accipere libertatem in velamentum malitiæ, vt dicitur 1.Petri 2. 1.Per.2.

Ad quartum, concedo totum; sed inde non sequitur, eos his posse priuari per Ecclesiam, aut etiá per principes Christianos, quia ipsi nec his, nec Ecclesiæ vllo modo sunt subiecti: nemo autem quantumuis id meritus potest bonorum priuatione puniri, nisi à Superiore suo.

156 Malderus. Secundò, Malder. 2.2. quæst. 10. art. 10. concluſ. 3 & 4. docet, eiusmodi infideles per Ecclesiam posse spoliari suis mancipijs, alijsque subditis Christianis, quando his ex illa subiectione periculum peruersionis imminet (loquitur autem etiam in casu quo illud periculum non oritur ex iniuria ipsius domini infidelis) secùs autem ait esse quando tale periculum ijs non imminet. Additque, quia communiter tale periculum iis de facto verè imminet, ac saltem meritò in posterum timeri potest, Ecclesiam eos communiter posse à dominorum subiectione liberare; quia ad eam spectat prospicere suis subditis de mediis ad salutem necessarijs, & contraria pericula ab iis amouere. Sed ad hoc iam respondi numer. 153. & 154. vbi ostendi Ecclesiam dicta non posse facere cum iniuria alterius. Vt autem hæc clariùs possint resolui, ponam primò aliquot conclusiones quas Catholici omnes admittunt, & deinde quæ controuersa sunt resoluam.

157 Conclvsio I. Infideles non subditi Christianis dominium iurisdictionis in Christianos iam acquisitum licitè retinent. Est communis Doctorum cum D. Thoma 2.2 quæst. 10. a. 10. Patet, quia Christus Matth. 22. iubet reddi Cæsari, quæ sunt Cæsaris; & Apostolus ad Rom. 13. dicit principum infidelium (qui tunc regnabant) potestatem esse à Deo, & qui eis resistit, resistere Deo; & fideles necessariò iis parere, non tantùm propter iram, siue ob metum pœnæ, sed etiam propter conscientiam, siue quia in conscientia, & coram Deo ad hoc obligabantur. quæ vera non essent si illi non fuissent veri Superiores istorum Christianorum.

D.Thom. *Matth.22.* *Rom.13.*

158 Conclvsio II. Infideles ob Ecclesiæ prohibitionem non possunt inter Christianos publicis officiis præfici, nec principes Christiani possunt iis conferre iurisdictionem in Christianos sibi subiectos. Hæc etiam est communis Doctorum, cum D. Thoma suprà. Habetur expresse capit. *Cùm sit nimis*, de Iudæis & Saracenis. vbi Innocentius III. præcipit eos per Concilium prouinciale grauiter argui qui Iudæos aut Paganos publicis officiis præfecerint: & Christianos omnes abstinere à communione illius infidelis, donec illud officium dimiserit, & per illud acquisita in pauperes Christianos distribuerit. Ratio est, quia hoc cedit in iniuriam & contemptum fidei, & est subditis periculosum. Quia, etsi infideles in suis terris fidelibus ad fidem conuertis, sicut etiam aliis eorum ciuibus infidelibus præ-

c. Cùm sit nimis.

esse non cedat in iniuriam aut contemptum fidei aut fidelium; secùs tamen est, si hoc fiat inter Christianos: quia cùm hoc casu illi Christianorum iudicio & opera Christianis præficiantur, tacitè indicatur inter Christianos non reperiri aptos ad illa officia administranda, aut saltem non tam aptos quàm sunt infideles. Sic externos in aliena patria subesse indigenis non est his ignominiosum aut durum: secùs est si externis alicubi publica magistratuum officia committantur: hoc enim indigenis durum & aliquo modo ignominiosum communiter reputatur.

Cur potiùs cedat in cōtemptum fidei infidelē fidelibus præfici inter Christianos, quàm inter infideles.

159 Conclvsio III. Infideles Christianis non subiecti possunt præesse Christianis, & habere mancipia Christiana: nec hæc possunt ab ijs fugere, si aliàs iustè à dominis possideantur. Ita etiam D. Thomas suprà, & alij communiter. *D.Thomas.*

Probatur ex 1.Petri 2. v. 18. vbi serui iubentur parere dominis etiam dyscolis ac Gentilibus, vt patet ex versu 13. vbi iubet Christianos subesse omni humanæ creaturæ, regibus, ducibus, &c. qui tunc erant Gentiles: & subdit, vt serui etiam pareant dominis. Probatur Secundò, ex capit. *Si quis seruum*, 17. quæst. 4. quod desumptum est ex Concilio Gangrensi, vbi iubetur grauissimè argui, qui suaserit seruo fugam sub prætextu religionis; & ei dicitur anathema. 1.Petr.2. *c.* Si quis seruum.

160 Conclvsio IV. Ecclesia non potest tales priuare suo dominio, quod habent in mancipia Christiana, aut alios fideles, quamdiu nec seruis ob fidem molesti sunt, nec in Christianos iniurij. Ita Durand. in 2. d. 44. quæst. 3. artic. 2. Turrian. 2.2. disp. 52. dub. 1. Sotus in 4. disp. 5. q. 1. a. 10. & alij. Probatur, quia Ecclesia nec iure naturæ habet hanc potestatem, nec à Deo hæc vllibi ei legitur concessa: quare numquam tali potestate vsa est, imò, vt patet ex dictis concluſ. 3. semper definiuit subiectos dominis infidelibus teneri ijs obedire, nec posse ab ijs fugere, si mancipia sint. Confirmatur, quia, vt suprà ostendi, contraria sententia nullo fundamento nititur. Nec his obstat Bulla Alexandri VI. qua regibus Castellæ subiecit Indos Occidentales, quia per eam non transtulit horum regna aut dominia in Castellanos, sed his solùm dedit ius prædicatores fidei in ea regna mittendi, aut etiam aliqua ex iis sibi acquirendi, modò id aliàs licitè fieret. vt cum aliis docet Bellarm. lib. 5. de Pontific. cap. 2. Vnde, vt refert Bañez 2.2. quæst. 10. art. 10. dub. 4. concluſ. 5. ad 3. obiect. Paulus III. in quadam Bulla definiuit Indos infideles esse veros dominos suarum rerum, nec posse iis spoliari, scilicet nisi per iniuriam darent iustam causam ob quam spoliarentur. *Durand.* *Turrian.* *Sotus.* *Bellarm.* *Bañez.*

Dixi, *quamdiu nec seruis sunt molesti ob fidē*, &c. quia hi aliàs possent fugere: nam in hoc iniuriā paterentur; & sic etiam licitè fugerent à dominis Christianis, si vellēt eos ad peccatum pertrahere. Item si ij infideles essent iniurij in Christianos, tunc per modū compensationis possent Christiani ab iis fugere; & sic Turcarum mancipia licitè fugiunt, & posset Ecclesia iis fugam si commodè fieri posset, præcipere. 161 Turcica mancipia Christiana licitè fugiūt.

162 Conclvsio V. Ecclesia, ac principes Christiani licitè statuerunt ne vllus infidelis Christianis subiectus habeat seruum seu mancipium Christianum. Est communis. Patet ex

l. Hac valitura. l. *Hac valitura*, C. de Iudæis & Cælicolis: vbi Iudæi priuantur iurisdictione in Christianos, & prohibentur vlla ratione ad similem iurisdictionem admitti. & l. *Deo nobis*, C. de Episcopis & clericis, statuitur, vt, si quis Iudæus, Paganus, vel hæreticus habeat seruum Christianum, hic fiat statim liber. & cap. *Nulli Iudæo*, de Iudæis & Saracenis, statuitur, vt, si quis Iudæus vel Saracenus seruum emerit infidelem mercaturæ causa, qui postea vult baptizari, nisi intra tres menses venalem exponat, hic fiat sine pretio liber; & similiter is, qui seruitij causa emptus, aut vernacula est.

l. Deo nobis.

c. Nulli Iudæo.

Ratio legis est, quia hoc expedit dignitati & promotioni fidei Catholicæ: sicut autem principes ob vtilitatem reipublicæ possunt aliquando subditos suis rebus priuare, & dominia ab inuitis transferre, (vt patet in tributis, & præscriptione) ita idem possunt ob vtilitatem fidei.

163 Huc accedit, quòd hæc subiectio sæpè est coniuncta cum periculo peruersionis serui, aut cum iniuria fidei, vt patet ex cap. *Etsi Iudæos*, de Iudæis & Saracenis: vbi ideo præcipitur ne Christiani Iudæis famulentur, aut suos filios lactandos dent.

c. Etsi Iudæos.

Nota, Iudæos hoc capite non dici vera mancipia Christianorum, vt aliqui putant, quia aliàs eorum bona licitè à Christianis caperentur, quia bona serui sunt domini: quod tamen cap. *Sicut Iudæi*, eodem titulo, sub pœna excommunicationis vetatur. Dicũtur igitur ibi serui Christianorum, quia vbique alienis principibus, tamquam subditi seruiunt.

c. Sicut Iudæi.

Qua ratione Iudæi dicantur serui Christianorum.

DVBIVM XI.

Vtrùm liceat cum infidelibus communicare, aut eorum libros legere?

164 Nota Primò, hãc communicationem posse videri illicitam, ex duplici capite. Primò, iure naturæ; Secundò, iure Ecclesiastico.

Nota Secundò, nos triplicẽ cum infidelibus posse habere communicationem. Primò, in sacris. Et quidem iure naturæ & diuino est nobis illicitum propriè cum ijs in sacris communicare, ita scilicet vt ipsorum sacrificiorũ, aliorumve rituum simus aliquo modo participes: nam hoc esset saltem, quoad actum externum, falsum cultum siue religionem profiteri. Ex iusta tamen causa licitè quandoque eorum sacris possumus ita interesse, vt nulla ratione cum ijs participemus siue communicemus in sacris. vide dicta disp.15.dub.3.conclus.2.5.6.

Communicare cum infidelibus in sacris est iure naturali illicitum.

Similiter infidelibus non debet permitti vt nostris sacris, & præsertim sacrificio intersint, quia hoc minùs decet; ideoque in Ecclesia institutum est officium Ianitorum vt eos excludãt. Excipe tamen casum, quo ex eorum admissione speraretur fructus, siue eorum conuersio: tunc enim admitti possent, nisi nominatim essent excommunicati; hi enim nullo modo permittendi sunt nostris sacris ita interesse, vt cum ijs videamur communicare. vide quæ dixi tom.2.de Sacram.disp.14.dub.7.

An infideles possint nostris sacris interesse.

Secunda communicatio posset esse in matrimonijs. Et hæc cum infidelibus baptizatis validè quidem contrahuntur, communiter tamen illicitè ob grauia incommoda, quæ ex ijs nata sunt sequi. cum non baptizatis etiam inualidè contrahuntur. Quæ fusiùs ostendi tom. 2.de Sacram.disp.31.dub.3. 165

Qua ratione illicitum sit cum infidelibus communicare in matrimonijs & rebus ciuilibus.

Tertia potest esse in rebus ciuilibus. Et in his iure Ecclesiastico nobis est generatim prohibita omnis communicatio cum iis solis qui sunt nominatim excommunicati, nisi sit aliqua necessitas, aut magna vtilitas: de quibus sufficienter egi tom.2.de Sacram.disp.14. dub.2. & sequentibus; & dubio 12. ostendi quibus casibus liceat cum iis communicare; & dubio 14. quale peccatum sit in casibus prohibitis cum iis communicare.

Præterea multi Auctores docent iure Ecclesiastico Christianis specialiter prohibitum esse familiaritatem habere cum Iudæis. probant ex *c.Iudæi*, 5. & cap. *Ad hæc*, 8. & cap. finali, de Iudæis & Saracenis. Indeque inferunt decem casus in quibus prohibitum sit Christianis cum Iudæis cõmunicare. Aiunt igitur prohibitũ nobis esse Primò, cum iis habitare; Secundò, eorum azymis vesci, etsi separatim ab iis siue domi tuæ iis vescaris; Tertiò, iis medicis vti; Quartò, ab iis medicinas accipere: multi tamen excipiunt casum necessitatis, vt si alii medici desunt, aut non sunt tam periti, & morbus est periculosus. Item aiunt hæc intelligenda esse, ita vt non liceat à Iudæis ita accipere medicinas vt ipsi eas applicent; licere tamen eadem ab iis emere, aut gratis donatas accipere, modò ab iis nobis immediatè non applicentur. Alij tamen etiam volunt hoc prohiberi. Quintò, simul cum iis lauari in balneo; Sextò, eos ad conuiuia inuitare, aut eorũ conuiuia accedere; Septimò, Christianas obstetrices aut nutrices eorum liberos in ipsorum domibus nutrire; Octauò, iis famulari; Nonò, iis seruitutis vinculo subiici; Decimò, illis prohiberi publicis officiis inter Christianos fungi. De his autem duobus vltimis casibus satis dictum est dub.10.

c. Iudæi. *c.* Ad hæc.

Circa explicationem autem horum casuum variæ sunt sententiæ, dùm alij latiùs, alij strictiùs eos interpretantur, vt videre est apud Siluestrum, Armillam, Angelum, Tabienam, Rosellam v. *Iudæus*. Azor tomo 1. Moral. l.8. cap.22. Sanchez lib.2. de Præcept. cap.31. & alios. Quæ hîc speciatim disputare omitto: nam maxima ex parte debili, aut etiam nullo nituntur fundamento, vt mox ostendam. 166

Siluester. *Armilla.* *Angelus.* *Tabiena.* *Rosella.* *Azor.* *Sanchez.*

In primis igitur quod dicunt cap. *Adhæc*, & c. finali, de Iudæis, prohiberi nobis habere cum ijs familiaritatem, ita generatim dictum verum non est. Nam ibi solùm prohibetur illa familiaritas, quæ continet Christiani seruitutẽ, aut diurnã in famulatu subiectionẽ. Quæ iustissimè prohibentur, tum quia hęc subiectio est indigna Christiano in terris Christianorũ: tum etiã quia, cùm omnis subiectio ingeneret subiecti animo quan- 167

c. Ad hæc.

Christianis prohibetur cum Iudæis familiarius quæ eos his subiiciat, aut periculosa est.

quamdam reuerentiam erga Superiorē, nata est subiectorum animos facilè ad religionem Superioris inclinare. Quæ ratio locum non habet in alia familiaritate, præsertim qua Iudæus Christiano seruitute aut famulatu subijcitur. quare aliqui malè ex ijs Iuribus concludunt non licere Christiano habere seruum Iudæum, quia hoc ibi nullo modo prohibetur. Quare extra casus dictis capitulis, aliisque Iuribus expressos, cum D.Thoma 2.2. quæst 10.art.9. Silueſtro v. *Iudæus* num.2. & alijs, puto tunc Christianis solùm prohibitam esse familiarem cum Iudæis conuersationem, quando inde ipsis imminet aliquod periculum peruersionis, aut adest scandalum. quo casu iure naturæ illicita est.

D. Thomas. Silueſter.

168 Deinde, quinque primos casus probant ex cap. *Nullus*, 28. quæst.1. quod desumptum est ex canone 11. Concilii Trullani. Sed hi canones non sunt ipsius VI. Synodi, vt multi putant, sed alicuius conciliabuli, diu post eam Synodum priuata quorumdam Episcoporum auctoritate illegitimè habiti: vnde etiam numquam à Romana Ecclesia fuerunt recepti, præsertim cùm hanc in pluribus damnent, & apertos errores contineant, atque ita nullius auctoritatis sunt. vt ostendi tomo 2. de Sacramentis disp. 20.dub.9. numer.89. Quare non est opus nos in casibus fusiùs explicandis diutiùs inhærere. Primum tamen casum aliqui etiam probant ex cap. *Adhæc*, de Iudæis. Sed, vt iam ostendi, ibi solùm prohibetur ea cohabitatio cum Iudæis, quæ continet diuturnam Christiani in famulatu subiectionem. Christianis tamen vti medico Iudæo aut Pagano siue Saraceno grauiter prohibet Gregorius XIII. constitutione edita anno 1581. quæ incipit, *Alias piæmem.* estque 28. ipsius in Bullario. Excusat tamen grauis necessitas, sicut ab alijs Ecclesiæ præceptis.

c.Nullus.

Trullani canones non sunt recepti ab Ecclesia Romana.

c.Adhæc.

An liceat vti medico Iudæo aut Saraceno.

Quod autem ad vsum azymi spectat, certum est esse graue peccatum eo vti tamquam cæremonia legis veteris, siue vt hæc obseruetur. Ceterùm aliàs comedere panem azymum sine vllo simili respectu, nescio cur sit peccatum, cùm inter Christianos etiam sæpè vsurpetur: & aliàs non liceret comedere panem consecrationi præparatum, quia hic azymus est.

An liceat vti azymis.

Quare Auctores illius canonis de non edendo azymo Iudæorum mihi nonnihil suspecti sunt, quòd eum sicut alios quosdam in odium Latinorum ediderint, vt suggillarent nostram consuetudinem consecrandi panem azymum, quam deinde illorum posteri in Ecclesia Latina apertè damnarunt.

169 Sextum casum probant ex can.4. Concilij Agathensis, vbi Christianis prohibetur adire Iudæorum conuiuia, eosue ad sua vocare, eò quòd ipsi vt immundos reiiciant cibos quibus Christiani vescuntur, atque ita inferiores incipiant esse Christiani Iudæis, si nos iis quæ illi nobis apponunt vtamur, illi verò à nobis oblata contemnant. id est, secundùm Silueſtrum v. *Iudæus*, numer.2. dicto 2. ne nos videamur ijs minùs sancti, dum minùs quàm ipsi abstinemus. Sed alius horum verborum est sensus, ne scilicet videamur nos iis hac in re tamquam inferiores cedere, nosque aliqua in re iis submittere, comedendo quæ nobis apponunt, atque ita eorum modum agendi quodammodo probando, cùm contrà illi nostrum improbent, reiiciendo quæ iis apponimus. Quare Rosella v. *Iudæus*, 1.num.1. Angelus ibidem. Tabiena quæst.1. num.2. Armilla num.4. Azor tomo 1. Moral. libr.8 cap.22 quæst.3. docent hanc prohibitionem non habere locum, vbi non est talis ciborum discretio, siue periculum eiusmodi contemptus ac scandali. Alii volunt hanc prohibitionem etiam in eo casu habere locum, quia in omni conuiuio exercetur magna familiaritas inter conuiuas, quę generatim Christianis cum Iudæis prohibita est; sed, vt suprà ostendi, hoc non probant. Quare hac in re putarem seruandam receptam vbique consuetudinem, præsertim cùm illa prohibitio sit Concilii particularis, quod alibi solùm obligat quatenus est moribus receptum.

Rosella. Angel. Tabiena. Armilla. Azor.

Septimus casus expressè habetur cap. *Adhæc*, 8. de Iudæis. Aliqui autem volunt Christianis etiam prohiberi ne domi suæ Iudæorum filios nutriendos suscipiant. Sed difficulter id ex illo aut vllo alio textu, aut sufficienti ratione probent. nam dictum caput expressè solùm prohibet ne Christianæ nutriant filios Iudæorum in eorum domibus. Nec videtur esse eadem ratio earum quæ domi suæ eorum filios lactandos suscipiunt; nam hæ non submittunt se tamquam famulas Iudæorum seruitio; quæ ratio dicto cap. adfertur, cur non liceat Christianis in domibus Iudæorum horum filios lactare, siue educare. Nec refert quòd etiam in alio casu aliqua cum Iudæis familiaritas contrahatur, quia, vt iam ostendi, non omnis familiaritas cum iis nobis est interdicta; quia aliàs non liceret cum iis miscere colloquia, aut eorum officinas emendi causa frequentare, quia hinc etiam nascitur aliqua familiaritas. Et ita dictum capitulum intelligunt Abbas ibidem num.2. & Cardinalis ibidem.

170 *c.Adhæc.*

Qua ratione Christianis liceat aut nō liceat Iudęorum proles nutrire.

Abbas. Cardinalis.

171 Hinc etiam octauum casum quo prohibetur famulatus, quidam ibidem intelligunt de famulatu propriè dicto, quo aliqui pro mercede se Iudæorum seruitio mancipant, quod propriè fit quando aliquis in eorum domibus tamquam famulus habitat, aut continuò operatur: quia Ius expressè hunc solum famulatum prohibet. Ita Hostiensis dicto cap. *Adhæc*, num.1. & Iohannes Andreas ibidem numer.2. Vnde sequitur secundùm eos non esse Christianis prohibitum alia ratione elocare Iudæis suam operam, v.c. operando pro iis quotidie in suis propriis domibus, aut extruendo iis domum, &c. quia tales operæ non sunt propriè famuli, accipiendo hoc nomen strictè, & prout communiter accipi solet, & prout videtur ibi à Iure accipi. vtramque autem hanc limitationem puto probabilem in locis vbi consuetudo sicius interpretatur.

Hostiens. Iohan. Andreas.

Nonum autem & decimum casum satis explicui dub.10.

Demum Silueſter suprà dicto 6. & quidam alij docent, nobis non licere aliquid legare Iudæis aut Paganis. Probant ex cap. *Sane*, 24.

172 *Silueſter.* c. Sanè.

Silueſter.

c.Si quis Episcopus. quæst.2. & cap. *Si quis Episcopus*, 5. de hæreticis. Sed in priore solùm dicitur nobis non licere communicare mortuis, quibus non communicauimus viuis. quod nihil facit ad rem præsentem, aut si faciat probat contrarium: quòd nimirum sicut non prohibetur nobis in vita dare aliquid Iudæis, ita nec legare. In secundo verò solùm prohibetur ne quis Episcopus non consanguineos aut consanguineos hæreticos aut Paganos heredes instituat. Atque ita si aliquid in præsenti probaret, etiam probaret nulli Christiano licere aliquid legare non consanguineo. At l.1. C. de Iudæis, decernitur inualidum esse legatum factum vniuersitati Iudæorum. In alijs verò casibus credo seruandam receptam vbique consuetudinem.

173 Iure verò naturæ in rebus ciuilibus prohibitum est cum infidelibus communicare quoties potest inde aliquod periculum probabiliter timeri, quod simplicioribus præsertim, imò omnibus qui parum firmi in fide sunt, ex frequenti cum iis communicatione potest facilè imminere; & præsertim cum hæreticis, qui verborum lenocinijs, & quidquid in Catholicorum doctrina aut vita saltem secundùm externam aliquam apparentiam videtur minùs plausibile carpendo, continuò quauis data occasione conantur aliorum animos à vera fide auertere, & in animos eorum etiam non aduertentium paulatim irrepunt, & aliquid praui dogmatis ingenerant. Nam vt dicitur 2. ad Timoth. 2. *sermo eorum vt cancer serpit.* vnde & Apostolus ibidem ac alibi, atque etiam communiter Patres suadent & vrgent, vt eorum familiaritatem vitemus, quantumuis videamur nobis firmi in fide. Hinc Cyprianus lib.1. epistola 3. aliàs 55. ad Cornel. in fine, *Declinent*, inquit, *de cetero fortiter, & euitent dilectissimi fratres nostri verba & colloquia eorum, quorum sermo vt cancer serpit.* & infrà: *Nulla cum talibus commercia copulentur, nulla cum malis conuiuia aut colloquia misceantur, simúlque ab iis tam separati, quàm sunt illi de Ecclesia profugi.* Hinc etiam B. Antonius, vt in eius vita narrat S. Athanasius, numquam hæreticis vel amica verba est largitus; nisi quatenus hæc ad eorum conuersionem conducerent. Et suis moriens hoc vnicè commendauit, vt schismaticorum & hæreticorum venena vitarent, suumque in eos odium sectarentur; addens, *Scitis quòd nullus mihi, nec pacificus quidem sermo cum ijs aliquando fuerit.* Similia de Apostolis narrat Irenæus lib.3. cap.3. docens eos summoperè cauisse, ne vel verbo cum hæreticis communicarent. Quod omnibus qui eorum conuersionem sua conuersatione non sperant procurare, imitandum est, vt illi ea ratione erubescant, suamque turpitudinem videant.

Periculosa cum hæreticis conuersatio.

2. *Timot.* 2.

Cyprian.

S. Athanas.

Irenæus.

174 Quod autem ad secundam difficultatem attinet circa lectionem librorum infidelium, dicendum est Primò, hanc omnibus iure naturæ esse prohibitam, quibus inde imminet aliquod peruersionis periculum. Patet, quia clarum est vnumquemque iure naturæ teneri hoc euitare. Sed si loquamur de peruersione in religione, hoc periculum non videtur communiter notabile, nisi in lectione librorum hæreticorum, aut etiam Iudæorum ac Maurorum. quare horum lectio singulariter prohibita est.

Lectio librorum hæreticorum prohibita. 175 Dicendum Secundò, iure Ecclesiastico omnibus etiam doctis & firmis in fide prohibitum esse legere libros hæreticorum, eosque apud se seruare, sine speciali venia Sedis Apostolicæ, idque sub pœna excommunicationis. Patet Primò, ex Bulla cœnæ, vbi sub pœna excommunicationis reseruatæ Pontifici, omnibus prohibetur, ne legant, aut apud se seruent libros hæreticorum hæresim continentes, aut de religione ex professo tractantes. Circa quam prohibitionem multa doctè notarunt Suarez tom.5. in 3.part. disputat.21. sect.2. numero 10. & fusissimè Sanchez de Præcept. libr.2. cap.10. numero 20. & sequentibus. ex quibus pauca adferam.

Suarez.

Sanchez.

Quinam incurrant excommunicationem ob lectionem librorum prohibitorum. 176 Notandum igitur Primò, vt quis hanc excommunicationem incurrat, quatuor requiri conditiones. Prima est, vt ij libri sint alicuius hæretici. quare legentes libros Catholicorum in quibus refutandi causa inserti sunt errores hæreticorum, etiamsi id faciant vt eorum errores cognoscant; hanc pœnam non incurrunt: sicut nec ij qui legunt librum Catholici, in quo sunt aliqui errores contra fidem per ignorantiam admisti, aut etiam praua hæreticorum scholia; quia eiusmodi non sunt libri hæreticorum. Limitat vltimam partem Suarez, nisi ea scholia essent tam ampla, vt liber ex ijs maxima parte constaret; tunc enim ratione horum videtur posse dici verè liber hæretici, à parte scilicet potiore: & quamuis alij hanc limitationem reijciant, mihi tamen ob dictam rationem videtur admittenda.

177 Secunda conditio est, vt liber ille vel tractet de religione (quales sunt qui tractant de controuersijs in fide, aut ex professo nostram religionem oppugnant, aut contrariam stabiliunt, aut sacras Litteras, aut partem Theologiæ explicant, aut de cultu Sanctorum aut imaginum, & similibus disputant) vel si de alia re tractet, hæresim contineat. quare quicumque legit librum hæretici de religione tractantem, etsi hæresim non contineat, aut tractantem de alia materia, si vel vnam hæresim contineat, etsi non legat eam partem quæ hæresim continet, dictam pœnam incurret. Ita Auctores citati.

178 Tertia conditio est, vt hi libri scienter legantur, seruentur, aut imprimantur: quare ab hac censura excusat ignorantia etiam crassa. Incurrunt autem hanc censuram ij, qui eiusmodi libros apud se scienter seruant, etsi id faciant sine animo eos vmquam legendi, vt patet ex verbis Bullæ. Excipit tamen Sanchez eos, qui eos aliquanto tempore bona fide retinent, vt data commoditate eos inquisitoribus tradant. Item num. 48. ab hac censura excipit eos, qui alium eos libros legentem audiunt, etiam eo casu quo hunc rogarunt vt legeret, quia verè eos non legunt. Et verba pœnalia strictè accipienda sunt. Quod non est omnino improbabile, & certum puto, quando audiens non est causa lectionis.

Quar-

Quarta conditio est, vt id fiat sine legitima facultate, quam solus Pontifex (nisi id alicui speciatim concesserit) dare poterit.

179 Nota Secundò, in indice librorum prohibitorum regula secunda, nos prohiberi præterea sub pœna excommunicationis sine legitima facultate legere libros hæresiarcharum, de quacumque materia scripti sint. Aliorum verò hæreticorum libros non tractantes de religione, nec hæresim continentes, tunc permitti, quando à legitima potestate approbati sunt. In quo indice varij etiam libri continentes aliqua fidei Catholicæ aduersantia, sub pœna excommunicationis prohibentur legi, quidam verò permittuntur postquam purgati sunt. Hæc tamen excommunicatio non est reseruata.

Sanchez. Notat præterea Sanchez suprà numer. 31. ob paruitatem materiæ ab his pœnis excusari qui legeret solam vnam paginam etiam libri in folio impressi, vbi plures etiam particulares casus circa hanc materiam notat.

180 Dicendum Tertiò, contra nostros hæreticos hanc legem Ecclesiæ esse iustissimam, quia ipsius est auertere quantum fieri potest omne periculum peruersionis à suis subditis, quod ex tali lectione grauissimum plurimis impendet, vt docet experientia, & multorum ex ea lapsus. Quamuis autem plurimi sint, quibus ex eiusmodi lectione nullum periculum impendet, quia nimirum docti, prudentes ac firmi sunt in fide, tamen vt illud periculum efficaciter auerteretur, debuit ea lectio generatim omnibus prohiberi, & relinqui solius Ecclesiæ siue Pontificis iudicio, quibus ea deberet permitti. Nam si solùm fuisset prohibita ijs, quibus inde periculum imminet, & cuiusque arbitrio fuisset relictum, vt iudicaret an sibi periculum immineat, lex positiua nihil superaddidisset naturali, & ita fuisset frustra, nec illud periculum sufficienter ex parte sua impediuisset; nam maxima pars eorum quibus ea lectio periculosissima est, iudicasset se ab eo periculo longissimè abesse (nam facilè de nobis magna præsumimus) & ita securè venena hausisset. vide quæ hac de re in simili dixi tom. 2. de Sacram. disput. 26. num. 21.

Cur eiusmodi lectio omnibus generatim interdicta sit.

181 Probatur Secundò, ex antiquissima Ecclesiæ & Christianorum principum consuetudine. Nam Actorum 19. multi qui fuerant curiosa sectati (legendo scilicet libros magicos, aut alios prauam doctrinam continentes) libros suos combusserunt, qui tamen erant magni pretij, vt ibidem dicitur, & insinuatur id factum iussu Apostolorum. Item Concilium Nicenum iussit comburi libros Arij, vt testatur Nicephorus lib. 8. cap. 18. Idemque sub grauissimis pœnis statuit Constantinus Magnus. Vide Baron. anno 325. Item Theodosius & Valentinianus l. *Damnato*, 6. C. de hæreticis & Manichæis, §. *Nec verò*, iusserunt comburi omnes libros Nestorij. Et Valentinianus ac Martianus ibidem, l. *Quicumque*, 8. §. *Nec vlli*, sub pœna deportationis in insulam prohibuerunt libros Nestorij aut Eutycheris legi aut seruari. Vide plura hac de re apud Castro libr. 2.

Actor. 19. *Nicephorus.* *Baron. l. Damnato.* *l. Quicumque.* *Castro.*

de Legè pœnali, & Bellarminum libr. 3. de Laicis cap. 20. *Bellarm.*

Obijciunt hæretici. 1. ad Thessalon 5. dicitur, *Omnia probate; quod bonum est tenete.* ergo licitè legimus hæreticorum libros, vt probemus si quæ in ijs bona sunt. Confirmatur Primò, exemplo D. Hieronymi, qui ex hoc loco probat suam consuetudinem legendi libros hæreticorum. Secundò, exemplo Dionysij Alexandrini, qui teste Eusebio libr. 7. historiæ cap. 6. reprehensus quòd legeret libros hæreticorum, respondit sibi in visione dictum fuisse, Lege omnia quæ ad manus tuas venerint, valebis enim omnia expendere & examinare. Similiter Theophilus Alexandrinus reprehensus quòd legeret libros Origenis, quos ipse cum alijs damnasset, respondit se ex ijs velut ex quodam prato bonos flores colligere, & quæ spinosa ac aculeata erant præterire. 182 *1. Thess. 5.* *S. Hieron.* *Eusebius.*

Respondeo Apostolum ibi loqui solùm de prophetiis nondum damnatis, siue quæ nondum erant examinatæ quales essent: nos autem agimus de libris hæreticorum iam ab Ecclesia damnatorum. Item Apostolus vult illud iudicium esse non alicuius priuati, sed ipsius Ecclesiæ, ad quam scribit, siue ipsorum Præsulum Ecclesiæ. quare hic locus nihil contra nos facit. 183

Ad primam & secundam confirmationem, respondeo tunc temporis non omnes hæreticorum libros fuisse generali omnino lege prohibitos, sed tantùm certos, nunc autem omnes prohibiti sunt. His adde Primò, vel illis exemplis satis constare fuisse tunc temporis in Ecclesia consuetudinem communiter receptam, etsi fortè non ita strictè omnes omnino obligantem, abstinendi prorsus ab omni lectione librorum hæreticorum: aliàs dicti viri non fuissent reprehensi, quòd eos libros legerent. vnde etiam Dionysius Alexandrinus ante cælestem iussionem non fuit ausus eos legere. Adde Secundò, dictos viros fuisse in Ecclesia valdè eminentes, quibus ideò tunc meritò eiusmodi lectio fuerit speciatim permissa, iuxta canon. 16. Concilii IV. Carthagin. vbi Episcopis permittitur vt libros hæreticorum necessitate id exigente, verbi causa, vt eorum errores refutent, legant; qua ratione etiam modò id multis speciatim à Pontifice permittitur. *Carthagin. IV.*

DVBIVM XII.

An infidelium ritus tolerandi sint: aut ipsi, vt eos deserant, cogi possint?

184 NOta infideles triplicis esse generis: quidam enim sunt baptizati, quales sunt omnes apostatæ à fide, siue sint ludæi siue Gentiles. Alij verò non sunt baptizati, sunt tamen subiecti principibus Christianis. Alij demum nec baptizati, nec his vllo modo sunt subiecti: & circa hos est præcipua difficultas, vtrùm Ecclesia, aut principes Christiani possint eos cogere vt vitent peccata contraria legi naturæ, &

consequenter ritus huic repugnantes, v. c. idololatriam, & similes.

Quidam affirmant hanc potestatem esse in Ecclesia, & Christianos principes, præsertim accedente auctoritate Pontificis, posse reges idololatras, contra ius naturæ peccantes punire, ac si opus sit, viac armis suis regnis expellere, eaque occupare. ita Maior in 2.d.44. quæst.3. Antoninus 3.p.tit.22. Abbas in c. *Quid super his*, de voto. Hostiensis ibidem, Siluester v. *Papa* quæst.7. qui omnes docent, infideles peccantes contra clarum ius naturæ posse per Pontificem aut Imperatorem puniri. vnde vlteriùs sequitur, eos, si corrigi nolint, posse regnis suis priuari. Idemque expressè etiam habet Antonius Franciscus de Doctoribus in notis ad Abbatem suprà.

Maior. *Antonin.* *Abbas.* *Hostiensis.* *Siluester.* *Anton. Franciscus.*

185 Probant Primò, quia Ecclesiastici 10. dicitur: *Regnum à gente in gentem transferetur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos.* vbi Scriptura docet, aliquos propter dicta peccata amittere sua regna, eaque ab alijs legitimè occupari. Confirmatur exemplo Israelitarum, qui plurimas gentes propter eorum idololatriam deleuerunt, & eorum terras possederunt. Secundò, quia D. Cyprianus in sua Exhortatione ad martyrium cap 5. cùm ostendisset Deum in veteri lege præcepisse idolatras interfici, subdit: *Quòd si ante aduentum Christi circa Deum colendum, & idola spernenda hæc præcepta seruata sunt, quanto magis post aduentum Christi seruanda sunt?* Tertiò, quia D. Gregor. lib.1. registri epistola 73. laudat Gennadium Exarchum Africæ, quòd contra infideles bellum gerens fidem dilataret. Quartò, quia licitè infertur alicui genti bellum ad vlciscendas iniurias alicui homini illatas: ergo multò magis id licet ad vlciscendas iniurias Deo illatas. Quintò, quia Alexander VI. subiecit regibus Castellæ omnes Indos Occidentales vt eos debellarent. Sextò, quia aliàs grauissima istorum Gentilium scelera non possent ab vllo homine puniri: quod videtur absurdum & contra debitum diuinæ prouidentiæ ordinem.

Ecclesi.10. *Cyprian.* *Gregorius.*

186 Conclvsio I. Ritus infidelium baptizatorum contrarij ritibus Ecclesiæ, nullo modo tolerandi, sed omni ratione extirpandi sunt, quando id commodè fieri potest. Hæc est communis & certa, & patet ex pœnis, quæ iure Ecclesiastico ac ciuili hæreticis alijsque apostatis imponuntur. vnde etiam cap. *Ad abolendam*, de hæreticis, sub grauibus pœnis præcipitur ducibus ac magistratibus Christianis vt Ecclesiam omni ratione iuuent in hæreticis extirpandis. Ratio est, quia cùm hi ratione baptismi Ecclesiæ sint subiecti eiusque curæ singulariter commissi, ad hanc speciatim pertinet eos errantes ad fidem & veritatem reducere, & iniuriam quam Christo eiusque corpori inferunt impedire: & consequenter ad hoc omni ratione sibi moraliter possibili faciendum obligatur. Confirmatur, quia quiuis iure naturæ & diuino obligatur sibi subiectos quantum potest à peccando, & præsertim ab iniuria Deo ac nostræ fidei inferenda, arcere: atqui infideles exercendo nefarios suos ritus grauiter peccant, Deoque ac veræ fidei iniuriam inferunt: ergo quando ipsi Ecclesiæ sunt subiecti, hæc eos ab his quantum potest tenetur arcere.

c. Ad abolendam.

Conclvsio II. Principes Christiani possunt infidelibus sibi subiectis prohibere peccata externa, quæ sunt contra legem naturæ; & deinde eos qui ea admittunt punire. Est communis, & patet ex praxi, & clara ratione: nam si possint hæc alijs suis subditis prohibere, cur non etiam infidelibus, qui non minùs iis sunt subditi, quàm alii? Item principes infideles suis subditis infidelibus laudabiliter eiusmodi peccata prohibent, & facta puniunt, cur igitur id nequeant facere principes fideles? 187

Ex quo patet, Christianos principes posse infidelibus sibi subditis prohibere omnem cultum falsorum deorum, diuinationes, magiam, ac similes superstitiones, quia hæc apertè repugnant legi naturæ. vnde etiam Constantinus, alijque primi Imperatores Christiani iusserunt statim ac commodè potuerunt, claudi templa idolorum, ac omnia eorum sacrificia cessare.

Nota tamen cum Bañez 2.2.quæst.10.attic. 10.dubio 2. concluſ.3. principem debere priùs prohibere eiusmodi peccata quàm ea puniat. Quia respublica ciuilis (cuius locum princeps obtinet) non habet potestatem puniendi peccata, nisi quatenus hoc est necessarium vt se ac statum suum integrum conseruet, ideoque ea sola punire potest, quæ ipsam, eiusue statum, ac tranquillitatem aliqua ratione turbant. quod clarè patet ex fine quo tam ipsa, quàm potestas legislatiua & punitiua in ea instituræ sunt: scilicet vt homines in vnum corpus congregati, mutuisque inter se societate ac auxiliis subnixi possint commodiùs humano more viuere, & omnia sibi noxia propulsare. ad quod vtraque dicta potestas fuit necessaria; ita tamen vt modo quo fieri posset suauissimo, & humanis moribus accommodato exerceretur; ad quod requiritur vt priùs peccata prohibeat quàm puniat: tum quia hoc suauius est, dum monitio, qua alii à peccatis deterreantur, præcedit punitionem: tum etiam quia peccata quæ ab ea nullo modo sunt prohibita, non censentur ipsius auctoritatem ac tranquillitatem lædere, nisi eam directè, vi aut dolo impugnent; & consequenter non videtur ea meritò punire, quia potestas punitiua ei concessa est, vt possit se illæsam conseruare, ad quod necesse est, vt eos à quibus lædi-tur puniat. 188 *Bañez.* Respubl. ciuilis est sola peccata punire potest, quæ ipsius potentiæ bonumque regimen aliquo modo tur-bant.

Confirmatur Primò, quia communi hominum sensu respubl. censetur permittere ea peccata, quæ non prohibet, & consequenter non censetur ea posse punire. Item omnes censent, se iniustè ab aliquo lædi, nisi priùs eum aliqua ratione læserint; nec quisquam censet se alterum lædere faciendo ea quæ non prohibet. Tertiò, quia communis vsus hoc docet: nam respublica non solet punire peccata quæ non prohibet, v. c. fornicationem & similia. 189

Conclvsio III. Ritus infidelium non baptiza- 190

ptizatorum, subiectorum tamen Christianis principibus tunc possunt tolerari quando nihil continent apertè contrarium iuri naturæ: secùs est de ijs, qui continent aliquid iuri naturæ euidenter contrarium. Hinc D. Thom. 2.2.q.10.a. 11. & cum eo communiter Doctores docent, ritus Iudæorum à Christianis posse tolerari, quãdiu exercentur sine iniuria fidei nostræ, vt etiam patet ex c.3. & 7. de Iudæis, & praxi Ecclesię. Aliorum verò infidelium ritus docent non debere tolerari, quando sine graui incommodo tolli possunt. Cuius rationem D. Thomas cum alijs reddit, quia Iudæorum ritus, cùm fidem nostram in figura exprimant, hanc multùm confirmant, atque ita notabilem vtilitatem nobis adferunt. Secùs est de ritibus aliorum infidelium, qui nihil vtilitatis habent. Cui adde rationem in conclusione positam, quia scilicet ritus Paganorum ferè continent aliquid apertè repugnans iuri naturæ, ideoque à magistratibus ciuilibus prohiberi & puniri possunt, iuxta dicta concluſ. 2. Secùs est de ritibus Iudæorum, qui nihil continent rectæ rationi apertè contrarium, aliàs à Deo non potuissent instituti.

D. Thomas.

Cur Iudæorum ritus magis quàm aliorum infidelium tolerentur.

191 Dices Primò, illi ritus continent protestationem falsæ religionis: ergo repugnant legi naturæ. Secundò, exercentes illos protestantur Messiam nondum venisse, sed adhuc venturum esse, & consequenter protestantur Christum non esse verè Messiam; quæ est magna blasphemia in nostram fidem: ergo eiusmodi ritus fidei nostræ sunt apertè iniurij, & consequenter omnino tollendi.

192 Ad primum, nego antecedens loquendo per se & directè; nam illi ritus directè & per se sunt instituti ab ipso Deo, & in veri Dei honorem ac cultum, quem etiam per se & directè significant etiam post Christi aduentum: nam aliàs Apostoli post Christi passionem Actor. 21. eos illicitè vsurpassent. Indirectè tamen & consequenter sunt protestatio falsę religionis, quatenus eorum exercitio significatur obseruationem legis veteris adhuc obligare, aut saltem esse licitam, Deumque adhuc verè & religiosè illis ritibus coli. quod iam est quidem falsum, non tamen est propriè contra legem naturalem; sed contra legem fidei, quæ supernaturalis est, & sola fide cognoscitur; ideoque de illa iudicare non pertinet ad principem sæcularem, sed ad Ecclesiam, cui illi infideles non sunt subiecti. Quod verum est etiam de infidelibus habitantibus in terris Pontificis; quia etsi hi ei sint subiecti vt principi sæculari, non tamen vt Pontifici, & capiti Ecclesiæ. Quare ad eum nec tamquam ad principem sæcularem, nec tamquam ad Pontificem pertinet eiusmodi ritus impedire, eorum exercitium puniendo.

193 Ad secundum, nego assumptum. Illorum enim exercitium significat quidem fidem in Messiam, qui olim, quando illud erat præceptum, erat venturus; non tamen necessariò significat eum modò adhuc esse venturum, siue nondum venisse. Aliàs Apostolus Actor. 21. ijs vtens negasset Christum venisse, & consequenter negasset fidem. quod dicere magna esset in tantum Apostolum blasphemia. Nec refert quòd Iudæi intendant significare se adhuc exspectare Messiam, quia hoc illis ritibus per accidens est.

Exercitium ritus Iudaici non necessariò significat Messiam nõdum venisse.

Ex quibus patet, principes Christianos non 194
posse propriè directè & per se impedire ne Iudæi suis ritibus vtantur, quia cùm ipsi nequeant iudicare de fide, aut ex sua auctoritate aliquid circa eam statuere; nequeunt etiam prohibere aliquem ritum viuendi præcisè quia veræ fidei aliquo modo aduersatur, quando aliàs nihil continet contra ius naturæ. Per accidens tamen possunt id prohibere, quatenus hoc potest cedere in damnum reipublicæ ratione malitiæ Iudæorum, qui communiter seditiosi, & pessimè in Christianos affecti sunt, ideoque permittere eos suo ritu liberè viuere, sæpè reipublicæ periculosum est; vt vsus multis locis docuit. Hinc multis locis id eis penitus interdicitur; & in locis vbi tolerantur, prohibentur nouas synagogas exstruere, aut suas ampliores facere, ne nimium crescant ac insolescant. vt patet ex c.3. & 7. *de Iudæis.*

Principes Christiani solùm per accidens ob incommoda quæ aliàs timentur, Iudaicos ritus licitè prohibent.

Conclvsio IV. Quando principes non 195
possunt eiusmodi ritus omnino prohibere, eorumue exercitium impedire, sine grauioribus incommodis, ob infidelium potentiam, quorum rebellio timetur, licitè eos tolerant. Hæc est apertè sententia D. Thomæ suprà, & communis, & patet ex praxi; nam videmus pijssimos ac laudatissimos principes ob hanc causam multorum infidelium, atque adeò etiam hæreticorum, ritus quandoque tolerasse. Et ratio est, quia, etsi numquam sint facienda mala, vt eueniant bona, aut vt grauiora mala impediantur; tamen illa sæpè licitè & prudenter ob hunc finem tolerantur: quia prudenter quis ex duobus malis eligit minus, quando vtrumque vitare nequit, & ob Christianæ reipubl. salutem imprudenter quis conaretur eiusmodi mala cum manifesto periculo eam euertendi tollere. Quod etiam Christus apertè docet Matt. 13. vbi prohibet euelli zizania cum periculo eradicandi simul triticum.

Matt. 13.

Conclvsio V. Principes fideles nec sua, 196
nec Ecclesiæ auctoritate possunt punire infideles non baptizatos, sibique temporaliter non subiectos, ob idololatriam, aliaue peccata contra legem naturæ ab ijs commissa: nec etiam vi siue armis eos impedire ne ea faciant, quamdiu ipsis Christianis nullam vim iniuriosè inferunt, nec in vitam innocentium iniustè desæuiunt, eos dijs suis immolando, aut simili modo. Ita Bañez suprà dubio vlt. concluſ. 2. Victoria de Iure belli relect. 2. Soto in 4. d. 5. art. 10. Couar. regul. *Peccatum*, p. 2. §. 10. num. 2. Valentia 2.2. disp. 1. quæst. 10. p. 7. Turrianus disput. 52. dub. 2. & alij.

Quid principes Christiani possint circa infideles sibi non subiectos.

Bañez. Victoria. Soto. Couarruu. Valentia. Turrian.

Ratio est clara, quia potestas coactiua & punitiua solùm competunt Superiori. nec possunt licitè exerceri nisi in subditos. Dicti autem infideles nullo modo sunt subditi Christianis principibus, aut etiam Ecclesiæ, & consequenter ab his puniri nequeunt.

Non possumus punire nisi subiectos, quibus aliquid possumus præcipere.

Secundò, quia, vt ostendi num. 188. nemo potest punire aut vi ad aliquid cogere eum, cui

nihil potest præcipere aut prohibere: atqui nec Ecclesia, nec principes Christiani possunt illis infidelibus quid quam præcipere aut prohibere, quia hoc requirit superioritatem: ergo non possunt eos punire, eosque vi ad aliquid cogere.

197 Dixi, *quamdiu ipsi*, &c. Quia si aut Christianis inferrent iniuriam, aut priùs illatam continuarent eorum terras iniustè occupatas possidendo, vt faciunt Turcæ; patet Christianos tunc posse vim vi repellere, & sibi iniustè ablata recuperare, si ad hoc vires ijs suppetant.

Vim vi licitè repellimus & à nobis, & ab aliis innocentibus, quando hi hoc petunt.

Item si alijs innocentibus iniustè vim inferant, possunt Christiani ab hac inferenda eos cohibere, etsi ad hoc necessarium sit, eos vi & armis inuadere: quia non solùm à se, sed etiam ab alijs innocentibus iure naturæ licet vim illatam repellere, modò saltem is, qui eam patitur hoc petat. Quod addo, quia cùm ius vim vi repellendi per se ei soli immediatè conueniat qui illam iniustè patitur, aut saltem vel huius, vel eam inferentis est Superior, illicitè illud mihi vsurpo, nisi ab aliquo horum id mihi committatur. Dicti autem non possunt censeri id mihi committere, quando ostendunt se nullo modo petere vt id faciam. Sicut nequeo validè alterius nomine aliquid aliud agere, si ipse nolit me hoc eius nomine agere. Quæ maximè vera sunt quando dicti licitè nolunt, vt me suis rebus immisceam. Censetur autem hoc petere qui desinit vim repellere præcisè quia ad hoc impotens est, aliàs omnino eam repulsurus. Quales censentur innocentes, præsertim pueri, quos barbari suis dijs immolant, quare Christiani, quando vires ad hoc suppetunt, possunt eos vi & armis ab eiusmodi sacrificijs cohibere, eos si opus sit regnis suis priuando. Ita Auctores in concluſ. citati.

198 Nota tamen Christianos hæc non posse facere per modum punitionis, sed præcisè per modum iustæ defensionis innocentium. Quare non possunt ea facere ob peccata omnino præterita, & consequenter nec erga eos, qui iam ab iniuria inferenda aut continuanda omnino cessant. Non censentur autem cessare quamdiu iniuriam exteriùs illatam non reparant quantum possunt & tenentur.

199 Ad primum argumentum positum num.185. Respondeo illum locum Scripturæ nihil facere ad rem; nam ibi solùm significatur quid Deo id ad vindicandum hominum peccata permittente de facto sæpè fiat; an autem iustè, an iniustè fiat, ibi non dicitur. Adde, ibi agi de peccatis iniustitiæ, & iniurijs alijs illatis, ob quas qui eas passi sunt sæpè iustè aliena regna inuadunt, vt iam dixi. Ad confirmationem, Respondeo Israëlitas id fecisse ex peculiari Dei concessione ac præcepto, qui cùm sit dominus omnium potest cuiuis dare potestatem alios occidendi, eorumque bona inuadendi.

200 Ad secundum, Respondeo D. Cyprianum ibi solùm agere de apostatis, qui à fide ad idololatriam deficiunt, aitque in veteri testamento iussos à Deo seuerè puniri, per legitimos tamen suos Superiores; ac denunciat in lege noua non minùs seuerè à Deo puniendos eos qui à Christo deficiunt. quare hic locus nihil facit ad rem.

Ad tertium, Respondeo illum Gennadium pugnasse contra infideles, & maximè hæreticos Wandalos, & alios qui iniustè aut à Romano Imperio defecerant, aut eius terras inuaserant. Quare ille locus nihil facit contra nos.

Ad quartum, nego antecedens propriè loquendo. nam, vt ostendi num.196 & 198. non licet alicui propriè punire iniurias alteri homini illatas, nisi sit inferentis Superior. Sed solùm licet illum cogere vt ab iniuria inferenda aut continuanda desistat, iam illatas reparando; idque solùm eo casu quo læsus petit hoc fieri, secùs autem esse si id non cupiat fieri, præsertim cùm ipse potens esset seipsum ab omni iniuria vendicare; vt in Deo contingit, qui sine dubio suas iniurias facillimè cùm ei placuerit potest vlcisci, omnesque ab ijs inferendis vel vno verbo compescere. Quare nemo alius potest eas vlcisci, aut eas inferentes vi comprimere, nisi Deus id ei commiserit, prout commisit olim Israëlitis respectu Chananæorum, & generatim Superioribus respectu suorum subditorum. Christianis verò principibus, aut etiam Pontifici respectu infidelium ijs non subditorum hoc negotium nullibi commisit; quare id ijs illicitum est, nisi aliunde adsint iustæ causæ belli. 201

Ad quintum, respondi suprà nu.160. 201

Ad sextum, nego maiorem: nam qui inter illos sunt Superiores, possunt & tenentur punire scelera inferiorum, atque adeò ipsa respubl. scelera ipsorum regum, quando ea hoc exigunt, potest punire, si horum sit aliqua ratione Superior, aut saltem eos ab his exercendis modo conuenienti cohibere. Quòd si his no desint officio, ob malitiam, inscitiam aut impotentiam, ideò Christiani nullum acquirunt ius eos puniendi. Sicut si aliquis supremus inter suos Christianus princeps in sua republ. multa aperta scelera impunita relinqueret, & Pontifex etiam dissimularet, modò alijs non inferat iniuriam, alij reges propterea non acquirerent ius eius regnum inuadendi; & contrarium statuere esset omnia bellis miscere, & cuiuis potentiori dare causam alios calumniandi, quasi impunè apud eos multa scelera committerentur, atque ita afferendi se habere ius eos inuadendi. His adde, nihil videri absurdi, si dicamus aliquos esse supremos in terra principes, quorum scelera nullus mortalis possit propriè punire: sufficit enim Deum eiusmodi scelerum esse vindicem, ac tales ab alijs cohiberi posse ne iniuriam alijs inferant.

DVBIVM

DVBIVM XIII.

Vtrùm in locis vbi ritus infidelium tolerantur, liceat ipsis vendere ea quibus sciuntur ad suos ritus esse abusuri?

203 *D. Thomas.* D. Thom. 2.2. quæst. 169. a. 2. ad 4. disputans vtrùm liceat conficere aut vendere ea, quibus alios scimus malè vsuros, docet Primò, numquam licere eiusmodi res vendere ea intentione, vt alter eis malè vtatur; quod per se clarum est, quia illum malum vsum intendere per se malum est. Docet Secundò, quando abest eiusmodi intentio in vendente, tunc venditionem licere, quando huiusmodi res sunt ex se indifferentes ad malum vel bonum vsum; qua ratione licitè conficitur & venditur mundus muliebris, etsi multæ eo abutantur, aut agnus quem infidelis immolabit: secùs autem esse de ijs rebus, quæ ex se quodammodo destinatæ & determinatæ sunt ad vsum malum, qualia sunt idola, vestes sacerdotales idololatrarum, & similia.

204 *Siluester.* Siluester verò verb. *Infidelitas*, quæst. 4. & quidam alij hanc distinctionem non admittunt: nam cùm illæ res non sint natura sua ita determinatæ ad vsum malum, quin absolutè possimus ijs benè vti, v.c. ad ostentationem artificij aut antiquitatis, aut peregrini vsus, &c. (in quos sæpè vsus Christiani sine vlla culpa Gentilium antiqua idola, aliasue res similes sibi comparant) non possunt ex hominum destinatione ita fieri malæ, vt earum venditio sit in omni casu mala; nam aliàs ne quidem Christiano in vsus iam dictos liceret eas vendere.

Confirmatur, quia vtræque res ex natura sua sunt indifferentes ad bonum vel malum vsum, vt iam ostensum est; & sicut posteriores sunt destinatæ ad malum vsum ex voluntate idololatrarum, qui eas primò repererunt, ita res priores sunt destinatæ ad malum vsum ex voluntate dementis; ergo eadem vtrarumque est ratio. Quare illi putant solùm esse distinguendum an vendens sciat res emi ad malum vsum, an verò id ignoret, aut saltem de eo dubitet: & in secundo casu aiunt vtrasque licitè vendi: in priori verò casu aiunt tunc eas licitè vendi, quando adest grauis causa, vt si quis sine graui incommodo non posset eas non vendere, quia hic tunc non tenetur cum tanto suo incommodo alterius peccatum impedire: secùs verò esse quando eiusmodi causa abest, tunc enim volunt vtrasque illicitè vendi.

205 Alij volunt sententiam Siluestri esse veram in venditione rerum prioris generis, siue quæ ex se habent vsum indifferentem: secùs verò esse in rebus secundi generis, quas volunt numquam licitè vendi, nisi constet eas non peti in malum vsum. Ita Malderus 2.2. quæst. 10. art. 9.

Malder.

Alij demum absolutè aiunt eiusmodi venditionem esse illicitam, quando sciuntur illa emi ob malum finem, quia hic ea tunc vendens alterius peccato cooperatur. Ita Rosella verb. *Iudæus*, 2. in fine. Armilla verb. *Infidelitas*, num. 7.

Rosella. Armilla.

Iohannes Medina Codice de Restit. quæst. 30. causa 1. §. *Dicendum.*

Iohan. Medina.

206 Venditio rei qua emens abutetur, ex duplici capite potest esse mala.

Nota Primò, eiusmodi venditionem, etsi sine mala intentione fiat, tamen ex duplici capite posse fieri illicitam. Primò, quatenus censetur quædam cooperatio ad illum malum vsum, siue quatenus vendens hoc suo actu censetur alterius peccato cooperari. Secundò, quatenus tenemur ex caritate aliena peccata quantum commodè possumus impedire. Et ex hoc præcisè capite tunc mea venditio solùm potest esse mala, quando, nisi ego eiusmodi rem ipsi venderem, alter eam aliunde aut non posset, aut nollet sibi comparare; atque ita cogeretur à suo peccato perpetrando abstinere. Agimus autem hîc propriè de priore capite, ex occasione tamen agemus etiam breuiter de secundo.

207 Actio externa quandoque in se, aliàs solùm denominatione extrinseca est mala.

Nota Secundò, ex dictis disput. 3. num. 53. & 54. actionem externam dupliciter posse esse malam. Primò, intrinsecè siue secundùm se, & quatenus abstrahit ab intentione qua imperatur. Secundò, sola denominatione extrinseca ratione malæ intentionis, qua imperatur, vt si quis det eleëmosynam ob vanam gloriam; quo casu ipsa externa datio secundùm se est intrinsecè bona, & sola denominatione extrinseca est mala. Quando autem actio externa est solùm secundo modo mala, sicut eam exercens per eam præcisè secundùm se spectatam non peccat, sed solùm quia eam mala intentione facit; sic qui ei bona intentione cooperatur, non peccat, quia non cooperatur vllo modo actioni malæ qua mala est. Patet in famulo iussu domini dante eleëmosynam per quam dominus intendit vanam gloriam. Item cupit aliquis ædificare domum vt eam meretricibus locet, qui eum bona intentione iuuant ædificare non peccant, etsi sciant ipsius malam intentionem, nisi fortè nolendo eum iuuare possent & tenerentur ipsius malum finem impedire; aut nisi externa ædificatio cum ijs circumstantijs fieret, vt ex ijs apertè pateret eam domum in talem finem ædificari; tunc enim ipsa ædificatio secundùm se ratione illarum circumstantiarum esset mala, & non solùm ratione malæ intentionis: nisi fortè ob alias iustas causas excusaretur. nam sicut magistratus ob iustas causas potest permittere meretrices, & assignare illis certa loca, in quibus habitent: ita ob easdem potest quis ijs domos ædificare, non quidem vt illæ in ijs peccent, sed vt euitentur grauiora incommoda, quæ aliàs sequerentur.

208 Actio qualis duplex.

Nota Tertiò, quasdam actiones esse ita malas, vt nulla ratione possint bene fieri, vt est odium Dei, sodomia, & similia. Alias rursum esse ita bonas vt nequeant malè fieri, vt est amor Dei, assensus fidei theologicæ, &c. Tertiò, alias esse ex ratione sui obiecti ita bonas aut saltem indifferentes, vt tamen ratione circumstantiarum vitiari possint, quales sunt dare eleëmosynam, ambulare, &c. Quartò, alias ex se ita natas esse malè fieri, vt tamen ex aliqua circumstantia possint honestari: quales sunt permissio meretricum, adolere thus coram idolo, quod in theatro solùm repræsentandi causa bene fieri potest. Sicut igitur actiones tertij generis

neris vt sint illicitæ indigent aliqua circumstantia eas vitiante, ita actiones quarti generis vt sint licitæ indigent aliqua circumstantia eas cohonestante.

209 Quandoque actio solum mala ratione sui finis, fit secundùm se mala.

Nota Quartò, actiones quæ non sunt malæ nisi ratione finis mali ad quem referuntur, tunc secundùm se & prout distinguuntur à mala intentione operantis fieri malas, quando fiunt ea ratione qua natæ sunt significare eiusmodi malam intentionem, siue in eam ordinari: atque ita tunc malæ sunt, etsi bona intentione fiant. v.c. incendere thus coram idolo malum est, quia est signum intentionis honorandi idolum, adeoque honoratiuum idoli: quare quantumuis occulta intentione bona fiat, si tamen exteriùs ea ratione fiat, qua natum est significare eiusmodi intentionem, est malum.

210 Quædam actiones ex prima sui institutione & communi vsu, aliæ solũ priuata intẽtione ad malum destinantur.

Nota Quintò, quasdam actiones habere eiusmodi significationem ex sui institutione, ac communi hominum vsu, qualis est incensio thuris coram idolo: item confectio vel emptio vestium sacerdotum idolorum, aut etiam confectio ipsius idoli. Et huius generis sunt omnes eæ quæ aut natura sua, aut ex hominum communi arbitrio & vsu ad finem malum destinantur. Aliæ verò ex natura sua & communi vsu indifferentes accipiunt eiusmodi significationem ex circumstantijs, cum quibus hîc & nunc fiunt: vt si quis furibundus & inimicis suis minitans emat gladium, aut etiam expresse dicens se cum emere vt aliquem occidat; hæc emptio eo casu ratione circumstantiarum est significatiua talis intentionis, ideoque secundùm se mala, etiam prout ab interna intentione præscindit. Priores verò actiones semper sunt significatiuæ talis intentionis, nisi contrarium ex circumstantijs constet: quia communiter ab omnibus intelliguntur illa intentione fieri, nisi aliunde contrarium constet: id autem res quæuis est nata significare, quod communiter intelligitur significare. Posteriores verò tunc solùm sunt significatiuæ illius intentionis quando eæ circumstantiæ adsunt, quibus ad hanc significandam determinantur.

211 Conclvsio I. Illicitum est vendere infidelibus eas res, quæ ex sui institutione, ac communi vsu sunt destinatæ ad idololatriam, aut superstitiosas cæremonias exercendas: & maiore ratione illicitum est ijs petentibus eiusmodi res conficere, v.c. idola, vel idolia, vestes sacerdotales, synagogas, &c. Ita D. Thomas supra, & communiter Doctores paucis exceptis: & patet clarè ex dictis, quia talium rerum petitio præsertim ab infideli facta apertè est significatiua malæ intentionis, à qua procedit, idque tam ex parte materiæ siue rei emendæ aut conficiendæ, quæ in talem finem est destinata, quàm ex parte personæ ementis, quæ cùm colat falsam religionem, in cuius cultum siue vsum res illa instituta est, hoc ipso quo eam emit profitetur se eam in talem vsum emere; atque ita implicitè per eam ipsam emptionem suam religionem profitetur: & consequenter ipsa externa emptio secundùm se & prout distinguitur ab interna ementis intentione, est mala. Vnde

D. Thomas.

vlteriùs infertur ipsam venditionem etiam esse malam, quia est immediata cooperatio ad malam actionem. Quod multò magis habet locum in confectione talium rerum petente infideli facta, vt infrà patebit.

Secùs autem est quando eiusmodi res venduntur Christianis, quos patet eas non emere ob malum finem, atque ita tam emptio, quàm venditio ratione circumstantiarum desinunt esse significatiuæ malæ intentionis, & consequenter etiam desinunt esse malæ, vt patet ex dictis num. 208.

Posset hîc dubitari an eiusmodi rerum venditio infideli facta sit ita mala, vt ne quidem ad vitandum periculum mortis sit licita. Et videtur respondendum affirmatiuè: nam hæc videtur communior Doctorum sententia: quia communiter absolutè docent, talem venditionem esse illicitam, nec excipiunt casum necessitatis. 212 Vtrum vt seruet vitam licitè Gentili vendas idolum.

Valentia tamen 2.2. disput. 1. quæst. 10. punct. 6. cum Siluestro supra docet, eam venditionem in tali casu licere. quod non est improbabile: nam cùm hæc venditio ex se & prout proficiscitur à vendente, non cedat in honorem aut cultum falsæ religionis, sed solùm quatenus vendens per eam videtur consentire & cooperari malæ alterius emptioni ac intentioni; extrema necessitas videtur eum excusare & efficere ne illa venditio secundùm moralem æstimationem censeatur hîc & nunc vllo modo fieri in talem finem, aut esse cooperatio alterius malitiæ, sed solùm medium euadendi præsens periculum. *Valentia. Siluester.*

Confirmatur, quia qui furi dat instrumenta quibus alienam domum est effracturus; aut furioso paranti alterum occidere dat gladium, quo facinus perpetraturus est, non minùs videntur horum malæ voluntati cooperari, quàm ille qui Ethnico vendit idolum: & tamen si illi id faciant, quia aliter mortem nequeunt euadere, ratione huius circumstantiæ non censentur aliorum nequitiæ moraliter cooperari, & excusantur ab omni culpa: ergo idem videtur dicendum de vendente idolum, ne alias occidatur. Et fortè D. Thomas alijque absolutè docentes talem venditionem esse illicitam, hunc casum non negant, quia facilè possunt intelligi, eam per se esse illicitam, nisi ex huiusmodi circumstantijs excusetur.

Hoc tamen non auderem concedere in ædificatione idolij, vel confectione idoli, aut vestis sacerdotalis ad petitionem infidelis facta. Quia hæ actiones non solùm ratione cooperationis cum alterius mala actione, sed ex se prout in his circumstantijs spectantur, cedunt in honorem falsi cultus, & sunt implicita quædam huius professio. 213 Sculpere Gentili petenti idoli nullo casu licet.

Confirmatur Primò, quia illa conficiens agit vt instrumentum illius qui petit ea fieri, & ex ipsius motione: quare cùm hic per illam actionem absolutè colat idolum, & profiteatur suam falsam religionem, idem videtur dicendum de ipsius instrumento, siue de conficiente illam vestem, illudúe idolum.

Confirmatur Secundò, quia legimus mul-

tos

tos olim sculptores maluisse grauissima tormenta perpeti, quàm Imperatorum Gentilium idola sculpere. Item Theodoretus lib.3. historiæ cap.5. refert, Marcum Arethusæ Episcopum maluisse quæuis tormenta pati, quàm cooperari ad refectionem cuiusdam idolij, quod ipse destruxerat. Ex quo colligitur eos sensisse illud absolutè fuisse illicitum. Et est magna differentia inter hunc casum & priorem; nam qui ad alterius petitionem aliquid conficit, huic aliquo modo inseruit ac famulatur: secùs est de vendente aliquid alteri, (nec enim mercator dicitur famulari ementi suas merces, sicut operarius dicitur famulari ei qui eius operam conduxit.) quare prior agit vt instrumentum alterius, secùs est de secundo.

Theodor.

214 CONCLVSIO II. Per se loquendo licitum est infideli vendere res ex se, & communi suo vsu indifferentes, etsi scias eum his ad falsum cultum vsurum; v.c. licitè illi vendo agnum, quem scio ab eo immolandum. Ita apertè D. Thom. suprà, & Caietan. ibidem, & quæst.10. art.4. & Nauarr. in Enchirid. cap.20. num.16. in genere explicans quando sit licitum vendere res quibus emptor creditur abusurus. Angelus verb. *Infidelitas*, num.1. Lorca 2.2. quæst.10. a.9. num. 5. & alij. Et sequitur apertè ex dictis num.210. Ex quibus patet, eam infidelis emptionē, cùm sit rei indifferentis per se, & vt abstrahit ab intentione ementis, non esse malam, nisi ab aliqua circumstantia vitietur; & consequenter venditor ei licitè bona intentione cooperatur, vt patet ex dictis num.207. ex quibus etiam patet responsio ad argumenta contraria posita num.204. Ex his enim patet apertum esse discrimen inter dictas venditiones: nam emptio rerum ex communi vsu destinatarum ad falsum cultum per se est significatiua falsi cultus, acideò mala, & consequenter etiam earum venditio est mala: secùs autem est de venditione rerum indifferentium. vnde etiam fit quòd vt illa venditio sit licita requiratur aliqua circumstantia eam cohonestans; & contrà quòd hæc sit licita nisi aliqua circumstantia vitietur, iuxta dicta num.210.

D. Thomas. Caietan. Nauarr.

Angelus. Lorca.

215 Dixi, *per se*, &c. Quia per accidens fieri potest vt talis venditio sit illicita. Primò, quando fieret iuxta idolium, in quo sacrificia offeruntur, aut similibus circumstantijs, ex quibus apertè pateret eas res emi ad vsum falsi cultus, quia tunc ratione harum emptio determinaretur ad significandum affectum falsi cultus, atque ita esset protestatio falsi cultus; cui vendens illicitè cooperaretur.

Secundò, quando emens expresè diceret se ea velle emere in talem finem: tunc enim emptio coniuncta ijs circumstantijs, expresè esset significatiua cultus falsi, & consequenter alter vendendo ei illicitè cooperaretur, & censeretur in eundem finem vendere. Vide dicta in simili disp.15. num.54.

216 Tertiò, quando quis non vendendo crederet se alterius peccatum siue falsum cultum externum omnino impediturum, eò quòd non posset alibi eiusmodi res venales reperire. tunc enim, si sine notabili suo damno posset, teneretur non vendere; quia tenemur proximi peccata, maximè quæ directè cedunt in iniuriam Dei & fidei, impedire quantum sine notabili incommodo possumus. Secùs esset si graue inde sibi timeret incommodum, si nollet vendere, v.c. verbera ab infidelibus sibi inferenda, aut direptionem bonorum, aut etiam ne ipsi alios emptores magna ex parte ab eius officina auerterent, ita vt in posterum vix aliquid posset lucrari, aut similia; tunc enim cum tanto suo damno non teneretur alienum peccatum impedire.

Ex his patet, qua ratione sit licitum aut illicitum conficere aut vendere res aliquas quibus emptores creduntur ad peccandum abusuri, v.c. vestes quibus abutentur ad superbiam aut luxuriem; arma quibus vtentur in bello iniusto, aut aliquem iniustè occident, &c. 217

Quando licitè aut illicitè vendas ea, quibus emptor ad peccandum vsurus est.

Dicendum enim est Primò, non licere eiusmodi res vendere quæ communiter solent in malum vsum peti, nisi nobis constet hîc & nunc non peti in malum vsum. Hinc pharmacopolæ prohibentur passim omnibus vendere venena.

Secundò, licere bona intentione conficere & vendere res ex se ac communi vsu indifferentes ad bonum vel malum vsum, etsi sciam ementem aliquando ijs ad malum abusurum, modò venditio atque emptio ita fiant, vt ex ijs, earumúe circumstantijs non possit hîc & nunc colligi ille malus vsus futurus, siue mala mentis intentio. secùs verò esse quando emptio cum ijs circumstantijs fit, ex quibus exteriùs apparet mala mentis intentio. Hinc illicitè iam furenti & minitanti alteri necem vendo gladium. Item illicitè defero arma ad castra eorum qui iniquum bellum gerunt, aut etiam iam apertè ad illud proficiscentibus illicitè ea vendo. Secùs esset si aliquibus meam officinam omnibus patentem instar aliorum accedentibus ea venderem, quos ex aliquibus alijs signis conijcerem velle ad bellum iniustum proficisci, aut aliquando aliquos occisuros. tunc enim his, sicut alijs licitè ea vendo. nisi fortè non vendendo possem eorum peccatum vel absolutè vel magna ex parte impedire: tunc enim si sine notabili meo incommodo possem ea non vendere, ad hoc tenerer. 218

Quòd si non possem ea non vendere sine tali incommodo, tunc videndum est, an malum, quod non vendendo impedirem, sit tanti momenti, vt ad illud euitandum tenear illud incommodum pati; vel contrà, an sit leuius, quàm vt tenear illud cum tanto meo incommodo impedire. In secundo enim casu licitè talem rem vendo vt incommodum vitem: secùs est in priore. Quæ etiam locum habent in venditione rerum ex se indifferentium, quæ communiter ad malum finem petuntur (vt sunt venena & similia) aut in ijs circumstantijs petuntur, ex quibus patet eas ad malum vsum peti. Sequuntur hæc apertè ex dictis, eaque apertè docent D. Thom. 2.2. quæst.169. art.2. ad 4. Nauar. cap.20. n.16. & 23. n.90. Lessius de Iustitia cap. 9. dub.18. & alij citati nu.214. Hinc Lessius suprà docet, Christianos in triremibus Turcarum 219

D. Thom. Nauarr. Lessius.

metu

metu verberum ac mortis coactos remigare, id licitè facere, nec teneri resarcire damna quæ illi Christianis inferunt, nisi quis (quod rarò accidit) abstinendo posset impedire quo minùs Christiana classis euertatur, aut vrbs capiatur, aut simile aliquod graue publicum malum accidat: tunc enim, quamdiu est probabilis spes illud impediendi, tenetur etiam cum certo vitæ suæ periculo à remigando abstinere.

DVBIVM XIV.

Vtrùm infideles per Ecclesiam, aut principes Christianos possint pœnis corporalibus compelli vt fidem suscipiant?

220 POtest hæc quæstio intelligi Primò, de infidelibus baptizatis; Secundò, de non baptizatis, subiectis tamen principibus Christianis; Tertiò, de nec baptizatis, nec subiectis Christianis principibus. Præcipua autem difficultas est de secundis.

Scotus. Scotus igitur in 4.d.4.q.9. docet, infideles secundi generis licitè compelli ad fidem. Primò, quia hoc potest cedere in magnũ fidei bonum; nam etsi tales initio fortè fictè conuerterentur, tamen eorum posteri fierent veri fideles. Secundò, quia tales iure diuino tenentur suscipere fidem: ergo ad hoc ab Ecclesia possunt *Tolet. IV.* compelli. Tertiò, quia Toletanum IV. c. 55. laudat factum Sizibuti regis, qui compulit Iudæos suscipere fidem Christi, qui ideo ibidem vocatur religiosissimus princeps.

221 Secunda sententia docet, hoc saltem esse licitum spectato præcisè iure naturæ ac diuino, quãuis iure Ecclesiastico sit prohibitum; & sic *Lorca.* Lorca 2.2.q.10. dispu.36. intelligit sententiam Scoti, eamque putat probabilem; & præter argumenta iam allata probat eam Quartò, quia Constantinus & Theodosius suis legibus, quas etiam sancti Patres laudarunt, prohibuerunt Paganis exercitium suæ religionis: atqui cùm illi non possent esse sine vlla religione, hoc ipso eos cogebant ad religionem Catholicam: ergo *l. Cœlicolarum.* hoc licuit. Quintò, quia l. *Cælicolarum*, C. de Iudæis & Cælicolis, Cœlicolæ, qui videntur fuisse Pagani, iubentur ijsdem cum hæreticis pœnis adstringi, nisi ad veram fidem conuertantur. *l. Qui post sanctum.* Sextò, l. *Qui post sanctum*, C. de Paganis, §. *Si verò*, iubentur confiscari bona Paganorum, qui nolunt baptizari. Septimò, Manichæi, qui non *Gregorius.* erant baptizati, eisdem cum hæreticis pœnis adstringuntur. Octauò, quia D. Gregorius lib. 3. epistola 26. præcipit Episcopo Calaritano, vt rusticos sibi subiectos infideles tanto pondere pensionis premat, vt eo compellantur ad fidem. *Augustin.* Nonò, quia D. Augustinus epistola 48. & 50. fusè docet, hæreticos posse compelli ad fidem; & omnia argumenta quibus hoc probat, similiter probant Ethnicos posse ita compelli. quale est illud, quòd Deus multos, & inter cæteros S. Paulum terroribus ad fidem compulerit: ergo vtrique eodem modo ad fidem compelli possunt. Decimò, quia hæretici legitimè compelluntur ad fidem: ergo etiam alij. Vndecimò, quia Lucæ 14. Christus nobis præcipit, non solùm vt infideles inuitemus ad cœnam siue conuiuium, sed etiam vt compellamus eos intrare. *Luca 14.*

Tertiò, Malderus 2.2.quæst.10.art.8. post 4. concluſ. docet Primò, omnes eos qui fatentur se esse Christianos, etiamsi baptizati non sint, posse cogi ad veram fidem. Quia hoc ipso quo se Christianos profitentur, tenentur veram fidem Christianam suscipere. Secundò, filios Christianorum, qui baptizati non sunt, posse compelli ad baptismum quamdiu sunt sub patria potestate; eos verò qui sunt iam extra potestatem patris, docet non quidem pœna mortis; sed exilio, aut moderato carcere posse ad fidem compelli, ne alijs scandalo sint. Probatque ex cap. 19. Concilij IV. Aurelianensis. vbi *Aurelian. IV.* præcipitur vt Iudæus, qui suum mancipium ex Christianis natum parentibus spe libertatis induxerit ad iudaismum, suo priuetur mancipio, & manumissio ipsi mancipio non prosit, qui deficiendo ad iudaismum indignum se fecit libertate. quam sententiam videtur etiam tenere Lorca suprà nu. 15. *Malder.* 222 *Lorca.*

CONCLVSIO I. Certum omnino est omnes baptizatos à vera fide ad falsam deficientes posse pœnis, quantum commodè fieri potest, compelli vt relictis erroribus ad veram fidem conuertantur. Hæc est communis omnium Catholicorum, & fusè eam docet D. Augustinus *Augustin.* epistola 48. & 50. contra Donatistas. Et patet ex antiquissima consuetudine Ecclesiæ: quæ tam iure Ecclesiastico, quàm ciuili grauissimas semper in hæreticos pœnas statuit: vt patet ex Codice, titulo de hæreticis. Et pro ea apertissima stat ratio. Nam iure naturæ omnium gentium consensu & vsu clarissimum est Imperatorem habere ius eos, qui dicto sibi sacramento, ac militari signo susceptо ad hostes transfugiunt, pœnis compellendi vt ad castra redeant: atqui quicumque baptizatur suscepto militari Christi ac Ecclesiæ signo ac sacramento ingreditur castra Ecclesiæ, eiusque membrum ac subditus efficitur: ergo si ad hostes Ecclesiæ per falsam fidem deficiat, hæc habet ius eum etiam grauibus pœnis propositis compellendi vt ad castra redeat. 223

Qui plura hac de re vult videat D. Augustin. epistola 48. & 50. & Alfonsum a Castro de Iusta punitione hæreticorum: nec enim est opus in re clara diutiùs inhærere. *Augustin. Castro.*

Duo solùm notanda sunt. Primum, hæreticos verbis quidem negare aliquos ad fidem esse cogendos, & vocare Catholicos hæreticos punientes tyrannos: reipsa tamen & factis idem approbare, vt patet in Anglia, alijsque locis in quibus exercitium fidei Catholicæ seuerissimis legibus & supplicijs tamquam crimen læsæ maiestatis punitur, omnesque sub grauissimis pœnis præcipiuntur templa hæreticorum adire. Idemque de Donatistis docet D. Augustinus suprà. *Hæreticorũ fraudes & calumniæ & in verbis subtilisque dissensio.* *Augustin.*

Secundum, etiam eos qui per iniuriam ad baptismum compulsi sunt posse compelli vt veram fidem profiteantur, vt patet ex Toletan. IV. can. 55. & Ecclesiæ praxi. Ratio est, quia tales 224 *Toletan. IV.*

verè

verè Christi Sacramentũ ac characterem suscipiunt, ac fiunt subditi Ecclesię: quare meritò eos compellit ne cum Christi ac Sacramenti iniuria ad Christi hostes transfugiant. Confirmatur, quia Ecclesia solùm cõpellit eos ad id, ad quod iure naturæ & diuino, etiam ante baptismum tenebantur; & ad quod etiam ante baptismum potuisset eos compellere si fuissent ei subditi: cùm igitur per Sacramenti susceptionẽ fiant verè subditi Ecclesiæ, hæc licitè eos compellit ea præstare, ad quæ iure naturæ & diuino tenẽtur.

Qua ratione iniustè compulsos ad baptismum Ecclesia iustè compellat seruare fidẽ Catholicã.

225 CONCLVSIO II. Infideles qui nec baptizati sunt, nec aliàs Christianis principibus subiecti, nequeunt licitè vi vel armis compelli vt nostrã fidem suscipiant, vel eius prædicationẽ audiant; nec possunt rebus suis priuari præcisè quia illa nolunt facere. Ita omnes Auctores citati dub. 12. concl. 5. & ex ibidem dictis apertè sequitur: si enim illi nequeant compelli vt ritus suos deserant, multo minùs possunt compelli vt fidem ijs repugnantem suscipiant, eiusue prædicationem audiant. Et ratio est, quam ibi adduximus, quia scilicet nec Ecclesia, nec principes Christiani habent in eos iurisdictionem, sine qua illa compulsio licitè fieri nequit.

226 CONCLVS. III. Possunt tamen dicti infideles (si id aliàs commodè fieri possit) cõpelli ne eos qui fidem apud eos prædicant, aut eam volunt suscipere, iniuriosè impediant, aut aliàs eos cõtumelijs aut iniurijs fidei causa afficiant. Ita D. Tho. 2.2. q. 10. a. 8. & ibid. Caiet. Lorca, Bañez a. 10. dub. vlt. concl. 1. & communiter alij. Probatur, quia, vt patet Matt. & Marci vlt. Ecclesia à Christo accepit potestatem prædicandi Euangelium omnibus gentibus per vniuersum mundum; & consequenter ei fit grauis iniuria, dum vi, aut similibus iniustis modis impeditur, ne officium sibi commissum per suos prædicatores exequatur. Vnde vlteriùs sequitur, eam posse eiusmodi vim & iniurias vi repellere, & ad hoc principum Christianorum opem implorare, vt hi armis ac bello eiusmodi iniuriam inferentes comprimant.

D. Thomas. Caietan. Lorca. Bañez. Matt. vlt. Marci vlt.

Infideles iniuria impediũt Catholicos ne apud eos fidem annuncient, aut ne sui eã suscipiant.

227 Similiter qui vi, contumelijs, bonorum direptionibus, aliisue similibus iniustis modis impediuntur ne fidẽ liberè suscipiant, patiuntur innocenter grauem iniuriam coniunctam cũ iniuria fidei & Ecclesię; cuius ius violatur, non solùm si ipsius prædicatores impediantur ne fidẽ annuncient, sed etiam si alij impediãtur ne eam suscipiant: sicut iniuriam facit pauperi, non solùm qui eum iniustè impedit ne eleëmosynam petat, sed etiam qui alios vi aut dolo impedit ne petenti dent eleëmosynam. Quare principes Christiani possunt tam Ecclesiæ, quàm illis qui impediuntur conuerti, poscentibus opẽ ferre, eamque iniuriam vi ac armis propulsare, aliosque ab ea inferenda comprimere, atque resistentes iusto bello sibi subiugare.

228 Notandum tamen Primò, antequam eiusmodi vis gentibus inferatur, priùs ijs quantum fieri potest claris rationibus ostendendum esse ipsos facere iniuriam fidei concionatoribus, alijsque eam suscipere volentibus, hos dicta ratione impediendo, & quantũ fieri potest omnes modos tentandos esse vt res pacificè transigatur: tum quia hoc nostræ fidei honori ac progressui magis expedit: tum etiam quia extrema illa ac dura belli remedia non sunt adhibenda, nisi quando clarè constat sine illis nihil posse profici.

Cum gentibus iniuriosè impediẽtibus Euangelij prædicationem prius ratione, quàm vi agendum.

Secundò, etsi in casu quo infideles nullis rationibus possint inflecti vt ab eiusmodi iniuria inferenda desistant, non sit per se loquendo illicitum ijs bellum inferre, quo eorum insolentia comprimatur; id tamen rarò expedire, propter graues turbationes & incõmoda, quæ inde nascerentur; atque etiã quia ea ratione infidelium animi grauiter à fide abalienarentur; quia numquã sibi persuadebunt se iustè bello peti, atque ita fidei profectus multùm retardabitur. Vnde etiam videmus eos, qui olim etiã tempore Imperatorum Christianorum apud exteras gentes fidẽ propagarunt, hanc multa patientia, atque etiam sanguinis effusione potiùs propagasse quàm armis. quod alijs etiam imitandũ est; nisi in casu particulari euidens ratio contrariũ suadeat. Vt si magna pars alicuius regni ad fidem conuersa, aut eius audiendi cupida, contra persecutorum iniurias aliena auxilia aduocaret: alijsue similibus casibus. 229

Tertiò, ad eiusmodi bella inferenda non sufficere, quòd infideles eos qui conuerti volunt, precibus, promissis, suasionibus, alijsque similibus modis ab ea mente auertãt; quia hoc modo non faciunt ijs iniuriam: sicut non facit mihi iniuriam qui alicui suadet ne mihi beneficiũ conferat, modò non vtatur vi, aut iniurioso dolo, aut famæ detractione, &c. Similiter nec illud sufficit, quòd rex infidelis non promoueat ad dignitates aut magistratus eos qui cõuertuntur, quia in hoc his propriè non facit iniuriam, cùm non teneatur eos promouere: præsertim cùm possit sibi ad hoc videri duci iusta ratione, iudicando sibi suæque reip. magis expedire vt ij ad regimen promoueantur qui eandem secum fidem tenent, quia hoc videtur ad maiorem concordiam expedire. nec refert quòd in hoc iudicio erret: quia in hoc à suis iudicari non potest, quia ipsius iudices non sunt, nec tenetur horum iudicio magistratus creare. 230

CONCLVS. IV. Nec Ecclesia, nec principes Christiani siue sua, siue Ecclesiæ auctoritate possunt infideles non baptizatos sibi rẽporaliter subiectos, directè vi, pœnis, bonorum direptione, similibusque modis compellere vt fidẽ nostram, aut baptismum suscipiant. Ita D. Thomas 2.2. qu. 10. a. 8. Caiet. Pesant. Turr. ibid. Valentia punct. 6. Bañez a. 10. dub. 1. Durand in 4. d. 4. q. 6. Palud. ibid. a. 3. & plurimi alij quos ipsi citant, ita vt possit dici communis. 231

D. Thomas. Caietan. Pesantius. Turrian. Valentia. Bañez. Durandus. Paludan.

Probatur Primò, ex c. *Sicut Iudæi*, de Iudæis & Saracenis, & Concil. Tolet. IV. c. 55. vbi expresse verantur tales ita ad fidem cõpelli. Nec satisfacit dicere inde solùm probari id esse illicitum iure Ecclesiastico, quia ratio quam Concilium adfert, apertè ostendit id ideo prohiberi, quia ex se illicitũ est, & contra institutionem Christi: qui Matth. 10. & Lucæ 9. mittens Apostolos ad prædicandũ Euangelium, præcepit vt auditores doctrina, miraculis, patientia, & benefactis ad fidẽ allicerent, non tamen cogerent: vnde iussit eos incedere sine virga (quæ signifi-

c. Sicut Iudæi.

Matt. 10. Luce 9.

cat potestatem punitiuam, siue coactiuam) & tamquam agnos inter lupos. Quæ explicans D. Ambros. l.7. in c.10. Lucæ, §. *Nolite portare saccum, ait, Non virgas in manu iubentur tollere Apostoli: sic enim scribendum Matthæus putauit. Quid est virga nisi præferendæ potestatis insigne, & vlciscendi instrumentum doloris? Ergo humilis Domini: in humilitate etenim iudicium eius sublatũ est; humilis inquam Domini præceptum discipuli eius humilitatis officijs exequuntur: eos enim mittit ad seminandam fidem, qui non cogerent, sed docerent: nec vim potestatis exercerent, sed doctrinam humilitatis attollerent.* Vbi apertè docet Christum suis non concessisse potestatem quemquam cogendi ad fidem.

Ambros.

232 Probatur Secundò, ex perpetuo Ecclesiæ vsu, quæ numquam eiusmodi coactione vsa est, nec eã principibus Christianis præcepit, sed potiùs prohibuit. quod apertum est signũ, id ex se, siue ex Christi institutione esse illicitum: & non solùm propter accidentaria aliqua incommoda, quę inde possent sequi. nam aliàs incredibile est quòd tanto tempore numquam accidisset casus, in quo Ecclesia iudicasset vtendum ea potestate coactiua erga infideles, si aut ipsa, aut principes Christiani eam à Christo accepissent, aut aliunde habuissent.

233 Probatur Tertiò, aperta ratione, quia eiusmodi infideles nec Ecclesiæ, nec principibus in hac re sunt subiecti: ergo nec hi, nec illa possunt eos ita cogere ad fidẽ; quia coactio vt licitè fiat, necessariò supponit iurisdictionem in cogente. Quòd autem tales non sint subiecti Ecclesiæ, docet apertè Trident. sess 14. cap. 2. vbi dicit Ecclesiam non posse de ijs iudicare; probatque ex 1. ad Corinth. 5. vbi Apostolus ait, *Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt iudicare?* Omnes autem non baptizati sunt foris, siue extra Ecclesiam, vt ibidem docet Concilium.

Trident.

1. Cor. 5.

234 Quòd autẽ nec principibus suis sæcularibus illi hac in re sint subiecti, patet, quia ad hos non spectat iudicare de rebus fidei ac religionis, aut de ijs aliquid præcipere; vt patet tam ex institutione veteris quàm nouæ legis, in quibus Deus totam hanc potestatem ad Ecclesiam, siue ad sacerdotes voluit pertinere, & maximè in nouo. Et ratio huius aperta est: nam cùm res fidei sint supernaturales, nec lumine naturæ, sed sola Dei reuelatione possint cognosci: item cùm certissimò, & sine vlla dubitatione debeant credi; non potest de his iudicare, aut aliquid credendum nobis præcipere, nisi is, qui infallibili omnino diuina assistentia in eo dirigitur: aliàs omnes exponerentur grauissimis errandi periculis; illa autem assistentia soli Ecclesiæ, & nullo modo sæcularibus principibus aut promissa aut concessa est.

Ad principes sæculares non spectat iudicare de rebus fidei.

235 Dices, hinc solùm sequi, principes non posse iudicare de rebus fidei controuersis, non autem eos nõ posse suos subditos compellere vt eam fidem sequantur, quam Ecclesia iam iudicauit esse veram & sequendam.

Sed contrà Primò, per se apparet inconueniens aliquem in ea re habere potestatem coactiuam, in qua non habet iudicatiuã, siue eum posse sua auctoritate mihi aliquid præcipere, de quo non potest iudicare. Potest quidẽ conuenienter fieri vt quis ex auctoritate alterius præcipiat id, de quo nequit iudicare; qua ratione iudices sæculares auctoritate Ecclesię compellunt hęreticos ad rectam fidem: sed hoc inconuenienter fieret ab eo, qui propria auctoritate pręciperet aut cogeret. principes autẽ sæculares non possunt hęc facere auctoritate Ecclesię, quæ eam non habet.

Non licet alicui auctoritate licita præcipiendi, de quo nequit iudicare.

Secundò, contrà facit, & est quartum argumentum. Quia potestas principum sæcularium est tota politica, & naturalis, nec potest esse maior, quàm sit ea quæ ipsi reip. ex sui institutione potest competere. Quare sicut hæc solùm instituta est ad naturalem finem, ita ei, eiusq; principibus, solùm potest competere potestas naturali fini accõmodata: fides autem ac religio Christiana sunt omnino supernaturalia, ideoq; nec ad illum finem, nec ad illam potestatem spectat quemquã sua auctoritate ad fidem amplectendam cogere. Confirmatur, quia eandẽ potestatem circa suos subditos habet princeps Gẽtilis atque Christianus: atqui absurdum omnino est dicere, Gentilẽ sua auctoritate posse alicui præcipere, eumũe cogere vt sequatur fidem Christianam: ergo idem dicendum est de principe Christiano. Posset fortè dici hoc esse verum spectato præcisè iure naturæ ex reip. institutione exurgente: principem tamen Christianum hac in re aliquid posse ex auctoritate & cõcessione Dei. Sed cùm hæc concessio nullo argumento probetur, facilius negatur, quàm asseratur.

236 *Principibus sæcularibus solum competit potestas naturali fini accommodata.*

Probant id præterea aliqui: quia cùm moraliter ferè certum sit tales indignè & sacrilegè suscepturos baptismũ, si ad eum cogerentur, qui eos cogeret cum suscipere, impelleret eos committere sacrilegium: quod illicitum est. Sed hoc nihil probat: nã aliàs sequeretur, hæreticos non posse compellli vt abiurata hæresi Sacramenta frequentent, cùm simili modo omnino probabile sit eos hoc sacrilegè facturos. Itẽ subditum nõ posse exigere à suo Pastore Sacramenta, quãdo scit eum hæc indignè collaturũ. quę absurda sunt. Quare dicendum est licere mihi ex iusta causa compellere subditum, vt aliquid faciat quod bene facere potest, etiamsi sciam eum hoc malè facturum.

237

Dixi, principes nõ posse directè cogere suos subditos infideles non baptizatos ad fidem Christianam suscipiendam. Quia indirectè quibusdam modis aliàs licitis id facere possent. Primò, prohibendo ijs omne exercitium suæ religionis, quatenus id aut natum est remp. turbare, aut quia contrariatur iuri naturæ; iuxta dicta dub. 12. quod faciendo aliqua ratione incitant eos ad veram religionem capessendam, dum ijs auferunt ea, quæ ipsos priùs impediebant. Secundò, non permittendo ijs aliàs fungi vllis publicis officijs; quia ad hæc non tenentur eos admittere qui sua infidelitate se ijs indignos reddunt. Tertiò, negando ijs ea priuilegia, quæ alijs ex gratia concedunt; quia sine iniustitia possunt hæc non omnibus concedere, præsertim iusta existente causa. Quartò, tributa aliaque onera quæ iustè ijs possunt imponere, ab ijs strictiùs exigendo.

238 *Infideles possunt à suis superioribus indirectè ad fidem compelli.*

Et sic D. Greg. citatus n. 221. argumento 8. voluit Episcopum Calaritanum suos rusticos cogere

239 *Gregorius.*

gere ad fidem imponendo ijs grauiores pensiones, quàm ab alijs rusticis Christianis exigebat: ita tamen vt non excederet limites iustitiæ.

Vbi Nota, eos rusticos videri fuisse adscriptitios, siue glebæ addictos, qui erant ferè serui, & perpetuò cogebantur in domini vtilitatem eandem villam colere, & in alijs rusticanis officijs eidem inseruire. quare cùm essent semiserui, faciliùs poterãt grauioribus oneribus sine iniustitia premi, vel saltem supra alios qui fideles erant, quibuscũ Ecclesia humaniùs solebat agere.

240 Conclvsio V. Eodem modo infideles possunt cogi, aut non cogi ad audiendam prædicationem Euangelij, quo possunt cogi ad suscipiendã fidem. Ita ferè omnes citati pro 4 concl. Et ratio est, quia eadẽ est ratio finis & mediorum, auditio autem Euangelij est medium ad fidem. Et hac ratione Pontifices Romæ compellunt Iudæos vt aliquando audiant prædicationẽ fidei, nolendo ijs aliter concedere habitationem in vrbe, quã non tenentur ijs concedere.

241 Ad primum argumentum positum nu. 220. Respõdeo Primò, nego assumptum: quia nullo modo potest cedere in honorem fidei aliquos eam metu & simulatè suscipere: sed potiùs eam omnino dedecet aliquos ad eam merũ cogi, quasi alia ratione prudentibus persuaderi non posset. Quod autem dicitur posteros taliũ tandem seriò conuertendos, omnino incertum est, cùm videamus sæpè contrariũ fieri; nam in quibusdam locis multi posteri Iudæorum qui ita ad fidẽ conuersi sunt, post aliquot secula adhuc interiùs perfidiam occultè fouent. Respondeo Secundò, etsi posset hoc esse vtile, tamen esset illicitum ob defectum potestatis, vt iã ostendi.

Ad secundum, nego consequentiam: quia deest hominibus potestas tales cogendi.

Ad tertium, nego assumptum. Concilium enim vocat illum regem religiosissimum, non ob illud factum, sed ob ipsius egregiam fidem & alia facta pietatis.

242 Ad quartum positum n. 221. Respondeo hoc vt summum probare illos infideles posse aliquo modo indirectè compelli ad fidem veram, iuxta dicta nu. 228. nullo autem modo probat eos posse verè ac propriè compelli. Nec illi Imperatores cogebant Gentiles nolentes religionẽ Christianam suscipere sine vlla religione viuere; quia permittebant illis, vt priuatim vnum Deum modis licitis colerent, & quod vellent interiùs crederent.

Cælicolæ fuerunt baptizati. *August.* Ad quintum, Respondeo illos Cælicolas fuisse verè baptizatos, vt patet ex D. Augustino epist. 163. circa finem. Respõdeo Secundò, tam hos hæreticos, quàm Manichæos ac Samaritanos, alioscque similes, etsi fortè non fuerint baptizati, multis tamen rationibus propter turbas, quas excitabant, & ob aperta contra ius naturæ scelera, quæ admittebant, meritò potuisse grauibus pœnis plecti, quas Imperator poterat illis minari sub conditione nisi conuerterẽtur, atque ita eos indirectè ad fidem compellere iuxta dicta n. 228.

Et similiter ad sextum, Respondeo illis legibus solùm prohiberi Paganis accessum ad honores, ad quos Imperator non tenebatur illos admittere; aut si quæ aliæ pœnæ, vt exilij, aut confiscationis bonorum, ijs imponantur, dicendum id non fieri præcisè ob infidelitatem, sed ob alia crimina, vt iã de hæreticis dixi: nisi velimus Imperatorem in ijs legibus, indiscreto zelo aliquid plus quàm iustè poterat sibi sumpsisse, sicut fecit olim Sizibutus rex Hispaniæ, compellendo Iudæos ad fidem.

Ad septimum, patet ex iam dictis in respons. ad 5. 243
Et ad octauum, ex dictis n. 239.

Ad nonum, Respondeo D. Augustinum illa epistola apertè tenere nostram sententiam, dũ illud Lucæ 14. *Compelle intrare*, vult de solis hæreticis ac schismaticis intelligi, qui baptizati, ac Ecclesiæ subditi sunt. Idemque præcisè probant eius argumenta sumpta ab exemplo Dei compellentis aliquos ad fidem, quia hic compellit solos sibi hac in re subiectos. *Luca 14.*

Ad decimum, Respondeo solos hæreticos baptizatos legitimè compelli ad fidem, sicut etiam alios infideles baptizatos: secùs esse de non baptizatis, quia illi sunt subditi Ecclesiæ, hi non.

Ad vndecimum, Respondeo illum locum aut cum D. August. epist. 50. intelligendum esse de compulsione hæreticorum baptizatorum, aut, quod verius est, ibi agi de illa sola compulsione, quæ fit vehementia & claritate doctrinæ, instãdo oportunè, importunè, arguendo, obsecrando, increpando; iuxta monitum Apostoli 2. ad Timoth. 4. *August.* *2. Tim. 4.*

Ex dictis tandem patet nullos non baptizatos posse ad fidem aliquibus pœnis aliàs iniustis compelli aut puniri præcisè quia nolunt fidem aut baptismum suscipere, etsi aliàs profiteantur se esse Christianos, aut sint filij Christianorum. Quia quantumuis ij ad hæc suscipienda teneantur, nequeunt tamen ad hoc compelli, nisi ab habente in eos iurisdictionem, quam nec Ecclesia, nec principes in huiusmodi homines in hac parte habent, vt iam ostendi. Et sicut qui profitentur se esse Christianos tenentur iure diuino veram Christi fidem sequi: ita etiam quiuis infideles, quibus ea est sufficienter proposita, tenentur eandem suscipere. Nec contra hæc facit Concil. Aurel. IV. citatum n. 221. quia nullo modo docet, talem natum ex Christianis, etsi baptizatus non sit, posse puniri quia non fit Christianus, sed solùm eam manumissionem in punitionem vtriusque debere auctoritate principum discerni irritam: quod fieri iustè potuit. nam expedit omnino reipubl. Christianæ, Iudæos eam sua impietate ac varijs sceleribus ac coniurationibus sæpè turbantes, eiusmodi legibus ac pœnis comprimi, ne numero & audacia nimiùm crescant.

LIBER TERTIVS

DE SPE, TIMORE, DESPERATIONE, ET PRÆSVMPTIONE.

EXplicata natura fidei, ad secundam virtutem theologicam exponendam transimus. In cuius nominis explicatione nihil est cur multum immorer; nam etsi quandoque accipiatur pro timore, iuxta illud Didonis apud Poëtam, *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem*: constat tamen spem communiter significare motum voluntatis in bonum concupitum, præsertim cùm virtutem theologicam significat, de qua hoc libro disputandum est: ita tamen vt quæ lib. 1. de virtutibus supernaturalibus dixi, huic speciatim relinquam applicanda, ne sæpiùs eadem cogar repetere.

Virgil.

DISPVTATIO XIX.

De virtute Spei, eiúsque subiecto.

DVBIVM I.

Vtrùm spes sit actus amoris concupiscentiæ?

1 NOta Primò, etsi olim videantur aliqui dubitasse an spes sit actus potentiæ intellectiuæ, & an sit actus distinctus à fide & caritate, vt videtur posse colligi ex D. Thom. 1.2. qu. 40. a. 2. & Scoto in 3. d. 26. quæst. vnica, §. *In ista quæst.* tamen iam inter omnes satis constat, spem esse aut actum aut habitum voluntatis distinctum à fide & caritate. quod vltimum apertè patet ex 1. ad Corinth. 13. vbi Apostolus eam expresè à fide & charitate distinguit; videtur tamen posse esse aliqua difficultas vtrùm sit actus amoris amicitiæ an concupiscentiæ: vt autem tam hæc difficultas, quàm ipsa natura spei possit meliùs explicari, primò hîc videndum est, qua ratione distinguatur amor beneuolentiæ siue amicitiæ ab amore concupiscentiæ.

D. Thomas. Scotus.

Spes est actus voluntatis à fide & caritate distinctus.

1. Cor. 13.

2 Quidam hæc distinguunt, quòd ille sit amor amicitiæ, quo rem aliquam amamus propter se: & ille sit amor concupiscentiæ, quo aliquid amamus propter aliud.

Sed hæc nullo modo dici possunt. Primò, quia sic amor amicitiæ nihil esset aliud quàm intentio finis, & amor concupiscentiæ nihil esset aliud quàm electio medij. quæ sunt contra communem conceptum. Secundò, quia sic omnis intentio finis esset amor amicitiæ. quod apertè falsum est; nam aliàs voluptates & similia amarentur amore amicitiæ. quod planè absurdum est: nam amicitia non reperitur nisi inter personas, vt patet Primò, ex communi hominum conceptu: nec enim dicimur fouere amicitias cum brutis, aut rebus inanimis. Secundò, quia, vt docet Aristoteles 8. Ethic. cap. 4. & cum eo communiter alij tam Philosophi, quàm Theologi, amicitia dicit mutuum amorem, qui esse non potest nisi inter vtentes ratione. Vnde etiam D. Gregorius homilia 17. in Euangelia, in illud Lucæ 10. *Designauit Dominus & alios septuaginta duos, & misit eos binos ante faciem suam*, docet caritatem non posse consistere inter pauciores quàm duos; nec quemquam ad seipsum caritatem habere posse.

Amicitia nequit consistere nisi inter pessonas. Aristot.

Gregorius.

Caritas nequit esse nisi inter duas personas distinctas.

Tertiò, quia aliàs spes esset vera amicitia erga Deum: nam per eam amamus Deum vt nostram beatitudinem tamquam vltimum nostrum finem: & consequenter non esset virtus distincta à caritate. quod repugnat Apostolo 1. ad Corinth. 13. Quartò, quia apertè repugnat significationi ipsius nominis: nam amor beneuolentiæ significat affectum, quo alicui bene volumus, qui autem amat voluptatem tamquam suum finem, non vult huic bene esse, sed sibi. quare nequit dici quòd amet illam amore beneuolentiæ.

1. Cor. 13.

3 Vasquez verò 1.2. disp. 1. c. 3. & disp. 11. cap. 5. num. 26. docet omnem amorem quo nobis aut alijs bene volumus, continere duplicem respectum: vnum ad rem quam nobis vel alijs optamus, & hac ratione ait illum habere rationem amoris concupiscentiæ; alterum ad personam cui benè volumus, & hac ratione ait eum habere rationem amoris amicitiæ. Vnde infert, in quouis

Vasquez.

quouis eiusmodi actu vtrumque amorem, scilicet tam amicitię, quàm concupiscentiæ diuerso respectu contineri. Idem docet Lorca 2.2. sect.2. disput.6.nu.18. vnde in dubio, quod ponit post disputationem 2.n.7. putat actum quo quis optat sibi bonum, esse verum actum amicitiæ. Lorca.

4 Sed etsi omnis eiusmodi actus quatenus præcisè respicit bonum quod aut nobis aut alteri optamus, possit aliqua ratione dici amor concupiscentiæ; & similiter quatenus respicit præcisè personam, cui bene volumus, possit semper aliquo modo, & secundùm quid dici amor beneuolentiæ (quia verè alicui per eum bene volumus) tamen formaliter & propriè loquendo illa non sunt generatim vera, vt ex dicendis patebit. Deinde secundùm hunc modum philosophandi amaremus nosipsos vero amore amicitiæ, & spes esset verus amor amicitiæ. quę repugnant apertè S. Gregorio & Aristoteli citatis nu.3.

His adde Primò, secundùm illam sententiam amorem concupiscētiæ non distingui ab amore amicitiæ verè à parte rei; sed solùm secundùm quasdam præcisiones rationis. item vtrumque hunc actum non distingui secundùm vllam rationem formalem ex parte obiecti petitam. quæ non videntur consona communi conceptui.

5 Adde Secundò, propriè loquendo, vt aliquis actus sit amor beneuolentiæ, nullo modo sufficere, quòd per eum alicui benè velimus; nam dum equo nostro damus pabulum, vt ipsi inde bene sit, verè ipsi bene volumus, & tamen ex communi omnium sententia hic actus non est amor beneuolentiæ siue amicitiæ, quæ ad bruta esse nequit. nec refert quod illud bonum equi nostri, siue quòd optemus ei bene esse, vlteriùs referamus in nostrum commodum. Primò, quia cùm hoc non obsit quin verè equo bene velimus, si omnis amor quo alicui bene volumus esset propriè amor beneuolentiæ, etiam ille amor deberet esse amor beneuolentiæ. Secundò, quia sæpè fit vt aliquis equum suum iam senem ac inutilem ob præcedentia commoda ab eo accepta pergat nutrire, ac bene habere, atque ita ei bene velle: qui amor non refertur vlteriùs in alicuius commodum, & tamen non est verè amor amicitiæ, & consequenter nec beneuolentiæ, nisi impropriè & lato modo loquendi. Ad amorem beneuolentiæ non sufficit quòd alicui bene velimus.

Dices, hunc amorem ideo præcisè non esse beneuolentiæ siue amicitiæ, quia amor amicitiæ necessariò respicit personam. Sed hoc non satisfacit, quia saltem inde sequeretur, quando quis cupit suo mancipio bene esse, vt plus seruitij ab eo possit accipere, ipsum hoc amare amore amicitiæ, quia alicui personæ bene vult.

6 Pro resolutione Nota Primò, nos longè alia ratione amare alios, & alia nosipsos. numquam enim alios verè amamus, nisi ptiùs in ijs apprehendamus bonum aliquod amabile, siue hoc sit bonum honestum, siue solùm nobis delectabile, siue verum, siue solùm apparens, propter quod eos iudicamus dignos amore ac beneuolentia: (eos enim in quibus nihil tale apprehendimus, numquam ita amamus) & prout ob illud bonum eos iudicamus plus minusue dignos amore, ita plus minusue eos amamus, vt ipsa experientia docet. Vt autem nosipsos amemus naturaliter omnino inclinamur, ita vt non sit opus vt in nobis apprehendamus aliquod eiusmodi bonum, quo reddamur nobis amabiles; sed sine eiusmodi consideratione naturali impetu ferimur in amorem nostri, omne bonum nobis optando, præcisè quia nobis bonum est. Hinc etiam vnusquisque seipsum amat, quantumuis sciat se omni amore penitus indignum esse. vt patet in damnatis. Confirmatur, quia, vt patet experientia, in alijs amandis sæpè patimur graues difficultates, possumusque absolutè eos odisse, ijsque velle malum præcisè quia illis malum est: nosipsos autem sine vlla difficultate amamus, nec possumus nos absolutè odisse, aut velle nobis malum præcisè quia nobis malum est. vnde etiam vlteriùs fit, vt sit necessarius aliquis habitus beneuolentiæ erga alios, vt eos facilè amemus; qui nullo modo requiritur vt nosipsos ita amemus. Nec refert quòd quandoque nolimus nobis quædam bona præcisè quia iudicamus nos ijs esse indignos: nam hoc non fit, quia nos minùs amamus, aut quia minùs bene nobis volumus; sed quia tunc illa bona nobis apprehendimus improportionata ac inconuenientia, atque ita aliqua ratione esse nobis mala. Vnde etiam statim ac apprehendimus hanc inconuenientiam abesse, inclinamur ad ea appetenda. Et simili etiam ratione possumus nobis velle aliqua mala sub ratione boni, v.c. vt per ea castigentur nostra peccata, atque ita Deo satisfiat; quod vt bonum apprehendimus. Nec ea voluntas vllo modo procedit ex odio nostri, sed ex amore Dei, aut iustitiæ, aut etiam ex amore nostri, quando apprehendimus illam satisfactionem etiam nobis esse bonam.

7 Nota Secundò, eiusmodi bonum quo alius nobis redditur amabilis, quandoque esse tale cum aliquo respectu ad nos, ita vt ipsius bonum apprehendamus nostrum aut cum nostro coniunctum: & sic amamus bonum nostrorum seruorum, quia hi nobis vtiles sunt; aut apprehendimus id coniunctum cum bono parentum vel filiorum aliorumue propinquorum; quia propter coniunctionem, quam cum ijs habemus, ipsorum bonum est quodammodo nostrum: & hoc ipso actu quo eos ita amamus, magis amamus nos quàm ipsos, quia totus hic amor ex amore nostri oritur, & commodum nostrum vltimò respicit.

8 Aliàs verò eiusmodi bonum ob quod alius amatur nullo modo cum bono nostro coniunctum est, aut saltem nullo modo amatur qua tale; sed secundùm se præcisè & per se placet, & ratione ipsius placet ipsa persona, ac iudicatur digna quæ per se & propter se ametur: ita vt velimus ei bonum præcisè quia ipsi bonum est, nullo modo hoc vlteriùs in nostrum aut alterius bonum referendo. & hic est propriè amor amicitiæ, vt ex dicendis magis patebit.

9 Item hoc bonum aliquando potest esse omnino idem cum ipsa essentia personæ amatæ, vt si aliquem ames, quia homo rationalis est ad

6 Aliter alios amamus, quàm nos.

imaginem Dei creatus. Aliàs est aliquod accidens inhærens personæ, v.c. bonitas virtutis, scientia, &c. Aliàs verò oritur ex denominatione extrinseca, vt si amem aliquem quia Christi sanguine redemptus est. Sed qualecumque hoc bonum sit, generat semper in ipsa persona moralem quandam dignitatem, quæ concipiatur tamquam constituens aliquid vnum cum ipsa persona, & eam in se, & propter se reddit amabilem.

10 Aliter meū, aliter amici bonū amo.

Hinc sequitur Primò, quando mihi opto aliquod bonum, quia mihi bonum est; meum amorem longè aliter ferri in hoc bonum, quàm feratur in simile bonum quod opto amico præcisè quia ipsi bonum est: nam in priore casu, tota ac vltima omninoratio formalis appetendi illud bonum est intrinseca ipsius bonitas, qua mihi bona est: nam, vt ostendi num. 6. non appeto illud propter aliquam aliam bonitatem aut dignitatem, quæ in me reperituraut appareat. Secùs omnino est in secundo casu, in quo vltima ratio cur illud bonum Petro desidero, est bonitas, ob quam ipsum Petrum amo: nam sicut Petrum nullo modo amarem, nisi priùs apprehenderem ac amarem in eo aliquod bonum, quo ipse fiat dignus amore; ita quantumuis illam rem iudicarem ei bonam, numquam tamen illam ipsi optarem, nisi priùs eum propter aliam ipsius bonitatem amarem. Quod vel inde patet, quia alijs tale bonum similiter non opto, quantumuis sciam id his non minùs, aut etiam magis bonum fore, quàm Petro. Cuius nulla est alia ratio, quā quia in Petro apprehendo ac amo aliquid, quod in alijs non ita apprehendo, saltem actu: quod bonum est vltima ratio cur Petrum amem illudque bonum ei velim.

11 Sequitur Secundò, quando mihi aliquod bonum volo præcisè quia mihi bonū est, totale obiectum formale mei amoris esse bonitatem rei concupitæ, erga quam præcisè & secundùm se spectatam non potest versari amor amicitiæ, ita vt in eam vltimò terminetur. Contrà verò quando volo amare aliquod bonum præcisè quia ipsi bonum est, vltimam ac præcipuam rationem formalem huius amoris esse ipsam bonitatem siue dignitatem ipsius personæ, siue ipsam personam quatenus est digna amari (hæc enim omnino idem sunt) in quā amicitia vltimò terminari potest. Cùm igitur actus morales præcipuè suam speciem sumant ab obiecto formali, in quod vltimò terminantur (vt patet in electione medij, quæ suā speciem magis sumit à bonitate finis, in quem refertur, quā ab ipsa bonitate medij) sequitur amorem quo mihi opto aliquod bonū, debere sumere suam præcipuam speciem, non ab obiecto cui, siue à persona, cui illud opto, sed ab obiecto quod appetitur, cuius bonitas est vltima amoris illius ratio formalis. Contrà verò amorē, quo amico opto bonum, debere sumere suam præcipuam speciē ab obiecto cui, siue à bonitate ac dignitate personæ, cui illud opto; quia hæc est vltima ratio formalis illud optandi.

Cur amor, quo amico volo bonū, sit potiùs amor beneuolentiæ, quàm is, quo mihi volo bonum.

12 Ex quo vlteriùs infertur priorem amorem esse præcisè amorem concupiscentiæ. Alium verò, etsi secundùm quandam formalitatem ac præcisionem, quatenus præcisè respicit bonum concupitum, possit aliquo modo dici amor concupiscentiæ; secundùm præcipuam tamen suam speciem, & absolutè loquendo debere dici amorem amicitiæ ab vltima sua ratione formali.

Ex quibus sequitur Tertiò, amorem amicitiæ per hoc propriè ac generatim differre ab amore concupiscentiæ, quòd hic pro vltimo obiecto suo formali habeat bonitatem rei concupitæ: ille verò bonitatem siue dignitatem personæ amatæ, siue eius cui aliquod bonum volumus. 13 Vera distinctio inter amorem amicitiæ & concupiscentiæ.

Ex quo etiam fit quòd actus, quibus diuersa omnino bona opto amico præcisè quia ipsi bona sunt, pertineant ad eandem virtutem, & sint eiusdem speciei, præsertim moralis; nam sunt omnes actus caritatis, si ea opto Deo; aut amicitiæ virtutis moralis, si homini, quem honestè amo, ea opto. Cuius tamen contrarium accidit in actibus, quibus mihi aliquid opto præcisè quia mihi bonum est; qui variant suam speciem & honestatem ratione diuersæ bonitatis, quam mihi propter se opto: nam secundùm rationem tam physicam quàm moralem sunt diuersæ omnino speciei actus, quibus mihi ita opto scientiam, & quibus mihi opto honestatem alicuius virtutis, &c. Quorum ratio est, quia in priore casu omnes illi actus habent idē obiectū formale, scilicet bonitatem siue dignitatem personæ, qua digna est amari. secùs est in secundo: nā pro diuersitate obiecti boni, quod mihi propter se concupisco, variatur obiectum formale mei actus, cùm ipsa bonitas intenta sit vltima ratio formalis mei actus. Et hinc infrà nu. 58. rationem reddemus, cur actus quo mihi opto beatitudinem præcisè quia mihi bona est, sit potiùs virtus theologica, quàm is quo eam opto alteri, præcisè quia huic bona est. Eiusdē virtutis actu opto amico diuersa bona præcisè quia ipsi bona, nō tamen mihi.

Sequitur Quartò, spem esse propriè amorem concupiscentiæ, quia per ipsam propriè nobis aliquod bonum optamus, & alijs non aliter quàm quatenus nobis aliqua ratione coniuncti sunt, ita vt eorum bonum censeatur simul etiam nostrum, vt docet D. Augustinus in Enchiridio cap. 8. & ex eo D. Thomas 2. 2. quæst. 17. art. 3. quamuis enim alteri aliquando optemus aliquod bonum, cum quadam ipsius exspectatione, atque ita lato modo dicamur illud sperare, etiam eo casu quo hoc ipsi optamus præcisè quatenus ipsi bonum est; tamen non est tunc propriè spes, sed quidam amor amicitiæ aliqua ex parte similis spei. 14 Cur spes sit amor concupiscentiæ. *August. D. Thom.*

DVBIVM II.

Quid sit spes, & quod eius obiectum?

15 NOta Primò, nos hîc agere de spe generatim sumpta, prout abstrahit à virtute theologica ac morali.

Nota Secundò, satis constare ex dictis dub. 1. spem esse actum amoris concupiscentiæ, & quoddam desiderium boni absentis, vt omnes cōmuniter fatentur; sed cùm etiam satis constet non omne tale desiderium esse spem (nam de-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

sideramus aliquando etiam quæ scimus esse impossibilia, quæ tamen non speramus) hîc quæritur, quale desiderium requiratur ad rationem spei.

16 Prima sententia docet, spem nihil esse aliud quàm desiderium efficax boni futuri siue possibilis. hanc insinuat Gabriel in 3.disp.26.q.vnica,a.1 & eidem videtur fauere Scotus ibidem. Potest autem probari Primò,auctoritate D. Augustini, qui in Enchiridio c.8. dicit, spẽ esse desiderium boni futuri pertinentis ad sperantem. Secundò, ex communi modo loquendi, quia quicumque bonum futurum efficaciter desiderat, dicitur illud sperare. Tertiò, quia si huic aliquid obstaret, esset eò quòd obiectum spei sit solùm bonum arduum: atqui hoc non est verum, nam spes solùm fertur in bonum, aliquid autem esse arduum non habet rationem boni, & consequenter non potest pertinere ad obiectum spei.

Gabriel. Scotus. Augustin.

17 Contrà D.Thom.1.2.quæst.40.a.1.distinguit spem à desiderio boni futuri, quòd hoc nõ versetur necessariò circa bonum arduum, ideoq; reperiatur in potentia concupiscibili; spes verò semper spectet bonum arduum, ideoq; solùm reperiatur in irascibili. vbi vt aliquid sit obiectum spei, requirit in eo quatuor conditiones. Primò, vt sit bonũ; nam non speramus propriè mala. hinc etiam non sufficit id esse quacumq; ratione bonum, sed debet esse bonum ipsi speranti, vel saltem vt tale apprehendi. Secundò, quòd sit futurum siue absens; nam bonum præsens non speramus, sed de eo gaudemus. Tertiò, quòd sit arduum, siue cum difficultate adipiscibile, quia res minimas & faciles, quas statim habere est in nostra potestate, non dicimur sperare. Quartò, vt sit nobis possibile illud adipisci, siue vt apprehendamus illud esse tale; nam quæ credimus nobis impossibilia, non speramus, sed desperamus. Hanc sententiam communiter schola D.Thomæ sequitur. Sed magna difficultas est qua ratione dicta pertineant ad obiectum spei. Item quid intelligatur per *arduum*.

D.Thom.

18 Quidam apud Turrianum 2.2.disp.60.dub. 1.putant ipsum *esse arduum* ingredi formalem rationem obiecti spei; per illud tamen non intelligunt bonum acquisitu difficile, sed quod nostris viribus, sine alterius auxilio non possumus assequi.

Probant Primò, quia S. Thomas loco suprà citato docet, spem necessariò respicere bonum arduum, quia quæ facilè, & mox in nostra potestate habemus, non dicimur sperare. Secundò, quia idem 2.2.q.17.art.5. distinguit spem à magnanimitate, quòd hæc tendat in bonum arduum sperans aliquid quod est suæ potestatis: spes verò prout est virtus theologica, respiciat arduum alterius auxilio assequendum. vnde hi volunt *arduum* sic sumptum, ingredi rationem formalem obiecti spei, & hanc ea ratione distingui à desiderio, aut etiã à magnanimitate.

19 Sed hæc explicatio ardui est omnino aliena à mente D. Thomæ. Primò, quia 1.2.q.40.art.1. suprà citato expressè sumit pro eodem obiectum spei esse bonum arduum, & esse difficile acquisitu. Secundò, quia 1.2.q.42.a.3.ad 2. ait, *Spes est de bonis quæ potest quis adipisci. potest autem aliquis adipisci bonum vel per se, vel per alium; & ideo potest esse spes de actu virtutis, qui est in nostra potestate constitutus.* vbi apertè dictæ opinioni contradicit. Et clarè etiam eidem contradicit communis loquendi modus: tum quia vsitatissimè dicimur aliqua sperare, quæ nostrâ operâ acquirenda sunt; tum etiam quia numquam aliquod bonum solemus vocare arduum præcisè quia id alieno auxilio debemus consequi, quia sæpè fieri potest vt facillimum sit nobis illius voluntatem inflectere vt operam suam nobis in eo bono acquirendo præstet, atque ita illud facilè acquiramus. Sed communiter per bonum arduum intelligimus acquisitu difficile, cuiuscumque operâ acquirendum sit.

D.Thom.

Loca autem ex D.Thoma citata nihil faciũt ad rem: nam in primo non dicit nos non sperare ea, quæ nostrâ operâ possumus acquirere, sed nos non sperare ea, quæ minima, & facilè mox in nostra potestate sunt, qualia etiam possunt esse quæ alienâ operâ nobis acquirenda sunt, vt iam ostendi. 20

Ad secundum, respondeo eum ibi potiùs à nobis facere: nam expressè dicit magnanimum sperare aliquid, quod est in sua potestate: quod secundùm alios esset falsum. Respondeo Secũdò, D.Thomam ibi non distinguere generatim spem à magnanimitate, sed solùm dare rationẽ cur spes prout est virtus theologica, non sit virtus moralis siue naturalis, quia scilicet spectat bonum quod nostris viribus sine Dei ope, non possumus acquirere, ideoq; vt ipsa hoc debitè ac efficaciter prosequatur debemus auxilio Dei supernaturali in ea elicienda iuuari.

Pro resolutione Nota Primò, nos dupliciter posse loqui de spe. Primò, prout dicit veram virtutem siue theologiçam, siue moralem. Secundò, eam sumendo generaliùs pro quouis actu siue bono, siue malo, quo aliquid propriè speramus, qua ratione multi inordinatè voluptates aut honores sperant. 21

Nota Secundò, omnem efficacem intentionem alicuius boni (cùm sit implicita volitio mediorum ad illud acquirendum necessariorum) habere duplex obiectum. Vnum primarium, quod expressè & per se intenditur, qui est ipse finis. Aliud secundarium, scilicet ipsa media ad finem acquirendum necessaria, quæ eadem illa intentione implicitè appetũtur. Cùm igitur spes sit efficax intentio, siue desiderium alicuius finis, similiter habet pro obiecto suo primario, ac per se, & propter se intento ipsum finem siue bonum quod sperans desiderat consequi: pro secundario verò media necessaria aut etiam vtilia ad illud bonum consequendũ. 22

Conclvsio I. Obiectum materiale spei primarium est aliquod bonum propter se appetibile, quale est bonum honestum aut delectabile; secundarium verò sunt omnia media ad eiusmodi bonum acquirendum necessaria, aut etiam vtilia: quare hæc omnia sperare possumus. patet ex dictis n.22. 23

Conclvsio II. Vt aliquid sit obiectum spei requiritur Primò, vt sit bonum ipsi sperãti, 24

quia spes est amor concupiscentiæ, qui solùm fertur in bonum amantis. Secundò, vt non sit præsens siue iam possessum ab ipso sperante. nam sicut gaudium est quidam affectus animi in re acquisita quiescentis: ita spes est quædam prosecutio boni acquirendi. Tertiò, vt sit, vel saltem apprehendatur possibile acquiri. patent hæc ex dictis n.14. & 17. & ferè communiter ab omnibus conceduntur. Quartò, vt spes habeat rationem virtutis necessariò fertur in bonum arduum, siue acquisitu difficile. pater, quia virtus spectat ardua, & ad res omnino faciles nulla virtute opus est: præsertim vt quis sibi aliquod bonum optet: ad hoc enim facilè & cum delectatione faciendum, abunde sufficit naturalis inclinatio, quando hoc bonum est omnibus spectatis acquisitu facile. Et hoc solùm credo intendere D. Thomam citatum numer. 17. agit enim solùm de spe, quatenus habet rationem virtutis.

Virtus necessariò versatur circa ardua.

25 An autem absolutè ad omnem omnino actum spei propriè dictæ requiratur vt versetur circa bonum arduum, est quæstio de nomine, ad rem præsentem parum necessaria, & cuius vtraque pars posset facilè defendi: communi tamen præsertim Doctorum conceptui videtur conformior pars affirmatiua, tum quia spes videtur significare quamdam luctam ac vehementem conatum, aut saltem inquietudinem animi prosequentis bonum intentum, vnde dicitur spes dilata affligere animam. quæ non cadunt in eum qui cupit aliquod bonum quod sine vllo labore potest acquirere. Secundò, quia quæ ita facilè cùm volumus possumus habere, aut omnino certò sine labore habituri sumus, reputamus quasi præsentia; cùm vel ratione certæ præscientiæ, aut potestatis ea facilè cùm libuerit acquirendi, sint quodammodo virtute, & secundùm moralem æstimationē præsentia.

Omnis spes versatur circa ardua.

26 Conclvsio III. Obiectum formale spei respectu obiecti materialis primarij siue finis intenti, est sola huius bonitas, qua ipsi speranti bonus est (dico autem hîc id bonum esse speranti, quod bonum ei erit quando habebit) respectu verò obiecti secundarij siue mediorum, obiectum formale immediatum spei est sola eorum vtilitas, qua vtilia sunt ad bonum per se sperandum obtinendum, aut saltem perfectiùs obtinendum aut possidendum. Probatur, quia illud est solum obiectum formale actus voluntatis aliquid appetentis, quod eam mouet ad hoc appetendum: atqui sola suprà dicta mouent voluntatem ad rem sperandam appetendam (nam ijs præcisè positis mouebitur vt hanc appetat, & ijs sublatis non mouebitur:) ergo sola dicta habent rationem obiecti formalis spei.

Obiectum formale spei est sola bonitas aut vtilitas rei sperandæ.

27 Prob. Secundò, quia id quod nullo modo mouet voluntatem ad rem sperandam appetendam, nequit esse ratio hanc appetendi, & consequēter nec obiectum formale spei: atqui tres posteriores conditiones positæ num. 24. nullo modo mouent voluntatem vt rem sperandam appetat, sed solùm sunt cōditiones requisitæ vt eam hoc vel illo modo appetat: ergo non sunt obiectum formale spei. Minor probatur, discurrendo per singulas. Primò enim absentia boni sperati cùm dicat priuationem boni, scilicet possessionis rei sperandæ, non habet rationem boni, sed mali: ergo non potest mouere voluntatem vt ipsam, vel aliquid propter ipsam amet. Et confirmatur, quia sperans omni modo cupit illam absentiam rei sperandæ non esse, eamque odit, quia cupit bonum sperandum sibi adesse, doletque id abesse: ergo nullo modo illam absentiam amat, nec hæc potest ei esse ratio aliud amandi.

Similiter etsi non possim aliquid seriò & efficaciter desiderare, nisi credam id esse possibile, atque ita rem desideratam esse possibilem sit conditio necessariò requisita vt possit esse obiectum spei: tamen nullo modo est ratio formalis eam appetendi; nec enim moueor ad eam appetendam quia possibilis est, sed quia bona est: hinc etiam sæpè appetimus ea quæ scimus nobis esse impossibilia. sic damnati appetunt liberationem à pœna, ac Deum non esse, quæ sciunt impossibilia esse. Item quamuis placeat nobis rem desideratam esse possibilem, tamen non amamus eam quia possibilis est, sed contrà quia hanc amamus ideo amamus eius possibilitatem; atque ita bonitas rei est nobis ratio amandi eius possibilitatem, non contrà. His adde, cùm rei possibilitas sit præsens, nos eam nullo modo sperare, sed de ea gaudere, atque ita nullo modo est obiectum spei. 28

Idem clarè patet de quarta conditione: nam per se patet, & testatur ipse D. Thomas 1.2.q.23. art.2. in corpore, & q.25.art.3.ad 2. aliquid esse arduum siue difficulter acquisibile, non habere rationem boni, nec excitare volūtatem ad illud appetendum, sed potiùs ab eo appetendo deterrere, præsertim loquendo de appetitu efficaci: facilius enim efficaciter appetimus ea, quæ facilè possumus acquirere, eaque, quæ habere cupimus, optamus esse acquisitu facilia, & nobis displicet quòd difficulter acquiri possunt. *D. Thomas.*

Dices Primò, Magnanimi, ac gloriæ cupidi sæpè aliqua aggrediuntur, quia difficilia sunt, aliàs ea non aggressuri: ergo ipsa difficultas potest esse ratio aliquid appetendi. Respondeo negando antecedens, secundùm sensum præsentis quæstionis: nec enim hîc agimus de quacumque difficultate acquirendi rem appetitam, sed de ea qua ipsa sit difficilis appetenti. Dicti autem nullo modo mouentur vt talia aggrediantur, quia hoc ipsis difficile est, nec hanc difficultatem amant, sed cuperent eam omnino abesse, & se sine vlla difficultate ea posse conficere: sed quia communiter alijs difficilia sunt, aut saltem apparent. Quod inde pater, quia tales tali aggressione ostentationem virium, aut industriæ, vel constantiæ suæ intendunt, & inde apud alios gloriam aucupari, quam eodem modo, imò magis assequerentur, si ipsi facilè dicta conficerent, modò alijs apparerent difficilia. 29

Qua ratione magnanimi appetant difficultatē obiecti.

Dices Secundò, Qui vehementer amant Deum, aut dolent de peccatis, suscipiunt aliqua sibi difficilia pro Deo, aut pro satisfactione pro peccatis facienda, vel patienda, idque quia sibi difficilia sunt: ergo operis difficultas 30

Ardua quandoque per accidens habet rationem obiecti appetibilis.

potest esse ratio illud appetendi. Respondeo hoc solùm probare difficultatem obiecti posse aliquando per accidens, & ratione boni alicuius sibi adiuncti esse causam cur aliquod medium appetatur, quatenus nimirum efficit illud vtilius & efficacius ad finem intentum consequendum; vt patet in exemplo dato, in quo finis intentus est ostensio, siue probatio amoris in Deum, aut satisfactio pro peccatis, aut quid simile: ad quod eligitur aliquod opus maximè vtile, & consequenter pœnale ac laboriosum, quia hoc iudicatur maximè vtile ad illos fines. & hæc vtilitas est per se immediata ratio appetendi illud opus difficile, & ipsa difficultas solùm remotè, & per accidens; vel hæc potiùs est quædam conditio sine qua illud opus, sicut esset minùs vtile ad finem intentum, ita etiam minùs appeteretur.

Ex quo patet illud argumentum nihil contra nos facere; tum quia nullo modo probat difficultatem posse vlla ratione esse causam appetendi obiectum præcipuum spei, siue rem per se, & propter se speratam, de qua tamen hic præcipuè agimus: tum etiam quia ipsa difficultas numquam est per se ratio formalis appetendi, siue sperandi etiam ipsa media siue obiecta secundaria spei.

31 Dices Tertiò, Cùm actus spei essentialiter ac specie differat ab amore gaudij aut simplicis complacentiæ circa eandem rem, hi actus necessariò debent respicere diuersa obiecta formalia: atqui hoc fieri nequit, si spes pro obiecto formali habeat solam bonitatem rei speratæ, quatenus est bona sperantis: ergo hoc non est dicendum.

Actus specie distincti possunt habere idem obiectum formale.

Respondeo negando maiorem: nam actus habentes omnino idem obiectum formale, possunt differre specie, ob diuersum modum tendendi in illud: etsi enim omnes actus habentes diuersum obiectum formale differant specie; non tamen hi soli: vt ostendi disp.5. dub.2.

Dices Quartò, Hinc sequetur, omnem actum spei esse eiusdem speciei quantum est ex parte obiecti, quia habebit idem obiectum formale, scilicet esse nobis bonum. Respondeo negando assumptum, quia obiectum formale spei non est esse nobis bonum in abstracto & confusè sumptum, sed ipsa bonitas rei speratæ, qua nobis bona est; quæ est diuersa in diuersis rebus, non solùm materialiter, sed etiam formaliter: nam alia ratione est Deus nobis bonus, alia verò res creatæ. Item alia ratione nobis bonum honestum est bonum, alia verò bonum solùm delectabile.

Non omnis spes habet idem obiectum formale.

32 Alienum auxilium nō est obiectum formale spei.

Ex dictis sequitur Primò, quando res sperata est necessariò obtinenda per alterius operam, hanc nullo modo ingredi rationem formalem obiecti spei, præsertim primarij, quia rem speratam nullo modo appeto, quia alterius opera mihi consequenda est, (nam eam eodem modo appeterem etsi meis viribus possem eam assequi, & fortè intensiùs eam appeterem;) sed contrà bonitas rei speratæ est ratio me vltimò mouens vt alterius auxilium appetam, quatenus est vtile ad illam consequendam; & hæc vtilitas est immediata ratio formalis appetendi illud auxilium: vnde patet, hoc auxilium pertinere ad obiectum secundarium ipsius spei.

Sequitur Secundò, nos propriè dicta spe sperare non solùm ea, quæ per alios obtinenda sunt, sed etiam ea, quæ nostris viribus acquirere possumus: tum quia, vt ostendi num.19. hæc est sententia D. Thomæ; tum etiam quia contrarium nullo probabili fundamento nititur, & communi modo loquendi ac conceptui repugnat.

33 Speramus etiã ea, quæ per nos possumus acquirere.

Sequitur Tertiò, nos sperare in Deo, vel in aliquo homine nihil esse aliud, quàm nos sperare à Deo vel ab homine auxilium necessariũ, aut saltem vtile ad finem intentum obtinendum. vnde vlteriùs sequitur, quando agitur de spe vltimi nostri finis, nos illicitè sperare in homine, aliaúe creatura tamquam in causa principali, aut per se sufficiente nobis illum finem conferre: hoc enim solus Deus potest; licitè tamen sperare in Sanctis tamquam in causis secũdariis, & per se quidem insufficientibus illum finem conferre, potentibus autem nos suis precibus, aliaúe ratione ad eum acquirendum adiuuare. vide D. Thomam 2.2.q.17.ar.4. Quando autem solùm agitur de re temporali, quæ in hominum potestate est, obtinenda, licitè absolutè hanc ab homine speramus: modò id non faciamus ita vt Deum negligamus, aut credamus nos illo non indigere, &c.

34 Quid sit sperare in Deo, vel homine.

Qua ratione licitè speremus in homine.

D. Thom.

Sequitur Quartò, omnem spem esse desiderium efficax, non tamen contrà; nam spes huic superaddit, quòd necessariò respiciat arduum; & consequenter intrinsecè connotat quamdam constantiam ac firmitudinem animi bonum speratum prosequentis: ita vt hic, quantum est ex vi actus aut habitus spei, sit paratus constanter bonum difficile prosequi. Quæ non competũt cuiuis desiderio efficaci: nam possumus efficaciter desiderare bonum facile, omne tamen desiderium efficax boni ardui habet rationem spei, quia habet omnes conditiones ad spem requisitas.

35 Quid spes superaddat desiderio efficaci.

Sequitur Quintò, spem esse desiderium efficax & constans proprij boni absentis, possibilis ac ardui: vt tamen habeat rationem virtutis, addendum est, & honesti: nam virtus necessariò versatur circa obiectum honestum. vnde vlteriùs infertur spem nulla ratione posse esse in Deo, tum quia omne suum bonum habet necessariò præsens, nec quicquam potest concupiscere quo sit beatior: omnia enim bona Deo externa, etsi aliqua ratione possint dici bonum Dei, tamen sicut illis nullo modo aut indiget aut beatior fieri potest, ita non sunt bonum ab eo sua causa desiderabile: tum etiam quia cùm Deus omnia eiusmodi bona facillimè possit habere præsentia, nullo modo respectu ipsius habent rationem ardui, & consequenter nec possunt esse obiectum spei.

36 Spei definitio.

Cur in Deo nequeat esse spes.

Sequitur Sextò, spem posse habere veram & propriè dictam rationem virtutis, quia potest conuenienter ferri in bonum honestum qua tale (possum enim mihi sperare bonum virtutis, remissionem peccati, gratiam iustificantem, beatitudinem æternam, &c. eaque eo modo obtinenda, quo honestè obtineri possunt, quæ haud

37 Spes est vera virtus.

haud dubiè honesta sunt:) atqui actus qui ita fertur in bonum honestum ac arduum, est actus virtutis: ergo spes potest esse vera virtus.

Dices, Ad virtutem spectat optimè disponere suum subiectum: atqui spes hoc non facit, quia supponit imperfectionem in suo subiecto, scilicet carentiam rei speratæ: ergo non est vera & propriè dicta virtus. Respondeo ad maiorem; virtutem non debere quacumque ratione suum subiectum optimè disponere, sed solùm secundùm præsentem ipsius statum, & secundùm certam quamdam rationem; & sic etiam spes optimè disponit voluntatem in ordine ad obiectum absens, & secundùm præsentem subiecti statum. vide dicta de fide, disput. 16.n.27.

Virtus non omni modo optimè disponit subiectum.

38 Sequitur Septimò, spem vt possit esse diuturna & verè constans, indigere communiter magnanimitate & audacia, ne frangatur rei difficultate, aut periculis deterreatur. Item ab iisdem differre, quòd spes etsi versetur circa obiectum arduum, tamen propriè & directè non tendit in illud qua arduum est, sed qua bonum speranti. Magnanimitas verò directè respicit arduitatem, non qua appetibilem (quia ex se talis non est) sed qua superabilem: ipsius enim propriè est impedimenta bono sperato occurrentia amouere, & difficultates superare. Audacia autem directè respicit pericula, quæ vt finis intentus obtineatur, subeunda sunt, & animum ad hæc prudenter aggredienda obfirmat.

Qua ratione spes requirat magnanimitatem & audaciam, & ab iis differat.

39 Demum ex his patet responsio ad argumenta allata n.16. Ad primum respondeo, Augustinum, alios{que} Patres dicere spem esse desiderium alicuius boni, quia verè est tale; non tamen asserere omne tale desiderium esse spem, nec enim ijs locis proposuerant sibi omnem rationem spei explicare.

Ad secundum respondeo, nos in communi loquendi modo verba non semper strictè sumere: latiore autè loquendi modo omne eiusmodi desiderium potest dici spes.

Ad tertium respondeo, id solùm probare arduitatem non posse esse obiectum spei, aut per se à sperante appeti. quod libenter concedimus. Sed inde non sequitur, eam non requiri tamquam quandam conditionem, vt aliquid sit propriè obiectum spei.

DVBIVM III.

Quod sit obiectum materiale spei, prout est virtus theologica?

40 *Durand.* DVrandus in 3. disp. 26. q. 2. docet, obiectum primarium & immediatum spei esse solam visionem ac fruitionem Dei, siue beatitudinem nostram formalem: Deum verò solum esse obiectum spei mediatum.

Probatur Primò, quia spes est amor concupiscentiæ: atqui Deus secundùm se non potest esse immediatum obiectũ amoris concupiscentiæ, sed solùm amicitiæ: ergo nequit esse obiectum immediatum spei. Minor probatur Primò, quia quæ amamus amore concupiscentiæ, amamus propter aliud, scilicet propter nos ipsos: atqui Deus cùm sit vltimus finis omnium, nequit honestè amari propter aliud: ergo nequit esse obiectum spei. Secundò, quia quæ differunt à nobis supposito, nequeunt secundũ se immediatè esse nostrum bonum, sed solùm ratione alicuius sui effectus. v.c. ignis non est immediatum bonum frigentis, sed solùm ratione caloris à se producti. item vinum non est immediatum bonum bibentis, sed solùm ratione saporis quo bibentem bene afficit: atqui Deus differt à nobis supposito: ergo nequit esse immediatum nostrum bonum, & consequenter nec immediatum obiectum spei.

Secundò, quia obiectum spei debet esse aliquid futurum: atqui Deus non est futurus, sed præsens: ergo non est obiectum spei.

Tertiò, tristitia & delectatio, & consequenter spes versantur circa idem obiectum: atqui tristitia nequit esse immediatè de Deo: ergo nec delectatio aut spes.

Quartò, quia operationes nostræ sunt causa delectationis: atqui non nisi obiectiuæ: ergo solæ sunt obiectum delectationis ac spei.

Secunda opinio in altero extremo docet, 41
solum Deum esse obiectum principale nostræ spei. Primò, quia aliàs primarium obiectum spei esset aliquid distinctum à Deo, & sic spes non esset absolutè virtus theologica, sed solùm ex parte quatenus versatur circa Deum. Secundò, quia cognitio obiecti non habet rationem obiecti, sed est solùm conditio prærequisita ad amorem obiecti: visio autem Dei, est solùm cognitio obiecti spei: ergo non est obiectum spei. Pro hac sententia citatur Caietanus 2.2.q.17.a.2.& 5. vbi videtur ei fauere, sed eam expressè non habet. Citat pro eadem Turrian. 2.2.disp.60.dub.3. quosdam alios recentiores Thomistas. *Caietan.* *Turrian.*

Pro resolutione, Nota Primò, quando aliquam rem nobis desideramus, nos non solùm petere vt ipsa existat, sed vt eam possideamus, eaque vtamur vel fruamur: ita vt illud desiderium nec feratur in rem prout consideratur separata à sui possessione ac fruitione, nec in hæc prout considerantur separata à re; sed in vtraque simul sumpta tamquam in vnicum obiectum, & quidem in ratione obiecti omnino indiuisibile. v.c. frigens non petit calorem à se separatum existere, nec etiam huius inhærentiã à calore separatam: sed appetit calorem sibi inhærentem: ita vt nec calor respectu ipsius desiderij habeat vllam rationem obiecti etiam partialis prout concipitur separatus ab inhærentia, nec hæc prout concipitur separata à calore: adeoque illius appetitus immediatè in vtrumque fertur, tamquam in obiectum omnino vnum. 42 Res & possessio rei per modum vnius appetuntur.

Nota Secundò, cognitionem respectu obiecti appetitus tripliciter posse se habere. Primò, vt sit mera propositio ipsius obiecti. sic respectu beatitudinis se habet fides, qua credimus eam à Deo iustis esse promissam. Secundò, tamquam totale obiectum ipsius appetitus. sic se habet cognitio cursus siderum, & similium rerum: nec enim has res appetimus, sed earum præcisè cognitionem. Tertiò, tamquam 43 Cognitio tripliciter se habet respectu obiecti appetitus

id

id,quo obiectum desideratum debemus possidere,eoque frui. sic desideramus videre pulchra ac viridia prata, quorum visu recreamur, jjsque quodammodo fruimur. item sic cupimus audire pulchram musicam. & in his casibus ex visione & re visa,& ex auditione & musica, fit vnum immediatum obiectum nostri appetitus,iuxta dicta num.42. Et sic se habent visio beatifica, ac delectatio eam consequens respectu Dei: per hos enim actus Deum tamquam bonum nostrum possidemus, eoque fruimur.

44 Deus eiusq; visio sunt vnum obiectum spei.

CONCLVSIO I. Tam Deus quàm eius clara visio ac fruitio, constituunt vnum ac immediatum obiectum nostræ spei prout est virtus theologica. Est ferè communis Doctorum,& apertè ipsius D.Thomæ 2.2.qu.17.art.2. in corpore, vbi docet,Deum eiusque fruitionem esse obiectum nostræ spei.

D.Thom.

Genes.15. Probatur Primò, ex Scripturis, quia Genesis 15. Deus ait Abrahamo: *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*; vbi Deus expresè docet,se esse mercedem nostram,siue bonorum nostrorum operum: atqui idem est obiectum nostræ spei, & merces operum: ergo,&c. vnde etiam D. Augustinus l.22. de Ciuit.c.vltimo ait: *Præmium virtutis erit ipse qui virtutem dedit, & qui seipsum, quo melius aut maius nihil possit esse, promisit.* Item ad Roman.5.v.2. dicimur gloriari in spe gloriæ, siue qua gloriam, (id est visionem beatificam) speramus.Similia habentur ad Colos.c.1.v.27.

Augus.

Rom.5.

Coloss.1.

45 Probatur Secundò, quia, vt iam ostendi, res sperata, eiusque possessio ac fruitio constituunt vnum immediatum ac indiuisibile obiectum nostræ spei:atqui talia sunt Deus,eiusque visio ac fruitio: ergo hæc constituunt vnum immediatum obiectum nostræ spei. Tertiò, quia id quod est immediatè nostra beatitudo, siue bonum nos beatificans, est immediatè obiectum nostræ spei: atqui talis est Deus vt visus ac amatus in cælo à Beatis, (quia nec visio nos beat, nisi quatenus per eam possidemus Deum; nec Deus,nisi quatenus visus est:) ergo vtrumque simul est obiectum nostræ spei. Quartò,quia,nisi spes nostra haberet Deum pro immediato suo obiecto, non esset virtus theologica,sed solùm moralis,sicut religio, quæ habet Deum pro obiecto mediato: atqui illud est falsum: ergo & id vnde sequitur. Quintò,quia contrariæ sententiæ nullo nituntur fundamento, vt mox ostendam soluendo earum argumenta.

46 Ad primum positum num.40. nego minorem. Ad primam probationem, nego maiorem, si propriè intelligatur, ita vt, *propter*, significet relationem medij ad finem, prout in minore sumitur: nec enim omnia quæ nobis concupiscimus, referimus ad nos tamquam ad finem; & aliàs sequeretur beatitudinem formalem, siue ipsam fruitionem, non amari à nobis tamquam vltimum nostrum finem,quia amamus eam amore concupiscentiæ. Lato tamen modo loquendi posset maior admitti, si illud *propter nos* significet idem quod,tamquam nostrum bonum,siue in commodum nostrum qua ratione dum concupiscimus nostram beatitudinem, concupiscimus eam propter nos. sed tunc neganda est minor: nam, vt iam ostendi, nullo modo repugnat vltimum finem sic amari. Quando igitur Deum concupiscimus, appetimus quidem eum nobis, non tamen tamquam fini, siue quasi nos essemus finis ipsius Dei,sed appetimus eum tamquam finem nostrum.

Ad secundam probationem,nego maiorem esse generatim veram, vt patet vel ex secundo exemplo ibi allato: nam vnum est immediatũ bonum ipsius sitientis, quia dum poratur per se immediatè, ipsius sitim leuat, ipsumq; recreat, sicut musica audita,& res pulchra visa per se immediatè recreant audientem ac videntem. Et similiter Deus visus est immediatum nostrum bonum. vide dicta n.42.& 43

Ad secundum,respondeo obiectum spei non debere esse absolutè & secundùm se futurum, sed solùm sub ea ratione,sub qua speratur.Deus autem etsi secundùm se iam existat vbique præsens, non tamen est nobis de facto clarè visus: est autem obiectum spei prout à nobis videndus est, siue prout concipitur coniunctus cum visione futura. 47

Ad tertium,nego maiorem. Nam delectatio siue gaudium,& consequenter spes habent pro obiecto aliquod bonum; tristitia verò aliquod malum: quæ inter se distincta sunt, nec eidem sub eadem ratione conuenire possunt. Deus autem secundùm se potest esse nobis bonus, non autem malus, sed solùm ratione alicuius effectus.

Ad quartum, respondeo Primò, id ad summum probare aliquas operationes nostras posse esse obiectum nostræ delectationis. quod nõ negamus: nam cum hoc optimè consistit etiam aliquas alias res esse immediatum obiectum nostræ delectationis, vt iam ostendi. Respondeo Secundò, minorem non esse vniuersaliter veram: nam quædam operationes sunt formalis causa nostræ delectationis; nam ipsa nostra delectatio siue gaudium de re aliqua perceptum, est vera nostra actio, & simul est ipsa forma qua delectamur, siue nos bene afficiens.

Ad primum argumentum positum num.41. 48
nego Primò, secundam partem assumpti: nam vt spes sit virtus theologica, sufficit quòd immediatum ipsius obiectum primarium sit ipse Deus: nullo autem modo est opus vt ipse solus ita sit ipsius obiectum. Respondeo Secundò, visionem Dei non debere concipi tamquam quid in ratione obiecti distinctum à Deo viso, vt ostendi n.42. atque ita ipsam visionem Dei esse obiectum spei,nihil esse aliud quàm Deum visum eiusdem esse obiectum.

Ad secundum, nego maiorem generatim esse veram; nam fallit quoties cognitio obiecti est simul eiusdem possessio, aut quoties aliàs ipsa cognitio est per se appetibilis, vt ostendi num.43.

CONCLVSIO II. Obiectum spei secundarium sunt omnia media nobis necessaria ad Deum consequendum ac possidendum, aut etiam 49 Obiectum spei secundarium.

etiam ad perfectiùs aut conuenientiùs eum possidendum, eoque fruendum. Qualia sunt, gratia iustificans, aliaque diuina auxilia nobis necessaria ad beatitudinem adipiscendam. Item lumen beatificum, sine quo Deum videre non possumus, alijque habitus ad fruendum Deo nobis necessarij. Item beatitudo corporis: quia etsi tota nostra beatitudo essentialis consistat in sola visione ac fruitione Dei; tamen beatitudo corporis aliaque similia ad beatitudinem accidentalem spectantia, efficiunt vt totus homo Deo meliùs & conuenientiùs fruatur. vide dicta n.22. vbi redditur ratio conclusionis.

DVBIVM IV.

Quod sit obiectum formale spei theologicæ?

50 PRima sententia docet, sicut testimonium Dei siue auctoritas Dei reuelans est obiectum formale fidei, ita auxilium omnipotentiæ Dei nobis ad consequendam beatitudinem necessarium, siue omnipotentiam, & benignitatem ac fidelitatem Dei nobis eiusmodi auxilia promittentem & subministrantem, esse obiectum formale spei. Ita quidam apud Turrian. 2.2.disp.6.dub.2.

Turrian.

D. Thom. Probatur Primò, auctoritate D. Thomæ, qui in quæstionibus disputatis, q. de spe, art.1. docet, quòd sicut obiectum formale fidei est prima veritas cui creditur, ita obiectum formale spei sit diuinum auxilium propter quod speratur: similia habet etiam aliis locis. Secundò, quia ab omnipotenti Deo promittente possumus sperare aliquod bonum creatũ, sicut primæ veritati testificanti possumus credere de veritate aliqua creata: ergo omnipotentia Dei promittẽs est sufficiens obiectum formale spei. Confirmatur, quia sicut veritas prima est sufficiens ratio specificatiua actus fidei: ita omnipotentia Dei, dicto modo est sufficiens ratio specificatiua actus spei: ergo vel illa sola est obiectum formale spei theologicæ, vel dabitur quarta virtus theologica. Tertiò, quia si bonitas, qua Deus est nobis bonus, esset obiectum formale spei, non possemus spe theologica aliquod bonum creatum sperare à Deo, nisi eodem actu speraremus ipsam beatitudinem: atqui hoc est falsum: ergo & illud. Quartò, quia aliàs sequeretur, spem non esse virtutem theologicam, quia pro formali suo obiecto haberet aliquid creatum scilicet esse mihi bonum. Et confirmatur, quia actus, quo spero proximo beatitudinem præcisè quia huic bona est, non est virtus theologica; ergo idem dicẽdum est de actu quo eam mihi spero præcisè quia mihi bona est.

51 *Lorca.* Lorca verò 2.2.sect.2.disput.3.membro 1.ponit duplex obiectum formale spei theologicæ: vnum quod speramus, scilicet ipsam bonitatem Dei, qua nobis bonus est; & id in quo speramus, scilicet Deum qua omnipotentem & fidelem in promissis.

Probat Primò, auctoritate D. Thomæ, qui loco suprà citato ponit duplex obiectum spei, scilicet ipsam beatitudinem quam speramus, & auxilium Dei, à quo eam speramus. Secundò, quia id omne potest dici obiectum formale alicuius actus, quod ad ipsius specificationem ac essentialem distinctionem conducit: atqui id in quo speratur est tale (quia est medium cui spes innititur, & motus etiam specificatur à medio:) ergo hoc pertinet ad obiectum formale spei. Tertiò, hæc pars probari potest, quia per hoc differt spes nostra à Pelagiana, quòd nostra nitatur auxilio diuino, Pelagiana verò propriis viribus sperantis: ergo auxilium diuinum pertinet ad formale illius obiectum.

52 *Obiectum spei theologicæ.* CONCLVSIO. Obiectum primarium formale spei theologicæ est sola bonitas Dei clarè visi, siue beatitudo nostra, tam obiectiua quàm formalis, quatenus nobis bona est. Hæc videtur sententia Scoti in 3.disp.26. q. vnica, §. *Ad quæstionem.* vbi agens de obiecto formali spei theologicæ solùm meminit illius bonitatis. Eandem tenent Gabriel ibidem art.1. Suarez in tertiam partem, tom.1.quæst.7. in commentario a.4. Bañez 2.2.quæst.17.a.5.§.*Cajetanus*, &c. versu *Nota secundò*. vbi docet, spem respicere Deum quatenus est nostra beatitudo, tamquam obiectum principale; & auxilium diuinum tanquam medium ad consecutionem sperati finis necessarium. Quamuis paulò inferiùs quædam dicat his parum consona. Eandem plures recentiores tenent.

Scotus. *Gabriel.* *Suarez.* *Bañez.*

Sequitur clarè ex dictis dub.2. concl.3. vbi ostendi id solum esse obiectum formale actus voluntatis, quod eam mouet ad rem aliquam appetendam aut fugiendam; & consequenter non posse esse eius obiectum formale, id quod eam nullo modo ita mouet: atqui bonitas nostræ beatitudinis nos mouet vt eam appetamus; auxilium verò diuinum, vel etiam Deus, qua omnipotens & fidelis in promissis, nullo modo nos ita mouet ad appetendam beatitudinem: ergo hæc non possunt esse obiectum formale nostræ spei, sed sola bonitas ipsius beatitudinis. Prior pars minoris per se patet; nam clarum est beatitudinem qua nobis bona est, hoc ipso & præscindendo ab omnibus aliis mouere voluntatẽ ad sui desiderium, quia bonum per se appetibile est. Quamuis autem hoc desiderium nequeat esse efficax nisi apprehendatur beatitudo possibilis, ad quod necessarium est diuinum auxilium, nec etiam possit habere rationem spei, nisi obiectum eius sit arduum: tamen hæc non ingrediuntur rationem obiecti formalis, sed solùm sunt conditiones requisitæ, vt obiectum possit tali ratione appeti, vt patet ex dictis numer.28. & mox etiam ostendam.

53 Secunda pars probatur, quia, etsi Dei auxilium siue omnipotentia Dei parata mihi dare sufficiens auxilium sit omnino necessaria vt beatitudo mihi sit possibilis, & vt possim eam prudenter ac constanter sperare; hæc tamen non habent se per modum finis, sed instar mediorum, (sunt enim hæc media necessaria vt possimus beatitudinem prout oportet sperare ac consequi:) atqui media non sunt ratio appetendi finem; (nec enim appetimus finem propter media, sed contrà: id autem est ratio,

siue

siue obiectum formale aliud apprehendi, propter quod hoc appetimus:) ergo Dei omnipotentia vt parata nobis conferre illud auxilium, nequit esse formalis ratio mouens voluntatem ad appetendam beatitudinem, sed solùm quædam conditio requisita, vt possimus illam prout oportet, sperare, sicut etiam cognitio beatitudinis est talis conditio. Possent hæc facilè pluribus confirmari; sed hæc ratio videtur mihi sufficiens, nec potest euerti nisi quis probet vel auxilium Dei non habere rationem medij, respectu beatitudinis consequendæ, vel medium posse esse obiectum formale appetendi finem. quorum vtrumque apertè est absurdum. quæ clariora adhuc fient ex solutione obiectorum.

54 Dices, diuinum auxilium non posse quidem esse rationem formalem cur appetam beatitudinem, sed posse esse rationem formalem cur eam sperem. Sed contrà, omnis spes est intrinsecè quædam appetitio ac desiderium rei futuræ siue absentis, & sperare nihil est aliud quàm certo quodam modo aliquid appetere siue desiderare: ergo nihil potest me tamquam ratio formalis mouere vt aliquid sperem quod nequit me mouere vt illud appetam siue desiderem: sicut nihil potest mihi esse formalis ratio aliquid sciendi, quod nequit mihi esse ratio formalis illud cognoscendi. est enim horum eadem ratio: nam sicut se habet scientia ad cognitionem, ita se habet spes ad appetitionem siue desiderium.

55 Ad primum argumentum positum num. 50. Respondeo Primò, verba D. Thomæ non posse vllo modo sumi in sensu omnino proprio; nam aliàs probarent, quòd sicut prima veritas est ratio formalis nos mouens ad credendum à Deo reuelata; ita auxilium diuinum esset ratio formalis nos mouens ad appetendam ac sperãdam beatitudinem. vnde sequeretur, quòd sicut res reuelatas ideo credimus, quia Deus eas testatus est, siue propter primam veritatem eas testantem, nec vllo modo hanc credimus propter illas; ita appetamus beatitudinem propter diuinum auxilium, & hoc non appetamus propter illam. quod tamen apertè falsum est, & contrarium verum: clarum enim est me appetere ac sperare diuinum auxilium, propter beatitudinem obtinendam, tamquam medium propter finem, & bonitatem finis esse rationem formalem appetendi media, non contrà.

56 Respondeo Secundò, S. Thomam illis locis esse intelligendum secundùm ea quæ docet 2.2. quæst. 17. artic. 2. vbi docet spem tendere in Deum innitendo eius auxilio ad eum consequendum, adeoque in eum tendere non quatenus viribus naturæ, sed præcisè quatenus per auxilium supernaturale obtineri potest; siue non quatenus naturaliter cognosci & amari potest, sed quatenus per lumen gloriæ & amorem beatificum potest clarè videri & amari. Atque ita vult auxilium diuinum dupliciter pertinere ad obiectum spei. Primò, quatenus est medium necessarium ad obtinendam beatitudinem, qua ratione est obiectum secundarium spei, iuxta dicta dubio 2. concluſ. 2. Secundò, quatenus diuina promissio tam ipsius beatitudinis, quàm huius auxilij, siue mediorum omnium ad obtinendam beatitudinem necessariorum est conditio necessariò requisita, vt possimus eam conuenienter sperare: nam sicut sine eo auxilio nequimus beatitudinem vllo modo obtinere, ita nequimus eam conuenienter sperare. Imò numquam venisset nobis in mentem eam sperare, nisi Deus eam promisisset: nam, vt dicitur 1. ad Corinth. 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt eum.* Et hac ratione promissio illius auxilij pertinet ad obiectum formale spei, tamquam ratio nobis illud approximans, & proponens: sicut cognitio obiecti formalis potest dici ad hoc pertinere, scilicet extrinsecè. Comparat itaque D. Thomas auxilium diuinum siue Deum nobis hoc promittentem & conferentem, cum prima veritate, res fidei reuelante. Primò, quòd sicut præcipua credenda non possumus sine Dei reuelatione cognoscere, ita ea quæ speramus non possemus sine Dei auxilio ac promissione vllo modo sperare, aut scire speranda. Secundò, quòd sicut ex eo quòd sine Dei reuelatione non possimus cognoscere res credendas, sequitur has esse omnino supernaturales: ita ex eo quòd sine Dei auxilio nequeamus consequi beatitudinem, sequitur hanc esse bonum infinitum, & omnino diuinum. Atque hac ratione probat spem esse virtutem theologicam 2.2. quæst. 17. art. 5. & distingui à magnanimitate, in responsione ad 4. Quòd autem D. Thomas senserit obiectum formale spei propriè esse ipsam beatitudinem qua nobis bona est, clarè patet ex 2.2. quæst. 18. art. 2. vbi docet, eam ab hac tamquam ab obiecto accipere speciem. quod necessariò debet intelligi de obiecto formali, cùm materiale non det speciem.

D. Thomas.

D. Thomas.

57 Ad secundum, nego consequentiam; quia in antecedente non dicitur quòd omnipotentia Dei promittens respectu meæ spei se habeat eodem modo, atque se habet veritas prima testificans respectu meæ fidei (hic enim sensus & improprius est, & antecedens in eo sensu sumptum apertè petit principium, ac falsum est) sed solùm quòd non minùs possim à Deo aliquid sperare, quàm ei credere. quod verissimum est, sed consequens hinc nullo modo sequitur. Ad confirmationem, nego antecedens: apertè enim sumit id quod probandum est.

58 Ad tertium, distinguo maiorem: nam si dicat ex nostra sententia sequi me non posse spe theologica aliquid creatum à Deo sperare, nisi eodem actu explicitè sperem beatitudinem, sic non est vera: si verò intelligatur de implicita spe beatitudinis, sic verissima est. Quoties enim speramus aliquid merè creatum à Deo, verbi causa, sanitatem, diuitias, &c. vel speramus id tamquam medium conducens ad veram beatitudinem consequendam, & sic eodem actu implicitè speramus ipsam beatitudinem, quia electio medij est implicita volitio finis: vel speramus id sine vllo ordine ad beatitudinem; & quantumuis id tunc speremus obti-

Qua ratione Dei promissio & auxilium pertineant ad obiectum spei.

Quouis actu spei theologicæ saltem implicitè speramus beatitudinem.

obtinere à Deo, non est spes theologica. Quod vel inde patet, quia aliàs quinihil vmquam audiuisset de mysteriis nostræ fidei, nec crederet nostram beatitudinem consistere in visione aut fruitione Dei, posset habere veram spem theologicam, saltem ordinis naturalis, aut etiam supernaturalem si Deus sufficienter cum eius voluntate concurreret, quia lumine naturæ posset cognoscere eiusmodi res à Deo posse peti ac sperari, prout Ethnici id cognouerunt: illud autem videtur omnino absurdum.

Ad quartum, nego assumptum, eiusque probationem: nam esse mihi bonum præcisè & in abstracto sumptum non est obiectum formale spei, sed ipsa bonitas Dei qua mihi bona, quæ est ipse Deus. Secùs est quando beatitudinẽ opto proximo præcisè qua ipsi bona est, quia tunc vltima ratio formalis mouens voluntatem meã ad illum actum est bonitas personæ amatæ. vide dicta suprà num. 13. & 31. ex quo patet responsio ad confirm.

59 Ad primum argumentum, positum numero 51. ex auctoritate sancti Thomæ iam responsum est.

Non omne concurrens ad specificationem actus pertinet ad eius obiectũ formale.

Ad secundum, nego maiorem: nam aliàs sequeretur, cognitionem obiecti pertinere ad obiectum formale actus voluntatis, cùm ad hunc sit essentialiter requisita, & prout obiectum sub variis rationibus, verbi causa, sub ratione medij, vel finis, &c. expetendum proponitur, voluntas illud actu diuersæ speciei expetit. Item sequeretur, absentiam obiecti amati, esse obiectum formale actus spei, quia ad huius specificationem necessariò requiritur: nam non possum sperare bonum nisi absens sit. illud autem etiam Lorca fatetur non esse verum. *Lorca.*

Respondeo Secundò, negando minorem, eiusque probationem: nam aliàs inde sequeretur Primò, quando duo intendunt consequi eosdem honores, ob eundem omnino finem, si vnus intenderet eos consequi sua industria, alius alienâ operâ, vtriusque intentionem fore diuersæ speciei. Item cùm speremus consequi æternam gloriam partim ex propriis meritis per gratiam Dei factis, partim ex opere operato per susceptionem Sacramentorum, sequeretur nos hoc facere per actus spei diuersæ speciei: quia hi actus respiciunt diuersa media; vnde vlteriùs sequeretur, non omnes actus spei theologicæ esse eiusdem speciei. quæ sunt apertè absurda, & præsertim secundum.

60 Ad tertium, nego consequentiam: quia similiter spes nostra differt à spe Lutheranorum, quòd nos speremus gloriam ex meritis nostris gratia Dei factis, ipsi verò sine vllis suis meritis; & tamen merita nostra non sunt obiectum formale nostræ spei. Quorum ratio est, quia non quidquid est causa cur duo actus inter se differant specie, habet se per modum obiecti formalis, vt patet ex responsione ad 2. & ex dictis disp. 5. dubio 2. & 3.

61 Cur spes sit virtus theologica.

Hinc patet Primò, spem esse veram virtutem theologicam, quia habet pro immediato suo obiecto tam materiali quàm formali ipsum Deum quatenus est nostra beatitudo, & reliqua omnia quæ speramus, speramus in ordine ad Deum, siue quatenus sunt necessaria aut saltem conducunt vt possimus Deum possidere, aut saltem perfectiùs & conuenientiùs possidere.

Secundò, eam distingui à reliquis virtutibus theologicis, quia caritas fertur in Deum quatenus in se bonus est, & fides quatenus est prima veritas, spes verò quatenus est bonum nostrum.

Tertiò, omne desiderium æternæ beatitudinis, si in hanc conuenienter & efficaciter feratur, esse veram spem theologicam, quia, vt ostendi numer. 35. desiderium efficax boni ardui non distinguitur à spe.

DVBIVM V.

Vtrùm vera spe possimus alteri sperare beatitudinem?

Hæc difficultas poterat videri sufficienter explicata dubio 1. numer. 14. ex quo eius solutio clarè sequitur; quia tamen aliqui hanc fusè tractant, & varias difficultates obiiciunt, breuiter hîc explicandam duxi. Hanc fusè tractant Turrianus 2.2. disput. 60. dubio 4. & Lorca sect. 2. disp. 2. in dubio; qui varios pro vtraque parte citant. Et ipse Turrianus vtramque partem putat probabilem: Lorca verò tenet affirmatiuam. Et quamuis, ne videatur à D. Thoma recedere, numer. 3. vt vera spe alteri beatitudinem speremus, requirat, vt ratione alicuius cum hoc coniunctionis apprehendamus huius bonum tamquam nostrum; tamen in suis probationibus, præsertim tertia, apertè contrarium indicat: & aliàs non contradiceret alteri sententiæ, quam vult refutare: nam nemo dubitat quin possimus alteri sperare bonum, quando hoc apprehendimus tamquam nostrum: quia hac ratione non tam illi, quàm nobis appetimus aliquod bonum, sicut cùm quis optat sanitatem suo mancipio aut equo, magis sibi quàm his optat aliquod bonum. Quare vt hæc difficultas habeat locum, explicanda est de actu quo efficaciter desideramus alteri beatitudinem præcisè quatenus ipsi bona est, vtrùm scilicet hic actus sit vera spes. 61 *Turrian.* *Lorca.*

Et pars affirmatiua probatur Primò, quia D. Augustinus serm. 11. de verbis Domini circa medium dicit, de nullius salute dum viuit esse desperandum: ergo sentit nos posse sperare salutem alienam. Secundò, quia eadem caritate amamus proximum & nosipsos, & eadem fide credimus spectantia ad proximum, & ad nos: ergo eadem spe speramus ipsius bonum & nostrum. Tertiò, quia actus quo speramus beatitudinem proximi est actus virtutis: atqui non est actus caritatis (quia aliàs existentes in peccato mortali non possent alteri sperare salutem) nec etiam alterius virtutis: ergo est actus spei. Quartò, quia actus quo speramus alteri beatitudinem, est eiusdem rationis cum eo, quo eam nobis speramus. Primò, quoad substan- 63 *Augustin.*

tiam

tiam: nam eodem modo est conatus in bonum arduum; Secundò, ex parte boni sperati, quod vtrobique idem est; Tertiò, ex parte rationis sperandi, & eius in quo speratur, scilicet Dei supernaturaliter adiuuantis: ergo nulla est inter eos actus essentialis differentia: nam quòd beatitudinem tibi aut mihi sperem est accidentale, nec pertinet ad rationem obiecti. Quintò, quia qui sine iusta causa desperat de salute proximi, peccat contra aliquam virtutem: atqui non contra aliam, quàm contra spem: ergo talis desperatio contrariatur veræ spei, & consequenter actus ei contrarius est vera spes.

64 CONCLVSIO. Etsi ex vera spe possim alteri sperare beatitudinem, quatenus per hanc mea beatitudo potest aliquo modo accidentaliter augeri, quia sic implicitè meam beatitudinem spero; tamen nequeo ex vera spe ei sperare beatitudinem, quatenus præcisè est ipsi bona. Hæc est apertè sententia D. Thomæ, & D. Augustini in Enchiridio cap. 8. vbi ait: *Spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, & ad eum pertinentium qui earum spem gerere perhibetur.* Eandem docet Vasquez in 3. partem tomo 1. disput. 43. cap. 2. numero 6. & 7.

D. Thomas. August.

Vasquez.

Probatur Primò, quia spes est actus amoris concupiscentiæ, & consequenter tendit in bonum quatenus est bonum sperantis: atqui beatitudo proximi, quatenus huic præcisè bona est, non est bonum meum: ergo actus quo hanc ei desidero præcisè qua ipsi bona est, non est actus veræ spei.

Prior pars maioris sequitur ex dictis dubio 1. & est communis Theologorum, & vel inde patet, quia aliàs si spes posset esse actus amoris beneuolentiæ, spes theologica posset esse actus caritatis erga Deum; quod patet falsum esse.

Secunda pars etiam patet ex dictis dubio primo. vbi ostendi amorem concupiscentiæ per hoc essentialiter differre ab amore amicitiæ, quia per illum cupimus nobis aliquod bonum, quatenus nobis bonum est; per hunc alteri, quatenus huic bonum est.

65 Probatur Secundò, quia Deus est obiectum spei, quatenus est beatitudo nostra, ita vt formalis ratio obiecti spei sit ipsa bonitas Dei, qua nobis bonus est, vt ostendi dubio 4. ergo non possumus vero actu spei sperare beatitudinem alterius, nisi quatenus aliquo modo est beatitudo nostra, siue quatenus nostram beatitudinem aliqua ratione promouet. nam aliàs non conuenit ei obiectum formale spei.

Tertiò, quia actus, quo volo alteri beatitudinem qua ipsi bona est, est actus beneuolentiæ erga hunc, vt patet ex dictis dubio 1. ergo nequit esse actus amoris concupiscentiæ (quia hi amores essentialiter distinguuntur, vt dubio 1. ostendi) & consequenter nequit esse actus veræ spei.

66 Ad primum argumentum, positum numero 63. Respondeo diuum Augustinum ibi desperationem latiùs sumere: qua ratione etiam possumus dici sperare omne bonum futurum siue nostrum, siue alienum: sicut fide latiùs sumpta dicimur credere etiam ea, quibus ob solam eorum euidentiam assentimur.

Ad secundum, concedo totum, posito quòd vterque actus positus in consequente habeat idem obiectum formale, sicut habent actus positi in antecedente: sed ad illud necessarium est vt sperem beatitudinem proximi, quatenus est bonum meum, siue meam beatitudinem promouens. Nam quando eam spero quatenus est præcisè bona ipsi proximo, tunc pro obiecto suo formali in quod vltimò fertur, habet bonitatem ipsius proximi, ob quam eum æstimo amore dignum, & ex beneuolentia amo; & consequenter ille actus habet obiectum formale distinctum ab eo quod habet spes, qua mihi beatitudinem spero. vt patet ex dictis dubio 1. num. 10. & 11.

Ad tertium, nego minorem: talis enim actus 67
est actus caritatis, non quidem virtutis theologicæ, sed moralis: dari enim verum amorem amicitiæ erga proximum qui sit solùm virtus moralis, ostendam disp. 24. dub. 1.

Ad quartum, nego antecedens, & probationem consequentiæ: nam ex eo, quòd mihi aut proximo beatitudinem sperem, variatur obiectum formale spei, vt ostendi suprà num. 10. & 11. & consequenter vterque actus est diuersæ speciei, & tam ex parte obiecti formalis, quàm in substantia sua distinctus.

Ad quintum, nego minorem. Vbi Nota, ex 68
variis capitibus posse contingere vt desperem de salute proximi. Primò, quia iudico Deum non daturum ei sufficiens auxilium, quo possit à peccatis suis conuerti: & hoc iudicium continet errorem contrarium bonitati & benignitati Dei, quatenus statuit omnibus, dum in hac vita sunt, & ratione vtuntur, dare sufficiens auxilium ad salutem: & reuerentia diuinæ bonitati debita exigit, vt ita de eo sentiamus: quare qui contrarium sentit, contra hanc reuerentiam facit.

Qua ratione peccet desperans salutem proximi.

Secundò, ex eo, quòd omnino certò iudicemus proximum ex sua negligentia aut malitia numquam facturum ea quæ necessaria sunt ad salutem: & quando deest sufficiens ratio hoc ita iudicandi (quæ in hac vita vix potest adesse citra Dei reuelationem) est iudicium temerarium contra caritatem proximi, aut etiam contra iustitiam: sicut esset etiamsi temerè iudicarem eum aliquando graue peccatum fecisse, eumúe perfidum esse, aut quid simile.

Tertiò, potest quis primò ex odio proximi optare eum numquam fieri saluum, & deinde sibi persuadere eum de facto numquam futurum saluum, atque ita eius salutem desperare. Quamuis tunc impropriè dicetur huius salutem desperare, sed potiùs huius damnationem sperare, quia hanc vt sibi bonam apprehender.

Ex quo sequitur Primò, falsum esse id quod 69
supponit Lorca sup. n. 8. scilicet neminem posse desperare de sua salute aut proximi, nisi iudicet Deum ex parte sua non esse paratum dare sibi aut alteri sufficiens auxilium ad acquiren-

Lorca.

Desperatio non semper supponit iudicium de defectu diuini auxilij.

dam

dam salutem. Potest enim fieri, quòd firmiter credam Deum ex parte sua dare omnibus sufficiens auxilium ad salutem, & simul firmiter iudicem aliquem ex sua culpa eo non vsurum ad salutem, atque ita de eius salute desperem, aut vt ex amore voluptatum statuam eo non vti, & ita meam salutem desperem.

70 Desperans alienam salutem potest suam sperare.

Sequitur Secundò, fieri posse vt sperem etiam spe theologica meam salutem, & desperem de salute proximi; vt si temerè firmiter iudicem ipsum sua culpa malè vsurum gratia Dei, qua si vellet ad salutē peruenire posset: eiusmodi enim iudicium, & consequenter desperatio id consequens nullam habet repugnantiam cum spe de salute mea. & consequenter nulla est ratio cur nequeat cum vera spe de salute mea existere.

DVBIVM VI.

Vtrùm liceat nobis sperare vitam æternam ex nostris meritis, atque eam in iis habere fiduciam, ac benè operari spe mercedis?

71 *Bellarm.* Error hæreticorum.

Hæretici nostri temporis, vt refert Bellarmin. lib. 5. de Iustific. cap. 7. id absolutè negant. Primò, quia putant omnia nostra bona opera esse peccata, nosque non posse per ea mereri vitam æternam. Secundò, quia Scriptura vbique reprehendit eos, qui in suis viribus aut virtute confidunt. Iudith 9. vers. 9. reprehenduntur gloriantes in suis viribus, & psal. 48. v. 7. *qui confidunt in virtute sua.* Lucæ 18. reprehenditur pharisæus confidens in suis meritis. 2. Corinth. 1. ait Apostolus, *Vt non simus confidentes in nobis, sed in Deo.* Tertiò, quia Scriptura Iohan. 10. reprehendit mercenarios: atqui qui operatur spe mercedis est mercenarius: ergo reprehendendus. vnde etiam S. Bernardus lib. de Diligendo Deo, *Non enim*, ait, *sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmij intuitu diligendus sit: vacua namque vera caritas esse non potest, nec tamen mercenaria est.*

Iudith. 9. *Psalm. 48.* *Lucæ 18.* *2. Cor. 1.* *Ioan. 10.* *Bernard.*

72 *Trident.*

Conclvsio I. Licitè facimus bona opera spe mercedis æternæ. Est de fide, definita contra hæreticos nostros à Trident. sess. 6. cap. 11. in fine, & can. 31. vbi ait: *Si quis dixerit iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.*

Probatur Primò, quia Scriptura sæpissimè spe mercedis nos excitat ad benè operandum. hinc tam Moyses, vel potiùs Deus per Moysen, in veteri testamento, quàm Christus in nouo, dum legem suam auditoribus proponerent, hos ad illius obseruationem spe mercedis excitarunt. Deuteron. 12. v. 28. *Obserua, & audi omnia quæ ego præcipio tibi, vt bene sit tibi, & filijs tuis post te in sempiternum.* Et cap. 28. initio: *Si autem audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque custodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie; faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus*, &c. Similia habet cap. 30. v. 9. & vers. 15. ait: *Considera quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum* (quæ scilicet possis consequi seruando mandata Dei, vt patet ex præcedentibus;) *& è contrario mortem & malum*, (quæ scilicet incurres negligendo mandata) *vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius.*

Deuter. 12. & 28. & 30.

Similiter Matth. 4. v. 17. dicitur: *Exinde cœpit Iesus prædicare, & dicere, Pœnitentiam agite; appropinquat enim regnum cælorum.* Item Lucæ 16. v. 9. hortatur nos, vt demus eleëmosynas, & ita faciamus nobis amicos, qui cùm defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula. Et Matth. 6. vers. 1. 4. 6. & 17. iubet nos in dando eleëmosynam & orando non quærere gloriam humanā; sed ea ita facere vt habeamus mercedem à Deo. Hinc etiam in Apocalypsi toto cap. 2. & 3. hortans varios Episcopos ac Ecclesias ad bene viuendum, semper in fine cuiusque exhortationis iubet eos attendere ad mereedem, quam promittit bene operantibus. *Qui habet*, inquit, *aurem audiendi, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesijs: vincenti dabo edere de ligno vitæ.* Et cap. vltim. cum vers. 11. dixisset, *Qui iustus est iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc*; subdit: *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua.* ac si dicat: Ideo etiam iustus debet moueri vt iustificetur adhuc, bene scilicet operando, quia citò à me mercedem accipiet. Item Apostolus ad Galatas 6. ait: *Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes.* Et ad Colossens. 3. *Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus, scientes quòd à Domino accipietis retributionem hereditatis.* Vbi nos apertè spe mercedis excitat ad bene operandum. Quæ sine dubio non bene fierent, si non liceret nobis operari spe mercedis.

Matth. 4. *Luc. 16.* *Matth. 6.* *Apoc. 2. & 3.* *Apoc. vlt.* *Galat. 6.* *Colos. 3.*

Probatur Secundò, quia viri in Scriptura laudatissimi operati sunt spe mercedis à Deo accipiendæ: nam Dauid psalm. 118. v. 112. de se ait: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.* Hebræa habent, לְעוֹלָם עֵקֶב, in æternum merces: id est, quia in æternum erit merces. vt patet ex psalm. 18. v. 12. vbi idem de se ait: *Etenim seruus tuus custodit ea* (scilicet mandata tua) *in custodiendis illis retributio multa:* hebraicè, עֵקֶב רַב merces multa, siue quia merces multa promissa est custodientibus mandata tua. Similiter Apostolus ad Hebræos 11. vers. 8. & 9. docet, Abrahamum fide desereuisse suam terram, & habitasse in aliena. & v. 10. huius causam reddens, ait: *Exspectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor est Deus.* scilicet vitam æternam, vt patet ex v. 14. Item v. 24. & 25. docet Moysen negasse se esse filium filiæ Pharaonis, & elegisse cum populo Dei affligi. & causam subdit: *Aspiciebat enim in remunerationem:* ac si apertè dicat, Ideo illa fecit quia exspectabat à Deo mercedem. Similia multa passim habent Patres, quos fusè citat Bellarm. lib. 5. de Iustificatione c. 8.

73 *Psal. 118.* *Psal. 18.* *Hebr. 11.* *Bellarm.*

74

Probatur Tertiò, ratione. Quia licitum ac honestum est à Deo sperare ea, quæ ipse nobis promittit, idque ea ratione, qua hæc nobis promittit: atqui, vt patet ex dictis tam hîc, quàm disput. 8. dubio 2. Deus nobis bene operantibus promittit vitam æternam, tamquam mercedem nostrorum operum: ergo licitè ac honestè

honestè hanc à Deo speramus: & consequenter licitè ac honestè bona opera illa intentione facimus, vt vitam æternam à Deo consequamur. Confirmatur, quia honestum ac optimum est homini suum vltimum finem, siue æternam beatitudinem consequi: ergo honestè illam intendit consequi, & ad hoc media conuenientia eligit: atqui bene operans propter spem vitæ æternæ, illud facit; ergo honestè facit.

75 CONCLVSIO II. Licitè ac honestè spem aliquam ac fiduciam ex bonis operibus, quæ scimus nos fecisse, concipimus. Primò, quia hoc nihil est aliud quàm iudicare nos illa opera rectè fecisse (quod valdè probabiliter, & sæpè quasi moraliter certò scire possumus) & ideo exspectare promissum à Deo præmium. quæ nihil continent illicitum. Secundò, quia viri in Scriptura laudati id fecerunt: hinc Dauid psal. 16. ait: *Exaudi Domine iustitiam meam, intende deprecationem meam.* ac si diceret, Respice in meam iustitiam, & ideo me exaudi. Vnde subdit: *De vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant æquitates; probasti cor meum, & visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.* quibus verbis reddit causam cur speret à Deo exaudiri, & contra inimicos defendi; vnde etiam in fine subdit: *Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo, satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Item psalm. 131. *Memento*, ait, *Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. sicut iurauit Domino*, &c. vbi ex bonorum operum conscientia concipit fiduciam à Deo sperandi promissa. Item Ezechias Isaiæ 38. deprecans Dominum pro prolongatione vitæ ait: *Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te, in veritate & corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim*: vbi sperat exaudiri propter sua benefacta; & quòd ea in re benè fecerit, vel inde patet, quòd fuerit à Deo exauditus. Item Apostolus 2. ad Timoth. 4. *Bonum*, inquit, *certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* vbi apertè ostendit, se ex meritis suis concipere spem accipiendi mercedem.

Psalm. 16. *Psalm 131.* *Isaiæ 38.* *2. Timot. 4.*

76 Consonat his illud Tobiæ 4. *Fiducia magna erit coram summo Deo eleëmosyna omnibus facientibus eam.* Et ad Roman. 5. *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem.* Et 1. ad Timoth. 3. *Qui enim bene administrauerint, gradum bonum sibi acquirent & multam fiduciam in fide.*

Tob. 4. *Rom. 5.* *1. Timoth. 3.*

Qua ratione spes gignatur ex meritis.

Ex quibus patet, qua ratione spes gignatur, & crescat, ex meritis: non quidem ita quasi merita præcedant omnem spem (nam merita nequeunt esse sine caritate, nec hæc sine spe) sed quia spes perfecta, & qua animus fiducialiter sine anxio timore in Deo conquiescit, ex meritis nascitur, vt patet ex testimonijs & exemplis allatis.

77 Qualis debeat esse spes concepta ex meritis: & quæ ei cauenda.

Nota tamen, vt eiusmodi fiducia licita ac tuta sit, debere esse coniunctam cum magna humilitate, & abesse ab omni superbia ac præsumptione. Ideoque hîc tria præcipuè cauenda sunt. Primò, ne confidamus in nostris meritis, quasi ea ex nobis, ac sine gratia Dei habeamus, quod Pelagianum est: & sic Iudith 9. & psalm. 48. vers. 7. & 2. ad Corinth. 1. reprehenduntur ij quiin suâ virtute ita confidunt, quasi sine Dei auxilio aliquid possent. Quò etiam ex parte spectat, ne putemus nostra opera, quantumuis ex gratia Dei facta, habere ex se, & seclusa omni Dei promissione vim hunc nobis obligandi, ac debitorem reddendi, ita vt ipse debeat nobis ob illa habere gratias, quasi aliquid à nobis accepisset. vnde Lucæ 17. Christus nos admonens ait: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.*

Iudith 9. *Psalm. 48.* *2. Cor. 1.* *Lucæ 17.*

Secundò, ne nos propter nostra merita præferamus alijs, eósue contemnamus, vt faciebat Pharisæus Lucæ 18. Ideóque tum ob hunc, tum etiam ob priorem defectum eius fiduciam reprehenditur. Tertiò, ne omnino certò & indubitanter præsumamus nos esse iustos, ac bona habere merita, cùm sine speciali reuelatione nemo possit omninò certò scire, an odio an amore dignus sit, vt dicitur Ecclesiastæ 9. v. 1. & docet Trident. sess. 6. c. 9. Vnde Dauid psalm. 2. bene nos monet, dicens, *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Et Apostolus ad Philippenses 2. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.*

Lucæ 18. *Eccles. 9.* *Trident.* *Psalm 2.* *Philipp. 2.*

Ad primum argumentum positum num. 71. 78 Respondeo hoc fundamentum esse apertè falsum, & rationi ac Scripturæ repugnans, vt ostendi disp. 8. dub. 2.

Ad secundum respondi n. 77. vbi ostendi tales reprehendi, quia eorum fiducia laborabat aliquo defectu, ex ibidem recensitis.

Ad tertium, Respondeo tam à Scriptura quàm à Patribus, illos solos dici mercenarios, & reprehendi, qui ita mercedem in operando respiciunt, vt ea nō posita nollent vllo modo operari, siue qui magis diligunt mercedē, quàm ipsum Deum; adeò vt sint parati potiùs deserere Deum, quàm proprium commodum. Ideoque lupis venientibus, siue exurgente persecutione, ne aliquid mali patianrur, sibi commissa deserunt: vnde tam Scripturæ, quàm Patres solos illos reprehendunt, qui respiciunt mercedem temporalem, quia huius solius dilectio potest nos à Deo, eiusque mandatis implendis auertere. Illi verò qui propter mercedem æternam Deo ita seruiunt, vt tamen sint simul parati ex puro ipsius amore ei seruire, nullibi in Scriptura reprehenduntur, sed laudantur, vt suprà ostendi.

Qui dicendi sint mercenarij.

Et sic etiam intellige Tridentin. quod sess. 6. 79 cap. 11. in fine probat eos, qui dum se excitant ad Deo seruiendum, *cum hoc, vt in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam.* Vbi non vult nos semper dum operamur spe mercedis æternæ, necessariò debere explicitè & præcipuè intendere Dei gloriam (nā sic semper teneremur operari ex virtute caritatis) sed nos debere ita nostrum opus spe mercedis facere, vt simul cedat in honorem Dei, atque ita hunc indirectè intendere, & saltem habitualiter esse ita comparatos, vt vbi opus esset, pro solo Dei honore vellemus bene operari.

Tridens.

Ad locum sancti Bernardi respondeo, eum solùm velle illum qui operatur propter mercedem non operari ex charitate, quæ in Deum fertur, sine vllo respectu ad mercedem: atque adeò operantem spe mercedis minùs perfectè operari, quàm si operaretur ex pura caritate Dei, ad quod nos ibi hortatur. Sentit igitur esse quidem minùs perfectum operari propter mercedem, non tamen esse illicitum.

80 An licitè à Deo speremus mercedem temporalem.

Posset hîc aliud dubium moueri, an licitum sit à Deo sperare aliquam mercedem temporalem, eique propter hanc seruire? Qua in re certum est Primò, id licere, quando illud bonum temporale non petitur propter se, sed tamquam vtile ad meliùs operandum suam vel alienam salutem, & in ordine ad hunc finem: quia tunc maximè & vltimè attenditur ac speratur salus æterna nostra, vel aliena. Secundò, esse illicitum ita seruire Deo ob mercedem aliquam temporalem, vt nisi hac proposita nollemus ei seruire, aut ita vt negligamus mercedē æternam, siue ita vt præter illam, nullam à Deo vmquam speremus, siue ita vt omnes nostras actiones ad eam præcisè acquirendam dirigamus: quia tunc in eiusmodi re constituimus vltimum finem nostræ vitæ: quod patet esse graue peccatum contra virtutem spei.

81 Tota igitur difficultas est vtrùm possimus licitè aliquas actiones alioqui bonas facere, aliqua Dei præcepta seruando, aut aliquot Sacra audiendo, &c. præcisè in illum finem vt aliquid temporale nullo modo malum à Deo obtineamus: ita quidem vt dictos actus ad nullum alium finem referamus: interim tamen habitualiter simus parati etiam sine tali spe Deo seruire, quantum & qua ratione ad id obligamur, quamuis illos actus ad quos iam non obligamur sine spe illius mercedis non faceremus. Videtur enim id esse illicitum. Primò, quia mercenarium & seruile est Deo seruire ob rem merè temporalem. Secundò, quia sic rem meliorem, v. c. orationem aut alium actum virtutis, ordinamus tamquam medium ad obtinendam rem viliorem: quod videtur esse contra rectam rationem, quæ dictat contrarium faciendum esse, scilicet rem viliorem ordinandam esse ad meliorem.

82 Sed dicendum est, id quidem esse minùs perfectum, per se tamen loquendo, & nisi aliūde vitietur non esse illicitum. Probatur Primò, quia per se loquendo, & seclusis alijs malis circumstantijs licitè à Deo spero per obseruationem mandatorum ipsius, obtinere ea quæ ipse illa obseruantibus promittit: atqui, vt patet ex dictis nu.72. obseruantibus mandata promittit non solùm spiritualia, sed etiam temporalia bona: ergo sine peccato potest quis hæc ita à Deo sperare, siue mandata ipsius obseruare, aliosue actus bonos facere, vt hæc à Deo obtineat.

Dices, Deus illa bona Iudæis promisit, non vt in ijs sisterent suam intentionem, sed vt ijs vterentur in bonum suum spirituale. Sed hoc non obest, quia, etsi Deus hoc intenderit, tamen absolutè ijs ea bona promisit, nec eos obligauit vt in singulis suis actionibus, quibus ea à Deo sperabant, admiscerent eiusmodi intentionem. Confirmatur, quia & sæpè promisit, & de facto contulit bona temporalia facientibus actiones bonas præcisè vt eiusmodi bona ab ipso obtinerent, etiam sine spe æternæ vitæ. Quod patet Primò, quia Exodi 1. dicuntur obstetrices à Pharaone iussæ occidere filios Hebræorum timuisse Dominum, & id noluisse facere, ideoque Deum ijs bene fecisse, ac illis ædificasse domos, id est, dedisse ijs posteritatem. Cùm autem illæ essent Gentiles, & summum aliquo modo vnum Deum cognouerint, non videntur à Deo speraſſe aliam mercedem quàm temporalem. Item 3.Reg.21. cùm Achas terrefactus metu pœnarum, quas Elias ei ob occisum Naboth denunciarat, tristis incederet, & sacco & cinere coopertus ieiunaret; Deus ideo distulit ei inferre malum, quod minatus fuerat: cùm tamen ille maneret in sua idololatria, nec speraret alteram vitam. Similiter Daniel cap.4. suadet Nabuchodonosori vt peccata sua, id est pœnas ipsi pro peccatis denunciatas, redimeret eleëmosynis; quod videtur etiam fecisse, & ideo dilationem pœnæ per annum obtinuisse, donec iterum in superbiam relaberetur: cùm tamen saltem pro eo tempore ipse non videatur vmquam ab idololatria recessisse, aut vitam æternam speraſſe. Idem videtur dicēdum de Niniuitis Ionæ 3. Cùm igitur dicti seruierint in aliquibus actionibus Deo præcisè propter spem mercedis temporalis, & hanc per eiusmodi actiones à Deo obtinuerint, omnino dicendum est eas actiones non fuisse vllo modo illicitas; nam aliàs ijs Deum non prouocassent ad conferendam speratam mercedem, sed ad inferendam pœnam. Exodi 1. 3.Reg.21. Daniel 4. Ion.3.

83 Probatur Secundò, quia possum optare eiusmodi aliqua bona ob finem honestum, tamen sine ordine ad vitam æternam, siue de hac nihil omnino cogitando (quid enim hoc implicat?) & consequenter hanc tunc nullo modo actu sperando, aut intendendo: quo casu illud meum desiderium erit licitum: nulla enim est ratio cur sit illicitum, cùm tendat in obiectum non malum ob finem honestum. vnde sequitur, quòd potero ea bona ob eum finem à Deo petere (nulla enim est ratio cur licitè nequeam à Deo petere ea quæ licitè mihi opto) & consequenter potero aliquod opus bonum exercere, quo Deum moueam vt ea mihi det.

Ad primum argumentum positum num.81. 84 respondeo hoc solùm probare esse illicitum Deo ita seruire propter mercedem temporalem, vt hanc tibi proponas tamquam simpliciter finem tuum vltimum, siue vt vltimum finem totius tuæ vitæ & omnium actionum tuarum in ea constituas. Secùs verò esse quando eam tibi solùm proponis tamquam finem vnius aut alterius actionis; interim actu vel habitu sperans vitam æternam, & paratus sine vlla mercede Dei mandata seruare: quo casu etsi illud sit minùs perfectum, tamen non indicat animum merè seruilem ac mercenarium.

Ad secundum, respondeo tunc solùm esse inordinatum assumere rem digniorem tamquam

Quando sit inordinatè assumere medium melius suo fine, ob quem eligitur.

quam medium ad acquirendam viliorem, quãdo illud fit cum omnimodo interitu rei melioris, quæ aliàs posset conseruari, vt si vitam tuam perimas ad obtinenda bona temporalia. Secùs tamen esse quando res melior quæ seruari poterat non interimitur pro acquisitione rei vilioris: nam aliàs contra rectam rationem facerent, qui pro mercede docerent alios aliquam scientiam, quia vtuntur sua scientia ac potentijs animæ ad comparandam mercedem temporalem, qua illę sunt longè præstantiores. Et huic simile est quando iuxta dicta seruimus Deo pro mercede temporali.

85 Nec refert quòd tunc actu, quo possemus maius bonum acquirere, scilicet augmentum glorię, vt amur ad acquirendum minus bonum: quia etsi hoc minùs prudenter, minusque perfectè fiat; non est tamen contra rationem aut vllam obligationem. quia non tenemur nostris actibus semper vti modo perfectissimo, aut ob finem vltimum: alioqui peccaremus quoties non operaremur ex motiuo caritatis, & quàm possumus intensissimè; quia quoties inter operandum hoc non facimus, vtimur nostris potẽtijs ac actibus minùs perfectè, quàm possemus ijs vti si vellemus.

DVBIVM VII.

Qua ratione spes sit certa?

86 NOta Primò, inter omnes satis constare spem nostram aliqua ratione dici certam: sed est aliqua difficultas qua ratione debeat dici certa.

Actus voluntatis metaphoricè dicuntur certi.

Nota Secundò, certitudinem propriè conuenire actibus intellectus, & per metaphoram tribui actibus voluntatis, præsertim ijs, quibus finem acquirendum intendimus, quatenus his aliquo modo conueniunt conditiones ad certitudinem actus intellectus requisitæ.

Nota Tertiò, ex dictis disp.14.nu.44. & sequentibus vt aliquis assensus sit certus, quatuor requiri. Primò, vt eius obiectum sit verum; Secundò, vt modo infallibili in illud tendat; Tertiò, vt intelligens cognoscat se modo infallibili in illud tendere; Quartò, vt firmiter obiecto adhæreat.

87 Quæ requirantur vt actus voluntatis sit certus.

Quibus in actu voluntatis, quo hæc finem acquirendum intendit, quatuor conditiones possunt respondere. Primò, si eius obiectum verè habeat eam bonitatem, ob quam intenditur, & quidem possibilem ab intendente acquiri: nam aliàs eius intentio, siue spes esset inanis & falsa. Secundò, si voluntas modo infallibili prosequatur finem, assumendo ad hunc obtinendum media ex se omnino efficacia, ijsque modo infallibili de facto vtendo. Nam si quis tendat ad rem speratam per media minùs efficacia, aut efficacibus malè vtatur, spes eius non potest esse omnino certa. Tertiò, si voluntas tendat in finem intentum tamquam omnino certò & infallibiliter euenturum: ad quod requiritur quòd sperans certò sibi persuadeat se finem per ea media de facto infallibiliter adepturum. Quartò, si voluntas firmiter omnino ac constanter statuat finem prosequi, ita vt sit parata potiùs quiduis agere aut pati, quàm ab ea intentione dimoueri.

Quæritur hîc igitur Primò, vtrùm, vt spes 88
nostra dicatur certa, debeat habere omnes dictas conditiones in eo gradu in quo descriptæ sunt. Secundò, vtrùm spes nostra, qua speramus beatitudinem, eas de facto habeat?

Quidam nostri temporis hæretici, vt colligitur ex Trident. sess.6.c.12. putant vnumquemque fidelem debere omnino certa ac infallibili fide sibi persuadere se esse ex numero prædestinatorum. Primò, quia putant quemque debere fide infallibili credere sibi peccata esse remissa, seque esse Dei filium propter merita Christi: aiuntque eos tali fide iustificari, quotquot adulti de facto iustificantur. Secundò, quia Apost. ad Rom.8. loquens in persona fidelium dicit se certum esse quòd nulla res nos poterit separare à caritate Dei. *Trident.* *Roman. 8.*

Sed hic error apertè repugnat multis locis 89
Scripturæ; quæ Ecclesiastæ 11. docet, neminem hîc scire, an odio an amore dignus sit. & ad Philipp.2.v.12. iubet nos cum metu & tremore operari nostram salutem: quod frustra fieret, si fide infallibili deberemus credere nos sine dubio futuros saluos; tunc enim ea de re non possemus dubitare. *Eccles.11.* *Philipp.2.*

Primum verò ipsius fundamentum satis refutaui disp.14.dub.13.vbi ostẽdi illud repugnare Scripturis, & implicantiam inuoluere, vbi etiam num.263. respondi ad locum Apostoli ad Rom.

Contrà Lorca 2.2 sect.2.disp.11.num.7 putat 90
tertiam conditionem repugnare spei, nosque non posse verè sperare rem, quam omnino certò scimus nos adepturos. Ducitur auctoritate D. Thomæ, quem putat esse huius sententiæ; quia 1.2.qu.67.a.4.ad 3. docet, nos non sperare bonum cuius iam habemus causam ineuitabilem præsentem, eò quòd hoc tunc respectu nostri non habeat rationem ardui. Sed hoc nihil facit ad rem: nam D.Thom. ibi solùm docet, spẽ non versari circa rem cuius necessaria causa iam nobis ita est præsens, vt illa ex hac sine nostro labore necessariò sit secutura; qualis est futura beatitudo corporis in Beatis, quam ideo non vult in his habere rationem ardui, aut esse obiectum spei, quia ipsi eam sine vllo suo labore necessariò sunt assecuturi. *Lorca.* *D.Thom.*

Aliàs verò eum sentire nos posse sperare ea 91
quæ scimus omnino certò futura, modò cum labore ac difficultate sint acquirenda; patet, quia in 3.parte q.7.a.4. docet, Christum speras se futuram beatitudinem sui corporis, quam tamen omnino certò & euidenter sciebat futuram. Nec vlla est ratio cur dicamus nos non posse talia sperare, cùm sint obiectum nobis bonum ac arduum, quatenus cum difficultate acquirenda sunt. Item sunt obiectum futurum siue absens, quia quantumuis certò ac necessariò sint futura, tamen non sunt actu præsentia, sed futura. Ac tandem sunt possibilia acquiri; atque adeò habent omnes conditiones in obiecto spei requisitas, vt ex communi sententia ostendi num.24. Quare hanc sententiam tenet

Suarez. Vasquez. Malder. Lorca.

Suarez 3.p.tom.1.in explicatione a.7.q.15. Vasquez in 1.p.disp.43.cap.1.& Malder. 2.2.qu.18. a.4.memb.3. Confirmatur, quia, vt fatetur Lorca suprà, quamuis nonnihil dubius, & alij communiter, in animabus existentibus in Purgatorio est vera spes beatitudinis, quam tamen sciunt se certò adepturas.

92 Nec satisfacit quod respondet Lorca hanc earum cognitionem esse obscuram, atque ita æquiualere cognitioni contingenti. Tum quia fides est cognitio obscura, nulla tamen ratione potest dici cognitio incerta, cùm omnem naturalem scientiam superet certitudine, vt ostendi disp.14.dub.4. Tum etiam quia animæ existentes in Purgatorio cognitione euidenti à posteriore ex sententia sibi in particulari iudicio data, alijsq; varijs & certissimis signis cognoscunt se certò beatitudinem adepturas, sicut disp.17.n. 26. ostendi dæmones habere euidentem cognitionem veritatis nostræ fidei.

93 Conclvsio I. Illa sola spes est omni ex parte perfectè certa, quæ dictas quatuor conditiones habet, quia si quæ conditio desit, hac ex parte spes aliquo modo sit minùs certa. Talis autem fuit spes Christi respectu futuræ beatitudinis corporis sui, dum hîc mortalis vixit. talis etiam est spes existentium in Purgatorio; hi enim ita prosequuntur suam beatitudinem, vt ab ea iam aberrare nequeant, idque ipsis clarè constat, vt iam ostendi. Item talis videtur fuisse spes Beatissimæ Virginis, & eorum omnium qui confirmati in gratia singularem de prædestinatione sua habuerunt reuelationem. Hi enim omnes clarè sciuerunt se via omnino infallibili ad certam beatitudinẽ tendere: nam etsi secundùm se considerati poterant ab hac aberrare, non tamen prout fuberant illi reuelationi.

Christus habuit beatitudinem sui corporis spe omni ex parte certissima.

94 Conclvsio II. Vt nostra spes sit verè Christiana ac virtus theologica, necessariò debet habere primam conditionem, & vltimam. Nam obiectum huius spei est verissima beatitudo, & nobis per auxilium Dei certissimè possibilis, vt ex multis Scripturæ locis constat, nec hac de re vllus Catholicus dubitat. Item vt habeamus veram spem Christianam, necesse est vt ita intendamus siue speremus beatitudinem, vt pro ea consequenda, quantum est ex vi huius spei, simus parati quiduis ad eam consequendam necessarium agere aut pati; qui affectus necessariò includitur in voluntate obsequuandi omnia mãdata Dei sub mortali obligantia. Qui autem speraret sine eiusmodi voluntate, aut sine obseruatione mandatorum fieri beatus, non tam speraret, quàm præsumeret.

Qua ex parte spes nostra sit omnino certa.

95 Item necessariò debet habere primam partem secundæ conditionis: debemus enim sperare beatitudinem non spe Pelagiana aut Lutherana, sed spe Christiana & Catholica, scilicet consequendam per bona opera auxilio Dei, siue per gratiam Christi facta. Ex parte harum conditionũ spes nostra est omnino certa, ideoque Apostolus 2.ad Timoth.1.dicit, *Scio enim cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illam diem.* & ad Roman.5.v.5.dicitur, *Spes autem non confundit.* & ad Hebr.6.v. 19. spes dicitur anchora animæ, tuta & firma, incedens vsque ad interiora velaminis, id est ad claram Dei visionem; quia scilicet per eam anima nostra tutissimè & firmissimè adhæret desiderio videndi Deum, ita vt nullis tentationum fluctibus se patiatur à tanto bono prosequendo dimoueri, vel saltem ita vt habeat firmum propositum illi ita adhærendi.

2.Tim.1. *Roman.5.* *Hebr.6.*

96 Secundam verò partem secundæ conditionis multi quidem viri sancti habent, qui omnia peccata mortalia penitus vitant, atque ita sine errore ad cælum contendunt. Hoc tamen non est omnino necessarium vt quis habeat veram spem. Nam multi Catholici incidunt in grauia peccata, & in ijs quandoq; etiam vitam finiunt; qui tamen vsque ad extremum retinent veram spem, saltem habitualem: & sæpè eliciunt actualem, quia sperant per gratiam Dei, quæijs non deest, à peccatis conuerti, & ita beatitudinem obtinere per media ad hoc ordinata, & quidem cum vero sæpè ac serio proposito amplectendi ea media, sed cuius effectus propter mutabilitatem voluntatis, exurgentes tentationes, ac sæcularia desideria impeditur: atque ita medijs ad finem intentum necessarijs malè vtuntur, eaque ex parte omnino negligunt.

Qua ratione nostra spes sit ex parte incerta.

Et tum ob hãc causam, tum etiam quia status animæ nostræ nobis sæpè est obscurus, adeò vt nequeamus certò scire nos esse in statu gratiæ, & multò minùs possumus scire nos in gratia vsq; ad finem perseueraturos, aut in ea decessuros. Ob has inquam causas nemo sine speciali Dei reuelatione in hac vita potest perfectè habere tertiam conditionem ad certitudinem spei suprà requisitam. & hac ex parte spes nostra seclusa illa Dei reuelatione necessariò est semper aliquo modo incerta. Ideoque etiam Trident. sess.6.cap.13.docet, neminem (scilicet sine eiusmodi reuelatione) debere sibi absoluta certitudine perseuerantiam polliceri, etsi quisque firmissimam spem debeat in diuino auxilio collocare. *Trident.*

97 Est tamen hæc incertitudo in alijs atque alijs maior aut minor, pro diuerso eorum statu & diligentia, quam in consequenda salute adhibent. Quo enim quis sequitur eum vitæ statum, in quo habet plures peccandi occasiones, eo eius spes hac in parte cæteris paribus est incertior. Idemque dicendum de ijs, qui plura peccata committunt, & pauciora bona opera faciunt.

Quorundam spes certior quàm aliorum.

Contrà verò quo quis sequitur statum vitæ magis securum, siue in quo habet pauciores occasiones peccandi, & plures bene operandi, (qualis est status Religiosorum;) item quo quis diligentiùs vitat peccata, & plura ac meliora bona opera facit; eo spem suam hac ex parte magis firmam ac certam facit: hæc enim magnam & solidam in anima fiduciam gignunt, vt patet ex dictis suprà dubio 5.conclus.2. Ideoque Apostolus Petrus in epistola 2.cap.1.v.10. nos iubet satagere, vt per bona opera certam nostram vocationem & electionem faciamus. Quò etiam pertinet illud sancti Iohan.epist.1. cap.4. *Perfecta caritas foras mittit timorem.* Quia qui perfect Deum amant, ac omnia peccata

2.Petr.1. *1.Iohan.4.*

quanta possunt diligentia fugiunt, multaque bona opera faciunt; ex his alijsque argumentis magna probabilitate & quadam morali certitudine colligunt, se esse in statu gratiæ, seque in ea valdè probabiliter perseueraturos; vnde etsi non omnem formidinem damnationis abijciant (quia sciunt se non esse omnino certos de suo statu aut perseuerantia;) tamen ideo anxiè non torquentur, & magis satagunt quomodo magis & magis placeant Deo, quàm quomodo damnationem effugiant.

DVBIVM VIII.

Vtrùm spes sit prior fide aut caritate, tam tempore, quàm perfectione?

98 D. Thom. D. Thomas 2.2.qu.17.a.7. docet, fidem necessariò præcedere spem: & art.8. docet, spem esse ordine generationis priorem caritate, perfectione tamen posteriorem. Quæ etiam communiter à Theologis acceptantur, nisi Magister. quòd Magister videatur dissentire in secundo dicto: vt infrà ostendam. Sunt tamen aliqua dubia hîc breuiter soluenda.

Primum est, vtrùm actus spei ex natura sua ita necessariò prærequirat actum fidei, aut saltem aliquam cognitionem in substantia supernaturalem, vt nulla ratione possit aliter elici. Quidam enim id affirmant, quia obiectum spei est beatitudo vt cognita modo supernaturali: ergo eiusmodi cognitio ex natura rei necessariò præcedit actum spei. Antecedens probatur Primò, quia aliàs obiectum spei supernaturalis non differret ab obiecto spei naturalis; nam beatitudinem cognitam fide humana possumus actu naturali sperare etiam à Deo, si eam apprehendamus vt possibilem. Secundò, quia spes nostra supernaturalis debet omnino esse firma ac certa, ita vt nullo modo dubitemus quin Deus ex parte sua non deerit, tum in dando nobis sufficientem gratiam vt possimus in bonis operibus perseuerare, si velimus ei ex nostra parte prout possumus cooperari, tum etiam in bene viuentibus conferendo vitam æternam: atqui fieri nequit vt spes habeat hanc firmitatem, nisi eam præcedat fides supernaturalis: ergo hoc est omnino necessarium.

99 Secundò, dubitatur, vtrùm spes possit tempore præcedere caritatem. Videtur id fieri non posse. Primò, quia spes nequit esse sine meritis, quia sperare beatitudinem sine meritis est præsumptio: merita autem nequeunt esse sine cari- Augustt. tate. Secundò, quia D. Augustinus in Enchiridio docet, spem non posse esse sine amore. nec sufficit dicere eum loqui de amore imperfecto siue concupiscentiæ: quia immediatè antè dixit, fidem non prodesse sine amore; quod videtur intelligendum de amore caritatis, sine Magister. quo fides non prodest. Hinc Magister in 3. dist. 26. initio ait caritatem natura præire spem.

100 Tertiò, potest dubitari, vtrùm spes perfectior sit fide: videtur enim hæc esse perfectior, Primò, quia actus intellectus sunt perfectiores actibus voluntatis. Secundò, quia videtur esse perfectius, magisque ad Dei gloriam pertinere, si eitamquam primæ veritati firmissimè adhæreamus, quod fit per fidem; quàm si eam tamquam nostrum bonum nobis optemus, quod fit per spem. Tertiò, quia fides duplicem habitum & actum continet, scilicet intellectus & voluntatis: ergo saltem ratione vtriusque simul sumpti erit perfectior spe.

Quarta difficultas est, vtrùm habitus fidei & spei aliquando infundantur ante caritatem; sed hanc sufficienter explicui disp.6. dubio 4. vbi ostendi partem affirmatiuam esse probabiliorem.

101 Fides ex solo decreto Dei necessariò præcedit spem. Conclvs.1. Etsi, sicut naturaliter cognitio obiecti necessariò præcedit eiusdem amorẽ, ita omnino conueniat cognitionem supernaturalẽ præcedere amorem supernaturalem; ideoque Deus carentibus fide non det sufficientia auxilia ad eliciendum actum spei supernaturalem; tamen inter hæc nulla est ex natura rei necessaria connexio; sed si Deus cum habente firmam fidem naturalem circa nostram beatitudinem sufficienter concurreret, hic posset eam actu supernaturali sperare. Hæc est aperta sententia eorum qui dicunt spem naturalem & supernaturalem posse versari circa idem omnino obiectum formale, quos citaui disp.5.dub.3. Hoc enim semel posito apertè sequitur, voluntatem supernaturali Dei auxilio sufficienter instructam circa obiectum spei naturaliter cognitum, eliciturum actum supernaturalem; quia, vt ibidem ostendi, actus in sua perfectione sequitur perfectionem virtutis agentis: cùm igitur voluntas eo casu habeat virtutem agendi supernaturalem, eliciet actum supernaturalem, siue in sua substantia perfectiorem, quàm solis viribus naturæ posset elicere. quæ omnia clariora fient ex solutionibus obiectorum.

102 Ad argumentum positum num.98. nego antecedens: nam modus cognoscendi beatitudinem nulla ratione spectat ad obiectum formale spei. Ad primam probationem, concedo totum: nullum enim in hoc est absurdum, vt ostendi disp.5.dubio 3. Ad secundam, nego minorem: nam potest quis naturali fide sibi firmiter & sine vlla dubitatione persuadere ea, quæ de beatitudine nobis à Deo promissa sunt, esse verissima (vt patet in hæreticis, inter quos multi sunt parati potiùs mori, quàm hæc negare) & consequenter accedente præsertim diuino auxilio, talis poterit ea firmiter sperare, & quidem actu supernaturali, si ad hoc habeat auxilium sufficiens.

103 Conclvsio II. Actus spei potest tempore præcedere caritatẽ. Est communis Theologorum, & colligitur apertè ex Trident. sess.6.c.6. Trident. vbi spem ponit inter dispositiones præcedentes iustificationem siue infusionem caritatis. & cap.7. docet, fidem & spem non vnire nos perfectè Christo, nisi accedat caritas. Vbi expressè insinuat tam spem quàm fidem præcedere aliquando caritatem. Et quamuis loquatur præcipuè de habitu istarum virtutum, tamen inde colligitur idem necessariò esse dicendum de actibus. Nam adultis numquam infunditur habitus fidei aut spei, nisi harum actus elicuerint.

Con-

104 Confirmatur, quia adulti qui iustificantur susceptione Sacramenti, necessariò priùs quàm Sacramentum suscipiant, eliciunt actum spei, quo sperant reconciliationem cum Deo, & ferè communiter liberationem à pœnis æternis: & cùm hæc sperent in ordine ad consequendam vitam æternam; hanc etiam saltem implicitè sperant, imò communiter explicitè: valdè enim probabile est, aut nullum, aut vix vllum adultum peccatorem bene dispositum accedere ad susceptionem Sacramenti, quin actu explicito intendat iterum adoptari in filium Dei; & consequenter in heredem vitæ æternæ, cùm hæc sint intimè connexa cum euitatione pœnæ æternæ, & reconciliatione cum Deo.

105 Ad primum argumentum positum num. 99. Respondeo spem non respicere necessariò merita præcedentia, sed vel hæc, vel futura: nam sufficit sperantem habere voluntatem ponendi merita, vel saltem susceptionem Sacramenti, quæ his æquialet.

Ad secundum, Respondeo S. Augustinum loqui de amore in genere, prout abstrahit à caritate & spe, quæ etiam est amor Dei, quatenus hic est bonum nostrum. Aut si loquatur de vera caritate, dicendum est spem non posse esse sine caritate, aut tunc simul habita, aut saltem quam sperans intendit consequi: nam omnis legitimè sperans beatitudinem, necessariò aut habet caritatem, aut eam cupit habere.

106 Conclvsio III. Actus spei est absolutè & simpliciter perfectior fide, siue in hac spectes actum intellectus, siue voluntatis, aut etiam vtrumque simul. De actu voluntatis præcedente assensum fidei, probatur, quia hic secundùm se non est virtus theologica, spes verò est simpliciter virtus theologica: secundùm communem autem sententiam virtus theologica est alijs perfectior.

107 De assensu fidei probatur Primò, quia hic secundùm se, & secluso actu voluntatis, non est formaliter liber aut bonus moraliter, sicut actus spei. Secundò, quia assensus fidei continet in se essentialiter quandam imperfectionem, scilicet obscuritatem; est enim in se essentialiter obscurus, siue non clarus ac euidens. Spes autem connotat quidem aliquam imperfectionem in suo subiecto, scilicet carentiam rei speratæ; tamen non dicit vllam imperfectionem sibi intrinsecam, sed modo perfectissimo versatur circa obiectum absens.

Fides dicit imperfectionem sibi magis intrinsecam quàm spes.

Dices, Fides etiam versatur modo perfectissimo circa obiectum obscurè propositum: ergo eadem est vtriusque ratio. Respondeo negando consequentiam: quia obiectum obscurè proponi est imperfectio ipsius actus, quo cognoscitur, quia obiectum per hunc intellectui proponitur, siue præsens sistitur. Obiectum autem amatum esse absens non est imperfectio amoris (quia non debet per hunc, sed per intellectionem nobis sisti præsens) sed solùm est imperfectio amantis.

108 Tertiò, quia spes nos propiùs & perfectiùs coniungit Deo, quàm fides: nam fides Deum solùm obscurè, & quasi eminus nobis apprehendendum ostendit: spes verò eum prosequitur, atque ita per hãc ad Deum propiùs accedimus. Item sicut per fidem adhæremus Deo vt primæ veritati, ita per spem ei adhæremus vt summè fideli in promittendo.

Spes nos magis coniũgit Deo, quàm fides.

Quartò, quia spes efficaciùs & magis extensiuè facit nos adhærere Deo, quàm fides; quia illa respicit omnia media ad salutem necessaria, & inclinat voluntatem vt ea efficaciter prosequatur, atque ita varijs modis, & quasi vniuersaliter nos vnit Deo, etiam per ipsam fidem, quia etiam ad hanc conseruandam nos inclinat: fides autem vnico modo nos Deo coniungit. Ex quo etiam sequitur, spem efficaciùs & generaliùs procurare ea quæ spectant ad Dei honorem, quàm fidem; nam illa inclinat voluntatem vt omnia peccata, præsertim mortalia, viter, & bona opera exerceat.

Quintò, quia spes per se est firma adhæsio ad Deum, & constans eiusdem possidendi prosecutio: assensus autem fidei suam firmitatem habet ab actu voluntatis. 109

Quòd etiam sit perfectior vtroque actu simul, patet Primò, ex secunda, tertia & quarta ratione, quæ hoc satis probant. Secundò, quia duo actus simul non faciunt quid intensiuè perfectius, quàm sit singulorum perfectio secundùm se; sed solùm quid extensiuè perfectius.

Conclvsio IV. Habitus spei est absolutè perfectior habitu fidei, tam eo qui est in intellectu, quàm eo qui est in voluntate. Patet Primò, ex rationibus iam illatis: nam si actus sit perfectior, etiam habitus erit perfectior: nam perfectior habitus potest producere actus perfectiores. Secundò, quia habitus spei nullam omnino connotat imperfectionem, nec in suo actu, nec etiam in subiecto: vnde etiam manet in patria, & elicit ibi actus gaudij circa Deum visum, vt ostendam dubio 9. Secus est de habitu fidei, qui solùm respicit actus fidei, ideoque, sicut hi, imperfectionem connotat, nec manet in patria, vt ostendi disp. 17. dub. 4. 110

Ad primum argumentum positum nu. 100. Respõdeo, vt assumptum sit verum, intelligendum esse, non de quouis actu intellectus, respectu cuiusuis actus voluntatis (quia sic fides esset perfectior caritate) sed de actu perfectissimo intellectus (qualis est visio beatifica inter actus supernaturales, aut clara naturalis scientia, respectu actuum naturalium) quem non est improbabile esse physicè perfectiorem quouis actu voluntatis eiusdem secum ordinis: talis autem non est fides. Adde, actum voluntatis semper esse saltem moraliter meliorem actu intellectus. 111

Non quiuis actus intellectus est perfectior quouis actu voluntatis.

Ad secundum, nego assumptum, loquendo de desiderio efficaci, vt patet ex quarto nostro argumento suprà allato.

Ad tertium, nego consequentiam, vt patet ex dictis in fine conclusionis tertiæ.

DV-

DVBIVM IX.

Qua ratione obligemur ad eliciendum actum spei?

112 SAtis inter omnes constat, nos aliquando obligari ad eliciendum actum spei, quia Scriptura hoc multis locis apertè innuit: nam 1.Tim.6. Apostolus 1.ad Timoth.6.ait: *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo.* Hinc 1.Paralip. 1.Paral.10. 10. in fine, inter cetera peccata ob quæ Saul fuit à Deo reprobatus, numeratur illud quòd non sperauerit in Domino. & Sapientiæ 2.v.22. Sap.2. inter cetera obijcitur impijs quòd non sperauerint mercedem iustitiæ.

113 Necessitas spei ad bene viuendum. Ratio horum est, quia spes est medium omnino necessarium ad vitam rectè instituendam: nam spectata nostra fragilitate & inclinatione in amorem proprium, moraliter & secundùm humanum agendi modum fieri nequit, vt sine vlla spe mercedis siue boni à Deo adipiscendi seriò & constanter proponamus cum tantis difficultatibus virtutem sequi, & peccata omnia fugere. Et quamuis ex singulari Dei auxilio fieri possit, vt quis sine vllo respectu ad bonum proprium purè ex Dei amore eiusmodi propositum firmiter concipiat; tamen illud extraordinarium est, nec tale auxilium nisi fortè rarissimè datur, præsertim ijs qui in via Dei non Sap.1. sunt valdè perfecti. Hinc Sapientiæ 1.v.27.& 28.dicitur: *Timor Domini expellit peccatum, nam qui sine timore est non poterit iustificari.* Timor autem & spes ab eodem habitu proficiscuntur, vt infrà ostendam. & ille nisi adsit spes euadendi malum impendens, & adipiscendi bonum quod timemus amittere, nullam habet vim nos excitandi ad virtutem.

Tota difficultas est, quibus temporibus obligemur elicere actum spei. Qua de re varij Lorca. variè sentiunt, vt videre est apud Lorcam 2.2. sect.2.disput.18. quorum opinionibus breuitatis causa omissis, paucis rem expediam, quia in re ipsa non est tanta difficultas, aut si quæ sit facilè explicabitur ex ijs quæ infrà disput.24. dub.3.dicam de tempore, quo obligamur elicere actum caritatis.

114 Quando teneamur elicere actum spei. CONCLVSIO. Tenemur elicere actum spei, quando peruenimus ad vsum rationis, non quidem primo omnino instanti, aut etiam exiguo tempore huncproximè sequente (hoc enim sine fundamento assereretur, vt facilè patebit ex dicendis disp.24.dub.3.) sed ita vt illum tunc non valdè diu differamus, postquam habemus sufficientem ad hoc ipsius Dei, eiusque prouidentiæ, ac rei sperandæ cognitionem, sine qua eiusmodi actum nequimus elicere. Maximè autem tales hæc obligatio tunc vrget, quando ijs occurrit seria cogitatio circa finem, quem debent sibi totius vitæ proponere, sua omnia in eum dirigendo. Ratio huius est, quia, vt ostendi num.113. vix fieri potest vt quis concipiat serium ac constans propositum bene viuendi, nisi eiusmodi spem concipiat. Clarum autem est, nos in tali tempore ac circumstantijs teneri concipere propositum bene viuendi, quia aliàs fieri nequit, vt de facto bene viuamus.

115 Ex quo vlteriùs sequitur, nos sæpiùs per vitam teneri actum spei elicere, quoties nimirum tenemur elicere eiusmodi propositum, præsertim si tunc non habeamus actualem caritatem. Patet etiam ex loco suprà citato ex Ecclesiastico, qui docet nos sine timore (& eadem est ratio spei) non posse iustificari, id est in iustitia, ac sine peccato perseuerare, vt patet ex priore ipsius ibidem dicto. Quoties autem hoc præceptum præsertim sub mortali obliget, non potest certa assignari regula, & in diuersis potest sæpiùs aut rariùs obligare, prout magis vel minùs indigent frequentatione eiusmodi propositi, vt à peccatis abstineant.

116 Præterea ad actum spei obligamur, quoties obligamur elicere attritionem aut contritionẽ, quia aut vix aut fortè etiam nullo modo sine singulari omnino & extraordinario Dei concursu fieri potest, vt eos actus eliciamus sine spe reconciliationis cum Deo. Hinc etiam, quia quoties suscipimus Sacramentum Pœnitentiæ debemus habere intentionem reconciliandi nos Deo, debemus etiam necessariò elicere actum spei.

117 Item hæc obligatio vrget quoties tenemur, aut etiam sponte volumus aliquid ad salutem pertinens à Deo petere, quia hoc nequimus debitè facere sine spe id obtinendi. Demum hæc 121 obligatio maximè vrget in fine vitæ, cùm ob tentationes tunc ingruentes, tum etiam quia tunc maximè debemus intentionem eò dirigere, quò nobis migrandum est.

APPENDIX AD DVBIVM IX.

Circa quasdam difficultates hîc disputari solitas.

118 Actus spei est supernaturalis, eiusque habitus infusus. DIsputant alij hîc præterea. Primò, vtrùm actus spei sit supernaturalis in substantia, & eius habitus infusus. Sed hac de re satis dixi disp.4.dub.3.& disp.6.dub.1.vbi ostendi, ad vtrumque esse affirmatiuè respondendum. Item vtrùm actus in sua substantia naturalis versari possit circa idem obiectum formale cum spe in substantia supernaturali. Sed disp.5.dub.3. ostẽdi id fieri posse. Tertiò, vtrùm actus spei sit necessariò honestus: an verò ex circumstantia aut malo fine vitiari possit. Sed huius est facilis solutio ex dictis disp.3.dub.8.& 9. vbi ostendi actum volũtatis ex obiecto formali bonum non posse vitiari ex circumstantijs aut fine extrinseco: nec eundẽ actum voluntatis posse esse modò bonum, modò malum, nisi varietur eius obiectum formale, & species physica. Ex quibus sequitur, actum spei theologicæ necessariò esse bonum, nec posse vitiari.

119 Actus spei necessariò bonus. Dices, Possum desiderare Deo frui ob malum finem, aut ad eius fruitionem peruenire per mala media: ergo spes poterit vitiari. Respondeo, quidquid sit de antecedente, nego consequentiam; quia in vtroque casu mutabitur obiectum formale spei. De priore per se patet, quia tunc malus

malus ille finis erit obiectum formale illius desiderij. De secundo probatur, quia bonitas alicuius finis nequit me mouere vt eam intendam acquirere per media, quæ scio, aut facilè hîc & nunc scire possum ipsius acquisitioni repugnare, vt ostendi dub.9.citato. Quare cùm omne peccatum directè repugnet acquisitioni ipsius Dei, quatenus est nostra beatitudo, fieri nequit, vt verum & sincerum siue purum desiderium possidendi Deum moueat voluntatem ad aliquod peccatum; sed omnis intentio qua moueor ad peccandum, necessariò respicit aliquod aliud bonum, quod inordinatè appetitur, vt locis citatis in alijs similibus fusiùs ostendi.

Honestas intenta nequit me mouere ad mala media eligẽda.

120 Quartò, vtrùm habitus spei crescat per actus spei informis, aut per quosuis actus alterius virtutis meritorios. Quam difficultatem explicui disp.6.dub.4.n.59.60.61.

Quintò, quando adultus carens habitu spei elicit primò actum spei, vtrùm hic primo instãti producatur ab ipso habitu, ad quem vltimo disponit. Sed disp.6.dub.7.ostendi id implicare contradictionem.

Quare his iam omissis pergemus sequentibus dubijs disputare de subiecto spei, in quibus tamen agendum erit de modo quo spes in damnatis corrumpitur; qua ratione autem corrumpatur per desperationem ostendemus disp. sequenti, n.149.

121 Antequam autem circa hanc materiam dubia hîc tractanda proponam, notandum est in 1.2.q.40.a.1.& 2. à multis disputari vtrùm spes sit in potentia irascibili, an verò in concupiscibili; & S.Thom. ibidem a.1. videtur supponere eam esse in irascibili, eò quòd respiciat obiectum arduum, quod spectat ad irascibilem. Sed quamuis hoc possit disputari ac dici de spe, prout passionem quandam significat versantem circa bona sensibilia, aut quatenus etiam significat quendam habitum eiusmodi passionis moderatiuum; tamen loquẽdo de spe theologica, cùm hæc respiciat obiectum per sensum nullo modo perceptibile, certum est non posse esse in parte inferiore animi, sed necessariò subiectari in parte animi superiore: & consequenter in voluntate; cùm sit virtus potentiæ appetitiuæ, non autem intellectiuæ, vt patet ex dictis. Hinc etiam D.Thom.2.2.qu.18.art.1.docet spem necessariò subiectari in voluntate.

D.Thom.

Spes theologica in sola voluntate subiectatur.

D.Thomas.

Hoc igitur supposito solùm hîc restat disputandum, in quibus personis reperiatur spes theologica, tam secundùm habitum, quàm secundùm actum.

Rursum cùm satis constet spem non posse reperiri in Deo, cui nihil potest vlla ratione esse arduum; solùm hîc agemus de creaturis, & simul etiam de Christo, quia cùm sit simul Deus & homo, & fuerit comprehensor & viator, de eo singularis est difficultas. Et quamuis ordo dignitatis postulet vt primò omnium agamus de Christo; tamen ratio claritatis exigit vt primùm agamus de alijs Beatis.

DVBIVM X.

Vtrùm spes maneat in Beatis?

POtest hæc difficultas intelligi tam de actu, quàm de habitu spei; de vtroque enim sunt diuersæ Theologorum sententiæ. 122

Prima absolutè negat spem manere in Beatis, tam secundùm habitum, quàm secundùm actum. Et hanc videntur tenere multi antiqui Theologi, eique videtur fauere D.Thom.2.2.q.18.a.2. sed eam clarè non exprimit, & facilè posset explicari vt solùm loquatur de actu; aut, etsi loquatur de habitu, tamen non neget generatim hunc remanere, sed solùm neget eum ibi habere vllo modo rationem spei. Eam autem fusè defendit Lorca 2.2.sect.2.disp.7.

D.Thomas.

Lorca.

Probatur Primò, ex Apostolo 1.ad Corinth. 13.v.8.vbi tamquam aliquid singulare ait de caritate, quòd numquam excidat, siue quòd permaneat in patria. & v.vltimo: *Nunc autem manent, fides, spes, caritas; tria hæc: maior autem horum est caritas.* vbi videtur apertè insinuare, spem & fidem in patria euacuandas, & ideo his maiorẽ esse caritatẽ, eò quòd, vt suprà dixit, numquam excidat. Vnde etiam Patres ex hoc loco communiter docent, fidem & spem non manere in patria. 123

1.Cor.13.

Nec satisfacit, si dicas eos loqui de solo actu; quia ipsi loquuntur de spe, sicut Theologi iam de ea loquuntur, qui per eam intelligunt tam habitum quàm actum.

Probatur Secundò, quia spes essentialiter requirit versari circa obiectum absens; nam, vt dicitur ad Roman.8. *Spes quæ videtur non est spes; nam quod videt quis, quid sperat?* Cùm igitur Beati iam Deum sibi præsentem possideant, nequeũt eum sperare: ergo nequeunt habere actum spei theologicæ, quæ necessariò versatur circa Deũ. Vnde vlteriùs infertur, eos non habere habitum spei: quia hic maneret otiosus.

Rom.8.

Secundò, quidam apud Vasquez 1.p.disput. 84.c.1.docent, Beatos retinere habitum spei, & elicere etiam aliquos veros actus spei, circa aliqua obiecta eius secundaria. 124

Vasquez.

Probant Primò, quia ipsi sperant beatitudinem sui corporis. Secundò, quia ipsi sperant beatitudinem alijs hominibus: ergo habent verum actum spei theologicæ. Ad prius argumentum aliqui respõdent, hunc actum non versari circa Deũ, & consequenter non esse spem theologicam. Sed hoc non satisfacit; nam etsi hic actus explicitè & immediatè solùm versetur circa beatitudinem corporis, tamen implicitè ac mediatè versatur etiam circa Deum. Nam Beati hanc beatitudinem corporis non desiderant solùm propter suam intrinsecam bonitatem, sed etiam quatenus per eam accidentaliter etiam perficitur beatitudo animæ, & Deus aliquo modo perfectiùs possidetur; tum quia sic integer homo secundùm animam, etiam corpus (quatenus hoc possessionis huius est capax) Deum possidet; tum etiam quia cùm beatitudo corporis omnino conueniat illi animæ statui, hæc modo suo statui minùs conuenienti

Deum

Deum possidet, quamdiu beatitudine corporis caret: atque ita hæc beatitudo corporis etiam suo modo est necessaria, vt anima modo sibi conuenienti, & omni ex parte perfecto Deum possideat. Quare ipsa hanc sub hac ratione sperando etiam sperat perfectionem possessionis Dei, & consequenter elicit actum virtutis theologicæ.

125 Tertiò, quidam docent, Beatos elicere veros actus spei circa beatitudinem sui corporis & salutem aliorum, carere tamen habitu spei. Priorem partem probant, quia Beati dicta sperant tamquam obtinenda à Deo: atqui obiectum formale spei theologicæ in hoc consistit, quòd speremus aliquid à Deo: ergo dicti actus in Beatis sunt veri actus spei theologicæ. Posteriorem partem probant, quia cùm post finem iudicij Beati nullos eiusmodi actus ampliùs habituri sint, habitus spei tunc in eis esset futurus otiosus, quare tunc saltem videtur omnino tollendus: vnde inferunt probabiliùs dici eum statim initio suæ beatitudinis ijs tolli.

126 Pro resolutione Nota, ex dictis suprà dub. 4. obiectum formale spei esse propriè bonitatem ipsius Dei, prout potest clarè à nobis videri, siue ipsam beatitudinẽ tam obiectiuam quàm formalem, quatenus nobis bona est. Item vt circa hanc possim versari vero actu spei, necessariò quidem requiri vt ipsa sit absens, & possibilis ac difficilis acquiri, hæc tamen non ingredi rationem obiecti formalis ipsius spei; sicut nec auxilium Dei ad beatitudinem acquirendam nobis necessarium eam ingreditur, vt ibidem fusiùs ostendi.

127 Ex quo sequitur Primò, me propter idem omnino obiectum formale, scilicet ob bonitatem beatitudinis qua mihi bona est, posse hanc absentem primò inefficaciter desiderare, ac deinde sperare, & de ea postea habita gaudere: cùm enim omnes hi actus sint actus amoris cõcupiscentiæ, omnes circa beatitudinem sub dicta ratione versantur. vt fatetur etiam Lorca suprà disp. 6. & probat esse sententiam D. Thomę.

Desiderium, spes, gaudiũ habent idem obiectum formale.

Lorca.

128 Sequitur Secundò, omnes hos actus, quantũuis inter se specie differant, posse elici ab eodem habitu, vt expresè docet Scotus in 3. dist. 31. q. vn. §. *Sed adhuc restat.* præsertim si loquamur de habitu infuso, qui se habet per modum potentiæ: quare sicut non producitur ab actibus, ita nulla est ratio cur ex eo præcisè, quòd hi varientur, debeat ipse in se variari: aut cur instar potẽtiæ naturalis nequeat elicere actus diuersæ spei, modò omnes habeant idem obiectum formale, à quo solo videtur suam diuersitatem ac distinctionem specificam necessariò accipere.

Scotus.

Habitus infusus manẽs idem habet diuersos actus.

129 Dices, hinc sequi eum, qui ex odio Dei desideraret perpetuò carere ipsius visione, elicieturum actum contrariũ habitui spei, eiusque habitum perditurum: atqui hoc est falsum: ergo & illud. Respondeo negando minorem: clarum enim videtur talem perditurum habitum spei, non minùs quàm per quamuis desperationem: tum quia eiusmodi desiderium per se non minùs repugnat actui spei, quàm desperatio (omnino enim implicat actum spei cum tali desiderio consistere) & consequenter eodem modo repugnat habitui spei, & meretur eius destructionem (quia nostri actus non aliter possunt repugnare habitibus infusis, eosque demeritoriè expellere, quàm quatenus repugnant eorum actibus, vt ostendi disp. 18 dub. 4.) tum etiam quia talis virtute elicit actum desperationis, scilicet nolitionem prosecutionis beatitudinis, qualis nolitio, est propriè desperatio, vt ostendam disp. sequenti. Adde, verius esse fieri non posse vt is qui aliquo modo intelligit quid sit videre Deum, directè optet numquam videre Deum: quod patet in ipsis damnatis, qui grauissimè Deum oderunt, & tamen desiderant eum videre. vide dicenda disp. 20. n. 70. & 71.

Optãs numquam videre Deum perdit habitum spei.

Cognoscens Deum nequit directè nolle eum videre.

130 CONCLVSIO I. Beati in cælo nullum habẽt ampliùs verum actum spei theologicæ. Hæc est D. Thomæ, & Scoti suprà, & ferè communis Theologorum. Et videtur apertè colligi ex Apostolo citato n. 123 vbi apertè insinuat spẽ non manere in patria; vnde etiam cõmuniter Patres hoc asserunt. Et quamuis pientissimùm loquantur de spe, quatenus per eam speramus visionẽ Dei, tamen videntur generatim loqui de omni actu spei theologicę: nec est vlla ratio cur eorum dicta restringamus, vt ex dicendis patebit.

D. Thom. Scotus.

Cur Beati nequeant sperare.

Probatur Secundò, quia ipsi nec possunt sperare Dei visionem, quia hãc iam sibi præsentem habẽt: nec beatitudinem sui corporis, aut quidquam aliud quoquo modo ad perfectionẽ suæ beatitudinis pertinens: quia etsi aliquid horum possit ijs esse absens, cùm tamen hæc omnia sine vllo suo labore sint aliquando certissimò habituri, idque euidenter sciant; eorum acquisitio nequit ijs esse ardua, & consequẽter respectu eorum nequit esse obiectum virtutis spei, quæ necessariò respicit bonum arduum, vt cum D. Thoma ostendi suprà dub. 2. vbi etiam refutaui sententiã quorundam docentium arduum, prout requiritur ad obiectum spei, consistere in hoc præcisè, quòd res sperata acquirenda sit alieno auxilio. Ex quo etiam patet responsio ad argumenta pro secunda & tertia sentẽtia suprà allata, quatenus huic conclusioni repugnat. Adde, desiderium, quo Beati alijs desiderant beatitudinem, esse communiter actum amoris amicitiæ, vt patet ex dictis dub. 1.

131 CONCLVSIO II. Probabilius est in Beatis manere eundem habitum infusum, quo hic actus spei elicimus. Ita expresè Scotus suprà. vbi cùm docuisset eundem habitum posse elicere diuersos specie actus, in fine §. subdit: *Concedo igitur quòd bene posset esse vnus habitus tendens in ipsũ Deum, vt est bonum commodum, & non oportet illum euacuari*, scilicet in patria, vt patet ex adiunctis. Quare quòd §. precedente videtur dicere habitum spei non manere in patria, debet intelligi secundùm quod habet rationem spei, vt infrà dicam: aut posito quòd habitus spei nõ habeat alium actum quàm sperare; de quo ibi nondum disputauerat. Eandem expresè docet Suarez to. 1. in 3 partem q. 7. in explicatione a. 4. & quidam alij recentiores.

Scotus.

Suarez.

Probatur, quia, vt ostendi n. 128. hic habitus non solùm inclinat ad actum spei, sed etiam ad actũ simplicis desiderij boni absentis; & ad gaudendum de bono præsenti, & hos actus potest

elicere non minùs quàm actũ spei. Quare cùm Beati in cælo gaudeant de Deo viso, quatenus est ipsis bonus; & desiderent beatitudinem suorum corporum, vt ea ratione Deum aliquo modo perfectiùs possideant, iuxta dicta n.124. ille habitus in ijs non erit otiosus, etiam post resurrectionem, quia tunc priorem actum semper elicient; imò erit ijs omnino necessarius, vt sint intrinsecè potentes hos actus supernaturales & suo statui conuenientes elicere.

132 Respondent aliqui, illud Beatorũ gaudium de Deo quatenus est eorum bonum, non habere obiectum supernaturale, & consequêter non esse actum supernaturalem. sed hoc nullius est momenti; nam, vt ostendi disp.5.dub.3.actus naturalis & supernaturalis possunt habere idẽ obiectũ formale. Quare nullo modo videtur dubitandum quin Beati illos actus eliciant in substantia supernaturales; eorum enim statui esset omnino inconueniẽs si non possent de sua beatitudine aliter gaudere, quã actu naturali: nam sic imperfectiore actu Beati in cælo amarent suam beatitudinem præsentem, quàm eandem amarint absentem, hîc eam sperando actu in substantia sua supernaturali.

133 Lorca verò suprà n.13. Respondet Primò, dici posse voluntatem Beati per alia dona supernaturalia sufficienter eleuari vt eos actus supernaturales producat. Sed hoc dici nequit, quia alia dona supernaturalia non sunt principia elicitiua eiusmodi actuum. *Lorca.*

Respondet Secundò, eiusmodi actus elici ab habitu caritatis. Pro quo notat omnem actum amoris concupiscentiæ, quatenus respicit personam, cui aliquod bonum concupiscimus, esse amorem amicitiæ: atque ita dum nobis concupiscimus aliquod bonum, hũc actum quatenus respicit nos, esse amorem amicitiæ. Et deinde subdit Primò, quando amamus beatitudinem præcisè quatenus est nobis bona, esse amorem simplicis beneuolentiæ; si autem eam amemus propter Deum, esse actum veræ caritatis in Deũ. Secundò, nos hîc non posse habere continuò actus caritatis in Deũ, ideoq; indigere distincto habitu, quo beatitudinẽ speremus præcisè quatenus est bonum nostrum. Secùs fore in patria, vbi voluntas nostra absorpta in Deum nihil poterit amare nisi propter Deum; atque ita & nostram & aliorum beatitudinem ibi continuò amabimus propter Deum ex affectu caritatis, & consequenter non erit opus habitu amoris concupiscentiæ.

134 Sed nec hæc vllo modo satisfaciunt. Primò, quia falsum est actũ, quo mihi aliquod bonum opto, qua mihi bonum, aut esse, aut inuoluere in se amorẽ amicitiæ, vt ostendi dub.1. Deinde quia, siue hoc sit verũ, siue falsum, omnino impertinenter ad rem nostram adfertur; nam siue ille actus possit dici amicitia erga nos ipsos, siue non, certum est non esse amicitiam erga Deum; nec posse elici ab habitu caritatis, vt Lorca etiã ibidem fatetur: vnde etiam docet, eum hîc elici ab habitu à caritate distincto. Quare illud notabile, siue sit verum, siue falsum, nihil facit ad præsentem difficultatem. *Lorca.*

135 Tertiò, quia, etsi Beati in cælo continuò tam suam, quàm aliorum beatitudinem actu caritatis ament propter Deum tamquã bonum quodam ipsius; ideò tamen non est negandum ipsos amare suam beatitudinem etiam propter se & tamquam suum bonum ac vltimum finem, & de ea iam adepta gaudere. Cùm enim eiusmodi amor & gaudium eum consequens sint honestissima, ac naturæ rationali maximè connaturalia, nec quidquam imperfectionis aut indecẽtiæ cõtineant; nulla potest vel probabilis adferri ratio, cur Beati hos actus ibi nõ eliciãt. Quòd autem gaudium illud sit tale, per se patet, quia est de obiecto omni ex parte honesto: habet enim idem obiectum formale cum spe theologica, quam fide constat esse actum honestum. Item naturam rationalem in vltimo suo fine iam adepto conquiescere, siue de eo gaudere est ipsi maximè connaturale, & vltima ipsius perfectio omni iam imperfectione, quatenus ipsi possibile est, carẽs. vnde vlteriùs sequitur, Beatis naturaliter omnino esse impossibile ab eiusmodi gaudio cessare, non minùs quàm ab actu caritatis in Deum: est enim vtriusque eadem ratio. Beati amant suam beatitudinem. suam quia sibi bonum.

Vbi Nota, bonum quoduis voluntati nostræ clarè propositum, præsertim si in eo, eiusque amore nulla appareat ratio mali, eam naturaliter allicere ac rapere in sui amorem, iuxta illud: *Trahit sua quemque voluptas*; idque eo vehementiùs, quo maius est, magisque apprehenditur. vnde experimur nos sæpè ab aliquo bono creato ita trahi, vt debeamus voluntati vim inferre, vt eam ab eius amore cohibeamus, atque adeò sæpè omni nostro conatu hoc vix possumus cõsequi: imò quandoque nullo modo possumus impedire quin voluntas aliquos imperfectos & indeliberatos amoris affectus circa illud bonũ eliciat. Rursum cùm voluntas nostra habeat finitam vim resistendi tali tractioni, sequitur hãc posse tantum crescere, vt illa ipsi nequeat resistere, sed necessariò in boni propositi amorem feratur. Quod vel inde patet, quia aliàs possemus naturæ viribus cuiuis tentationi quantumuis vehementi sine auxilio gratię resistere. quod patet esse falsum. Cùm igitur Deus clarè visus sit bonum omnino infinitum carens omni omnino malo, infinitè voluntatem ad sui amorem allicit, & consequenter fortiùs quàm vt possit resistere: atque ita hæc omnino necessariò in eius amorem fertur. Quod verum est tam de amore concupiscentiæ, quã amicitiæ: Deus enim vtroq; modo, siue tam quatenus in se bonus & caritate amandus est, quàm quatenus nobis bonus, & amore concupiscentiæ amandus est, est bonum omnino infinitum carens omni malo; & vtroque modo Beatos ad sui amorem infinitè rapit, & consequenter vtroque amore eum necessariò amant quantum possunt. Quare cùm hi actus sint omnino inter se distincti, & habeãt obiecta formalia planè distincta, non possunt ab eodem habitu elici; & aliàs in hac vita non esset opus distinguere habitum caritatis ab habitu spei: vnde sequitur, aut vnum illorum debere elici à sola naturali potentia voluntatis, quod suprà ostendi esse inconueniens, & Lorca etiam negat; aut fatendum est in Beatis ad eos eliciendos dari distinctos habitus. 136 Bonum voluntati positum hîc naturaliter in sui amorem rapit. Cur Beati necessariò amentDeum. *Lorca.*

Dices,

137 Dices, Fieri nequit vt vna potentia simul eliciat duos actus sibi non subordinatos: atqui dicti amores sunt tales: ergo voluntas nequit eos simul elicere. Respondeo, negando antecedens; repugnat enim apertè experientiæ; nam sæpè simul videmus res valdè diuersas, & diuersorum hominum actiones, & de singulis diuersa intelligimus: quæ intellectiones sunt distincti actus, & inter se non subordinati. Item aliàs sequeretur, Beatos continuò intuentes Deum, nullas res extra Deum posse in se videre aut intelligere, quia hoc debet fieri actu distincto à visione Dei: illud autem est apertè falsum.

Potentia potest simul elicere plures actus sibi nõ subordinatos

138 Conclvsio III. Dictus tamen habitus in Beatis non habet ampliùs rationẽ spei, nec propriè potest ibi dici spes aut etiam virtus spei. Patet, quia ille habitus eatenus propriè habet rationem spei, quatenus suum subiectum reddit potens elicere actum spei, & ad hunc inclinat: atqui, vt ostendi concl. 1. Beati in cælo nequeũt habere actum spei theologicæ, & consequenter ille habitus non reddit eos ampliùs ad hoc potentes, nec ipsos ad hoc inclinat: ergo in ijs non habet ampliùs rationem virtutis spei. Et hac ratione tam Apostolus 1. ad Cor. 13. quàm Patres dicunt spem non permanere in patria, quia ibi nihil remanet quod habet verã rationem spei. Et sic etiam potest intelligi D. Thom. 2.2. q. 18. a. 2. dum negat virtutem spei manere in Beatis.

In Beatis nulla ratione est propriè spes.

1. Cor. 13.

D. Thomas.

139 Ex quo patet responsio ad primum argumẽtum positum n. 123. Ad secundum, nego secundam consequentiam, quia habitus ille in Beatis habet alium actum, quem eliciat, scilicet gaudium de beatitudine adepta, qui est longè excellentior spe, & præcipuus actus illius habitus. Item ab eodem elicitur desiderium, quo Beati desiderant beatitudinem corporis sui, vt hac ratione aliquo modo accidentali perfectiùs Deo fruantur, iuxta dictam n. 124. Hoc tamen desiderium non habet rationem spei, quia non versatur circa arduum. Idemque dici potest de desiderio, quo desiderant salutem aliorum, quatenus hæc etiam ad propriam ipsorum accidentalem quandam beatitudinẽ spectat, quæ ex multorum societate augetur. Quamuis enim aliorum beatitudinem præcipuè optent ex caritate in Deum & proximum; hoc tamen non obstat quin simul eandem ex dicto etiam fine desiderent.

DVBIVM XL.

Vtrùm Christus hîc habuerit spem, eamúe habeant animæ in Purgatorio?

140 Medina in 3. p. q. 7. a. 4. negat Christum habuisse virtutem siue habitum spei, aut verum actum spei theologicæ. Idem sentit Lorca 2.2. sect. 2. disp. 7. in fine. Probat hoc Medina Primò, quia vbi deest primarium obiectum alicuius virtutis, ibi nequit illa virtus reperiri: atqui primarium obiectum spei theologicæ est Deus absens: ergo cùm Christus ab initio semper viderit Deum, non potuit habere virtutem spei. Secundò, quia cùm anima Christi ab initio habuerit beatitudinem essentialem, ex qua suo tẽpore naturaliter & necessariò debebat fluere beatitudo corporis, hæc respectu Christi non poterat habere rationem ardui, & consequenter non potuit esse obiectum spei. Tertiò, idem probat Lorca disp. 9. nu. 7. quia obiectum spei debet aliquo modo esse contingens respectu sperantis; vnde quod quis certò omnino nouit futurum, nequit hoc propriè sperare: Christus autem sciebat certò suam beatitudinem futuram: vnde ibidem n. 8. satis inclinat vt neget animas in Purgatorio habere veram spem. Volunt itaque illi actum quo Christus desiderabat gloriam sui corporis, nõ fuisse veram spem, & fuisse elicitum ab habitu caritatis, aut à fruitione beatifica, secundùm Medinam. sed hoc secundum sine vlla probabilitate dicitur; nam fruitio beatifica nequit nobis esse principium elicitiuum talis desiderij, cùm non sit principium vllo modo effectiuum, sed actus à voluntate elicitus.

Medina. Lorca.

Lorca.

Conclvsio I. Christus ante mortem desiderando beatitudinem sui corporis elicuit verũ actũ spei. Ita Suarez in 3. p. to. 1. qu. 7. in explicatione a. 4. & Vasquez ibid. disp. 43. c. 2. & apertè D. Th. in eodẽ a. in corpore, & ad 2. vbi expressè admittit, Christum circa beatitudinem sui corporis elicuisse actum spei. Quòd autem loquatur de actu spei propriè dicto, patet tum quia hoc desiderium absolutè vocat actum spei; tum etiam quia in respõs. ad 3. illud desiderium, quo Christus desiderabat consummationem Ecclesiæ, negat fuisse veram & propriè dictam spem; quod sine dubio etiam fecisset de priore desiderio, si putasset non fuisse veram spem. 141

Suarez. Vasquez. D. Thom.

Probatur concluſ. quia beatitudo corporis respectu Christi tunc habebat omnes conditiones ad obiectum spei requisitas: ergo poterat ab eo vero actu spei sperari. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia illa erat bonum futurum ipsius Christi, vt per se patet. Item poterat qua talis, siue qua bona Christo, ab eo honestè appeti, vt etiam per se patet. Tertiò, erat etiam acquisitu possibilis, vt per se patet. Quartò, erat etiam acquisitu ardua; nam *oportebat Christum pati, & sic intrare in gloriam suam*; vt dicitur Lucæ vlt. Quod non potest intelligi de gloria, siue beatitudine animæ, quam ab initio habuerat, sed de gloria corporis per resurrectionem acquirenda. In illis autem consistunt omnes conditiones requisitæ ad obiectum propriè dictæ spei, vt omnes fatentur.

Luc. vlt.

142 Ex quo patet Primò, etsi ratione beatitudinis animæ beatitudo corporis nõ minùs, imò multò magis fuerit Christo tunc debita, quàm iam sit debita animabus beatis, tamen eam longè aliter his obijci, scilicet sine vllo labore acquirendam, quàm tunc fuerit obiecta Christo, scilicet magno labore acquirenda; ideoque respectu huius potuit esse obiectum propriè dictæ spei, non tamen respectu illarum.

Quare Christus potiùs quàm alij Beati potuit sperare suã beatitudinẽ.

Patet Secundò, Christum similiter propriè dicta spe sperasse exaltationẽ sui nominis, quia hæc erat etiam bonum futurum arduum, passione scilicet & obedientia vsque ad mortem acquirendum, vt dicitur ad Philipp. 2.

Philip. 2.

143 *Suarez. Vasquez.* Conclvs. II. Actus quo Christus sperauit gloriam sui corporis, potest dici vera spes theologica. Ita Suarez & Vasquez suprà. Sequitur ex dictis nu.124. vbi ostendi tam Christum, quàm animas beatas desiderare beatitudinem corporis tamquam quoddam medium fruēdi aliquo modo perfectiùs Deo, & consequenter eodem actu implicitè desiderant eo modo perfectiùs Deo frui: atque ita ille actus habet Deum pro suo vltimo obiecto, sicut electio medij habet pro vltimo suo obiecto bonitatem finis intenti: sicut igitur medium & finis eadem virtute amantur, ita beatitudo animæ & corporis, quatenus per hanc illa aliquo modo perficitur, eadem etiam virtute amantur.

Dixi, id posse ita dici; quia si quis vellet contendere illum solum actum propriè dici theologicum, qui Deum habet pro immediato suo obiecto, explicitè & directè in ipsum tendēdo, etsi hoc nequeat clarè probari, tamen non posset etiam omninò clarè refutari; & tota res erit quæstio de nomine.

144 Ad primum argumentum positum nu.140. nego consequentiam: quia vt Deus sit obiectum spei, non debet omni ratione esse absens sperāti; sed sufficit quòd sit absens sub ea ratione, qua speratur; erat autem Christo tunc absens quatenus possibilis suo modo possideri per beatitudinem corporis, iuxta dicta suprà.

Ad secundum, nego assumptum: nam, vt patet ex dictis, beatitudo corporis erat Christo verè acquisitu difficilis. Adde, falsum etiam sumi, scilicet eam naturaliter manare ex beatitudine animæ; alioqui debuisset violentè à Deo tanto tempore in Christo vsq; ad eius passionem impediri, ne ita emanaret. Sed hæc aliò spectant.

Ad tertium, neganda est maior, vt patet ex dictis suprà n.90.

145 *Suarez.* Conclvs. III. Christus etiam habuit verum habitum spei. Ita Suarez suprà, & sequitur ex dictis: nam, vt ostendi dub.9.concl.2. hic habitus manet in Beatis, & hi per eum eliciunt gaudium beatificum, quo gaudent de beatitudine sua, quatenus ipsis bona est. Et quamuis in alijs Beatis ob dicta ibidem concluſ.3. ille habitus non habeat ampliùs rationem spei, tamen in Christo videtur eam ante passionem adhuc habuisse, quia per eam adhuc verum actum spei elicuit, vt iam ostendi.

146 *D.Thom.* Conclvsio IV. Animæ in Purgatorio eliciunt veros actus spei theologicæ circa suā beatitudinem. Ita D.Th.2.2.q.18.a.3.in fine corporis; & videtur communis. Et ratio est clara, quia cùm beatitudo ijs adhuc sit absens, & acquirēda per passionem ignis Purgatorij, ac grauissimos cruciatus, respectu earum habet rationem boni absentis & ardui, & consequenter potest ab ijs propriè sperari.

Quòd etiam habeant habitum spei, satis patet ex dictis: nam cùm hic habitus maneat in Beatis, nulla est ratio cur non sit in existentibus in Purgatorio.

DVBIVM XII.

Vtrùm spes maneat in peccatoribus, hæreticis aut damnatis?

Conclvs.I. Certum est habitum spei non amitti quouis peccato mortali, atque ita eum posse manere in peccatoribus sine caritate. Probatur Primò, quia est communis Theologorum. Secundò, quia apertè colligitur ex Trident.sess.6.c.7.vbi docet fidem & spem non vnire nos perfectè Christo nisi accesserit caritas: vbi apertè supponit illos habitus posse esse sine caritate. Et quòd loquatur de habitu spei, ostēdi disp.6.dub.1.vbi etiam dub.4. ostendi habitum spei adultis sæpè infundi ante caritatem, quod non fieret si ille sine hac esse non posset. 147 *Trident.*

Conclvsio II. Habitus spei non remanet in hæreticis. Est etiam certa & communis. Probatur, quia, vt ostēdi disp.14.dub.7. & expressè habetur in Trident.sess.6. c.8. fides est initium, fundamentum, ac radix nostræ salutis, siue totius nostri status supernaturalis. Quare sicut sublato fundamento totum ædificium necessariò corruit; ita sublata fide (nisi aliud fundamētum, scilicet visio beatifica, ei succedat) totus noster status supernaturalis, constans habitibus infusis necessariò perit. 148 *Trident.*

Quamuis autem hæc dependentia spei & caritatis à fide, sit earum naturæ ac statui nostro supernaturali valdè conueniens; tamen ex natura rei non est necessaria, & si Deus vellet caritas & spes possent sine fide in hæreticis conseruari: quia nulla potest adferri probabilis ratio, cur inter eas virtutes sit ea naturalis dependentia; præsertim cùm, vt ostendi dub.7. si Deus cum habente solam cognitionem naturalem rerum fidei singulariter concurreret, hic posset actum spei & caritatis supernaturalem elicere. Quare, quòd spes pereat peeunte fide, solùm fit, quia Deus ei subtrahit suum concursum. 149 *Spes & caritas pereunte fide pereunt præcisè quia Deus eas definit concurrere.*

Conclvs.III. Omnes damnati carent habitu spei. Patet, quia, vt ostendi disp.17.dub.2. damnati carent omnino fide supernaturali: ergo etiam spe, quæ, vt iam ostēdi, illam supponit. Secundò, quia damnati sciunt sibi salutem esse omnino impossibilem, atque ita nequeunt vllum actum spei theologicæ elicere, multò minùs possunt de sua beatitudine gaudere prout faciunt Beati; quare habitus spei in ijs esset omnino fruſtra, ideoque ijs auferetur. Nec refert quòd possint desiderare esse beati: quia cùm hoc desiderium sit omnino inefficax, & solùm quædam velleitas, non pertinet ad aliquam virtutem, vt ad id opus sit aut cōueniat in damnatis manere habitum spei, præsertim cùm tantum Dei donum ac animæ ornamentum eorum statui sit inconueniens. 150

DISPVTATIO XX.

De timore, desperatione & præsumptione.

DVBIVM I.

Vtrùm omnis timor præsupponat necessariò in timente aliquem amorem?

1 NOta, sicut amor, desiderium & gaudium versantur circa bonum, ipsum prosequendo, aut ei adhærendo, ac in eo adepto quiescendo: ita detestationem, siue odium, timorem ac tristitiam versari circa aliquod malum, hoc auersando ac fugiendo; nam timor est quædam fuga mali imminentis, & tristitia est quædam animi lucta cum malo præsente.

Item sicut desiderium & gaudium supponunt in nobis quendam amorem complacentiæ, circa rem quam desideramus absentem, aut de qua gaudemus adepta: ita timor & tristitia supponunt detestationem siue odium rei, quam timemus, aut de qua tristamur: quæ enim nullo modo odimus, nec imminentia timemus, nec de præsentibus tristamur.

Timor & tristitia sepponunt odium.

2 Quæstio itaque est, vtrùm vt possimus aliquod malum detestari aut timere, necessarium sit vt saltem priùs natura aliquod bonum, cui illud contrariatur, amauerimus?

Quidam id negant. Primò, quia ipsum malum per se, siue secundùm se est odibile ac detestabile: ergo potero illud odisse, & consequenter, si apprehendam futurum, timere sine vllo actu amoris. Consequentia probatur, quia vt potentia exeat in actum sufficit quòd obiectum sit ei sufficienter propositũ, & ipsa ex sua parte habeat sufficientes vires vt eliciat actum: atqui voluntas ex parte sua habet sufficientes vires vt detestetur malum: item malum detestabile potest ei secundùm se immediatè tamquam tale sufficienter proponi: ergo voluntas potest illud immediatè secundùm se odisse, sine vllo actu amoris. Secundò, quia fieri potest, vt mihi res aliqua proponatur vt mala sine vlla cogitatione boni contrarij: ergo tunc potero illam odisse, hoc nullo modo amando. Et huius sententiæ videtur Gabriel in 4. d.14. qu.1. a.2. concluſ.5. & quidam alij docentes peccatorem per contritionem posse iustificari, sine vllo expresso actu caritatis: quare necessariò supponunt contritionem posse haberi sine actu caritatis, siue nos posse detestari peccatum quatenus displicet ac contrariatur bonitati diuinæ, hanc non amando.

Gabriel.

Conclvsio. Omnino videtur dicendum voluntatem nullo modo posse aliquod malum odisse aut timere, nisi priùs saltem natura amet bonum ei contrarium. Ita expressè D. Thom. 1.2. qu.43. a.1. vbi docet, amorem esse causam timoris; & ad primum docet, timorem per se respicere malum contrarium bono amato, & ita per se nasci ex amore; & qu.113. a.8. in fine corporis docet, voluntatem necessariò priùs natura amare Deum, quàm detestetur peccatum propter Deum. quem sequuntur eius interpretes in dictum locum, & videtur communior Theologorum sententia.

Omne odiũ supponit amorem. *D. Thomas.*

Probatur Primò, quia videtur apertè sententia D. Augustini lib.83. quæstionum qu.33. initio, vbi ait: *Nulli dubium est non aliam esse metuendi causam, nisi ne id quod amamus, aut adeptum amittamus, aut non adipiscamur speratum.* Quæ apertè essent falsa, si timor posset esse sine vllo amore. Cùm ergo dicat illa nulli esse dubia, supponit hoc apertè esse falsum. Per id autem quod amamus aut speramus intelligit non solùm bonum positiuum realiter à nobis distinctum, sed etiam ipsam integritatem, & bonam dispositionem nostræ naturæ, ad quam requiritur absentia mali ipsi repugnantis.

Augustin.

Probatur Secundò, quia sicut se habet intellectus respectu veri & falsi, ita se habet volũtas respectu boni & mali: atqui omnis cognitio falsi necessariò præsupponit cognitionem alicuius veri; fieri enim nullo modo potest vt cognoscam v.c. hanc esse falsam, Homo est brutum; nisi priùs aliquo modo cognoscam quid sit homo, & quid sit brutum: ergo similiter detestatio cuiusuis mali necessariò præsupponit amorem alicuius boni, ipsi malo contrarij.

4 Omnis cognitio falsi supponit cognitionẽ veri.

Probatur Tertiò, experientia; nam experimur nos solùm odisse ac timere malum earum rerum quas amamus; & quo aliquas magis amamus, eo earum malum magis odimus ac timemus: & contrà eo hoc minùs timemus, quo illas minùs amamus, si modò cetera paria sint; & quas nullo modo amamus, earum malum nullo modo timemus aut detestamur. Hinc interitum v.c. muscæ, nec præsentem detestamur, nec futurum timemus, cùm tamen ei sit maximum malum. similiter ob pœnas æternas dæmonum ideo præcisè non dolemus, quia eos non amamus: idemque est de rebus ceteris. Quorum omnium nulla alia potest reddi ratio, quàm quia omnis mali detestatio necessariò præsupponit amorem boni contrarij.

Quæ nullo modo amamus, eorum malum nec odimus nec timemus.

Dices, Sæpè multi detestantur perfidiam erga suos inimicos commissam, quorum tamen bonum non amant: ergo possumus detestari aliquod malum nullo modo amando bonum ei contrarium. Respondeo, negando consequentiam, quia tales non detestantur eam perfidiam quatenus est mala suis inimicis (nam aliàs alia eorũ mala similiter detestarentur) sed quatenus est contraria virtuti fidelitatis, quã ipsi amant, quamq; si nullo modo amarent, nec illam perfidiam detestarentur; sed potiùs amarent, & quantum commodè possent procurarent.

5

6 Ad primum argumentum positum num.2. distinguo antecedens. Nam vel ita intelligitur quasi malum secundùm se præcisè sumptum sine vllo respectu contrarietatis ad bonum amatum, possit alicui esse odibile: & hoc est falsum, nam aliàs interitus rei malæ, v.c. actus peccaminosi, aut habitus vitiosi, esset secundùm se odibilis, etiam maximè detestanti vitia : quia talis interitus est malus illi actui ac habitui: illud autem est apertè falsum. Si autem intelligatur de malo prout includit eiusmodi contrarietatem cum bono amato, sic nego consequentiam: ex eo enim potiùs contrarium sequitur, scilicet quòd sicut vt malum sit absolutè & in confuso obiectum odibile, necessariò dicit respectum contrarietatis ad bonum amabile in genere, & vt huic particulari sit odibile necessariò dicit talem respectum ad bonum huic amabile; ita vt ego hoc de facto oderim, debet dicere eiusmodi respectum ad bonum à me de facto amatum; & consequenter præsupponit in me amorem illius boni.

7 Ad probationem, Respondeo secundã partem minoris esse negandam, si velit ipsum malum secundùm se sine vllo respectu contrarietatis ad bonum amatum posse sufficienter voluntati proponi, vt ipsum detestetur: nã quantumuis voluntati proponatur aliquod malum, numquam ei proponetur tamquam obiectum hîc & nunc ei odibile, nisi ipsi proponatur vt contrarium bono ab ea amato. Sicut medium quantumuis apprehendatur vtile ad aliquem finem, numquam sufficienter proponitur voluntati vt hîc & nunc ipsi propter eum finem eligibile, nisi ipsa hunc finem prius amet.

Ad secundum, nego antecedens, præsertim loquendo de malo prout potest esse obiectum odij: nam vt tale numquam potest concipi nisi quatenus concipitur contrarium alicui bono amabili: nec potest concipi vt mihi hîc & nunc odibile, nisi concipiatur contrarium bono à me amato. Ex quibus clarè confirmatur nostra conclusio.

DVBIVM II.

Vtrùm timor rectè diuidatur in mundanum, seruilem, filialem, & initialem?

8 *Magister. D.Thom.* HAnc diuisionem primus inuenisse videtur Magister in 3.dist.34.quem secutus est D.Thom.2.2.q.19.a.2.& deinde reliqui Theologi. Priores tres partes huius diuisionis videntur ex D.Augustino sumptæ, qui varijs locis facit mentionem timoris seruilis & filialis: & præsertim tractatu 9.in epist.1.S.Iohannis: vbi hos duos timores distinguit, quòd prior metuit propriè pœnam, & ideo vitat culpam, secundus verò propriè metuit separari ab amicitia Dei, & ideò vitat culpam. Deinde comparat eos timori duarum mulierum, quarum vna vitat adulterium præcisè quia timet à marito puniri; altera verò id vitat ex amore in maritum, quo impellitur vt turpitudinem ei contrariam fugiat, quæ propriè casta dicitur. Et ex huius comparatione timor filialis à S.Augustino ibidem dicitur castus, quia anima per eum timet à sponso suo Christo per peccatum separari.

Augustin.

Distinctio timoris seruilis à filiali.

Mundanus autem, siue humanus timor dicitur, quo aliqui ita timent mala temporalia, confusionem, & similia, vt, quo ea vitent, eligant peccare contra Deum: atque hic timor conuertit à Deo ad peccatum; cùm contrà timor Dei conuertat nos à peccato ad Deum. Vtrumque hunc timorem nobis describit Christus Lucæ 12. & priorem iubet nos vitare, ac secundum amplecti; dum ait: *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus*, &c. & infrà: *Timete eum qui postquam occiderit corpus habet potestatem mittendi in gehennam.* 9 *Quis timori dicatur mundanus.* *Luca 12.*

Timoris initialis apud Patres non est expressa mentio, eum tamen ponendi occasionem sumpsit Magister, ex eo quòd psalmo 110.v.10. & Prouerb.1.v.7.& alibi timor dicatur initium siue principium sapientiæ. Quæ loca Magister suprà §.*Sciendum tamen*; vult posse intelligi tam de timore seruili, quatenus hic inducit sapientiam siue caritatem, sed cum ea non manet, atque ita est extrinsecum principium sapientiæ: quàm etiam de timore filiali imperfecto, quem ait esse sapientiam siue caritatem inchoatam; quique communiter dici solet timor initialis. 10 *Magister.*

Quamuis autem hæc non malè dicantur, difficulter tamen aprantur dictis Scripturæ locis, quæ per initium siue principium sapientiæ, non intelligunt sapientiam inchoatam, sed ipsum culmen ac summitatem sapientiæ. Patet ex Ecclesiastici 1.vbi v.16.dicitur, *Initium sapientiæ timor Domini.* & deinde v.20. *Plenitudo sapientiæ est timere Deum.* vbi diuersis verbis idem explicatur. Quidam vt hæc conciliẽt, volunt in vno loco agi de timore seruili, aut saltem initiali; in alio de filiali; sed hoc non habet fundamentum in Scriptura, quæ generatim timorem Domini vbique summis laudibus prædicat, & in eo summam sapientiam constituit. vnde ibidem v.22. timor Domini dicitur *corona sapientiæ.* Et Scriptura videtur loqui maximè de timore pœnarum: nam agit de timore, quẽ Deus vbique in Scripturis Iudæis incutiebat, & quo eos ad seruanda mandata compellebat, qui erat timor pœnarum; vt patet Exodi 20.v.20. & ex toto cantico Moysis, Deuter.32. multisq; alijs locis veteris testamenti. & ex Apostolo ad Roman.8.v.15. vbi docet Deum veteres rexisse spiritu timoris. 11 *Qua ratione timor in Scriptura dicatur initium sapientiæ.* *Eccles.1.* *Exod.20.* *Deuter.32.* *Roman.8.*

Nota igitur, pro initio siue principio, in psal. 110.& Prouerb.1. hebraicè haberi רֵאשִׁית, quod venit à רֹאשׁ, quod caput, ducem & principem significat, & consequenter רֵאשִׁית significat non solùm initium, sed etiam id quod primum & præcipuum est in quaque re: & in hac significatione timor Domini dicitur initium siue principium sapientiæ, comparatione facta ad omnem industriam & sapientiam humanam, quæ sine timore Dei vana & inutilis est: atque ita qui nouit timere Deum, & eius obseruare mandata, sapientior est omnibus alijs qui hæc ignorant. Patent hæc ex Prouerb.c.31.vbi cùm Sapiẽs fusè laudasset prudentiam mulieris fortis, *Prouerb.31.*

tis, tandem subdit: *Fallax gratia, & vana est pulchritudo, mulier timens Dominum ipsa laudabitur.*

12 D.Thomas verò 2.2.q.19.a.2.in corpore, illius distinctionis rationem dat, quia obiectum timoris est malum, propter quod homo aliquādo recedit à Deo, & sic est timor mundanus: quandoque verò, quia timet se ob peccata à Deo puniendum, ab his ad Deum conuertitur, & est timor seruilis: aliàs verò timet ipsam culpam quatenus Deo displicet, & est timor filialis: quandoque contingit vt quis habens adhuc caritatem imperfectam simul timeat & culpam & pœnam, & tum est timor initialis.

13 *D.Thomas.* Notat autem D.Thomas suprà ad 2. hîc non omnem timorem diuidi, sed eum solùm qui inducit ad bonum, aut malum morale: non autē illum, qui sine horum respectu solùm vitat malum naturale. Sed etiam posita hac limitatione hæc diuisio non videtur sufficiens. Quia timor, quo quis timet peccatum præcisè quia turpe est ac hominem dedecet, abducit à malo morali, & consequenter inducit ad bonum virtutis, & tamen sub nullo horum membrorum continetur.

Lorca. Lorca 2.2.sect.2.disp.10.n.19.ait hunc timorem pertinere ad seruilem; quia qui odit aut timet peccatum propter intrinsecam suam turpitudinem timet illud tamquam malum proprium, ideoque ex amore concupiscentiæ, ex quo proficiscitur timor seruilis.

14 Sed contrà hæc facit Primò, quòd odisse peccatum præcisè propter suam turpitudinem non est seruile, sed omninò liberale: hoc enim maximè decet liberum hominem. Secundò, quia ita odisse peccatum propriè prouenit ex amore virtutis ac honestatis cui illud repugnat, v.c. ita odisse iniustitiam prouenit ex amore iustitiæ.

Amor virtutis non est amor concupiscentiæ. Qualis amor non est necessariò amor concupiscentiæ: nam per hunc nihil amamus nisi quatenus nobis bonum est, vt ostendi dub.1. Amor autem virtutis inclinat nos vt eam amemus tam in aliis quàm in nobis, & sine respectu ad proprium commodum.

Respondeo ergo eiusmodi peccati timorem, per se, siue ex præcisa sua ratione ad nullum ex dictis membris pertinere: per accidens tamen ratione subiecti in quo est, posse reduci ad timorem seruilem si sit in peccatore, quia tunc non est timor filij, sed meri serui; vel ad filialem si sit in iusto; sicut timor initialis dicitur quodammodo mistus ex vtroque ratione subiecti in quo est.

15 *Bañez.* Disputatur hîc præterea qualis sit hæc diuisio. Bañez enim 2.2.q.19.ar.2.in commentario docet esse analogi in analogata. Quia malum culpæ, quod est malum simpliciter; & malum pœnæ, quod est solùm malum secundùm quid, sunt solùm analogicè mala: ergo timor seruilis, qui respicit malum pœnæ, & timor filialis, qui respicit malum culpæ, dicuntur analogicè timor.

16 *Pœna æterna est propriè & absolutè mala patienti.* Sed in hoc argumento nec antecedens est verum, nec consequentia bona: malum enim pœnæ præsertim æternæ, & ipsa priuatio visionis beatificæ sunt absolutè & simpliciter mala respectu ipsius patientis: nec enim pœna æterna tam damni quàm sensus est vlla ratione bona ipsis damnatis.

Nec refert quòd dicta pœna possit habere bonum finem, scilicet punitionem peccati, & in hunc à Deo assumatur, & impijs infligatur; tum quia vt aliquid sit simpliciter malum, non est opus vt sit malum secundùm omnem sui partē ac considerationem, ita vt nullo modo possit habere aliquam rationē boni; sed sufficit quòd eum, cui dicitur esse malum, simpliciter & absolutè malè afficiat, nec vllam habeat rationē, ob quam ab hoc possit eligi. qualis est pœna æterna respectu eorum qui eam timent: quare cùm hi eam timeant præcisè quatenus sibi mala est, eam timent quatenus absolutè & simpliciter mala est.

Quid debeat dici alicui esse absolutè malum.

17 Item quamuis antecedens esset verum, consequentia tamen esset nulla; quia ex eo quòd duorum actuum obiecta sint analoga, aut æquiuoca, nullo modo sequitur, ipsos etiam actus esse tales: nam cùm quis videt hominem viuum & pictum, aut vtrumque amat, aut vtroque delectatur, obiecta istorum actuum sunt æquiuocè homo; & tamen vtraque visio est vniuocè visio, & vterque amor vniuocè est amor, & vtraque delectatio est vniuocè delectatio. Et similiter quamuis malum culpæ & malum pœnæ dicerentur analogicè mala; tamen timor, quo vtraque timentur, posset esse vniuocè timor.

Actus vniuoci possunt versari circa obiecta æquiuoca.

18 Dices, Etsi visio absolutè sumpta dicatur vniuocè de visione hominis viui, & visione hominis picti; tamen visio hominis dicitur æquiuocè de vtraque. Respondeo, hoc ideo fieri, quia visio hominis non significat solos actus versantes circa vtrumque obiectum, sed simul etiam ipsa obiecta visa, quæ æquiuocè dicuntur homo: cum quo optimè consistit quòd vterque actus vniuocè participet rationem visionis. quod nos solùm contendimus, & inde inferimus, etsi malum culpæ & pœnæ essent analogicè malum, tamen vtriusque timorem fore vniuocè timorem.

Quare credo hoc diuisum vniuocè conuenire suis membris diuidentibus. Vtrùm autem respectu timoris filialis, seruilis & mundani habeat veram rationem immediati generis disputari posset; sed difficulter hoc paucis sufficienter fieri posset, nec puto esse operæ pretium his diu immorari, cùm ad explicationem præsentis materiæ non sint necessaria. Hoc solùm hîc addo, timorem filialem & initialem nullo modo posse constituere duas species timoris, cùm non distinguantur essentialiter.

DVBIVM III.

Vtrùm culpa possit esse obiectum immediatum timoris?

19 *Durand.* DVrandus in 3.dist.34. qu.4. docet, culpam secundùm se non posse esse immediatum obiectum timoris, sed solùm ratione pœnæ adiunctæ. Quia timor pœnæ auertit nos à culpa, & imperat huius fugam: ergo fuga culpæ non est actus elicitus timoris, sed ab eo imperatus.

Sed hoc argumentam vt summum probat culpam non esse immediatum ac primum obiectũ timoris seruilis, quo præcisè ipsam pœnam primò immediatè timemus, & ipsam culpam solùm ratione pœnæ sibi annexæ.

D. Thom. Huic sententiæ videtur etiam fauere D. Thomas 1.2.q.42.a.3. vbi ex alio fundamento videtur inferre, culpam secundùm se non posse esse obiectum timoris: quia timor respicit malum arduum, & quod difficulter potest vitari: culpa autem, cùm sit voluntaria, & consequenter cùm in nostra potestate sit eam aut committere aut vitare, non potest esse tale malum. Sed in 2.2.q. 19.art.2. videtur apertè admittere culpam esse obiectum timoris filialis; quia tamen ibidem se remittit ad dicta in priore loco, apparet eius sententia nonnihil difficilis.

20 Tria in peccato considerari possunt.

Nota nos præter ipsam pœnam, quam peccatum meretur, in hoc posse tria considerare. Primò, quòd sit actus aliquis delectabilis, aut vtilis ad aliquem finem, qua ratione à peccante appetitur, & voluntariè elicitur; & sic est ei directè & per se voluntarium. Secundò, quatenus habet cõiunctam malitiam moralem, & offensam Dei, & vt sic saltem communiter non est directè & per se voluntarium, sed potiùs inuoluntarium (nam peccans vellet hæc abesse, & se posse actum illum exercere licitè & sine offensa Dei) sed solùm est voluntarium indirectè & interpretatiuè, quatenus scilicet admittens voluntariè eum actum, cui scit dicta esse necessariò connexa, censetur etiam illa velle. Tertiò, quòd ob nostram fragilitatem & ingruentes tentationes difficulter possit vitari: & hac ratione est communiter omnino inuoluntarium.

21 Qua ratione peccatum sit obiectum timoris.

Conclvsio. Peccatum secundùm primam rationem præcisè sumptum, nequit esse obiectum timoris, quia vt sic non habet rationem inuoluntarij, aut mali ardui. Si autem consideretur secundùm secundam & tertiam rationem, potest absolutè & simpliciter esse obiectum timoris. Quia vt sic est malum, & quidem grauissimum, atque etiam arduum, quia vitatu difficile, vt per se & experientia patet. Nec hoc casu timentur solæ tentationes inducentes ad peccandum, sed præcipuè ipsum peccatũ, quatenus propter illas redditur difficulter vitabile. Nam cùm non timeamus ipsas tentationes, nisi propter ipsum peccatum (nisi enim timeremus per ipsas induci in peccatum, eas non timeremus) sequitur nos multò magis timere ipsum peccatum.

Nec refert quòd illa malitia & offensa Dei sint peccanti indirectè voluntaria, quia etiam ipsa pœna illi est simili modo voluntaria: nam non committendo ipsum actum malum eodem modo vtraque potest vitare. Et hac ratione potest D. Thomas explicari, vt scilicet solùm velit peccatum secundùm primam rationem ex dictis non posse esse obiectum timoris: nam contra hîc dicta argumentum ipsius nihil probat.

DVBIVM IV.

Quod sit obiectum, aut quis habitus timoris filialis?

Dvrandus in 3. dist.34. q.4. putat timorem filialem in hoc præcisè differre à seruili, quòd hic pro obiecto habeat pœnam sensus, ille pœnam damni. Sed in eo apertè fallitur: quia sic vterque timor esset seruilis; nam seruorum propriè est timere præcisè pœnam, ideoque peccatum fugere: vtraque autem pœna, est verè pœna. Confirmatur, quia timor pœnæ damni potest esse in peccatore, & consistere cum perseuerantia peccati; nam talis timor solùm generat attritionem, quæ sine Sacramento non delet peccatum mortale. Timor autem filialis nequit esse nisi in eo, qui aut est iam filius, aut per eum fit filius, tamquam per vltimam dispositionem ad gratiam, quia habet necessariò coniunctam contritionem, aut actum caritatis, vt infrà ostendam. 22 *Durand.*

Conclvsio I. Obiectum materiale timoris filialis est ipsa culpa. Patet ex dictis dubio 3. vbi ostendi hanc secundùm se posse esse immediatum obiectum timoris. Obiectum verò formale est hanc ipsam contrariari bonitati ac amicitiæ Dei, Deoque displicere. Ideo enim iustus propriè odit ac timet peccatum, quia hoc Deo displicet, eiusque bonitati ac amicitiæ cõtrariatur. Hæc est sententia D. Thomæ suprà, & communis Theologorum. Ratio est, quia proprium est filij timere displicere patri, non tam ob pœnam aut aliquod proprium incommodum, quod sibi inde metuit, quàm ex naturali amore erga patrẽ, quo impellitur vt timeat ac vitet omnia ea, quæ patris voluntati contrariantur, eiúe displicent. 23 *D. Thom.*

Conclvsio II. Hic timor iustis elicitur ab habitu caritatis. Ita Turrianus 2.2.disput.63. & vt consequenter loquantur tenere debent auctores mox citandi. Probatur Primò, quia, vt docẽt D. Thomas 1.2.q.13.ar.5.ad 1. & cum Durando, Alexandro & Caietano Suarez in 3.par. tom.4.disp.2 sect.2.nu.1. eiusdem virtutis siue habitus est inclinare voluntatem ad obiectum bonum prosequendum, & ad vitandum malũ ipsi contrarium: vt enim patet experientia, hoc ipso quo rem alienam amo, inclinor ad detestãdum & repellendum quidquid ei contrariatur. Secundò, quia eadem virtus, siue habitus nos inclinat ad intentionem finis, & ad electionem medij, & vterque actus ab eodem habitu producitur: atqui fuga mali contrarij est medium necessarium ad obtinendum vel conseruandum bonum amatum; qua ratione fuga peccati est medium necessarium ad conseruandam amicitiam Dei: ergo eadem virtus, scilicet caritas Dei, me inclinat ad amandum Deum, eiusque amicitiam conseruandam, & ad timendum ac fugiendum peccatum, quatenus ei contrariatur. Habent autem hæc maximè locum in habitibus infusis, qui non generantur ex nostris actibus, nec sunt horum vestigia, sed habent se per modum potentiæ, quæ secundùm se 24 *Turrian.* *D. Thom.* *Suarez.* Idem habitus nos inclinat ad amandum bonum, & fugiendum malum contrarium.

se eadem ad plures actus specie distinctos extenditur.

25 Timor filialis præsupponit actum caritatis.

Hinc sequitur Primò, timorem filialem necessariò præsupponere verum actum caritatis in Deum, quia, vt ostendi dubio 1. omnis fuga mali necessariò præsupponit amorem boni contrarij.

Secundò, nos hoc timore timere Deum, nõ tanquam obiectum quod fugiamus (sic enim propriè timemus ipsam culpã, ac ipsum displicere Deo, siuè displicentiam Dei) sed tanquam id, cui timemus displicere.

Timor filialis aucta caritate augetur, & secundùm quid minuitur. *D. Thom.*

Tertiò, aucta in nobis caritate hunc etiam timorem in nobis augeri, quia quo magis Deum amamus, eo magis odimus & refugimus ipsius offensam. vt dicit D. Thom. 2.2. quæst. 19. a. 10. Quia tamen tunc faciliùs vitamus ipsa peccata, horum fuga redditur nobis minùs ardua, & ex hac parte minuitur aliquo modo timor, quatenus respicit malum qua imminens, & quatenus vt sic connotat quandam anxietatem mentis illud refugientis, quæ aucta caritate, & facilitate vitandi peccata, minuitur, vt fusiùs exponam infrà n. 38.

DVBIVM V.

An timor seruilis sit bonus?

26 *Bellarm.* Error Lutheri.

LVtherus varijs locis, vt ex eius scriptis ostẽdit Bellarminus l. 2. de Pœnitentia c. 17. docuit, timorem seruilem esse malum. Primò, quia facit hominem ita vitare peccatum, vt tamen retineat voluntatem peccandi conditionatam, si nimirum posset id impune facere: atqui hoc est hypocriticum & malum: ergo, &c. Secundò, quia detestans culpam propter pœnã, plus hanc detestatur quàm culpã: atqui hoc est malũ: ergo timor ille est malus. Tertiò, quia ille timor ordinat maius bonum ad obtinendum minus, scilicet fugam culpæ ad euitandam pœnã: atqui hoc est inordinatum: ergo ille timor est malus. Quartò, quia nemo potest aliquid odisse cuius contrarium priùs non amauerit; & consequenter nemo potest verè odisse culpam, nisi priùs amet virtutem oppositam: atqui qui timet culpam propter pœnam, non amat virtutem oppositam culpæ: ergo hanc verè non timet, & consequenter ille timor nequit esse bonus. Quintò, quia fugere pœnam respicit naturæ cõmodum, & proficiscitur ex amore proprio: atqui hoc non habet rationem virtutis: ergo nec ille timor.

27 Cur aliquis timor dicatur filialis, & alius seruilis.

Nota Primò, sicut timor filialis ita dicitur, quia proprium est filiorum moueri ad fugiendã offensam patris ex huius amore ac reuerentia: ita amorem seruilem ita dici, quia seruorũ proprium est fugere culpam ex solo metu pœnæ, ita vt ad hoc nullo modo moueantur ex amore sui domini: nam si ad illud moueantur ex amore sui domini, iam hoc non agunt vt serui.

Timor seruilis duo includit.

Ex quo sequitur timorem seruilem, si strictè & propriè sumatur, duo includere; vnum sibi intrinsecum, scilicet refugere culpam propter malum pœnæ ei connexum. alterum sibi extrinsecum: quòd scilicet eius subiectum solùm timeat culpam propter pœnam, ita vt nec actu, nec habitu eam timeat propter amorem ac reuerentiam erga personam, quæ culpa offenditur. Et in hoc propriè consistit eius seruilitas; nam, vt patet ex dictis, proprium est seruorum hac ratione timere culpam. Aliàs enim ita timere culpam propter pœnam, vt simul eam timeas propter amorem & reuerentiam erga personam per culpam offendendam, etiã filiis conuenit. Hîc autem quæritur, vtrùm timor seruilis consideratus præcisè secundùm sua intrinseca sit bonus ac laudabilis: nam satis constat ipsam seruilitatem siue absentiam timoris filialis esse malam; est enim priuatio actus aut habitus boni, quæ non potest non esse mala.

Seruilitas ei extrinseca.

In quo consistat eius seruilitas.

28 Detestamur culpam propter pœnã, quandoque absolutè, quandoque secundùm quid.

Nota Secundò, me dupliciter posse detestari siue timere culpam propter pœnam. Primò, vt simul habeam aliquem affectum erga illam, ita vt vellem eam committere si non timerem pœnam, aut si id impune possem facere. Secundò, ita vt timor pœnæ sit quidem causa etiam sine qua non, cur timeam ac detester culpam, ita tamen vt causet in me absolutam detestationẽ ac timorem culpæ, ita vt eã nullo modo amem, sed penitus & omnino detester. Fieri enim posse vt aliquid sit mihi causa sine qua non cur oderim aliud, & tamen simul hoc absolutè omnino secundùm se detester. Patet in odio inimici: videmus enim multos ex aliquo facto hominis sibi priùs amicissimi, tale in eum odium concipere, vt nulla ratione erga eum ampliùs bene afficiantur, sed omnibus modis eius destructionem quærant. Et simili modo fieri potest vt is qui aliqua vitia priùs multùm amabat, ex consideratione pœnæ quam merentur, concipiat absolutum eorum odium.

29 Possum ob culpam timere puniri vel à Deo, vel ab homine.

Nota Tertiò, malũ pœnæ quo moueor ad timendũ culpam posse esse duplex: possum enim timere illud mihi inferendum à Deo, siue illud malũ sit pœna damni, siue pœna sensus, siue etiam quodcumque aliud malum: vel etiam ab homine, si sit malum temporale, quod ab homine inferri potest. Agimus autem hîc præcipuè de timore pœnæ inferendæ à Deo.

30

Conclvsio I. Timor pœnæ à Deo inferendæ mouens me ad absolutã detestationem culpæ, siue timor quo absolutè timeo ac refugio culpam propter pœnam, qua à Deo puniendа est, si cõmittatur, est absolutè bonus ac honestus. Est communis Catholicorum: & videtur definita in Tridentino sess. 14. cap. 4. vbi docet, attritionem, qua detestamur peccata propter metũ pœnæ ęternæ, esse donum Dei, & fieri ex impulsu Spiritus sancti. Quod etiam apertè colligitur ex Apostolo ad Rom. 8. vbi fidelibus ait: *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* vbi distinguit timorem proprium Iudæorum, quo ipsi in lege veteri timebant Deum, scilicet timore pœnæ, & tamquam serui; à timore quo nos in lege gratiæ debemus timere & reuereri Deum, scilicet ex amore tanquam filij. Et apertè insinuat Iudæos olim à Deo accepisse spiritum timoris seruilis, siue affectum illius timoris iis à Deo fuisse infusum.

Trident.

Roman. 8.

Iudæi à Deo acceperunt spiritum timoris seruilis, nos autẽ filialis.

Probatur Secundò, quia Scriptura multis

31

locis

locis nos ad hunc timorem concipiendum excitat, eumque præcipit ac ostendit fuisse in viris laudatis: atqui hoc non faceret, nisi ille esset honestus: ergo id dicendum est. Maior patet,

Luc.12. quia Lucæ 12. vers.5. cùm Christus dixisset non esse timendos homines, qui solùm corpus possunt occidere, subdit: *Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Vbi aperte docet, Deum ideo esse timendum ne nos mittat in gehennam, siue nos debere moueri metu gehennæ ad non negandam fidem. Hinc etiam

Matth.10. Matth.10. v.33. dicit se negaturum coram patre suo eum, à quo negatus fuerit coram hominibus, vt eiusmodi metu nos deterreat ne ipsum negemus. Hinc etiã Prouerb.1.v.6.& c.9.v.10.& c.

Prou 1. & 9. & 14. 14.v.17. timor Domini dicitur initium sapientiæ, & fons vitæ; & tam ibi quàm in libro Sapiẽtiæ ac Ecclesiastico sæpissimè laudatur, & grauiter arguuntur qui eo carent, & dicuntur nõ posse euadere peccata. Quibus tamen locis, vt ostendi n.11. agitur præcipuè de timore pœ-

Psal.118. næ à Deo infligendæ. vnde etiam Dauid psalm. 118.v.120.ait Deo: *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.* & Iob c.9.v.28. *Verebar,* inquit, *omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.*

32 Probatur Tertiò ratione, quia talis timor tendit in obiectum modo omni ex parte honestum: ergo est honestus. Antecedens probatur, quia tendit in peccatum hoc refugiendo (quod sine dubio non potest nonnisi honestum esse) idq; propter pœnam à Deo peccantibus inferẽdam. quod etiam esse honestum patet, quia ita timẽs mouetur ratione formali, quæ ex se omnino nata est ad sola honesta nos incitare; nam cùm cõstet Deum non posse infligere pœnam, nisi propter peccata, eiusmodi pœnæ timor nequit nos incitare nisi ad fugienda peccata, & ad sectandas virtutes, & consequenter non nisi ad actum honestum. Sicut autem id, quod ex se natum est incitare solùm ad malum, est per se malum: ita quod ex se natum est excitare ad solum bonum ac honestum, ex se bonum est.

Timor Dei non potest nos incitare nisi ad honestum, ideoq; honestus est.

33 Vbi Nota, etsi hanc pœnam esse inferendam à Deo, non sit propriè ratio formalis, cur timeatur (nam eodem modo, siue æqualiter à nobis timeretur, si à quocumque alio æqualis pœna nobis immineret) esse tamen aliquam cõditionem ipsius obiecti, qua fit vt sit natum nos ad sola honesta incitare: quia per se constat solas actiones honestas, ac omissionem peccatorum posse esse media vtilia eam pœnam euitandi.

34 Ex quibus patet Primò, metum pœnæ à Deo inferendæ, quamdiu est coniunctus cum spe eam euadendi, non posse nos excitare ad vllum actum qui non sit honestus, saltem in apprehensione metuentis, siue quem hic non apprehendit sibi hîc & nunc esse honestum; quia nulli alij actus possunt esse vtiles ad eiusmodi pœnam vitandam. Illi tamen, qui omnino desperant eam pœnam euadere, possunt per eam excitari ad odium Dei, vt patet in damnatis.

35 Patet Secundò, eiusmodi metum per se non posse esse nimium, quia quo est maior, eo nos magis excitat ad mala vitanda, & honesta amplexanda, quæ patet esse bona. Per accidens tamen ratione quorumdam effectuum, qui ex eo quandoque ob dispositionem ac defectum metuentis gignuntur, potest esse nimius: vt sæpè accidit in quibusdam timidis ac scrupulosis, qui ex eiusmodi timore vrgentur continua quadam anxietate ac scrupulis, quibus in suis operibus ac progressu virtutum multùm impediuntur.

Timor Dei etiam seruilis nequit esse nimius, nisi per accidens.

Dices, Fieri potest vt quis ex ignorantia putet 36
Deum velle ipsum committere aliquod peccatum. Item fieri potest vt quis nimiùm timens pœnas inferni habeat voluntatem conditionalem potiùs peccandi, quàm illas patiendi, posito quòd illud esset necessarium vt eas vitaret: ergo eiusmodi timor potest aliquem excitare ad peccandum. Respondeo negando consequentiam: quia in priore casu talis aut concipiet eiusmodi actum, quantumuis aliàs malum ratione illius voluntatis siue præcepti Dei, sibi hîc & nunc esse licitum: aut ipsum præcipientẽ non esse verè Deum, sed vnum ex malis genijs, quos Gentiles aliquando abusiuè vocant deos; qua ratione referebant inter deos, quidquid habebat aliquid quod ipsis apparebat homine excellentius. In secundo verò casu, talis tunc non considerat eas pœnas vt inferendas à vero Deo (qua ratione, vt iam ostendi, nequit peccatum formaliter sumptum, siue qua tale est, considerari vt medium ad eas vitandas vtile) sed concipit eas secundùm se precisè spectatas abstrahendo à quo sunt inferendæ: vt sic autem consideratæ possunt mouere ad peccandum. sed hoc non facit contra conclusionem.

Conclvsio II. Eiusmodi timor est actus 37
veræ virtutis. Ita Suarez in 3.p.tom.4. disput.5. *Suarez.* sect.2.num.10 Sequitur ex dictis, quia actus qui liberè fertur in obiectum arduum ac honestum, qua tale, est actus veræ virtutis: atqui ille timor est talis, vt patet ex dictis: ergo est honestus.

Contrarium sentit Bañez 2.2 q.19.a.6. Quia *Bañez.* hic timor minuitur crescente caritate: atqui hoc nequit conuenire veræ virtuti: ergo ille non est vera virtus. Probari potest Secundò, quia ille timor dicit imperfectionem quandam, ideoque nec est in Beatis, nec fuit in Christo: ergo non est vera virtus. Tertiò, quia naturale & consequenter facile est homini timere pœnas: ergo timoris obiectum non est arduum, nec ipse vera virtus. Quartò, quia potest quis metu pœnæ impelli tam ad malum, quàm ad bonum.

Pro horum solutione, Nota, sicut in actu spei 38
tria reperiuntur: Primò, quòd sit quidam amor boni sperati; Secundò, quòd sit quædam efficax eiusdem prosecutio; Tertiò, quòd ex apprehensione boni futuri gignat in anima quoddam gaudium, iuxta illud ad Rom.12.v.12. *Spe gaudentes:* quod gaudium eo magis crescit, quo bonum speratum apprehenditur certiùs futurum: ita etiam in timore tria similiter reperiri: Primò, auersionem siue odium mali futuri; Secundò, efficacem eiusdem fugam tanquam mali ardui, ac vitatu difficilis; Tertiò, quòd gignat in animo quandam anxietatem, quæ augetur

In spe ac timore tria sunt distinguenda. *Rom.12.*

aut

aut minuitur prout malum futurum magis aut minùs apprehenditur imminere. Sicut autem virtus spei præcipuè consistit in secundo; ita timor peccati secundùm suam substantiam, & prout habet rationem virtutis, præcipuè consistit in secundo: inde enim habet præcipuè suam honestatem, quòd sit efficax peccati fuga. Ex communi tamen vsu loquendi (quo timorem ferè in vitijs aut saltem in defectibus solemus numerare) ille actus præcipuè dicitur timor à tertia illa conditione: ideoque prout hæc conditio in eo augetur aut minuitur, communiter dicitur ipse timor augeri vel minui.

Timor quia virtus secùdùm sua intrinseca præcipuè consistit in efficaci fuga peccati.

39 Ad primum igitur, Respondeo dictum actum crescente caritate non minui secundùm suam substantiam & quatenus habet rationem virtutis; sed potiùs augeri: quia cùm simul cum caritate augeatur spes, & amor beatitudinis, augetur etiam efficax fuga peccati, non solùm quatenus hoc aduersatur amicitiæ Dei, sed etiam quatenus aduersatur ipsi beatitudini speratæ. Solùm itaque minuitur, quatenus connotat ac gignit in anima dictam anxietatem. quod nullo modo obstat, quo minùs secundùm se sit vera virtus.

Timor crescente caritate crescit secundùm intrinseca, & secundùm effectum minuitur.

Ad secundum, nego consequentiam: quia etiam spes dicit aliquam imperfectionem sui subiecti, scilicet hoc carere re sperata: & fides intrinsecè dicit obscuritatem, & nihilominus est vera virtus.

Ad tertium, Respondeo antecedens solùm esse verum de timore aliquo inefficaci, qui verè non est virtus; secùs tamen esse de timore pœnarum inferni efficaciter ad omnia peccata, præsertim mortalia, vitanda nos impellente: quod esse difficile satis probat ipsa experientia.

Ad quartum, Respondeo hoc non esse verũ de metu pœnæ, quæ concipitur à Deo infligenda, vt patet ex dictis.

40 Conclvsio III. Metus pœnæ excitans ad fugam peccati, habens simul coniunctam voluntatem peccandi, si posset impune fieri, non est quidem actus veræ virtutis, cùm non contineat absolutum peccati odium, nec sufficienter sit efficax & fortis, prout requiritur ad actus virtutis: est tamen secundùm sua intrinseca non malus, sed potiùs aliquo modo bonus; quia aliquo modo auertit à peccato, licet non omnino efficaciter; nec secundùm se dicit vllum affectũ malum, aut respectum ad malam circumstantiam, sed præcisè fugam peccati ob timorem pœnæ. Et confirmatur, quia melius est eiusmodi timorem secundùm se præcisè consideratum habere, quàm eo omnino carere: quia sic homo sine vllo fræno in peccatum rueret. Affectus tamen ille peccandi, si impune fieri posset, isti timori coniunctus est malus, vt per se patet.

41 Ad primum argumentum positum num. 26. Respondeo Primò, hoc nihil facere contra timorem positum in prima conclusione, qui tollit omnem affectum erga peccatum etiam conditionatum, vt ostendi. Respondeo Secundò, illud solùm probare illum alterum timorem esse malum, quatenus habet eum affectum peccandi sibi coniunctum, non autem eum esse malum secundùm se.

Ad secundum, nego minorẽ generatim sumptam: tunc enim solùm est vera, quãdo quis ita timet pœnam, vt sit paratus peccare ad eam vitandam; quod locum non habet in timore, quo timemus pœnam nobis à Deo infligendã, vt patet ex dictis n. 35. Aliàs enim nõ tenemur semper magis timere culpam quàm pœnam, nec prohibemur aliquo actu timere pœnam magis, quàm autillo aut alio actu tunc temporis timeamus culpam. Nam aliàs illicitum esset timere pœnam, nisi simul etiam timeremus culpam: quod falsum est.

Ad tertium, nego minorem. Illud enim tunc solùm est malum, quando maius bonũ destruitur ad obtinendum minus, sicut fit quãdo quis peccat vt vitet pœnam. vide dicta disp. 19. dub. 5. num. 84. 42

Ad quartum, Respondeo maiorẽ tunc solùm esse veram, quando quis aliquid odit propter se; secùs autem esse quando id odit propter aliud: tunc enim sufficit eum priùs amare bonũ contrarium illi malo, propter quod illud alterum odit. v.c. in præsenti casu, timens culpam propter pœnam, debet priùs amare proprium suum bonum cui pœna contrariatur, & hanc ideo odisse, ita vt propter eam oderit culpam: sic potest quis odisse cibos dulces, quia contrarij sunt eius sanitati, etsi nunquam amauerit amaritudinem iis contrariam.

Ad quintum, nego maiorem generatim sumptam; fallit enim quando eiusmodi fuga, aut amor proprij commodi excitant hominem efficaciter ad omnimodam fugam vitiorum, & ad virtutis prosecutionem: nam aliàs actus spei non esset virtus, quia respicit commodum sperantis.

DVBIVM VI.

A quo habitu eliciatur timor seruilis?

43 AGimus hîc solùm de timore seruili, de quo egi dub. 5. concl. 1. & 2. non autem de eo, de quo egi ibidem concl. 3. nam cùm hic difficultatẽ non habeat, non indiget particulari habitu: quamuis fortè ex frequentatione eiusmodi actuum possit aliquis habitus gigni. Bañez igitur 2.2.q.19.a.6. putat probabilius esse hunc actum nullum habere habitum, à quo eliciatur. Quia hic habitus non potest esse infusus; nam timor seruilis manet in peccatore, in quo præter fidem & spem non manent vlli habitus infusi. Nec etiam potest esse acquisitus; quia eiusmodi timor supponit fidem, quam non supponunt vlli habitus acquisiti. Durandus verò in 3.d.34.q.4. docet eiusmodi timorem habere aliquem habitum, qui maneat etiam cum caritate: an autem hic sit distinctus ab habitu spei, expressè non docet.

Bañez.

Durand.

44 Turrianus autem 2.2. disput. 63. & Malderus ibidem q.19.a.4. in fine. Lorca ibidem disp.14. n.6. Suarez in 3. p.tom.4.disp.5.sect.2.n.10. docent eum elici ab habitu spei. Quæ sententia vera est, si loquatur de timore pœnæ æternæ, siue damni, siue sensus, aut etiam pœnæ Purgatorij: & apertè de solo harum pœnarum timore eam

Turrian. *Malder.* *Lorca.* *Suarez.*

Timor seruilis elicitur ab habitu spei.

Suarez eam intelligit Suarez suprà. Sequitur apertè ex dictis suprà nu.24. Nam, vt ibi ostendi, eadem virtus voluntatem inclinat ad amandum aliquod bonum,& ad fugiendum malum ei contrarium: atqui dictæ pœnæ contrariantur speratæ à nobis beatitudini, quatenus eius cõsecutionem, aut in perpetuũ aut saltem ad tempus impediunt, adeoque cum ea nequeunt consistere: ergo eadem virtus, quæ voluntatem inclinat ad illam amandam, eandem inclinat vt has pœnas fugiat, ac sibi impendentes timeat. Et consequenter iuxta ibidem dicta vterque actus ab eodem habitu, præsertim infuso, elicitur.

45 Quòd si intelligatur etiã de metu pœnæ temporalis, quæ in hac vita à Deo pro peccatis sæpè infligitur, ac loquatur de habitu spei theologicæ; non est vera, nisi hæc timeatur expresè quatenus apprehenditur fore impedimentum in progressu spirituali: quia aliter ipsa non opponitur nostræ beatitudini, & consequẽter timor eius non causatur ab amore beatitudinis, sed ex amore boni nostri naturalis, atque adeò ab eodem omnino principio procedit. Sicut autem etiam bona naturæ qua talia possumus honestè à Deo sperare, vt ostendi disp.19. dub.5.nu.82. ita possumus honestè timere mala illis contraria, tanquam à Deo nobis peccantibus inferenda; & hic timor habet veram rationem virtutis si nos efficaciter ad veram peccatorum detestationem ac fugam incitet, iuxta dicta suprà n.38. Ex quo sequitur, hunc actum posse habere particularem habitum acquisitum vel infusum instar aliarum virtutum moralium.

46 Dices, Pœna sensus tam inferni quàm Purgatorij, etiam contrariatur bono nostro naturali, nõ minùs quàm alia mala temporalia: ergo eius timor similiter atque timor horum procedit ex amore boni nostri naturalis, nisi expresè timeatur quatenus contrariatur bono supernaturali. Respondeo negando consequentiam, quia pœna inferni ac Purgatorij per se directè impedit consecutionem beatitudinis, atque ita directè & per se ei contrariatur, & consequenter eius fuga per se spectat ad virtutem spei, & est quædam implicita prosecutio beatitudinis, præsertim cùm adulti nequeant post hanc vitã illas pœnas effugere, nisi beatitudinẽ consequendo. Secùs est de timore pœnæ temporalis huius vitæ, quæ ex se non contrariatur nostræ beatitudini, sed eam communiter magis promouet, subtrahendo nobis facultatem peccandi, & cõpellendo nos ad Deum confugere. Illud ergo argumentum solùm probat illum timorẽ posse procedere ex amore boni naturalis, quãdo ea pœna expresè timetur, quatenus huic bono contrariatur: cum quo optimè consistit nostra conclusio.

47 *An timor pœnæ æternæ sit virtus theologica. Lorca.* Dubitatur hic præterea vtrùm timor actualis pœnæ æternæ sit secundùm se virtus theologica, & non solùm ratione habitus, à quo procedit. Lorca sup.n.7. id negat. Et probari potest, quia vt actus virtutis sit theologicus debet immediatè versari circa Deum; quod non competit illi timori, qui non respicit Deum nisi indirectè, quatenus per eum timetur pœna à Deo infligenda, & impeditiua consecutionis beatitudinis.

Aliqui alij voluntillum simpliciter esse actũ theologicum, quia putant obiectum formale illius actus esse omnipotentiam ipsius Dei illam pœnam infligentis: sicut ijdem aiunt obiectum formale spei esse omnipotentiã Dei beatitudinem nobis liberaliter promittẽtis, & auxilia ad hanc consequẽdam subministrantis. Sed si hoc argumentũ aliquid probaret, etiam probaret spẽ bonorum merè temporalium à Deo percipiendorũ, ac timorem pœnæ merè temporalis à Deo infligendæ esse actum theologicũ: quę per se apparent falsa. Ideoque suprà n.33. & disp.19.n.53. ostẽdi dictas rationes nec constituere, nec propriè ingredi obiectum formale spei vel timoris, sed id solùm tanquam quasdam circumstantias afficere, eaque ratione efficere, vt voluntas aliter in illud tendat, quàm alias tenderet.

Igitur ad dubitationem Respondeo Primò, 48 si loquamur de metu pœnæ damni, probabilius esse hunc actum esse theologicum; quia etsi indirectè & in obliquo, tamen explicitè tendit in ipsam beatitudinem, quatimẽs priuari metuit; atque ita est eadem ratio huius actus, & spei qua Christus sperauit beatitudinem sui corporis, de quo dixi disp.19.n.143.

Timor pœnæ damni est perfectus actus theologicus.

Respondeo Secundò, si loquamur de metu 49 pœnæ sensus, etsi possit aliquo modo dici actus theologicus, tum quia producitur ab habitu theologico, tum etiam quia aliquo modo saltè indirectè & remotè respicit beatitudinẽ remouendo eius obstacula: tamẽ melius negatur esse actus theologicus, præsertim quando hęc pœna non timetur explicitè, quia contrariatur beatitudini; quia tunc timor non respicit beatitudinem, nisi per quandam consecutionem, & secundùm moralem æstimationem. Nec refert quòd producatur ab habitu theologico, quia hic etiam potest influere in actus secundùm se non theologicos, quatenus inclinat non solùm ad sui obiecti consecutionẽ, sed etiam ad amotionẽ impedimẽtorum. vt notat Lorca sup.n.7.

Secùs est de timore pœnæ sensus.

Habitus theologicus potest elicere actum non theologicũ.

Lorca.

Demum ex dictis tam hoc quàm præcedente 50 dubio patet, tam actum quàm habitum timoris seruilis manere in nobis simul cum caritate eundẽ omnino secundùm substantiam, quãuis eius seruilitas non maneat, vt patet ex dictis nu.27. Item crescente caritate eius habitum crescere, atq; adeò etiam eius actum secundùm id omne quod in eo habet propriè rationẽ virtutis; quãuis secũdùm id quod ratio timoris in eo connotat, atq; ita secundùm propriã rationem timoris, crescẽte caritate minuatur, iuxta dicta n.38.

Timor seruilis manet cum caritate, non tamẽ eius seruilitas.

DVBIVM VII.

Quis timor dicatur initialis?

DVrandus in 3.d.34.q.4. putat timorem initialem distingui specie à timore filiali & seruili, quia secundùm eum timor filialis habet pro obiecto formali pœnam damni, & seruilis pœnam sensus; initialis verò vtramque pœnam simul sumptã, atque ita differt obiecto formali, & consequenter specie ab alijs duobus timoribus. Sed, vt ostendi suprà dub.4. Durand. apertè fallitur in suis principijs: nam tam pœna damni, quàm pœna sensus, quando timentur vt malum nostrum,

51 *Durand.*

nostrum, pertinent ad obiectum timoris seruilis: & timor filialis propriè timet culpā, quatenus displicet Deo; & pœnam damni solùm, quatenus impedit caritatem in Deum. Cùm igitur, vt patet ex dictis dub.4.5.& 6. timor filialis habeat pro obiecto culpam præcisè quatenus displicet Deo, eiusque quoddam est malum, & seruilis ipsam pœnam, quatenus nobis mala est; illeque procedat ex amore amicitiæ erga Deum, hic ex amore nostri; fieri omnino nequit vt vnus specie ac numero actus habeat obiectum formale conflatum ex obiectis formalibus vtriusque illius amoris: nam sic idem actus esset amor amicitiæ erga Deum, & amor proprius nostri, & pertineret ad distincta genera, vt patet ex dictis disp.19.dub.1.

Obiectum formale timoris filialis nequit cum obiecto timoris seruilis constituere vnum obiectum formale.

52 Pro resolutione Nota cum D.Thoma 2.2.q. 19.a.8. timorē initialē sic dici, quòd sit initium timoris filialis siue caritatis: hoc autem initium potest esse duplex. Primò, extrinsecū; qua ratione dispositio ad formam etiam remota dicitur initiū ipsius formæ: & hac ratione timor seruilis potest dici timor initialis, quia, vt docet Tridēt. sess.6.c.6. paulatim nos disponit ad caritatem & dilectionem Dei. vnde D. August. tract. 9. in epist.1. S. Iohannis comparat timorem seruilem setæ qua filum inducitur, & ferro medici aperientis vlcus, vt sanitas acquiratur: quia scilicet per illum inducitur caritas.

D.Thom.

Timor seruilis potest dici initialis, quatenus nos ad filialem inducit. *Trident. August.*

53 Aliàs initium rei dicitur id, quod ipsi intrinsecum est: sic caritas imperfecta est initium caritatis perfectæ. Et hac ratione timor filialis adhuc imperfectus dicitur timor initialis, respectu timoris filialis perfecti: & in hoc sensu communiter ferè accipitur timor initialis. Itaque timor initialis in priore sensu nihil est aliud quā timor seruilis, prout disponit nos ad caritatem suscipiendam. In secundo sensu est substantialiter idem cum timore filiali; solumq; in eo cōnotat quandam imperfectionem, qualis in rebus incipientibus esse solet, quæ paulatim ad perfectionē ducuntur. Item connotat in suo subiecto frequentes motus timoris seruilis, cum quadā anxietate, quæ paulatim crescente caritate minuitur, iuxta dicta n.50. Et hac ratione quandoque dicitur timorem initialem conflari ex filiali & seruili; non quòd intrinsecè vtroque constet, sed quòd connotet hunc secum coniunctum in eodem subiecto.

Qua ratione timor initialis dicatur conflari ex seruili & filiali.

54 Petes, cur, sicut datur timor filialis initialis, ita similiter non detur timor seruilis initialis? Respōdeo rationē esse, quia timor filialis initio est minor etiam in ratione timoris filialis, & crescēte caritate crescit: timor verò seruilis qua talis est initio maior, & eius seruilitas accedente caritate tollitur, & hac crescente anxietas quam connotat minuitur; atque ita ipse decrescit, quatenus habet rationem timoris seruilis.

Cur non detur timor seruilis initialis.

DVBIVM VIII.

Quid sit timor mundanus?

55 CONCLVSIO I. Timor mundanus est, quo ita timemus miserias huius vitæ, vt ad eas vitandas simus parati peccare: sicut amor mundanus est, quo ita amamus commoda temporalia, vt ad ea assequenda simus parati peccare. De hoc timore ait Isaias c.8. *Timorem eius ne timeatis, neq; paueatis; Dominū exercituum ipsum sanctificate; ipse timor vester, & ipse terror vester.* Et D. Petrus epist.1.c.3. *Timorem autem eorum ne timeatis.* Et Christus Lucæ 12. *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus.* Et de amore hoc ait Iohannes epist. 1.c.2. *Si quis diligit mundum, non est caritas Dei in eo.* Et in Euang.c.12. arguit Pharisæos, quia diligebant magis gloriam hominum quàm Dei.

Isaiæ 8. *1.Petr.3.* *Luc.12.* *1.Iohan.2.* *Iohan.12.*

56 CONCLVSIO II. Hic timor vel amor non sunt mali ex obiecto, seu quia tendūt in tale obiectū, sed quia inordinatè in id tendunt. Probatur prior pars, quia vt sic sunt naturales affectus, qui possunt esse boni vel mali: naturale enim est homini fugere naturæ incommoda, & amare ei commoda, quia naturaliter nosipsos amamus. Probatur secūda pars, quia hęc inordinata tendentia est implicita volitio peccati, quod apprehenditur vt necessarium mediū assequendi cōmodi, vel vitandæ miseriæ: sicut omnis efficax volitio finis est implicita volitio medij necessārij. vnde tales affectus in genere moris habent eandem numero malitiā cum peccato ad quod inclinant. v.c. amor pecuniæ ob quam paratus es peierare, habet malitiam periurij.

Qua ratione timor & amor mundani sint mali.

DVBIVM IX.

Vtrùm timor maneat in Beatis?

57 HAc in re certum est timorem mundanum nullo modo remanere in Beatis, quia vitiosus est: in Beatis autem nullū potest esse vitiū. Item timorem seruilem in ijs nō remanere, quia cùm omnino certò sciant nullam sibi pœnam amplius posse imminere, nullā timere possunt. Idque non solùm quatenus timor connotat aliquam anxietatem animi fugientis imminēs malum: sed etiam quatenus præcisè dicit huius efficacem fugam, aut conatum ad eius fugā, quia hæc necessariò respiciunt malū possibile euenire, ac nisi fugiatur probabiliter euenturum: sicut spes necessariò respicit bonum possibile acquiri; quare sicut hæc nequit versari circa bonum quod certò scitur omnino impossibile acquiri: ita timor nequit versari circa malū quod certò scitur nullo modo posse euenire. Quare cùm respectu Beatorum nullum sit tale malū, non potest in ijs esse timor seruilis. Nec refert quòd in ijs permaneat habitus, quo hîc elicuerūt timorem seruilem; quia cùm ibi eius actus sit ipsis impossibilis, ille ibi nullā omnino habet rationem timoris. Ex quibus videtur etiam sequi, in Beatis non remanere actum timoris filialis, quia cùm sciant sibi omnino esse impossibile peccare, nequeunt peccatum apprehendere, vt malū sibi vllo modo imminens aut vitatu difficile, & consequenter nec possunt illud timere.

Timor mūdanus & seruilis nequeunt esse in Beatis.

58 Contrà tamen videtur omnino certum in ijs reperiri aliquem actum timoris, quo Deum verè timent: nam Isaiæ 11. de Christo dicitur, *Et replebit eum spiritus timoris Domini.* Et psal.18. dicitur, *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi.* Et quamuis aliqui hunc locum explicent, quòd

Isaiæ 11. *Psal.18.*

timor Domini maneat in Beatis secundùm effectum; planior tamen & litteræ conformior est sensus, si timor intelligatur secundùm se manere. Confirmatur, quia S. Bernardus epist.190. refert inter errores Abailardi, quòd negauerit in Christo fuisse spiritum timoris Domini, ac timorem castum in Beatis futurũ. Quare Theologi, excepto Durando, communiter concedũt, timorem Domini manere in Beatis. Qualis autẽ hic timor sit, variæ inter eos sunt sententiæ, vt patet apud Vasquez in 3.p.tom.1.disp.44.cap.2. Suarez ibidem disp.20.sect.2. Bañez 2.2.q.19.a. 11. Caietanum, Turrianum, & Lorcam ibidem.

Bernard.

Vasquez. Suarez. Bañez. Caietan. Turrian. Lorca.

59 Nota ex dictis suprà n.38. timorem omnino strictè & completè sumptum, dicere Primò, auersationem alicuius mali, aut saltem hanc supponere; Secundò, eiusdem fugam; Tertiò, connotare quandam anxietatem animi fugientis malum: & saltem vt illa fuga habeat rationem virtutis, malum debere apprehendi arduum ac vitatu difficile. Sed hæc vltima non sunt absolutè de intrinseca ratione cuiusuis timoris: nam quamuis strictè loquendo communiter dicamur non timere ea, quibus hæ conditiones desunt, tamen etiam vlitato modo loquendi dicimur sæpè quędam timere, quibus eæ conditiones nòn cõueniunt, vt ex dicendis patebit.

60 Nota Secundò, etsi vt aliquod malum cum aliquo conatu fugiamus communiter requiratur vt apprehẽdamus id tamquam nobis imminẽs & superuenturum nisi caueatur; tamen hoc non est absolutè necessarium: nam sæpè experimur, quando aliquod graue malum vehemẽter apprehẽdimus, nos illud cum quodam horrore refugere, quantũuis sciamus id nobis nullo modo posse imminere. Patet hoc cùm ex alta turri per fenestram despicimus profundum præcipitium; quantumuis enim sciamus nos non posse cadere, tamẽ ipsum casum refugimus ac horremus. Idemq; multis accidit quando inspiciunt horrẽdam aliquam belluam caueæ inclusam. Ex quo patet, vt quis secũdùm communẽ etiam loquẽdi modum dicatur aliquid timere, non esse omnino necessarium vt illud apprehẽdat hîc & nunc sibi imminere, ac vitatu difficile. Nam ita illud præcipitium aut belluam spectantes dicũtur hæc horrere ac timere, quantumuis sciant sibi inde nihil mali posse imminere.

Possumus refugere malum non apprehẽsum imminere.

61 Nota Tertiò, nos cum quodam pauore refugere non solùm ea quæ nobis sunt mala, sed etiam ea quæ ob suam ingentem excellentiam nobis sunt valdè improportionata, quorum ideo accessum tanquam nobis improportionatum ac inconuenientem refugimus. Sic pauperes conspectum ac accessum principũ refugiunt, & quando id necesse est, cum quadam trepidatione & timore eos accedunt, quantũuis nihil mali sibi ab ijs metuant. Sic S. Petrus Lucæ 5. cũ vidisset se Christi virtute tot pisces cepisse, *procidit ad genua Iesu, dicens; Exi à me, quia homo peccator sum Domine*: timens nimirum tam excellentis Prophetæ præsentiam, non quòd aliquid mali ab eo sibi metueret; sed quia apprehendebat se indignum vt coram eo consisteret. Et ibidem inferiùs, cùm homines vidissent paralyticum sanatum, *repleti sunt timore dicentes, Quia vidimus mirabilia hodie.* Item c.7. resuscitato viduæ filio, *accepit omnes timor, & magnificabant Deum.* Hinc etiam S. Gregorius lib.17. Moral.cap.17. aliàs 15. explicans illud Iob c.26. *Columnæ cæli contremiscunt, & pauent ad nutum eius*; in fine capitis ait: *Ipsæ virtutes cælestium, quæ hunc sine cessatione conspiciunt, in ipsa sua contemplatione contremiscunt, & pauent ad nutum eius. Sed idem tremor, ne iis pœnalis sit, non timoris est*, (scilicet quo malum aliquod impendens timeant) *sed admirationis.* Hinc etiam apud profanos horror sæpè veneratione significat, vt notat Seruius in illud Virgilij Æneidos 1.v.169. *Horrentiq; atrum nemus imminet vmbra.* Item lib.7.v.173. *Horrendum siluis & religione parentum.* vnde etiam libr.6.v. 10. Sibyllam vocat horrendam.

Excellentia rei optimæ excitat sui horrorem.

Lucæ 5.

Lucæ 7.

Gregor.

Virgil.

62 Ex quibus patet duplicem timorem reperiri posse in Beatis. Primò, filialem, qui respicit immediatè ipsa peccata tamquam malũ contrariũ diuinæ bonitati. Cùm enim ipsi Deum summè ament, eiusq; bonitatem quodammodo infinities magis æstiment, quàm nos eam possimus æstimare, consequenter malitiam peccati, vt Deo contrariã, quasi infinities magis apprehendũt, quàm vllus viator eam possit apprehẽdere: hinc quantumuis certò sciant sibi nullum peccandi periculũ imminere, tamen ipsum peccatum nõ solùm vehementissimè detestantur, sed cũ quodam etiã horrore refugiunt, iuxta explicatam n.61. Et quamuis hic actus non respiciat malũ imminens, aut vitatu difficile, ideoq; nec anxietatem causet, nec constantiam aut fortem conatum in voluntate requirat ad peccati fugam, atque ita non sit talis timor, qualem Aristoteles definit, & qualem suprà diximus debere hîc in nobis esse timorem peccati siue filialem siue seruilem, vt habeat rationem virtutis; tamen secũdùm vsitatum etiam loquẽdi modũ verè dicitur timor, cũ ea, quæ timori seclusis imperfectionibus ipsius subiecti conuenire possunt, ipsi conueniant.

In Beatis duplex timor.

63 Dices, Hinc sequetur in Beatis etiam reperiri timorem seruilem, saltem secundùm suam substantiam: quia similiter poterunt apprehendere pœnam damni tanquam grauissimum malum, vt quod contrariatur maximo bono, scilicet visioni Dei, quam vehementissimè etiam amant. Respondeo nego consequentiam: quia cùm Beati sine comparatione ament Deum appretiatiuè plus quàm seipsos, longè aliter apprehendunt malum culpæ, quàm malum pœnæ, ideoque ex illius apprehẽsione mouentur quodam horrore, non tamen ex apprehensione huius, præsertim cùm de se suisque bonis planè securi, de solis bonis diuinis sint solliciti,

Cur in Beatis nequeat esse timor seruilis.

64 Secundus timor in Beatis est reuerentialis, qui nascitur partim ex vehementi apprehensione maiestatis Dei, quæ eos excitat ad summam ipsius venerationem: partim ex apprehẽsione suæ propriæ vilitatis, quæ eos excitat ad sui despicientiam, & profundam humilitatem: vnde fit vt accessum familiarem ad Deum apprehendant vt sibi minùs conuenientem, atque ita eum quodammodo refugiant, & cum quodam tremore ei assistãt. Non quidem qui gignat in ijs aliquam anxietatem aut perturbationem (hæc enim ab eo statu longissimè absunt) sed

Timor reuerentialis in Beatis.

sed qui naturaliter consequitur illam apprehensionem & venerationem maiestatis diuinæ; iuxta dicta nu.62. Quare hic actus potest produci vel ab habitu religionis, qui inclinat ad Dei venerationem; aut ab habitu humilitatis, prout ille sequitur diuersam considerationem.

A quo habitu procedat.

DVBIVM X.

Quid sit desperatio?

65 *Almainus.* ALmainus tract.1.moralium c.de spe, sub finem, putat desperationem posse consistere aut in solo actu intellectus, quo quis liberè & firmiter iudicat se non esse saluandum; aut in solo actu voluntatis, quo non vult saluari, etsi credat se de facto saluandum.

66 *Turrian.* Quidam alij apud Turrianum 2.2. disput.64. dub.1. docent Primò, ad desperationem nõ sufficere actum voluntatis, quo quis nõ vult beatitudinem, nisi iudicet se eam nõ consecuturum. Quia spes necessariò requirit iudicium, quo iudicamus nos cõsecuturos beatitudinẽ: ergo desperatio requirit iudicium quo iudico me eam non consecuturũ. Confirmatur, quia velle beatitudinem, quam non credis te assecuturũ, non est spes: ergo nolle beatitudinem quam credis te assecuturum, non est desperatio.

67 Docent Secundò, ad desperationem sufficere solum iudiciũ intellectus, quo quis liberè & imprudenter iudicat se non saluandũ. videntur autem loqui de iudicio quo id omnino firmiter iudicat. Probant, quia tale iudicium aufert obiectum spei ac rationem eius formalem, & reddit iudicantem impotentem sperare; ergo est peccatum positiuè contrarium spei. vnde vlteriùs inferunt esse peccatum desperationis, adduntque in hoc solo consistere veram desperationem, non autem in actu voluntatis.

68 Non omne peccatum contrarium spei est desperatio. Sed hoc argumentum nihil probat, nam secunda illatio est apertè nulla. Optimè enim hęc consistunt, aliquod peccatum esse positiuè contrarium spei, & tamen non esse desperationem: nam aliàs præsumptio esset desperatio. Item certum est eum qui positiuè vult numquam sperare, peccare positiuè contra spem, & tamen secundùm illos Auctores per hunc præcisè actum non desperat. Tertiò, quia qui positiuè vult numquam credere Deo, peccat positiuè contra fidem, etsi nullum habeat iudicium fidei repugnans; & tamen talis non elicit actum infidelitatis: ergo similiter potest quis positiuè peccare contra spem, non eliciendo actum desperationis.

Similiter in argumento pro priore parte allato, nego consequentiam. Nam simili ratione ex eo quòd ad fidem necessaria sit volũtas, qua quis vult aliquid credere præcisè quia à Deo reuelatũ est, probares ad infidelitatem necessariam esse voluntatem qua quis non vult Deo ita credere. Quod tamen non est verũ: nam qui negat aliquem articulum, quem scit ab Ecclesia credi, est hæreticus, quãtumuis habeat actu voluntatem credendi omnia quæ Deus reuelauit. Ad confirmationem, Respõdeo eam nihil facere ad rem: nam etsi concedatur desperationem non posse consistere cum iudicio, quo iudico me omnino consecuturum beatitudinem; inde non sequitur eam requirere iudicium, quo iudico me eam omnino non consecuturum: datur enim medium, vt ostendam n.79.

69 Desperatio est actus voluntatis. *D. Thomas. Caietan. Valentia. Lorca.* Communior autem Theologorum sententia est desperationem formaliter consistere in actu voluntatis. Ita D. Thomas 1.2.q.40.a.2. Caietanus ibidem. Valentia disp.3.q.7.puncto 2. Lorca 2.2.sect.2.disput.16. & alij, qui omnes constituunt desperationem in quodam recessu à beatitudine siue bono sperando. Est tamẽ difficultas communiter non satis explicata, qualis hic recessus sit. Multi enim videntur dicere eum consistere in positiua nolitione beatitudinis.

70 Beatitudinẽ nemo potest odisse. Sed hoc habet magnam difficultatem: videtur enim fieri non posse vt quis positiuè nolit esse beatus, cùm ad hoc sit necessarium vt in beatitudine concipiat aliquam rationem mali, quæ in ea nequit concipi, cùm ipsa essentialiter includat absentiam omnis mali. Hinc etiam ipsi damnati, quantumuis oderint Deum, tamen desiderant esse beati.

71 Dices Primò, Etsi quis beatitudinem formaliter aut in genere sumptam nequeat odisse, poterit tamen ex ignorantia, in ipsa Dei visione concipere aliquid mali, ideoque eam nolle. Sed contrà Primò, videtur valdè difficile, eum qui aliquo modo scit quid sit Deus, aut quid sit eum videre, posse iudicare sibi esse malum eum clare videre. Quid enim mali potest in eo concipi? hinc Vasquez 1.2.disp.39.nu.7. expresè docet, *Vasquez.* fieri nullo modo posse vt quis nolit esse beatus aut non videre Deum. Secundò, etsi concedamus aliquos ex stupida ignorantia iudicare visionem Dei sibi esse malam, non poterunt tamẽ eam propriè desperare: quia ea sola desperamus, quæ nobis desideramus (nemo eum propriè dicitur desperare se fore miserum), qui autem iudicant beatitudinem sibi esse malam, adeoque eam nolunt, eam non desiderant.

72 Nec satisfacit dicere, quòd beatitudo possit concipi partim bona, partim mala, & ita partim desiderari, partim odio haberi; quia inde non sequitur quòd possimus eam simul absolutè odisse & desiderare: sed solùm quòd possimus in ea aliquid odisse, & aliquid amare. Nam si iudicemus nobis esse bonum eam etiam coniunctam illi malo habere, & ita eam absolutè desideremus, non possumus simul absolutè nolle eam habere: sed tunc solùm possumus desiderare illud malum ab ea abesse. Quòd si iudicemus melius nobis esse ea carere, quàm habere coniunctam cum eo malo, & ita eam absolutè nolimus habere, tunc non possumus simul eam absolutè desiderare.

73 His adde, saltem paucissimos esse, qui ex simili ignorantia possint concipere beatitudinem sibi esse malam, aut eam aliquid mali in se continere, ita vt possint eam positiuè ideo nolle habere: plurimos verò desperare qui ea ignorantia non laborant. vnde sequitur, desperationem non posse consistere in eiusmodi nolitione.

Dices Secũdò, Multi concipiunt beatitudinẽ vt valdè difficilem, aut etiam impossibilem sibi

ad acquirendum,& hac ratione sibi malam,atque ita eam nolunt & desperant. Respondeo quòd beatitudo concipiatur vt difficilis vel impossibilis acquisitu, non efficere vt ipsa iudicetur in se mala, aut minùs desiderabilis ; nec hoc potest esse ratio cur eam vllo modo oderimus,aut nolimus. vnde etiam damnati quantùuis sciant eam sibi esse impossibilem, tamẽ eam maximè desiderant:sed solùm efficit vt nõ ametur efficaciter, siue vt eius prosecutio iudicetur inutilis aut mala, ideoque odio habeatur. quæ multũ inter se distinguuntur;sæpè enim fit vt rem aliquam vehementer desideremus,& tamẽ nolimus eam vllo modo prosequi, aut etiã vt eius prosecutionẽ tamquam minùs difficilẽ,aut omnino inutilem,aut etiam alijs bonis ardentiùs à nobis amatis contrariã oderimus. Et hanc omnes desperantes immediatè ac directè nolũt,& solùm mediatè ab ipsa beatitudine recedũt, eãque aliquo modo fugiunt:non quidem eam secundùm se absolutè nolendo,sed nolendo eam efficaciter prosequi, & fugiendo media quibus ad eam accedendum est.Et sic intellige D.Thomam suprà docentem desperationem esse recessum à beatitudine. Vt autem hæc sint clariora,

Possumus aliquid amare cuius prosecutionem odimus.

Qua ratione desperans recedat à beatitudine.

74 Quid desperatio significet.

Nota Primò,desperationem(vt patet ex ipso nomine,& communi sensu)significare quãdam positiuam, & omnimodã defectionem à spe, siue actum directè & immediatè repugnantẽ ipsi spei,quo omnino ab ea deficimus:quãdiu enim aliquis non omnino deficit à spe , non dicitur absolutè desperare.Sicut igitur spes(vt ostendi disp.19.n.36.) formaliter consistit in efficaci desiderio boni amati, siue in actu voluntatis, quo hoc bonũ efficaciter prosequitur:ita desperatio formaliter cõsistit in actu, quo quis positiuè,directè,ac immediatè ab illius boni prosecutione penitus discedit. Confirmatur,quia cùm desperatio significet actum directè ac immediatè cõtrariantem ipsi spei: item cùm eiusmodi defectio ipsi spei inter omnes actus maximè directè & immediatè contrarietur, optimè in eo formalis ratio desperationis constituitur.

In quo consistat.

75 Tripliciter deficimus à rei alicuius prosecutione.

Nota Secundò,nos tam ab externa siue corporali,quã ab interna siue spirituali rei alicuius prosecutione tripliciter posse deficere. Primò, merè negatiuè, v.c. quiescendo nonnihil in itinere,quo ad locũ destinatũ tendimus; aut non eliciendo,siue nolendo elicere actũ spei,quando ad hoc non tenemur. Secũdò,ex itinere nostro deflectendo,aut nonnihil retrocedẽdo, cũ voluntate tamen postea illud prosequẽdi.Item non eliciendo actum spei,quando ad hoc tenemur,aut etiã positiuè nolendo tunc elicere actũ spei,ita tamen vt habeamus võluntatem postea redeundi ad prosecutionem boni sperãdi. Qua ratione etiam possumus dici vel retrocedere vel saltem à spe nostra deflectere per omne peccatũ mortale. Tertiò, prosecutionem nostri itineris aut boni sperandi penitus deserẽdo. Et hac sola ratione dicimur nostram prosecutionẽ siue protectionem absolutè deserere,siue ab ea omnino deficere. Secùs est in prioribus duobus modis: nam in primo modo non possumus propriè dici deserere nostrã prosecutionem,sed solùm ab ea actu continuanda nonnihil cessare. In secundo verò aliquo quidem modo nostrã prosecutionem deserimus,& ab ea verè deficimus,non tamen omnino:nam ratione propositi eam postea resumendi, ipsam aliqua ex parte secũdùm moralem estimationẽ continuamus.Et cõfirmatur, quia aliàs omnis qui peccat mortaliter deberet dici omnino abiicere siue deserere spem beatitudinis,quia in huius prosecutione retrocedit; illud autem est absurdum,quia sic omnis peccans mortaliter perderet habitum spei.

Ex his sequitur Primò, desperationem non posse consistere in actu intellectus , quo quis firmiter iudicat rem desideratam sibi esse acquisitu impossibilem , aut se eam non consecuturum; quia hic actus non contrariatur directè & immediatè ipsi spei,sed solùm indirectè,quatenus repugnat actui, quem spes necessariò supponit,scilicet iudicio, quo quis iudicat se posse rem desideratam consequi: quare si per impossibile fieret vt quis habens prius iudicium simul iudicaret se posse rem desideratam consequi & probabiliter consecuturum,posset hic habere verum actum spei,nec vllo modo posset dici desperare. quæ essent falsa, si desperatio consisteret formaliter in illo iudicio:nam desperatio formaliter & per se immediatè repugnat spei,sicut odium amori:& quicumque habet in se formalem actum desperationis, verè dicitur desperare , quantumuis per impossibile simul habeat actum spei ; sicut si quis simul respectu eiusdem rei eliceret odium & amorem , diceretur verè simul eam rem odisse & amare.

76 Desperatio non consistit in actu intellectus.

Qui tamen eiusmodi iudicia circa beatitudinem liberè eliceret,eò quòd culpabiliter redderet sibi actum spei omnino impossibilem, eius habitum infusum perderet , vt patet ex dictis disp.19.dub.11.

Sequitur Secundò, desperationem non consistere in directa & expressa nolitione ipsius beatitudinis,aliòve voluntatis actu,quo quis hanc directè & immediatè secũdùm se fugiat siue oderit,quia,vt ostendi n.70. eiusmodi actus aut vix,aut fortè nullo modo potest ab homine elici, cùm tamen constet multos desperare. Item cum desperatione potest consistere absolutum desideriũ beatitudinis. quod esset falsum,si illa consisteret in expressa nolitione beatitudinis, cum qua non consistit illud desiderium.

77 Desperatio non est nolitio beatitudinis.

Sequitur Tertiò,eam non consistere in prima aut secunda defectione à spe ex recensitis n.75. quia cum his potest consistere vera spes, sicut cum alijs peccatis mortalibus; atque adeò infertur eam consistere in tertia defectione, quia hæc absolutè,directè ac immediatè contrariatur actui spei.

Sequitur Quartò, resolutio propositi dubij, scilicet desperationem formaliter consistere in actu voluntatis, quo expressè statuimus numquam ampliùs prosequi siue sperare beatitudinem, aliámve rem sperandam: quia huic actui propriè conueniunt, quæ ostendi suprà ad desperationem requiri.

78 Quid sit desperatio.

Dices, Eiusmodi nolitio non opponitur directè & immediatè ipsi actui spei: ergo non est desperatio. Antecedens probatur,quia vt vnus actus directè alteri opponatur,debet vterque ver-

79

versari circa idem obiectum: quod hîc non contingit; nã spes solùm est volitio beatitudinis, dicta autem nolitio non est nolitio beatitudinis, sed prosecutionis ipsius beatitudinis.

Ad argumentum, nego antecedens. Ad probationem, nego minorẽ: actus enim spei est etiã volitio ipsius prosecutionis beatitudinis: nõ solùm quia omnis volitio libera virtute supra seipsam reflectitur; adeò vt omnis qui liberè vult, velit se velle; sed etiam quia efficax intẽrio finis est implicita volitio medij necessarij: spes autẽ est efficax intentio beatitudinis, & huius prosecutio siue ipse actus spei est medium necessarium ad eam obtinendã. Quare duo suprà dicti actus per se directè dicunt quandam repugnãtiam, vt in eodem subiecto simul consistant.

80 Desperat propriè beatitudinem, qui eius prosecutionem non vult.

Sequitur Quintò, desperationem respicere duplex obiectum, scilicet rem sperandam, v. c. beatitudinem, & huius prosecutionem: respectu prioris habet rationem desperationis; respectu secundi habet rationem nolitionis: nam, vt ostendi suprà, desperans beatitudinem hanc nullo modo propriè ac directè auersatur, sed desiderat; ipsam verò prosecutionem non desperat, sed non vult, siue eam auersatur.

81 Non omnis desperans iudicat beatitudinẽ sibi esse impossibilem, aut se eam non obtenturum.

Sequitur Sextò, vt quis desperet non esse necessarium vt ipse iudicet salutẽ aliámve rem desideratam sibi esse impossibilem, aut se eam non consecuturum: potest enim quis nullũ eiusmodi iudicium eliciendo, sed solùm apprehendendo beatitudinis prosecutionẽ valdè difficilem aut contrariam suis voluptatibus, quas perditè amat, & non vult deserere, absolutè secum statuere nolle eam ampliùs prosequi, sed se totum voluptatibus immergere: quo casu desperabit. Quare quod multi dicunt; desperationem supponere iudicium, quo quis iudicet consecutionem rei amatæ sibi esse impossibilem, vt verum sit, impossibile debet accipi pro valdè difficili, vt sæpè etiam in Scriptura accipitur: tale autem apprehenditur id quod non possumus consequi, nisi deserendo ea quæ valdè amamus: ab his enim videmur nobis non posse auelli.

82 Desperatio necessariò connotat absentiam alicuius iudicij.

Nota tandem, etsi, vt iam ostendi, desperatio propriè & formaliter consistat in solo dicto actu voluntatis, eam tamen necessariò connotare absentiam alicuius actus intellectus, scilicet iudicij, quo quis iudicat se rem amatam consecuturum; quia qui haberet tale iudicium, etsi eam rem omnino nollet prosequi, tamen eam propriè non desperaret. Similiter spes formaliter quidem consistit in solo actu voluntatis, intrinsecè tamen connotat aliquem actum intellectus, quo res amata iudicatur saltem probabiliter consequenda: qui enim nullo modo crederet se rem amatã aliquando cõsecuturum, etsi per possibile vel impossibile haberet efficax illius desiderium; tamen hoc non haberet rationem spei, nec ipse posset dici rem illam propriè sperare. quamuis nec eam propriè desperaret, vt patet ex dictis n. 76.

DVBIVM XI.

Quale iudicium præequiratur ad desperationem.

HÆc difficultas præcipuè proponitur Primò, vt videamus an desperatio possit esse sine hæresi: nam cùm saltem secundùm multorum sententiam sit hæreticum credere nobis salutem esse impossibilẽ, & desperatio videatur supponere tale iudicium; videtur supponere iudicium hæreticum. Secũdò, vt sciamus quod sit obiectum formale desperationis. Quas difficultates varij satis perplexè tractant, vt videre est apud Turrianum 2.2. disp. 64. dub. 1. & 2. & Bañez ac Lorcam ibid. q. 20. a. 1. & 2. Sed ex dictis dubio 10. facilis est horum solutio. 83 *Turrian. Bañez. Lorca.*

Conclvsio I. Etsi desperatio quandoque proueniat ex eo, quòd quis iudicet salutem sibi esse impossibilem; tamen hoc non est necessarium, sed sufficit quòd apprehendat se nunquã de facto futurum saluum, quantumuis iudicet se posse saluari, ac etiam de facto saluum fore, si diligenter gratiæ Dei cooperaretur. Itẽ sufficit quòd apprehendat seriam prosecutionem salutis ob prauas suas inclinationes sibi esse valdè difficilẽ aut contrariam suis voluptatibus, quas perditè amat, nec vult deserere: singula enim hæc iudicia sunt nata aliquem excitare vt nolit ampliùs beatitudinem prosequi. & patet duo posteriora non esse hæretica, imò possunt de facto esse vera, & sæpè talia sunt. 84

85 Obiectum formale desperationis.

Conclvsio II. Obiectum formale, siue ratio mouens ad desperationem, quandoque est apparens inutilitas spei, siue quòd quis iudicans consecutionem beatitudinis sibi esse impossibilem, aut se quidquid agat, numquam eam consecuturum, apprehendat eius prosecutionem sibi omnino esse inutilem, ideoque eam auersetur. Aliàs est ipsa difficultas, quam quis in prosecutione beatitudinis experitur, nimiumque apprehendit. Aut etiam contrarietas, quam hæc prosecutio habet cum voluptatibus quas ipse amat.

86 Ex quibus sequitur Primò, desperationem posse nasci ex amore variorum peccatorum quibus quis nimis afficitur; sæpè tamen nasci aut ex infidelitate, qua quis credit sua peccata esse maiora misericordia & bonitate Dei; aut ex pusillanimitate aut acedia, quando hominem tædet tot difficultates in prosecutione beatitudinis occurrentes superare. vide D. Thomam 2.2. q. 20. a. 4. *D. Thomas.*

87 Quantum sit peccatũ.

Sequitur Secundò, desperationem ex natura sua esse grauius peccatum, quàm sint peccata contra virtutes morales, quia repugnat virtuti theologicæ, & magis à Deo auertit. Esse tamen leuius odio Dei, quod directè aduersatur bonitati Dei, & grauissimam ei infert iniuriam. Item esse leuius infidelitate, quia hæc directè auertit nos à veracitate Dei, & hunc facit mendacem, adeoq; Deo valdè iniuriosa est. Desperatio autem nõ auertit nos directè à Deo: nam, vt ostendi nu. 70. & 74. desperans non auersatur ipsam beatitudinem secundùm se, sed hanc

desiderat,& solùm auertatur eius prosecutionẽ; quare illa non ita directè nos auertit à Deo, sicut odium Dei & infidelitas nos ab eo auertunt. Est tamen communiter periculosior ipsa infidelitate,& causa plurium peccatorum,iuxta illud ad Ephesios 4. *Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis in auaritiam.* Ac si diceret,Desperantes futura bona omnem beatitudinem in voluptatibus constituerunt, ideoque inexplebiliter eas concupierunt,sicut auari pecunias.

Ephes.4.

DVBIVM XII.

Vtrùm Deus possit alicui adhuc viuenti reuelare suam damnationem?

88 BOnauentura in 1.dist. vltima,in explic. textus,& Altisiod.l.3.tract.5.c.6.q.5.paulò ante finem id negant. Quia talis esset perplexus; nam simul teneretur sperare beatitudinem, ob præceptum spei: eamque nolle, quia deberet se conformare diuinæ voluntati, volenti eum absolutè damnare. Secundò,potest probari, quia videtur repugnare diuinæ bonitati,constituere hominem viatorem in eo statu,in quo nequeat vlteriùs tendere in suum finem. Tertiò, quia eiusmodi reuelatio nullius boni, & multorum malorum esset causa.

Bonauent. Altisiod.

89 Nota hanc reuelationem posse concipi tripliciter fieri. Primò, merè comminatoriè, siue sub conditione nisi peccator se emendauerit. Sic Iohannis 8.v.21.& 24.Christus ait Iudæis, *In peccatis vestris moriemini.* hoc enim comminando dixit. Secundò,ita vt Deus absolutè alicui prædicat ipsum damnandum, ita tamen vt ipse id solùm accipiat cõminatoriè dictum: qua ratione S.Petro fuit reuelatum futurum ipsius peccatum. Tertiò,ita vt is cui fit reuelatio, perfectè intelligat eam assertoriè & absolutè fieri, nec vllam conditionem subintelligi. Et de hac sola reuelatione difficultas procedit; nam secundo modo,& multò magis primo modo posse alicui suam damnationem reuelari Altisiodor. suprà concedit.

Iohan.8.

Altisiod.

90 CONCLVSIO I. Posito præsenti Dei decreto, quo statuit omnibus hominibus hanc vitam tamquam quoddam stadium, in quo ad salutis brauium contendere possint, atque adeò quo decreuit nulli,quamdiu ratione vtitur,hûc cursum reddere impossibilẽ,fieri nequit vt ipse alicui iuxta tertium modum ex dictis suam damnationem reuelet: quia,vt ostẽdam dub.sequẽti, per eiusmodi reuelationem homini spes, & consequẽter seria salutis prosecutio redditur omnino impossibilis.Est cõmunis sententia,quia omnes fatentur hanc reuelationem non posse fieri secundùm potentiam Dei ordinariã: vnde etiam communiter inferunt,si cui eiusmodi reuelatio fieret, eam fore intelligendam solùm comminatoriè fieri,nisi fortè omnino clarè constaret eam absolutè assertoriè fieri. quod,vt iam dixi, hoc rerum statu fieri nequit.

91 CONCLVSIO II. Deus secluso tali decreto ex absoluta potentia posset alicui peccatori suam damnationem iuxta tertium illum modũ reuelare. Ita D. Thomas qu.23.de veritate a.8.ad 2. Valentia 2.2.disp.3.q.4.puncto 1.Bañez ibidem q.22.a.1.dub.3.Turrianus disp.65.dub.2. Lorca sect.2.disp.18.Vasquez 1.2.disp.72.n.15.

D.Thom. Valentia. Bañez. Turrian. Lorca. Vasquez.

Probatur Primò,quia eiusmodi reuelatio secundùm se non est intrinsecè mala, sed solùm potest esse mala ratione incommodorum, quæ ex ea sequerentur : atqui hæc non sunt tanta, quin Deus iis neglectis posset ob iustam causam illam reuelationem velle, vt patebit ex solutione obiectorum: ergo potest Deus absolutè eiusmodi reuelationem velle.

Probatur Secundò, quia Deus potuisset primum hominem ita creare,vt,si peccaret,nollet ei vmquam dare gratiam, qua à peccato resurgeret,idque ei clarè intimare; quo casu ille non minùs potuisset labi, quàm iam lapsus est; post lapsum autem clarè cognouisset se infallibiliter perpetuò damnandum esse: ergo Deus posset simili modo alicui peccatori id iam absolutè denunciare, si nullum ipsius decretum obstaret.

Ad primum argumentum positum num.88. 92
nego assumptum;quia talis nec teneretur positiuè sperare beatitudinem, nec etiam eam nolle; sed posset se habere merè negatiuè respectu ipsius.

Ad secundum,Respondeo,id sepositio ipsius præsenti decreto bonitati diuinæ non repugnare,quando adsunt iustæ causæ id faciendi: v.c.ad punienda grauissima alicuius peccata,& terrorem cæteris incutiendum,quibus eiusmodi reuelatio innotesceret. Confirmatur,quia ob similem causam Deus iustè reuelat damnatis ipsorum damnationẽ fore æternam,sine vllo remedio salutis:& tamen hinc ipsi accipiunt occasionem infinita peccata patrandi,non minùs quàm is cui hîc sua damnatio esset ita reuelata: solumque hoc interest discrimen,quòd illi nequeant augere vlteriùs damnationem suã, eiusmodi autem homo adhuc eam posset augere. Sed hoc non est tanti momenti quin ob graues causas posset negligi. Ex quo patet responsio ad tertiũ: negandum enim est assumptũ;nam talis reuelatio potest esse causa boni, scilicet exercitij,& ostensionis diuinæ iustitiæ vt alij à peccatis deterreantur. Eiusmodi tamen homo desineret ex parte esse viator, quia non posset ampliùs contendere ad suum finem.

Dixi, eiusmodi reuelationem posse fieri alicui peccatori, quia videtur satis probabile, secùs esse dicendum de iusto. videtur enim omnino repugnare diuinæ bonitati hominem sibi amicum ac filium adoptiuum, cuiscũdùm præsentem statum debita est æterna gloria,præter suum meritum constituere extra omnem spem salutis, & in morali quadam necessitate ab ea excidendi in perpetuam damnationem, prout fieret per eiusmodi reuelationẽ, quia per hanc tali homini redderetur seria salutis prosecutio moraliter impossibilis, vt patebit ex dubijs sequentibus, sine qua tamen nequimus ipsam salutem consequi: vnde eiusmodi reuelatio homini viatori facta habet locum grauissimæ pœnæ, quam iustus non meretur. quæ magis confirmabuntur n.96.

93 Probabile est iusto non posse suam damnationẽ absolutè reuelari.

Dices

94 Dices Primò, Verum est iam de multis existentibus in gratia dicere quòd in mortali peccato morientur, ideoque damnabuntur, idque Deus certò præuidet futurum : ergo poterit ijs hanc veritatem reuelare. Secundò, talis homo fuisset lapsurus in peccatum mortale, & ob id damnandus, etiamsi Deus hoc ei non reuelasset : ergo Deus per suam reuelationem non est ei causa peccandi, aut damnationis. Tertiò, legimus de multis Sanctis, qui dicebant quòd vellent Deum summè amare, eique accuratissimè seruire, etsi scirent se perpetuò damnandos : ergo is cui Deus suam damnationem ita reuelasset, posset adhuc amare Deum super omnia, eique diligenter seruire, & consequenter prosecutio salutis non redderetur ei impossibilis.

95 Ad primum, nego consequentiam: quia non omnis veritatis reuelatio est conueniens aut licita, vt patet in reuelatione occulti criminis alieni. Eiusmodi autem reuelatio videtur omnino inconueniens ob grauissima incommoda quæ secum adfert, quæ homini immerito sibique caro infligere, videtur omnino repugnare diuinæ bonitati, præsertim si id fiat sine graui aliqua ac necessaria causa : qualis Deo in hoc casu non videtur posse occurrere : nam omnia bona, quæ ex eiusmodi reuelatione prouenire possent, Deus infinitis alijs modis sine vlla difficultate aut incommodo procurare posset. Secùs hæc se habent respectu peccatoris. quia vt ei fiat eiusmodi reuelatio, sufficit quòd possit esse iustissima punitio peccatorum ab eo iam commissorum, poteritq; expedire ea sic puniri.

96 Confirmatur, quia, vt docet S. Damascenus *Damascen.* l. 2. Fidei orthodoxæ c. 29. circa medium, & sub finem, Deus voluntate antecedente, & ex se solùm vult ea, quæ nobis absolutè bona sunt, qualia sunt etiam temporalia incommoda, quę nobis sunt occasio merendi maiorem gloriam. Ea verò quæ nobis absolutè mala sunt, & præsertim si ex se causent desperationem aut damnationem, nullo modo vult ex se, seu voluntate antecedẽte; sed solùm ob causam à nobis priùs datam, siue ob nostra peccata, & voluntate hæc consequente: atqui eiusmodi reuelatio simpliciter est mala ei cui fit, quia adimit ei omnem potestatem sperandi, & est ei grauissima occasio desperandi, ac incidendi in grauia peccata; nec potest ipsi id quidquã prodesse: ergo Deus nequit eam alicui facere, nisi accepta occasione ex ipsius peccatis, quibus eam sibi fieri sit meritus. Ex quibus nostra sentẽtia clarè cõfirmatur.

97 Ad secundum, nego consequentiam. Nam si videam aliquem certò patraturum aliquod scelus, & deinde eum vt hoc perpetret multis adhorter, & vehementer inflammem, sum ei verè causa cur faciat illud opus, quod aliàs erat facturus, mihique imputabitur. Deus autem per talem reuelationem eiusmodi hominem excitaret vt negligentiùs salutem suam procuraret, ac peccata vitaret; imò constitueret eum in eo statu, in quo ei difficillimum omnino esset seriò peccata fugere, vt magis patebit ex dicendis dubi 13. atque ita eum quodammodo excitaret ad committenda ea peccata, ob quæ esset damnandus; non quidem per modum suadentis; sed per modum proponentis alicui aliquod obiectum, quo scit eum grauiter excitandum ad peccandum. His adde, eum hominem per eiusmodi reuelationem excitandum non solùm ad committenda ea peccata, quæ aliàs fuisset facturus, sed etiam ad multa alia: vix enim moraliter fieri potest, quin is qui nullam sperat salutem, & scit se æternùm damnandum, non committat multa peccata.

98 Dices, Hinc sequetur, Deum reuelantem peccatori suam damnationem, similiter fore causam peccatorum, quæ ipse ea occasione facturus est. Respondeo nego hoc sequi: quia eorum, quæ ex nostra aliqua actione sequuntur per accidens, ac præter intentionem nostram, tunc solùm dicimur esse causa, quando ne ea sequantur, tenemur nostram actionem omittere: cùm autem Deus habeat iustissimã causam illi peccatori reuelandi suam damnationem, nõ tenetur hoc omittere ob peccata quæ inde videt secutura. Quare cùm hæc ex ea reuelatione non sequantur per se, sed ratione malæ voluntatis illius peccatoris, nec etiam à Deo vlla ratione intendantur; ipse nequit eorum dici causa, sed solùm potest dici ijs dedisse occasionem aliquã; quod sæpè ob iustam causam licitè & honestè fit. Secùs est de reuelatione iusto facta, quia, vt ostendi, huius non videtur posse esse iusta causa. His adde, peccatorem dedisse sponte iustam causam talis reuelationis, atque ita sibi imputare debere mala, quæ inde sequuntur: secùs autem esse in iusto, qui eam non meruit.

Cur peccatori potiùs quàm iusto sua dãnatio reuelari possit.

99 Hæc dixi solùm, vt ostendam vtramque cõsequentiam tam argumenti quàm obiectionis ad solutionem non valere : non autem quòd putem Deum reuelando iusto suam damnationem futurum verè causam peccatorũ quæ hic ideo postea faceret, eaque Deo imputari posse, hoc enim ex dictis meis non sequitur: nam ad hoc requireretur Deum absolutè obligari eam reuelationem omittere, ne eius occasione ea peccata committantur: nam vt dicar verè causa eorum, quæ ex mea actione per accidẽs & præter meam intentionem sequuntur, necesse est me absolutè obligari illam omittere ne hæc sequantur. Non video autem quomodo sufficiẽter possit probari Deum absolutè obligari alicui iusto non reuelare suam futuram damnationem præcisè ne hic ea occasione eiusmodi peccata committat. Nec præsenti meæ intentioni vllo modo est necessarium hoc probare, aut asserere: sed mihi sufficit ostẽdere, eiusmodi reuelationem ex qua eiusmodi mala nata sunt sequi, nullo modo conuenire diuinæ bonitati, eiusq; quẽ erga iustos habet amori: nã nequit Deus ea facere, quæ non conuenit à tanta bonitate fieri.

100 Ad tertium, Respõdeo Primò, nego priorem consequentiam: siue enim consequẽs sit verum, siue falsum, ex illo antecedente malè infertur: longè enim alia est ratio hominis apprehendẽtis Deum sibi in æternum fore de facto beneuolum, alia verò eius qui certò scit se à Deo in æternum separandum, eumque habiturum inimicum: illi enim longè est facilius amare Deum super omnia, quàm huic. & consequenter longè

facilius est illi habere firmam eiusmodi voluntatem, Vellem Deo perpetuò seruire, etsi sciam me damnādum; quàm sit huic habere hanc, Cupio Deo constanter seruire, quantumuis certò sciam me ab eo damnandum: eiusmodi enim scientia iam præsens efficit, vt longè aliter apprehendamus eum, eiusque seruitium, à quo scimus tam ingens ac perpetuum malum nobis imminere; quàm ea apprehenderemus si putaremus id de facto nobis non imminere. Quare ex eo, quòd prior posset eiusmodi actus elicere, non sequitur secundum posse similes elicere.

101 His adde Primò, longè facilius esse vnum aliquem eiusmodi actum elicere, quàm diu diligēter Deo seruire ac omnia peccata vitare; quare etsi is cui sua damnatio esset reuelata posset facere prius, tamen inde non sequitur eum posse facere secundum. Quamuis non dicamus tali homini hæc cum Dei gratia fore absolutè impossibilia; sed nobis sufficit quòd ei essent valdè difficilia, & quodammodo moraliter, & secundùm humanum agendi modum impossibilia.

Adde Secundò, vt quis seriò omnino ac firmiter, siue ex parte sua verè efficaciter eiusmodi propositum eliciat, Vellem Deum super omnia amare, eique perpetuò seruire etsi scirem me damnandum, requiri valdè abundantem gratiam (qualem communiter non habent homines damnandi) & sincerum ac à proprio amore valdè liberum in Deum affectum. Vnde eos, qui huiusmodi affectum habent Deus singulariter amat, ideoque eius bonitati singulariter repugnat eiusmodi homines per talem reuelationem in eas miserias conijcere.

Ad argumentum, igitur Respondeo Secundò, etsi prior consequentia concedatur, secundam tamen negandam esse, loquendo de eo, quod homini moraliter & secūdùm humanum modum agendi cum ordinaria Dei gratia debet dici possibile. Item quamuis totum cōcedatur, inde tamen non sequi Deum posse alicui iusto suam damnationem reuelare, quia, vt iam ostendi, hoc ex alijs capitibus repugnat.

DVBIVM XIII.

Vtrùm is, cui sua damnatio esset certò reuelata, teneretur adhuc salutem sperare, & an possit eam desperare?

102 *Lorca.* LOrca 2.2.sect.2.disp.18. refert tres hac de re sententias. Prima docet, talem adhuc teneri sperare beatitudinem, & consequenter non posse eam desperare. Primò, quia cùm tali non negentur auxilia ad salutem sufficientia, salus adhuc ei manet possibilis: ergo tenetur eā sperare. Secundò, quia talis non liberatur ab obseruatione aliorum præceptorum: ergo nec liberatur ab obseruatione præcepti spei.

Sed hæc nihil probant. Ad primum, quidquid sit de antecedente, nego consequentiam; quia vt possim aliquid verè sperare, non sufficit quòd iudicem id esse possibile, sed requiritur præterea vt possim id apprehendere tamquam saltem probabiliter futurum: talis autem non potest apprehendere beatitudinem, vt probabiliter sibi futuram: quare nec posset, nec teneretur eam sperare. Ad secundum, nego consequentiam, quia per eam reuelationem reliqua præcepta non redderentur ei obseruatu impossibilia; secùs est de præcepto affirmatiuo spei.

Secunda docet, talem nō teneri sperare beatitudinem, quia hoc ei iam est impossibile; non posse tamen eam desperare, eò quòd hoc sit intrinsecè malum. Hanc partem probat Primò, quia desperatio derogat misericordiæ diuinæ, quasi hic & nunc non posset aut nollet hominem saluare. Secundò, quia non possumus licitè nolle beatitudinem: atqui hoc semper fit per desperationem: ergo hęc est semper illicita. Tertiò, quia talis non necessitatur ad desperādum: ergo hoc ei est illicitum. Quartò, quia fieri potest vt quis damnetur propter solum peccatum desperationis; quo casu si Deus hoc ei reuelaret, ipse desperando peccaret (quia aliàs non posset ob desperationē damnari:) ergo is cui est reuelata sua dānatio, illicitè desperat salutē. Quintò, quia cui reuelatum esset ipsum commissurum certum aliquod peccatum, teneretur laborare quantum posset ad hoc euitandum, nec posset de hoc desperare: ergo nec alter posset desperare de sua beatitudine. Sextò, quia salus reproborum non magis potest consistere cum eorum reprobatione siue negatiua, siue positiua, quàm cum eiusmodi reuelatione: atqui illa non efficit vt illi licitè desperent: ergo nec hæc id efficiet. Probatur cōsequentia, quia aliàs sola ignorantia qua reprobi ignorāt futuram suam damnationem, esset causa cur ipsi non possent desperare.

Tertia sententia, quam infrà probabo, docet, talem licitè etiam desperaturum suam salutem.

His verò Lorca subijcit suam, qua tertiam & primam ex parte probat, & ex parte improbat. 104 *Lorca.* Docet Primò, talem posse desperare suam salutem vt futuram, quia certò scit eam non esse futuram: non posse tamen eam desperare vt possibilem, sed teneri eam sic sperare. quia per eiusmodi reuelationem nihil detrahitur possibilitati ipsius beatitudinis, sed hæc ei manet tam possibilis, quàm antè. Confirmatur, quia talis tenetur à Deo sperare omnia auxilia necessaria ad vitanda omnia peccata mortalia, & ad faciendum opera ad salutem necessaria, & sperare hæc opera vt possibilia: ergo tenetur etiam sperare beatitudinem vt possibilem.

Sed hæc minùs benè, minusque consequenter dicuntur: quia non speramus beatitudinem nobis esse possibilem, sed certò scimus, & secūdùm multorum sententiam fide credimus, eam nobis esse possibilem: quod etiam satis apertè dicitur Ecclesiastici 15.v.17. & 18. vbi Deus dicitur coram nobis apposuisse ignem & aquam, vitam & mortem, vt ex his quod voluerimus apprehendamus. Solùm igitur speramus beatitudinem vt futuram. His adde, verum non esse per eiusmodi reuelationem beatitudinem non fieri minùs possibilem: cùm enim seria prosecutio beatitudinis eo casu reddatur tali homini per eam reuelationem moraliter impossibilis, vt dixi dub.12. etiam ipsa beati tudo redditurei

105 Non speramus beatitudinem vt possibilem, sed vt futuram. *Eccli.15.*

quodam-

quodammodo moraliter impossibilis. quæ infrà magis probabo.

106 CONCLVSIO I. Is, cui sua damnatio est certò reuelata, ità vt certò sciat eam reuelationem non esse comminatoriam, sed absolutè assertoriam, nullo modo potest sperare suam beatitudinem. Hanc saltem excepto Lorca apertè docent Auctores citati n. 91. & est ferè communis.

Vt aliquid sperem, debeo id apprehendere vt probabiliter futurũ.

Et probatur Primò, quia spes fertur in bonum desideratum non solùm tamquam in bonum possibile acquiri, sed tamquam in bonum saltem probabiliter acquirendum: atqui is qui certò omnino scit se illud bonum numquam acquisiturum, qualis est is qui habet eiusmodi reuelationem, nequit in illud ita ferri: ergo talis nullo modo potest eiusmodi bonum sperare. Minor patet. maior probatur, quia spes non est qualecumque desiderium alicuius boni, sed verè efficax & seria eiusdem prosecutio, & consequenter efficaciter inclinans voluntatem vt eligat media ad illius actualem consecutionem vtilia, qua talia sunt: atqui is, qui nullo modo credit esse probabile se bonum desideratum consecuturum, nequit seriò intendere ipsius consecutionem, aut iudicare vlla media ad hãc actu obtinendam esse verè vtilia (quia nullum medium apprehendi potest vtile ad finis consecutionem, per quod certò omnino scimus nos illum non consecuturos; nam per hoc præcisè aliquod medium est hîc & nunc vtile ad finem consequendum, quia finis per ipsum de facto consequendus est:) ergo ad spem requiritur vt iudicemus bonum desideratum probabiliter nobis euenturum, & ipsa in hoc tamquam tale fertur.

107 Probatur Secundò, quia, vt aliquid sperem, secundùm omnes necessarium est vt id apprehendam tamquam possibile acquiri, adeò vt certò impossibilium nulla omnino possit esse spes: atqui hoc ideo solùm requiritur, quia vt aliquid sperem necessarium est vt id apprehendam tamquam saltem probabiliter futurum: ergo sine tali apprehensione nihil possum sperare: qui autem nouit se certò damnandum, nequit beatitudinem apprehendere vt probabiliter sibi futuram; atquè ita nequit eam sperare. Minor probatur, quia spes, siue efficax intentio non fertur in boni possibilitatem, sed in eius actualem acquisitionem: hanc enim præcisè intendimus, non autem illam. v.c. æger sperat ac intendit acquisitionem sanitatis, non autem ipsius nudam possibilitatem, nec eam vllo modo curat nisi quatenus necessaria est ad eius actualem acquisitionem: ergo ad spem ideo præcisè est necessaria apprehensio possibilitatis boni sperati, vt hoc possit apprehendi saltem probabiliter consequendum.

108 Cui ita esset reuelata sua damnatio, illicitè conaretur sperare salutẽ.

Ex his sequitur, eum cui ita esset reuelata sua damnatio, nullo modo obligari ad sperandam suam salutem, quia nemo obligatur ad impossibile. Imò non immeritò posset alicui videri talẽ peccaturum seriò conando elicere actum spei circa suam salutem, siue eam sperando; quia hoc ipso aut verè à parte rei iudicaret saltẽ probabiliter se non esse damnandum non obstante illa reuelatione, & consequenter iudicaret reuelationem diuinam posse fallere, & probabiliter fore falsam: aut saltem talis conaretur hoc sibi persuadere, & ita se gereret ac si hoc crederet, & in actu exercito ostenderet se hoc credere. quæ patet esse illicita: nam ea facere idem esset ac iudicare Deum probabiliter in ea reuelatione esse mentitum, aut saltem esset ipso actu ostendere, ac virtualiter dicere Deum fortè esse mentitum. Loquor autem de eo qui certò omnino credit eam reuelationem sibi à Deo esse absolutè & assertoriè factam.

109 CONCLVSIO II. Cui talis facta esset reuelatio licitè positiuè desperaret, non quidem iudicando beatitudinem non esse expetendam, aut ob defectum misericordiæ Dei sibi esse impossibilem, sed iudicando se eam certò numquam assecuturum, & consequenter eius prosecutionem sibi ad eam assequendam esse inutilem, ideoque eam positiuè nolendo: in quo, vt suprà dixi, consistit ratio desperationis. Ita Auctores citati n. 91. excepto fortè Lorca. Probatur, quia qui nullo modo obligatur aliquem actum vnquam elicere, potest velle eum numquam elicere. v.c. quia non obligor procurare salutem damnatorum, possum positiuè nolle eam procurare: atqui, vt patet ex dictis, talis nullo modo obligatur vnquam sperare beatitudinem: ergo potest positiuè nolle eam sperare, in quo (vt ostendi dub. 10. n. 78.) consistit formalis ratio desperationis. Confirmatur, quia tali actus spei circa beatitudinem non solùm non est præceptus, sed etiam illicitus, vt ostendi suprà: ergo potest nolle eum vnquam elicere.

Licitè nolo eum actum elicere, quẽ numquam teneor elicere.

110 CONCLVS. III. Talis tamen illicitè beatitudinem contemneret aut auersaretur; tum quia ipsa est obiectum omni ex parte absolutè bonũ ac honestum, nec aliquid habet ob quod meritò possimus eam contemnere vel auersari: tum etiam quia, cùm beatitudo nostra consistat in possessione ac fruitione ipsius Dei, qui ipsam contemnit ac auersatur, implicitè contemnit ac auersatur ipsum Deum. quod patet esse graue peccatum. Adde, etiam tali fore impossibile ipsam beatitudinem directè auersari seu absolutè nolle eam habere: quia nullam in ea posset apprehendere rationem mali: vnde etiam damnati, quantumuis sciant eam sibi esse impossibilem, tamen eam desiderant. vide dicta n. 70. 71. & 73. Potest tamen fieri vt quis implicitè beatitudinem contemnat, non quidem eam absolutè auersando, sed ei præponendo voluptates carnales, aut quid simile, prout multi peccatores faciunt.

111 CONCLVS. IV. Talis sine peccato non posset absolutè velle suam damnationem cum omnibus conditionibus, quæ eam de facto comitantur, quia vt sic secum adfert infinita peccata quę damnati perpetuò committunt. Posset tamen eam velle secundùm quid, & sub ea ratione præcisè qua Deus eam vellet, scilicet quatenus dicit præcisè iustam punitionem peccatorum, & continet honestatem iustitiæ: licitè enim hac ratione conformaret suam voluntatem diuinę. Vide dicta suprà disp. 3. dub. 17.

Qua ratione licitè aut illicitè vellet suam damnationem.

112 Ad primum argumentum positum nu. 103. nego assumptum. Primò, quia vt quis desperet, non

non est opus vt iudicet salutem sibi esse impossibilem, aut Deum nolle ex parte sua eum saluare, & ad hoc auxilia sufficientia dare: sed sufficit quòd iudicet se ob suum defectum salutem de facto non consecuturũ. Secundò, quia Deus sine vllo defectu suæ bonitatis aut misericordię posset alicui homini adhuc viuenti ob grauia ipsius peccata nolle dare sufficientia auxilia vt à peccatis resurgat, idque ei reuelare (prout de facto id contingit in damnatis) quo casu talis sine vlla derogatione aut iniuria misericordiæ diuinæ iudicaret salutem sibi esse impossibilem, & vt talem eam desperaret.

Deus posset alicui adhuc viuenti nolle dare media necessaria vt à peccatis resurgeret.

Ad secundum, nego minorem loquendo de propriè dicta & directa nolitione; vide dicta n. 70. & 110.

Ad tertium, nego consequentiam: multa enim nobis sunt licita, ad quæ non necessitamur.

Ad quartum, Respondeo id supponere falsum, scilicet Deum posse alicui assertoriè & clarè reuelare ipsum damnandum ob peccatum desperationis: hoc enim implicat, quia posita tali reuelatione damnationis desperatio salutis nequit esse peccatum.

Ad quintum, respondebo dub. 14.

113 Ad sextum, nego cõsequentiam, quia reprobatio quamdiu reprobo non est cognita, non impedit quo minùs possit iudicare salutem non solùm sibi esse possibilem, sed etiam probabiliter à se consequendam: quod iudicium ad spem est omnino necessariò prærequisitum, vt suprà sæpè ostendi. reuelatio verò damnationis efficit tale iudicium homini omnino impossibile, & consequenter etiam reddit spem ei impossibilem, & desperationem licitam; iuxta dicta concl. 1. & 2. Ad probationem consequentiæ, nego assumptum: nam propria causa cur illi illicitè desperarent, est quia & possunt & tenentur beatitudinem apprehendere vt sibi possibilem, atque etiam futuram si velint ex parte sua requisita adhibere, & consequenter etiam & possunt & tenentur eam sperare. Illa autem ignorantia siue non reuelatio suæ reprobationis solùm est conditio requisita, vt possint eiusmodi iudicium elicere.

Cur reuelatio futuræ damnationis potiùs reddat spem impossibilem quàm reprobatio.

114 Sed instabis, Spes reproborum non solùm videtur supponere eiusmodi ignorantiam reprobationis suæ, sed etiam falsum iudicium, quo iudicant in sua esse potestate cum ea gratia, quam Deus ijs ex parte sua paratus est dare, atque adeò nisi eam impediant de facto daturus est, efficere vt sint inter electos: nisi enim quis credat se aut de facto esse electum ad gloriam, aut cum gratia Dei sibi danda esse in sua potestate efficere vt sit electus, nequit iudicare sibi esse possibile beatitudinem consequi, quia nemo potest esse beatus, nisi sit electus.

115 Nec sufficit, si dicas Deum tali dare sufficientem gratiam, vt possit benè viuere, ac salutem consequi, & consequenter ei esse possibile hãc consequi, etsi numquam eam consequetur. hoc inquam non sufficit. Primò, quia vt salutem consequamur non sufficit gratia solùm sufficiens, sed omnino est necessaria gratia efficax (fieri enim nullo modo potest vt quis de facto bene viuat & salutem consequatur, nisi habeat gratiam efficacem:) atqui non est in reprobi potestate habere gratiam efficacem, præsertim respectu finalis perseuerantiæ: ergo non est in eius potestate perseuerare in finem, & de facto salutem consequi.

Secundò, quia videtur omnino gratis & sine fundamento dici talibus dari gratiam verè sufficientem vt salutem de facto consequantur: quia vt aliquis dicatur habere auxilium absolutè vereque sufficiens ad salutem consequendam, non sufficit illud esse tale, per quod aliquis in genere consideratus, & abstrahendo à particularibus circumstantijs possit salutem consequi: sed requiritur tale auxilium, per quod positis etiam ijs circumstantijs, in quibus homo de facto positus est, quasque nequit tollere, ipse salutem possit consequi: atqui non videtur verum ijs qui non sunt electi dari tale auxilium: ergo non datur ijs auxilium verè sufficiens ad salutem. Minor probatur, quia non electis positis in his circumstantijs, siue posito quòd sint non electi, in sensu composito est impossibile de facto salutem consequi, quia impossibile est aliquem saluari & non esse electum: ergo non habent auxilium sibi verè sufficiens ad salutem in his circumstantijs de facto consequẽdam. Nec sufficit dicere quòd possint salutem consequi in sensu diuiso, siue posito quòd non sint non electi, siue reprobi; quia non est vllo modo in eorum potestate tollere sensum compositum, aut ponere diuisum, siue efficere vt non sint non electi; quia vt simus electi aut non electi, non pender à nobis. 116

Confirmatur Primò, quia qui habet in sea liquam conditionem omnino repugnantem acquisitioni alicuius finis, si ei sit omnino impossibile eam à se tollere, erit etiam ipsi impossibile hunc finem consequi. v.c. quia sessio repugnat stationi, si mihi sit impossibile tollere à me sessionem, erit mihi etiam impossibile stare: atqui non electio ita repugnat æternæ saluti, vt sit impossibile aliquem simul esse non electum & saluari: ergo cùm omnibus reprobis impossibile sit tollere à se non electionem, siue efficere vt non sint non electi, etiam erit ipsis impossibile efficere vt de facto saluentur: nam efficiendo vt de facto saluentur, aut deberent à se tollere non electionem, aut efficere vt manentes non electi de facto saluarentur. Nec refert quòd Deus possit eos eligere, quia inde solùm sequitur, quòd Deo sit possibile eos saluare, non autem quòd sit in eorum potestate saluari. 117

Confirmatur Secundò, quia posito quòd sit impossibile aliquem lucrari denarium diurnum operando in vinea patris familias, nisi sit ad hoc conductus; optimè sequitur ei, qui nec de facto conductus est, nec vllo modo potest efficere vt conducatur, esse omnino impossibile lucrari denarium: ergo similiter cùm sit omnino impossibile aliquem simul non esse electum, & tamen de facto saluari, optimè infertur, ei qui nec est electus, nec vllo modo potest efficere vt eligatur, esse omnino impossibile efficere vt de facto saluetur. Cùm igitur omnes præscit nec sint electi, nec possint efficere vt eligantur, aut 118

vt

vt fuerint ab æterno electi, absolutè erit ijs impossibile saluari; & consequenter dum iudicant sibi esse possibile salutem consequi, falluntur, & tota eorum spes nititur falso iudicio, atque adeò falsa est & illusoria.

119 Respondeo has omnes obiectiones solùm premere eos qui tenent electionem ad gloriam fieri ante præuisa merita, & independenter ab his: eos autem qui cum S. Augustino l.1. ad Simplicianum q.2. tenent electionē ad gloriam fieri post præuisa merita, facilè respondent esse in potestate reproborum cum gratia Dei efficere, vt ab æterno fuerint electi ad gloriam, & consequenter ijs esse possibile salutem consequi: atque ita eorum spes nititur vero iudicio, scilicet salutem consequi in sua esse potestate, atque adeò se eam consecuturos, si voluerint gratiæ Dei collaborare.

August.

DVBIVM XIV.

Ad quid obligaretur is, cui reuelatum esset ipsum commissurum aliquod peccatum?

120 Qua ratione Deus possit alicui reuelare suum futurum peccatum.

NOta Primò, satis constare Deum posse alicui reuelare solùm comminatoriè ipsum peccaturum mortaliter etiam intra certum tēpus, & certo peccato. Idem Deum posse hoc ei reuelare absolutè assertoriè, modò alter id apprehendat solùm comminatoriè dictum, aut statim sit obliturus totius reuelationis; prout videtur contigisse S. Petro, qui reuelationem Christi de triplici negatione initio intellexit solùm comminatoriè factam, ideoque ea non obstante credebat se ob nulla pericula Christū negaturum: videturq; paulò pòst eius fuisse omnino oblitus, donec post tertiam negationem audiuit gallum cantantem, eumque Christus respexit, quo tempore Euangelistæ dicunt eum recordatum prædictionis Christi.

121 Item satis constat, eum cui hac solùm ratione esset reuelatum futurum suum peccatum, eodem modo posse illud vitare, & ad hoc obligari, ac si nulla eiusmodi reuelatio ei esset facta; nam eiusmodi reuelatio optimè potest cōsistere cum iudicio, quo talis iudicet se valdè probabiliter illud peccatum absolutè vitaturum, & consequenter cum vera huius euitationis spe: vnde illa reuelatio non magis eum incitaret ad peccandum, eiue tolleret potestatem vitandi peccatum, quàm Dei præscientia circa futurum peccatum.

Tota igitur difficultas hîc est in casu, quo Deus clarè ei reuelaret ipsum mortaliter peccaturum; ita vt ipse apertè videret id absolutè affirmari, eiusque reuelationis maneret memor.

122 Plurimi autem sine vlla distinctione asserunt talem posita eiusmodi reuelatione fore nihilominus potētem illud peccatum euitare, & consequenter ad hoc absolutè obligandum, vt patet apud Turrianum 2.2. disp.65. in fine. & Lorcam sect.2. disp.18. n.11.

Turrian. Lorca.

Et probatur Primò, quia non obstante ea reuelatione ipse haberet auxilium sufficiens ad vitandum illud peccatum: ergo posset hoc vitare. Secundò, quia si cui hac ratione esset reuelatum suum futurum opus meritorium, ipse nihilominus hoc liberè eliceret: ergo idem dicēdum est de peccato ita reuelato. Tertiò, quia Christus ab initio suæ incarnationis certissimè præsciuit omnes suos actus futuros, & tamē eos liberè elicuit. Quartò, quia præscientia Dei de futuro peccato non impedit huius libertatem: ergo nec talis reuelatio. Quintò, quia eiusmodi reuelatio præsupponit futurum peccatum: nam hoc ideo homini reuelatur, quia est futurum, non contrà; atque ita reuelatio non est causa futuri peccati, sed hoc potius est causa reuelationis.

Hæc tamen sententia generaliter sumpta patitur graues obiectiones. Primò, quia, vt patet ex dub.12. tali homini erit omnino impossibile sperare euitationē talis peccati, vnde eā poterit absolutè desperare. Ex quo videtur vlteriùs sequi, ipsum non posse cōcipere seriam, & ex parte sua efficacem voluntatem vitandi illud peccatum, quia hæc non videtur posse esse circa ea, quæ penitus desperamus, & certò scimus nullo modo futura. sine eiusmodi autem voluntate non videtur fieri posse vt vitemus peccata. 123

Secundò, quia talis nullo modo posset seriò conari euitare illud peccatum, aut tētationibus ad id impellentibus resistere, aliaue media ad id euitandum necessaria adhibere: atqui sine his impossibile est vitare peccatum: ergo tali homini vitatio illius peccati fieret omnino impossibilis. 124

Maior probatur, quia talis conatus ac resistentia, ac mediorum adhibitio scirentur esse omnino inutilia ad euitandum illud peccatum, quia siue ea adhiberet, siue non, nihilominus peccatum non euitaretur; quia eius actualis euitatio nequit cum ea prædictione consistere, idq; ille apertè sciret: atqui voluntas nequit eligere siue appetere tamquam medium vtile ad aliquē finem id quod scitur ad hunc obtinendum esse hîc & nunc omnino inutile (v.c. fieri nequit vt appetam aliquam medicinam ad obtinendam sanitatem, per quam scio me eam nullo modo obtenturum:) ergo fieri nequit vt talis eiusmodi conatus ac media adhibeat ad euitandum peccatum, quod omnino certò scit se non euitaturum.

Nequeo ob aliquem finem seriò eligere medium, quo certò scio me eum non adepturum.

Minor probatur, quia quando voluntas nostra graui tētatione ad peccandum impellitur, necessarium omnino est vt magno conatu, & vim nobis inferendo ei resistamus, aliàs omnino certò in peccatum lapsuri: vnde etiam communiter omnes Theologi docent, voluntatem nostram per se, nisi adiuuetur Dei auxilio, non habere sufficientes vires, vt eiusmodi tentationibus resistat: atque adeò fieri non posse vt sibi derelicta non consentiat. Quæ falsa essent, si nullo conatu aut viribus opus esset ad non consentiendum.

Tertiò, quia, etsi talis posset absolutè loquēdo illum conatum alia que media adhibere ad euitandum illud peccatum, videtur tamen ad hoc non obligari; quia non obligamur eiusmodi media adhibere ad euitandum peccatum, nisi quatenus sunt ad hoc vtilia: sicut etsi aliàs teneat ad conseruandam aut meam aut proximi vitam, 125

Ad vitandū peccatū non teneor assumere media, quæ scio ad hoc esse inutilia.

vitam , & consequenter ad adhibenda media ad id necessaria ; tamen nullo modo teneor ea media adhibere per quæ scio mortem nullo modo auertendam aut retardandam : cùm igitur talis certò sciat peccatum per eiusmodi media nullo modo impediendum, non tenebitur illa adhibere. Vnde vlteriùs videtur sequi, eum tunc non obligandum ad vitandum illud peccatum ; quia qui nullo modo obligatur conari ad vitandum peccatum, videtur consequẽter non obligari ad id vitandum , cùm nequeat hoc vitare nisi ad hoc conetur.

126 Deus potest alicui sextupliciter reuelare suum peccatũ certò futurum.

Pro resolutione Nota Primò, hanc reuelationem sextupliciter fieri posse. Primò, ita vt Deus solùm alicui reuelet in genere ipsum ante mortem, aut intra longum tẽpus peccaturum mortaliter, nullum certum peccatum exprimendo. Secundò, exprimendo certum peccatum, quod ante mortẽ, aut intra aliquot annos commissurus sit. Tertiò, reuelando ei ipsum intra breue tempus, v.c. intra vnam alteramúe horam, peccaturum mortaliter. Quartò, exprimendo certum peccatum , quo intra hoc tempus peccaturus est. Quintò, exprimendo breuissimum, & quod nobis videatur indiuisibile tempus determinatum, quo peccaturus est. Sextò, exprimendo simul peccatum , quod eo tempore commissurus est.

127 Nota Secundò, nos dupliciter nos posse habere circa aliquem actum siue licitum, siue illicitum (idemque est de omissione actus) qui reuelatur à nobis eliciendus. Primò, ita vt erga eum eliciẽdum, aut nullam, aut quasi nullã sentiamus inclinationẽ , sed potiùs inclinationem contrariam; adeò vt non sit nobis difficile ab eo abstinere , nec ad hoc opus sit vt nobis inferamus aliquam vim: sed potiùs contrà opus sit aliquo labore, vt voluntatem inducamus vt eum eliciat. Secundò, ita vt sentiamus nos vehemẽter trahi ad eum ponendum, adeò vt opus sit, vt inferamus nobis aliquam vim vt ab eo abstineamus , vt fit quando quis ad aliquod peccatum patrandum vehementiùs tentatur.

128 Quæ reuelationes futuri peccati non impediant libertatem.

Conclvs.I. Quãdo alicui reuelatur primo modo ex dictis n.126. suum peccatum futurum, nulla ei injcitur necessitas id patrandi , nec libertas eius impeditur. Per se patet, quia vitatio cuiusuis peccati in particulari potest cum ea reuelatione consistere; imò cum ea consistere potest euitatio omnium omnino peccatorũ mortalium, pro quouis tempore determinato. Nullum enim potest assignari tempus determinatum , in quo stante veritate reuelationis & in sensu composito ipse non possit omni peccato mortali abstinere. Quare nullo modo necessitatur vt apprehendat peccatum pro aliquo determinato tempore ineuitabile , atque ita potest pro quocumque tempore determinato sperare ipsius euitationem , & ad hanc seriò conari.

129 Conclvs.II. Idem dicendum in casu quo alicui secundo modo ex dictis esset suum futurum peccatum reuelatum: hoc enim etiã apertè probat ratio secunda pro prima conclus. allata. Solùm hîc potest esse aliqua difficultas, quando alicui esset reuelatum ipsum intra certum tempus, v.c. intra biennium, commissurum certum peccatum mortale , & hoc iam ferè expirasset antequam hoc peccatum committeret, ita vt solùm restaret ei media hora vel quadrãs. Sed hanc difficultatem explicabo concl.4. est enim eadem ratio huius casus & illius : hæc tamen difficultas minùs vrget quando non reuelatur peccatum determinatum , vt ostendam concluſ.3.

130 Conclvsio III. Quando alicui reuelatur aliquod tempus determinatum non ita longũ, v.c. vnius aut alterius horæ, intra quod peccaturus est mortaliter , sine expressione determinati peccati, huius euitatio redditur quidem ei notabiliter difficilior ; manet tamen ei vera libertas, & peccatum quod committit, absolutè liberè committit. Prior pars patet, quia, sicut spes euadendi absolutè omne peccatum excitat animum ad superandas difficultates quæ in eo vitando occurrunt: ita etiam sublatio huius spei animum minuit, & consequenter sicut in priore casu facilitatur euitatio peccati, ita in secundo redditur difficilior : præsertim si grauis tentatio ad id patrandum insurgat. Secunda pars patebit ex concl.4.

131 Conclvs.IV. Quando reuelatur alicui determinatum peccatum intra breue tempus ab eo committendum, difficilior adhuc redditur huius euitatio, si tentatio exurgat, vt per se patet, & ex dictis concluſ.3. tamen non tollitur ei omnino libertas: quia, etsi cum veritate reuelationis nequeat consistere ipsum hoc peccatum intra illud tempus non committere ; potest tamen cum ea consistere ipsum hoc non committere eo instanti quo ipsum committit: quare potest apprehendere ac sperare se non obstante ea reuelatione tam hoc instanti, quàm quouis alio determinato , & seperatim sumpto, hoc peccatum euitaturum , & ad hoc seriò conari; atque ita quocumque instanti illud committet, liberè id committet. Ex quo patet ipsum multò magis liberè peccaturum, si peccatum committendum non sit ei determinatè reuelatum.

Quòd si ipse se contineat à peccando ferè vsque ad finem illius temporis, ita vt tam exigua pars superſit, quæ homini possit videri indiuisibilis, ipseq; hoc clarè aduertat , erit eadẽ ipsius ratio, atque eius de quo agam concl.5. & 6.

132 Conclvsio V. Is, cui quinto modo ex dictis n.126. suum futurum peccatum est reuelatum, nihilominùs tenebitur quouis peccatum in particulari vitare; quia non obstante ea reuelatione hoc & sperare, & facere poterit, & consequenter quodcumq; committet, liberè committet, quia hoc in particulari vitare poterat, & consequenter in eo peccabit.

133 Et hæc conclusio secundùm omnem sui partem est satis clara , quando talis committit aliquod peccatum præcisè quia hîc & nunc ad id tentatur, & sine comparatione ad alia grauiora, quæ ipsi tunc committenda occurrunt. Habet tamen grauem difficultatem, quando ipsi varia quæ possit committere occurrunt ; & quia apprehendit fieri non posse vt omnia euitet , determinat se ad committendum id , quod putat esse inter omnia minimum. Etsi enim talis tunc liberè

Non potens omnia mala cuadere prudenter eligit minus.

liberè hoc committat, videtur tamen in eo non peccare, sed prudenter agere: nam quando quis videt sibi hîc & nunc ex variis malis occurrentibus vnum necessariò esse subeundũ, eò quòd omnia vitare non possit, prudẽter eligit minus. Quod non solùm habet locum in malis pœnæ, sed etiam in actionibus secundùm se malis, vt ostendi disp.3.n.20.

134 Dices, hoc solùm esse verum quando alicui absolutè est impossibile vitare omnia illa peccata: secùs autem esse de eo qui absolutè potest omnia illa peccata vitare, prout accidit in eo cui talis reuelatio facta est. Sed contrà Primò, cùm talis graui tentatione ad peccandum impulsus nequeat ei resistere sine graui conatu & labore: item cùm nequeat hunc seriò adhibere quando apprehendit eum non profuturum ad vitanda omnia peccata; valdè difficile est concipere quomodo tali sit verè & humano modo possibile vitare omnia peccata; vt probat argumentum allatum n.124.

Secundò, quia, etsi tali esset absolutè possibile eo casu vitare omnia omnino peccata mortalia, in ijs tamen circumstantijs & animi perturbatione constitutus vix humanitus loquendo potest id concipere sibi possibile, cùm clarè videat illud non posse de facto consistere cum veritate illius prædictionis. Vt autem talis eo casu prudenter eligat minimum peccatũ inter omnia occurrentia, sufficit quòd ipse inuincibiliter sibi persuadeat, sibi hîc & nunc esse impossibile omnia vitare; quantumuis fortè seclusa ea apprehensione id non sit impossibile. Fateor me huic argumento non posse inuenire sufficientẽ solutionem, quæ ei clarè satisfaciat. Quia tamen ex altera parte videtur à recta ratione abhorrere, talem ita operando non peccare; posset dici eum ideò in ea electione peccare, quia imprudenter apprehendit eam esse necessariam vt grauiora peccata vitet.

135 Conclvs.VI. Si Deus alicui clarè reuelaret ipsum determinato instanti, siue certo tempore breuissimo, quod instar instantis apprehendimus, certum peccatum commissurum, ita vt ipse hoc dum tempus illud adesset perfectè apprehenderet, & grauiter ad id committendum tẽtaretur, ita vt sine graui labore non posset tentationi resistere, etsi talis tunc liberè intensiùs, aut minùs intensè peccaret; tamen non satis video quomodo possit verè dici absolutè esse in ipsius potestate illud peccatum vitare. Probant hoc argumenta allata n.123.& 124. Cùm enim tali sit impossibile concipere seriam omnino voluntatem euitandi illud peccatum, & ad hoc ex parte sua efficaciter conari, eò quòd sciat se frustra in eo vitando laboraturum; valdè difficile est videre quomodo tunc in eius sit potestate illi tentationi non succumbere. præsertim cùm humanò more, aut vix aut fortè nullo modo fieri possit vt talis concipiat sibi esse verè possibile tale peccatum hîc & nunc de facto euitare; ea autem quæ apprehendimus nobis impossibilia, non possumus seriò & ex parte nostra efficaciter velle: vt cum communi sententia docet Vasquez 1.2.disp.42.c.4. Vnde sequitur, istũ nõ posse seriò ac ex parte sua efficaciter velle illud peccatum euitare, cùm tamen sine eiusmodi voluntate ei sit impossibile id euitare.

Vasquez.

Dices, Etsi posita illa reuelatione in sensu composito non possit fieri vt talis de facto non faciat illud peccatum; hoc est tamen possibile in sensu diuiso: ergo talis poterit hoc absolutè tãquam tale apprehendere. Respondeo, nego cõsequentiam; quia talis nequit in hoc casu concipere sensum diuisum esse possibilem: nam sic deberet concipere aut reuelationem non esse sibi factam; aut in sua potestate esse efficere, vt facta non sit, quorum vtrumque ei est impossibile, cùm certò sciat esse factam, & sciat impossibile esse, vt id quod iam factum est, non sit factum. 136

Hinc patet Primò, longè alium hac ex parte esse rationem præscientiæ Dei, qua ipse præscit meum peccatum tali instanti futurum, & reuelationis, qua id mihi reuelat: nam etsi vitatio peccati cum neutra possit simul actu consistere, tamen cùm illa nihil omnino in me causet, nullo modo immutat meam operationem, aut modum agendi: reuelatio verò cùm causet in me apprehensionem, qua apprehendo impossibile me de facto euitare peccatum, tollit mihi potestatem seriò, & ex parte mea efficaciter volẽdi & procurandi euitationem peccati, & consequenter reddit mihi hanc impossibilem; quia, vt iam sæpè ostendi, nequeo vrgente tentatione vitare peccatum nisi id seriò velim ac coner. 137 Diuersitas inter præscientiam Dei de peccato futuro & eiusdem reuelationem.

Patet Secundò, etsi ipsa reuelatio supponat futurum peccatum, & consequẽter non sit causa cur sit absolutè futurum; eã nihil omnino esse causam cur ipsum necessariò, aut saltem ineuitabiliter futurum sit, non quidem per se immediatè, sed mediante illo iudicio, quod causat de ineuitabili futuritione peccati, quo tollitur omnis potestas sperandi euitationem peccati, & ad eam serio conandi. 138 Eiusmodi reuelatio nõ est quidem causa cur quis peccet, sed cur ineuitabiliter peccet.

Ex quibus patet Tertiò, responsio ad 4. & 5. argumentum positum n.122. Ad quartum, igitur neganda est consequentia, vt iam ostendi. Ad quintum, concedo reuelationem non esse propriè causam cur peccatum futurum sit; cum hoc tamen consistere quòd sit causa cur omnino ineuitabiliter futurum sit, vt iam ostendi. Reliquorum solutio patebit ex concl. sequenti.

Dices, hæc videri contra communem sententiam Doctorum, qui dicunt hominem eo casu liberè peccaturum, nec per reuelationem verè ad peccatum necessitandum. Respondeo, Doctores qui hac de re tractant, communiter solùm generatim dicere, eum cui futurum suum peccatum esset reuelatum, nihilominus obligandum hoc vitare, & liberè id facturum; facilè tamen eos posse intelligi in casibus quinque priorum conclusionum: nam non loquuntur distinctè de casu sextæ conclusionis. Imò D. Thomas q.23. de Veritate a.8. ad 2. apertè huic conclusioni fauet. vbi docet Deum de potentia ordinaria non posse alicui suam damnationem futuram reuelare, *quia talis reuelatio cogeret eum desperare.* Ex quo apertè sequitur, quòd reuelatio futuri peccati in casu huius conclusionis cogeret, siue necessitaret hominem peccare. 139 *D. Thom.*

Dixi, in conclusione, me non satis videre quo-

quomodo esset verè in potestate talis hominis non peccare; quia non statui hîc quidquam hac de re definire, sed propositis vtrimque argumentis rem alijs definiendam relinquere.

140 CONCLVSIO VII. Quando alicui reuelaretur futurus suus actus, ad quem eliciendum hîc & nunc aut nullo modo, aut valdè parum inclinaretur, ita vt nullam omnino vim deberet sibi adhibere vt eum omittat, non obstante quacumque ex dictis reuelationibus eum liberè eliceret: quod multò magis habet locum in actibus ad quos eliciendos voluntas non solùm nullam sentit inclinationem, sed contrà sentit magnam inclinationem in contrarium. Hæc videtur communis Doctorum: nam communiter omnes docent, Christum non obstante præscientia, qua ab initio omnes suos futuros actus cum omnibus suis circumstantijs præsciuit, nihilominus eos liberè elicuisse. Ratio est, quia eiusmodi præscientia siue reuelatio per se non necessitat, imò nec inclinat voluntatem ad agendum: sed solùm per accidens, quatenus efficit vt homo apprehendat euitationem alicuius actus sibi impossibilem, siue ipsum actum sibi omnino esse ineuitabilem, & consequenter impedit eum ne vehementi inclinationi in eum actum possit resistere. Quare si eius voluntas in eum actum nullo modo inclinetur, eiusmodi præscientia nullam ei agendi necessitatem adferet.

141 Ex dictis sequitur Primò, fieri non posse vt Deus sexto modo ex dictis nu. 126. alicui reuelet futurum ipsius actum quem sine peccato elicere nequit, saltem eo casu, quo videt eum notabiliter ad eum eliciendum, ex aliqua tentatione, aut naturæ infirmitate inclinandum: quia sic moraliter necessitaret eum ad peccandum. quod diuinæ bonitati repugnat.

Qua ratione Deus nequeat alicui reuelare suũ futurum peccatum.

142 Sequitur Secundò, saltem valdè probabile esse Deum nec tertio, nec quarto, nec quinto modo ex dictis posse alicui eiusmodi suum actum futurum reuelare, quando videt eum ita ad eum eliciendum inclinandum. Ratio est, quia, etsi tunc non tolleret illi homini omnino libertatem circa illum actum, quia maneret in eius potestate eum actum in quouis instanti determinato illius temporis non committere, iuxta tertium & quartum modum, aut hunc actum in particulari omittere iuxta quintum modum; tamen per dictam reuelationem videtur illi reddi impossibile seriò conari ad euitandum toto illo tempore absolutè omne peccatum, & consequenter etiam redditur ei difficillima & ferè impossibilis euitatio illius peccati. videtur autem repugnare diuinæ bonitati hominem adhuc viuentem in talibus circumstantijs constituere.

Secùs videtur dicendum de primo & secundo modo, quia his non ita minuitur hominis libertas; quamuis hi etiam parum sint conuenientes suaui modo agendi quo Deus erga nos vtitur.

DVBIVM XV.

Quid sit præsumptio, & quale peccatum?

DE hac tractat D. Thomas 2.2.q.21. vbi docet, præsumptionem esse duplicem; vnam qua quis præsumit se proprijs viribus, sine Dei supernaturali auxilio posse beatitudinem obtinere, prout faciebant olim Pelagiani; qui negabant Christi gratiam homini esse necessariam ad bene viuendum & beatitudinem merendam. Aliam verò, qua quis præsumit se sine pœnitentia & meritis sola Dei misericordia ac liberalitate veniam peccatorum & beatitudinem obtenturum, prout faciunt Lutherani. 143 *D. Thom.* *Duplex præsumptio: alia Pelagiana, alia Lutherana.*

Vtraque autem est valdè graue peccatum. Primò, quia vtraque præsupponit iudicium hæreticum. Prior scilicet hominem sine gratia Dei supernaturali proprijs viribus posse legem implere, & beatitudinem mereri. Secunda verò nos sine pœnitentia & meritis posse obtinere peccatorum veniam & cælestem gloriam. quæ apertè repugnant dogmatis fidei. Secundò, quia prior multùm detrahit dignitati cælestis illius beatitudinis, dum reputat eam talem, quam operibus viribus naturæ factis possimus promereri. Secunda verò multùm derogat iustitiæ Dei, quæ exigit vt peccata non maneant impunita, nec sine pœnitentia condonentur, & vt cælestis gloria merentibus detur. Est autem hæc secunda multò periculosior quàm prior, quia tollit omnino timorem Dei, & omne frænum quo homo à peccatis, præsertim occultis, possit reuocari, atque ita ei est occasio sequendi in omnibus suas cupiditates. 144 *Vtraque est graue peccatum, supponitque iudicium hæreticum.* *Lutherana periculosior.*

Potest his addi tertia præsumptio, qua quis statuit in peccatis perseuerare quamdiu bene valet, sperans se in fine vitæ obtenturum à Deo gratiam, qua conuertatur & salutem obtineat. Atque ita nimiùm de Dei misericordia præsumit, eaque ad peccandum abutitur; vnde patet hanc etiam esse & graue peccatum & valdè periculosam. 145 *Tertia præsumptio.*

Disputant autem hîc præterea, an per præsumptionem perdatur habitus spei. Qua in re certum est hunc amitti per primam & secundam præsumptionem, quia præsupponunt iudicium hæreticum, quo fides amittitur, & consequenter etiam spes. Probabilius tamen est eum non perdi per tertiam: quia nullum habet actum ita repugnantem actui spei, vt cum eo nequeat consistere. Ita Bañez & Turrianus 2.2. q.21.a.2. 146 *An præsumptio tollat habitũ spei.* *Bañez.* *Turrian.*

Addit Bañez: *At verò cùm quis ita præsumit quòd est prædestinatus, & sine termino vult peccare; probabile est quòd amittat spem infusam, quia destruit rationem formalem interpretatiuè: non enim requiritur actus desperandi tam expressus, sicut error ad infidelitatem.* Turrianus verò suprà putat nec per hanc, nec per aliam præsumptionem auferri habitum spei, nisi simul adsit actus infidelitatis. Quia aliàs præsumptio non aufert obiectum formale spei, sed solùm aliquid à Deo sperat alia ratione quàm sit promissum; sicut si quis 147

quis imprudenter crederet aliquid tamquam à Deo reuelatum, quod ab eo non est reuelatum, non amitteret habitum fidei; modo aliàs nihil asserat fidei repugnans.

148 Sed hæc maiore discussione indigent. Nam in primis in exemplo dato, non video quomodo quis possit sine errore in fide præsumere se prædestinatum & saluandum, quantumuis vsque ad finem vitæ perseueret in peccatis; hoc ipso enim credit se sine pœnitentia saluandum. qui est apertus error in fide.

Turrian. Secundò, etsi verius credam id quod Turrianus dicit, actum præsumptionis præcisè & formaliter sumptum non repugnare sufficienter actui spei, vt per eum, si abesset error in fide, amitteretur habitus spei, vt probat simile à Turriano allatum, & statim clariùs ostendam; tamen in exemplo à Bañez allato puto cum ipsa præsumptione esse alium actum voluntatis coniunctum, qui ita repugnet cum spe, vt per eum eius habitus tolleretur, etiamsi abesset error contra fidem.

149 Pro quo Nota Primò, ex dictis disp.18. dub. 4.n.26.& 35. habitus infusos fidei & spei, (est enim vtriusque eadem ratio, imò etiam ipsius caritatis, vt ostendam infrà disp.21.dub.8.) non expelli quidem physicè per actus sibi contrarios, sed solùm demeritoriè; nihilominus habitum fidei & spei non amitti per quosuis actus, quacumque ratione his virtutibus contrarios, sed per eos solos qui ita ipsis repugnant, vt non possint simul cum earum actibus vlla ratione consistere. Quare vt quis sine infidelitate per aliquem actum amittat habitum spei, requiritur, vt ille sit formale peccatum (aliàs enim nequit mereri amissionem illius habitus) atque vt ita repugnet actui spei, vt cum hoc nullo modo possit simul in eodem consistere. Qualis est omnis desperatio; fieri enim nequit, vt eandem rem simul sperem & desperem. Item iudicium quo voluntariè iudico beatitudinem mihi esse impossibilem, aut me eam de facto numquam assecuturum, quia cum tali iudicio nequit consistere actus spei.

Quæ requirantur in aliquo actu vt expellat habitum spei.

Nota Secundò, eum qui præsumit se esse prædestinatum & saluandum, etiam sine pœnitentia & meritis, ideoque statuit vsque ad mortem perseuerare in peccatis, præter iudicium erroneum, quo iudicat se ita saluandum, habere duos actus voluntatis. Primus, quo exspectat beatitudinem sibi dandam etiam sine vlla pœnitentia & meritis. Secundus, quo statuit vsque ad mortem in peccatis suis perseuerare. Præsumptio autem consistit præcisè in priore actu; nec habet absolutam repugnantiam cum actu spei: is enim qui talem actum haberet, posset simul velle agere pœnitentiam & exercere bona opera, vt hac ratione certiùs & perfectiùs beatitudinem assequeretur: atque ita posset elicere verum actum spei, posito quòd illo iudicio erroneo non amitteret fidem, aut posito quòd spes theologica posset esse sine fide: nulla enim potest ostendi implicantia cur actus dicti simul consistere non possent. Et ex hac parte puto sententiam Turriani esse veram. 150

Secundus verò actus non est propriè præsumptio, sed hanc consequitur, & vterque actus potest ab altero separari. videtur tamen continere saltem implicitam ac virtualem desperationem; nam, vt ostendi dubio 10. desperatio propriè est actus voluntatis, quo quis statuit numquam ampliùs prosequi beatitudinem. Qui autem statuit vsque ad mortem sine pœnitentia in peccatis perseuerare, implicitè ac virtute statuit numquam prosequi beatitudinem: ergo implicitè ac virtualiter desperat. Minor probatur; nam prosecutio beatitudinis consistit in efficaci intentione beatitudinis, & consequenter in voluntate adhibendi media ad eam obtinendam necessaria, qualia in peccatore sunt desistentia à peccando, & pœnitentia: atqui talis habet expressam voluntatem numquam pœnitendi, aut peccata deserendi: ergo implicitè & virtute habet voluntatem numquam prosequendi beatitudinem. Atque ita videtur hoc actu perdendus habitus spei, etsi nulla hæresis præcederet. Et hoc satis est probabile. 151

Statuens vsque ad mortem perseuerare in peccatis implicitè desperat.

LIBER QVARTVS

DE CARITATE.

PRÆFATIO.

EXplicata superioribus libris natura fidei ac spei, hoc tandem libro ipsa natura caritatis explicanda. Vt hoc autem plenius agamus, primò de ipso nomine & significatione caritatis nobis dicendum est. Multi hoc nomen à Græco χάρις deducentes, volunt scribi per ch, nimirum charitas. & multorum vsu receptum est, vt ita iam plerumque scribatur. Aiunt ijdem hac ratione distingui caritatem, qua annona dicitur cara, ab ea qua Deum hominesque diligimus. Sed his obstat diuersa nominis Græci & Latini significatio. nam χάρις non significat amorem, sed gratiam: & χαρίεις gratiosum, non autem carum siue dilectum significat. Quare creditu videtur difficile charitas Græcum esse, cùm apud Græcos in illa significatione nullum verbum simile reperiatur. Verba autem quæ Latini à Græcis mutuantur, suam significationem retinere solent. Alij igitur, qui hoc tempore maximè orthographiæ student, vtrumque nomen ijsdem literis scribunt, vel potiùs eodem nomine tam annonæ pretium, quàm dilectionem significari docent, tamquam inter se connexa, & quorum vnum ex altero sequatur. Nam cùm & ea quæ magni pretij sunt, nobis cara esse siue à nobis amari soleant, & similiter quæ amamus magno pretio soleamus æstimare, meritò vtraque tanquam communiter eadem eodem vocabulo exprimimus. His igitur, quòd hæc deductio ex re nata facilis ac prona sit, libentiùs subscribo.

Hactenus de voce, quod autem ad significationem attinet, variè de hac varij scribunt; sed quod ad rem præsentem spectat, etsi caritas generatim idem significet quod amor, atque adeò etiam aliquãdo in vitio ponatur, vt Iudith 9. vbi ipsa à Deo petens vt Holofernes eius amore capiatur, ait, Et percuties eum ex labijs caritatis meæ; communiter tamen in bonum accipitur, & quidẽ apud Patres ac Theologos, atque adeò etiam in Scripturis, præsertim noui testamenti, pro virtute theologica, qua Deum propter se, & alia propter Deum diligimus; de qua hæc tota nobis est disputatio.

Iudith 9.

Distinctio inter amorẽ, dilectionẽ, caritatem & amicitiam.

Vbi hoc præterea notandum, plurimos inter hæc quatuor, scilicet, amorem, dilectionẽ, caritatem, & amicitiam ita distinguere, vt Amor sit quid commune his omnibus, & tam actui quàm habitui conueniat, Dilectio verò actum significet siue bonum siue malum, Caritas verò amorem honestum habitualem vel actualem, atque adeò & veram amicitiam, quæ semper mutuum amorem significat. Amicitia tamen latiùs patet: nam etiã inter homines tam malos quàm bonos reperitur; caritas verò solet pro ea sola amicitia accipi, quæ inter hominem & Deum intercedit, aut saltem qua homines propter Deum amamus. Tractat autẽ D. Thomas de caritate virtutibusque ei annexis, vitijsque oppositis 2.2.q.23. vsque ad 46. cuius ordinem in iis explicandis quàm proximè poterimus sequemur, quamuis in aliquibus nonnihil ab eo deflectemus.

D. Thom.

DISPV-

DISPVTATIO XXI.

De habitu caritatis.

DVBIVM I.

Vtrùm caritas sit aliquid creatum in anima nostra?

1 *Magister.* HÆc difficultas præcipuè disputatur propter Magistrum, qui deceptus ex quibusdam locis D. Augustini malè intellectis, putauit caritatem qua Deum diligimus, siue qua actus dilectionis Dei in nobis producitur, esse ipsum Spiritum sanctum.

Sed hæc opinio non solùm communi sententiæ Theologorum, sed apertè ipsis Scripturis & Concilijs repugnat. Primò, quia ad Roman. 5. dicitur: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Si enim caritas sit ipse Spiritus sanctus, malè dicitur per Spiritum sanctum diffundi. sicut per lucem solis non diffunditur ipsa lux solis, sed lumen ab hac luce productum. Etsi enim lux possit dici se ipsam diffundere, & similiter Spiritus possit dici diffundi in corda nostra ratione effectuum, quos producunt, illa in aëre, hic in nostris cordibus; tamen lux non dicitur per seipsam siue secundùm se diffundi: & similiter Spiritus sanctus non dicitur per se siue secundùm se diffundi. Secundò, quia Apostolus 1. ad Corinth. 12. vocat caritatem aliasque virtutes charismata & dona Dei & Spiritus sancti, non distinguens inter hoc donum, siue inter caritatem & alia dona, insinuans vtraq; creata esse & à Deo distincta. Et cap. 13. connumerat caritatem cum fide & spe quasi eiusdem ordinis, aitque nos habere fidem & caritatem, nihil inter hæc, quod ad rem præsentem attinet, distinguendo. Tertiò, Arausicanum cap. 25. similiter dicit Spiritum sanctum caritatem diffundere in cordibus nostris, clarè ostendens hanc esse illius effectum.

Rom. 5.

Tam Spiritus S. quàm solis lux malè dicuntur diffundi nisi ratione suorum effectuum.

1. Cor. 12.

Arausic.

2 *Magister.* Respondet Magister eam diffundi à Spiritu sancto, quando hic producit in nobis actum caritatis. Sed hoc dici nequit. Primò, quia Concilium loquitur de dono quod præcedit ipsum actum, & per quod simus potentes elicere istum actum. Secundò, quia Concilium eodem modo loquitur de dono fidei & caritatis. Tertiò, quia dicit nos non posse diligere Deum, vel credere sicut oportet, quia liberum arbitrium peccato Adæ est attenuatum: est autem attenuatum, non amissione actus, sed rei permanentis, scilicet habitus fidei & caritatis. Quartò, quia infrà dicit nos illud auxilium quod confirmat liberum arbitrium, recipere in baptismo, in quo conferuntur dona habitualia, non autem ipsi actus. Quintò, quia Tridentinum sess. 4. cap. 7. definit in iustificatione infundi caritatem nobis inhærentem: quod nullo modo dici potest de Spiritu sancto, qui nullo modo nobis inhæret, nec etiam de ipsis actibus, quia Concilium loquitur ibi de re permanente & qua permanenter iusti sumus. Sextò, quia S. Augustinus, cuius ferè sola auctoritate Magister nititur, lib. de Spiritu & litera cap. 31. dicit nos inde caritatem habere, vnde habemus fidem, scilicet à Spiritu sancto, qui eam diffundit in cordibus nostris. & addit: *Caritas quippe Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos: sicut dicitur iustitia Dei, qua iusti eius munere efficimur; & Domini salus, qua nos saluos facit; & fides Iesu Christi, qua nos fideles facit.* Vbi apertè ostendit, caritatem, qua nos diligimus Deum, esse distinctam ab ea qua ipse nos diligit, & illam non minùs quàm fidem & iustitiam nobis inhærere.

Tridens.

3 *August.*

Respondet Magister ibi non dici diuersam esse caritatem, qua nos Deum diligimus ab ea qua nos Deus diligit, sed eandem diuersis rationibus dici caritatem Dei & nostram. Sed contrà eodem modo dicendum esset, eandem esse iustitiam nostram & Dei, fidem nostram & Dei, &c. quia hæc eodem modo distinguit S. Augustinus. Plures Patrũ auctoritates adfert Valentia hîc puncto 1.

4 *Magister.*

August. Valentia.

Probatur Septimò, quia caritas dicitur in alijs esse, in alijs non esse; in alijs esse maior, in alijs minor; in alijs crescere, in alijs corrumpi. quæ non conueniunt Spiritui sancto, qui vbique idem & immutabilis est.

Dices, Spiritum sanctum in se immutabilem dici in nobis crescere vel corrumpi, &c. sicut in se semper æquè magnus dicitur in nobis magnificari: quia scilicet etsi Spiritus sanctus sit in omnibus, non tamen omnes dicuntur eum habere in se; quia aliàs etiam bruta eum haberent. & sic spiritus Eliæ dicitur duplex fuisse in Eliseo.

5

Sed hæc responsio petit principium; hoc enim est quod petitur, quare in nobis dicatur crescere aut corrumpi, in vno esse maior quàm in alio, esse in homine, & non in bruto. Huius enim nulla potest alia reddi ratio, quàm quia Spiritus sanctus, siue caritas increata per sua dona seu per caritatem creatam est in aliquibus, & in alijs non; in homine, & non in bruto. sicut lux solis dicitur ibi non esse, vbi lumen suum non diffundit; ibi magis esse, vbi maius lumen diffundit: sic Spiritus sanctus dicitur magis in nobis esse, siue crescere quando maiorem caritatem nobis infundit. Simili modo Deus dicitur in nobis magnificari, cùm ipsius dona in nobis magnificantur & illustrantur; vnde etiam externa eius gloria augetur. Item spiritus Eliæ dicitur duplex fuisse in Eliseo, quia dona ipsius in hoc duplicata fuerunt quoad externa miracula seu gratiam miraculorum;

Spiritus S. solùm ratione donorũ est, crescit, minuitur, &c. in vno potiùs quã in alio.

vt aliqui volunt. Aliàs, vt iam dixi, intelligi nequit cur Spiritus sanctus magis dicatur esse in vno quàm in alio, si nihil operetur in vno quod non operatur in alio: quod secundùm Magistrum accideret in iusto & peccatore, quoties vterque dormiret; tunc enim neuter præ altero aut habitu, aut actu Deum diligeret.

1.Iohan.4. Augusti. Dices Primò, 1.Iohannis 4. Deus dicitur caritas. vnde S. Augustinus lib.15.de Trinit.cap.17. ait Deum non ita dici caritatem, vt dicitur spes, vel patientia nostra, quia scilicet hæc nobis dat. *Sed ita, inquit, dictum est Deus est caritas, sicut dictum est, Deus est spiritus.* scilicet essentialiter & in se. Confirmatur, quia S. Iohannes suprà, vt excitet nos ad desiderandam & acquirendam caritatem, dicit Deum esse caritatem, & eum qui manet in caritate, manere in Deo. vnde S. Augustinus l.8. de Trinit.c.7. videtur dicere ipsam fraternam dilectionē esse ipsum Deum. nam, vt probet diligentem proximum etiam diligere ipsum Deum, ait, *Qui proximum diligit, consequens est vt ipse præcipuè dilectionē diligat. Deus autem dilectio est.* Et infrà: *Nemo, inquit, dicat, Non noui quid diligam: diligat fratrem, & diligat eandem dilectionem: magis enim nouit dilectionem qua diligit, quàm fratrem quem diligit. Ecce iam potest notiorem Deum habere, quàm fratrem.*

Iohan. *Augusti.*

6 Respondeo, Deum verè & essentialiter esse caritatem, vt S. Augustinus suprà bene ex Scriptura docet: non tamen esse eam, qua nos eum diligimus, sed qua ipse nos diligit. Sicut est essentialiter iustitia, non qua nos iusti sumus, sed qua ipse iustus est. Ad confirmationem, Respondeo S. Iohannem nos ibi hortari ad caritatem obtinendam, quam dicit esse Deum, vt ostendat quanta res sit caritas quæ etiam in Deo reperitur, atque adeò Deus dicitur: non tamen dicit eandem esse caritatem in Deo & in nobis. Simili modo Salomon Prouerb.8. vt nos incitet ad quærendam sapientiam, multis laudat sapientiam increatam, & indistinctè sæpè modò de creata, modò de increata loquitur, quasi vtraque esset vna ac eadem; quia scilicet illa est participatio quædam huius. Et simili modo loquendi S. Augustinus suprà caritatem creatam & increatam confundit, quia illa est huius participatio, vt bene aduertit S. Thomas hîc ad 1. Aliàs S. Augustinum vtramque caritatem verè inter se distinguere, patet ex loco suprà citato, ex cap.31. de Spiritu & litera, & ex epistola eius 29. ad S. Hieron. Vbi definiens caritatem creatam, *Virtus est, inquit, caritas, qua id, quod diligendum est, diligitur.* Docetque dum hîc viuimus, eam in nobis posse augeri.

Deus essentialiter est caritas, non tamen ea, qua nos diligimus eum.

Prou.8.

D.Thomas.

Caietan.

7 Dices Secundò, Nulla creatura est infinitæ virtutis; sed caritas delet peccata, vnit nos Deo, eiusque filios efficit, quæ sunt infinitæ virtutis: ergo caritas non est aliquid creatum.

Respondet D. Thomas caritatem operari formaliter; efficaciam autem formæ attendi secundùm virtutem agentis, qui eam producit. Vnde ex eo quòd caritas iustificat, intelligimus infinitam virtutem Dei eam producentis. Quam responsionem multis & perplexis verbis conatur hîc explicare Caietanus. Sed dicendum est S. Thomam nihil aliud velle, quàm caritatem non delere peccatum physicè; siue eam, quòd deleat peccatum, & nos filios Dei constituat, non habere ex natura sua; sed ex ordinatione Dei, qui dum eam nobis infundit, peccatum delet, & nos in heredes ac filios adoptat. Qui effectus etsi sint aliquo modo infiniti, non tamen arguunt infinitam vim caritatis saltem physicam, quia ab ea physicè non fiunt, sed vt summum moraliter, siue virtute quadam morali, quæ tanta in ea esse potest, quantam Deus illi vult tribuere.

Qua ratione caritas est finita, peccata delet, & nos filios Dei constituat.

Nota contra Bañez, Deum hîc posse per se supplere omnem causalitatē efficientem ipsius caritatis, & immediatè per se cum voluntate nostra concurrere ad productionem amoris supernaturalis: nulla enim hîc potest ostendi implicantia; & cùm ille actus tunc etiam procederet ab ipsa voluntate tamquam à causa eius partiali, sicut etiam nunc procedit quando ab anima simul & caritate producitur, non minùs eo casu esset vitalis, quàm sit iam. vide dicta suprà disp.5.dub.5. 8

DVBIVM II.

Sub qua ratione formali Deus sit obiectum caritatis?

HOc dubium hîc oritur ex eo, quòd D. Thomas 2.2.q.23. art.4. in corpore dicat, bonum diuinum esse obiectum caritatis, quatenus est obiectum beatitudinis. Quidam enim ex hoc loco & ex prima secundæ q.109.ar.3. ad primum conantur probare, caritatem naturalem & supernaturalem ita distingui obiectis, quòd illa tantùm feratur in Deum qua auctorem & finem rerum naturalium, hæc verò in auctorem supernaturalium. Ratio eorum est, quia cùm hi amores differant specie, debent eriam differre obiecto formali; nec videtur alia differentia posse assignari. 9 *D.Thom.*

CONCLVSIO I. Deus non est solùm obiectum caritatis, quatenus est auctor rerum supernaturalium. Ita Scotus in 3.dist.23.q.vnica, §. *Quantum ad istum articulum.* Gabriel ibidem a.3 dub.3.concl.1 & alij. 10 *Scotus.* *Gabriel.*

Probatur, quia vel illud Quatenus habet se per modum finis, ita vt Deum ideo amemus vt sit, siue quia cupimus eum nobis esse principium siue auctorem supernaturalium: & hoc dici nequit, quia vt sic est obiectum amoris concupiscentiæ & spei. Vel Secundò, habet se per modum restringentis, ita vt hanc solam in eo virtutem siue perfectionem amemus: sicut amor castitatis instigat nos vt amemus aliquem præcisè quia castus est. Sed nec hoc dici potest; quia sic non possemus caritate amare Deum qua sibi & in se bonus est, sine respectu ad nos, nec etiam velle ipsi suam beatitudinem; quia vt sic non est auctor nostræ beatitudinis aliorumúe donorum supernaturalium; cùm tamen sub dicta ratione Sancti, & præsertim Beati in cælo, Deum ex caritate maximè ament; ita vt magis gaudeant Deum in se esse beatum, quàm

quàm ipsum nobis esse causam beatitudinis. Vel Tertiò, illud Quatenus dicit motiuũ huius amoris: sicut si amarem Iohannem, quia doctus est, aliàs eum non amaturus; posito tamẽ quòd doctus sit, eum simpliciter & secundùm omnẽ rationem amem. Sed nec hoc dici potest, quia Deus in se amandus est, ita vt amaretur, etsi nulli vmquam vellet esse causa æternæ beatitudinis aliorũmve donorum supernaturalium, & Sancti ita eum amant ex vera caritate, vt etiam vellent eum maximè amare, etsi scirent nec se, nec vllos alios vmquam ad statum aliquem supernaturalem eleuandos esse.

11 Probatur Secundò, quia si aliquis audiret Deum in se esse tam bonum, vt homini statuerit dare æternam vitam, idque fide naturali crederet, etsi non haberet caritatem supernaturalem, posset sine dubio amore naturali ita Deum amare, sicut potest amare aliquem hominem bonum & munificum, aut etiam ipsum Deum qua auctorem rerum naturalium: ergo Deus illo modo consideratus etiam est obiectum amoris naturalis: & consequenter nulla est ratio cur dicta ratione distinguamus amorem Dei naturalem à supernaturali.

12 Conclvsio II. Obiectum formale caritatis est bonitas Dei, qua in se infinitè bonus & perfectus est secundùm omnem rationem entis. Ita Scotus & Gabriel suprà: & insinuat apertè D. Thomas 2.2.q.23.a.5.ad 2. vbi negat ex diuersis beneficijs in Deo oriri diuersas rationes formales amandi eum per caritatem, quia caritate Deus diligitur propter seipsum; nam *vna sola ratio diligendi attenditur principaliter à caritate, scilicet diuina bonitas, quæ est eius substantia.* Et art.6. in corpore ait, caritatem attingere Deum vt in ipso sistat, non autem vt ex eo aliquid boni nobis proueniat. Et ita intelligendum est, quòd hîc dicit Deum esse obiectum caritatis, quatenus est obiectum beatitudinis: quia scilicet caritas non fertur in Deum, vt dicit ordinem ad nos, seu vt consideratur cum aliqua restrictione, sed quatenus habet in se infinitam perfectionem in omni genere entis; vt sic enim est obiectum visionis beatificæ: nam in cælo videbimus eum sicuti est, vt dicitur 1. Iohan. 3. & ita etiam D. Thomam explicat Caietanus.

Scotus. Gabriel. D. Thomas.

1. Iohan. 3. Caietanus.

13 Probatur, quia caritas attingit Deum quatenus perfectissimè & maximè bonus est: sed melior & perfectior est in se, quàm quatenus dicit ordinem ad creaturas: ergo caritas eum sub illa ratione attingit.

Deus est perfectior spectatus secundùm se, quàm quatenus dicit ordinẽ ad nos.

Maior est D. Thomæ art.6. vbi etiam inde probat caritatem esse virtutem perfectissimam. Minor probatur, quia in se spectatus est omnimodè immensus in omni perfectione & bonitate: quatenus autem dicit ordinem ad creaturas tamquam earum auctor aut principium, finito quodam modo se habet: quia effectus omnes ipsius, siue dona tam gratiæ quàm naturæ sunt finita, præsertim secundùm suam rationem physicam.

14 Probatur Secundò, quia cùm caritas sit amor amicitiæ, per eam volumus Deo bonum præcisè qua ipsi bonum, & consequenter qua maximè ipsi bonum est: atqui ipse propriè & maximè sibi bonus est, non quatenus est nostra beatitudo, aut nobis auctor alicuius boni; sed quatenus est sua beatitudo, in se infinitè perfectus: ergo vt sic eum caritate amamus.

15 Dices, D. Augustinus l.1. Soliloquiorum cap. 6. circa finem, dicit nos per caritatem desiderare Dei conspectum: ergo caritas fertur in Deum quatenus est nostra beatitudo. Respondeo nego conseq. nam D. Augustinus non vult nos caritate amare Dei conspectum quatenus per eũ beamur; sed quatenus per eum Deum nobis præsentem sistimus; atque ita eum perfectius amamus, illique totaliter coniungimur; ad quæ caritas maximè inclinat.

Augustin.

Qua ratione caritate desideramus nostram beatitudinem.

16 Dices Secundò, Omnis inclinatio, qualis est etiam amor, sequitur aliquam formam seu naturam: sed natura non inclinat nisi in seipsam aut in id, in quo tamquam in principio aut effectu aut simili continetur: ergo amor numquam inclinat in alium, nisi in eo natura amantis aliquo ex modis iam dictis contineatur, & consequenter amor naturalis non potest ferri in Deũ, nisi vt in auctorem naturæ; nec supernaturalis amor, nisi vt in auctorem rerum supernaturaliũ.

17 Respondeo Primò, maiorem propriè esse veram in sola inclinatione naturali, quæ vnicuique rei insita est ad sui conseruationem & perfectionem: & de simili etiam inclinatione intelligenda est minor: secùs autem est de amore, quem liberè elicimus, præsertim si sit amor amicitiæ, qui ita fertur in alterum, vt non respiciat vlla ratione bonum ipsius amantis.

Solus amor naturalis siue non liber, fertur in id solũ quod sibi naturaliter coniunctum; secus est de libero seu rationali.

Confirmatur Primò, quia aliàs angelus non posset naturali amore diligere hominem, quia eius natura nullo modo ex dictis, in homine reperitur. Secundò, quia aliàs nullus amor aliquẽ inclinaret vt vellet pro amico, filio, aut parente mori: item omnis amor naturalis siue non supernaturalis inclinaret nos, vt quo aliquis nobis maximè sanguine iunctus est, eo ipsum maximè amaremus, & omnes non sanguine iunctos æqualiter amaremus. quæ patet apertè falsa esse: nam sæpè amicos externos magis amamus, quàm consanguineos, & sæpè alij pro alijs parati sunt mori. Quòd autem hæc sequeretur probatur; quia si amor semper necessariò inclinaret in id solum, in quo reperitur natura amatis, magis semper inclinaret in id, in quo illa magis reperitur: atqui magis reperitur in amante, quàm in vllo alio; item in consanguineis, quàm extraneis: ergo illos semper præ his amaret.

18 Respondeo Secundò, etsi caritas non inclinaret ad aliquem amandum, in quo ipsa seu eius principium non reperitur aliquo ex dictis modis; non tamen posset dici eam solùm inclinare ad illum amandum præcisè sub ea sola ratione: quia aliàs non inclinaret ad amandum Deum qua auctorem fidei aut spei; quia vt sic, non est auctor caritatis. Nec sufficit si dicas caritatem ideo inclinare ad amandum Deum qua auctorem fidei & spei, quia ipsa has virtutes præsupponit in suo subiecto: nam eadem ratione præsupponit ipsam naturam, sine qua esse non potest, & consequenter etiam amabit Deum vt auctorem naturæ.

19 *D.Thomas.* Petes, quid ergo sibi velit D.Thomas, dum 1.2.quæst.109.artic.3.ad 1. ait naturam diligere Deum qua auctorem naturæ, caritatem verò qua obiectum beatitudinis. Respondeo D. Thomam solùm velle amorem naturalem debere esse talem, qui respondeat beneficijs naturalibus: supernaturalem verò debere esse talem qui respondeat beneficijs supernaturalibus, & sit proportionatus fini supernaturali. quâ proportionem propriè non tam habet ab obiecto, quàm à suo principio supernaturali, à quo habet quòd amorem naturalem perfectione superet. Et hoc D.Thomam velle patet, quia dicit ibidem caritatem amare Deum eminentiùs, quàm natura eum amet; quia autem obscurum erat in quo consisteret illa eminentia, nec poterat facilè ostendi ex principijs intrinsecis, explicat illud ex diuerso vtriusque amoris fine, cui vterque debet proportionari.

Qua ratione dicatur caritatè amare Deum vt auctorem supernaturalium; & naturam vt auctorem naturalium.

DVBIVM III.

Vtrùm mutua inter Deum & homines caritas habeat veram rationem amicitiæ?

20 *D.Thomas.* CONCLVSIO. Mutua inter Deum omnesq; iustos caritas habet rationem veræ amicitiæ. ita D.Thomas 2.2.q.23.a.1. & communiter Doctores: estque omnino certa.

Sap.7. Probatur Primò, ex Scriptura; quia hæc iustos sæpissimè vocat amicos Dei. Sap.7. v.14. sapientia dicitur nos facere participes amicitiæ Dei. *Psal.138.* Psal.138.dicitur, *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* *Iohan.11. & 15.* Iohan.11. Christus Lazarum vocat amicum.& cap.15.v.14. ait Apostolis; *Vos amici mei estis si feceritis quæ ego præcipio vobis.*& v.15. *Vos autem dixi amicos*,&c. Similia habentur pluribus alijs locis.

21 Dices, hæc impropriè accipienda esse, quia Scriptura etiam vocat nos filios Dei, palmites, oues,&c. quæ tamen metaphoricè accipienda sunt. Respondeo, nego assumptum. Ad probationem, Respondeo nos etiam esse verè filios *1.Iohan.3.* Dei, iuxta illud 1.Iohan.3. *Carissimi videte qualem caritatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur & simus.* vnde etiam teste Apostolo ad Roman.8. verè sumus heredes Dei. Nec refert quòd solùm simus filij adoptiui, quia etiam hi verè filij sunt. Palmites verò & oues dicimur metaphoricè: quia hæc propriè sumpta in nos conuenire non possunt: nullum autem est inconueniens quin propriè possimus dici amici Dei, vt ex dicendis patebit. Quare cùm Scriptura nos vocet amicos Dei, id propriè intelligendum est. Nam verba Scripturæ propriè intelligenda sunt, quando nullum apertè absurdum inde sequitur, iuxta *Rom.8.* *Augus.* S.Augustinum l.3. de Doctrina Christiana cap. 10.& 11.

Verè & propriè dicimur amici & filij Dei.

22 Amicitiæ definitio. Probatur Secundò, ex conditionibus requisitis ad amicitiam. Est igitur amicitia mutuus quidam beneuolentiæ amor in communione quadam & honestate fundatus. Vbi quinque ad eam requiruntur conditiones.

Quinq; cõditiones ad eã requisitæ. I. Conditio. Prima est vt sit amor beneuolentiæ, siue quo alteri volumus bonum quia ipsi bonum est, siue vt ipsi, non autem vt nobis bene sit. Hinc quæ amamus vt nobis commoda, v.c. seruos, equos,&c. non amamus amore amicitiæ. Caritate autem amamus bonum Dei præcisè qua ipsius bonum est sine respectu ad nostrum commodum, siue bonum. iuxta illud Apostoli; *Caritas non quærit quæ sua sunt.* Simili modo Deus vult nobis beatitudinem quatenus nobis bona est, non autem quia ipse nobis indiget, iuxta illud psal.15. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* *Psalm.15.*

23 Nec refert quòd Deus etiam referat beatitudinem nostram ad gloriam suam: quia hoc non facit quia ea indiget, aut quasi inde vtilitatem accipiat; sed quia cùm ipse naturaliter sit finis omnium rerum, quidquid bonum est natura sua in Deum refertur, & consequenter beatitudo nostra hoc ipso quo bona & honesta est, naturaliter refertur in Dei gloriam: quare quòd Deus eam ita referat, non obest perfectæ amicitiæ. Sicut nec obest amicitiæ meæ cum Iohanne, si hanc appetam propter intrinsecam suam honestatem, & consequenter propter Deum: quia hoc honestæ amicitiæ naturale & intrinsecum est ita in Deum referri.

Non obest perfectæ amicitiæ, quòd Deus referat nostram beatitudinem in suã gloriam.

Honesta amicitia naturaleest vltimò relata in Deum.

Vbi cum P.Lessio de Iustit.c.36.dub.3. n.23. *Lessius.* & Turrian.2.2.disp.66.dub.2.§.*Tandem circa tertium*, Nota, sicut in nobis est duplex actus: alter, quo volumus amico bonum, quia ipsi bonum est; alter, quo eius amicitiam expetimus nobis propter suam honestatem, eamque vlteriùs ad Dei honorem referimus: quorum prior est verus amor amicitiæ erga amicum; secundus verò non: ita in Deo actum, quo nobis vult bonum quatenus nobis est bonum, esse virtute distinctum ab actu quo hoc refert ad suam gloriam: atque ita ibi sunt virtute quodammodo duo actus, quorum prior propriè habet rationem amicitiæ erga nos. *Turrian.*

Alio actu amico, & alio vult opto eius amicitiam.

24 II. Conditio Secunda conditio est, vt amor sit mutuus: quæ conditio clara est in caritate, quia & nos amamus Deum, & ipse diligentes se diligit. Ob defectum huius conditionis, amor quo amamus inimicos respectu ipsorum, non habet rationem amicitiæ, quia non est mutuus amor, cùm ipsi nos non ament; habet tamen rationem amicitiæ respectu Dei, si ipsos propter Deum amemus.

Amor inimici solum habet rationẽ amicitiæ respectu Dei, propter quã illum amamus.

25 III. Cõditio. *Aristot.* Tertia conditio est, vt hic amor vtrimque sit cognitus: nam, vt ait Aristoteles 8. Ethic. cap.4. amicitia est redamatio non latens. Et ratio est, quia aliàs non esset propriè mutuus amor, quia vnus alteri non responderet, nec se mutuo respicerent, sed fortuitò concurrerent, nec vnus amans alterum amaret vt amicum. Hæc autem conditio etiam reperitur in caritate. nam fide nobis constat Primò, Deum in genere amare omnes homines, & quantum est ex parte sua cupere omnes saluos fieri; nam, vt dicitur Iohan. *Iohan.3.* 3. *Sic enim Deus dilexit mundum vt daret vnigenitum filium suum, vt omnis qui credit non pereat.* Secundò, fide constat Deum in particulari nos diligere, si eum verè diligamus, vt ipse testatur Prouerb.8. *Ego diligentes me diligo.* & psalm.144. *Prouerb.8.* *Psal.144.* *Dominus diligit iustos.* Tertiò, etsi non sciamus absolutè vtrùm Deus nos in particulari diligat, quia non scimus certò vtrùm verè eum diligamus;

mus; tamen & hoc, & consequenter illud possumus ex multis signis probabiliter cognoscere: quod sufficit ad amicitiam: quia nec aliter quàm ex probabilibus signis possumus cognoscere nos ab homine amico diligi.

26 IV. Cõditio.

Quarta conditio est, vt amicitia sit fundata in alicuius rei communione, qua amantes reddantur inter se aliquo modo similes. vt docet *Aristot.* Aristoteles 8. Ethic. c. 7. Et hæc etiam reperitur inter iustum & Deum, prout inter eos reperiri *2. Pet. 1* potest: nam, vt dicitur 2. Petri 1. ipse pretiosa nobis promissa donauit, quibus diuinæ naturæ consortes efficimur. Hinc etsi inter hominem in pura natura conditum & Deum potuisset esse mutuus amor, tamen non fuisset perfecta amicitia: quia non fuisset eiusmodi in aliquo bono communicatio, qua homo supra conditionem serui ad aliquam Dei similitudinem, siue ad participationem eiusdem aliquo modo status & felicitatis fuisset eleuatus. Ob quam causam nec inter seruum & dominum potest esse vera amicitia, nisi ille eleuetur ad aliquam conditionem, qua constituatur supra statum serui. Deus autem per infusionem caritatis nos adoptando in filios & heredes, eleuat nos supra conditionem serui ad statum libertatis, & participationem eiusdem beatitudinis, quatenus hæc nobis communicari potest.

Inter hominem in statu naturali & Deum non potuisse esse vera amicitia.

Deus sua gratia nos eleuat supra conditionẽ serui.

27

Dices, Aristoteles suprà dicit non posse esse amicitiam cum regibus, aut cum Deo, propter inæqualitatem conditionis: cui consonat etiam illud Poëtæ:

Non bene conueniunt, nec in vna sede morantur
Maiestas & amor.

Respondeo inter regem & subditum non posse esse amicitiam æqualitatis, qualis est inter pares; posse tamen esse amicitiam supereminentiæ seu excellentiæ, vt etiam fatetur Aristoteles suprà cap. 7. & 12. Inter Deum autem & hominem posse esse veram amicitiam, Philosophi non ita cognouerunt: quia ignorabant hominem per dona supernaturalia posse eleuari ad statum quemdam diuinum; quod diximus necessarium esse vt sit perfecta amicitia inter nos & Deum.

Qualis amicitia possit esse inter regem & subditum. *Aristot.*

28

Dices Secundò, Inter Deum & hominem etiam eleuatum per dona supernaturalia est infinities maior inæqualitas, quàm inter regem & vilissimum mancipium: sed inter hos nequit esse vera amicitia: ergo nec inter illos.

Respondeo, nego conseq. quia, etsi inter Deũ & hominem ita eleuatum sit maior inæqualitas in natura & perfectione; non tamen in participatione eiusdem status, siue conditionis ac beatitudinis: quia mancipium secundùm se dicit omnimodam subiectionem & vilitatem, nec vlla ratione in felicitate cum rege participat. rex verò dicit superioritatem & supereminentiam. Et eadem est ratio hominis etiam iusti respectu Dei quatenus ille est quædam creatura & seruus Dei: sed quatenus ratione donorũ supernaturalium habet quandam cum Deo vnionem & participationem diuinæ naturæ, fitque filius & heres Dei, & consequenter particeps eiusdem beatitudinis; dicit quãdam æqualitatem cum Deo, qualis scilicet inter eos esse

Quare potius possit esse amicitia inter Deum & iustum, quàm inter regem & mancipium.

potest, secundùm illud psalm. 81. *Ego dixi, Dij* *Psalm. 81.*
estis, & filij Excelsi omnes. Et simile esset in mancipio si à rege eleuaretur ad statum nobilium.

Quinta conditio est, vt amicitia sit honesta: V. Cõditio.
quæ clarissimè reperitur in caritate.

Probatur conclusio Tertiò, ex effectibus a- 29
micitiæ, qui etiam in hac amicitia inter Deum & hominem perfectè reperiuntur.

Primus est vnio animorum; vnde amici vnanimes dicuntur. Hinc D. August. lib. 4. Confess. c. 4. dicit se olim miratum fuisse se adhuc viuere mortuo amico, quocum sibi videbatur vnicum habere animum: vnde etiam illud Horatij de Virgilio, *Et serues animi dimidium mei.* Hinc etiam amici omnimodam inter se vnionẽ quærũt: Primò, in conuictu; Secundò, in omni communicatione consiliorum; Tertiò, in iudicijs & voluntate, vt quoad fieri potest, præsertim in rebus magni momenti, idem sentiant, idem velint, idem nolint. Quæ perfectissimè conueniũt caritati. Primò, quia, vt dicitur 1. Cor. 6. *Qui ad-* *1. Cor. 6.*
hæret Domino, vnus spiritus est. scilicet cum Deo. & Christus Iohannis 17. rogans Patrem pro credentibus ait: *Vt sint vnum sicut & nos vnum sumus:* *Iohan. 17.*
ego in eis, & tu in me; vt sint consummati in vnum. Vnde accidit Primò, quòd Deus & homo iustus continuò appetant mutuum conuictum & conuersationem, atque adeò intimam inter se coniunctionem. Hinc Eccli. 14. sapientia de *Eccli. 14.*
iustis ait: *Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibũt*
me adhuc sitient: quo significatur insatiabilis iustorum affectus, quo sicut esurientes & sitientes, cibum & potum ardenter expetunt; ita ipsi continuò desiderant haurire & intra se condere diuinam sapientiam. Et rursus similem suum erga iustos affectum exprimit Dei Sapientia Prouerb. 8. vbi ait, *Et deliciæ meæ esse eum filiis* *Prouerb. 8.*
hominum. Et Iohan. 14. *Si quis,* inquit Christus, *Iohan 14.*
diligit me sermonem meum seruabit, & Pater meus
diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud
eum faciemus. Et Apoc. 3. *Si quis audierit vocem* *Apoc. 3.*
meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad eum,
& cœnabo cum eo, & ipse mecum.

Amicitiæ effectus. *August.*

Secundò, est summa inter eos consiliorum 30
communicatio. Iohan. 14. ait Christus, *Non di-* *Iohan. 14.*
cam vos seruos, sed amicos, quia omnia quæ audiui à
Patre meo, nota feci vobis. Et psal. 61. v. 9. hortatur *Psalm. 61.*
nos Psalmista vt effundamus coram Deo corda nostra; non quidem vt Deum aliquid doceamus, cui omnia aperta sunt, sed consilij vel solatij capiendi causa.

Tertiò, est summa iudiciorum & voluntatum vnio: nam iusti in omnibus iudicium suum subijciunt Deo, & continuò dicunt ad eum, *Fiat vo-*
luntas tua. Et rursum Deus se quantum expedit homini accommodat. &, vt dicitur psalm. 144. *Psalm. 144.*
voluntatem timentium se facit. Vnde Christus Iohan. 14. ait: *Quodcunque petieritis Patrem in no-* *Iohan. 14.*
mine meo, hoc faciam. quod sæpè etiam in rebus minimis facit, vt patet ex Sanctorum exemplis.

Secundus effectus est ecstasis quædam, vt 31
docet D. Dionys. c. 4. de Diuin. nominibus. ita vt *D. Dionys.*
amantis animus transferatur in amatum, iuxta illud vulgare, *Anima est magis vbi amat, quàm vbi*
animat. & illud Christi Matth. 7. *Vbi est thesaurus* *Matth. 7.*
tuus,

tuus, ibi & cor tuum erit. Hinc fit amantem pro amico magis esse sollicitum, quàm pro se: vnde pulchrè D. Dionys. suprà ait, Deum ecstasim quandam passum esse, dum exinaniuit semetipsum, & ad nostram naturam translatus factus est homo. Vnde etiam Deus summam iustorum curam habet. Hinc iusti psalm.16. ad eum clamant: *Custodi me vt pupillam oculi.* Et Zachar.2. ait Deus: *Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Vnde etiam ipse animam suam pro nobis posuit, & tempore passionis quasi sui oblitus in domo Caiphæ Petrum respexit; & in cruce matrem Iohanni, & hunc illi commendauit; latroni paradisum promisit, pro tortoribus suis orauit, & nostram salutem sitiuit, hominum vicem magis quàm suam sollicitus. Rursus, vt habetur ad Colos.3. iustorum vita abscondita est cum Christo in Deo. ipsique cum Paulo ad Galat.2. clamant; *Viuo ego, iam non ego, viuit autem in me Christus.* Inde etiam factum est vt Martyres & Sancti omnes pleni illa caritate, quæ non quærit quæ sua sunt, contemnentes sua commoda, semper solam Dei gloriam quæsierint. Vnde rectè sponsa Cant.2. ait: *Dilectus meus mihi* (scilicet curæ est) *& ego illi.* ac si diceret, Neuter sui, sed vterque amati curam gerit.

Dionys. *Psalm.16.* *Zachar.2.* *Colos.3.* *Gal.2.* *Cant.2.*

32 Tertius effectus est, mutua confidentia, quæ maxima est inter Deum & iustos: nam hi se totos committunt diuinæ prouidentiæ, iuxta illud psal.54. *Iacta super Dominum curam tuam*, &c. Et rursus Deus se & omnia sua iustis credit, vt patet vel ex ipso Ven. Sacramento, in quo seipsum nobis quotidie dat.

Psalm.54.

Hæc quidem hîc aliquo modo fiunt, sed in multis minùs perfectè; in cælo autem erunt omnibus modis absolutissima.

DVBIVM IV.

Vtrùm caritas sit specialis, vna ac simplex virtus.

33 HAnc difficultatem tractat D. Thomas 2.2. q.23.a.3.4.5. & responsio affirmatiua tam apud eum ibidem, quàm apud omnes ferè alios est certa: & satis clarè sequitur ex dictis, tamen hoc dubium hîc proponendum fuit, vt solueremus quasdam obiectiones. Potest autem intelligi tam de caritate acquisita, quàm de infusa.

D.Thom.

Ratio igitur dubitandi est Primò, quia, vt cũ Aristotele communiter Philosophi docent, virtus efficit vt facilè & delectabiliter operemur: atqui multi habentes caritatem non operantur delectabiliter, sed sæpè cùm occurrit casus quo debent Deum amare supra aliquod bonum creatum, circa quod valdè afficiuntur, reperiunt in eo difficultatem: ergo caritas non est virtus.

Aristoteles.

34 Respondent aliqui hoc prouenire per accidens ob extrinseca impedimenta, siue ob habitus vitiosos, qui nos sæpè impediunt ne facilè & delectabiliter operemur. Sed hoc non satisfacit, quia spectat ad habitus virtutum eiusmodi impedimenta tollere, aut saltem minuere, & vires animo addere, quibus ea facilè superet, præsertim quando illi intensi sunt: atqui experimur contrarium, quia qui diu sine peccato mortali Sacramenta tepidè frequentant; multùm augent habitum caritatis, & tamen semper experiuntur ferè eandem difficultatem vt Deum ex caritate ament super omnes res creatas.

Secundò, ratio dubitandi est, quia caritate amamus non solùm Deum, sed etiam multa alia, v.c. proximum & omnia ad nostram aliorum salutem spectantia: ergo caritas non est vna virtus. 35

Tertiò, quia in caritate consistit impletio legis; vnde Iohan.14. Christus ait: *Qui diligit me sermones meos seruabit:* atqui impletio legis continet exercitium multarum virtutum: ergo caritas non est vna virtus. *Iohan.14.*

Quartò, vni virtuti vnum vitium opponitur: sed caritati opponuntur omnia peccata mortalia: ergo non est vna virtus.

Quintò, quia ad superandam distinctam difficultatem quæ in operando occurrit, requiritur distincta virtus, aut vt prior extendatur per additionem alicuius partis: atqui sæpè in exercendis actibus caritatis occurrit distincta difficultas: ergo ad eam superandam requiritur distincta aliqua pars habitui caritatis superaddita, & consequenter caritas non erit virtus simplex.

Pro resolutione Nota ex dictis disp.16. nu.9. habitum aliquem dupliciter posse componi ex aliquibus partibus. Primò, tamquam ex diuersis gradibus eum intendentibus: & certum est habitum caritatis hoc modo esse compositum. Secundò, tamquam ex partibus, quibus ad diuersa obiecta extenditur; sicut in scientijs acquisitis accidit, quarum habitus ex diuersis quodammodo partibus componuntur, per quas diuersas conclusiones respiciunt, nosque ad eas intelligendas facilitant. vt cum Vasquez ostendi disp.16.nu.9 & 19. & de hac compositione est tota hîc difficultas. 36 Habitus potest ex duplicibus partibus componi. *Vasquez.*

Conclvsio I. Caritas Dei tam infusa quã acquisita est vera virtus. Est communis DD. has duas caritates admittentium. Probatur, quia versatur circa obiectum arduum & honestum, scilicet Deum super omnia dilectum, idque ratione ac modo honestissimo siue optimo, quatenus amat Deum propter intrinsecam suam bonitatem: quod honestissimum & perfectissimum est, vt infrà magis patebit. Item caritas est bona qualitas mentis, qua ita rectè viuitur, vt nemo ea possit abuti. qua ratione communiter virtus definitur, quodque caritati clarissimè conuenit. 37 Virtutis definitio.

Conclvsio II. Caritas infusa est simpliciter specialis & vna specie virtus. Ita cũ D. Thoma initio citato communiter DD. & patet ex dictis dub.2. vbi ostendi eam habere speciale obiectum formale; scilicet bonitatem Dei, qua in se bonus est sine respectu ad nos; qua ratione distinguitur à virtute fidei, quæ adhæret Deo quatenus est prima veritas reuelans; & à spe, qua Deum amamus quatenus est quoddam bonum nostrum. Magis adhuc distinguitur à virtutibus moralibus, quia hæ non habent Deum pro 38 *D.Thom.*

pro obiecto formali. Quòd autem caritas sit vna specie virtus, patet; quia circa omnia sua obiecta versatur ob idem obiectum formale, scilicet ob bonitatem Dei. Quidquid enim caritate theologica amamus, hoc amamus quatenus est quoddam bonum Dei, siue ad Dei honorem spectans, idque propter eandem Dei bonitatem. Omnis autem habitus infusus, qui habet idem obiectum specie, est idem specie: cùm nulla sit ratio cur eum in diuersas species diuidamus.

39 CONCLVSIO III. Etsi hic habitus componatur ex diuersis gradibus ipsum intendentibus, tamen non componitur ex diuersis partibus extensiuis, siue quibus ad diuersa obiecta extendatur. Est etiam communis: & ratio est, quia habere diuersas eiusmodi partes solùm competit habitibus acquisitis, qui ex actibus ipsis generantur, & horum sunt vestigia: idque tantùm quando hi actus habent obiecta formalia aliqua ex parte distincta, aut diuersimodè in sua obiecta tendunt. vide dicta disp.16. nu.19. caritas autem theologica in omnia sua obiecta ob eandem omnino rationem formalem, scilicet Dei bonitatem, qua in se bonus est, fertur, idque eodem modo, scilicet amando Deum propter se.

40 CONCLVSIO IV. Habitus caritatis acquisitus distinguitur specie ab habitu caritatis infuso. Patet, quia hic est in sua substantia omnino supernaturalis & habet se per modum potentiæ; ille verò secundùm substantiam est naturalis & per nostros actus productus. vide dicta disp.6. dub.1.& 6.

41 Vtrùm autem habitus caritatis acquisitus sit omnino simplex; an verò constet partibus heterogenijs, quibus ad diuersa obiecta extendatur, non est ita clarum; & ob 5. argumentum suprà allatum, videtur satis probabiliter posse defendi eum habere tales partes. Quanquam nec hoc sit necessarium: nam cùm communiter tota hæc operandi difficultas oriatur ex apprehensione aut contrarietate, quam eiusmodi actus habent cum parte sensitiua; vt illa tollatur, non est opus vt varietur habitus in se, sed sufficit per variam exercitationem aut vehementem apprehensionem bonitatis istorum actuum in imaginatione ac appetitu sensitiuo gigni aliquam dispositionem, qua eiusmodi actus faciliter fiant. vt ostendam disp.22. dub.1.

42 Ad primum argumentum initio positum, Respondeo hoc solùm conuenire habitibus acquisitis, non autem infusis, quia hi non dant facilitatem operandi, sed solùm potentiam operandi supernaturaliter. vt ostendi disp.6. dub.6. caritas autè acquisita quando aut nulla reperit impedimenta contraria, aut est ita perfecta, vt possit hæc omnino comprimere, efficit vt delectabiliter operemur. Quanquam quia versatur circa materias omnium virtutum, quatenus omnium virtutum actus imperat, vt illud perfectè faciat, aliarum etiam virtutum sæpè auxilio indigeat: aut saltem eam habens vt semper facilè & delectabiliter operetur, debet circa variarum virtutum materias frequentes actus elicuisse quibus difficultates circa has speciatim occurrentes superarit, atque ita iuxta iam dicta in imaginatione & appetitu sensitiuo aliquam dispositionem facilitantem generarit. quamuis quando eiusmodi habitus caritatis sunt valdè intensi, alium omnem defectum facilè suppleat, excitando in homine ardens desiderium quæuis dura pro Christo patiendi.

Caritas vt facilè operetur indiget sæpè auxilio aliarum virtutum

Ad secundum & tertium, nego conseq. Nam 43
ex ijs argumentis solùm sequitur, caritatem necessariò versari circa variarum virtutum materias ac obiecta materialia: sed cùm hoc faciat ob eandem omnino rationem formalem, est vnica planè ac simplex virtus; vt iam ostendi.

Ad quartum, nego maiorem: nam sicut vni veritati multi errores directè aut indirectè opponuntur, ita vni virtuti opponuntur multa vitia; & præsertim caritati, quæ cùm directè amet bonum Dei qua tale, omnia vitia quæ huic aduersantur necessariò etiam aduersantur caritati.

Ad quintum, nego maiorem; præsertim si intelligatur de habitibus infusis. Quare hoc argumentum solùm probat ea quæ dixi in fine concl.4. & in respons. ad 1.

DVBIVM V.

Vtrùm caritas sit perfectissima inter omnes virtutes?

DIuus Thomas 2.2.q.23.a.6. & communiter 44
Doctores respondent affirmatiuè, & res *D. Thom.*
tum per se, tum ex ipsis Scripturis, vt infrà ostendam; clara est. Putaui tamen hîc clariùs explicandum, in quo consistat hæc maior perfectio, atque adeò generatim vnde alicuius virtutis siue actus perfectio desumēda sit. Quidam enim putant eum actum semper esse perfectiorem, qui habet melius siue perfectius obiectum.

Sed hoc videtur valdè difficile; nam qui vult 45
suscipere aut venerari Vener. Sacramentum, habet melius obiectum suæ volitionis, quàm is qui efficaciter vult omnia potiùs perpeti tormenta, quàm peccare contra castitatem, idque præcisè ex amore huius virtutis; & tamen huius actus communiter est melior magisque meritorius, quàm actus alterius. Item actus difficilior circa idem obiectum est melior; cuius ratio hîc quæritur, nec ex illa doctrina sufficienter colligitur.

Actus habēs melius obiectum non semper est melior.

Quærimus hîc igitur generalem rationem ex qua actus bonitas desumenda sit.

Pro quo Nota Primò, perfectionem siue bo- 46
nitatem actus esse duplicem. Aliam scilicet se cundùm entitatem physicam, aliam verò secundùm esse moris; quæ valdè inter se distinguūtur. Prior enim ferè oritur ex perfectione sui principij (nā perfectius principium circa obiectum æqualiter sibi propositum ferè elicit actum perfectiorem) & abstrahit omnino ab omni libertate.

Actus bonitas alia physica, alia moralis.

Vtriusque differentia.

Secunda verò essentialiter requirit libertatē, & quandoque augetur ratione circumstantiarum quæ actum in entitate imperfectiorem reddunt: nam ratione difficultatis sæpè augetur moralis bonitas actus, ex qua eius physica perfectio minuitur. Hinc etiamsi homo aut angelus

lus essent creati in puris naturalibus, eorum actus intellectuales, præsertim euidentes, essent secundùm entitatem physicam perfectiores actibus voluntatis, quia illi elicerentur à potentia perfectiore; & tamen actus voluntatis haberent ex se bonitatem moralem, illi verò non, nisi fortè extrinsecam & ab his participatam. vnde etiam actus voluntatis boni faciunt operantem bonum. secùs est de actibus intellectus, quantumcumque etiam sint perfecti; vt patet in dæmonibus, qui habent actus intellectus valdè perfectos, & tamen absolutè & omni ex parte nequam sunt.

Actus voluntatis boni faciunt hominem bonum, non tamen actus intellectus.

47 Nota Secundò, cum D. Thoma suprà, eo rem quamque esse perfectiorem, quo suæ regulæ est magis conformis. Potest autem hæc regula duplex cogitari. Prima est ipse finis, ad quem res aliqua ordinatur, cui vnaquæque res eo est conformior, quo ei consequendo est accommodatior. verbi causa, finis calcei est commoditas pedis in eius vsu; quo igitur ille huic est accommodatior, eo est melior: finis equi est equitatio, aut vectio, aliúsve labor homini impensus; quo igitur ille his vsibus est accommodatior, eo est melior. Item finis serui qua talis, est vt voluntati domini in omnibus rebus licitis obsequatur; ideoque eo seruus est melior, quo hoc exactiùs facit.

D. Thomas. Res eo perfectior quo suæ regulæ conformior. Regula perfectionis rerum est duplex.

48 Alia perfectionis regula siue mensura in vnoquoque rerum ordine est id, quod in eo ordine perfectissimum, simplicissimum ac præstantissimum est; vt ex Aristotele docet D. Thomas 1.p.quæst.10.art.6. quo enim vnaquæque res præ alijs ad huius perfectionem magis accedit, eo est perfectior; hinc quia Deus omnem perfectionem in se continet, eo vnaquæque res creata est perfectior, quo ad Dei perfectionem magis accedit.

Aristotel. *D. Thomas.*

49 Nota Secundò, cum D. Thoma initio citato duplicem esse regulam nostræ voluntatis, siue humanorum actuum, scilicet diuinam voluntatem, & rectam rationem, vel potiùs ipsam naturam rationalem qualem, siue qua capacem boni ac honestatis moralis: iuxta dicta suprà disp.3. dub.1. nam ipsa recta ratio non est regula obligans voluntatem, aut eius actibus honestatem conferens, sed illam solùm dirigens; vt ibidem ostendi.

D. Thomas. Duplex regula nostrorum actuũ.

50 Inter has autem regulas præcipua est ipsa voluntas diuina; tum quia est regula vniuersalior; nam obligat nos ad omnia, ad quæ obligat nos ius naturæ, & præterea ad quædam alia: tum etiam, quia ex duplici capite est regula nostræ voluntatis. Primò, quatenus Deus est absolutus dominus nostræ voluntatis & nos ipsius mancipia sumus: hinc enim fit vt ipsius beneplacitum sit absoluta regula cui nostra voluntas debet se in omnibus conformare volendo omnia quæ ipse vult eam velle. Secundò, quia ipsius voluntas est in omnibus rectissima ac perfectissima, & consequenter eo quæque voluntas creata est perfectior, quo maximè ad eam accedit se ei conformando, siue in omnibus volendo id quod illa vult hanc velle: omniaque volendo aut nolendo ob eandem rationem, ob quam Deus ea vult aut non vult, siue quatenus placent aut displicent Deo.

Voluntas Dei ex duplici capite est regula nostræ voluntatis.

Conclvsio I. Eo aliqua virtus eiúsve actio est perfectior siue moraliter melior, quo voluntatem generaliùs & perfectiùs subijcit ac conformat volũtati diuinæ. Patet ex dictis, quia eo est præcipuæ suæ regulæ conformior. Quibus adde, cùm omnis actionis nostræ honestas Deo placeat, hoc ipso quo nostra voluntas est conformior diuinæ, eo ipsam etiam esse conformiorem naturæ rationali, siue ipsi exigentiæ naturæ rationalis, quatenus à nobis exigit honestatem actionum: atque ita etiam naturali ac intrinsecæ suæ regulæ est conformior. 51

Hinc sequitur, ceteris paribus eam volitionem esse meliorem. Primò, quæ vniuersaliùs siue circa plura subiecta explicitè vel implicitè voluntatem nostram subijcit diuinę. v.c. meliorem esse voluntatem qua statuo amplecti multas virtutes, quàm qua vnam ex his solùm statuo amplecti. item eam qua statuo non solùm exequi præcepta, sed etiam sequi consilia Euangelica quàm qua statuo solum exequi præcepta. Secundò, quæ efficaciùs nostram voluntatem subijcit diuinæ: sic voluntas boni efficax est melior inefficaci. Tertiò, quæ efficaciter versatur circa obiectum honestum difficilius. quia hæc ex se est efficacior & implicitè generalior ea quæ versatur circa obiectum facilius: nam voluntas quæ mouetur vt propter Deum exequatur opus difficile, ex vi præsentis suæ constitutionis etiã moueretur ad exequendum opus facilius, si eadem ratio id postularet. secùs est de voluntate aggrediendi opus facilius; hæc enim ex vi illius præsentis constitutionis non moueretur ad volendum opus difficilius, eadem ratione id postulante; sed opus esset maiore conatu. v.c. qui ne Deum offendat statuit pati mortem, ex vi illius voluntatis esset paratus leuius malum subire: non tamen cõtrà is qui paratus est subire malum leuius pro Deo, est paratus pro eo mori. Quartò, quæ est intensior: nam hæc ex se nata est voluntatem efficaciùs in pluribus Deo subiicere. Quintò, quæ habet motiuum magis generale: quia quantum est ex se, generaliùs, siue in pluribus voluntatem Deo subijcit. Sextò, quæ magis purè propter Deum ipsamúe honestatem elicitur. 52

Quæ volitio sit optima.

Cur voluntas obiecti honesti difficilioris & melior.

Dixi, *ceteris paribus*, &c. quia fieri potest vt volitio, v.c. quæ generaliùs, aut in opere difficiliore voluntatem Deo subijcit, sit alia imperfectior, quia inefficaciter illud facit, aut minùs purè propter Deum ipsamúe honestatem elicitur. Ex quibus sequitur, actum virtutis ex genere suo imperfectioris posse ob similem aliquam circumstantiam fieri meliorem actu virtutis ex genere suo perfectioris: vt patet quando ille est languidus & inefficax; hic verò feruens & efficax. 53

Actus virtutis secundùm speciẽ imperfectior, potest in individuo esse altero perfectior.

Conclvsio II. Actus caritatis inter virtutum actus est in genere moris ex genere suo perfectissimus siue optimus. Hæc est D. Thomæ suprà, ac communis. & videtur de fide: nam Matth.22. præceptum caritatis dicitur primum & maximum mandatum, à quo reliqua omnia 54

D. Thom. *Matth.22.*

Rom.13. nia pendent. Ad Roman.13. dilectio dicitur plenitudo legis, & totius legis impletionem
1.Timoth.1. in se continere. & 1.ad Timoth.1. caritas dicitur finis præcepti; quasi omne præceptum ad caritatem tendat. Quibus verbis clarè ostenditur caritatem virtutum omnium perfectionem in se eminenter continere. Item Apostolus 1.
1.Cor.12. & 13. ad Corinth.12. & 13. comparat eam cum maximis virtutibus Deique donis, alijsque omnibus præfert, dicitque reliqua omnia sine ea nihil prodesse.

55 Cur caritas sit reliquis virtutibus perfectior. Sequitur etiam apertè ex dictis: nam caritas perfectissimè & vniuersalissimè voluntatem Deo atque adeò ipsi honestati subijcit ac conformat in omnibus quæ Deo placent, & consequenter circa omnium virtutum obiecta, cùm omnia Deo placeant. Reliquæ autem virtutes, præsertim morales, in particulari solùm materia voluntatem nostram diuinæ ipsique honestati conformant. Spes verò aliquo quidem modo generaliter nostram voluntatem subijcit diuinæ, quia omnes virtutum actus iuuant ad ipsius finem, scilicet ad merendam ac obtinendam gloriam æternam; minùs tamen generaliter eam subijcit Deo, quàm caritas, quæ ex se parata est omnia eiusmodi opera facere, etiamsi nullum inde præmium aliúd ve cõmodum operanti eueniret. vnde etiam, vt suprà ex Scripturis ostendi, caritas impletionem totius legis omnesque virtutes eminenter continet. Deinde caritas modo purissimo merè propter Deum sine admistione amoris proprij voluntatem Deo subijcit: spes autem est amor concupiscentiæ, & quærit bonum ipsius sperantis. Hinc etiam fit vt soli caritati à Deo tributum sit, vt peccata mortalia expellat, nosque filios ac heredes Dei constituat.

Caritas impletionem legis omnesque virtutes continet, quia generalissimè voluntatẽ Deo subijcit.

Cur sola caritas peccata expellat.

56 Caritas etiã physicè est perfectissima virtutũ. Conclvsio III. Caritas inter omnes virtutes huius vitæ tam intellectus quàm voluntatis est perfectissima, etiam secundùm entitatem siue perfectionem physicam. Credo hanc etiam esse communem Theologorum, etsi non omnes eam ita exprimant: & necessariò eam tenent Scotus omnesque eius discipuli, qui docent etiam in patria omnium actuum secundùm entitatem perfectissimum esse actum dilectionis Dei; & consequenter secundùm eos etiam eius habitus debet in entitate sua ceteris esse perfectior. eamque apertè docet Richard. in 4. dist. 49. art. 1. quæst. 7. Supplementum Gabriel. & Maior ibid. quæst. 1. Henricus quodl. 1. quæst. 14. Ægidius quodl. 13. quæst. 19. Videturque apertè sentẽtia D. Thom. 2. 2. quæst. 23. art. 6. vbi docet caritatem esse perfectissimam inter omnes virtutes viæ. quod apertè intelligit etiam de perfectione physica, vt patet ex responsione ad 1. Quem sequitur Caiet. ibidem, atque etiam Lorca disp. 9. variasque pro ea adfert rationes; sed quæ, etsi nõ sint improbabiles, tamen indigent multa explicatione & confirmatione, vt aliquid probent: quare ijs omissis aliam hîc adferam quæ mihi videtur firmior.

Scotus.

Richard. Supplem. Gabriel. Maior. Henricus. Ægidius. D. Thomas.

Caietan. Lorca.

57 Probatur igitur, quia Deus accommodando se naturis rerum solet instituere omnia media proportionata suo fini: hinc quia dona naturæ actusque naturales non sunt proportionata fini supernaturali, ad quem homo creatus est, Deus huic infundit habitus supernaturales, quibus sit potens elicere actus supernaturales tanto fini proportionatos. cùm igitur caritas inter omnes virtutes viæ habeat finem siue obiectũ nobilissimum ac excellentissimum, scilicet ipsum Deum vt in se bonus est, illudque nobilissimo modo attingat, vt iam ostendi; dubium esse non potest, quin Deus habitum caritatis ceteris habitibus fecerit excellentiorem, vt possit actum in sua entitate perfectiorem, & tali obiecto, quantum hîc fieri potest, proportionatum elicere.

58 Confirmatur, quia hinc saltem apertè sequitur, actus caritatis esse physicè perfectiores actibus virtutum moralium, quæ circa obiectum creatum versantur. Quòd autem etiam sint perfectiores actibus fidei & spei, vel inde patet, quòd hi imperfectionem quandam aut inuoluant aut saltem connotent; quia actus fidei est obscurus, & spes tendit in obiectũ absens prout absens est, nec potest consistere cum eius præsentia. Et quamuis hoc non dicat immediatam aliquam imperfectionem in ipso actu spei, sed solùm in ipso subiecto, in quo propriè est carentia beatitudinis; inde tamen consurgit in actu aliqua negatio perfectionis, quatenus voluntas nequit tam perfectè tendere in obiectum sub ea ratione. vnde etiam vterque actus propter suam imperfectionem euacuandus est in patria, vt dicitur 1. ad Cor. 13. Secùs est de actu caritatis. 1.Cor.13.

59 Dices Primò, Etiam caritas viæ tendit in Deũ absentem: ergo dicit etiam aliquam imperfectionem. Respondeo, nego consequentiam: quia, etsi caritas hîc tendat in obiectum absens, tamen non tendit in id qua absens est, neque ex se dicit absentiam obiecti, sicut actus spei: quare potest perfectiore modo tendere in Deum, quàm spes.

Dices Secundò, Potentia perfectior elicit actus perfectiores: atqui intellectus est potentia perfectior voluntate: ergo elicit actus perfectiores. Respondeo hoc solùm probare, actus intellectus naturales esse perfectiores actibus volũtatis. Nam, vt iam ostendi, voluntas habens habitum caritatis est potentia perfectior intellectu habente habitum fidei, & consequenter actus caritatis est perfectior actu fidei.

60 Dixi, actum caritatis esse perfectissimum inter actus viæ; quia valdè probabile est in patria visionem beatificam esse in entitate sua physica perfectiorem actu caritatis: quia attingit Deum vt in se est modo perfectissimo qui creaturis possibilis sit: & ideo facit nos quasi diuinos ac Deo similes, iuxta illud 1. Iohan. 3. *Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* quia nimirum ille actus, quantum à creatura fieri potest, Deum perfectissimè in nobis exprimit, & efficit nos participes diuinæ beatitudinis: quare videtur perfectior quouis actu voluntatis; præsertim cùm sit communior & probabilior sententia, actus intellectus ex genere suo esse perfectiores actibus voluntatis. 1.Iohan.3.

DVBIVM VI.

Vtrùm caritas sit forma reliquarum virtutum, iisq; tribuat esse virtutis?

61 HÆc difficultas facilè explicari potest ex ijs quæ dixi disp.16.dub.3.& 4. Vbi explicui qua ratione caritas sit forma fidei; & vtrùm fides sine caritate habeat veram rationem virtutis: est enim eadem ratio fidei & reliquarũ virtutum, nisi quòd virtutes morales infusæ secundùm habitum numquam sint sine caritate; nam simul cum hac infunduntur & pereunt. possunt tamen sine caritate manere habitus acquisiti virtutum moralium, atque etiam earum actus supernaturales, si fiant ex gratia actuali. Omissis igitur varijs sententijs quas ibidem retuli,

62 Respondeo Primò, caritas dicitur forma reliquarum virtutum, Primò, quia caritas dirigit omnes actus aliarum virtutum in suum finem, idque non solùm per accidens ratione intentionis operantis (qua ratione quæuis virtus in finem alterius referri potest) sed quodammodo ex natura rei, quatenus omnium virtutum actus natura sua placent Deo, ac in ipsius honorem cedunt, atque ita quoddam ipsius bonum sunt, ideoque operantem reddunt suo modo gratum Deo: vnde sequitur, eos tendere in finem ipsius caritatis, qui est procurare bonum Dei, eique placere. ita D.Thom.2.2.q.23.a.8.

Qua ratione caritas sit forma aliarũ virtutum.

Actus aliarũ virtutum ex se diriguntur in finem caritatis.

D. Thomas.

Secundò, & quidem magis propriè, caritas est forma reliquarum virtutum, quatenus earũ actibus tribuit quandam moralem dignitatem, & esse meritorium, atque ita moraliter eas informat. vide dicta disp.16.dub.4.concl.5.

Caritas tribuit aliis virtutibus quòd sint meritoriæ.

63 Respondeo Secundò, reliquæ virtutes per se & prout concipiuntur distinctę à caritate, habẽt veram rationem virtutis secundùm ea quæ virtuti essentialia sunt. Quia sunt verè bonæ qualitates mentis, quibus homo bene vivit, nec ijs potest abuti. Non habent tamen statum virtutis omnino perfectũ sine caritate, quia sunt infructuosæ ac mortuæ, quatenus non possunt operantem reddere viuum, nec fructum æternæ vitæ referunt: sed hoc totum habent à caritate. vide dicta disp.16.dub.3.concl.3.& Lorcam 2.2. sect.3.disp.10.

Lorca.

64 Dices, Sine caritate nemo absolutè bene viuit, quia qui ea caret, manet in peccato: ergo sine ea nulla est vera virtus. Respondeo, nego consequentiam: quia, vt aliquis actus sit actus veræ virtutis, non est necesse vt operans per eum ita absolutè benè viuat, vt fiat absolutè bonus: sed sufficit vt præcisè secundùm eum actum bene viuat, ita vt in eo sit laudandus. Aliàs si Deus statueret peccatori alicui elicienti actum caritatis non remittere peccata (quod absolutè loquendo fieri posset) sequeretur, nec actum caritatis esse veram virtutem; atque adeò quòd iam sit vera virtus habere ab illo Dei decreto, sine quo peccatorem ipsum elicientem non efficeret absolutè bonum; sed peccatorem, & absolutè malum relinqueret.

Quid requiratur ad actum veræ virtutis.

DVBIVM VII.

Qua ratione caritas distingnatur à gratia iustificante?

SVppono hîc ex Trident.sess.6.c.7. & cõmuni Doctorum sententia, nos formaliter iustificari per aliquam qualitatem nobis à Deo infusam ac inhærentem, quam gratiam iustificantem communiter vocant. Et quæstio nostra hîc est, vtrùm hæc sit ipsa caritas, an verò aliqua alia qualitas realiter ab ea reliquisq; virtutibus distincta. Conuenit autem inter omnes Doctores, si hæc gratia sit aliqua virtus, esse ipsam caritatẽ; quia nulla est alia virtus, cui munus illius gratiæ possit meliùs conuenire quàm caritati. 65 *Trident.*

Igitur D.Thom.1.2.q.110.a 3.& cum eo plurimi alij quos citat & sequitur Curiel, in dicto art. docent, gratiam iustificantem esse qualitatẽ realiter distinctam à caritate reliquisq; virtutibus; & respectu harum se habere sicut se habet essentia animæ aut angeli respectu suarum potẽtiarum: aiuntq; illam gratiam non inhærere alicui potentiæ, sed immediatè essentiæ ipsius animæ, eamq; ad esse diuinum eleuare, ac cõstituere participem diuinæ naturæ, atque ita reddere aptam vt per habitus supernaturales tamquam per suas potentias Deum intelligat ac amet. 66 *D.Thom. Curiel.*

Auctores autem huius sententiæ supponunt animæ potentias, scilicet intellectum ac voluntatẽ, realiter distingui ab essentia ipsius animæ. Deinde probant suã sententiam Primò, quia in naturalibus id quod dat nobis esse naturale, v.c. essentia animæ, distinguitur à potentijs, quæ dant nobis proximè posse operari; ergo similiter in supernaturalibus gratia, quę dat nobis esse supernaturale, debet distingui à virtutibus, quæ dant nobis posse supernaturaliter operari; & illa debet ab his supponi, ijsq; esse natura prior; sicut natura supponitur à potẽtijs, ijsq; est prior. 67

Secundò, quia Concilium Viennense relatũ Clement. vnica de summa Trinitate docet, probabilius esse pueris baptizatis infundi gratiam & virtutes. Item Trident. sess.6.c.7. docet, iustificationem fieri per susceptionem gratiæ & donorum: & can.11. damnat eos, qui dicunt nos iustificari per solam non imputationem peccati exclusa gratia & caritate, quæ nobis infunditur: ergo dicta Concilia sentiunt gratiam à virtutibus distingui. *Concil. Viennense.* *Trident.*

Tertiò, quia gratia iustificans essentialiter repugnat peccato mortali habituali; quod caritati non conuenit, quæ per absolutam Dei potentiam potest cum peccato mortali consistere. Sed hæ rationes nihil probant.

Ad primam, Respõdeo antecedẽs esse incertum: nam Scotus in 2.dist.16. quem tota ipsius schola, plurimiq; alij sequuntur, fusè refutat omnia fundamenta illius sententiæ, & probat potentias non distingui realiter ab ipsa anima. & Dandinus l.2. de Anima digress.14. ostendit hanc sententiam esse valdè conformem Aristoteli, qui sæpè potentias vocat partes animæ; quia nempe sunt ipsa anima incomplerè & quasi partialiter concepta. quod nullo modo dici 68 *Scotus.* *Vtrùm potentiæ animæ ab ea distinguantur. Dandinus.*

dici posset, si ipsæ essent accidentia realiter ab anima distincta. Deinde præter rationes quas ipsi adferunt, hæc sententia potest probari Primò, quia secundùm aliam sententiam anima non influeret vllo modo immediatè in vllum actum, sed solùm mediante aliquo accidente, v.c. intellectu à se realiter distincto, à quo solo totus actus immediatè produceretur; atque ita illa respectu huius solùm haberet se materialiter, quatenus sustentat in se ipsum intellectum; sicut aqua se habet respectu caloris producti à calore, quem in se habet, vt fusè ostendi in simili disp.5.dub.5.n.51. Atque ita talis actus respectu ipsius animæ non esset verè vitalis. nam vt aliqua actio sit mihi vitalis, non sufficit, quòd producatur per aliquod accidens mihi inhærens; sed requiritur vt ego per me immediatè ad eius productionem concurram; nam aliàs dum ego calens, corpus vicinum calefacio, hæc actio esset vitalis.

Quid requiratur vt actio sit vitalis.

69 Dices, intellectionem non produci à solo intellectu, sed ipsam animam etiam per se immediatè in eam influere. Sed contrà Primò, hoc directè repugnat fundamento illius sententiæ, quæ ideò docet intellectum debere esse accidens, quia substantia nequit secundùm se esse actiua; & aliàs nulla vel probabilis est necessitas dicendi intellectum esse accidens. Secundò, inde sequeretur, illud accidens simul cũ substantia animæ constituere integram causam ipsius intellectionis: sicut lumen gloriæ simul cum nostro intellectu constituit integram causam visionis beatificæ: atque ita noster intellectus erit aliquid compositum ex substantia & accidente. Imò cùm ipsa anima sola intelligat, non autem illud accidens, ipsa sola qua potens intelligere, erit intellectus; & illud accidens non magis erit intellectus siue potentia intelligendi, quàm lumen gloriæ sit potentia visiua Dei: quod verè non est tale, sed solùm est id, quod reddit intellectum potentem videre Deum. Quæ apertè dictam sententiam euertunt.

Secundò, vel intellectus producitur ab ipsa anima, vel à solo Deo illi infunditur. Prius dici nequit, quia tũc anima haberet per se immediatè potentiã siue vim aliquid producendi. quod alij negant. & hoc concesso nulla esset causa cur non tam facilè posset producere intellectionẽ, quàm intellectum. Secundùm etiam dici nequit, quia tunc anima nõ esset per se & essentialiter rationalis, siue potens ratiocinari ac intelligere, sed tantùm per accidens sibi infusum; sicut anima beata non per se, sed per accidens est potens videre Deum.

70 Dices, Ideo anima dicitur essentialiter potens intelligere, non tamẽ videre Deũ; quia naturaliter postulat habere intellectum, non autẽ lumẽ gloriæ, sed hoc supernaturaliter ei infunditur. Sed contrà, vel illud ita postulat vt Deus non possit eam creare sine intellectu: & hoc dici nequit, quia tunc intellectus nõ distingueretur ab ea realiter: nec enim vllo modo videtur posse dici Deum non posse creare & conseruare substantiam animæ sine omni accidente realiter ab ea distincto, cùm possit eiusmodi accidẽtia cõseruare sine substantia, à qua tamen magis depẽdent, quàm substãtia ab ijs. Vel rursus ita anima postulat intellectum, vt possit sine eo creari & cõseruari, & tunc non erit ei essentiale esse intellectiuam siue habere potentiã intelligendi, quia hæc poterit ab ea separari: sed solùm erit ei essentiale posse habere potentiam intellectiuam, qua ratione etiam est ei essentiale posse habere lumen gloriæ: fieri enim nullo modo potest vt creetur aliqua anima rationalis, quæ non sit capax luminis gloriæ à Deo sibi infundendi.

Imò secundùm illam sentẽtiam ne quidẽ dici 71
poterit animam ita naturaliter postulare habere intellectum, vt sit ei futurum violentum si hic ei non infundatur: quia violentum dicitur quod est contra naturalem aliquam inclinationẽ positiuè repugnantem alicui actui aut priuationi; vt quando proijcitur aut detinetur corpus graue sursum: quæ violentia supponit in passo potentiã producendi actum contrarium actioni aut priuationi quam patitur: qualis potentia, vt iam supponimus, non est in anima respectu intellectus, quem ipsa in se producere non potest, sicut corpus graue potest in se producere motum deorsum. Aut saltem violenta rei alicuius carentia supponit rem ea carentem interituram, nisi quasi violenter & supra naturam cõseruaretur; sicut accidens annihilato subiecto, necessariò interit. Atqui non est credibile essentiam animæ ita pendere ab accidente realiter à se distincto, vt naturaliter sit annihilanda si Deus hoc ab ea auferat.

Cõfirmatur, si intellectus differret realiter ab 72
essentia animæ, sequeretur corpori habere quãtitatem, & aquę quòd sit frigida, esse tã essentiale, imò magis, quàm sit animæ eã esse intellectiuã; quia illis est magis violentum & contra naturam carere quãtitate ac frigore, quàm esset animæ carere intellectu, si hic realiter ab ea distingueretur: nã cùm anima in se sit incorruptibilis, eo casu nõ exigeret intellectum ad sui conseruationẽ, aut vt posset naturaliter existere; sed tantùm in ordine ad operationẽ, sicut iam requirit concursum Dei generalẽ, aut dispositionẽ organorum, dum est in corpore. Corpus autem nequit sine quantitate naturaliter existere, sicut nec aqua sine frigore diu conseruari. Apertè tamen absurdũ est dicere animam rationalem nõ magis essentialiter esse intellectiuã, quàm corpus sit essentialiter quantum, aut aqua frigida: quia absurdè aqua diceretur essentialiter frigida, aut corpus essentialiter quãtum. Nec minùs absurdè anima rationalis diceretur accidentaliter intellectiua, siue potens intelligere.

Anima rationalis longè aliter est intellectiua, quàm corpus sit quãtum.

Sed quidquid hac de re sit, quã non est opus 73
hîc definire, Respondeo Secũdò, nego conseq. quia ratio cur alij distinguant potentias à natura, est quia substãtia non est secundùm se operatiua: quod nequit conuenire illi esse quod nobis dat gratia iustificans, quod non est substantiale, sed accidentale; esse autem accidẽtale secundũ omnes per se potest esse operatiuum, & aliàs in omni accidente deberet distingui potentia operandi à natura. quod apertè absurdum est. Ex quo sequitur, accidens operatiuum posse nobis dare primum esse supernaturale.

74 *Curiel.* Dices cum Curiel suprà §.2.v. *Confirmatur.* hæc bene probare non esse absolutè necessariũ vt nobis infundatur aliqua gratia iustificans distincta à caritate alijsque virtutibus, quæ respectu harum se habeat sicut natura se habet respectu potentiarum; nam si solæ virtutes nobis infunderentur, possemus eodem modo credere, sperare, amare, &c. sicut iam facimus: negari tamen non posse, quin possit nobis infundi gratia distincta à virtutibus, quæ respectu harũ se habeat tamquam natura respectu potentiarum. ergo dicendum est hoc ita fieri, quia naturis rerum conuenientius est.

75 Sed contrà, vel illa gratia respectu virtutum dicitur se habere per modum naturæ respectu potentiarum, quia illas sustentat sicut natura potentias; vel quia per eas operatur sicut natura per potentias (hi enim duo modi sunt proprij naturæ respectu potentiarum suarum, posito quòd hæ ab ea realiter differant:) neutrum autem horum dici potest: quia cùm illa qualitas sit accidens immediatè inhærens essentiæ animę, non potest esse subiectum virtutum, quę inhærent immediatè potentijs realiter secundũ illam sententiam ab essentia animæ distinctis.

Gratia nullo modo potest dici operari per virtutes à se distinctas. Nec etiam secundum dici potest, quia tunc illa gratia per virtutes crederet, sperare, amaret, &c. sicut natura per potentias intelligit, vult, &c. illud autem planè absurdum est, imò fieri nullo modo potest, nisi illæ virtutes inhæreant gratiæ: quare non videtur posse dari talis gratia quæ respectu virtutum habeat se instar naturæ respectu potentiarum.

76 Dices, eam gratiam dici se habere instar naturæ respectu virtutum, quia naturam animæ eleuat ad esse supernaturale, redditq; eam proportionatam vt recipiat habitus, ac per eos operetur, atque ita ab his supponitur, sicut natura à potentijs.

Gratia non reddit naturam aptam vt recipiat virtutes, aut per eas operetur. Sed contrà Primò, sic non haberet se per modum naturæ, sed per modũ dispositionis; huius enim est proprium reddere naturam siue subiectum aptum & proportionatum ad recipiẽdam formam inducendã, eaque bene vtendum. Secundò, inde sequeretur, virtutes nõ posse in nobis, saltem modo sibi connaturali, & sine nouo miraculo existere aut operari sine illa gratia. quod apertè falsum est: nam, vt ostendi disp.6. fides & spes nec in infusione, nec in cõseruatione aut operatione pendẽt ab illa gratia, & si caritas nobis sine illa gratia infunderetur, tam naturaliter existeret ac operaretur ac modò facit. Ex quibus satis patet, non satis posse explicari aut etiam concipi, qua ratione possit dari gratia quæ respectu virtutum se habeat instar naturæ respectu potentiarum, atque ita totum fundamentum huius sententiæ corruit.

Ad secundum, nego consequentiam: quia ex prioribus duobus testimonijs vt summũ potest colligi in iustificatione nobis infundi aliqua dona & virtutes distinctas à gratia, v.c. fidem, spẽ, ac virtutes morales; cum quo optimè consistit gratiam non distingui à caritate.

Tertium testimonium potiùs contrariũ probat: nam ibi non dicitur, excluſa gratia & caritate, *quæ nobis infundantur*, sed, *quæ nobis infundatur & inhæreat.* Quibus verbis clarè ostenditur, gratiam & caritatem ibi confundi & pro eodem sumi, ac & sumi pro siue. vnde etiam suprà cap.7. gratia iustificans & caritas omnino pro eodem sumuntur, vt infrà ostendam. *Tridentini gratiam & caritatem pro eodem sumit.*

Respondeo Secundò, Concilia quandoque dicta nominare quasi distincta, vt ostendant se nolle damnare sententiam Scholasticorum illa distinguentium. 78

Ad tertium, nego assumptũ. & si gratia deberet ita repugnare peccato, potiùs id tribueret caritati, quàm vlli alteri qualitati; quia maior est apparentia quòd caritas habeat eiusmodi repugnantiã cum peccato, quàm quòd vlla alia qualitas, quæ nobis in via confertur, eam habeat.

Conclvs. Probabilius est gratiã iustificantem non distingui ab habitu caritatis. Ita Scotus cum omnibus suis in 2.d.27.q.1. Durand. d.26. q.1. Gabriel ibidem q.vnica, a.2.concluſ.4. Richard. a.1.q.1.§. *Qui vult.* & ar.4. Mayro in 1.dist. 17. Maior. q.2.§. *Dubitatur an.* Henric. quodl.4. q.10. sub finem. Marsil. l.2.q.17. ar.1. concluſ.2. Vega l.7. in Trident. c.25. Bellarm. l.1. de gratia & lib. arb. c.6. & plurimi alij recentiores. 79 *Scotus. Durand. Gabriel. Richard. Mayro. Maior. Henric. Marsil. Vega. Bellarm.*

Prob. Primò, quia, vt patet ex refutatione contrariæ sententiæ, nulla est ratio cur hæc distinguamus. Imò illa sententia videtur supponere aliquid parum probabile, scilicet dari gratiam quæ respectu virtutum habeat se per modum naturæ respectu potentiarum: quod, vt ostendi, vix potest concipi fieri posse, præsertim cùm fides & spes de facto siue ea gratia in peccatoribus maneant, iisque sæpè ante iustificationem infundantur, ac actus suos connaturaliter eliciant. 80

Secundò, quia omnia ea quæ secundũ Scholasticos & Cõcilia conueniunt gratię iustificãti, v.c. per eam Spiritum sanctũ nobis dari, eã nos facere filios ac heredes Dei, facere vt Deo inhæreamus & vniamur, in eo maneamus & ipse in nobis, &c. hæc inquã omnia Scriptura & Patres vbique tribuunt caritati. 1. Iohan. 4. *Omnis qui diligit ex Deo est.* Ad Rom. 5. dicimur gloriari in spe gloriæ filiorũ Dei, & spem non confundere, *Quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* & alibi sæpè in sacra Scriptura similia habentur. Item S. Augustinus sæpè docet, solam caritatem distinguere inter filios Dei & gehennæ: quod proprium est gratiæ iustificantis. *1.Iohan.4 Rom.5. Augus.*

Prob. Secundò, quia Tridentinum sess.6.c.7. cùm dixisset vnicam esse causam formalem nostræ iustificationis, paulò inferiùs docet, nos iustificari dum caritas diffunditur in cordibus nostris, insinuans hanc esse illam gratiam, quæ est forma nostræ iustificationis. Et inferiùs: *In ipsa*, inquit, *iustificatione cum remissione peccatorum hac omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum cui inseritur, fidem, spem & caritatem. Nam fides, nisi spes accedat & caritas, neque vnit perfectè cum Christo, neque viuum corporis eius membrum efficit.* Vbi sanè videtur intendere omnia numerare quæ nos formaliter iustificant, & tamen nullam facit mentionem gratiæ distinctæ à caritate sed id quod priùs vocauit gratiã, postea vocat caritatem, apertè insinuans se hæc non distinguere. Et 81 *Trident.*

quam-

quamuis, vt dixi, Concilium non intēderit hæc definire, tamē satis insinuat, quæ fuerit sua mēs.

82 Respondent aliqui, Concilia & Scripturas ita loqui, quia loquuntur de caritate quatenus significat perfectam cum Deo amicitiam, quæ dicit amorem nostri erga Deum, qui est caritas; & amorem Dei in nos, qui est ipsa gratia à caritate distincta.

Sed præterquam quòd hæc responsio, sine vlla necessitate aut fundamento in ipsis reperto, torqueat verba Conciliorum ad alienam significationem; apertè sumit quod probandum erat, scilicet gratiam à caritate distingui. quod suprà ostendi nulla firma ratione niti. Adde, etiam verum non esse quod sumitur, scilicet gratiam nobis inhærentem esse amorem Dei in nos; nam hic amor est actus formalis in Deo, & gratia solùm est ipsius effectus ac obiectum: & Scripturæ vtrumque hunc actum amoris, scilicet Dei erga nos, & nostrum erga Deum, sæpè distinguunt: vt patet Iohan.14. vbi dicitur: *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo.* nec vmquam amorem quo Deus nos amat confundunt cum ijs quæ nobis insunt.

Gratia iustificans non potest dici amor Dei erga nos.

Iohan.14.

Probatur demum ratione; quia gratia iustificans est vita spiritalis animæ nostræ, hæc autem consistit in eo, quòd Deo vniamur, eiq; inhæreamus: atqui hoc in hac vita inchoatiuè fit per fidem & spem, & perfectè per solam caritatem, vt apertè docet Trident. suprà citatum: ergo in hac consistit gratia iustificans.

Esse vitam animæ soli virtuti actiuæ conuenit.

Trident.

83 Dices, hinc sequi ipsum actum caritatis debere dici gratiam iustificantem, quia per eum vitaliter inhæremus Deo.

Respondeo nego id sequi, quia vita & gratia iustificans dicunt esse aliquod permanēs; actus autem est aliquid transiens, quare non tam est vita quàm vsus ac actus ipsius vitæ; sicut in viuentibus ipsa anima est vita, actio vitalis est vsus vitæ.

DVBIVM VIII.

Vtrùm caritas ex natura sua habeat vim expellendi peccatum mortale, & constituendi nos amicos ac filios Dei?

84 QVidam id affirmāt voluntq; caritatem siue gratiā iustificantem (quæ iam pro eodē sumo) ex sua natura tāquam causam formalem eodem modo à nobis expellere peccatū habituale & constituere nos amicos & heredes Dei, sicut lumen expellit tenebras à corpore cui inest, reddituq; hoc illuminatum: atque adeò sicut nullo modo fieri potest, vt lumen alicui corpori inhæreat, & tamen non expellat ab eo tenebras, efficiatq; id illuminatum; ita aiunt nullla potentia fieri posse vt alicui insit caritas simul cū peccato mortali habituali, aut vt eum cui inest, non efficiat amicum & filium Dei. Ita Aureolus in 1.d. 17.q.1.a.2. Capreol. ibid. ar.3. Caiet.2.2.q.24.ar. 12. Bañez ibid. & Lorca sect.3. disp.22. nu.3. in fine. & 1.2. sect 6. disp.36. & multi recentiores.

Aureol. Capreol. Caietan. Bañez. Lorca.

85 Prob. Primò, quia, vt docet Trident. sess.6.c. 7. vnica est causa iustificationis nostræ, scilicet gratia iustificans siue caritas nobis inhærens: atqui hoc esset falsum, si hæc non expelleret formaliter peccatum ex natura sua, sed posset cum eo consistere (quia tunc ad nostram iustificationem præter caritatem requireretur extrinsecus fauor Dei remittentis nobis peccata, quo tamquam forma extrinseca iustificaremur:) ergo dicendum est caritatem ita expellere peccatum. 86

Triden.

Secundò, quia caritas est formalis causa, qua constituimur iusti, amici ac filij Dei, & digni vita æterna. Item per peccatum mortale constituimur formaliter iniusti, inimici Dei ac digni æterna damnatione: ergo hæc nullo modo possunt simul consistere in eodem.

Probatur consequētia, quia implicat causam formalem alicui inesse, & non tribuere ei suum effectum formalem. v.c. albedinem non facere suum subiectum album, & similiter iustitiam non facere suum subiectum iustum; aut peccatum mortale non facere hominem iniustum. Item implicat eundem simul esse iustum & iniustum; amicum & inimicum Dei; dignum æterna gloria & æterna damnatione: ergo implicat dictas formas simul in eodem esse.

87 Tertiò, quia secundùm aliam sententiam iustitia nobis intrinseca, siue qua nobis inhærente intrinsecè iustificamur, esset imperfecta & insufficiens ad perfectam iustificationem; nam ad hanc præter gratiam iustificantem requireretur aliquis extrinsecus fauor Dei remittentis peccata, quo ex parte iustificaremur: atqui hoc est falsum: ergo & illud.

Confirmatur, quia alia sententia videtur coincidere cum sententia Kemnitij & Buceri, qui docebāt nos habere quidem aliquam iustitiam nobis inhærentem, per se tamen imperfectam, & quæ non posset nos sufficienter iustificare sine extrinseco Dei fauore ac iustitia Christi nobis imputata. Quibus ex parte consentiunt Pighius in 2. sua controuersia de iustificatione, & Canonici Colonienses in suo Antididagmate, tit. de iustific. Quos omnes videtur apertè dānare Trident. suprà; dum dicit causam formalem nostræ iustificationis esse vnicam, scilicet gratiam iustificantem nobis inhærentem. Videtur autem addidisse *vnicam*, vt excludat illam duplicē formā iustificantem, quam alia sententia constituit.

Pighius. Concil. Colon.

Trident.

88 Quartò, quia tam Scriptura ad Coloss.1.v.12. quàm Trident. sup. initio capitis docet, iustificationē impij consistere in interiore renouatione, qua homo transfertur à tenebris in lucē, à statu peccati ad iustitiā, & ex iniusto fit iustus; quibus significant eam cōtinere quasi duos motus partiales inter se necessariò cōnexos, siue qui habeāt terminos directè oppositos: atqui secūdùm aliā sententiā hæc iustificatio fieret per duas mutationes omnino distinctas, nec inter se necessariò connexas; nam remissio peccati posset fieri sine infusione gratiæ, & hæc sine remissione peccati: ergo hæc sententia non est asserenda.

Coloss.1. Trident.

Quintò, quia per caritatem homo constituitur formaliter conuersus ad Deum, per peccatū verò mortale formaliter auersus: atqui idem nequit esse simul auersus à Deo, & ad eum conuersus: ergo habens caritatem nequit esse in peccato mortali.

Sextò, quia potest dari aliqua qualitas natura sua formaliter expellens peccatum, & cum eo omnino incompossibilis; vt patet in lumi-

ne beatifico & vnione hypostatica: ergo nulla est causa cur negemus gratiam habitualem esse talem.

89 Amicitia duplicem amorem inuoluit.

Pro resolutione Nota Primò, ex dictis dubio 3. numer. 24. amicitiam inter nos & Deum formaliter sumptam inuoluere in se duplicem amorem, scilicet eum, quo Deus amat nos, & ipse sit amicus nobis; & eum, quo nos amamus Deum, & simus ipsi amici. vt enim patet inter homines, possum alicui esse amicus eum amando, etsi ipse non sit amicus mihi, vt si me oderit, aut saltem non amet; quo casu non erit inter nos vera amicitia.

90 Aliud est me esse dignum amore; aliud me de facto amari.

Nota Secundò, aliud esse, in me reperiri obiectum dignum, quod aliquis amet aut odio habeat, aliud verò, me de facto ab eo amari aut odio haberi: nec enim semper omnia amamus, quæ nobis apparent digna amore; nec odimus ea, quæ odio digna sunt: & quamuis concederemus Deum necessariò amare omnia, quæ amore sunt digna, & odisse digna odio; tamen necessariò fatendum est dicta valdè inter se distingui: nam illi actus sunt formaliter in Deo; eorum verò obiecta sunt in nobis. Item longè esse aliud Deum me amare etiam aliquo amore beneuolentiæ; & me esse eius filium, ac heredem æternæ beatitudinis: nam in statu puræ naturæ, potuisset Deus nos aliquo amore beneuolentiæ prosequi volendo nobis multa naturalia aut etiam quædam supernaturalia bona, nullo modo interim nos adoptando in filios aut heredes.

Aliud est me amari à Deo, aliud me esse eius filium.

91 Nec gratia est formaliter amicitia Dei in nos, nec peccatū odium.

Hinc sequitur, nec caritatem siue gratiam habitualem esse formaliter amicitiam Dei erga nos; nec peccatum esse formaliter inimicitiam Dei erga nos: siue nos per dicta non constitui formaliter amicos aut inimicos Dei. Patet, quia amicitia & inimicitia siue amor beneuolentiæ & odium Dei erga nos (quibus ipse formaliter nobis amicus aut inimicus constituitur) sunt actus Deo intrinseci, gratia verò habitualis ac peccatum sunt solùm obiecta illorum actuum, vt patet ex iam dictis, & pluribus ostendi tom. 2. de Sacrament. disp. 2. num. 24. & 96.

92 Quædam formæ habēt duplicem effectum formalem.

Nota Tertiò, quasdam formas respectu sui subiecti habere duplicem effectum formalem, quorum priorem primò & immediatè hoc ipso quo subiecto insunt necessariò & independenter ab omni alio conferunt: secundum verò conferunt mediante priore & ferè dependenter ab aliquo alio, non tamquam causa formali, sed tamquam conditione necessariò requisita.

Vnus est inseparabilis, alter separabilis.

Hinc prior effectus omnino inseparabilis est à formæ in subiecto inhæsione; secùs est de secundo. Exempla sunt; lumen tamquam causa formalis efficit suum subiectum illuminatum & visibile: prius omnino independenter ab omni alio, ideoque omnino inseparabiliter: secundum dependenter à specierum diffusione; cui si Deus suum concursum subtraxerit, corpus illuminatum erit inuisibile. Item verbum mentis est vnica causa formalis, qua intellectus constituitur & informatus eo verbo, & intelligens: ad hunc tamen effectum necessariò requiritur, vt intellectus illud verbum, vt causa saltem partialis producat; aliàs per illud quantumuis sibi inhærens nihil intelliget; ideoque hic secundus effectus est separabilis à sua causa formali, posito quòd Deus solus sine influxu mei intellectus in hoc producat verbum mentis.

Item in statu puræ naturæ homo fuisset formaliter iustus per iustitiam habitualem acquisitam; ad hunc tamen effectum fuisset necessaria absentia omnis actualis iniustitiæ: hinc etsi quis habuisset dictum habitum intensissimum, si tamen sciens iniustè retinuisset aliquid alienum, non fuisset iustus, sed absolutè iniustus. 93

Item per habitum acquisitum amicitiæ erga Petrum constituor formaliter ei amicus, & ad eum conuersus. ponamus igitur me hunc habitum habere intensissimum, & simul tamē ex recenti nata occasione odisse Petrum non obstāte eo habitu (qui vnico actu non destruitur) non ero ei amicus, nec ad eum conuersus, sed ei inimicus & ab eo auersus. Idemque esset si Deus in aliquo eliciente formalem actum infidelitatis conseruaret habitum fidei, qui est vnica causa formalis qua aliquis constituitur fidelis; talis non esset fidelis, sed absolutè infidelis.

Simili planè modo etsi caritas sit vera iustitia ex se nata reddere hominem iustum & conuersum ad Deum eique amicum; tamen si siue per possibile, siue per impossibile, esset simul in eodem cum voluntario odio Dei, hic necesse et iustus, nec conuersus ad Deum eique amicus, sed iniustus, auersus à Deo eique inimicus. 94

Esse iustum praeter formam positiuam dicit negationem iniustitiæ.

Horum autem ratio est clara, quia aliquem esse iustum dicit necessariò absentiam omnis iniustitiæ: quæ cùm sit pura negatio, non potest nobis formaliter tribui per aliquid positiuum, sed vt summum potest necessariò consequi aliquam formam positiuam.

Conclvsio I. Gratia habitualis siue caritas est vnica causa formalis, qua constituimur supernaturaliter iusti: & posita absentia omnis peccati mortalis necessariò suum subiectum iustum constituit sine vlla alia Dei acceptatione, aut fauore extrinseco. Hanc puto iam à nullo Catholico negari, & videtur apertè definita à Trident. sess. 6. cap. 7. Eam tamen peccati absentiam ad hoc requiri patet ex dictis; & ipsum Concilium ibidem apertè insinuat, vt patebit infrà. 95 Trident.

Conclvs. II. Supposito decreto quo Deus statuit nemini infundere caritatem, quin simul acceptet eum in amicum, & adoptet in filium, fieri nequit vt hæc alicui insit, quin simul sit amicus & filius Dei; secluso tamen eo decreto Deus absolutè posset eam alicui infundere non acceptando eum in amicum, nec adoptando eum in filium aut heredem. 96

Prior pars per se patet, quia illud decretum nequit fallere, siue irritum & inefficax reddi. Secundam partem tenent omnes Auctores citandi concl. 3. cui necessariò connexa est.

Probatur autem Primò, quia aliàs sequeretur, Deum ex natura rei & vi ipsius gratiæ aut naturali voluntatis suæ determinatione, necessitari ad amandum amore beneuolentiæ siue amicitiæ omnem eum qui habet in se caritatem, sicut necessitatur vt amet seipsum: atqui hoc est falsum: 97

falsum: ergo & illud vnde sequitur. Maior probatur, quia nisi Deus ad talem amandum omnino necessitetur, fieri poterit id quod nos asserimus, scilicet quòd Deus habentem in se caritatem non amet, & consequenter quòd hic non sit ipsius amicus, quia hæc amicitia sine tali amore nequit consistere, vt iam ostendi.

Minor probatur Primò, quia secundùm communiorem sententiam Deus sepositio omni decreto se solùm amat necessariò, reliqua omnia liberè. Secundò, quia aliàs Deus talem hominem necessariò conseruaret, nec posset eum destruere, præsertim sine vllo ipsius demerito, quia necessariò vellet ei bene esse, & cõsequenter eum esse, sine quo ei bene esse nequit; sicut quia seipsum necessariò amat, necessariò vult se esse. Illud autem apertè falsum est; cùm certissimum sit sepositio omni contrario decreto ac promissione Deum liberrimè eiusmodi hominem conseruare in esse, & posse eum nolle ampliùs esse ac velle destruere.

98 Dices Primò, Deum velle alicui inesse siue in eo conseruare habitum caritatis, est velle ei illud bonum, & consequenter eum amare: ergo ipse nequit velle in aliquo conseruare habitum caritatis, nisi eum amet. Respondeo Deum velle in aliquo conseruare eum habitum arguere quidem ipsum hunc aliqua ratione amare; non tamen amore beneuolentiæ aut saltem veræ amicitiæ: ad quam non sufficit quacumque ratione alicui velle aliquod bonum (nam etiam is qui dat equo suo pabulum, vult ei bonũ, eumque amat;) sed requiritur vt ei ex amore beneuolentiæ velit absolutè bene esse, cum reliquis conditionibus dub.3. ad veram amicitiam requisitis: ex eo autem quòd Deus velit alicui aliquod bonum inesse, non sequitur quòd eum dicta ratione amet: nam dum fideli peccatori vult inesse fidem & spem, vult ei aliquod bonum; & tamen non habet eum amicum, sed absolutè eum odit, & vult ei pœnam æternam.

Ad amicitiã non sufficit velle alicui aliquod bonum.

99 Dices Secundò, Deus Christum necessariò amat, & tamen absolutè loquendo liberè eius humanitatem conseruat, & sepositio contrario decreto posset velle desinere eam conseruare: ergo ex eo, quòd Deus necessariò amet habentem caritatem, non sequitur quòd nequeat velle desinere eum conseruare.

Respondeo nego conseq. sequitur enim potiùs contrarium, scilicet, sicut Deus quia necessariò amat Christum siue personam Christi, nequit vllo modo velle eam non esse; sic si necessariò amet personam habentẽ caritatem, ipsum non posse velle eam non esse: sicut enim implicat me absolutè velle alicui simpliciter bene esse, & simul velle eum non esse (nisi fortè hoc esset necessarium ne summè sit miser, qua ratione damnati cupiunt non esse. quod in præsenti casu locum habere nequit:) ita etiam implicat me necessariò velle ei absolutè bene esse, & tamen non necessariò velle eum esse. humanitatem autem Christi secundùm se Deus non amat necessariò, ideoque potest velle eam non esse.

Implicat me absolutè velle alicui bene esse, & simul velle eum nõ esse.

100 Dices Tertiò, Sicut persona Christi est ratio amandi humanitatem eius, ita caritas est ratio amandi habentem eam: ergo sicut humanitas Christi secundùm se non necessariò amatur à Deo; ita etiam posita altera sententia habens caritatem secundùm se non necessariò à Deo amatur, & hic poterit velle eum desinere esse.

Respondeo Primò, nego conseq. quia amor amicitiæ fertur directè & immediatè in personam amicam, & huic vult absolutè bene esse; habẽs autem caritatem est persona amica Deo, non autem humanitas Christi, quia hæc non est persona: quare in eo casu habens caritatem non cum hac, sed cum persona Christi deberet conferri. Respondeo Secundò, ex dicto nostro argumento iuncta hac obiectione saltem sequi, Deum necessariò amare ipsam caritatem in homine existentem, sicut necessariò amat personam Christi; & consequenter non posse velle illam desinere esse: sicut non potest velle personam Christi non esse. illud autem apertè absurdum est: nam potest Deus velle caritatem nobis inhærentem simul nobiscum desinere esse.

Probatur conclus. Tertiò, quia nequeo esse 101
filius Dei adoptiuus, nisi Deus adoptet me in suum filium ac heredem, & ita conferat mihi ius ad hereditatem: atqui nulla omnino videtur ratio, cur dicamus caritatem ex natura sua habere illam vim conferendi nobis tale ius, aut eam posse Deum necessitare, vt omni illi cui ipsa inest conferat tale ius, eumque in filium adoptet: ergo secluso omni Dei decreto fieri potest vt quis habeat in se caritatem, & tamen non sit filius Dei. Confirmatur, quia nulla datur qualitas quæ ex natura sua habet vim constituendi omnem cui inest, filium regis terreni, aut hunc necessitandi vt illum in filium adoptet: ergo nec potest dari aliqua qualitas, quæ ex se sit potens constituere aliquem filium Dei, aut Deum necessitare vt illum in filium adoptet. Vnde nullum omnino video fundamentum quo sufficienter possit probari, Deum non posse alicui infundere caritatem, quin eum in filium adoptet. Quare contrarium puto fore verissimũ, etiamsi caritas haberet ex natura sua vim expellendi peccatum mortale: nec enim video cur aliquis non possit esse verè iustus, etiam iustitia supernaturali, & tamen non esse filius Dei; cùm inter hæc ex natura rei nulla sit connexio.

Conclvs. III. Multò verius est inter caritatem siue gratiam iustificantẽ & peccatum mortale habituale, secluso omni Dei extrinseca ordinatione, nullam ex natura rei esse repugnantiam, ob quam nequeant simul in eodem existere. Ita Scotus in 4.d.16.q.2. §. *Respondeo*, in tertio suo argumẽto. & cum eo communiter Scotistæ. Gabr.d 14.q.1.a.2.post 5.concl. Occam q. 3.lit.E. Richard.in 3.d.31.a.1.q.1.in 3. modo opinandi. Suarez in 3.parte tom.4.disp.9.nu.8. Et eandem, si consequenter velint loqui, necessariò tenent omnes ij, qui docent peccatum mortale solùm demeritoriè expellere caritatem, quos citabo disp.22.dub.10.concl.2. & cum ijs multi recentiores. 102 *Scotus. Gabriel. Occam. Richardus. Suarez.*

Probatur Primò, quia, vt ostendam ex refutatione contrariorum argumentorum, nulla est ratio id asserendi. Secundò, quia bonitas finita 103

nequit vi sua expellere malitiam infinitam: atqui, vt ostendi tom.2. de Sacram.disp.10. dub. 2.malitia peccati mortalis est infinita ; bonitas verò gratiæ habitualis est finita : ergo hæc nequit eam ex natura sua expellere. Tertiò, quia peccatum actuale non expellit physicè caritatem , sed si Deus vellet posset cum ea simul in eodem consistere: vt ostendam disp.22. dub.9. ergo caritas posset etiam consistere cum peccato habituali, si Deus vellet; quia peccatum habituale nec peius est, nec habet maiorem repugnantiam cum caritate, quàm peccatum actuale. Quartò, quia nequit ostendi in quo consistat hæc repugnantia inter peccatum habituale & caritatem.

104 Respondent aliqui peccatum mortale habituale formaliter consistere in priuatione caritatis siue gratiæ habitualis , atque ita ei priuatiuè repugnare. Alij dicunt peccatum habituale consistere in habituali auersione à Deo ; nam, cùm homo peccans mortaliter actu se auertat à Deo, censetur manere auersus, donec hoc sufficienter retractet; per caritatem autē ad Deum conuertitur, actumque priorem retractat. Tertiò, alij dicunt peccatum mortale esse inimicitias erga Deum , caritatem verò amicitiam; vnde inferunt dicta contradictoriè opponi.

105 Sed hæ responsiones non satisfaciunt: nam ex prima sequeretur Primò, peccatum mortale non continere infinitam malitiam, cùm formaliter esset priuatio finiti boni. Secundò, peccata omnia mortalia habitualia esse eiusdem omnino speciei, imò omnia in eodē esse vnicum numero peccatum , quia priuabunt vnica planè forma , & consequenter vnica erunt priuatio; & sicut omnes peccatores æqualiter priuantur omni omnino gratia habituali , ita æqualiter erunt maculati & peccatores: sicut occisus vno vulnere & occisus mille lethalibus vulneribus, æqualiter sunt occisi & priuati vita; & in secundo est vnica vitæ priuatio.

In quouis peccatore est solùm vnica priuatio gratiæ.

106 Respondēt aliqui, peccatum habituale non consistere in nuda priuatione gratiæ , sed cum respectu ad suas causas siue ad conuersiones indebitas ad creaturas: quarum contactu anima sordidatur ; sicut res nitida magis ac magis sordescit contactu rerum sordidarum.

Sed contrà, vel illa conuersio per se immediatè maculat animam, & constituit peccatum habituale, vel solùm præcisè ratione priuationis gratiæ. Si prius dicatur, tunc peccatum habituale non consistet in priuatione gratiæ, sed in positiua macula inducta per illos actus ; & hi non ideo maculabunt animam , quia priuant eam gratia; sed quia eam ex se maculant, ideo ipsam suo nitore & sanctitate priuabunt : sicut qui sæpiùs tangit sordida ideo suo nitore priuatur quia his positiuè sordidatur; non autē contrà. quod tamen illi auctores negant. Si secundum dicatur, tunc omnes peccatores æqualiter erunt maculati ; quia æqualiter erunt priuati gratia, iuxta iam dicta. Plura hac de re dixi to. 2. de Sacram. disp.2.n.86.

107 Secunda etiam responsio allata n.104. non satisfacit. Primò, quia peccatum mortale non consistit in quacumque auersione, sed in voluntaria auersione à Deo ; receptio autem gratiæ habitualis, cùm ad eam secundùm se spectatam habeamus nos merè passiuè, præsertim si fiat sine vlla nostra dispositione præuia, non potest in nobis esse voluntaria ad Deum conuersio; multò minùs per eam retractamus peccatum priùs commissum : quare cum caritate alicui præsertim merè passiuè se habenti infusa potest in eodem consistere peccatum non retractatum , & dicta interpretatiua siue habitualis à Deo auersio. Secundò, quia aliàs sequeretur, per actum contritionis multò magis omne peccatum mortale formaliter & necessariò ex natura rei deleri , quia per hunc longè magis ad Deum conuertimur & peccatum retractamus, quàm per receptionem habitus caritatis nobis infusi: illud autem esse falsum satis ostendi suprà disp. 6.dub. 1.concl.2. & tom.2.de Sacram. disp.2.dub.3.

Receptio gratiæ non est voluntaria ad Deum conuersio, aut peccati retractatio, ideoque hæc non contrahitur.

Maior est repugnantia inter actualis caritatem & peccatum, quàm inter habitualem.

Tertiam etiam responsionem non sufficere 108
patet ex dictis n.91. vbi ostendi nec peccatum formaliter esse inimicitias , nec caritatem esse amicitiam Dei erga nos; sed vtrumque esse obiectum formale odij aut amoris Dei erga nos.

Probatur concl. Quartò, quia est cōformior Trident. sess.6.cap.7. vbi satis apertè eam insinuat, dum expresè distinguit remissionem peccati ab infusione gratiæ ; ait enim initio : *Quæ (scilicet iustificatio) non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio*, &c. & infrà, *Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo*, &c. Vbi remissionem peccatorum & infusionem gratiæ ponit tamquam distinctas partes integrantes iustificationem peccatoris. Et ex his erit facilis solutio argumentorum contrariæ sententiæ.

Trident.

Infusio gratiæ & remissio peccati secundum Tridentini sunt partes integrantes iustificationem.

Ad primum, nego minorem eiusque probationem: nam, vt patet ex dictis nu.92. & 94. absentia siue remissio peccatorum non requiritur tamquam forma nos iustificans; sed tamquam conditio requisita vt caritas nos possit iustificare, siue formaliter iustos efficere. Similiter etsi tam ad remissionem peccati, quàm ad infusionem caritatis necessariò requiratur aliquis fauor Dei nobis extrinsecus; tamen nullo modo est causa formalis nostræ iustificationis, sed potiùs efficiens : est enim actus internus Dei nobis peccata remittentis , & gratiam infundentis. 109

Nec remissio peccati nec fauor Dei sunt causa formalis nostræ iustificationis.

Ad secundum, nego antecedens formaliter & præcisè loquendo secundùm omnia esse verum: nam caritas ex natura sua est quidem formalis causa iustificans suum subiectum, modo careat omnino peccato. Item posito decreto Dei, quo statuit omni peccatori hoc ipso quo gratiam habitualem ei infundit , remittere omnia peccata mortalia, eumque in filium adoptare , gratia necessariò habet moralem quandam vim sibi ex eo Dei decreto annexam delendi peccatum, & nos formaliter constituendi filios Dei & dignos cælo : & illius infusio est peccatorum remissio, & peccatoris in filium Dei adoptio , quatenus est externa actio internæ voluntatis Dei remittentis peccata , & nos in filios adoptantis : sicut purpurei pilei impositio à Pontifice facta , est assumptio ad Cardina- 110

Caritas sola est causa formalis formalissima filij Dei quatenus habet perfectionem quandam moralem sibi ex decreto Dei annexam.

nalatum eius cui imponitur. hanctamen vim non habet caritas siue gratia habitualis ex natura sua, vt ostendi concl.2.& 3. Quare per eam præcisè secundùm suam physicam entitatem consideratam non constituimur formaliter filij Dei digni vita æterna, &c. sed solùm ratione illius virtutis moralis illi ex decreto Dei annexæ. Ex quibus etiam patet, caritatem non ita ex natura sua constituere nos iustos, amicos ac filios Dei; sicut albedo constituit albos. Quia nos esse albos non connotat negationem siue absentiam alicuius rei, aut aliquem actum seu conditionem albedini inhærenti extrinsecam, & ab ea separabilem: sicut nos esse iustos, & amicos ac filios Dei connotat absentiam peccati & actum Dei nos amantis & adoptantis; quæ à caritate nobis inhærente separabilia sunt.

Caritas non eadem omnino ratione constituit nos iustos ac filios Dei, sicut albedo constituit album.

111 Ad tertium, nego maiorem. Ad probationem, Respondeo eum fauorem non requiri vt causam formalem, sed vt efficientem nostræ iustificationis, vt patet ex dictis; quod omnes necessariò concedunt, qui fatentur nos gratis iustificari. Ad confirmationem, Respondeo eos qui hanc nobis obijciunt, aut non satis bona fide agere, aut non satis intellexisse sententiam Kemnitij & Buceri. hi enim non agnoscebant vllam gratiam habitualem, qua iustificamur; sed per iustitiam nobis inhærentem intelligebant nostras actiones bonas: quas vocabant iustitiam imperfectam, non quia non habent ex se perfectam & sufficientem vim nos emundādi à peccatis sine fauore Dei ea remittentis (vt alij nobis in argumento obijciunt) sed quia putabant omnes nostras actiones, quantumuis ex obiecto bonas, esse verè immundas instar panni menstruati, & secundùm se ac secluso Dei earum immunditiam dissimulantis fauore esse vera peccata: vt patet ex eorum scriptis: & docet Bellarm. l.4. de Iustific. cap.10. & Vasquez 1.2. disput.212.c.1. & patet etiam ex Trident. sess.6. can.25. vbi eorum error damnatur. Ad quem errorem imprudenter siue minùs cautè multùm accesserunt Canonici Colonienses, & Pighius citati nu.87. vt facilè patebit eos legenti; ideoque eorum sententia Catholicis communiter improbatur. Cum horum autem ac eorum hæreticorum, qui docent nos solo Dei extrinseco fauore formaliter iustificari, opinionibus nostra sententia nihil commune habet; cùm dicamus nos sola gratia habituali nihil in se immundum, aut quod non habeat veram rationem iustitiæ continente formaliter iustificari. vt patet ex dictis. Quare etiam illarum opinionum damnatio nihil ad nos spectat.

Error Kemnitij & Buceri.

Bellarm. Vasquez. Trident.

112 Ad quartum, concedo peccatoris iustificationem consistere in dicta renouatione, quæ duos quasi partiales motus contineat, scilicet recessum à peccato, vel potiùs huius remissionem, & acquisitionem status iustitiæ. Item hos motus ex Dei decreto esse necessariò connexos nec posse disiungi. nego tamen eos ex natura rei ita necessariò esse connexos: nam Deus posset absolutè alicui remittere peccatum mortale non infundendo ei gratiam siue iustitiam. vt ostendi tom.2. de Sacram. disp.2. dub.10. & apertè sequitur ex iam dictis. Quamuis autem peccator nequeat transferri à peccato ad iustitiam, nisi hoc ei remittatur (quia esse iustum, vt iam ostendi, includit absentiam peccati mortalis) tamen si Deus vellet, posset ei infundere gratiam habitualem non remittendo ei peccata: quare spectando solam rei naturam hi duo motus, scilicet infusio gratiæ, & remissio peccati ex hac parte non habent necessariam connexionem: vt patet ex dictis, & probat Scotus citatus n.102. nec contrarium aut à Tridentino, aut à Scripturis vllibi insinuatur.

Remissio peccati & acquisitio formæ iustificantis ex solo Dei decreto necessariò connexæ sunt.

Scotus.

Ad quintum, Respondeo caritatem quantum est ex se constituere hominem conuersum ad Deum; secluso tamen Dei decreto non semper & necessariò id absolutè facere; quia potest absolutè loquendo per peccatum ab eo impediri. vide dicta n.93. 113

Ad sextum, nego antecedens & priorem partem probationis: quia nulla potest ostendi implicantia cur lumen beatificum non posset in eodem existere cum peccato mortali, præsertim si Deus subtraheret eius subiecto concursum suum, aut alia ratione id impediret ne videret diuinam essentiam. Imò quamuis minùs deceat peccatorem videre clarè Deum, nullam tamen video ex natura rei implicantiam cur hoc absolutè fieri nequeat.

Non implicat lumen beatificum esse in peccatore.

Ad secundam partem, Respondeo Primò, vnionem hypostaticam non esse qualitatem, sed modum substantialem: quare nihil facit ad rem præsentem. 114

Respondeo Secundò, illam secundùm se præcisè sumptam nullam habere immediatam repugnantiam cum peccato, sed solùm mediatè quatenus naturam cui inest vnit personæ diuinæ in vnitate personæ, ita vt omnis illius passio aut actio sit necessariò passio aut actio Dei, quem implicat peccare, aut esse in peccato. Vnde si vlla ratione fieri posset vt illa vnio alicui inesset qui non esset persona diuina, nulla esset implicantia cur cum peccato nequiret consistere.

Vnio hypostatica solū mediatè repugnat peccato.

Respondeo Tertiò, si hæc aliquid probarent, etiam probarent habentem gratiam habitualem non posse vllo modo peccare mortaliter, nisi eam priùs tempore perderet; sicut habens vnionem hypostaticam nequit vllo modo peccare, nisi eam priùs tempore perdat, idemque est de habente lumen beatificum. quare hæc potiùs pro nobis faciunt, & ex eo quòd habens gratiam possit peccare, probatur hanc ex natura sua non repugnare physicè peccato. 115

APPENDIX AD DVO PRÆCEDENTIA DVBIA.

CVm hæc absoluissem, incidi in quendam auctorem virum omni ex parte eruditissimum, qui etsi nobiscum consentiat gratiam iustificantem, per absolutam Dei potentiam posse simul in eodem consistere cum peccato mortali; tamen in quibusdam alijs dissentit, quæ putaui hîc adferenda, & quatenus nostris aduersantur, refutanda. 116

Docet itaque Primò, gratiam iustificantem distingui realiter à caritate reliquisque virtutibus, 117

bus,& respectu harum se habere, sicut se habet natura respectu potentiarum : quas ipse supponit esse accidentia realiter ab illa distincta. Præter rationes autem quas pro ea sententia attuli suprà n.67. probat eam Primò, quia, sicut dantur aliquæ qualitates (scilicet lumen gloriæ & habitus caritatis,) quibus supernaturaliter participamus Dei intellectum & voluntatem, quatenus per illa efficimur immediatè potentes videre Deum, eumque supernaturaliter amare: ita potest dari aliqua qualitas qua immediatè efficiamur participes naturę diuinę, prout ratione distinguitur à potentijs: nulla enim hîc potest ostendi implicantia, cùm natura diuina non sit minùs participabilis, quàm potentiæ: ergo dicendum est de facto dari aliquam talem qualitatem, quæ in nobis respectu virtutum infusarum se habeat instar naturæ respectu potentiarum.

2.Petr.1. Probat Secundò, quia, vt dicitur 2.Petri 1. v.4. in iustificatione donantur nobis pretiosa dona, quibus efficimur diuinæ consortes naturæ: atqui hoc non fit per habitus infusos; quia per hos non naturæ, sed potentijs assimilamur: ergo datur nobis alia qualitas, qua participemus immediatè ipsam naturam diuinam.

Probat Tertiò, quia dum iustificamur regeneramur : atqui generatio non terminatur ad potentias, sed ad naturam: ergo gratia iustificans renouat immediatè nostram naturam efficiendo eam quodammodo diuinam. Adfert præterea quasdam auctoritates Patrum, sed quæ, vt ipse etiam auctor fatetur, non conuincunt, & facillimè possunt solui, ideoque eas hîc omitto.

118 Docet Secundò, gratiam iustificantem ex natura sua repugnare peccato mortali, illudque formaliter expellere, sicut calor expellit frigus; hæc tamen differentia, quòd hæc repugnent inter se physicè, illa solùm moraliter. Probat id *Trident.* præcipuè, quia Tridentinũ sess.5. §.5. docet, per Iesu Christi gratiam, quæ in baptismo confertur, remitti reatum peccati originalis: quod aliter nequit intelligi, quàm quia hic formaliter per illam deletur siue expellitur.

Nec his ait obstare, quòd per Dei potentiam peccatum mortale & gratia iustificans possint simul in eodem consistere: nam Deus potest etiam calorem & frigus in eodem conseruare; & sicut, vt ex aqua expellatur frigus, non sufficit quòd in eam introducatur calor, sed etiam requiritur vt Deus subtrahendo suum concursum desinat illud conseruare, ita vt gratia expellat peccatum habituale, requiritur vt Deus hoc remittat.

119 Docet Tertiò, gratiam iustificantem natura sua nos efficere filios Dei adoptiuos, nobisque tribuere ius ad beatitudinem.

Deus est pater omnis creaturæ, singulariter tamẽ hominum & angelorum.

Pro quo Notat Primò, Deum posse aliquo modo dici patrem omnis creaturæ, ea ratione qua solemus auctores vocare patres suorum librorum: homines tamen ac angelos specialiter dici filios Dei, quia singulariter ad imaginem Dei creati sunt.

Notat Secundò, hominem hoc ipso quo est rationalis esse naturaliter capacem alicuius cognitionis Dei, & consequẽter naturalis beatitudinis quæ in ea cognitione consistit; atque adeò ad hanc habere aliquod ius.

Notat Tertiò, gratiam iustificantem respectu habituum infusorum, & ipsius luminis gloriæ se habere instar naturæ respectu intellectus & voluntatis; atque ita sicut natura est in nobis primum principium intelligendi, quia est principium ipsius intellectus, & cum eo simul intellectionem producit, iuxta dicta nu.69. ita gratiam iustificantem esse primum principium visionis & amoris Dei, quatenus est saltem morale principium luminis gloriæ ac aliorum habituum infusorum, & vnà cum his influit in visionem & amorem Dei. Vnde infert, sicut hoc ipso quo habemus naturam rationalem, debetur nobis intellectus, & cognitio naturalis Dei, ac naturalis beatitudo; ita hoc ipso quo habemus gratiam iustificantem, nos habere ius ad lumen gloriæ ac visionem Dei, quæ est nostra beatitudo, Dei que possessio ac hereditas.

His positis, suam sententiam probat Primò, 120
quia nos esse filios Dei adoptiuos nihil est aliud quàm nos esse modo supernaturali similes Deo in natura, quantum hoc fieri potest, & habere ius ad hereditatem: atqui, vt patet ex dictis, vtrumque ex natura sua nobis præstat gratia iustificans: ergo ex natura sua facit nos filios Dei.

Secundò, quia Apostolus ad Colossenses 1. *Colos.1.* iubet nos agere gratias Deo Patri, *qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine; qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.* Ex quo loco Triden- *Trident.* tinum sess.6. cap.3. colligit descriptionem nostræ iustificationis, docetque nos eadem gratia, qua eripimur è potestate tenebrarum, transferri in regnum filij Dei, non quidem actu possessum, sed possidendum: ergo gratia iustificans natura sua tribuit nobis ius ad hanc possessionem.

Tertiò, quia Apostolus ad Romanos 8. ait, *Rom.8.* *Quicumque spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei:* atqui ij omnes aguntur spiritu Dei, qui habent in se habitantem Spiritum sanctum; item hic habitat in nobis per gratiam iustificantem, vt ibidem dicitur: ergo quicumque habet in se gratiam iustificantem, hic est filius Dei. Sed quamuis hæc acutè ab eo auctore inuenta speciosè proponantur, tamen, quantum ego possum iudicare, non satis probant quod intendunt: & quædam continent, quæ mihi videntur parum probabilia: quod facilè ostendam ad singula respondendo.

Ad primam igitur rationem pro primo di- 121
cto allatam n.117. Respondeo Primò, eam supponere fundamentum valdè incertum, scilicet essentiam animæ distingui realiter à suis potentijs: cuius contrarium probabilius est, vt ostendi suprà n.68. Respondeo Secundò, etsi, posito quòd essentia animæ distinguatur realiter à suis potentijs; item posito quòd essentia diuina in intrinseco suo conceptu non includat intellectũ & voluntatem, sed secundùm præcisum suũ conceptum dicat aliquid ab his ratione distinctum; etsi inquam his positis fortè non implicet dari aliquam qualitatem, quæ immediatè infundatur ac inhæreat animæ nostræ, eamque

transi-

transferat ad esse quoddam supernaturale, quo aliquo modo participet immediatè ipsum esse diuinum; tamen omnino implicat dari eiusmodi qualitatem, quæ respectu virtutũ infusarum se habeat instar naturæ respectu suarum potentiarum, qualem illa sententia docet esse gratiam iustificantem. quæ satis ostendi suprà n. 73.

122 *tom. 2. metaphys. disp. 30. sect. 6. n. 5.* Essentia diuina in intrinseco suo cõceptu includit volũtatem ac intellectum, reliquaque attributa.

His adde, ipsum auctorem, contra quem hîc disputamus, alibi docere tamquã omnino certum, essentiam diuinam in suo intrinseco conceptu includere intellectum ac voluntatem, reliquaque attributa positiua. Quod etiam verius existimo. & de intellectu hîc breuiter, &, vt mihi videtur, clarè probabo.

123 Essentia hominis, angeli ac Dei dicit esse quoddã intellectiuũ.

Pro quo Nota Primò, sicut essentia hominis aut angeli qua talis in suo præcisè conceptu non dicit nudum aliquod esse (quia sic non differret ab essentia bruti aut lapidis) sed dicit aliquod esse rationale aut intellectiuum siue potens intelligere: ita multò magis essentia diuina qua talis in intrinseco suo conceptu dicit aliquod esse intellectiuum siue potens intelligere: hæc enim idem significant.

124 Si essentia non includeret in se intellectum, secundùm se esset solùm imperfectè & remotè intellectiua.

Nota Secundò, posito quòd essentia angeli distinguatur à suis potentijs, ipsam in suo præciso cõceptu dicere esse intellectiuum in ratione intellectiui imperfectum & incompletum, quodque ex se exigat in ratione intellectiui vlteriùs perfici per potentiam intellectiuam. Sicut quia intellectus creatus sine lumine gloriæ, solùm est remotè & incompletè potens videre Deum, secundùm se solùm est remotè & incompletè viſiuus Dei.

Et simili ratione si essentia diuina qua talis in suo præcisè conceptu non includat intellectũ, erit secundùm se præcisè in ratione esse intellectiui imperfecta & incompleta, exigens perfici per intellectum à se ratione distinctum. Atque ita essentia diuina secundùm suum præcisum conceptũ erit in aliquo sibi essentiali (quale est esse intellectiuum) imperfecta & incompleta. quod apertè absurdum est. Cùm enim omne esse diuinum sit in suo genere necessariò infinitè perfectum, implicat aliquod esse diuinum Deo omnino essentiale, esse in suo conceptu intrinseco imperfectum ac incompletum: quia hæc apertè repugnant, scilicet essentiam diuinam secundùm eandem rationem esse incompletam, & infinitè perfectam. Ex quibus patet quòd, etsi essentia hominis aut angeli non includeret in intrinseco suo conceptu intellectum, contrarium tamen dicendum fore de essentia Dei: quia illa potest dicere aliquid intrinsecè imperfectum, & exigens vlteriùs perfici; secùs est de hac.

Essentia diuina nequit esse intrinsecè incompleta.

125 Volitio supponit intellectionem, non tamen voluntas intellectum.

Simili planè ratione facilè probarem, ipsam voluntatem diuinam esse de intrinseco conceptu essentiæ: nam Deus non minùs est essentialiter potens seipsum amare, quàm seipsum intelligere. Et quamuis ipsa volitio supponat intellectionem, tamen nulla est ratio, cur etiam secundùm nostrum modum concipiendi volũtas supponat intellectum. quæ facilè pluribus probarem si essent huius loci.

126 Ex quibus sequitur Primò, essentiam diuinam etiam præcisissimè conceptam nullo modo se habere per modum principij aut radicis respectu intellectus & voluntatis; sed vtraque in suo intrinseco conceptu includere: atque adeò intellectum diuinum nihil esse aliud quàm ipsam essentiam qua potentem intelligere: & voluntatem esse eandem essentiam qua potentem velle. Essentia diuina nullo modo habet se per modũ radicis respectu intellectus & voluntatis.

Sequitur Secundò, nullam animæ nostræ 127
posse infundi qualitatem, qua ipsa eleuetur ad participationem naturæ diuinæ, præcisè quatenus hæc ab intellectu & voluntate ratione, siue secundùm intrinsecum suum conceptum distinguitur, & respectu horum se habet per modum radicis: quia ad hoc esset necessarium essentiam siue naturam diuinam ita ab intellectu & voluntate distingui, & respectu eorum se eo modo habere. Et sic satisfit primo argumento.

Ad secundum, nego minorem: nam cùm, vt 128
iam ostendi, essentia diuina intrinsecè & essentialiter sit potentia intelligendi & amandi seipsam, eam maximè participamus per habitus, quibus simus potentes Deum supernaturaliter cognoscere & amare. Vnde S. Ioannes epistolæ 1. c. 3. n. 2. docet, nos in altera vita perfectè futuros similes Deo, quia videbimus eum sicuti est. apertè significans nos quantum fieri potest fieri Deo simillimos per potentiam eum clarè videndi, eiusque visionem. Essentiam diuinam qua talẽ maximè participamus per lumen gloriæ & habitum caritatis 1. *Ioan.* 3.

Ad tertium, nego minorem: nam cùm po- 129
tentiæ non distinguantur à natura, hoc ipso quo generatio terminatur ad naturam, etiam immediatè terminatur ad potentias. Adde, nostram regenerationem supernaturalem non esse omnino similem naturali, sed ab hac multum differre; & præsertim in eo, quòd hæc conferat simpliciter esse; illa verò solùm esse supernaturale, quod, vt iam satis ostensum, consistit præcipuè in potentia supernaturaliter operandi: quare etsi generatio naturalis terminaretur immediatè ad solam naturam (vt fieret si hæc differret à potentijs) tamen supernaturalis deberet immediatè terminari ad potentias. Generatio supernaturalis qua filmus filij Dei, terminatur immediatè ad potẽtias.

Quod attinet ad secundum dictum posi- 130
tum num. 118. in eo quædam, prout ego iudicare possum, sunt clarè vera. Scilicet Primò, gratiam iustificantem non habere vllam physicam repugnantiam cum peccato, quod ille Auctor fusè & doctè probat, & patet ex dictis suprà hoc dub. 8. Secundò, inter gratiam iustificantem & peccatum mortale esse quandam repugnantiam moralem. Primò, quia gratia reddit nos quantum est ex se, siue si nihil aliud obstet, iustos, Deo amabiles, aptosque qui in Dei amicos ac filios adoptemur. Contrà, peccatum mortale efficit nos iniustos, Deo odibiles, indignos omnino diuina amicitia, & dignos æternis pœnis. Secundò, quia admodum dedecet rem tam diuinam vilissimo peccati mancipio conferri, aut in eo conseruari: sicuti dedeceret sordidissimam suem pretiosis vestibus ornari. His tamen non obstantibus posset Deus habere iustissimas causas cur vellet gratiam in peccatore conseruare. Inter gratiã & peccatum est repugnãtia non physica, sed moralis.

Duo autem in eodem dicto videntur mihi 131
valdè difficilia. Primò, quòd ille Auctor dicat eam

eam repugnantiam esse talem, vt illa duo se mutuo naturaliter expellant, non minùs quàm calor & frigus se mutuo expellant. hoc enim nulla firma ratione probari potest: & si esset verum, sequeretur, nulla potentia fieri posse vt peccatum mortale & gratia essent simul in eodem: vt ex dicendis patebit. Secundò, quòd dicit quando calor producitur in aqua frigus non expellendum, nisi Deus subtraheret suum concursum ad eius cõseruationem necessarium. Quod priùs nobis hîc refutandum est, vt deinde clariùs alterum impugnemus.

132 Vt autem distinctiùs procedamus, Notandum est nos hîc non negare, quin Deus possit frigus & calorem etiam in gradu intenso simul in eodem subiecto conseruare (hoc enim puto nullo modo negari posse;) sed solùm asserimus hoc fieri non posse eodem influxu, quo hæc separatim siue in distinctis subiectis conseruari possent; atque adeò vt frigus conseruetur in subiecto calido, opus esse potentiore Dei influxu, quàm sit opus vt conseruetur absente calore. Sicut nemo negare potest, quin Deus absente sole possit eius lumen solus in aëre conseruare: omnes tamen fatentur id fieri non posse, nisi Deus ex parte sua potentiùs siue maiore influxu in illud influat, quàm priùs influeret dum illud vnà cum sole conseruabat. Dictus autem Auctor cum quibusdam alijs videtur asserere, frigus eodem Dei influxu posse conseruari simul cum calore, quo separatim conseruari posset.

Calor & frigus possunt in gradu intenso simul in eodem à Deo conseruari, ad hoc tamen opus est maiore influxu.

133 Probatur hæc assertio Primò, quia aliàs calor & frigus naturaliter possent simul existere in eodem subiecto etiam in gradu intenso: hoc autem est apertè falsum: ergo & illud vnde hoc sequitur. Minor communiter admittitur: maior probatur: quia, vt ostendi suprà disp. 4. dub. 1. illa res debet dici naturaliter conseruari, quæ conseruatur solo influxu Dei ipsi connaturali, qualis (vt dicto loco ostendi) est is omnis, qui absolutè est necessarius, vt res possint, abstrahendo ab his & illis circumstantijs, in suo esse conseruari: atqui secundùm aliam sententiam, frigus adueniente calore posset in subiecto cõseruari eodem omnino influxu, qui est necessarius vt ipsum in vllis alijs circumstantijs conseruari possit, & consequenter influxu sibi connaturali: ergo omnino naturaliter conseruaretur.

134 Dices Primò, ideo conseruationem frigoris in eo casu esse supernaturalem saltem secundùm modum, quia ille influxus Dei non est ei debitus, neque hunc naturaliter exigit in his circumstantijs.

Sed contrà, frigus naturaliter eiusmodi influxum exigere, & hunc ei naturaliter esse debitum, nihil est aliud, quàm hunc aut saltem huic æquiualentem ei in omnibus circumstantijs esse necessarium, vt possit in rerum natura conseruari, prout loco iam citato explicui: atqui influxus quo frigus simul cum calore eo casu in eodem subiecto conseruaretur, esset talis, quia sine eo, eiue æquiualenti nullo modo in vllis circumstantijs in rerum natura conseruari potest: ergo eum naturaliter exigit, eique connaturaliter debitus est.

135 Dices Secundò, ideo hunc influxum non esse ei debitum, quia calor introducendus exigit vt frigus ex eo subiecto expellatur.

Sed hoc non satisfacit. Primò, quia frigus non debet curare quid calor exigat, nec ideò aliquid desinit ei esse connaturale quia calor contrarium exigit; quia aliàs quoties aliquod corpus quantumuis magnum, densum ac intensè frigidum admoueretur exiguo igni etiam vtcumque remotè, sequeretur non esse connaturale ei frigori in eo corpore à Deo conseruari, quia calor ab eo igne introducendus exigit vt frigus expellatur: hoc autem patet apertè esse falsum; nisi dicamus eiusmodi frigus eo casu supernaturaliter in illo corpore conseruari; nam id de facto conseruari quotidiana experientia docet.

136 Secundò, quia inde sequitur, nullum corpus frigidum (idemque est de alijs passiuis) ex natura rei habere maiorem aut minorem vim resistendi corpori calefactiuo, quàm hoc habeat vim illud calefaciendi; sed quòd vnum superet aliud, hoc prouenire præcisè ex voluntate Dei subtrahentis, aut non subtrahentis suum influxum ad conseruationem frigoris necessarium. Nam si inter duo corpora actu æquè frigida vnum natura sua frigidum sit & densum, & consequenter secundùm communem sententiam & experientiam habens magnam vim resistendi calori introducendo; & alterum rarum, & natura sua indifferens ad frigus & calorem; si, inquam, hæc ponamus æquè remota iuxta duo corpora æquè calefactiua; secundùm illam sententiam sequetur, vtrumque corpus frigidum cum eodem Dei auxilio, scilicet æquali omnino influxu, æqualiter restiturum corpori calefacienti, nec in vno potiùs, quàm in altero frigus corrumpendum. Nam si Deus in vtrumque frigus conseruandum pergat æqualiter influere, eodem scilicet modo, quo influebat antequam admouerentur calefactiua, vtrumque conseruabitur illæsum; si in alterutrum desinat ita influere, hoc solùm corrumpetur. Ex quo apertè sequitur, vtrumque illud corpus ex natura sua habiturum æqualem vim resistendi contrario; quia illa apertè habent æqualem vim resistendi quæ cum æquali auxilio æqualiter possunt aut non possunt æqualiter impugnantibus resistere.

137 Item inde sequetur, calefactiuum densum ac intensè calidum, non habere maiorem vim expellendi frigus ex alio corpore, quàm habeat calefactiuum minùs densum & minùs calidum: quia si vtrumque æqualiter apponatur diuerso corpori frigido ex se æqualiter apto resistere calefactiuo; si Deus æqualiter ex parte sua pergat influere vtriq; frigori conseruando, vtrumque calefactiuum æqualiter neutrum corrumpet: si autem Deus alteri suum influxum subtrahit, hoc solùm corrumpetur, siue sit appositum minùs intensè calido, siue alteri. Quæ apertè repugnant communi sensui & experientiæ.

138 Ex quibus etiam patet, nullo modo satisfacere quorumdam ad nostrum argumentum respon-

responsionem, qua dicunt tunc naturam exigere vt Deus frigori v.c. subtrahat influxum ad eius conseruationem necessarium, quando calefactiuum appositum haber maiorem vim calefaciendi, quàm frigidum habeat vim resistẽdi, quia, vt iam ostendi, secundùm eam sententiam, quo duis frigidum cum æquali Dei auxilio, scilicet influxu ad eius conseruationẽ quouis loco & tempore necessario, habet æqualẽ vim cuiuis calefactiuo resistendi. Quare quòd vnum præ altero resistat, non est tribuendum maiori ipsius virtuti resistendi, aut minori virtuti agentis, aut exigentiæ naturæ minùs aut magis postulantis Dei conseruationem: sed soli voluntati Dei volentis vnum præ altero conseruare.

139 Contra responsionem allatam nu.135. facit Secundò, quòd ex illa sententia sequatur, calorem eadem omnino virtute agendi posse produci in subiecto manente frigido, qua posset produci, si frigus ex eo expelleretur. Patet, quia frigus non magis repugnat calori producendo in subiecto, quàm iam in eo producto, vt per se patet: ergo si calor eodem influxu posset in subiecto conseruari præsente frigore, quo poterat conseruari eo absente; eodem influxu poterit in eo produci, manente frigore, quo poterat produci eo expulso. Et consequenter calefactiuum nullo modo exiget vt Deus desinat conseruare frigus in subiecto, vt possit in eo producere calorem: quia siue maneat frigus, siue non, æqualiter poterit producere calorem.

140 Dices, ideò ignem non posse in subiecto producere calorem manente frigore, quia Deus non vult cum eo ad hoc concurrere. Sed hoc & sine fundamento dicitur, & omnino parergon est. Quia inde non sequeretur, ignem vi naturali cum solo concursu generali non posse subiectum manente in eo frigore calefacecere (prout eum secundùm illam sententiam, facere posse contendimus;) sed solùm sequetur, eum id facere non posse ob decretum Dei negantis ei suum concursum aliàs omni agenti necessarium vt agat.

141 Probatur nostra assertio Secundò, quia si vacuum cacabum suspendas supra ignem, & paululùm calefactum subitò impleas frigidissima aqua, statim per frigus ab aqua in cacabo productũ corrumpitur omnis calor in eo priùs productus. quod apertè esset falsum, si idem influxus, siue eadem actiua virtus eodem modo ex parte sua influens sufficeret ad conseruandum calorem præsente frigore, qui sufficiebat eo absente. Nam manet hîc eadem virtus ignis eodem modo ex parte sua applicata ad cõseruandum calorem, & hoc conans, & quantum potest ex parte sua siue in actu primo influens, & tamen ille non conseruatur.

142 Dices, hoc fieri quia Deus eo casu subtrahit igni suum cõcursum, sine quo nequit illum calorem conseruare, ne calor & frigus sint simul in eodem contra naturæ exigentiam. Sed hoc non satisfacit: quid enim esset incommodi si calor & frigus essent simul in eodem, ob quod euitandum Deus debeat esse solicitus, ac igni conanti agere suum concursum subtrahere? Et sanè si frigus eodem influxu possit conseruari præsente & absente calore, non magis exigit huius expulsionem, quàm dulcedo exigat expulsionem albedinis, vt ponatur in lacte. quod iam suprà satis probaui.

Adde, eo modo respõdendi euerti omne argumentum ex experientia sumptum, eoque admisso nulla experientia probari poterit, vnam rem habere præ alia aliquam vim agendi, sed facilè poterit defendi omnes habere æqualem; & quòd vna præ alia aliquid de facto agat, inde præcisè prouenire, quòd Deus cum vna concurrat, & non cum alia, idque naturas rerum exigere, ne aut nihil agant, aut quæuis agat quidlibet. quod esset magnum incommodum: nec vlteriorem hîc rationem esse inquirendam. Sed de eiusmodi responsionibus plura adferam infrà disp.22.n.46. 143

Probatur Tertiò, quia aliàs sequeretur, non magis ex natura rei repugnare calorem & frigus in gradu intenso esse simul in eodem subiecto, quàm repugnet albedinem & dulcedinem esse simul: & illa ex natura rei & sepositò omni Dei decreto non magis se mutuo expellere, quàm hæc. quæ apertè absurda sunt. 144

Prior pars probatur, quia aliàs illa difficiliùs possent simul in eodem conseruari, quàm hæc (vbi enim est maior repugnantia, ibi difficilior est effectus:) hoc autem repugnat illi sententiæ: nam quæ difficiliùs conseruari aut produci possunt, nequeunt æquali influxu siue virtute actiua æqualiter ex parte sua influente conseruari. Hinc si calor difficiliùs posset conseruari in subiecto, in quo simul esset frigus, quàm in alio, virtus agendi quæ sufficeret præcisè ad eum conseruandum in non frigido, non sufficeret eum conseruare in frigido. cuius non est alia ratio, quàm quia ad hoc requiritur potentior influxus, quàm ad illud.

Secunda pars probatur, quia calor non expelleret frigus, nisi quia Deus eo præsente subtraheret suum influxum huius conseruationi necessarium; quòd si non faceret, eodem modo manerent simul sicut albedo & dulcedo: & si Deus similiter statueret præsente albedine desinere conseruare dulcedinem, illa hanc similiter expelleret. 145

Ex his sequitur Primò, vt calor aduenien- 146
te frigore expellatur è subiecto, non esse opus vt Deus subtrahat ei suum influxum quo ipsum priùs conseruabat; sed solùm requiri ne potentiore, & omnino supernaturali influxu (qualis ad illius conseruationem eo casu requiritur) in ipsum influat, quo posito ipse necessariò præsente suo contrario expellitur siue corrumpitur.

Vt calor expellat frigus non est opus Deum subtrahere suũ concursum.

Dices, Impossibile est Deum pergere in rem 147
aliquam influere, & hanc desinere esse, quia influxus Dei huic identificatur: ergo vt hæc desinat esse, necesse est Deum desinere in eam influere.

Deus desinit in rem aliquã influere, eamúe conseruare, quia hæc ob aliã causam esse desinit: non contrà.

Respondeo, distinguo antecedens; nam si intelligatur de influxu Dei in actu secundo, sic verum est, & neganda est consequentia, quia in ea significatur ideo rem desinere esse, quia

Deus desinit in eam influere; cùm contrà ideo Deus desinat in eam ita influere, quia ob alias causas ipsa esse desinit, nec eodem modo influendi conseruari vlteriùs potest. Vt clarè patet quando calor priùs conseruabatur ab agente naturali; quod adueniente potentiore frigefaciente, ideo præcisè desinit calorem conseruare, quia eum in his circumstantijs vlteriùs conseruare nequit.

148 Si verò intelligatur de influxu Dei in actu primo (qua ratione nihil est aliud quàm potentia diuina hîc & nunc ex se parata influere, & quantum est ex parte sua actu influens nisi aliunde impediatur) sic nego antecedens: nam fieri potest vt causa aliqua hac ratione in effectum conseruandum pergat influere, & tamen hic esse desinat: vt apertè patet in casu allato num.141. in quo ignis cacabo subiectus conatur quantum potest conseruare calorem in eo à se productum, atque ita in actu primo, siue quantum est ex parte sua, pergit in eum influere eumque conseruare: & ille nihilominus corrumpitur præcisè quia in eo casu non poterat conseruari eodem influxu, quo priùs. Et hoc modo hîc accipimus influxum, quando disputamus vtrùm frigus adueniente calore possit conseruari eodem influxu, quo priùs.

149 Dices, hæc quidem esse vera in causis creatis seu limitatæ virtutis, quæ à contrario agente superari possunt: secùs tamen esse in virtute agendi infinita, quæ superari nequit. Respondeo, hanc obiectionem solùm habere locum quando virtus agendi infinita infinitè se applicat ad agendum: secùs autem esse quando se finito modo applicat: tunc enim quamdiu statuit se non aliter applicare, potest ab agente finitæ virtutis superari. Sicut habens vim agendi vt mille, si totam applicet, nequit superari à vi agendi vt centum; secùs si eam solùm applicet vt quinquaginta, quo casu potest ab altero superari eodem modo, ac si solùm haberet vim vt quinquaginta. Deus autem extra casus miraculosos, limitatè suam vim agendi applicat rebus conseruandis, & præcisè quantum est necessarium vt possint conseruari quamdiu non impugnantur à contrario habente maiorem vim impugnandi, quàm ipsæ habeant resistendi. Atque adeò communiter eodem modo agit ac si haberet vim agendi ad hoc limitatam: quamuis quandoque miraculosè contrarium faciat, sed tunc agit modo supernaturali.

150 Sequitur Secundò, id quod hîc præcipuè intendimus, scilicet gratiam iustificantem (posito quòd Deo volente possit simul cũ peccato mortali consistere) non habere tantam repugnantiã, siue physicam, siue moralem cũ peccato mortali, nec tantam vim hoc expellendi, quantã habet calor respectu frigoris; quia, vt iam ostendi, ille huic ita repugnat, vt hoc eo præsẽte nequeat in eodem cõseruari sine influxu Dei supernaturali. idemq; omnino dicendum esset de peccato respectu gratiæ, si hæc æqualiter inter se repugnarẽt; & cõsequenter nulla ratione fieri posset, vt simul essent in eodem: quia Deus nequit peccatum modo supernaturali conseruare: imò hoc nullo modo à Deo immediatè cõseruari potest.

Imò vlteriùs sequeretur fore vt iustus Deo pergente in eo conseruare gratiam iustificantẽ nullo modo posset peccare mortaliter: quia Deo pergente in frigido conseruare frigus (prout influxu supernaturali id facere potest) nullum agens naturale poteritin eo producere calorem.

Quare dicendum est gratiam iustificantem 151
ex natura sua, & secluso omni diuino decreto, quo Deus annexuit ei moralem quandam vim constituendi nos filios & amicos Dei (siue hæc vis sit aliquid morale gratiæ intrinsecum, siue solùm denominatio extrinseca à volũtate diuina statuente omnes assumere in amicos & filios quibus illa inhæret) habere quidem moralem aliquam repugnantiam cum peccato mortali, non tamen talem vt nequeant naturaliter simul consistere, aut vt vno præsente alterũ nequeat esse simul in eodem, nisi supernaturaliter conseruetur. & consequenter non habent naturalem vim se mutuò expellendi, sicut frigus habet vim expellendi calorem.

Habent igitur illa ex natura sua similem re- 152
pugnantiam, atq; habent dignitas episcopalis, & scurriles mores ac grauia & publica peccata; quæ dedecet omnino esse in eodem, habentq; inter se contrarios effectus: nam illa reddit suũ subiectum dignum omni amore ac veneratione; hæc verò dignum odio & contemptu. Et simili ratione gratia iustificans efficit nos dignos amore, aptosq; qui in amicos & filios Dei assumamur, ideoq; omnino dedecet eam esse simul in eodem cum peccato mortali, quod suum subiectum efficit dignum odio, & ineptum quod assumatur in amicum aut filium Dei, nisi priùs tollatur.

Qualem repugnantiam inter se habeant gratia & peccatum.

Et ex his facile erit soluere argumentum alla- 153
tum ex Trident. suprà n.118. Nam etsi concederemus Concilium ibi docere, peccatum originale deleri per gratiam habitualem tamquam per formam sibi contrariam; tamen inde nullo modo sequeretur, gratiam habere hanc vim ex sua natura, sed sufficeret quòd eam haberet ratione virtutis illius moralis ex decreto Dei ei annexæ; iuxta dicta n.96.110. & 151. nam hac ratione posset verè dici delere peccata, sicut Sacramenta verè dicuntur effectiuè delere peccata, & conferre gratiam, etsi hanc vim habeant ex solo Dei decreto sibi annexam. Nec Concilia vllibi vel leuiter insinuant gratiam habere eiusmodi vim ex sua natura. sed Tridentinum potiùs insinuat contrarium sess. 6. c. 7. vbi initio, & in medio distinguit remissionem peccati ab infusione gratiæ, tamquam duas actiones ex natura sua distinctas, vt ostendi suprà n.108. Item can. 11. docet, nostram iustificationem nõ consistere in sola remissione peccatorũ excluſa gratiæ infusione: & gratiam qua iustificamur, non esse tantùm fauorem Dei nobis extrinsecum. Vbi apertè insinuat remissionem peccatorum esse actionem Dei ex natura sua distinctam ab infusione gratiæ; & gratiam qua iustificamur præter infusionem gratiæ continere aliquem alium Dei fauorem, scilicet remissionem peccati. aliàs malè diceret eam non esse tantùm fauorem Dei. Vnde etiam ipse Auctor, contra quem hîc disputamus, expressè docet, remissionem

Trident.

peccati

l.7 de Grat. c.4 nu.7. & c.11.n.13. & 15.

peccati esse peculiare Dei beneficium & actum distinctum ab infusione gratiæ : idque probat ex dictis locis Tridentini. Quæ non video quomodo possint esse vera, si gratia natura sua expellat peccatum, sicut calor frigus. nam calefaciens frigentem, eadem actione expellit frigus & inducit calorem : nec expulsio frigoris est distinctum beneficium ab eo, quo confert calorem.

154 His adde, in dicto loco Cõcilij *gratiam* non necessariò significare solam gratiam habitualẽ, (hoc enim ex nullo firmo fundamento probari potest) sed posse accipi pro quouis dono per merita Christi nobis in baptismo collato, qua ratione ipsa remissio peccati, prout abstrahit ab infusione gratiæ, optimè dicitur gratia Christi, vt docet S. Augustinus epist. 105. Item quod idem Auctor sumit *per* necessariò significare causam formalem, verum non est. Nam optimè dicimus peccata nobis remitti per misericordiam Dei; & Tridentinum sess. 6. cap. 3. dicit nos renasci, siue renascentiam nobis tribui per merita Christi; in quibus locutionibus patet *per* non significare causam formalem. Imò si Tridentinum priore loco vellet significare, gratiam iustificantem esse causam formalem deletionis peccati, non deberet dici peccata per eam remitti, sed deleri aut expelli : nam remissio peccati non significat causationem formæ nobis inhærentis, sed liberum actum Dei peccata nobis remittentis; vt per se patet, & ille etiam Auctor locis suprà citatis docet. Vnde etsi Concilium ibidem c.7. doceat, gratiam nobis inhærentem esse causam formalem nostræ iustificationis, nullibi tamen docet, eam esse causam formalem remissionis peccati.

Augustinus.

Trident.

Etsi peccatum possit dici expelli per gratiam iustificantẽ; minùs tamẽ commodè dicitur per eam remitti.

Adfert idem Auctor quædam alia loca Tridentini & sacræ Scripturæ, sed quæ parum vrgent, & ex iam dictis facilè explicari possunt; ideoque ne longior sim, ea omitto.

155 Notandum tamen, latiore quodam modo significandi posse dici gratiam iustificantem natura sua expellere peccatum habituale, quatenus scilicet ex natura sua quodammodo exigit, vt Deus remittat peccatum ei, cui ipsa infunditur : tum quia est contra dignitatem tanti doni esse in homine peccatis infecto : tum quia per peccatum omnino impediuntur eius effectus, qui eam naturaliter consequuntur, quales sunt reddere nos dignos amore Dei, & aptos qui in filios & amicos Dei adoptemur. atq; ita mouet quodammodo Deum vt ipsam nunquam relinquat simul cum peccato in eodem, sed hoc remittat omni illi, cui illam infundit; & sic mediãte volũtate, siue liberali condonatione Dei hoc expellit, tamquã forma ei moraliter repugnans. Sicut si quis promotus ad episcopatum, & aduertens quantum huic dignitati priores sui mali mores repugnent, hos illius intuitu cortigeret; dignitas episcopalis bene diceretur hos ab eo expulisse.

Qua ratione possit gratia iustificans dici natura sua expellere peccatũ.

Et fortè dictus Auctor nihil aliud voluit : nã omnem repugnantiam gratiæ & peccati ferè refert in ea, in quibus iam dixi ipsa inter se contrariari. & vt consequenter loquatur nihil aliud potuit velle, vt patet ex dictis n.153. sub finem.

Quamuis etiã si hoc solùm voluit, male videatur comparasse repugnantiam gratiæ & peccati cum repugnantia caloris & frigoris, maleque dixisse illa simili modo se expellere moraliter, sicut hæc se expellunt physicè : vt patet ex dictis.

In tertio dicto reperio difficultatem Primò in notabili secundo, vbi dicitur hominem hoc ipso quo rationalis est esse capacem beatitudinis naturalis, & ad hanc habere ius. Nam vel dicitur illius capax actiuè, ita vt eã naturæ viribus possit assequi. Et hoc dici nequit Primò, quia homo solis naturæ viribus, sine Dei reuelatione valdè exiguam, obscuram & imperfectam de Deo cognitionem potest acquirere, præsertim si rudior sit. Secundò, quia, etsi cum auxilio Dei statui naturæ aliquo modo connaturali posset homo absolutè vitare omnia grauiora peccata, iuxta dicta disp.4. dub.7.n.127. & 128. tamen sine speciali ac omnino supernaturali Dei auxilio id non posset sine graui difficultate ac magno labore assequi; nec posset cauere quin sæpè incideret in multa peccata venialia. Tertiò, quia homo naturaliter est subiectus multis morbis, alijsque corporis miserijs ac ipsi morti, quæ naturæ viribus nullo modo vitare potest. Quæ omnia apertè repugnant beatitudini, quæ omnem præsertim grauem excludit miseriam, & requirit operationem perfectam, facilem & delectabilem.

156 Homo non est naturaliter capax beatitudinis etiam eius quæ hic haberi possit.

Quòd si solùm dicatur passiuè capax beatitudinis, quatenus potest à Deo ad eam eleuari, hoc nihil facit ad rem, quia sic etiam est capax beatitudinis supernaturalis.

157 Ex quibus sequitur Primò nullam veram beatitudinem posse homini esse naturalem, quia nullam potest solis naturæ viribus consequi. vt satis etiam insinuat D. Thomas 1.2. tota q.2. vbi ostendit in nullis rebus, quas in hac vita possimus consequi, beatitudinem posse consistere.

Nulla vera beatitudo est homini naturalis. *D. Thomas.*

158 Sequitur Secũdò, nos naturaliter non posse habere ius ad vllam veram beatitudinem, quia nec possumus habere ius strictè sumptũ, quia sic Deus teneretur eã nobis dare; sicut ratione suæ promissionis iam tenetur eam dare moriẽtibus in gratia : nec etiam ius latè sumptũ, qua ratione possumus aliquo modo dici habere ius ad concursum Dei naturalem, aliaque nobis connaturalia; quia, vt iam ostendi, nulla vera beatitudo potest nobis esse propriè naturalis, ita vt solis naturæ viribus sine alio Dei beneficio possimus eam consequi.

Ad nullam veram beatitudinem habemus naturaliter ius.

159 Sequitur Tertiò, nos naturaliter multò minùs habere ad beatitudinem tale ius quod sufficiat vt constituat nos filios Dei : quia illud solũ ius ad hereditatem constituit filiũ, cuius virtute potest quis cõsequi hereditatem sine vllo nouo beneficio; vt patet in filijs tã naturalibus quàm adoptiuis. Hinc etsi summa sit gratia quòd Deus nos adopret in filios, tamẽ posito quòd in statu filij moriamur, beatitudo nobis confertur, non vt noua gratia, sed vt merces nobis debita.

Quale ius ad hereditatem competat filio.

Nec refert quòd Deus in gratia morientes tamquam summus omniũ dominus possit sine vlla eorum iniuria priuare beatitudine; quia simili modo potest iustos sine eorũ culpa priuare

iure quod habent ad gloriam; quòd tamen hoc non faciat, non est nouum beneficium, sed solùm non ablatio prioris beneficij.

160 Secundò, habeo difficultatem in 3. notabili, quia in eo supponitur naturam distingui à suis potentijs, & cum his influere in actus ab his elicitos; & gratiã iustificantem respectu virtutum infusarum ac ipsius luminis gloriæ se habere instar naturæ respectu potentiarum. quæ in superioribus satis refutaui, atq; ita corruunt quæ super illa ædificantur, siue ex ijs inferuntur. Adde, hæc etiam, si propriè sumantur, apertè repugnare alteri ipsius Auctoris doctrinæ, vt infrà ostendam.

161 Ad primum argumentum pro ea sententia allatum n. 120. nego minorem. Nam illa gratia considerata præcisè secundùm suam naturã, & secluso omni Dei decreto suo subiecto nullum confert verum ius ad gloriam, quale requiritur vt quis sit propriè filius Dei. patet ex dictis, & magis ex dicendis patebit.

Ad secundum, Respondeo, ex eo antecedente vt summũ probari, gratiam iustificantem nos constituere filios Dei ratione virtutis moralis ei diuino decreto annexæ, iuxta dicta n. 96. & 151. Idemque dicendum de tertio argumento: nam eo solùm probatur nos per gratiam Dei, aut per caritatem nobis infusam fieri filios Dei, quòd autem hæc hanc vim habeat ex sua natura, & non ex libera Dei voluntate, ibi ne vel leuiter insinuatur.

Potest tamen dici gratiam iustificantem nos natura sua remotè constituere amicos & filios Dei, quatenus nos reddit proximè aptos & aliquo modo dignos, qui in amicos & filios Dei adoptemur. Et fortè Auctor ille nihil aliud voluit: nam l. 7. de Gratia c. 4. ex professo docet, Deum posse alicui infundere gratiam iustificantem, & tamen eum non adoptare in amicum & filiũ; & ad hoc præter gratiæ ipsius infusionem requiri actualem Dei adoptationem, quę sit beneficium distinctum ab infusione gratiæ. Agitque apertè etiam de eo, qui nullum in se habet peccatum, quo ille effectus gratiæ possit impediri. Quæ quomodo sint vera non video, si gratia iustificans ex natura sua nos constituat verè amicos & filios Dei, nobisque verum ius ad hereditatem tribuat. 161 Gratia iustificans natura sua cõstituit nos remotè filios Dei.

DISPVTATIO XXII.

De subiecto, incremento, diminutione ac amissione caritatis.

DVBIVM I.

Vtrùm caritas sit in voluntate?

1 HOc dubium nec difficultatem, nec sententiarum diuersitatem habet: communiter enim omnes cum D. Thoma 2 2. q. 24. a. 1. docent, caritatem esse in voluntate vt in subiecto. & ratio clara est: nam cùm sit habitualis amor, nequit esse in potentia cognoscitiua, sed necessariò debet esse in potentia appetitiua, cuius solius est amare. Item cùm versetur circa obiectum omnino spirituale, scilicet circa ipsam Dei bonitatem qua in se bonus est, quæ nullo sensu percipi potest, sed solo intellectu, nequit esse in appetitu sensitiuo, qui solùm versatur circa bona sensu perceptibilia. Quare restat vt sit in voluntate, quæ versatur circa bona quæ intellectu percipiuntur, eique proponuntur. *D. Thom.*

2 Quare hoc solùm hîc est Notandum, quòd, sicut cùm circa res etiam spirituales soloque intellectu perceptibiles versamur, siue per fidem, siue per cognitionem naturalem, semper rem intellectam simul modo aliquo corporeo imaginamur: ita etiam ipsi actui voluntatis, quo hæc in obiecta intellecta fertur, semper coniunctus est aliquis actus appetitus sensitiui ei correspondens eodem modo, quo imaginatio respondet intellectioni, quo appetitus fertur in obiecta etiam spiritualia per modum rei corporeæ sibi repræsentata. Vnde etiam contingit ex frequentatione actuum caritatis nasci in appetitu sensitiuo aliquam inclinationem ad appetenda eadem obiecta repræsentata per modum boni sensibilis: quæ respondet ipsi habitui caritatis, ipsumque in suis actibus facilitat, & homini sensibilem delectationem tribuit: atque ita diligentium Deum non modò cor siue voluntas, sed etiam caro exultat in Deum viuum: vt dicitur psalm. 83. Vide dicta disp. 7. dub. 1. num. 10. & 11. Quæcunque intelligimus etiam modo corporeo imaginamur. Actui voluntatis semper correspõdet aliquis actus in appetitu sensitiuo. Ex actibus voluntatis nascitur in appetitu quædam inclinatio.

DVBIVM II.

Vtrùm caritas in omnibus iustis sit æqualis, in ijsq; augeri possit?

3 TRactatur hoc dubium à D. Thoma eiusq; interpretibus tã 2. 2. q. 24. a. 4. quàm 1. 2. q. 112. a. 4. vbi disputant an gratia iustificans sit æqualis in omnibus: est enim eadem vtriusque ratio. nam aut caritas non distinguitur à gratia iustificante, vt dixi disp. 21. dub. 7. aut saltem vtraque qualitas est in eodem pro eodem tempore semper æquè intensa; vt omnes fatentur. Quare eadem omnino quo ad rem præsentem est quæstio, vtrùm gratia iustificans, aut iustitia habitualis, aut sanctitas, aut caritas possit in diuersis esse inæqualis, aut etiam in eodem crescere. *D. Thom.*

4 Fuit igitur olim error Iouiniani, sicut omnia peccata, ita omnia opera bona esse æqualis malitiæ aut bonitatis, omnesq; iustos æqualiter iustos esse. vt refertur D. Hieron. l. 2. contra eum conscripto. Hanc quoad iustitiam habitualem sequuntur nostri hæretici, tam Lutherani quàm Caluinistæ; qui negant omnem iustitiam nobis intrin- Error Iouiniani. *Hieron.* Error Luth. & Caluinist.

intrinsecam, voluntque nos solùm esse iustos extrinseca iustitia Christi siue Dei nobis imputata, ac per fidem apprehensa. Aliqui quidem ex ijs videntur concedere alios alijs habere maiorem actualem iustitiam, fidem, spem & caritatem; negant tamen hominem per hos actus vllo modo iustificari; cùm sentiant omnes eiusmodi actus quantumuis ex obiecto bonos esse peccata: atque ita consequenter aiunt nos per illos nec formaliter, nec per modum meriti iustificari posse, habitus autem infusos penitus negant. Eandem sententiam aliqua ex parte necessariò renet Magister in 1.d.17.de caritate habituali. nam docet hanc nihil esse aliud quàm Spiritum sanctum, vnde vult hanc in nobis non aliter crescere quàm ratione actuum; cuius fundamentum suprà refutaui.

Magister.

5 CONCLVSIO I. Est de fide inter homines iustos alium alio iustiorem esse siue sanctiorem, & iustitiam siue gratiam iustificantem posse in nobis hîc crescere. Ita communiter Catholici contra hæreticos. Et docet Trident. sess. 6. can. 24. & 32. vbi definit iustitiam siue gratiam iustificantem per bona opera in iustis augeri. Et patet apertè ex Scripturis: nam Apoc. vlt. dicitur, *Qui iustus est iustificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc.* & 2. ad Corinth. 9. Apostolus promittit dantibus eleëmosynam: *Et augebit* (scilicet Deus) *incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Item Ecclesiastici 18. dicitur: *Non impediaris orare semper, & ne verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Ac si dicat, Nulla difficultas aut tædium te deterreat à continuo exercitio bonorum operum, quo vsque ad mortem continuò in iustitia crescas, quia æterna merces promissa bene operantibus est ingens, & superabundans omnis operæ ac laboris pretium. Ex quo patet hanc lectionem esse meliorem Græca, quæ habet, *Ne expectes vsque ad mortem iustificari*: quæ nisi explicetur secundùm lectionem Latinam, non satis quadrat cum illa ratione subiuncta: *Quoniam merces*, &c. Possent hæc pluribus cõfirmari nisi res esset nimis clara, & fundamenta aduersariorum nullius momenti, & suprà satis à nobis refutata in materia de merito, vbi satis ostendi nostra bona opera non esse peccata, & nos per ea verè mereri aliquod præmium apud Deum. Qui plura cupit videat Bellarm. l.3. de Iustific. c.16. & Vegam l 1. in Trident. c.2. & sequent.

Trident. *Apoc.vlt.* *2.Cor.9.* *Eccli.18.* *Bellarm.* *Vega.*

6 Vnicum tamen videtur hîc argumentum alicuius momenti posse obijci. Quia nimirũ Matth. 20. dicitur paterfamilias, qui varios operarios in suam vineam diuersis temporibus miserat, vesperi omnibus dedisse eandem mercedẽ, sc. denarium diurnum: ergo similiter Deus in die iudicij omnibus dabit æqualem gloriam, & consequenter hîc omnes sunt æquè sancti.

Matth.20.

Etsi omnes semper Orthodoxi negarint cõsequentiam huius argumenti, eò quòd apertè repugnet sanæ doctrinæ atq; ipsi Scripturæ, cũ alijs locis, tum clarissimè 2. ad Cor. 9. vbi dicitur: *Qui parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* vbi clarè ostenditur eum maius in altera vita accepturum præmium, qui hîc magis pro Deo laborauit. & epistolæ 1. c. 15. dicitur, quòd, sicut alia est claritas solis, alia stellarum, & sicut vna stella est alia clarior, ita etiã erit in resurrectione mortuorum, in qua nimirum vnus alium claritate & magnitudine gloriæ superabit.

2.Cor.9. *1.Cor.15.*

Vt autem ostendant illud consequens non sequi ex antecedente, tam antiqui, quàm recentiores variè ad illud respondent, quorum sententias refert Vasq. 1.p. disp. 47. c. 3. & deinde c. 4. probabiliorem illius Christi parabolæ explicationem ex Iansenio profert: scilicet Christum ibi solùm velle significare se suo arbitrio suas gratias distribuere, quibus fit vt in nouissimo die ij qui putabantur futuri primi, fiant nouissimi, & contrà; eò quòd ij, qui hominibus videbantur plus laborasse pro Deo, verè pro eo non laborauerint, sed sibi siue pro se, omnia in suum commodum, & temporalem suam laudem referendo: & contrà ibi apparebit aliquos plus laborasse, qui hîc minùs pro Deo laborasse credebantur. Patet autem in hoc nullam fieri alicui iniuriam, cùm Deus sua dona prout voluerit distribuat.

7 *Vasquez.*

Pro quo benè Notat Primò, vt parabolas explicemus, primò omnium spectandum esse scopum ad quem adferuntur, & deinde ex parabolis ea esse assumenda & applicanda, quæ scopo deseruiunt, & eo modo quo deseruiunt: reliqua verò tamquam emblemata & solius ornatus causa ac vt parabola esset accommodatior rebus quæ communiter accidere possunt, adiecta in applicatione esse omittenda.

8 In parabolis explicandis primò spectandus earũ scopus. In ijs non omnia applicanda.

Notat Secundò, finem, quẽ Christus in hac parabola intendit, esse probare multos, qui videbantur futuri primi in regno cælorũ, futuros nouissimos, & contrà, idque sine vlla iniustitia. vnde quod in parabola dicitur omnes operarios accepisse eundem denarium, ait non significare omnes in cælo accepturos idem præmium, sed solùm adferri vt probetur, quòd, sicut ille paterfamilias sine vlla iniustitia inæqualiter operãtibus dedit æquale præmiũ, ita sine vlla iniustitia futurum, vt nouissimi sint primi in regno cælorum, & contrà, quantũuis hoc in oculis nostris videatur mirabile & dignum murmuratione. Hunc autem solùm esse finem illius parabolæ probat Primò, quia c. 19. v. vlt. immediatè ante hanc parabolam Christus ait: *Multi autem erunt primi nouissimi; & nouissimi primi.* Deinde in fine dictæ parabolæ subiungit, *Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi.*

9 *Matth.19.*

Notat Tertiò, per eos, qui in regno cælorum dicuntur futuri nouissimi, non significari eos qui ibi minima præmia accepturi sunt, sed eos qui à regno excludendi sunt. quia statim post dicta verba Christus subiungit: *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Dicuntur igitur nouissimi, qui nouissimè siue clausa iam ianua veniunt & petunt sibi aperiri; vt de virginibus fatuis dicitur Matth. 25. v. 11. Patet hoc ex Lucæ 13. vbi Christus primò hortatur nos vt contendamus intrare cælum per angustam portam, quia postquam paterfamilias clauserit ianuam, omnes postea venientes excludentur. Deinde subdit multos ab Oriente & Occidente venturos, qui recumbent in regno cælorum cum Patriarchis

10 Qui dicantur in regno cælorum futuri nouissimi. *Matt.25.* *Luc.13.*

& Prophetis ; & interim filios regni siue Iudæos, qui primi videbantur admittendi, excludendos foris. & tandem concludit: *Et ecce sunt nouissimi, qui erant primi; & sunt primi, qui erant nouissimi.* vbi Christus apertè ostendit se per primos intelligere omnes saluandos, per nouissimos damnandos.

11 Et hæc quidem explicatio multa acutè & ad verum Scripturæ sensum explicat; sed non videtur tamen omnino satisfacere. Primò, quia non explicat quinam dicantur vocati summo manè, & qui hora vndecima. nam dicere per illos significari omnes reprobos, per hos omnes electos, videtur omnino absurdum esse; cùm de multis electis nequeat dari ratio cur debeât dici fuisse vocati hora vndecima, præsertim de ijs qui in veteri testamento à prima ætate Deo seruierunt, vt Iacob, Ioseph, Samuel, & similes. Deinde cùm ipsa parabola videatur facere vim in eo, quòd omnes illi operarij eundem denarium acceperint; videtur nonnihil durum dicere hoc nihil facere ad rem, sed tantùm emblematis causa allatum esse : & tamen ex illa sententia hoc videtur sequi ; nam non explicat quomodo hoc scopo conueniat.

12 Quid Christus in ea parabola intēderit. Notandum igitur Quartò, Christum eo loco non intendere facere comparationem inter singulos particulares homines siue electos, siue non electos ; aut etiam generatim inter omnes electos ac non electos, quasi per eos, quos hîc dicit in die iudicii futuros primos, intelligeret omnes saluandos; & per eos, quos dicit futuros nouissimos, intelligeret omnes damnandos. nam sic omnes damnandi deberent fuisse primi siue summo manè vocati, & tulisse pondus & æstum diei, & contrà electi deberent omnes fuisse serò vocati. Quod nullo commodo sensu dici potest; nam nec omnes electi vocati sunt in fine mundi, cùm Abel, Abraham, & similes sint inter electos: nec etiam omnes reprobi vocati sunt initio mundi, vt sic per manè & serò possit initium & finis mundi intelligi. Similiter per manè & serò non potest intelligi initium & finis vitæ, quasi omnes reprobi sint in iuuentute vocati à Deo, & electi in senectute. quia, etsi aliquibus electis ac reprobis hoc possit conuenire; tamen hi pauci sunt respectu aliorum : nam inter reprobos longè maxima pars à iuuentute nequam fuit, nec vnquam etiam quoad externam speciem ita Deo seruiuit, vt possit videri inter primos operarios in vinea Christi laborasse; ijque, quibus contrarium accidit, respectu aliorum ita sunt pauci, vt vix numero videantur digni. Et contrà plurimi electi magnâ vitæ partem ita etiam exteriùs Deo seruierunt, vt pateret eos à Deo vocatos in vinea Domini laborare. Quare non potest hac ratione ita absolutè dici primos siue primò vocatos, eosque qui siue verè siue quoad apparentiam in vinea Domini laborando tulerunt pondus diei & æstus, futuros nouissimos, & contrà; cùm contrarium communiter accidat.

13 *Luc.* 13. *Matth.* 8. Confirmatur, quia qui Lucæ 13. dicuntur expelli foras, & ex primis fieri nouissimi, Matth. 8. v. 12. vocantur filij regni: nulla autem apparet ratio cur reprobi præsertim ita generatim præ electis dicantur filij regni, si fiat comparatio inter particulares homines; aut generatim inter electos & reprobos.

Iudæi nec Gentibus primi vocati & filij regni dicuntur. Quare credo hîc solùm fieri comparationem inter Iudæos & Gentes, quorum illi optimè præ his generatim dicuntur filij regni; tum quia ipsi erant populus peculiaris Dei, & singulariter ijs erat facta promissio Messiæ ac regni Dei; tum etiam ob causas quas commemorat Apostolus ad Romanos 3. Item optimè ij dicuntur ex primis facti nouissimi, & contrà Gentiles ex nouissimis primi, & tota parabola hac ratione optimè explicatur, vt infrà ostendam. *Rom.* 3.

Nota Quintò, quòd, sicut, quia Ecclesia hîc in terris est congregatio hominũ tendentium ad regnum cælorum, & aliquod eius initium, ideò sæpè in Scripturis dicitur regnum cælorũ; Gratia vocationis ad fidem & fides dicuntur regnum Dei. ita etiam vocatio ad fidem, gratia Dei, atque ipsa fides sæpè dicuntur vita æterna, quia sunt via ad vitam æternam. atque ita ipsum medium quo acquirimus præmium, vocatur nomine præmij. Iohannis 17. v. 3. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* vbi fides in Deum & Christum dicitur vita æterna. Item ad Rom. 6. v. 23. *Gratia autem Dei vita æterna*, &c. 14 *Iohan.* 17. *Rom.* 6.

15 Respondeo igitur, per eos, qui summo manè, hora tertia & nona in vinea Domini conducti laborarunt, intelligi Iudæos, aliumque omnem fidelem populum qui ab initio mundi partim ante legem, partim post, vsque ad Christum ad veram Ecclesiam pertinuit. Per eos autem qui vndecima hora cœperunt laborare, intelligi Gentiles, qui vsque ad Christi mortem infideles, atq; ita tota propè die otiosi permanserunt; deinde vltima mundi ætate fideles facti laborare cœperunt.

Rursum per denarium diurnum credo intelligi partim ipsam æternam beatitudinem Sãctis omnibus in fine sæculi reddẽdam; partim etiam ipsam Christi redemptionem, quæ ab initio omnibus fidelibus promissa fuit, & in hac vltima mundi ætate quasi in fine diei exhibita; ideoq; tum ob hanc, tum quia est medium necessarium ad consequendum præmium laborantibus promissum, & huius radix, comparatur denario diurno in præmium laboris promisso.

16 Qua ratione idem omnibus denarius detur. Item hic denarius, quatenus significat æternam beatitudinem, dicitur dari iam peractis totius diei laboribus : item vnus idemq; denarius dicitur omnibus primùm promitti, deinde etiam offerri; quia eadem Christi redemptio fuit omnibus fidelibus æqualiter promissa, & ex parte Christi pro omnibus oblata.

17 Qua ratione vltimi sunt primi. Demum vltimò vocati ad laborem primi recipiunt præmium, quia tempore legis nouæ reiectis Iudæis qui priùs in vinea Dei laborarant, Gentiles eousque otiosi, primi constituunt Ecclesiam. nam etsi primi omnium fuerint aliqui Iudæi conuersi, tamen hi fuerunt pauci præ multitudine Gentium, quæ statim fidem amplexa est; & ideò Ecclesia tam quam ex sui præcipua parte non ex Iudæis, sed ex Gentibus dicitur constituta, atque adeò primi illi Iudæi cõuersi ad fidem non amplius spectant ad Synagogam

gogam siue populum Iudæorum, sed ad Ecclesiam Gentium. vnde etiam accidit Iudæos id videntes fuisse scandalizatos & murmurasse cõtra vocationem Gentium, adeò vt maxima ex parte ac ferè omnes hac re offensi fidem Christi reiecerint ac oppugnarint. vt patet Act.11. initio, & c.13.v.44.& 46.c.14.v.2. totaque epistola ad Rom. quam Apostolus præcipuè scripsit, vt hoc scandalum tolleret, vt patet ex toto contextu, & præsertim ex cap.3.4.& 9. & hac ratione tota parabola commodissimè explicatur.

Act.11. & 13.14.

18 CONCLVSIO II. Caritas potest in vno esse maior quàm in alio, & in eodem augeri. Est communis Catholicorum & certa: & sequitur ex concl.1. vbi ostendi, sanctitatem siue gratiã iustificantem in nobis augeri: caritas autem aut non est distincta à gratia iustificante, aut in eodem est semper cum hac æqualiter intensa. Deinde patet ex Scripturis, quæ docent caritatem in vno esse maiorem quàm in alijs, ac in nobis perfici. Iohannis 15. *Maiorem caritatem nemo habet*, &c. 1.Iohannis 4. *Perfecta caritas foras mittit timorem*, &c. Hinc D.Augustinus tract.5.in Iohannem sub finem, *Caritas*, inquit, *meretur augeri, vt aucta mereatur perfici.* Idem docent alij Patres.

Iohan.15. 1.Ioan.4. August.

DVBIVM III.

Qua ratione caritas in nobis augeatur?

19 SVprà disp.7.dub.2.& disput.8.dub.9.& 10. ostẽdi Primò, nostros actus quantũuis supernaturales non producere physicè habitum vllũ supernaturalem, sed solùm meritoriè, aut per modum dispositionis moralis ad eorum productionem concurrere. Secundò, nos mereri augmentum gratiæ, & consequenter caritatis per quoslibet actus bonos supernaturales in gratia factos, etiamsi habitu sint remissiores: illudque augmentum statim recipere. Tertiò, qua ratione gratia siue caritas augeatur primo instanti ac reliquis sequentibus, quibus actus meritorius elicitur. Item tom.1.de Sacram.q.62.a.1.ostendi omnibus cum legitima dispositione Sacramenta suscipientibus conferri augmentum gratiæ iustificantis, & consequenter etiam caritatis, quod etiam communiter à Catholicis admittitur. Iam restant nobis aliqua alia dubia explicanda: & primùm hoc dubio explicanda nobis est illa difficultas, quam tractat D.Thom. 2.2.q.24.ar.5. vtrùm caritas augeatur per additionem gradus ad gradum; quæ quæstio est quidem philosophica, & communis, non modò augmento omnium habituum, sed etiam omnium qualitatum: de his enim omnibus est difficultas an intendantur per additionem gradus ad gradum, an verò alia ratione: est tamen hîc nobis explicanda. Primò, quia D.Thomas de ea disputat loco suprà citato, ita tamen vt de eius sensu ferè omnes dubitent. Secundò, quia illius explicatio est necessaria vt possimus soluere difficultatem Theologicam proponendam dub.4.vt ibi patebit.

D.Thom.

20 Prima igitur sententia, quæ est ferè communis Thomistarum, docet qualitatem non intendi per additionem noui gradus siue entitatis; sed per eiusdem formæ ab initio productæ maiorem radicationem siue inhæsionem in subiecto, siue per hoc quòd subiectum ei magis subijciatur; aut, vt alij dicunt, per hoc quòd ipsa magis educatur è potentia subiecti. Fatentur quidem huius sententiæ Auctores formam quæ intenditur secundùm suum esse perfici, volunt tamen hoc fieri sine vlla additione noui gradus: quomodo autem id fieri possit variè se explicant; quorum explicationes breuitatis causa, & quia ferè magis verbis quàm re constant, hîc referre omitto: nam ex dicendis res satis declarabitur. qui eas videre cupit, legat Vasquez 1.2.disp.82.cap.2.vbi eas refert ac refutat.

Vasquez.

21 Probant autem suam sententiam Primò, quia accidentis esse est inesse: ergo illud in se intendi siue perfici nihil est aliud, quàm ipsum perfectiùs subiecto inesse. Secundò, quia vel gradus qui additur est eiusdem speciei cum eo qui præcedit, vel diuersæ. prius dici nequit, quia duo accidentia eiusdem speciei nequeunt esse in eodem subiecto. nec etiam secundum dici potest, quia sic qualitas intensa deberet constare ex duabus qualitatibus diuersæ speciei; quod absurdum est: ergo dicendum est intensionem non fieri per eiusmodi graduum additionem. Tertiò, quia essentiæ sunt sicut numeri, quibus nihil addi vel demi potest, nisi varietur species: ergo si essentię qualitatis, dum intenditur, aliquid adderetur, mutaretur ipsius species. Quartò, quia Aristoteles 4.Physicorum c.9.textu 84. ait ex calido fieri magis calidum, nullo facto in materia calido, quod non esset calidum: ergo illud fit sine additione alicuius gradus caloris. Quintò, quia motus localis intenditur & fit celerior sine additione alicuius nouæ entitatis sola variatione alicuius modi: ergo idem potest dici de quauis qualitate.

Aristotel.

22 Sed si hæc sententia intelligatur prout verba sonant, ita scilicet vt velit qualitati secũdùm se spectatæ, & prout distinguitur ab ipsa inhærentia in subiecto, dum intenditur, nihil reale accedere, sed secundùm se manentem inuariatam solùm incipere perfectiùs inhærere subiecto, videtur mihi apertæ rationi repugnare. Nam cùm omnis qualitas naturaliter totaliter, & quantum potest subiecto suo inhæreat; fieri nequit vt aliqua incipiat perfectiùs inhærere, nisi secundùm se, & prout distinguitur ab ipsa inhærentia, fiat perfectior; quod fieri nequit nisi ei sic præcisè aliqua perfectio accedat.

Qualitas debet in se perfici vt perfectiùs inhæreat.

Secundò, quia si Deus calorem intensum & remissum poneret extra omne subiectum, ille esset in se perfectior & intensior, quàm hic; cùm tamen in neutro esset maior radicatio in subiecto: ergo illa maior intensio non consistit in maiore radicatione in subiecto.

Secunda pars antecedentis, scilicet quòd tũcin neutro esset maior radicatio in subiecto, per se patet. quia in neutro esset vlla radicatio siue inhærentia in subiecto. Prior pars probatur, quia eo casu illa accidentia vel aliquam haberent intensionem (& tunc nulla est causa cur non possent habere eandem, quam habuerunt

Accidens eadem intẽsionem habet extra subiectum, & in subiecto.

in subiecto: nec enim vlla est ratio cur in eo statu potiùs possint habere paruam intensionē, quàm magnam) vel nullam intensionem haberent; & hoc dici nequit, quia sicut accidens esse nequit sine vlla perfectione, ita etiam nequit esse sine vlla intensione, quia eius perfectio cōsistit in intensione. Imò hinc clarè sequitur, intensionem accidentis nullo modo consistere in illa inhæsione in subiecto; quia aliàs sicut in accidente existēte extra subiectum nulla est inhæsio, ita nulla in eo esset intensio. quod nullo modo dici potest: nam omne accidens, sicut necessariò habet aliquam perfectionem, ita etiam necessariò habet aliquam intensionem.

23 Tertiò, quia illa sententia nititur fundamento aut apertè falso, aut nihil omnino ad rem præsentem faciente. nam illud axioma, *Accidentis esse est inesse*; vel ita intelligitur quasi accidens secundùm se nihil sit aliud quàm sua inhærentia, & ab hac omnino indistinctum ac inseparabile (prout intelligendum est vt faciat ad rem) & sic apertè est falsum: nam fide constat accidens posse existere extra subiectum, & consequenter separatum ab omni inhærentia. Vel ita intelligitur vt solùm velit accidens non posse naturaliter existere nisi inhærendo alicui subiecto; & sic nihil facit ad rem: nam cum hoc optimè cōsistit, ipsius essentiam siue ipsum accidens secundùm se esse distinctum à sua inhærentia, & aliud omnino esse ipsum secūdùm se perfici, aliud verò ipsius inhærentiam perfici; sicut aliud est ipsum secundùm se fieri, aliud verò ipsius inhærentiam fieri: & hæc optimè possunt inter se separari, vt si Deus creet accidens extra omne subiectum, ac id sensim intendat; quo casu nec fiet, nec perficietur aliquod ipsius inesse; & tamen ipsum secundùm se & fiet & perficietur, siue intendetur.

Qua ratione sit verum accidentis esse, est inesse.

Accidens potest fieri & intendi, etsi eius inhærentia nec fiat, nec intendatur.

24 Ex quibus apertè sequitur, quòd, sicut accidentis esse siue essentia, verè distinguitur & separari potest à sua inhærentia: ita, præsertim formaliter loquendo, aliud omnino sit accidens secundùm se perfici siue intendi, aliud verò ipsius inhærentiam perfici. Et quamquam naturaliter illud numquam possit perfici, quin hæc etiam perficiatur: tamen hæc formaliter distincta sunt, & separari possunt, vt pater in accidente existente extra subiectum: & consequēter formaliter loquendo accidens non perficitur per hoc præcisè quòd eius inhærentia perficiatur, siue per maiorem radicationem in subiecto. Et credo D. Thom. nihil aliud velle, quàm hæc naturaliter non posse separari, siue accidēs non posse intendi per additionem alicuius entitatis, quæ ex potentia subiecti non educatur: nam, vt iam ostendi, eius præcipuum fundamentum nihil aliud probat.

D. Thom.

25 Ex his patet solutio primi argumenti allati n. 21. Ad secundum, Respondeo gradum additum esse eiusdem speciei cum præcedente; componere tamen cum eo idem numero accidens; & sic non sequi, duo accidentia eiusdem speciei esse in eodem subiecto.

Gradus gradui additus non constituit nouum accidens.

Ad tertium, Respondeo illud axioma intelligendum esse de additione alicuius prædicati essentialis, quæ fieri nequit sine variatione essentiæ: non autem de additione perfectionis non essentialis.

Ad quartum, Respondeo Aristotelem ibi solùm dicere, dum calor intenditur, nullam subiecti partem fieri calidam, quæ antè non erat calida; sed eandem partem fieri magis calidam, quod libenter fatemur.

Ad quintum, Respōdeo, si motus accipiatur pro ipso impetu qui moto imprimitur, nego antecedens; hic enim intenditur, sicut aliæ qualitates per additionem alicuius entitatis realis. si autem accipiatur præcisè pro continua acquisitione noui loci, quæillum impetum consequitur, sic nego consequentiam; quia aut motus sic acceptus nihil omnino est reale distinctum etiam formaliter ab ipso impetu ad quem consequitur; aut vt summum, est aliquis modus in ipso moto, qui propriè in se non intenditur, per intensionem ipsius motus, sed solùm alius atque alius breuiore tempore acquiritur. quare non est mirum si non perficiatur, siue intendatur per additionem alicuius distinctæ entitatis: secùs est de qualitate, quæ est ens reale realiter ab alijs distinctum, & dum intenditur in se perficitur.

Quomodo intendatur motus.

26 Secunda sententia est Durandi in 1. dist. 17. q. 7. vbi contendit qualitatem intendi per noui gradus acquisitionem, qui priore sit perfectior; ita tamen vt hoc accedente prior perdatur, sicut corpus quod mouetur acquisito vno Vbi, perdit aliud: atque ita docet, qualitatem, dum intenditur, manere vnam non secundùm suarum partium permanentiam, sed secundùm continuationem, sicut motus manet vnus.

Durand.

Probat Primò, quia in omni motu terminus à quo perditur accedente termino ad quem: sed intensio qualitatis est quidam motus, & gradus remissior est terminus à quo, & gradus intensior est terminus ad quem: ergo hoc aduenient ille perditur.

Secundò, quia, si vterque gradus maneret simul, sequeretur, duas formas eiusdem speciei posse manere simul in eodem subiecto.

Tertiò, quia in omni mutatione formæ variantur, & solùm subiectum manet idem: atqui intensio est quædam mutatio: ergo in ea solùm subiectum manet idem.

Quartò, quia vel agens intendens formam producit aliquid diuersum à priore, & sic non manebit eadem forma, quæ erat priùs: vel non producit aliquid diuersum, & sic nulla fiet variatio, & consequenter nec fiet intensio.

Quintò, quia motus incompossibiles habent terminos incompossibiles: atqui intensio & remissio sunt motus incompossibiles: ergo eorum termini, scilicet qualitas intensa & remissa, sunt incompossibiles, & nequeunt simul esse in eodem subiecto.

27 Hanc sententiam fusè refutant Vasquez 1. 2. disp. 82. c. 4. & Suarez in Metaphys. tom. 2. disp. 46. sect. 2. Vnicum argumentum contra eam hic adferam, quod meo iudicio apertè conuincit eam esse falsam; nam ex ea sequeretur, nullam qualitatem per agens contrarium posse successiuè remitti: nam secundùm eam sicut intensio fit per acquisitionem gradus perfectioris, & amis-

Vasquez. *Suarez.*

amissionem gradus præcedentis; ita remissio deberet fieri per perditionem gradus perfectioris, & acquisitionem imperfectioris; quod in casu dicto fieri nullo modo posset; quia nullum esset agens, quod gradũ remissiorẽ produceret. v.c. ponatur aqua calida vt quinq; in loco frigido, illa secundùm Durandum nõ habet in se primum, secundum, tertium aut quartum gradum caloris, sed præcisè quintum. dum hic igitur per remissionem perit, peto quod agens ibi producat quartum gradum, & hoc pereunte tertium: certè cum hoc nequeat fieri nisi ab aliquo vicino calido, quod hîc nullum est, nullo modo fieri poterit, & consequenter ea aqua non successiuè, sed in instanti debebit omnem calorem perdere: quod apertè repugnat experientiæ.

28 Dices, cum gradum produci aut à Deo, ne omnis calor in instanti pereat, aut à quinto gradu caloris iam pereunte.

Sed neutrum probabiliter dici potest: nam prius sine vllo fundamento fingitur, nec enim vllum esset incommodum calorem in aqua in momento perire, sicut lux in aëre absente luminoso subitò perit, atque ita aquam in instanti fieri frigidam: nam frigus posset in instanti produci nisi obsisteret contrarius calor, nec est vlla ratio cur Deus hoc debeat impedire producto calore minùs intenso, qui succedat gradui pereunti. Secundum etiam dici nequit, quia vel quintus gradus producit quartum dum adhuc existit, & sic vterque gradus erit simul, quod negat Durandus. vel dum iam esse desijt, & hoc fieri nequit. quia nihil potest physicè agere dum non est.

Nullũ esset incommodũ calorem in instanti perire, si fieri posset instantium haberet sufficientem ad hoc virtutẽ.

Gradus qui perit nequit alium producere.

29 Ad primum argumentum positum num. 26. Respondeo maiorem solùm esse veram de termino à quo formaliter sumpto, scilicet quatenus includit priuationem termini ad quem (quæ in omni alteratione ac generatione propriè ac formaliter loquendo est terminus à quo) aut cum eo necessariam connexionem habet; sicut respectu eiusdem Dei naturaliter loquendo vnus locus habet connexionem cum priuatione alterius, & calor cum priuatione frigoris. Gradus autem remissus secundùm se non est formaliter terminus à quo respectu gradus intensioris; sed solùm quatenus est remissus, & dicit priuationem intensioris gradus: atque ita hoc accedente solùm perit secundùm hanc priuationẽ: quia non manet remissus, sed intenditur per accessum ac coniunctionem alterius gradus, sicut in augmento quantitatis minor quantitas non perit accedente maiore, nisi secundùm rationem minoritatis.

Ad secundum, nego assumptũ; nam illi duo gradus constituunt vnam eandemque qualitatem ex ipsis compositam.

30 Ad tertium, nego maiorem generatim sumptam: solùm enim est vera de formis quæ se habent vt terminus à quo, & ad quem; & quatenus se ita habent: vt patet ex dictis ad primum argumentum. aliàs dum lac calefit, non solùm frigus, sed etiam albedo deberet in eo perire.

Ad quartum, Respondeo in intensione qualitatis produci aliquid secundùm se distinctum à priore gradu siue forma secundùm se spectata; illud tamen hanc non expellere, sed cum ea vnam integram formam componere; sicut in accretione id quod de nouo aggeneratur, cum priore idem quantum componit.

Ad quintum, concedo totum loquendo de gradibus remissis & intensis formaliter sumptis, & quatenus sunt termini intensionis aut remissionis. vt sic enim non possunt esse simul in eodem. cum hoc tamen consistit quòd secundùm entitatem suam possint esse simul in eodem; vt patet ex responsione ad primum.

Tertia igitur sententia docet, intensionem 31
qualitatum fieri per additionem gradus ad gradum. ita Scotus in 1. dist. 17. q. 3. §. *Ad istam quæst.* *Scotus.*
Gregor. ibidem q. 4. a. 1. Bonauent. p. 2. art. 1. q. 1. *Gregor.*
Occam q. 6. Gabriel q. 4. art. 2. Marsil. in 2. qu. 1. *S. Bonau.*
not. 8. Henric. quodlib. 3. q. 5. & quodlib. 4. q. 15. *Occam.*
Vasquez 1. 2. disp. 82. c. 3. Suarez tom. 2. Metaph. *Gabriel.*
disp. 46. sect. 2. & alij plurimi. *Marsilius.*
Henric.
Vasquez.
Suarez.

Probatur autem hæc sententia præcipuè, quia, vt patet ex refutatione aliarum, nisi dicamus qualitatem dum intenditur aliquam nouam entitatem accipere, quæ priori gradui coniuncta aliquid perfectius efficiat, intelligi nequit qua ratione ipsa possit intendi ac in se verè perfici: constat autem eam dum intenditur in se verè perfici.

Supradicti verò Auctores dupliciter suam 32
sententiam explicant. Quidam enim docent, omnes gradus quibus qualitas intenditur, esse eiusdem omnino rationis, atque adeò inter eos per se siue ex natura rei non esse essentialem ordinem, sed solùm accidentalem, quatenus vnus gradus producitur primo loco, alter secundo, alter tertio, &c. qualis ordo est inter lateres quibus aliquis murus extruitur. ita cum multis recentioribus Malderus 2. 2. q. 24. ar. 5. Ex antiquioribus eidem fauet Occam citatus nu. 31. & quidam alij ibidem citati docentes, hos gradus esse homogeneos. Sed omnes eos gradus vocant homogeneos qui sunt eiusdem speciei: solumque probant quemuis gradum caritatis esse caritatem. quod alij non negant. vnde Vasquez 1. 2. disp. 82. c. 2. initio docet, antiquos hanc disputationem non attigisse.

Malder.
Occam.
Vasquez.

Probatur hæc sententia. Primò, quia hac ratione potest sufficienter defendi ac declarari quomodo fiat intensio: ergo non est opus hîc fingere illos gradus inter se esse inæqualis perfectionis, cùm nulla necessitas nos ad id cogat. Secundò, quia caritas quæ augetur, v. c. sex operibus bonis æqualis omnino inter se bonitatis, eodem omnino modo augetur quocunque ordine illa opera fiant, & siue illud quod fit vltimo loco, fiat primo, vel contrà: atqui hoc esset falsum si gradus quibus intenditur essent dissimiles: ergo hoc non est dicendum. Tertiò, si gradus essent inter se dissimiles ac sibi mutuo subordinati, ita vt vnus alterum supponeret, sequeretur eriam eorum partes (in quas singuli secundùm communem sententiam sunt adhuc in infinitum diuisibiles) similiter sibi esse subordinatas, ac se mutuo supponere: atqui hoc est falsum: ergo & id vnde sequitur. Minor probatur, quia in omnibus rebus sibi subordinatis 33

debet

debet dari aliquod primum, ne aliàs detur processus in infinitum: atqui falsum est in qualitatis productione dari aliquam talem partem determinatam à qua ipsa productio necessariò primò incipit, cùm quacumque parte caloris data possit dari minor siue remissior: ergo etiam falsum est in partibus caloris dari talem subordinationem. Quartò, quia aliàs gradus secundus esset diuersæ speciei à gradu primo: atqui hoc est falsum: ergo & illud. Maior patet, quia quęcumq; differunt inter se plus quàm differunt illa quæ solo numero differunt, differunt specie; sed tunc gradus secundus differet magis à primo, quàm duo primi inter se: ergo differret specie à primo. Quintò, quia secundùm aliam sententiam secundus gradus contineret eminenter omnem perfectionem prioris; ergo eo aduenięte frustra esset prior, & consequenter expelleretur per secundum, Sextò, quia speculũ caustícum per collectionem radiorum solis producit in certo puncto lumen multò intensius, quã in se habeat: atqui hoc fieri non posset, si gradus intensionis essent heterogenei: ergo hoc non est dicendum.

34 Sed mihi semper visa est probabilior illa sententia, quæ docet hos gradus esse dissimiles, & posteriores esse perfectiores prioribus, idemq; dicendum de singulorum graduum partibus, in quas possunt vlteriùs diuidi. Ita Suarez tom.2. Metaph. disput.46. sect.1.n.38. Lorca 2.2. sect.3. disp.14. in appendice. Hurtado de Generatione disp.5. sect.6. Probatur Primò, quia in calore, v.c. intenso secundùm communem modum loquendi, præsertim Auctorum tertiæ sententiæ, verè reperiuntur diuersi gradus caloris: atqui hoc propriè loquendo esset falsum, si omnes illius caloris partes essent inter se omnino similes: ergo dicendum est eos non esse inter se similes. Minor probatur, quia si essent inter se omnino similes, nec dicerent inter se vllum ordinem, nec in vllo illorum esset vlla ratio cur potiùs esset primus gradus, quàm secundus aut tertius: atqui diuersi gradus constituentes aliquod totum necessariò dicunt certum inter se ordinem, in quo vnus alterum superat, ita vt vnus respectu alterius sit primus, alter secundus, alter tertius: ergo dicendum est illas partes non esse inter se omnino similes.

Suarez. Lorca. Hurtado.

Vt aliqua constituant inter se distinctos gradus, debent inter se dicere ordinẽ.

35 Dices, esse ordinem inter has partes quatenus vnus producitur post alium, ideoque constituit secundum gradum. Sed hic ordo est omnino per accidens & denominatio planè extrinseca, & transacta ipsa productione qualitatis nihil ponit in re, per quod vnus gradus ab alio possit distingui, aut vnus dici superior altero: ergo omnino nihil facit ad rem præsentẽ. Confirmatur, quia si gradus quibus ad locum superiorem est ascendendum (à quibus illa denominatio graduum intensionis sumpta est) ita collocarentur, vt vnus in ordine ad locum non superaret alterum, quantumuis vnus poneretur ante alium, nullo tamen modo constituerent veros gradus, nec vnus posset dici gradus primus, alter secundus, &c. ergo similiter in qualitate si vna pars aliam solo tempore, non autem ordine perfectionis superet, nulla est ratio cur in ratione gradus vna sit prior altera; cùm in hoc non sit attendenda prioritas temporis, sed prioritas siue eminentia in perfectione: sicut in gradibus quibus altior locus ascenditur, vt vnus sit primus, alter secundus, attenditur sola eminentia loci. vnde apertè sequitur, secundùm aliam sententiam illas partes qualitatis verè non constituere inter se ordinem graduum, sed aggregatum per accidens, sicut lapides temere eodem loco congestos.

Vt gradus intensionis dicatur primus, secundus, solus ordo perfectionis debet attendi.

Dices Secundò, ideo partem caloris posteriùs productam habere rationem secundi gradus, quia perficit priorem. Sed contrà, nulla est ratio cur pars posteriùs producta potiùs perficiat priorem quàm contrà, cùm vna non magis eleuet alteram ad aliquod esse perfectius, quàm ab ea eleuetur; quòd enim vna priùs, altera posteriùs producatur, est ijs planè per accidens: nam ex se hunc ordinem secundùm illam sententiam non exigunt; & postquam vtraq; pars iam est producta, hoc nullam omnino inter eas differẽtiam ponit; sicut nec inter lapides temere congestos, quòd vnus ponatur priùs, & alter postea. Confirmatur, quia secundùm illam sententiam quando qualitas intensa tota producitur in instanti, prout accidit in productione luminis, nullus tunc esset gradus primus aut postremus, sed omnes omnino essent æquales, atque ita solùm esset vnus gradus, aut potiùs nullus; quia inter partes illius qualitatis nullus omnino esset ordo, nec vllum omnino fundamentum vllum inter eas ordinem fingendi: cùm igitur gradus dicant inter se aliquem ordinem, nullus ibi posset esse gradus, & consequẽter nec intensio. quæ apertè falsa sunt. 36

Probatur Secundò, quia secundùm illam sententiam nulla esset causa cur calidum vt duo v.c. non possit in alio calido vt duo adhuc alios duos gradus caloris producere; nam cùm hoc sit adhuc capax duorum graduum caloris similium ijs quos alterũ calidum potest producere, nulla est ratio cur hoc nõ tã possit eos producere in calido vt duo quàm in non calido; cùm calidum vt duo sit magis dispositum ad recipiendum illos duos gradus caloris, quàm omnino non calidum. quod patet, quia calidum vt quartuor tertium & quartum gradum facilius producet in calido vt duo, quàm in non calido. 37

Dices, id fieri, quia agens solùm intendit effectum sibi assimilare, ideoque non agit in id, quod iam reperit sibi simile: calidum autem vt duo est iam simile alteri calido vt duo. Respondeo, hunc modum argumentandi manifestè errare, non distinguendo inter hæc, *naturam intendere aliquid sibi assimilare*, & *eam precise intendere vt aliquid sibi sit simile*. Prius sanè intellectum verum est, vt mox ostendam; secundum est falsum: nam aliàs quoties agens reperiret aliquid sibi simile, aut saltem quoties rem aliquam sibi similem produxisset, quasi obtento perfectè omni suo fine desineret in res alias agere, nec conaretur eas sibi assimilare. quod patet esse falsum. Quare dicendum est rebus creatis virtutem agendi datam esse, non vt res alia ipsis similis quacumque ratione existat; sed vt seipsas quantum possent cuiuis alteri rei communicarent, 38

Agens non intendit precisè vt alia res sibi sit similis, sed vt eam sibi assimilet, siue vt suam naturam communicet.

rent, atque ita in varijs suis effectibus suum esse quantum possent perpetuarent. Vnumquodque igitur agens primò & per se intendit seipsum alteri communicare, siue aliquid sibi simile in eo producere, atque ita consequenter intendit illud sibi assimilare, non tam vt passum sit sibi simile, quàm vt seipsum huic communicet; quod agens directè & per se intendit: assimilationem verò solùm consequenter, quatenus ex priore necessariò sequitur. Quare calidũ v.c. vt quatuor quantumuis in plurimis subiectis vt quatuor reperiat suam formam productam; tamen quamdiu reperit aliquid sibi approximatum quod sit capax alicuius gradus caloris, quem potest producere, hunc in eo producit. Cùm igitur calidum vt quatuor secundùm aliam sententiam sit adhuc capax alicuius gradus caloris, quem potest calidum vt quatuor producere; sequitur vnum calidũ vt quatuor posse adhuc producere calorem in alio calido vt quatuor; atque ita duo calida vt quatuor poterunt se mutuo intendere vsque ad octo. quod apertè falsum est.

Agens primò & per se intendit sui communicationem, assimilationem consecutiuè.

39 Probatur Tertiò, ponamus vno loco aliquod corpus calidum vt octo, & Deum alio loco ponere octo calida vt vnum, penetratiuè omnino in eodem loco: & deinde vtrisque caloribus in suo esse conseruatis subtrahere omne subiectum: Peto, an hoc casu illi posteriores gradus caloris æquiualebunt illi priori calori vt octo, constituendo calorem verè intensum vt octo potentem producere alium calorem intensum vt octo. Si affirmes, sequitur apertum absurdum, scilicet octo illos calores habere octies maiorem vim agendi positos extra subiectum quàm habebant priùs dum essent in suis subiectis: nam priùs solùm poterant producere calorem vt vnum, postea verò producerent calorem vt octo: apertè autem videtur absurdum, calorem tantum perfici in virtute agendi per hoc præcisè, quòd careat subiecto.

40 Si verò dicas hos octo gradus solùm producturos calorem vt vnum; reddenda erit ratio, cur hi octo gradus caloris tanto minorem habeant vim agendi præillis qui fuerunt in eodem subiecto; cùm inter eos in perfectione nulla possit assignari differentia: sunt enim secundùm se omnino eiusdem naturæ & perfectionis, & æqualiter inter se loco vniti; & quòd priùs fuerint in eodem, aut in diuersis subiectis, est denominatio ijs iam planè extrinseca, cùm nullum in ijs effectum relinquat.

41 Dices Primò, priores octo gradus inter se habere aliquam vnionem, ideoque simul constituere aliquid vnum perfectius, quàm singuli sint per se; secus esse de secundis gradibus, qui sicut non constituunt aliquid vnum, ita nec constituunt aliquid perfectius. Sed contrà facit Primò, quòd nequeat explicari qualis sit ista vnio, & quare potiùs reperiatur inter hos gradus, quàm inter illos: aut quare hi se mutuo magis perficiant, quàm illi; cùm omnes sint eiusdem naturæ & rationis, & ex se æqualiter apti vt se mutuò perficiant, sibique vniantur. Etsi enim cur vni magis se mutuo perficiant quàm alij, aliqua apparens fortè ratio videatur posse afferri quando priores sunt in eodem subiecto, reliqui in diuersis: tamen quando vtrique ponuntur extra subiectum, & omnes illi similiter atque hi simul in eodem loco penetratiuè se habentes; nescio quænam vel apparens hîc possit adferri ratio, cur illi potiùs se mutuo perficiant, vnumque calorem constituant, quàm hi. Secundò, contra eam responsionem facit, quia, etsi concedamus priores gradus aliter inter se vniri, quàm secundos; tamen non videtur verosimile, illam solam diuersitatẽ vnionis posse adeò variare virtutem agendi, vt priores hanc octuplo maiorem habeant quàm posteriores.

Dices fortè Secundò, octo illa corpora calida 42
vt vnum posita penetratiuè simul in eodem loco productura calorem vt octo, si solùm sint calida, & nullum habeant in se frigus; vt contingeret in lumine, si penetratiuè simul ponerentur octo corpora lucida vt vnum, quæ tunc producerent lumen vt octo. Sed hoc repugnat apertè suppositio alterius sententiæ, scilicet vnumquodque sua actione solùm intendere passum sibi assimilare, quo posito desinit agere. nam illa octo lucida, cùm essent solùm lucida vt vnum, vt passum sibi assimilarent, tantùm deberent illud facere lucidum vt vnum; sicut facerent si essent solùm iuxta se posita: nam aliàs augendo ipsius lucem, non tam illud sibi assimilarent, quàm facerent dissimile. Item inde sequeretur, quòd octo calores intensi vt vnum possent producere in octo diuersis subiectis octo calores intensos vt octo, atque ita effectus essent octies perfectiores suis causis. quod apertè absurdum est.

Probatur Quartò, quia secundùm aliam sen- 43
tentiam non apparet qua ratione qualitas possit sensim remitti per introductionem formæ contrariæ, v.c. quomodo calor vt octo remittatur vno gradu per introductionem vnius gradus frigoris: cùm enim secundùm illam sententiam hic gradus frigoris æqualiter repugnet omnibus gradibus caloris expellendi, nulla est ratio cur potiùs vnum expellat quàm alium; & consequenter vel omnes expellet vel nullum. quorum vtrumque apertè falsum est.

Respondent aliqui Primò, illum gradum pri- 43
mò expelli, qui vltimò fuit inductus, sicut in dissolutione domus illa pars primò tollitur, quæ vltimò fuit posita. Sed hoc exemplum nihil facit ad rem; &, si ad rem faceret, probaret apertè contrarium. Prius patet: nam quòd in dissolutione domus primò conuellamus summitatem tecti, non fit quia hæc pars est vltimò posita, sed quia ordine suprema est, alijsque innititur, ita vt alijs sublatis nullo modo possit consistere, sed necessariò corruit ac frangitur. Secus est in illis gradibus caloris, quorum vltimus secundùm illam sententiam non innititur necessariò prioribus, sed potest his sublatis naturaliter consistere: nec hi gradus vllum dicunt inter se naturalem ordinem, nisi extrinsecum & per accidens ratione prioritatis productionis, qui nihil facit ad rem præsentem.

Quòd autem hoc exemplum potiùs contra- 44
rium probet, patet. quia tunc solùm in domus disso-

dissolutione incipimus à tecto, quando volumus materiam ex qua constructa est, seruare integram, aliàs volentes aliquam domum euertere sæpè à fundamentis incipiunt, quibus destructis tota statim corruit; & sic sæpissimè causæ naturales, v.c. inundatio fluminum, terræ motus, & similia, primò euertunt fundamenta, & sic domũ destruunt, quia non curant in ea quidquam seruare integrum. Quare si exemplum faciat ad rem, cùm agens naturale intendens introducere frigus in subiectum calidum intendat totum calorem quàm potest citissimè omnino destruere, ita vt nihil ex eo remaneat, vt possit faciliùs suam formam inducere, deberet potiùs statim tollere primum gradum, vt reliqui omnes corruerent, atque ita statim tolleretur omne impedimentum formæ introducendæ.

His adde, secundùm illam responsionem saltem qualitatem in instanti productam non posse ita paulatim remitti; quia tunc inter ipsius gradus nullus omnino potest assignari ordo, & consequenter nec ratio, cur remissio incipiat potiùs ab hoc gradu quàm ab alio.

46 Respondent igitur alij Secundò, Deum in eiusmodi casibus determinare certum gradum à quo incipiat fieri remissio. Sed hoc est miserum pro philosopho refugium, quod euertit omnem rationem argumentãdi ab experientia. Si enim semel incipiamus ea, quæ apertè experimur fieri, negare fieri ex exigentia & vi ac modo naturali agendi causarum naturaliũ, eaque tribuere singulari Dei voluntati ac operationi res varias determinanti vt hoc vel illo modo fiant; facile erit aperta hac via vlteriùs progredi, & negare ignem ex se habere vim expellendi frigus ex aqua: ac asserere frigus in aqua igni apposita paulatim desinere, præcisè quia Deus ei subtrahit suum concursum; aliàs aut ignem nihil acturum, aut frigus & calorem naturaliter simul futura in eodẽ subiecto: ideoq; ne hoc fiat Deum suũ concursum frigori subtrahere. Hoc autem gradu facto, negabo ignem potiùs esse calidũ quàm frigidum, aut habere vllam vim producẽdi calorem; dicamq; Deum ad ipsius præsentiam producere calorem in obiectis ei appositis. & quis me tandem per vllam experientiam aut rationem refutabit? Et sanè quidam vt suam philosophiam hac ratione facilitent, multasque difficultates fugiant, procul hac via progressi sunt: quos impressis thesibus publicè audiui defendentes, non aliam ob causam nos impediri quo minùs tam facilè crassissimum murum, quàm liquidum aërem penetremus; quàm quia Deus volentibus illum penetrare concursum denegat. Consequenter etiam poterant dicere (& credo etiam tenuisse quantum memini) quòd non tam facilè possimus videre per corpus opacum quàm per diaphanũ, in tenebris quàm in luce; quòd nequeamus instar auium volare, &c. non tam fieri ob defectum naturalis facultatis, quàm quia Deus nobis cõcursum ad ea denegat. Quid ni hi procedant vlteriùs, asserantque nobis quo minùs oculis corporeis naturaliter intueamur spiritũ; bruto quo minùs intelligat; glaciei quo minùs calefaciat; igni quo minùs frigefaciat, solùm Dei deesse concursum? qua tandem experientia aut ratione talia asserentes conuinces? negãti solem lucere, qua tandem alia luce suum errorem ostendes? Iudicaui hæc breuiter (quæ fortè Deo dante aliàs ex professo prosequar) data occasione indicanda, vt omnes videant ad quæ præcipitia eiusmodi viæ ducant.

Transferentes determinationem actionũ causarum creatarum in Deum omnẽ rationem philosophãdi euertunt.

In nostra sententia facilè hac difficultate nos expedimus; nam secundùm hanc posteriores gradus ex natura sua ita supponunt priores, vt non magis possint sine ijs consistere, quàm tectum sine fundamento. Item cùm posteriores sint perfectiores minùs secum compatiuntur vllam formam sibi contrariam. vnde etiam accidit Primò (vt aperta etiam docet experientia) quòd gradus intensi siue posteriores, præsertim in subiectis in quibus non insunt naturaliter, difficiliùs & producantur & conseruentur, quàm gradus remissi, siue priores; quia quæuis res extra locum suum siue subiectum naturale, faciliùs consistit in infimo gradu perfectionis, quàm in summo, quia hic longè faciliùs læditur quàm ille. 47

Cur dum qualitas remittitur superiores gradus potiùs pereant.

Accidit Secundò, quòd primus gradus frigoris non sit incompossibilis primo gradui caloris, sed solùm octauo, & hunc, non autem alios expellat; quia solus gradus octauus caloris in summa sua naturali perfectione constituit, ideoque huic soli quæuis forma contraria quantumuis remissa repugnat, non autem alijs gradibus, ideoque etiam ille ante hos expellitur.

Solus gradus perfectissimus omni gradui formæ contrariæ repugnat.

Ad primum argumentum contrarium positum n.33. negandum est anteced. vt patet ex dictis. 48

Ad secundum, nego minorem: quia illi actus cùm solùm meritoriè gratiam augeant, nullum dicunt ordinem ad hos potiùs gradus, quàm ad illos. Hoc tamen notandum, quia posteriores perfectiores sunt prioribus, priores actus ceteris paribus mereri plures gradus augmenti gratiæ, quàm posteriores, vt dub. 4. dicemus.

Ad tertium, nego minorem. Ad probationem, nego maiorem: fallit enim in rebus, quæ possunt syncategorematicè in infinitum diuidi. Quia aliàs ne quidem secundùm alteram sententiam posset vllus calor successiuè intendi. nam omnis intensio qua talis supponit aliquem calorem productum; & quæuis ipsius determinata pars supponit vnam aliam se remissiorem, v.c. intensio vt vnum intensionem vnius medij gradus, & hæc intensionem medietatis medij gradus, & sic in infinitum. Item sequeretur, nullam posse dari progressionem aut recessum localem ab aliqua re; quia quæuis determinata horum pars supponit aliam minorem; nec potest dari determinata pars qua non sit minor, à qua priùs inceperit recessus: vnde similiter inferes eam numquam incepisse, nec dari vllum motum, ne detur progressus in infinitum.

Ad quartum, nego maiorem, eiusque probationem. quia inde sequeretur, etiam secundùm aliam sententiam, calorem vt duo differre spe- 49

cie

Non omnia quæ aliqua ratione plus quàm solo numero differunt, specie differūt.

cie à calore vt vnum; quia ille ab hoc magis differt, quàm à calore vt duo. Item hominem magnum differre specie à paruo; quia plus ab hoc differt, quàm à paruo. Item lineam trium pedum differre specie à linea duorum pedū; quia illa plus differt ab hac, quàm à linea trium pedum. Quæ omnia absurda sunt. Vt igitur aliqua inter se dicantur specie differre, non sufficit quòd differant perfectione; sed requiritur vt habeant essentiam omnino diuersæ rationis; quam ex proprietatibus aut effectibus colligimus, quando scilicet hæc non solùm se mutuo perfectione aliqua superant, sed sunt inter se omnino diuersæ ac repugnantis rationis: quod tunc maximè accidit, quando vnus effectus nequit ad alterius perfectionem proficiendo peruenire siue perduci, & perfectior priorem destruit. Gradus autem inferior non est naturæ omnino diuersæ & repugnantis cum gradu superiore; sed natus est ab eo perfici, & aliquid absolutè vnum cum eo conficere, atque ita ad eius perfectionem pertingere. Quamuis autem non possimus tam præcisè ac clarè definire, ac ostendere quænam differant specie, & quæ solo numero; vt ita omnibus clarè ostendamus quænam hoc vel illo modo differant; & quare potiùs hæc quàm illa: quia naturæ omnes ac differentiæ rerum non sunt nobis ita perspectæ; tamen ideò à communi sensu & modo loquendi non est recedendum, nec absurda suprà allata sunt admittenda.

Quid requiratur vt aliqua inter se specie differant.

50 Ad quintum, nego anteced. nam nihil potest dici alterum eminenter continere, quando ab hoc in existendo & operando necessariò depēdet; gradus autem posterior ita dependet à priore, sine quo, saltem naturaliter, nullo modo potest existere. Et quamuis fortè virtute diuina possit supernaturaliter existere sine priore, non posset tam perfectè & modo sibi connaturali operari.

Ad sextum, Respondeo hoc argumentum tam illos premere quàm nos, quia etiam ipsi fatentur, & clara experientia docent, multa lumina remissa vicina alicui corpori, quod simul omnia illuminant, non posse in eo producere lumen intensius eo, quod intensissimum est in illuminantibus. Quare dicendum, illud lumen ita intensum produci immediatè à sole alioue corpore luminoso, quo speculum illuminatur, quodque lumen perfectius in se continet: speculum autem solùm esse conditionem requisitam vt vis actiua solis aut alterius lucis tali puncto ita fortiter applicetur, prout requiritur vt in tali distantia tantum lumen producat, quantum in alijs locis non producit, quia ijs ita non applicatur. Quamuis negandum non sit, lumen receptum in speculo vt causam partialem etiam effectiuè concurrere ad productionem illius luminis: quia nihil vetat causam partialem producere effectum se perfectiorem, quando iuuatur ab alia perfectiore ipso effectu.

DVBIVM IV.

Vtrùm per singulos actus caritatis tot gradibus habitus augeatur, quot in ipsis actibus continentur?

SEnsus quæstionis est, vtrùm eliciens, v.c. actum caritatis vt 6. recipiat sex gradus augmenti ipsius habitus; & eliciens actum tam intensum atque est suus habitus, duplicet suū habitum; ita vt postea habeat duplo maiorē quàm antè habebat? hanc autem quæstionem cōmuniter Doctores non ita distinctè tractant, sed aut alterutram partem supponunt aut confundunt cum illa quæstione; vtrùm habitus caritatis augeatur per quosuis actus caritatis quantūuis remissos, an verò solùm per actus habitu intēsiores. vt patet apud Turrian. 2.2. disp. 68. dub. 3. Vasq. 1.2. disp. 220. Suarez in 3.p. tom. 2. disp. 18. sect. 4. &c. Quæ tamen difficultates sunt valdè diuersæ: nam etsi dicamus habentem habitū vt 100. eliciendo actum caritatis vt sex, mereri ac statim recipere augmentum habitus caritatis, non est tamē necesse nos dicere eum recipere augmentum sex graduum: nam vt illa sententia sit vera, sufficit eum accipere vnum gradū augmenti, aut etiam decimam partem vnus gradus. Nam, vt docet Suarez suprà, etsi per alios actus virtutū mereamur augmentum caritatis, illudque statim recipiamus; non tamen per actum vt sex recipimus sex gradus caritatis, sed pauciores, vt etiam fatentur ij, qui dicunt nos per actum caritatis vt 6. augere habitum vt 6. Et ratio est clara, quia cùm actus caritatis sit melior magisque meritorius quàm actus aliarum virtutum; non debet per hos tantum augeri habitus caritatis, quantum per illum. 51 *Turrian. Vasquez. Suarez.* *Suarez.*

Quidam igitur docent, per quosuis actus caritatis augeri habitum caritatis tot gradibus quot habent ipsi actus, & consequenter per actum intensum vt sex, eum semper augeri sex gradibus. Probatur Primò, quia Deus nobis numquam in dilectione cedit, sed saltem tantum nos diligit quantum nos diligimus ipsum; ergo cùm eius dilectio sit efficax, diligēti ipsum v.c. vt sex semper infundit habitum gratiæ siue caritatis vt 6. Secundò, quia Deus peccatori qui primùm iam conuertitur, per actum dilectionis vt sex infundit statim habitum vt sex: ergo similiter iusto elicienti actum caritatis vt sex statim infunditur augmentum habitus vt sex: nec enim vllo modo videtur probabile iustum ob actum caritatis æquè intensum recipere pauciores gradus gratiæ, quàm recipiat peccator. Antec. probatur: quia aliàs si talis post illum actum statim moreretur, sequeretur, eum intensiùs amasse Deum in via, quàm amet in patria; quia cùm in patria non haberet habitum intensum vt 6. non posset Deum amare vt 6. illud autem est absurdum: ergo & id vnde sequitur. 52

Alij verò contrà generatim docent, per actum, v. c. vt sex, numquam acquiri sex gradus habitus. Ita Malder. 2.2. q. 24. a. 4. dub. 3. concl. 4. & quidam alij. 53 *Malderus.*

Probat id Malderus, quia incredibile est nos

ita in immensum habitualem gratiam in nobis augere posse, prout ex cõtraria sentẽtia sequitur nos id posse: quod etiam videtur minùs conforme sacræ Scripturæ, quæ Matth.25. significat seruum industriè agentem post multum temporis *Matth.25.* *Luc.8.* solùm duplicasse suum talentum: & Lucæ 8. terra optima toto anno, siue homo optimus toto vitæ tempore solùm fert fructum centuplum. secundùm aliam autem sententiam singulis actibus possemus duplicare nostrum talentum, atque ita toto tempore nostræ vitæ, non solùm ferre fructum centuplum, sed ad multas myriades millionum cum multiplicare, eliciendo semper actus caritatis habitui æquales.

54 Probant id quidam alij Secundò, quia tunc solùm dicitur habitus augeri secundùm proportionem actuum quando actus respondent habitui in perfectione: nostri autem actus caritatis propter imperfectionem nostri status, semper hîc à nobis eliciuntur longè imperfectiores, quàm perfectio ipsius habitus requirat, idque etiam eo casu, quo actus elicitur tam intensus, quàm sit ipse habitus. Quod probant, quia actus caritatis in patria æqualis in intensione cum actibus quos hîc elicimus, erit substantialiter his longè perfectior. Quod puto esse verissimum, vt magis ostendam disp. 23. dub. 3. Sed restat explicandum in quo hæc maior perfectio consistat, quod loco iam citato faciam, & hîc num. 57. paucis etiam indicabo.

Actus caritatis in viatõ respondent perfectioni habitus.

55 Hoc igitur supposito, inde bene infertur pauciores gradus habitus esse abunde condignum præmium plurium graduum actus intensioris, quem hîc possimus elicere. Ex quo etiam patet solutio primi argumenti positi num. 51. neganda enim est consequentia. quia vt Deus nobis non cedat in amore, sufficit quòd amantibus donet præmium eorum amori in dignitate respondens: tale autem, vt iam ostendi, est habitus gratiæ siue caritatis, præsertim quatenus confert ius ad gloriam, etsi longè sit remissior ipso actu.

Vt Deus abundè de condigno remuneret actus caritatis, non est opus vt infundat habitum eis æqualem in intensione.

Ad secundum, facilè negari potest antecedens: & ad probationem dicendum eiusmodi casus esse metaphysicos, & qui fortè numquam contingent. ideoque non videri absurdum si eo posito aliquis intensiùs amauerit Deum hîc, quàm amet in patria: cum hoc enim optimè cõsistat ipsum in patria amare Deum sine comparatione perfectiùs quàm eum hîc amauerit. vt ostendam disp. 23. dub. 3.

56 Pro resolutione Nota Primò, quod ad rem præsentem spectat, quadrupliciter fieri posse vt aliquis eliciat actum caritatis. Primò, antequam vnquam fuerit iustificatus, ita vt per eũ iam primùm iustificetur. Secũdò, post perditam semel gratiam iustificantem, ita vt per eum iam secũdò aut tertiò iustificetur, quo casu, vt ostendi tom. 2. de Sacram. disp. 2. dub. 20. ipse recuperat omnem gratiam habitualem per prius peccatũ deperditam. Tertiò, quando existens in gratia elicit actum caritatis habitui in intensione æqualem aut inferiorem. Quartò, quando talis adiutus speciali auxilio elicit actum caritatis habitu intensiorem: & in omnibus his casibus videtur diuersimodè loquendum.

Eliciens actũ caritatis potest se quadrupliciter habere.

57 Nota Secundò, actũ caritatis habere duplicẽ perfectionẽ sibi intrinsecam Primò, ratione suæ intensionis: quo enim est intensior, eo ceteris paribus est perfectior. Secundò, ratione maioris appretiationis: quo enim Deũ amo appretiatiuè magis, eo meus actus est perfectior. Qui enim amat Deũ appretiatiuè magis, ita vt ex vi illius actus sit paratus longè maiora ac difficiliora pro Deo suscipere, v.c. strictissimã Religionẽ ingredi, martyrium pati, &c. lõgè perfectiùs eũ amat, quàm is qui eum amat appretiatiuè minùs, ita vt ex vi sui actus solùm sit paratus, seruare mãdata & leuia quædam subire: quantumuis vterque Deum æquè intensè amet. Hoc autem fieri posse, & has duas perfectiones inter se multùm distingui, & secundam esse magis principalẽ, ac dignitatem actus ex ea magis crescere quàm ex priore, ostendam disp. 23. dub. 3. His potest addi Tertia actus perfectio, quæ consistit in quadam morali dignitate, quam ipse accipit ab ipsa dignitate personæ operantis: quo enim hæc est sanctior, eo ipsius actus est melior. Ex quibus patet, ex triplici capite fieri posse, vt eliciens actum caritatis non recipiat tot gradus augmenti habitus, quot habet ipsius actus. Primò, ob indignitatem operantis, vt si hic sit peccator. Secundò, quia eius actus est exiguus in appretiatione. Tertiò, quia gradus quos deberet recipere sunt perfectiores quàm sint gradus ipsius actus. vt si habens habitum intensum vt 100. eliciat actum intensum vt 6. tunc enim gradus addendus habitui est perfectior quouis gradu ipsius actus: iuxta dicta dub. 3.

Actus caritatis habet duplicem perfectionem.

Qui amat appretiatiuè magis.

Tertia actus dignitas ex dignitate personæ capta.

Ex triplici capite potest actus deficere à perfectione habitus recipiti in æquali intensione.

58 CONCLVSIO. Multò probabilius est elicientem actum caritatis numquam pro eo præcisè recipere tot gradus gratiæ habitualis, quot actus ipse habet; vt si hic sit intensus vt sex, verius est elicientem non recipere sex gradus gratiæ; sed pauciores, Probatur Primò, quia vel talis iam primùm iustificatur, & cùm eius actus tunc careat dignitate illa quam habet actus iusti; apertè patet illum non debere recipere tantum præmium, quantum reciperet iustus, si similem actum eliceret: atqui secundùm omnes hic vt summum reciperet sex gradus gratiæ, etiam secundùm eam sententiam, quæ docet omnes gradus ipsius habitus esse æqualis perfectionis: ergo ille recipit pauciores. Vel eliciens eum actum iam erat iustus, & tunc cùm gradus, quos deberet de nouo recipere, sint intensiores, & cõsequenter perfectiores, ijs quos actus habet, iuxta dicta dub. 3. apertè sequitur, paucos gradus infundendos in dignitate & perfectione respondere pluribus gradibus ipsius actus: idque eo magis, quo gradus infundendi sunt intensiores, siue quo habitus augendus est intensior ipso actu elicito.

Numquam pro actu, v.c. vt sex recipimus sex gradus habitus infusi.

Prob. Secundò, quia si eliciens actum vt sex reciperet sex gradus gratiæ, sequeretur, alium qui eliceret etiam actũ intensum vt sex, sed duplo perfectiorem in appretiatione, recepturum 12. gradus gratiæ, quia hic actus esset illo verè duplo perfectior: hoc autem videtur communi sententiæ repugnare, quia communiter omnes negant nos per nostros actus mereri plures gradus gratiæ, quàm ipsi in se habent;

præ-

præsertim abstrahendo ab eorũ diuturna continuatione, de quâ hîc non agimus: nã loquimur de augmento quod quis recipit statim initio sui actus. Cùm igitur hîc numquam eliciamus actũ caritatis appretiatiuè tam perfectum, quin possit elici perfectior; sequitur, nos numquam pro eo recipere tot gradus gratiæ, quot ipse in se habet.

59 Hinc sequitur Primò, quando quis elicit actum caritatis quo tam primò iustificatur, ipsum ex duplici capite recipere pauciores gradus gratiæ quàm habeat ipsius actus. scilicet Primò, quia eius actus nullam accipit dignitatem ab eliciente, quia elicitur à peccatore; Secundò, quia non est appretiatiuè tam perfectus, quàm esse posset, & habitus caritatis postulat.

Sequitur Secundò, peccatorem, qui antè fuit iustus, elicientem actum caritatis ex triplici capite recipere pauciores gradus gratiæ habitualis, quàm actus eius habet. Primò, ob indignitatem elicientis; Secundò, ob defectum sufficientis appretiationis ipsius actus; Tertiò, quia, cùm talis recipiat omnem gratiam priùs perditam, vt ostendi tomo 2. de Sacram. disp. 2. dub. 20. gradus gratiæ quos recipit præcisè ratione illius actus caritatis sunt intensiores, & consequenter perfectiores ijs gradibus, quos actus in se continet.

60 Sequitur Tertiò, iustum elicientem actum caritatis non intensiorem ipso habitu, ex duplici capite recipere pauciores gradus gratiæ, quàm actus ipsius in se continet: Primò, ob defectum sufficientis appretiationis; Secundò, quia gradus infundendi sunt perfectiores gradibus ipsius actus.

Sequitur Quartò, quo quis habet habitum intensiorem, si eliciat actum hoc minùs intensum, eo ceteris paribus pauciores recipere gradus gratiæ. v.c. Petrus habeat caritatem intensam vt 100. & Paulus vt 20. & vterque eliciat actum caritatis vt 10. appretiatiuè æquè perfectum, hic plures gradus gratiæ accipiet quàm ille; quia gradus gratiæ infundendi Petro sunt longè perfectiores infundendis Paulo; atque ita pauci æquivalent pluribus.

61 Dices, Sicut posteriores gradus gratię sunt perfectiores & maioris valoris, quàm priores: ita etiam actus habentis maiorem gratiam habitualẽ ceteris paribus est magis meritorius: ergo si habens vnum gradum gratiæ eliciendo actum caritatis vt 10. v.c. recipit sex gradus gratiæ aut circiter: habens gratiam vt 20. aut 100. eliciens similem actum recipiet etiam tot gradus augmenti gratiæ.

Respondeo, nego conseq. quia, etsi valor actionis meritoriæ crescat ratione dignitatis siue maioris sanctitatis ipsius operantis; hinc tamen longè minùs crescit, quàm sit excessus valoris graduum superiorum respectu inferiorũ: quare illud argumentum solùm probat habentem gratiam vt 20. eliciendo actum caritatis vt 10. mereri augmentum gratiæ quod aliquanto pluris valeat, quàm valeat augmẽtum gratiæ quod ob similem actum recipit is qui solùm habebat gratiam vt vnum; non autem quòd recipiat æquè multos gradus gratiæ.

62 Sequitur Quintò, iustum elicientem actum caritatis intensiorem suo habitu (quod auxilio gratiæ actualis prævenientis & concomitantis facere potest) pro illis gradibus, quibus actus superat habitum, ex vnico solùm capite recipere pauciores gradus gratiæ habitualis, quã actus in se continet: scilicet ob defectum sufficientis appretiationis: pro reliquis verò ex duplici capite, scilicet quia in ipso actu gradus remissiores ipsis gradibus infundendis & in intensione & in appretiatione requisita sunt imperfectiores. vnde si habens habitum caritatis vt sex eliceret actum caritatis vt 10. qui esset appretiatiuè tã perfectus quàm habitus postulat (quod in hac vita fieri nequit) pro supremis quatuor gradibus reciperet quatuor gradus gratię, & augeret suum habitum vsque ad 10. pro reliquis verò gradibus non reciperet sex alios gradus gratiæ, sed multò minùs, v.c. tres; & sic vniuersum reciperet septem nouos gradus gratiæ, quorum tres supremi æquivalerent in dignitate ac perfectione sex infimis.

DVBIVM V.

Vtrùm caritas in via possit semper in infinitum augeri?

DVplex hîc est difficultas. Prima, vtrùm possimus in hac vita tantam acquirere caritatẽ, vt secundùm legem Dei ordinariam vlteriùs augeri nequeat? Secunda, vtrùm possit dari caritas finita tam intensa, quæ vlteriùs à Deo intendi nequeat?

63 Circa priorẽ fuit olim error Beguardorũ docẽtium nos posse in hac vita peruenire ad tantã caritatem, vt ampliùs augeri non possit. Ita refertur Clement. *Ad nostrum*, de hæreticis. Error Beguardorum. *Clement.*

Ratio eorũ erat, quia aliàs possemus acquirere tantã caritatem, quantam habuit Christus: cùm enim inter caritatem nostram & Christi hominis sit finita distantia, nostra posset in tantum crescere, vt huius perfectionem attingeret.

Videtur Secundò, probari posse auctoritate S. Augustini, qui in Enchiridio c. 121. ait: *Minuetur autem cupiditas caritate crescente: donec veniat hîc ad tantã magnitudinẽ, qua maior esse nõ possit.* Item l. 1. Retract. c. 7. explicãs id, quod dixerat l. de Moribus Ecclesiæ c. 25. ait: *Quod autem dixi, eũ ipsum, quem cognoscere volumus, hoc est Deum, priùs plena caritate diligamus: meliùs diceretur Sincera, quàm Plena: ne fortè putaretur caritatem Dei, non futuram esse maiorem, quando videbimus facie ad faciem. Sic itaque hoc accipiatur tamquam Plena dicta sit, qua maior esse non possit, quamdiu ambulamus per fidem.* Vbi videtur dicere, caritatem hîc posse esse tantam, vt nequeat ampliùs crescere. *Augustin.*

64 Sed hic error apertè repugnat Scripturis; quæ, vt ostendi suprà n. 5. docent nos vsq; ad mortem mereri & magis iustificari posse. Hinc Apostolus cũ iam plurimũ in caritate profecisset ad Philip. 3 v. 12. dicit se nondum esse perfectũ, ita nimirũ vt vlteriùs nequeat perfici, ideoq; subiungit se ea quæ retro sunt obliuiscendo semper ad anteriora se extendere, conando vlteriùs proficere. vnde meritò in Concil. Vienn. relato Clement. suprà citata ille error damnatur. argumenta etiam pro eo allata facilè soluuntur. *Philip. 3.*

65 Ad primũ, Respondeo illud solũ probare nos continenter bene viuendo posse tandem acquirere caritatem tam intensam quàm fuit caritas Christi, si satis longo tempore, multis nimirum annorum millibus viueremus, aut valdè magnis & extraordinarijs diuinæ gratiæ auxilijs præueniremur. Tam breui autem vitæ tempore, & per auxilia, quæ de facto accipimus, nec Christi, nec B. Virginis, imò nec quorumdam Sanctorũ, qui singulari Dei priuilegio singularibus auxilijs ad ingentem ac extraordinariã sanctitatẽ peruenerunt, caritatẽ vllo modo æquare possumus. Sicut, etsi limax quãdiu viuit possit semper vlteriùs repere, ita vt numquã tam procul possit repsisse, quin possit adhuc vlteriùs repere, tamen tota sua vita nullo modo potest repere ad 100. milliaria, aut etiã tam procul quàm aquila paucis diebus possit volare; sed quantumuis tota vita continenter repat, tamen in fine ab vtroque termino longissimè aberit.

Numquam ad Christi, B. Virginis, ac quorundã Sanctorum gratiam peruenire possumus.

66 Ad secundum, Respondeo D. Augustinũ ibi non loqui de intẽsione aut perfectione habitus caritatis secundùm se, sed de perfectione caritatis quoad ostensionem siue exhibitionẽ externi operis; quãdo nimirum per eam omnia propter Deum contemnimus, atque adeò ipsam vitã libenter pro fide ac iustitia moriẽdo, quod est maximum amoris signũ, quod hîc exhibere possumus, iuxta illud Christi Iohan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animã suam ponat quis pro ouibus suis.* quem locũ D. Augustinus citat in suo Enchiridio, dicto c. 121. vt ea, quæ inde citauimus probet. Aliàs verò nos dũ hîc sumus semper posse in sanctitate, & consequenter in caritate proficere, ipse apertè docet serm. 15. de verbis Apostoli sub finem. vbi explicãs illud Apostoli ad Philipp. 3. *Ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum;* fusè docet, nos semper posse in sanctitate proficere. & tandem subiungit: *Si autem dixeris Sufficit, peristi; semper adde, semper ambula, semper profice, noli in via remanere,* &c. clarè ostendens nos hîc semper adhuc posse proficere.

Iohan. 15.

Philip. 3.

August.

67 Circa secundam difficultatem variæ sunt sententiæ Theologorũ, duæ tamen præcipuæ. Prior docet, posse dari caritatem finitã tam perfectã, vt per absolutam Dei potentiam nequeat vlteriùs intendi, aut dari vlla alia, quæ sit illa perfectior. Ita Durand. in 3. d. 13. q. 2. Scot. ibid. §. *Ad quæst.* & §. *Ad argumenta istarum.* Palud. q. 1. Richard. ar. 1. q. 2. Bonauent. in 1. d. 17. p. 2. ar. 1. q. 4. & alij. Differunt tamẽ hi inter se, quia tres vltimi docent, quòd caritas aliæue qualitates non possint in infinitum intendi, nõ prouenire ex parte ipsarum; sed solùm ex parte subiecti: quia, cùm hoc sit finitæ capacitatis, non potest capere qualitatẽ in infinitum semper intensiorẽ. Scotus verò, & quidã alij volũt hoc prouenire ex parte ipsius caritatis; quia tam hæc, quàm quæuis alia qualitas essentialiter exigit certum limitem suæ intẽsionis, vltra quẽ nulla potẽtia possit intendi.

Durand. Scotus. Paludan. Richardus. S. Bonau.

68 Probatur autem hæc sententia. Primò, quia Aristoteles 8. Physic. textu 62. & 74. docet, motum alterationis non posse procedere in infinitum, sed necessariò habere certum terminum. & l. 2. de Anima c. 4. textu 41. ait: *Omniũ natura constantium est finis & ratio tam magnitudinis, quàm accretionis.* Prob. Secundò, quia Deus videt distinctè omnes gratias quas potest creare: atqui inter has aliqua est perfectissima, qua non potest dari perfectior: ergo datur gratia perfectissima creabilis: quæ cùm non queat esse infinita, debet aliqua finita talis dari. Tertiò, quia Deus potest creare perfectissimam gratiã, quam creare potest: atqui hæc necessariò debet esse aliqua determinata: ergo potest dari gratia determinata, qua nequit dari perfectior. Quartò, quia quæuis creatura quatenus est susceptiua alicuius qualitatis, est finitæ capacitatis (videmus enim quasuis res destrui, si ijs insit aliqua qualitas intensior, quàm capere possint:) ergo cuiuis rei potest inesse tam intensa aliqua qualitas, vt maiorem capere non possit: nec Deus potest hanc capacitatem augere, quia nequit rerum naturas mutare.

Aristot.

Sed hæ rationes non satis probant intentum. 69
Ad primam, Respondeo loca illa ex Aristotele citata nihil facere ad rem: tum quia Aristoteles ibi solùm agit de effectibus naturalibus à causis naturalibus & finitis producibilibus; qui consequenter necessariò sunt finiti, & determinatæ perfectionis: ex quo nullo modo sequitur, idem esse dicẽdum de effectibus à Deo producendis: tum etiam quia priore loco agit solũ de alteratione tendente ad generationẽ & corruptionem rerum, quæ sicut ad sui generationẽ aut conseruationem determinatam requirunt qualitatũ intensionẽ, ita determinata alteratione aut generantur aut corrumpuntur. caritatis autem intensio nec ad generationẽ, nec ad corruptionem tendit, quare alia est huius & illarum ratio. In secundo verò loco solùm agit de rebus animatis quæ requirunt certam corporis organizationem, & consequenter etiam certam quantitatem. De inanimatis verò docet hæc posse infinitùm augeri, si noua semper materia aggeratur. sic ignem docet in infinitum posse crescere, si continuò plura ligna ei apponantur. vt per se etiam manifestum est.

Ad secundum & tertium argumentum Respondeo Primò, ea vt summum probare posse creari aliquam qualitatem infinitam, quod propriè non facit ad præsentem quæstionẽ. Respõ- 70
deo Secundò, ad secundum, nego minorem; nam sicut inter caritates creabiles nullus datur finis, nec vlla vltima; ita nec datur perfectissima. atque ita nec Deus inter eas videt perfectissimam, sicut nec inter partes in quas continuum potest diuidi, videt minimam.

Inter qualitates creabiles nõ datur perfectissima.

Ad tertiũ, nego maiorẽ: quia nulla est caritas possibilis tam perfecta, qua Deus non possit facere perfectiorem; nec hoc aliquã imperfectionem in diuina potentia arguit: sed omnino infinitam perfectionẽ, quæ numquã potest exhauriri, aut habere effectũ vlla ratione sibi adæquatum, siue in quo debeat sistere, non valẽdo perfectiorem producere. sicut igitur fieri nequit vt Deus creet tot homines, quot creare potest, aut vt diuidat continuum in tot partes, in quot id diuidi potest, ita vt nequeat plures homines creare, aut continuum vlteriùs diuidere (quia illæ partes deberent esse indiuisibiles, atque ita continuum componeretur ex indiuisibilibus, quod

Dei potentia nec exhauriri nec effectum sibi adæquatum habere potest.

quod communiter omnes fatentur esse absurdum:)ita fieri nequit, vt creet caritatem tam perfectam, qua nequeat creare perfectiorem.

71 Ad quartum, Respondeo maiorem solùm esse veram respectu qualitatum, quas corpora ad sui conseruationem in certa proportione exigunt, & quarum nimia intensione læduntur; secùs verò esse de qualitatibus quæ nullo modo sua subiecta lædunt, sed merè perficiunt, eò quòd nullam habeant repugnantiam cum vlla dispositione ipsi subiecto connaturali; quare respectu huiusmodi qualitatis subiectum est ex se capax cuiuscumque intensionis si ei à Deo infundantur. Idemque credo in alijs qualitatibus diuina virtute fieri posse: sicut enim Deus potest corpora damnatorũ perpetuò seruare incorrupta in medijs maximisque ardoribus, imò summè in se ardétia, atque adeò talibus affecta qualitatibus, sub quibus naturaliter nequidem momento temporis possunt integra consistere; ita posset eadé conseruare maioribus ac maioribus caloribus affecta absque vllo termino. Et cõfirmatur, quia aliàs sequeretur, hominem diu hîc viuendo posse tandem tam multum peccare, vt Deus non posset eum in inferno condignè punire, quia non posset ei sine subito ipsius interitu infligi pœna vlla tam intensa, ac peccata ipsius exigerent.

Virtutes infusæ nullis suainte sione subiecto possunt vlla ratione obesse.

Deus potest subiectũ cũ quouis calore seruare integrum.

72 Alij absolutè docent, non posse dari tantam caritatem, quin Deus possit eam magis & magis in infinitum intendere. Ita D. Thom. 2.2.q.24. Bañez ibid. dub.2. & ferè cõmuniter D. Thomæ interpretes. Nec refert quòd D. Thom. 3. p.q.7. a.12. videatur docere, humanitatem Christi fuisse finitæ capacitatis respectu gratię, & recepisse tantam, quantam poterat capere; quia loquitur de capacitate & potentia non absolutè sumpta, sed prout suberat ordinationi Dei, qui statuerat ei dare tantam gratiam, & non maiorem. Idem docet Gabriel in 1. dist. 17. q. 8. ar. 1. concl. 3. & 5. Occã q. 8. Capreol. in 3. d. 13. a. 3. ad 3. Aureolus. Vasquez 3. p. disp. 47. c. 3. Suarez ibid. tom. 1. disput. 22. sect. 2. Turrian. 2.2. disp. 68. dub. 6. & alij. Et hanc etiam puto probabiliorem: varij autem variè eam probant. Sed præcipuè probanda est, quia, vt patet ex solutione argumentorum contrariorum, nulla potest vel apparens ostẽdi implicantia in eiusmodi augmento: vnde bene infertur hoc non esse negandũ diuinæ potentiæ. deinde quia aliàs sequeretur, hominem aut angelum valdè diu existendo in via posse tandem mereri maiorem aut gratiam aut pœnam, quàm Deus posset ei rependere. quod videtur omnino absurdum.

D. Thom. Bañez.

Gabriel. Occam. Capreol. Aureol. Vasquez. Suarez. Turrian.

DVBIVM VI.

Vtrùm habitus caritatis sit semper intensior in patria quàm in via?

73 NOta Primò, habitum caritatis dupliciter posse perfici. Primò, intrinsecè & secũdùm se ratione maioris intensionis. Secundò, extrinsecè ratione status sui subiecti, ob quem habitus sit inamissibilis, & continuum longeq; perfectiorem actum habeat, quàm aliàs habere posset. Agimus hîc solùm de priore perfectione. de secunda dictum dubio sequenti.

Nota Secundò, hanc quæstionem posse dupliciter intelligi. Primò, faciendo comparationem ad idem subiectum; siue quærendo an in eodem subiecto habitus caritatis in patria sit intensior quàm in via. Secundò, vtrùm in diuersis subiectis possit hîc esse intensior, quàm in cælo? sed solutio secundi pendet à solutione prioris.

74 Lorca 2.2. sect.3. disp.18. n.7. docet, quemuis Sanctum statim initio suæ beatitudinis accipere tantum augmentum habitus caritatis, vt hæc in quouis minimo Sancto superet caritatem cuiuscuis viatoris: excepta fortè caritate, quam hîc habuit B. Virgo. Probat Primò, auctoritate S. Thomæ, qui 1.p.q.117.a.2.ad 3. & 1.2.q 67.ar.6.ad 3. & 3.p.q.34 a.4. docet, caritatem minimi Beati esse perfectiorem quauis caritate viæ.

Lorca. D. Thomas.

Secundò, quia D. Augustinus sæpissimè docet, caritatem in patria esse maiorẽ, quàm in via. nam 1.2. contra Aduersarium legis & Prophet. loquens de beatis angelis ait: *Quilibet in eis minor maior est vtique quolibet Sancto & iusto, portante corpus quod corrumpitur & aggranat animam.* Item l.1 Retract.c.7. docet, caritatem hîc non posse esse plenam, quia in patria erit maior. verba citaui suprà n.63. Similia habet l. de Perfectione iustitiæ ratio cin.17. & in Enchirid.c.121. & alibi.

Augusti.

75 Probatur Tertiò, ex Scripturis. Primò, quia Christus Matth.11. cùm dixisset inter natos mulierum non surrexisse maiorem Iohanne Baptista, subdit, *Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo.* in quem locum D. Hieron. refutans eos, qui per minorem intelligunt Christũ, qui erat Iohanne ætate minor, & dignitate maior, ait: *Nos autem simpliciter intelligimus, quòd omnis sanctus, qui iam cum Deo est, maior sit illo qui adhuc consistit in prælio.*

Matth.11. Hieron.

Probatur Quartò, quia Scriptura comparat caritatem siue sanctitatem quam hîc habemus, cum luce auroræ & ætate puerili, sanctitatem verò patriæ cum luce claræ diei, & ætate virili. Prouerb.4. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Et 1.Cor. 13. *Cùm essem paruulus* (ait Apostolus) *loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus; quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Deinde applicans similitudinem vitæ huic & futuræ, subdit: *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.*

Prouerb.4. 1.Cor.13.

76 Quintò, quia quanto Deus perfectiùs cognoscitur, tanto magis voluntatem excitat ad sui amorem: atqui in patria sine comparatione perfectiùs cognoscitur, quàm in via: ergo tanto magis excitat voluntatem ad sui amorem, & consequenter hæc indiget maiore hábitu, vt talem amorem possit elicere.

Sextò, cùm Deus sit obiectum amoris supra naturam, quanto clariùs cognoscitur tanto ampliùs excedit naturam: ergo voluntas tanto maiore auxilio indiget vt eum congruè amet.

77 Sed hæc argumenta dictam sententiam nullo modo probant. Ad primum, Respon-

deo D.Thomam nullibi vel leuiter significare nobis initio beatitudinis conferri maiorẽ habitum caritatis, quàm hîc habuerimus; sed solùm caritatem patriæ propter perfectiorem statum subiecti & actum diuersæ omnino rationis ac ordinis superioris esse perfectiorem caritate viæ, non in intensione, sed in alio genere perfectionis, vt etiam ex eo ostendam disput. 23.dub.3. & hoc solùm probant loca citata ex 1.2. & ex 3. part. nam prior dicit caritatem patriæ superare caritatem viæ, non ob maiorem intensionem, sed quia est coniuncta cum visione ex qua causatur perfectior actus, quàm hîc possit causari. Similiter in 3.part. solùm dicit gratiam viatoris habere minorem mensuram respectu gratiæ comprehensoris, quia deficit ab ipsius perfectione, quia scilicet caret clara Dei visione. Vbi per gratiam non intelligit solam caritatem aut gratiam sanctificantem, sed ea omnia quæ hominem ad statum supernaturalem eleuant: aliàs ipsius argumentum esset nullum; sed apertè sumeret id quod erat probandum. Locus autem citatus ex 1. p. nihil omnino facit ad rem: nec enim propriè ibi agit de maioritate in caritate, sed in cognitione necessaria vt vnus alterum instruat; dicitque homines quosdam sanctos non actu, sed virtute hac ratione esse quibusdam angelis maiores, quatenus habent caritatem, quæ meretur maiorem beatitudinem, siue clariorem Dei visionem; quam tamen de facto adhuc non habent.

78 Ad secundum, Respondeo D.Augustinum illis omnibus locis non tam loqui de habitu caritatis, quàm de actu; ponitque excessum caritatis patriæ non in maiore intensione (hoc enim nullibi vel leuiter insinuat) sed in eo, quòd beatus ita tota mẽte, virtute ac affectu in Deum continuo amore feratur, vt hunc non diuidat in res vllas alias, quarum amor posset quacumque ratione actualem Dei amorem minuere, eiúsve puritatem aliquo peccato veniali aliáve inordinatione offuscare: prout nobis hîc contingit, qui varijs cupiditatibus & minùs ordinatis erga res alias affectibus impedimur, quo minùs omnino purè & perfectè siue ex integro affectu possimus toto animo Deum amare. Hinc libr. de Perfectione iustit. ratiocinatione 17. docet, nos in cælo amaturos Deum ex tota mente & affectu, hîc autem id fieri non posse: & in eo constituit excessum caritatis patriæ supra eam quæ est in via. verba eius sunt: *Caritas autem, quæ in his tribus maior est, non auferatur, sed augeatur & impleatur contemplata quod credebat, & quod sperabat indepta* (ecce quomodo causam augmenti caritatis non ponat in intensione habitus, sed in coniunctione cum clara Dei visione, ex qua fit vt perfectiùs Deum amet.) *In qua plenitudine caritatis præceptum illud implebitur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Nam cùm est adhuc aliquid concupiscentiæ quod vel continendo frenetur, non omnimodò ex tota anima diligitur Deus.* Item in Enchiridio c.121.ait: *Ibi autem quis explicet, quanta caritas erit, vbi cupiditas, quam vel coërcendo superet, nulla erit: quando summa sanitas erit, quando contentio mortis nulla erit?* Vbi ponit magnitudinem caritatis in exclusione omnis contrarij affectus. Quibus etiam apertè consonat locus citatus n. 63.ex l. 1.Retract.

Cur hîc nostra caritas sit imperfecta.

S.Augustinus ponit magnitudinẽ caritatis in exclusione contrarij affectus.

Ad tertium, omissis variis illius loci apud Matth. cap. 11. explicationibus, Respondeo Christum dicere quemuis Beatum esse maiorem S.Iohanne Baptista adhuc viatore; tum quia, vt iam dixi, perfectiore actu Deum amat: tum quia longè perfectiorem de Deo rebusque diuinis habet cognitionem. de vtriusque enim potentiæ, scilicet tam intellectus quàm voluntatis, perfectione ibi agitur. & in vtriusque perfectione minimus Beatus superat quemuis viatorem; quia perfectiùs perfectissimo suo obiecto & primæ regulæ adhæret ac conformatur; in quo consistit nostra perfectio. vide dicta disput. 21. dubio 5. & dicenda disp. 23. dubio 3. Ex quo patet responsio ad auctoritatem D.Hieron. 79

Quia ratione minimus beatus sit maior quouis viatore.

Ad quartum, Respondeo Primò, priorem locum solùm probare iustos hîc vsque ad finem vitæ semper in iustitia crescere; secundum verò nos in cælo longè perfectiorem habituros cognitionem rerum diuinarum, quàm hîc habeamus: de hac enim sola ibi Apostolus agit; quæ nihil contra nos faciunt. 80

Respondeo Secundò, meritò etiam posse dici caritatem viæ se habere respectu caritatis patriæ, sicut se habent aurora & puerilis ætas respectu claræ diei & virilis ætatis, ob perfectionem quam iam dixi eam in patria acquirere, quamque infrà disput. 23. dubio 3. magis explicabo; quæ non consistit propriè in maiore intensione, sed in ratione longè diuersa.

Ad quintum & sextum, Respondeo Primò, si aliquid probarent, probarent caritatem patriæ debere esse altioris ordinis, & alterius speciei quàm sit in via, & hac quasi infinities perfectiorem: sicut cognitio patriæ est alterius speciei, & infinities perfectior cognitione viæ. Item probarent habitum caritatis minimi Beati debere esse perfectiorem habitu caritatis, quam habuit B. Virgo in fine vitæ; quia illius cognitio est incomparabiliter perfectior & altioris ordinis, quàm hîc fuerit cognitio B. Virginis, quæ etiam in vitæ fine per fidem Deum cognouit. 81

Respondeo Secundò, ad quintum, nego consequentiam; quia, vt infrà ostendam, sine incremento habitus voluntas ibi potest perfectiùs amare Deum, quàm hîc. Ad sextum, nego antecedens: quanto enim Deus magis cognoscitur, eo faciliùs à voluntate amatur, & consequenter etiam eum amare eo minùs est supra vires eum cognoscentis, & voluntas ad hoc minore auxilio indiget.

Conclvsio I. Non videtur vllo modo probabile, habitum caritatis minimi Beati esse intensiorem maxima caritate, quam hîc habuit vllus viator, etiam excepta B. Virgine. Hanc à fortiore tenent Auctores citandi concluſ. 2. Probatur Primò, quia, vt iam ostendi, contraria sententia nullo fundamentò nititur. 82

Secun-

Quidã Sãctihic alios millies millies in caritate superãt.

Secundò, quia ex alia sententia videtur sequi apertum absurdũ. Quod sic probo. Quia multi sunt Sancti qui in fine vitæ suæ intensione caritatis millies millies & ampliùs aliquos alios superarunt, v.c. infantes qui olim statim à circumcisione, aut iam statim à baptismo susceptо, aut etiam adultos qui paulò post actum remissum contritionis, quo primùm fuerunt iustificati cum exiguis meritis mortui sunt. His enim si compares quosdam Sanctos qui longissimo vitæ spatio continenter in summa sanctitate vixerunt, & plurima pro Deo passi sunt, ac plurimos & feruentissimos caritatis actus elicuerũt, ac sæpissimè Sacramenta cum ingenti deuotione frequentarunt; nullum videtur dubium quin vbi priores habuerint vnum gradum meritorum aut gratiæ, hi habuerint aliquot milliones. Atque adeò secundùm aliam sententiam cùm illorum caritas in patria debeat sine comparatione esse intensior horum caritate in via, illis post mortem debebunt minimùm aliquot milliones graduum gratiæ conferri, supra illum vnum gradum quem hîc habuerint. quod & per se parum credibile est, & videtur Scripturæ repugnare, vt ostendam concl. sequenti; & ex eo manifestũ sequitur absurdũ, vt mox ostendam.

83 Peto enim vtrùm omnibus Sanctis post hãc vitam æqualiter dentur tot gradus gratiæ supra eam quam in vita habuerunt; an verò proportionaliter secundùm merita, vt qui hîc habuerit sex gradus, sextuplo plures post hanc vitam recipiat, quàm is qui hîc tantùm vnum gradum habuerit: & sic proportionaliter in ceteris: vtrumlibet autem dixeris, sequetur apertè absurdũ. Si enim dixeris prius, sequetur eũ qui hîc altero fuerit centuplo, aut etiam milleeuplo sanctior, in cælo valdè parum fore beatiorem: nam tantùm habebit centum aut summum mille gradus caritatis, & consequenter etiam luminis beatifici siue gloriæ (nam habitus caritatis, & lumen beatificum in Beatis semper sunt in eodem Beato æquè intensa) plures altero: quòd in tot millionibus valdè exiguum est; si enim essent hîc duo homines, quorum vterque haberet sex milliones aureorum, etsi alter eorum haberet præterea adhuc centum aut mille aureos, hic non posset dici notabiliter altero ditior, imò secũdùm communem loquendi modum vterque diceretur æquè dives. Et simile in dicto casu esset de illis duobus Beatis. quod absurdissimum est, & repugnans communi omnium Catholicorum sensui.

84 Quòd si secũdum dicatur, sequetur, nos pro actu, quo hîc meremur caritatis siue gratiæ augmentum vt sex, recepturos in cælo viginti vel triginta milliones graduum luminis beatifici; atque ita pauciſſimis actibus nec multùm intensis aut Sacramentorum receptione augendam gloriam in immensum. quæ sunt contra communem conceptum, & nihil habent probabilitatis. Nam cùm vel vnus gradus gloriæ tanti æstimandus sit; vt, si Deus in rigore nobiscum ageret, abundantissimè sufficeret remunerandis maximis meritis, quam habet probabilitatem tantam tamque immensam gloriæ intensionem quibusuis etiam remissis actibus conferri? Item cùm plurimis nimis largi videantur, qui asserunt singulis actuum caritatis intẽsionis gradibus tribui vnum gradum habitus, aut saltem ei æquiualens, quando hic est intensior ipso actu; qua tandem probabilitate tribuemus ei tam immensum excessum augmenti? quæ etiam clariora fient ex probatione conclusionis sequentis.

In rigore agendo & sepositо Dei decreto vnus gradus gloriæ maximis meritis remunerandis sufficeret.

Conclvsio II. Multò probabilius, &, vt puto, certum est, nemini vllum augmentum gratiæ siue caritatis post hanc vitam de nouo conferri; atque ita caritatis habitum, quem quis dum moritur habet, esse æqualem quoad intensionem ei quem postea habet beatus. Ita Suarez de Reuiuiscentia meritor. disp.2.sect.3. n.50. in fine, & tom.4. in 3.p. disp.47.sect.2.n.5. in fine, vbi docet, contrariũ carere omni fundamento, & esse parum consonum Scripturis. Malderus 2.2.q.24.a.7.dub.4.concl.3. vbi citat Almainũ, Scotum & Flau. Hanc etiam sententiam apertè docet Caiet.2.2.q.24.a.7.§. *Ad cuius euidentiam.* & Bañ. ibid. dub.3. vbi obscurè quidem loquuntur, tamen si attentè legantur, facilè patebit eos docere, caritatem patriæ in hoc solo superare caritatem viæ, quòd ibi ratione clarioris propositionis ipsius obiecti, sit natus elicere perfectiorem actum. vt apertè patet ex ijs quæ dicit Bañez ibi §. *Sed tamen mihi.*

85 Morientes hîc & beati æqualem habent habitũ caritatis.

Suarez.

Malder. Almain. Scotus. Flau. Caietan. Bañez.

Probatur Primò, quia, vt iam ostendi, nullum est fundamentum dicendi contrarium. Secundò, quia vel nostris actibus hîc meremur saltem de congruo illud augmentum, ac ex Dei ordinatione debitum est susceptioni Sacramentorum, quæ hîc suscipimus; vel contrà ex mera Dei liberalitate initio beatitudinis nobis confertur. Si prius dicatur, nulla est ratio, cur non statim conferatur, cùm non minùs hîc simus capaces illius augmenti, quàm reliquorum graduum caritatis, quos hîc statim accipimus. Si secundum dicatur, sequitur, nos post hanc vitam non recipere prout hîc gessimus, sed sine comparatione amplius, contra illud Apostoli 2.ad Corinth.5. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum.* Item quia dicta ratione retributio gloriæ longè maxima ex parte non esset corona iustitiæ; sed gratuita donatio, contra illud 2.ad Tim.4. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.*

Post hanc vitam nihil gratiæ ex liberalitate Dei accipimus.

2. Cor.5.

2. Tim.4.

86 Vrgent hæc autem eo magis, quia si vlla sit ratio dicendi nobis post hanc vitam dari aliquod augmentum habitus caritatis supra id quod sumus hîc meriti; illud debebit esse sine vlla comparatione longè maius omni caritate quam hîc pro nostris meritis ac Sacramentorum susceptione suscepimus; vt patet ex rationibus, quas Lorca suprà pro se adfert. si hoc autem semel concedamus, sequetur nostram gloriam vix minimæ sui parte esse coronam iustitiæ, aut respondere ijs quæ hîc gerimus in corpore, sed ferè totam, imò secundùm communem loquendi modum, qui parum pro nihilo reputat, absolutè totam esse gratuitum Dei donum; sicut si merito vnum aureum dares decem millia, non censereris dare mercedem, sed gratuitum

Lorca.

tuitum omnino donum. Illud autem non satis consonat Scripturis iam citatis; sed satis apertè ijs repugnat.

87 Qua ratione Deus nostra opera remuneret supra condignum.

Nec his obstat, quòd Deus communiter dicatur nostra opera remunerare supra condignum. nam inde non sequitur, eum aliquem gradum gratiæ nobis post hanc vitam, aut supra eam, quam ex ipsius constitutione per nostra opera meremur, conferre, sed eam gloriam quam nostris bonis operibus in præmium promisit; & quam consequenter per hæc meremur, longè excedere ipsum valorem operum secundùm se & secluſa Dei promissione spectatorũ. vt fusiùs ostendi suprà disp.8.dub.3.& 4.

88 Multi viatores habent caritatem intensiorem quàm aliqui Beati.

Conclvsio III. Multi in hac vita habent habitũ caritatis longè intensiorem habitu multorum Beatorum. Sequitur apertè ex concl.2. Nam certum est multos hîc in via habere caritatem longè intẽsiorem, quàm multi iusti, præsertim infantes qui statim post bapẽsmum moriuntur, habeant in fine vitæ; cùm igitur hi non habeant intensiorem habitum in cælo, quàm hîc habuerint in fine vitæ, apertè sequitur, multos hîc in vita habere habitum intensiorem, quàm illi habeant in cælo.

89

Nota demum quosdam concedentes habitum caritatis in eodem non esse intensiorem in patria, quàm fuerit in fine vitæ ipsius; tamen asserere actum ibi fore longè intensiorem, quàm hîc possit à nobis elici; atque adeò videntur insinuare fore intensiorem ipso habitu. ita Mald. suprà in 4.argumento: & idem videntur innuere Bañez & Caiet. suprà citati, quamuis obscurè & intricatè loquantur.

Malderus.

Bañez. Caietan.

Probatur hæc sententia, quia idem oculus æqualiter in se dispositus clariùs videt obiectũ clarè propositum, quàm obscurè propositum: ergo similiter voluntas cum æquali habitu caritatis poterit intensiùs amare Deum clarè visum, quàm per fidem cognitum; quia Deus clarè visus longè magis excitat voluntatem ad sui amorem, quàm sola fide cognitus.

90 Amor patriæ non est intẽsior habitu suo.

Sed hæc ratio non probat actum caritatis in patria esse intensiorem quàm fuerit ipsius habitus hîc in via; sed vt summum videtur probare actum hîc in via numquam posse esse tam intensum, quàm sit ipse habitus. sicut oculus obiectum obscurè aut remotè sibi propositum videt imperfectiùs quàm sit vis ipsius videndi: quantumuis tamen hoc ei clarè ac commodè proponatur, numquam id videt intensiùs siue perfectiùs, quàm sit ipsius vis videndi. An autem voluntas hîc nequeat amare Deum tam intensè, quàm sit ipsius habitus, etsi disputari possit; non video tamen causam, quæ satis probet eam hoc non posse. præsertim quando habitus est valdè remissus: nam, etsi obscuritas propositionis obiecti causet aliquam aliam imperfectionem in ipso amore, vt ostendam disp. 23. dub.3. tamen non necessariò causat minorem intensionem, cùm Deus etiam sola fide cognitus possit ex parte sua sufficienter excitare voluntatem, saltem ad remissum aliquem amorem, & aliàs sequeretur, nullum, etsi haberet intensum habitum, posse amare Deum intensè vt quinque vel sex: nam si habens solùm habitum vt sex ob defectum propositionis obiecti, nequeat amare Deum vt sex, nec etiam habens habitum vt centum id poterit; cùm sit eadem obiecti propositio in vtroque: & quamuis intensior habitus det voluntati potestatem intensiùs amandi posita sufficienti propositione obiecti; huius tamen defectum non supplet. Sed hac de re dicemus plura infrà disp.23. dubio 4.

Poteſt hîc elici amor Dei habitui æqualis.

DVBIVM VII.

Quot modis caritas possit perfici aut dici perfecta?

PRæter perfectionem intensionis, qua habitus caritatis secundùm se & intrinsecè perficitur, de qua dubijs præcedentibus egimus; varijs alijs modis potest perfici ratione status, cognitionis, aut variarum affectionum ipsius subiecti, quæ non tam efficiunt vt ipse habitus caritatis sit in se perfectior, quàm vt actum perfectiorem eliciat. 91

D. Thom. Caritas quadrupliciter dicitur perfecta.

D.Thom.2.2.q.24.a.8.docet, caritatem quadrupliciter posse dici perfectam. Primò igitur illa absolutè omnibus modis est perfectissima, qua Deus amatur quantum est amabilis: sed hæc vni Deo conuenire potest; omnino enim implicat vllam creaturam tantum amare Deum quantum est dignus amari; sicut implicat eum à creatura tantum cognosci quantum cognoscibilis est. Secundò, illa caritas dicitur perfecta, qua creatura aliqua continuo actu tantũ amat Deum, quantum ipsa potest eum amare; & hæc solis & omnibus Beatis conuenit. Tertiò, qua, etsi non continenter, tamen quantum humana fragilitas fert, homo Deum amat, quantum fieri potest cor suum ab alijs rebus abstrahendo, vt totaliter in Dei amorem feratur; & hæc caritas reperitur in ijs solis, qui perfectionem toto corde sequuntur. Quartò, qua homo ita Deum amat, vt nihil ipsius amicitiæ præponat, siue vt nullo modo velit eum mortaliter offendere; & hæc caritas est communis omnibus iustis.

Implicat creaturam tantũ amare Deum quantum amabilis est.

Caritas Beatorum: perfectorum viatorum: communis iustorum.

92

Et secũdùm hanc distinctionem variæ Scripturæ intelligendæ & conciliandæ sunt: nam ratione quarti modi perfectionis dicitur 1.Iohannis 2. *Qui autem seruat verbum eius* (omnia scilicet Dei mandata) *verè in hoc caritas Dei perfecta est.* Ob tertium verò modum perfectionis Matth.19. seruanti omnia mandata quasi adhuc imperfecto dicitur: *Si vis perfectus esse, vade & vende quæ habes, & da pauperibus.* vt scilicet ita expeditus omni affectu rerum terrenarum totum affectum in Deum transferas. Rursum S. Paulus ad Philipp.3.v.8. omnia propter Deum reliquerat, & vt stercora arbitratus fuerat; & tamen quia adhuc ei deerat perfectio quam expectamus in patria, v.12.ait: *Non quòd iam acceperim aut iam perfectus sim: sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum.* vt scilicet comprehendat ipsum brauium supernæ vocationis; vt docet v.14. per quod adueniente quod perfectum est, euacuabitur quod imperfectum est, cùm cognoscemus Deum sicut & cogniti sumus, vt dicitur 1.ad Cor.13.

1.Ioan.2. Matth.19. Philip.3. 1.Cor.13.

Alia

93 Alia ratione hæ perfectiones caritatis possunt distingui, vt vna dicatur alia perfectior Primò, ratione maioris intensionis. Secundò, ratione maioris appretiationis, qua scilicet voluntas ita fertur in Deum, vt eum rebus alijs præponat, has propter eum deserendo. hanc autem posse esse maiorem in vno iusto, quàm in alio, patet, quia qui propter Deum non solùm deserit omnia peccata mortalia (quod necessariò omnes iusti faciũt, si iusti permanere velint) sed etiam quantum fieri potest, omnia venialia, ita vt hæc numquam deliberatè admittat: appretiatiuè eum magis amat, quàm qui solùm propter eum vult deserere peccata mortalia. Item is, qui non solùm illicitas, sed etiam licitas voluptates propter Deum deserit, magis eum amat, quàm qui solùm illicitas propter eum deserit: quæ perfectio multùm differt ab intensiua, vt ostendam disp. 23. dub. 3. Tertiò, ratione

94 maioris extensionis: etsi enim, vt bene docet D. Thom. 2. 2. q. 24. a. 4. ad 1. quiuis habitus caritatis natus sit extendi ad amanda omnia obiecta propter Deum amabilia, tamen de facto non semper ita actu extenditur: præsertim si loquamur de vero & efficaci amore: nam qui pauciores pertatem, perpetuam castitatem, & obedientiam propter Deum amant & amplectuntur, & optant pro eo multa pati, ac terrenorum omnium amore nudi nudum Christum sequũtur, plura propter Deum amant, quàm qui sola peccata mortalia fugientes omnia incommoda fugiunt, & commoda sequuntur, quantum licitè possunt. Vnde meritò etiam de iustis dicitur illud D. Augustini l. 10. Confess. cap. 29. *Minùs te* (scilicet Deum) *amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* tam enim appretiatiuè quàm extensiuè hic minùs amat Deum, quàm is qui omnia propter Deum contemnit, quæad proficiendum in eius amore non conducunt; vt patet ex iam dictis. Idem alijs verbis docet in Enchiridio c. 121. vbi ait: *Minuetur autem cupiditas caritate crescente, donec veniat hîc ad tantam magnitudinem, qua maior esse non possit.* & infrà: *Ibi autem* (scilicet in patria) *quis explicet quanta caritas erit, vbi cupiditas, quam vel coërcendo superet, nulla erit?* Vbi crescente caritate docet minui cupiditatem, siue amorem rerum temporalium. Et rursum ex huius diminutione crescere caritatem; quia loquendo de ijs quæ non amamus propter Deum, quo pauciora alia præter Deum amamus, eo magis amamus Deum; & quo plura ex ijs amamus, eo minùs Deum amamus. Loquitur autem S. August. de iustis, in quibus solis potest crescere caritas. Eòdem pertinet illud D. Gregorij hom. 30. in Euang. *Tanto quisque à superno amore disiungitur, quanto inferiùs delectatur.* Et hæc est ratio cur maximi Sancti se ita priuarint omnibus rebus terrenis, quæ eos aliqua ratione possent oblectare: vt nimirum eorum mens harum amore penitus libera tota in Deum ferretur. Quartò, ratione maioris feruoris & constantiæ, ex quibus fit vt prompti alacriter & constanter quæuis incommoda propter Deum feramus, & grandia quæque ac difficilia aggrediamur.

95 Secunda ex his perfectionibus ferè nascitur ex perfecta Dei cognitione, & viua fortique apprehensione bonitatis ipsius, qua fit vt hanc primò ipso intellectu, & deinde voluntate magni æstimemus, & alia præ ea contemnamus.

Ex quo sequitur tertia perfectio, & consequenter quarta. nam qui Deum eiusque amicitiam magni æstimat, facilè præ ea reliqua contemnit, & trahitur in amorem eorum omnium quæ ad illam conseruandam & augendam conducunt. Vnde nascitur quædam promptitudo & constantia in rebus arduis aggrediendis & perficiendis. Tres autem hæ perfectiones multùm iuuantur acquisitione habituum naturalium aliarum virtutum, quibus habitus vitiosi & consequenter inordinata cupiditas (quæ antè caritatem impediebant) minuuntur.

Ex his demum sequitur, sola prima perfectione habitum caritatis intrinsecè perfici; alijs verò solùm extrinsecè; actum verò omnibus intrinsecè perfici.

DVBIVM VIII.

Vtrùm habitus caritatis per peccata venialia possit minui?

96 SAtis inter omnes vel ipsa experientia id nos docente constat Primò, per peccata venialia minui perfectionem habitus caritatis extrinsecam, atque adeò intrinsecam perfectionem actuum ipsius, quatenus hi secundùm appretiationem, extensionem, feruorem ac constantiam redduntur imperfectiores. qui enim peccat venialiter, amat aliquid præter Deum: & non propter Deum, vt ostendi suprà ex D. Augustino, & consequenter minùs amat Deum. Item talis amat aliquid inordinatè, idque sæpè faciendo generat in se vitiosum habitum ac amorem inordinatum siue cupiditatem, qua secundùm modos iam dictos impeditur ac minuitur caritas.

Perfectio actuum caritatis venialibus minuitur.

Constat Secundò, per absolutam Dei potentiam fieri posse, vt habitus caritatis per peccata venialia in nobis etiam secundùm intensionem minuatur: nulla enim apparens potest ostendi ratio, cur, sicut Deus potest intendere caritatem, ita non posset eam minuere, desinendo vltimos ipsius gradus conseruare in ijs qui venialiter peccant. Quare tota difficultas est, vtrùm id de facto ita fiat.

Deo id instituere posset habitus caritatis per peccata venialia remitti.

97 Glossa in c. *Tres sunt.* de Pœnitentia, d. 1. id asserit. quam sententiam sequitur Dionysius Carthus. in 1. d. 17. q. 9. & probabilem putat Victoria relect. de augmento caritatis p. 2. eamq; fusè problematicè defendit Altisiod. l. 3. Summæ tract. 5. c. 5. Et tandem paulò ante finem partem affirmatiuam dicit esse probabiliorem, quamuis subdat contrarium etiam dici posse. Eidem sententiæ videtur fauere Richard. in 1. d. 17. q. vlt. nam etsi contrariam sententiam dicat esse veram, tamen omnia argumenta pro ea allata conatur soluere: quo facto innuit non esse certam.

Glossa. Dionys. Carthus. Victoria. Altisiod. Richard.

Probatur Primò, ex auctoritate. nam Apoc. 2. accusatur Episcopus Ephesinus, quòd primam

Apoc. 2.

Quibus alijs modis vna caritas sit alia perfectior.

Qua ratione vnus præ alio amet Deum appretiatiuè magis.

Vnus plura propter Deũ amat, quàm alius.

Augustin.

Minùs amat Deum qui præter eum alia amat non propter Deum.

Gregorius.

Cur Sancti se priuent omni terrena oblectatione.

Qua ratione amor Dei in nobis perficiatur.

mam caritatem reliquerit; & iubetur esse memor vnde excidert. quod videtur intelligendum de defectione & casu ab intensione caritatis: nam ille non videtur excidisse omnino ex gratia. Item Eccli.19 dicitur: *Qui spernit modica paulatim decidet*, scilicet ex gratia Dei, qua per illa peccata paulatim priuatur. Hinc D. August. serm.41.de Sanctis paulò ante medium, suadet vt dando eleemosynas, ac parcendo alijs qui in nos peccarunt, redimamus peccata venialia, quæ quotidie committimus: *Ne fortè*, inquit, *simul collecta cumulum faciant, & demergant animam.* & epistola 108. sub finem, dicit nos quotidie tundẽdo pectus petere nobis dimitti peccata, *quæ humanæ fragilitati, quamuis parua, tamen crebra subrepunt: quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt & oppriment, sicut vnum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur & obruatur; an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta impleat nauim atque submergat?* Similia habet concione 3. in psalm.118. & tract.12. in Euang. Iohannis, sub finem, & tract.1. in eius epistolam circa medium: *Sed ista*, inquit, *leuia, quæ dicimus, noli contemnere: si contemnis, quando appendis; expaueſce, quando numeras. leuia multa faciunt vnum grande: multæ guttæ implent flumen, multa grana faciunt massam.* Item S. Gregorius p.3. Pastor. admon.34. agens de illis qui facilè committunt peccata venialia, ait: *Facta enim sua si despiciunt timere, dum pensant; debent formidare, cùm numerant: altos quippe gurgites fluminum paruæ, sed innumeræ implent guttæ pluuiarum; & hoc agit sentina latenter excrescens, quod patenter procella sæuiens.* Item S. Bernardus serm. 1. de Conuersione S. Pauli, *Nemo*, ait, *dicat in corde suo, Leuia sunt ista, non curo corrigere: non est magnum si in his maneo venialibus minimisq; peccatis. hæc est enim, dilectissimi, impœnitentia: hæc blasphemia in Spiritum sanctum, blasphemia irremissibilis.* Sed hic locus propriè non facit ad præsentem difficultatem, & per auxesim dictus intelligendus est: nam aliàs probaret, vnicam voluntatem non vitandi peccata venialia esse graue peccatum mortale, & blasphemiam in Spiritum sanctum: solùm igitur vult verum Religiosum & amantem spiritualis sui profectus ab eiusmodi voluntate tamquam à blasphemia debere abhorrere, ob graue periculum quod continet.

Ecclı. 19. *August.* *Gregorius.* *Bernard.*

98 Probatur Secundò, ratione. Primò, quia peccatum veniale est malum culpæ: ergo adimit aliquod bonum gratuitum, & consequenter aliquid ex caritate. Secundò, secundùm intensionem motus caritatis attenditur intensio caritatis: sed veniale minuit intensionem motus caritatis (experimur enim nos post multa peccata venialia languidiùs & remissiùs Deum amare:) ergo etiam minuit intensionem habitus caritatis. Tertiò, quia actus peccati venialis minuit intensionem actus caritatis: ergo habitus peccati venialis minuet habitũ caritatis. Quartò, quia peccata venialia minuunt feruorem caritatis: ergo multiplicata poterunt eum totum extinguere, & consequenter etiam ipsam caritatem, quæ sine vllo feruore esse nequit. Quintò, quia iustus post aliquot peccata venialia commissa & nondum remissa, minùs à Deo amatur, quàm antea: atqui hoc nequit fieri nisi in eo minuatur caritas; quia omnes habentes æqualem caritatem, æqualiter à Deo amantur: ergo per illa peccata in eo minuta est caritas. Confirmatur, quia amicitia inter homines minuitur per leuia peccata: ergo etiam inter hominem & Deum.

Obijcit Altisiodorensis plura alia, sed quæ leuioris momenti sunt.

99 Conclvsio. Omnino dicendum est, peccata venialia non minuere intensionem habitus caritatis. Ita D. Thom. 2.2.q.24.a.10. & ferè communiter ipsius interpretes, alijque Scholastici in 1.d.17. *D. Thom. Scholast.*

Probatur Primò, argumento D. Thomæ suprà: quia peccata venialia nec possunt physicè minuere intensionem habitus caritatis, quia ei physicè non contrariantur; actus enim non cõtrariantur physicè habitibus, nisi ratione habitus quem producunt, & habitus naturales siue acquisiti non contrariantur infusis, nec eos expellunt, cùm possint simul in eodem etiam in gradu intenso existere, vt patet in eo qui post acquisitam magnã sanctitatem labitur in multa peccata, quibus acquirit intensos habitus prauos; ac deinde per attritionem cum Sacramento iustificatur; qui recipit omnem gratiam deperditam, & simul cum ea retinet prauos habitus acquisitos. Nec etiam possunt eam minuere meritoriè, quia Deus parua peccata non punit tam graui pœnæ, scilicet amissione partis gratiæ habitualis siue caritatis. Quòd enim hæc pœna esset valdè grauis, probatur, quia homo per eam amitteret partem æternæ beatitudinis, atque adeò in omnem æternitatem esset minùs beatus. quod damnum omnino inæstimabile est, & quodammodo infinitum. Nec satisfacit quòd possimus per pœnitentiam aliaque bona opera facilè mereri tantum gratiæ quantum per ea peccata perdidimus, quia si illam gratiã non perdidissemus, factis his operibus haberemus plus gratiæ & beatitudinis, quàm vnquam habebimus posita illa perditione: atque ita posita ea sententia hoc damnum semper in æternum manebit.

Habitus acquisiti non contrariantur infusis.

Perdere vel exiguã partem habitus caritatis est grauissimum malũ.

100 Probatur Secundò, quia aliàs sequeretur Primò, nos in Purgatorio nullo modo posse satispati pro peccatis venialibus hîc commissis. Nam per omnia supplicia quæ ibi tolerantur, nullo modo augetur caritas, aut acceptatio ad beatitudinem; atque ita post ea omnia tolerata deberemus adhuc propter peccata venialia perpetuò puniri priuatione alicuius partis beatitudinis. quod per se apparet omnino absurdũ: nam omnes fatentur peccata venialia saltem in iustis non puniri in æternum.

Sequeretur Secundò, caritatem per peccata venialia posse totam deleri: nam cùm omnis nostra caritas sit finitè intensa, si per peccata venialia aliqua pars ei tollatur, poterit tandem per multa peccata omnino tolli, cùm eiusmodi partes finitas habeat, imò per vnum peccatum veniale tota tandem tolletur. Ponamus enim per quodq; peccatum veniale malum vt vnum tolli, v.c. decimam partem vnius gradus gratiæ,

tunc

tunc habens vnicum gradum per nouem talia peccata amittet nouem partes illius gratiæ, & per decimum totam suam gratiam; atque ita ille propter vnum peccatum veniale priuabitur gratia Dei, omni vita spirituali, & æterna beatitudine. quæ apertè absurda sunt: nam si talis statim post illud peccatum moreretur deberet propter illud æternùm puniri pœna damni, atque adeò esse inter damnatos. Imò secundùm multorum sententiam, quæ docet existentes extra gratiam numquam pro peccatis venialibus nondum remissis posse satisfacere, sequeretur talem pro solo peccato veniali in æternum puniri pœna sensus. quæ apertè absurda sunt.

101 *Richard.* Respondet Richard. citatus n. 97. tunc illud peccatum fore mortale, eò quòd priuaret hominem omni gratia & vita animæ. Sed hoc nullo modo dici potest, quia inde sequeretur, omnia omnino iustorum peccata, quæ saltem aduertenter committunt, esse mortalia, quia cùm nesciant an habeant maiorem gratiam, quàm per eiusmodi peccatum tolli possit, & fortè à parte rei verè non habeant maiorem, quoduis committendo voluntariè exponerent se periculo amittendi omnem gratiam, & consequenter voluntariè exponerent se periculo hoc actu peccandi mortaliter. quod est peccatum mortale. Imò sequeretur, omne peccatum hominis iusti ex natura sua esse peccatum mortale, & tantùm per accidens esse veniale. Primò, quia omne illius peccatum erit mortale nisi excusetur inaduertentia, qua non aduertat quòd se exponat periculo peccandi mortaliter. Secũdò, quia omne eiusmodi peccatum ex se habebit sufficientem vim occidendi animam, nisi contingat eam habere maiorem gratiam, quàm tale peccatum possit totam simul tollere. Vtrumque autem est ipsi peccato per accidens. Illud autem illatum est erroneum, aut saltem temerarium: quia repugnat communi doctrinæ non solùm Scholasticorum, sed etiam Patrum; qui agnoscunt aliqua peccata ex natura sua leuia siue venialia, vt patet ex eorum verbis in locis citatis n. 97.

102 *Alisiod.* Alisiodorensis suprà aliter respondet, scilicet per peccata venialia aliàs æqualia non tolli semper æqualem partem gratiæ; sed semper minorem & minorem prout caritas in peccante est minor & minor; atque ita cùm quæuis caritas non minùs quàm continuum, possit in infinitum diuidi, numquam per peccata venialia tota tollitur. Huius autem duplex redditur ratio. Prima, quia peccata venialia aliàs ex obiecto alijsque circumstantijs æqualia, commissa ab eo qui habet minorem gratiam, cùm hic peccando sit magis ingratus Deo, sunt grauiora, atque ita maiorem merentur pœnam. Secunda, quia habenti solùm duos gradus gratiæ tanta est pœna si vnus gradus ei auferatur, quãta est pœna habenti 100. si ei auferantur 50. sicut pauper habens solùm duos aureos magis lædituer ablatione vnius, quàm diues lædatur ablatione 50. aureorum.

103 Sed nec hæc responsio potest subsistere: quia inde sequeretur, quo quis est sanctior, ipsum proportionaliter per quoduis peccatũ veniale tanto plus gratiæ amittere; atque ita si is qui habet solùm duos gradus caritatis, per mẽdacium officiosum amittat, v.c. medium gradum gratiæ, is qui haberet quater mille gradus per simile peccatum amitteret mille gradus, & per peccatum duplo grauius bis mille; atque ita aliquoties similia iterando ferè omnem suam gratiam amitteret. contrà verò quando iam assueuisset peccare venialiter, atque ita ferè omnem gratiam perdidisset, per grauissima & plurima peccata venialia vix aliquid gratiæ perderet. quæ absurdissima sunt ob nimiam inter pœnas & peccata imparitatem.

Rationes etiam quibus hæc responsio nititur, nullius sunt momenti. Ad priorem, nego eam generaliter esse veram: Primò, quia peccata, quæ fiunt ex aliqua surreptione siue non omnino deliberatè, non continent propriè ingratitudinem, nec maiora sunt in Sãctis, quàm in alijs; sed sæpiùs minora; quia cùm hi ea magis conentur vitare quàm alij, censentur his minùs voluntaria. Secundò, quia secundùm eam sequeretur, illum qui habuisset magnam caritatem, eamque secundùm sententiam aliorum multis peccatis venialibus ferè totam perdidisset, per posteriora peccata minùs fore ingratum, minusque demeriturum quàm per priora. quod absurdissimum est, quia non ideo Deus fit in eum minùs beneficus, aut ipse Deo minùs obligatus, quia gratiam à Deo acceptam prodegit. 104

Peccata inaduertenter facta non cõtinent ingratitudinẽ, nec sunt maiora in sanctioribus.

Respondeo Secundò, etsi totum quod sumitur concederemus, nullo modo probaret intentum: tum quia illa circumstantia non est tãti momenti, vt tam incomparabiliter variet malitiam ac meritum peccati, quãtum ad veritatem illius sententiæ requireretur, secundùm quam tandem posteriora peccata respectu priorum vix milesimam partem pœnæ mererentur; tum etiam quia posteriora peccata ex alijs circumstantijs possent tantum aggrauari, vt priorum malitiam longè superarent.

Ad secundam, Respondeo Primò, nego assumptum: nam cui plus gratiæ auferitur, plus damni etiam patitur, præsertim quando vterque adhuc aliquid gratiæ retinet, aut est in statu in quo eam recuperare potest. Alia autem est ratio in ijs qui perdunt pecuniam, quæ non est per se expetenda, sed solùm ratione indigẽtiæ nostræ, quia scilicet sine ea non possumus commodè vitam sustentare, ad quam subleuãdam est necessaria; & pauper difficiliùs eam recuperat, quàm diues; quare hic paruæ pecuniæ amissione plus lædtur, quàm diues amissione magnæ. Caritas autem per se expetenda est, præsertim quatenus est semen gloriæ, & siue quis habeat magnam siue paruam gratiam habitualem, æquali facilitate vitam spiritualem sustentat, modo æquales habeat gratias præuenientes, quibus à tentationibus defendatur & ad virtutem excitetur. ac tandem in gratia morientibus nulla restat in vita spirituali conseruanda difficultas. His adde, vnum gradum gratiæ facilè per contritionem aut attritionem cum Sacramento à quouis recuperari posse; secùs autem esse de damno multorum millũ gradum 105

Qui pluribus gratiæ gradibus priuatur plus punitur etsi plures adhuc retineat.

duum: atque ita ex hac parte hoc damnum est sine comparatione grauius.

106 In proportione pœnæ cum peccato non respicitur incommodū quod per accidens ex ea sequitur.

Respondeo Secundò, hoc argumentum nihil facere ad rem, quia in infligenda pœna non tam respicitur quantum per accidens alicuius boni ablatio sit nocitura patienti, quàm quanta ipsa pœna per se sit, siue quanti boni sit priuatiua, & quam proportionem habeat cum peccato commisso. Aliàs pro ijsdem peccatis deberent diuersæ multæ pecuniariæ indici; aliæ pauperibus, aliæ diuitibus, eæque pro conditione cuiusuis peccantis deberent variari. quod absurdū est, & contra communem legum praxim.

107 Tertiò, igitur alij respondent, quantitatem gratiæ quæ tollitur per peccatum veniale, esse tā paruam vt omnia peccata venialia quæ tota vita hominis fieri possunt, non sufficiant vt alicuius gratiam omnino tollant.

Sed nec hæc responsio satisfacit; tum quia sine vllo fundamento illud diuinat, præcisè vt fugiat vim argumenti: tum etiam, quia, si minimum peccatum veniale aliquam certā partem gratiæ auferat, cùm sine comparatione alijs alia sint maiora, & quis notabili temporis spatio posset multa millia peccatorum venialiū committere; item cùm multi iusti habeant valdè exiguam gratiam habitualem, omnino videtur incredibile, illa numquam in hac vita posse tā tum multiplicari, totque ab ea gratia tales particulas demere, vt eam omnino tollant.

108 Eodem argumento refutatur quarta responsio, quæ dicit iustum diu peccantem venialiter contrahere inclinationem peccandi mortaliter: atque ita antequam totam gratiam perdat per peccata venialia, semper peccare mortaliter.

Item quinta, quæ docet, iustum numquam committere tot peccata venialia, quæ sufficiāt tollere omnem ipsius gratiam, quin interim aliquos actus bonos eliciendo mereatur augmētum gratiæ, quo deperditam restauret. Hæc, inquam, ex iam dictis facilè refutantur; nam præterquam quòd merè effugij causa sine fundamento diuinentur, videntur experientiæ repugnare. Videmus enim sæpè aliquos ob timorem gehennæ peccata mortalia diligenter fugere, & tamen ex aliqua inclinatione erga bona sensibilia multa & grauia peccata venialia etiam tempore non ita magno, v.c. spatio aliquot dierum committere, quo nec peccant mortaliter (quod sæpè in talibus contingit) nec vllum notabile, imò fortè nullum, opus meritorium faciunt; qui si habeant exiguam gratiam habitualem (quod facilè in talibus contingit, præsertim si recenter ad fidem conuersi sunt) iuxta dicta omnem omnino gratiam perdent.

109 Sexta responsio dicit per peccata venialia semper remitti caritatem, nisi peruentum iam sit ad vltimum ipsius gradum; qui per nulla peccata venialia tolli potest; quia illius destructio cùm absolutè priuaret hominem amicitia Dei & vita spirituali, esset sine comparatione maior pœna priuatione omnium graduum superiorum; & consequenter nequit respondere meritis peccatorum venialium. Sed nec hæc responsio satisfacit, tum quia sine fundamento ad fugiendam vim argumenti excogitata est: tum etiam satis refutata est dictis n.105. & 106. vbi ostendi Primò, pœnæ quæ in priuatione consistit, magnitudinem non esse spectandam ex damno siue incommodo quod punitus per accidens ex ea patitur, sed præcisè ex magnitudine boni, quo priuat. Secundò, quia quando bonum aliquod est recuperabile (vt in præsenti fit) non solùm pœnæ magnitudinem, sed etiam incommoditatem puniti præcipuè spectandam esse, ex magnitudine boni ablati, & difficultate id recuperandi: quare si ob peccata venialia Petro habenti mille gradus gratiæ nongenti auferantur, & Paulo vnicus, quem habebat; ille longè maiorem pœnam maiusque damnum ac incommodum patietur quàm hic, quia priuabitur longè maiore bono, & quod difficiliùs poterit recuperare. cùm hic vnica contritione aut attritione cum Sacramento statim perditam gratiam recuperare possit; ille verò non, nisi magnis ac diuturnis laboribus.

110 Si quis per peccatum veniale perderet gratiā, non fieret Deo inimicus.

Dices, ideo Paulum pati maius damnum, quia redditur inimicus Deo. Respondeo Paulum eo casu desinere quidem esse amicum Dei, tamen non fieri ei inimicum: ad hoc enim requiritur vt committat aliquod peccatum graue siue ex se mortale, quod inimicitiam Dei mereatur; quale non esset illud veniale: quod cùm non contineret veram iniuriam in Deum, non tolleret per se amicitiā inter Paulum & Deum, sed solùm per accidens, quatenus fundamentum amicitiæ, scilicet gratiam habitualem, ob suam debilitatem tolleret. Atque ita posito illo casu talis solùm fieret non amicus Dei, sicut esset homo creatus in puris naturalibus, qui peccaret venialiter.

111 Dices Secundò, Paulus desineret omnino esse amicus Dei, Petrus non: ergo Paulus plus damni pateretur quàm Petrus. Respondeo nego conseq. quia Petrus perderet nongentos gradus amicitiæ Dei, Paulus solùm vnum. Illa autem consequentia solùm esset bona, quando ex perditione omnimoda amicitiæ Dei, aliud grauissimum incommodum sequeretur (sicut sequitur ex perditione vnius panis ad sustentationem vitæ mihi omnino necessarij: quia eam sequitur mea mors) vel saltem quando amicitia Dei perderetur omnino irrecuperabiliter; quod in dicto casu non fieret.

112 Qua ratione peccata venialia infirmāt mortem disponendo ad mortale.

Ad argumenta posita n.97. generatim Respondeo ea solùm probare quæ dicta sunt dub. 6. scilicet peccata venialia minuere perfectionem extrinsecam habitus caritatis, minuendo ipsius feruorem & constantiam in operando, & actualem extensionē: atque ita efficere vt actus rariores & absolutè minùs perfectos eliciat. Item hæc frequentata paulatim peccantem disponere ad peccandum mortaliter. Quia dum minuunt extrinsecam illam perfectionem caritatis efficiunt hominem minùs dignum ac aptum vt frequentes à Deo gratias præuenientes recipiat, redduntque eum magis inclinatum ad amorem rerum temporalium, & ad parui facienda peccata etiam grauiora, vt pulchrè docet S. Gregorius citandus n.114. & consequenter efficiunt eum magis promptum ad peccandum mor- *Gregorius.*

mortaliter. & hac ratione non quidem per se immediatè, sed ratione peccati mortalis, quod dicta ratione sæpissimè causant, animam occidunt. Igitur frequentantes peccata venialia per ea paulatim decidunt à dicta caritatis perfectione, & ratione peccati mortalis, quod illa sæpissimè sequitur, etiam decidunt ab amicitia Dei.

113 Et quidem loca Scripturæ ibi citata, & quædam alia, quæ nobis possunt objici, facilè hunc sensum admittere, satis clarum est ea legenti. Loca verò Patrum apparent paulò difficiliora, & primo aspectu videntur plus velle dicere, præsertim quæ peccata venialia cõparant multis guttis aut arenis implentibus ac mergentibus nauim: sed modo iam dicto ea esse intelligenda, quòd scilicet nos mergant & occidant, non per se, sed ratione peccati mortalis quod ea ferè communiter sequitur, patet Primò, quia aliàs illi Patres docerent, nos ob sola peccata venialia posse excidere omni gratia Dei, & mereri æternam mortem & damnationem. quod, vt ostendi nu. 100. & 101. est absurdissimum, & non satis consonum fidei; & communiter ferè etiam negatur ab ijs qui contrariam sententiam tuentur. Imò ipse etiam S. Augustinus serm. 41. de Sanctis id expressè negat. vbi enumeratis plurimis peccatis, quæ quotidie etiam iusti cõmittunt, subdit: *Quibus peccatis licèt occidi animam non credimus, ita tamen eam velut quibusdam pustulis & horrenda scabie replentia deformem faciunt, vt eam ad amplexus illius sponsi cœlestis, aut vix aut cum grandi confusione venire permittant.* *Augustin.*

114 Secundò, quia ipsi Patres sic se explicant. nam D. Gregorius loco suprà citato, cùm dixisset animam multis leuibus peccatis sicut nauim multis guttis sensim obrui, explicãs quomodo hoc fiat, paulò infrà subdit: *Vnde fit plerumq; vt mens assueta malis leuioribus nec grauiora perhorrescat, atque ad quandam auctoritatẽ nequitiæ per culpas nutrita perueniat. & tanto in maioribus contẽnat pertimescere, quanto in minimis didicit non timendo peccare.* Item l. 10. Moral. c. 9. ait: *Ex vanitate ergo, vt superiùs dictum est, ad iniquitatem ducimur, cùm priùs per leuia delicta diffluimus, vt vsu cuncta leuigante nequaquam pòst committere etiam grauiora timeamus.* Simili modo Patres sæpè dicunt in via spirituali non progredi, esse regredi: non quòd hæc sint formaliter eadem, sed quia communiter coniuncta sunt. Nam qui non conatur proficere, in feruore caritatis deficit. *Gregorius.*

Qua ratione dicatur in via spirituali regredi, qui non progreditur.

115 Ad primum argumentum ex ratione positum nu. 98. Respondeo solùm probare per peccata venialia minui perfectionem extrinsecam habitus caritatis, iuxta iam dicta.

Ad secundum, nego maiorem vniuersaliter esse veram: nam habens intensam caritatem potest ea remissè vti, ob defectũ voluntatis, aut ob impedimenta ex vitiosis habitibus aut aliunde orta.

Ad tertium, nego consequentiam: quia tam actus quàm habitus vitiosi aliquo modo repugnãt feruori & facilitati in operando ipsius caritatis, & consequenter eam impediunt ne actus intensos eliciat: habitus autem vitiosi nulla ratione repugnant intensioni habitus caritatis. sic etiamsi diuersarum scientiarum actus se mutuò impediant, ita vt nequeant tam perfectè elici simul, quàm separatim; habitus tamen nullo modo mutuam perfectionem impediunt.

Ad quartum, nego Primò, consequentiam; 116
quia peccata venialia non minuunt feruorem caritatis, immediatè per se & aliquid ipsi caritati secundùm se detrahendo; sed solùm generando vitiosos habitus, quibus minuuntur habitus virtutum acquisiti, & impeditur naturalis inclinatio in bonum & frequentia gratiarum actualium. sicut tamen illa numquam tollunt omnino naturam, ita nec naturalem nostram in bonum inclinationem, nec efficiunt ne Deus omnino desinat nos suis gratijs præuenire, & consequenter nec tollunt omnem feruorẽ caritatis. Respondeo Secundò, secundam consequentiam esse etiam nullam, quia caritas potest esse sine vllo feruore, vt patet in stultis & paruis pueris baptizatis.

Ad quintum, nego minorem absolutè gene- 117
ratim sumptam, quia inter habentes æqualem caritatem habitualem potest Deus habenti pauciora peccata venialia velle dare maiores gratias præuenientes, & hac ratione eum magis amare quàm alterum. quòd si tamen per amorem Dei intelligamus solam acceptationem ad gloriam, sic maior est falsa. Ad confirmationem, nego consequentiam, si loquamur de amicitia Dei secundùm essentialia sua, quæ consistit in dignitate hominis, & acceptatione Dei qua eũ acceptat ad gloriam. Minuitur tamẽ secundùm feruorem ex parte hominis qui post eiusmodi peccata, quamdiu non resipiscit, minùs feruidè Deum amat: minuitur etiam ex parte Dei quantum ad voluntatem conferendi particularia aliqua beneficia in hac vita, quæ à Deo pauciora communiter recipiunt, qui plura peccata etiam venialia committunt. Ratio autem diuersitatis inter amicitiam humanam & diuinam est, quia cùm homines mutabiles sint, eorum amicitia facilè ob res paruas, imò ob solam amantiũ à se mutuo absentiam minuitur, nisi continuis officijs foueatur: secùs est de amicitia Dei, quæ continuò eadem permanet, nisi per peccatum mortale rescindatur.

Qua ratione Deus amet aut non amet æqualiter habentes æqualem caritatem.

Diuersitas inter amicitiam diuinã & humanã quoad diminutionem.

DVBIVM IX.

Vtrùm caritas quouis peccato mortali amittatur?

HAnc difficultatem tractat D. Thom. 2.2. q. 24. a. 11. & 12. vbi duos errores confutat. Quidam enim aliquando existimarunt veram caritatem semel habitam nunquam posse amitti, atque ita quotquot sunt extra caritatem, eam numquam habuisse, quantumuis eam hominibus visi sint habuisse. 118 *D. Thomas.*

Ita olim sensit Iouinianus teste D. Hieron. libr. 1. contra eum scripto cap. 2. & libr. 2. cap. 1. Eundem secutus est Caluin. lib. 3. Instit. cap. 2. §. 11. vbi docet, fidem & iustitiam propriam esse electorum, semelque habitam numquam amitti. Ad hunc errorem accesserunt olim Beguardi, qui, vt patet ex Clement. *Ad nostrum.* de hæreticis, putabant aliquos ad tantam caritatis perfectionem posse peruenire, vt fierent im-

Error Iouiniani & Caluini. *Hieron.* *Caluin.* *Clem. Ad nostram.*

peccabiles, atque ita caritatem amittere non possent.

119 Probant Caluin. & Iouinian. suum errorem ex quibusdem Scripturæ locis. Primò, quia Iohannis 10. Christus ait de suis ouibus, *Et non peribunt in æternum, & nemo rapiet eas de manu mea.* Iohan.10. 1.Iohan.2. Secundò, quia 1. Iohannis 2. de deficientibus ad hæresim dicitur, *Si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.* Vbi ex eo, quòd illi non perseuerarint inter fideles & seruos Christi, Apostolus colligit eos non fuisse verè fideles. Tertiò, quia 1.Iohan.3. 1. Iohannis 3. dicitur: *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet; & non potest peccare, quoniã ex Deo natus est.* Quartò, quia Cantic.8. dicitur: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, neque flumina obruent illam.* Iohan.4. Quintò, quia Iohannis 4. dicitur: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Rom.8. Sextò, quia ad Rom. 8. dicitur, *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare à caritate Dei.* Septimò, quia 1.Cor.13. ad Corinth. 13. dicitur: *Caritas numquam excidit.*

120 Secundus error est quorumdam nostri temporis hæreticorum putantium caritatem solo peccato infidelitatis amitti, quos damnat Trident. Trident. sess. 6. c. 15 & can. 27. Ad quos satis accesserunt quidam alij, quos videtur D. Thom suprà a. 12. impugnare, qui putarunt caritatem solùm amitti per plura peccata mortalia, aut quando aliquis effrenè se peccatis dat. de quibus Vega l. 14. in Trident. c. 1. Vega.

121 Conclvsio I. Fide certum est caritatem siue veram iustitiam semel habitam posse amitti. Ita sentiunt omnes Catholici cum Trident. Trident. sess. 6. can. 23.

Ezech.18. Probatur Primò, quia Ezechiel. 18. dicitur: *Cùm auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in illa.* Vbi apertè supponitur, iustum posse se auertere à sua iustitia ad iniquitatem & in hac perire. Quibus verbis non solùm Caluinus damnatur, sed etiam Petrus Martyr, qui docuit iustum posse quidem amittere suam iustitiam, non tamen ita, vt eam nunquam recuperet, siue ita vt in sua iniquitate pereat.

Luc.8. Secundò, Lucæ 8. de quibusdam in quos tanquam in petram semen verbi Dei cecidit dicitur: *Qui cùm audierint, cum gaudio suscipiunt verbum, & hi radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Ecce ibi apertè dicitur, à talibus verbum Dei susci pi, & in ijs per fidem crescere, quod sine vita fieri nequit, & postea arescere siue emori.

122 Tertiò, Iohannis 15. Christus hortatur suos Iohan.15. discipulos vt in se maneant, pergendo eum diligere eiusque mandata seruare: eò quòd aliàs fructum ferre nequeant. & subdit: *Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes,* (scilicet à vite præcisus) *& arescet, & colligent eum, & in ignẽ mittent & ardet.* Vbi apertè ostendit, eum qui priùs in se sicut palmes in vite natus fuit & vixit per fidem & caritatem, posse in eo non manere excidendo à caritate, & in æternum perire missus in ignem æternum. Quæ directè pugnant contra Caluinũ & Martyrem. Ratio horum est, quia, etsi caritas ac Dei gratia nos excitent vt peccatis abstinentes maneamus in Christo; tamen non necessitant nos, sed liberum nobis relinquunt arbitrium, quo à Deo ad peccatum possimus auerti. vt bene notat D. August. in lo- August. cum Iohannis iam citatum, tract. 81. Possent hæc pluribus Scripturæ ac Patrum testimonijs probari; sed dicta sufficiũt, cùm clarissima sint; præsertim cùm apertè constet eum semper fuisse totius sensum Ecclesiæ, & eos qui contrarium senserunt, semper habitos fuisse hæreticos. qui plura vult legat Bellarm. lib. 3. de Iusti- Bellarm. ficat. c. 14.

Ad loca Scripturæ num. 119. contra nos ci- 123 tata, Respondeo Primò, generatim ea omnia solùm probare caritatem Deique gratiam, siue actualia auxilia ei coniuncta, quæ Deus suis fidelibus perpetuò suis temporibus sufficienter suppeditat, ex se esse talia, quæ hominem ad omnem virtutem excitent, & ab omni peccato præseruent; ita vt possit numquam peccare mortaliter, aut à Deo separari, si ei velit constanter adhærere, eiusque gratiæ collaborare, prout potest. Atque adeò si peccet hoc non prouenire ex parte caritatis aut gratiæ, aut ex aliquo horum defectu, sed ex libera hominis voluntate se à Deo auertentis; ita vt homo priùs semper deserat Deum, quàm ab eo deseratur, vt Trident. docet Trident. sess. 6. c. 11. quod facilè respondendo ad singula ostendam.

Respondeo igitur Secundò, in primo loco 124 Iohannis 10. in 2. parte explicari priorem, scilicet Christum suas oues sua gratia ita fouere, & contra omnes lupos defendere, vt nemo eas inuitas possit ab eo abripere siue auertere; adeò vt quantum est ex parte Dei & ipsius gratiæ, sint in æternum, si velint, victuræ; hinc tamen nullo modo sequitur, eas non posse sponte à Christo discedere. Sicut ex eo, quòd aliquis sit in loco ita munito, vt hostis non possit eum inde vi abstrahere, non sequitur, eum non posse, si velit, se per muros præcipitem dare, atque in manus hostium ac mortem incurrere. Nemo eas inuitas potest à Christo auferre, possunt tamen ipsas ab eo discedere.

Idemque omnino est sensus illius ad Rom. 125 8. *Certus sum*, &c. Apostolus enim ibi nullo modo intendit docere, fideles aut omnes, aut etiam eos, quibus tunc scribebat, ita in gratia esse confirmatos, vt nullus eorum possit sua culpa ab ea excidere: hoc enim nec contextui, nec ipsius proposito quadrat; & repugnat ijs quæ dicit 1. ad Corinth. c. 10. vers. 12. *Qui se existimat* 1.Cor.10. *stare, videat ne cadat.* & ad Roman. c. 11. vers. 20. Rom.11. *Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time.* scilicet ne cadas. Quorsum autem timeant casum si à Deo separari aut cadere nequeant? Solùm igitur intendit docere, nullum aut hominem aut angelum aut tormentum malumue, quòd hi nobis possent inferre, habere tantam vim, vt possit nos à caritate, qua Deus nos propter Christum complectitur ac fouet, inuitos separare, siue de manu ac protectione eius abripere, quamdiu nos ab ea sponte non discedimus. Hortatur enim ibi fideles, vt fortiter pro Deo omnia aduersa sustineant, nec vllas calumnias, falsas accusationes, aut hominum vel angelorum vim aut tormenta pertimescant; eò quòd nihil horum protegente eos Deo, ipsos possit à cari- Explicatio illius ad Rom. 8. *Certus sum*, &c.

caritate Dei ac sperata ab eo felicitate separare. Cùm potius contrà hæc omnia fortiter ea pro Deo sustinentibus sint profutura; quia diligentibus Deum hæc omnia cooperatur in bonum, vt dixit suprà vers.28. quod etiam probat. *Nam quos præsciuit* (id est præcipuè dilexit: scire enim hîc, vt in multis alijs Scripturæ locis, sumitur pro diligere) *& prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* hîc scilicet in passionibus sustinendis, vt postea sint ei similes in gratia. Vbi ostendit, quòd hîc multa patiamur, non esse signum nos derelictos esse à Deo, sed potiùs contrà inde clarè probari nos magis esse dilectos; vtpote quos vult magis esse similes dilectissimo suo filio. Deinde probat suum intentum. Secundò, quia *si Deus pro nobis, quis contra nos?* & infrà: *Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus est, qui iustificat* (id est iustos nos ostendit contra calumniatores) *quis est, qui cõdemnet?* id est, quæ calumniæ poterunt nobis nocere, ac nos reos facere? Ac si dicat: Nolite multum curare quòd homines infideles vos iniustè accusent tam quam impios, grauissimisque calumnijs vos vbique infament, ac conentur opprimere; nihil enim horum apud Deum, cui vestra innocentia nota est, & qui in die iudicij vos coram omni mundo iustos ostendet, vobis nocere poterit, aut efficere vt minùs vos amet aut beet: præsertim cùm Christus, qui pro nobis mortuus est, & pro quo ista patimini, sedeat ad dexteram Dei pro nobis interpellans. Deinde subiungit: *Quis ergo nos separabit*, &c. Hæc in sensu iam explicato dicta poterant meritò Romanos aliosque fideles ad toleranda omnia aduersa (quod Apostolus ibi intendebat) excitare: cùm contrà si dixisset eos non posse gratiam Dei vllis peccatis amittere; hoc eos potiùs ad negligentiam, & ad quærenda quacumque ratione persecutionis effugia, & consequenter ad negandam fidem excitasset; cùm sibi persuasissent, quidquid agerent se à Dei gratia non posse excidere. Alij aliter hunc locum explicãt, sed hic sensus mihi cum P. Vasquez 1.2.disp.200.c.10. visus est magis literalis & proposito Apostoli conformior.

Scire sæpè sumitur in Scriptura pro diligere.

Nos hîc multa pati, non est signũ derelictionis, sed dilectionis Dei.

Vasquez.

126 Ad secundum locum ex 1.Iohannis 2. Respondent aliqui Apostolum ibi per illa verba, *Non erant ex nobis, etsi fuissent ex nobis*, &c. solùm velle illos non fuisse ex numero prædestinatorũ. Sed hæc responsio mihi videtur difficilis; quia supponit S.Iohannem sciuisse, ac in sua epistola apertè docuisse, eos omnes fideles, ad quos eam scribebat, fuisse prædestinatos: quod parum habet probabilitatis. Cùm enim ibi scribat ad omnes fideles illius Ecclesiæ, vel potiùs ad omnes fideles illarum Ecclesiarum, quarum facit mentionẽ tribus primis capitibus suæ Apocalypseos, qui maximo erant numero, omnino videtur incredibile eos omnes, qui tunc erant verè fideles, aut saltem eos omnes, qui non erant futuri hæretici, fuisse prædestinatos; cùm tamen satis cõstet tã ex Apocalypsi, quàm ex hac ipsa epistola multos inter eos fuisse obnoxios grauibus peccatis, in quibus probabiliter erant perseueraturi. His adde, minùs adhuc videri credibile, S.Iohanni fuisse reuelatum eos fuisse prædestinatos; eumque hoc nomine Dei fuisse testatum: & consequenter illos fide diuina hoc debuisse credere; atque adeò futuros fuisse hæreticos si de sua prædestinatione dubitassent.

Respondeo igitur S.Iohannem ex hæresi, ad 127
quam illi defecerant, quæ negabat Christum esse verum Deum, & multa à doctrina Christi valdè abhorrentia continebat; item ex modo & circumstantijs ipsius defectionis, tam quam valdè & moraliter euidens inferre eos numquam verè & ex animo ipsi Christo ipsiusque doctrinæ perfectè adhæsisse. Non quòd generaliter certum sit, aut etiam probabile, eum qui ad hæresim deficit numquam habuisse veram fidem (hoc enim apertè falsum est, & alijs Scripturæ locis repugnat) sed quia in ijs circumstantijs ea consequentia erat moraliter euidens. Cùm enim illi de doctrina Christi nihil potuerint cognoscere nisi per Apostolos, si vnquam verè ex animo ob eorum prædicationem credidissent Christum esse verum Deum, eaque omnia quæ Apostoli de eo docebant, esse vera, & certissima fide credenda; omnino incredibile est eos tam citò sine vlla noua ratione, qua possent ad hoc moueri, omnino contraria docturos fuisse, arguendo hæreseos ipsos Apostolos magistros suos adhuc viuentes, eò quòd hi in doctrina, quam ab initio ijs tradiderant, persisterent. Alia est ratio subsequentium hæreticorum, qui Apostolos non damnabant, sed eorum doctrinam malè interpretabantur, cuius sensum à defunctis iam petere non poterant.

Aliquẽ fieri hæreticum non est semper probabile signũ eum numquam fuisse fidelẽ.

Ad tertium, variè varij respondent, vt docet 128
Bellarminus libr.3.de Iustific.cap.15.sed ij probabilissimè, qui dicunt Apostolum loqui in sensu composito, scilicet habentem caritatem non peccare, quantum est ex parte caritatis, & manendo in caritate. Vult enim ibi ostendere, qua ratione possimus cognoscere qui sint in caritate, & qui non sint; & dat hæc signa, quòd ij qui peccant non sint in caritate, quia per peccata eam perdunt, atque ita existentes in caritate, scilicet permanenter, siue manendo in ea, peccare non possint; quia peccando ab ea exciderent.

Bellarm.

Ad quartum, Respondeo illo loco Canticorum solùm dici caritatem iunctam alijs auxilijs diuinis quæ eam comitari solent, esse sufficientem vt omnes tentationes superet, si eis velimus cooperari. vt dixi nu.122. Idem dicendum de quinto loco. nam illo Iohannis 4. solùm significatur gratiam Dei ex se hominem instigare, vt relictis omnibus rerum terrenarum cupiditatibus soli Deo inhæreat, eoque satietur; illoque hoc consequi, qui toto affectu hanc gratiam hauriunt, eiusque instinctum sequuntur. 129

Ad sextum, respondi num.123. Ad septimum, Respondeo Apostolum nullo modo ibi dicere, caritatem hîc non posse perdi per peccatum mortale: sed solùm eam non euacuari per visionem beatificam, sicut fides & spes euacuantur: aliàs ipse doceret, caritatem hîc posse manere sine fide & spe, quod absurdissimum est.

Conclvsio II. Caritas expellitur per 130
quoduis peccatum mortale. Est communis omnium

mnium Catholicorum , & apertè definita à *Trident.* Tridentino sessione 6.cap.15.& canone 27. vbi *1.Cor.6.* id bene probat ex 1.ad Corinth.6.vers.10.Vbi dicitur,nec fornicatores,nec molles, nec adulatores, nec fures, &c. regnum Dei possessuros: quod esset falsum,si illi per eiusmodi peccata non perderent caritatem. Omnis enim qui vel semel fornicatur, aut furatur, aut adulterium committit , est vel fornicator, vel fur, vel adulter , quantumuis retineat fidem, & consequenter, nisi pœnitentiam egerit, non possidebit regnum Dei, quod, vt iam dixi , esset falsum si tales per illa peccata non perderent caritatem. Et ratio est , quia, sicut per quoduis vulnus lethale homo viuens occiditur corporaliter ; ita per quoduis peccatum mortale occiditur spiritualiter (nam aliàs hoc peccatum non esset mortale) & consequenter amittit caritatem , quæ est vita animæ.

DVBIVM X.

Vtrùm peccatum mortale physicè & ex natura sua ita expellat caritatem , vt hæc nulla ratione possit cum eo consistere?

131 QVidam absolutè affirmant fieri nullo modo posse, vt Deus conseruet gratiam siue caritatem in eo qui mortaliter peccat. Hanc tenent omnes, qui docent gratiam siue caritatem nullo modo posse consistere cum peccato mortali habituali , quos citaui disput.21.dubio 8. initio, præter Lorcam, qui etsi doceat *Lorca.* implicare , vt gratia habitualis consistat cum peccato habituali ; tamen putat eam nihilominus posse consistere cum peccato mortali actuali , si Deus eam in peccante vellet conseruare : quo casu ait talem nullam peccati maculam contracturum , sed mansurum iustum.

Probant autem alij illi Auctores suam sententiam ijsdem rationibus, quibus probant impossibile esse caritatem simul in eodem consistere cum peccato habituali ; quia scilicet caritas est formaliter amicitia Dei , conuersio ad Deum , iustitia , &c. peccatum verò est inimicitia cum Deo , auersio à Deo, iniustitia, &c. quæ simul in eodem esse nequeunt. quæ dicto dubio 8. satis refutaui. & positis quæ ibidem dixi , solutio huius difficultatis est facilis.

132 Conclvsio I. Peccatum mortale expellit gratiam seu caritatem propriè demeritoriè. *D.Thom.* Ita D.Thomas 2.2.quæst.24.art.10.& 12.in corpore.& Auctores citandi conclusione 2.Probatur, quia cùm contineat grauissimam in Deum offensam, atque veram iniuriam, meretur absolutam rescissionem amicitiæ, ac odium ipsius Dei,& æternam damnationem, & consequenter ablationem ipsius caritatis, qua homo constituitur dignus amore ac amicitia Dei , atque adeò ipsius filius,& heres æternæ gloriæ. Etsi enim hæc dignitas ac filiatio sit annexa caritati ex solo Dei decreto; est tamen ei de facto inseparabiliter annexa,vt ostendi dicto dubio 8. concluſ.1. Atque ita quicumque meretur ampliùs non esse filius Dei etiam meretur priuari caritate.

Conclvsio II. Peccatum mortale actuale 133 non habet ex natura rei repugnantiam cum habitu caritatis,qua eam necessariò expellat: quare si Deus vellet, posset in peccante mortaliter caritatem conseruare. Ita Auctores citati disp. 21.dubio 8. concluſ.3. & præterea Bonauent.in *Bonauent.* 3.d.31.art.1.quæst.1. Durandus in 1.d.17. quæst. *Durand.* 10.Paludan.in 3.d.31.quæst.1. art.3.Contardus *Paludan.* 1.2.q.21.a.4.Henriq.quodl.5.quæst.23.Almain. *Contard.* tract.2.Moral.c.5. Lorca 2.2.sect.3. disp.22. vbi *Henric.* docet eam esse ferè communem omnium anti- *Almain.* quorum sententiam. Malderus 2.2.quæst.24.a. *Lorca.* 12.concl.5.& plurimi recentiores.eamque aper- *Malder.* tè insinuat D.Thom.ibidem in corpore, vtin- *D.Thom.* frà ostendam.

Probatur Primò,ex dictis disp.21.dub.8.vbi refutaui omnes rationes , quibus alij probant caritatem non posse vlla potentia in eodem cum peccato mortali consistere.

Probatur Secundò, quia ratio formalis pec- 134 cati actualis (secundùm quam solùm,vt omnes fatentur, potest aliquam habere repugnantiam cum caritate) consistit aut in aliqua formalitate merè morali,aut in priuatione actualis bonitatis siue rectitudinis debitæ inesse: atqui neutra ratione potest habere repugnantiam physicam cum caritate: ergo nullam eiusmodi repugnantiam cum ea habet. Minor probatur,quia for- *Formalitas* malitas moralis, cùm non sit aliquid physicum, *moralis si* nequit cum ente physico habere physicam re- *ente physico* pugnantiam. Item dicta priuatio nec contrariè *nequit habere physici* potest opponi caritati, vt per se patet; nec et- *repugnantiam.* iam priuatiuè,quia hoc modo sola priuatio caritatis opponitur caritati,qualis secundùm omnes non est formalis ratio peccati actualis.

Respondent aliqui Primò, peccatum actua- 135 le expellere caritatem , quatenus illud est quædam iniustitia & auersio à Deo;hæc verò quædam iustitia & conuersio ad Deum, quæ simul in eodem esse nequeunt. Sed hoc satis refutaui disput.21.dubio 8.nu.92.93.& 113.Respondent Secundò,illud repugnare caritati mediatè,quatenus necessariò in nobis causat priuationem gratiæ siue caritatis, in qua consistit peccatum habituale , atque ita necessariò illam expellit; sicut qui causat alicubi tenebras,necessariò expellit lumen.

Sed contrà , Hoc argumentum supponit 136 Primò , peccatum habituale consistere in priuatione gratiæ habitualis , quod satis refutaui disput.21.num.105. Secundò, me posse immediatè causare priuationem alicuius rei , siue hanc destruere aut expellere ponendo immediatè ipsius priuationem. quod apertè implicat; quia nulla potest dari actio immediatè tendens ad priuationem alicuius rei; sed vt ponam alicuius formæ priuationem , debeo primò & immediatè destruere vel expellere ipsam formam,vel producendo formam ei repugnantem, qua formaliter expellatur , vel subtrahendo concursum ad eius conseruationem necessariũ, aut impediendo causam, à qua necessariò conseruatur , ita vt eã vlteriùs conseruare nequeat. *Nulla dari actio immediatè tendis in priuationem, vnde hæc solum consequuntur ponit.*

v.c.

v.c. vt ponam in aliquo subiecto priuationem caloris, necessarium est vt producam in eo frigus, aut vt impediam ne causa, à qua calor necessariò conseruabatur, possit eum vlteriùs cõseruare. Item vt ponam alicubi tenebras, necessarium est vt corpus luminosum aut extinguam aut amoueam, aut vt impedimentum ipsi obijciam, ita vt in eo loco ampliùs nequeat lucere. Quare similiter vt quis ponat in aliquo priuationem gratiæ, necessarium omnino est vt aliquo ex dictis modis gratiam expellat, scilicet aut producendo aliquam formam ei repugnantem, aut impediendo immediatè Deum, ne gratiam conseruet; & sic solùm consecutiuè poterit ponere priuationem gratiæ.

137 In peccato nulla est forma caritati physicè repugnans.

Peccatum autem nullo ex dictis modis destruere physicè caritatem clarè patet. nam nec producit aliquam realem formam physicè repugnantem caritati; nulla enim talis vel apparenter potest fingi, præsertim in peccato omissionis; nec etiam tollit causam conseruãtem caritatem, quia hæc est solus Deus; nec etiam opponit Deo physicum aliquod impedimentum, quo in gratiæ conseruatione ita impediatur, vt eam vlteriùs nequeat conseruare, sicut opponimus impedimentum soli, dum claudimus fenestras. Illud enim fieri non posse etiam clarè patet: tum quia hîc nulla talis physica entitas potest fingi (quia, vt omnes fatentur, quidquid est in peccato mortali physicum, potest cum caritate consistere) tum etiam quia aliàs sequeretur, virtutem diuinam vinci vi aliqua creata, eaque compelli ab aliqua actione, scilicet ab vlteriore gratiæ conseruatione, desistere, sicut occlusione fenestræ superatur vis illuminatiua solis, & compellitur desistere ab illuminatione cubiculi. Illud autem absurdissimum est, nec puto vllum id in terminis ausurum admittere.

138 Ex quibus patet Primò, dicere peccatum expellere ex sua natura caritatem, siue gratiam habitualem, producendo immediatè in anima eiusdem priuationem: idem esse ac si diceres aliquem posse meridie expellere aliquo loco lumen nullum corpus soli obijciendo, sed præcisè ibidem tenebras ponendo siue producendo. quod apertè absurdum est.

139 *Lorca.* Lumen expellit tenebras, hæ tamen non expellunt lumen.

Patet Secundò, bene dixisse Lorcam 2.2. sect.3. disput.22. num.5. etsi lumen verè formaliter expellat tenebras; non tamen contrà dici posse tenebras expellere lumen. quia scilicet potest dari actio immediatè tendens ad productionem luminis, quo tenebræ expellantur; nulla tamen potest dari actio, qua immediatè tenebræ producantur: sed omnis actio qua tenebræ induci possunt, primò tendit in destructionem luminis, impediendo causam ipsum conseruantem, & tantùm consecutiuè ad positionem tenebrarum; vnde ad productionem aut destructionem luminis consecutiuè se habet ablatio aut positio tenebrarum, non contrà; ita scilicet vt tenebræ dicantur expelli aut poni, quia lumen producitur aut tollitur; non tamen contrà lumen potest dici aut produci aut expelli, quia tenebræ ponuntur aut tolluntur. quia, etsi exstinctio luminis sit causa tenebrarum, hę tamen nullo modo possunt esse causa extinctionis luminis.

Vnde ipse ibidem num.6. & 14. infert Primò, etiam posito quòd peccatum habituale (prout ipse putat à parte rei fieri) consistat formaliter in priuatione gratiæ habitualis, nihilominùs hanc non habere immediatam & formalem repugnantiam cum peccato actuali, nec hoc ex natura sua habere vim illam expellendi; nisi mediatè per modum meriti & moralis impedimenti, quo Deus (vt infrà dicam) ratione alicuius indecentiæ, quæ contingeret si gratia sine iusta causa conseruaretur in peccatore, & præcipuè ratione sui decreti, quo statuit eam in hoc non conseruare, quodammodo impeditur ne eam in peccatore conseruet; sicut occlusio fenestræ impedit solem ne lumen in cubiculo conseruet: sicut tamen non obstante hac occlusione Deus posset facere, vt sol pergeret cubiculum illuminare; ita etiam non obstante peccato actuali, posset conseruare gratiam in peccante. 140

Infert Secundò, si Deus ea ratione gratiam siue caritatem in peccante mortaliter conseruaret, hunc non contracturum peccatum habituale, sed permansurum verè iustum & amicum Dei, eodem modo atque is qui per solam attritionem cum Sacramento iustificatur, est verè amicus Dei; aut sicut esset is, cui Deus post peccatum mortale sine vlla eius pœnitentia gratiam iustificantem infunderet. 141

Quæ illationes sunt bonæ, posito quòd peccatum mortale habituale consistat formaliter in priuatione gratiæ habitualis, & quòd hæc ita necessariò hominem iustificet, vt fieri nequeat, quin eam habens sit iustus & amicus Dei. Sed ex aperta absurditate huius consequentis debuisset colligere falsitatem illius antecedentis siue suppositi, scilicet peccatum habituale consistere formaliter in illa priuatione, &c. Apertissimè enim absurdum est hominem grauissima peccata odij Dei, desperationis, & infidelitatis committentem, perseuerare iustum, amicum Dei, dignum cælo, &c. Quare si caritas natura sua haberet vim hominem quocumque casu iustificandi, ita vt implicaret eum cui inest non esse de facto iustum & amicum Dei; putatem apertè ac optimè inferri, Deum non posse eam conseruare in peccante mortaliter: vel potiùs nullo modo fieri posse vt is qui eam habet, peccet mortaliter; sicut fieri nequit, vt natura vnita hypostaticè personæ diuinæ vlla ratione peccet. Quod cùm experientia doceat esse falsum, videor mihi inde bene colligere falsitatem illius suppositi. 142

Si peccatum non posset consistere cum gratia, habens gratiam nõ posset peccare.

His demum aliqui obijciunt auctoritatem D. Thomæ, qui 2.2.q.24.a.10. docet, peccatum mortale destruere gratiam, non tantùm demeritoriè, sed etiam effectiuè, quia omne peccatũ mortale contrariatur caritati. Sed D. Thomam ibi nullo modo pro illis, sed potiùs pro nobis facere, patet Primò, quia ipse non dicit peccatum formaliter expellere caritatem, prout illi asserunt, sed effectiuè. Secundò, quia ibidem tam art.11. quàm 12. expressè docet, pec- 143 *D. Thomas.*

catum expellere gratiam demeritoriè. Tertiò, quia dicto art.11. ex eo quòd à solo Deo possit produci, infert quòd diminutio aut ablatio siue destructio gratiæ non possit fieri nisi à Deo subtrahente gratiam in pœnam peccati. Quæ verè & propriè dici nequeunt, si peccatum formaliter expellat gratiam, sicut frigus calorem aut habitus vitiosus habitum virtutis: malè enim dicerem, hominem hunc habitum demeritoriè destruere, eumque perire Deo eum subtrahente in pœnam peccati: vt enim pereat, sufficit induci habitum vitiosum quo formaliter expellatur: nec opus est Deum ipsum subtrahere. Conantur aliqui huic argumento respondere; sed insufficienter, vt facilè patebit eos legenti: quare non putaui operæ pretium ijs refutandis immorari.

Si peccatum expelleret gratiam formaliter non expelleret eam demeritoriè.

144 *D. Thomas.* Tertiò, quia ipse D.Thom.art.12. explicat quomodo peccatum contrarietur caritati, eãque effectiuè expellat, non immediatè per se formaliter, nec inducendo immediatè formam aut priuationem ei repugnantem, vt alij volunt. Sed quia *caritas statim desinit esse in anima per hoc, quòd aliquod obstaculum ponitur influentiæ caritatis à Deo in animam.* quale autem hoc obstaculum sit, & quomodo peccatum contrarietur caritati pergit explicare his verbis: *Manifestum est autem quòd per quodlibet mortale peccatum, quod diuinis præceptis contrariatur, ponitur prædictæ infusioni obstaculum; quia ex hoc ipso, quòd homo eligendo præfert peccatum diuinæ amicitiæ, quæ requirit vt Dei voluntatem sequamur, consequens est vt statim per vnum actum peccati mortalis habitus caritatis perdatur.*

145 *D. Thomas.* In quo D. Thomas cõstituat contrarietatem peccati cum gratia.

Ex quibus patet Primò, D.Thom.omnem contrarietatem peccati mortalis cum caritate in eo constituere, quòd caritas nos inclinet ad conseruandam Dei amicitiam, quæ exigit vt eius mandata seruemus; & quòd hæc per peccatum mortale violentur. quam contrarietatem patet solùm esse moralem, non autem physicam.

Qua ratione peccatum effectiuè expellat gratiã secundùm D.Thom.

Secundò, eum sentire peccatum hac solùm ratione effectiuè expellere caritatem, quatenus efficiendo hominem indignum habitu caritatis, obijcit Deo impedimentum, ne eam ampliùs in eo conseruet: idque tum ratione decreti diuini, quo statuit eam non conseruare nisi in amico, & consequenter in nullo peccante mortaliter: tum etiam quia non decet tantum Dei donum ac animæ ornamentum in peccatore conseruari. sicut reo læsæ maiestatis non decet relinqui vsum eorum ornamentorum, quæ solis amicis regis solent concedi. hæc tamen indecentia non est tanta, quin Deus secluso suo decreto posset plurimas habere causas, ob quas decenter caritatem in peccatore conseruaret.

DVBIVM XI.

Vtrùm caritas, siue gratia habitualis, & peccatum mortale actuale sint de facto simul in eodem instanti?

LOrca 1.2.sect.6.disput.40.vt meliùs ostenderet peccatum mortale actuale non habere physicam repugnantiã cum gratia habituali, docuit ea de facto in eodem instanti esse simul. Quam opinionem cùm quidam tam quam parum consonam fidei grauiùs notassent, ipse 2.2. sect.3.disp.22.in appendice eam fusè defendit. Probatque eam, quia prius est hominem peccare mortaliter, quàm priuari gratia: ergo peccatum mortale & gratia sunt simul in eodem instanti. Antecedens probatur Primò, quia Trident.sess.6.c.11. docet, Deum iustos sua gratia non deserere; nisi ab ijs priùs deseratur. Secundò, quia, vt omnes fatentur, peccatum demeritorie destruit gratiã, Deo hanc in illius pœnam subtrahente: atqui peccatum debet esse prius ipsa pœna: ergo prius est peccatum esse factum saltem quoad internum consensum, quàm gratiam tolli. Consequentia primi argumenti probatur: quia in illo priori naturæ, quo concipitur peccatum fieri siue consummari, gratia adhuc est: ergo est simul cum peccato. 146 Lorca.

Deinde partim explicando suam sententiã, partim respondendo quibusdã obiectionibus, Primò nu.27. docet, gratiam habitualem coëxistere simul cum peccato actuali, eodem instanti tẽporis non continui & materialis, sed discreti & spiritualis. *Ita vt instans consummationis peccati actualis* (loquitur autem de interno consensu) *sit vltimum instans illius actus, & simul etiam sit vltimum esse gratiæ habitualis: sequens verò instans immediatum sit primum instans peccati habitualis, & primum non esse gratiæ.* Deinde n.30.docet, etsi duo instantia temporis continui nequeant sibi mutuo immediatè succedere, secùs tamen esse in instantibus discretis. & n.31.& 32. docet, duobus illis instantibus discretis respondere vnicum instans temporis continui, in quo gratia simul est, & non est. nec hoc inuoluere contradictionem, quia illud instans temporis continui est solùm mensura extrinseca illius actus & priuationis: mensura autem eorum intrinseca est instans discretum, respectu cuius non sunt simul in eodem instanti. Deinde nu.33. hæc explicat exemplo aquę tangentis durum planum, quorum extimæ superficies, etsi interse distinctæ, tamen sunt simul in eodem indiuisibili loci. 147

Sed hæc inuoluunt multa apertè absurda ac falsa, atque adeò directè contradictoria. nam Primò, nu.27. dicit non esse concedendum gratiam & peccatum actuale coëxistere simul in eodem instanti temporis continui, sed in eodem instanti temporis discreti. & tamen nu.31. & 32. docet, gratiam & priuationem ipsius (in qua secundùm eum consistit peccatum habituale) esse simul in eodem instanti temporis cõtinui. Quare peccatum actuale quod est prius natura peccato habituali, erit simul cum gratia 148

in

in eodem instanti temporis continui, quod suprà negauit.

149 Secundò, quia n.27.& 32.docet durationem & coëxistentiam rerum spiritualium, qua dicũtur esse aut non esse simul, metiendam esse secundùm instantia tẽporis, non continui, sed discreti. quod infrà ostendã esse omnino absurdũ.

Tertiò, numero 27. docet, gratiam desinere esse per vltimum sui esse, siue dari aliquod instans vltimum ipsius esse gratiæ, cùm tamen cõmuniter omnes philosophi doceant omnes res desinentes necessariò desinere per primum sui non esse, ne aliàs dentur duo instantia sibi immediatè succedentia. Nec huic difficultati Lorca satisfacit, dicendo se loqui de instantibus discretis, quorum vnum potest alteri immediatè succedere: quia cùm hæc patiantur quamdam durationis latitudinem, & quidem sæpè valdè magnam, vt infrà ostendam; per ea non possumus ostendere quando præcisè res aliqua incipiat, aut desinat esse, aut quæ res possint aut non possint simul tempore esse.

150 Quartò, quia docet, instans, quo interiùs consummatur peccatum mortale, esse vltimum instans illius actus. Quod apertè absurdè dicitur: nam si loquamur de instanti temporis, cùm ille actus incipiat esse, & consequenter esse peccatum mortale in instanti, & necessariò aliquo tempore duret, instans quo consummatur in esse peccati mortalis, non est vltimum, sed primum ipsius esse. Si verò loquamur de instantibus discretis, tunc si ille actus maneat toto tempore, quo est inuariatus, vnicum habet instans, quod non est magis vltimum, quàm primum, & propriè nec vltimum nec primum: si verò eò quòd intendatur aut remittatur, varietur (vt sæpè in nostris actibus fit) tunc illud instans, quo consummatur in esse peccati, est necessariò primum & nullo modo vltimum.

Consummatur peccatum inter-num in esse peccati non vltimo sed primo instãti ipsius actus.

151 Quintò, docet instantia discreta sibi mutuò succedentia non facere quid maius, quia indiuisibile additum indiuisibili non facit maius, ideoque ea posse esse simul in eodem instanti nostri temporis. vnde sequitur, tempus discretum, quod componitur ex instantibus discretis, non esse maius vno ex suis instantibus, & posse totum simul existere in vno instanti nostri temporis. quæ apertè absurda sunt, satisque insinuant suum Auctorem non satis intellexisse quid sit instans discretum, & quare dicatur indiuisibile.

Sextò, quia docet eandem gratiam eodem instanti temporis continui posse simul esse & non esse, non tamen in eodem instanti discreto. quæ apertam contradictionem inuoluunt, & longè faciliùs posset concipi gratiam esse, & non esse in eodem instanti temporis discreti, quàm in eodem instanti temporis continui: vt ex dicendis patebit.

Idem potest esse & non esse intra vnum instans discretũ, non tamen in eodem instanti temporis continui.

152 Vt autem hæc clariùs intelligantur, Nota Primò, sicut (vt ostendi tom.1.de Sacram.q.75. a.5.dub.1.n.70.) datur duplex locus, scilicet vnus realis & extrinsecus, qui est superficies corporis ambientis locatum; alius verò intrinsecus non realis, qui nihil est aliud quàm ipsum spatium intra illam superficiem contentum, quod totum à locato occupatur, & manet idem quãtumcumque corpus ambiens mutetur. Simili modo etiam datur dũplex tempus: aliud enim est reale, quod nihil est aliud, quàm ipse motus rei mobilis, aliaũe res, prout habet prius & posterius, siue prout successiuè durat: tempus autem sic sumptum diuiditur in continuum & discretum. Aliud verò est non reale, quod nihil est aliud quàm ipsa mora qua motus aliæue res durant.

Sicut datur duplex locus, ita datur duplex tempus, vnũ reale & alterum non reale.

153 Sicut autem præcipuæ loci proprietates, vt quòd ex se omnino immobilis & inuariabilis sit, conueniunt primò & per se illi spatio, loco verò reali aut nullo modo, aut non nisi quatenus dicit necessarium ordinem ad tale spatium: ita proprietates temporis (vt quod nec tardum sit, nec velox, & necessariò semper æquabile, & vnum ac idem vbique) primò & per se conueniunt illi moræ; nam quiuis motus est velox aut tardus, & vnus alio modo velocior, modò tardior: nam etsi motus eiusdem cæli sit semper æquè velox, tamen semper est velox, &, si Deus vellet, posset esse velocior aut etiam omnino sisti; vt contigit tempore Iosue, & fiet post diem iudicij. Item sicut varij variarum rerum sunt motus, ita tempus reale ijs identificatum necessariò varium & multiplex est. Quamuis omne tempus dicatur etiam aliquo modo vnũ ratione illius moræ, siue temporis non realis, quod vbique est vnum, ad quod tempus reale dicit necessarium ordinem.

Præcipuæ loci & temporis proprietates conueniunt solis non realibus.

Tempus reale secundùm se varium est, & solùm est vnum ratione temporis non realis.

154 Nota Secundò, ideo propriè motum aliaũe rem dici patum vel multũ siue diu durasse; quia coëxtitit paruæ aut magnæ tali moræ, siue magno aut paruo tempori non reali; non autem quia coëxtitit paruo aut magno motui: nec etiam ipse motus, quia magnus aut paruus est, ideo dicitur plus minusue durasse. v.c. eo tempore, quo index horologij mouetur per spatium vnius pedis, sol mouetur per multa millia milliarium, atque ita hic motus sine comparatione maior est illo, & tamen vterque æquè diu durauit; cuius nulla alia est ratio, quàm quia vterque æquali eiusmodi moræ coëxtitit. Idemque est de rebus permanentibus tam spiritualibus quàm corporalibus; quæ prout maiori vel minori tali moræ coëxtiterunt, ita plus vel minùs dicuntur durasse. quod esset verum etsi nullus omnino motus esset. Nam Deus ante creationem mundi omnemq; motum infinito spatio durauit; & post diem iudicij cælum sine omni motu in infinitum durabit.

Duratio rerum per se mensuratur tempore nõ reali.

155 Nota Tertiò, cum Suarez tom.2.Metaphys. disp.50.sect.7.n.8. sicut tempus reale corporale est motus rei corporalis: ita tempus spirituale esse motum rei spiritualis cõtinuò successiuum. vt fit quando angelus localiter mouetur, aut qualitas aliqua spiritualis continuò aliquamdiu intenditur.

Suarez. Tempus reale spirituale est motus spiritualis.

156 Nota Quartò, cum eodem suprà n. 9. præter tempus continuum, de quo iam diximus, Auctores assignare aliud tempus discretum, quod conficitur ex instantibus discretis. vbi etiam ex communi sententia docet, instans discretum dici durationem alicuius rei, quæ tota simul & immutata finito temporis spatio exiitit, siue

Instans discretum quid sit.

hoc sit paruum,siue magnum,& siue res illa sit corporalis, siue spiritualis Dicitur autem hæc duratio instans,quia sicut instans temporis cõtinui,est totum simul,ita res illa,& consequenter eius duratio,quæ ei identificatur,est tota simul,nec habet partem post partem,sicut habet motus; & hac etiam ratione dicitur indiuisibilis. Qua etiam ratione æternitas & æuum angeli dicuntur durationes indiuisibiles.

Cur dicatur instans, & indiuisibile

157 Vt aliquid duret debet tempori cõtinuo coëxistere; & quidem lõgiori vt diutiùs duret.

Quia tamen istiusmodi duratio, vt habeat rationem durationis, necessariò dicit coëxistẽtiam & respectum ad aliquod tempus continuũ reale aut non reale (nam si solùm per vnum instans temporis continui existeret, non posset dici durasse, quia hoc aliquam moram significat) sicut ratione huius ipsa res in se inuariata permanens dicitur plus minúsve durasse, prout maiori aut minori eiusmodi tempori coëxstitit: ita ob eandem rationem ipsius duratio dicitur maior aut minor, & vna res duplo aut triplo plus siue diutiùs alia durasse. vnde patet, eam durationem hac ratione posse aliquo modo dici diuisibilem, quatenus coëxistit tempori diuisibili. Eiusmodi autem instantia discreta sibi mutuo succedentia, siue in rebus spiritualibus, siue in corporalibus, constituũt tempus discretum, sic dictum, quòd ipsius partes non habeant inter se necessariam connexionem & vniformitatem, ideoque etiam illæ partes dicuntur instantia discreta.

Qua ratione duratio instãtis discreti sit diuisibilis.

Tempus discretum quid sit.

158 Quid sit aliquid existere in tempore aut instanti siue continuo, siue discreto.

Nota Quintò, sicut aliquid existere in aliquo tempore, nihil est aliud quàm coëxistere huic tempori, siue existere dũ hoc tempus existit siue durat; ita aliquid existere in aliquo instanti nihil est aliud quàm id existere dum hoc instans existit. Quare aliquid existere in aliquo instanti discreto (si ita loqui liceat) nihil aliud potest significare, quàm illud existere dũ hoc instans existit siue durat, siue illud huic coëxistere. Item sicut vt aliquid verè dicatur existere in aliqua hora, sufficit quòd existat in aliqua parte illius horæ siue initio, siue in fine: ita vt aliquid dicatur existere in aliquo instanti discreto, sufficit quòd existat in aliqua parte temporis, quo hoc instans durat: hoc enim apertè sufficit vt dicatur ei coëxistere.

159 Duratio cuiusque rei dicit aliquid intrinsecũ, & aliquid extrinsecum.

Hinc sequitur Primò, durationem cuiusque rei dicere duo, vnũ ei omnino intrinsecũ, scilicet essentiam rei durantis; alterum ex parte extrinsecum, scilicet coëxistentiam & respectum ad aliquod temporis spatiũ, siue ad moram suprà dictam, quæ rei duranti extrinseca est, quãuis ille respectus siue coëxistentia cũ dicta mora sit de intrinseco conceptu ipsius durationis, qua talis est. vt ostendi n. 156.

160 Rerum duratio habet duplicem quantitatẽ.

Sequitur Secũdò, durationem cuiusq; rei habere duplicem quantitatem. quarũ vna consistit in perfectione, aut in extẽsione locali ipsius rei aut motus durantis: sic rei perfectioris perfectior est duratio; & sicut motus extensus per milliare dicitur longior eo qui extenditur solũ per sex pedes; ita eius duratio pótest aliquo modo dici longior, quamuis minus propriè. Altera consistit in coëxistentia cum maiore aut minore mora siue spatio temporis, à qua propriè aliquid dicitur parũ aut multũ durare, & consequenter ab eadem eius duratio propriè dicitur lõgior aut breuior, maior aut minor. Siue enim res aliqua secundùm se sit multùm aut parum perfecta, magna vel parua, longa aut breuis, siue corporalis siue spiritualis, ideo propriè non dicitur plus minúsve durasse: sed præcisè ex eo, quòd paruo vel magno temporis siue illius moræ spatio coëxstiterit. Hinc si sol duplo celeriùs moueretur, quàm iam de facto mouetur, eodem illius moræ siue temporis spatio, quo iam semel cælũ circumit, bis idem circumiret, atque adeò duos dies & duas noctes conficeret; & qui tunc toto illo spatio exstitisset, duobus diebus & duabus noctibus exstitisset, & tamen non exstitisset diutiùs eo qui iam vna die ac nocte existit: quia tunc duo dies non durarent diutiùs quàm vnus iam duret.

Vnde res dicatur paũlò aut multùm durasse.

Sequitur Tertiò, connaturalem mensuram durationis cuiusq; rei creatæ (siue hęc spiritualis sit, siue corporalis; siue successiua, siue permanens) ex cuius comparatione siue commensuratione propriè ac per se debeat cognosci quãdiu res quæuis durauerit, esse dictam moram siue spatium temporis. Patet, quia, cùm idcò præcisè res aliqua dicatur tamdiu durasse quia tantæ moræ siue spatio temporis coëxistit: hoc ipso quo scimus quantæ moræ coëxstiterit exactè scimus quantũ durarit; nec aliter id possumus cognoscere: planè eodem modo sicut cognoscimus longitudinem panni per hoc, quòd scimus eum tot vlnis coëxtendi. Quare si illam moram secũdùm se possemus exactè distincteq; cognoscere, non esset nobis opus alia durationis mensura; quia tamen eam in se non possumus ita distinctè cognoscere, necessariæ nobis sunt aliæ mensuræ, v.c. motus solis, horologij, clepsydræ, &c. quibus metimur primò ipsam moram siue spatium temporis elapsi, & hac iam cognita metimur durationem rei ei coëxistentis.

161 Tempus sũ reale esse, & reale solùm per accidens mensura durationis.

Sequitur Quartò, vt aliqua dicantur verè coëxstitisse simul, nullo modo sufficere quòd exstiterint in eodem instanti discreto. quia, vt iam ostendi num. 156. eiusmodi instantia solùm sunt indiuisibilia, & tota simul ratione suæ entitatis, quæ semper est tota simul; ratione verò suæ coëxistentiæ cum tempore continuo eorũ duratio habet magnam extensionem, & diuersis rebus sibi inuicem succedentibus coëxistit: & hac ratione possunt aliquo modo dici habere partes suæ durationis. Ponamus igitur quòd tale instans duret sex horis, sex diuersæ res singulis horis poterunt ita coëxistere vni illi instanti discreto, vt tamen sibi mutuo nullo modo coëxistant, siue ita vt nulla cum altera simul existat; sicut res omnes quantũuis inter se spatio temporis distantes, existunt in vno indiuisibili instanti æternitatis: ex quo tamen nullo modo sequitur, eas omnes simul existere.

161 Vt aliqua sint simul non sufficit ea coëxistere eidem instanti discreto.

Sequitur Quintò, vt negatio & affirmatio eiusdem rei, siue spiritualis ea sit, siue corporalis, sint verè contradictoriæ, non sufficere quòd respiciant idem instans discretum; sed requiri & sufficere, quòd respiciant idem instans temporis cõtinui. Patet, quia habeat v.c. S. Michaël vnicam cogitationem, quæ inuariata duret integra hora, ipsa constituet vnicũ instans discretum,

163 Contradictoriæ rei non eiunt idem instans non discretum, sed temporis continui.

tum, & interim decem actus amoris Dei interiecta inter singulos aliqua mora eliciam: quo casu decies in eodem instanti discreto, siue dum durat idem instans discretum in Michaële, in me erit negatio & affirmatio eiusdem rei spiritualis, scilicet actus amoris Dei; & decies de me erit verum dicere quòd amem, & quòd non amem; penitus tamen implicat eandē rem esse, & non esse in eodem instanti temporis cōtinui. Ratio est, quia cùm hoc instans non habeat durationem vllo modo extensam, est omni ratione indiuisibile, ideoque quæ ei absolutè coëxistunt, sunt necessariò absolutè simul; secùs est in ijs quæ coëxistunt instanti discreto, vt patet ex dictis.

164 Instans discretum alteri succedēs facit aliquid maius.

Sequitur Sextò, apertè absurda ac falsa esse quæ ex Lorca retuli n.146. Primò, *instans discretum immediatè alteri instanti discreto succedens non facere quid maius, siue non constituere maiorem durationem, atque adeò vtrique solùm respondere vnicum instans nostri temporis*: cùm iam ostenderim, quoduis instans discretum necessariò durare per aliquod tempus. Secundò, *vt negatio & affirmatio eiusdem rei spiritualis sint contradictoriæ, debere respicere idem instans discretum; & eandem rem posse simul esse, & non esse in eodem instanti nostri temporis.* Quod autem pro se adfert de superficie aquæ simul eodem indiuisibili loco existentis cū superficie corporis solidi, nihil facit ad rem. Quia cùm vtraque hæc superficies secundùm crassitiem sit omnino indiuisibilis, nec vllam extensionem admittat, nullam habet repugnātiam, quo minùs sit simul in eodem loco secundùm crassitiem indiuisibili. Secùs est de illis instantibus discretis sibi succedentibus, quorum duratio admittit extensionem. Secùs etiam est de eiusdem rei spiritualis negatione & affirmatione, quæ inter se veram habent oppositionē, ideoque non possunt simul de eodem respectu eiusdem instantis verè enunciari.

Implicat idē esse & non esse eodem instanti temporis continui.

165 Conclvsio. Gratia habitualis siue caritas & peccatum mortale numquam sunt de facto in eodem instanti nostri temporis simul in eodem: quare eodem instanti, quo iustus peccatū mortale committit, caritas absolutè in eo non est, nec potest absolutè verè dici in eo instanti in eo esse. Hæc videtur communis sententia Theologorum, qui communiter supponunt dicta non posse de facto existere simul: & solùm disputant vnde hoc oriatur.

Probatur Primò, quia opposita de lege ordinaria nequeunt esse simul in eodem: atqui caritas & peccatum mortale siue actuale siue habituale sunt, saltem ex decreto Dei, opposita: ergo de lege ordinaria nequeunt esse simul in eodem. Minor probatur, quia peccatum etiam actuale est vera iniquitas & iniustitia, & per se formaliter constituit hominem iniustum, Deo odibilem, & dignum pœna æterna. Caritas verò saltem ex decreto Dei est vera iustitia, & formaliter constituit hominem necessariò iustū, Deo amabilem, Dei filium, & dignum vita æterna; ita vt posito illo Dei decreto fieri nequeat vt habens in se caritatem non sit iustus, Dei amicus ac filius, & dignus vita æterna: hæc autem respectu illorum priorum apertam oppositionē atque adeò contradictionem inuoluunt: ergo caritas & peccatum mortale sunt opposita, & omnino inter se de facto incompossibilia, nec simul possunt esse in eodem.

166 Omnis res necessariò desinit per primum sui non esse.

Probatur Secundò, quia caritas (sicut etiam aliæ res) necessariò desinit per primum sui non esse, atque adeò in eodem instanti, quo desinit, absolutè non est: atqui eodem instanti, quo fit peccatum mortale, caritas desinit esse, vt etiam Lorca fatetur, quia docet eodem instanti incipere priuationem gratiæ: ergo caritas eodem instanti non est. Maior probatur, quia, si caritas non desineret per primum sui non esse, sed per vltimum sui esse, tunc deberet dari vltimum instās, quo verum esset dicere Gratia iam est, & toto tempore sequenti non erit. Item cùm priuatio caritatis incipiat in instanti per primum sui esse, nec vllum tempus sit inter hanc & gratiam medium, sequeretur, aut dari duo instantia nostri temporis immediatè sibi succedentia, aut caritatem eiusdemque priuationem eodem instanti esse simul in eodem subiecto; atque ita caritatem simul esse & non esse. quæ apertè absurda sunt.

Lorca.

Respondet quidem Lorca suprà num. 31. gratiam in eodem instanti nostri temporis posse in eodem esse simul cum sui priuatione, siue simul esse & non esse. Sed iam satis ostendi hoc inuoluere implicantiam: & vel inde ostenditur falsa esse eius sententia, quæ aliter nequit defendi.

167

Ad argumentum positum n.146. Respondeo antecedens solùm esse verum de prioritate naturæ, nec eius probationes aliud probare. Ex quo nullo modo sequitur, caritatem & peccatum esse simul in eodem pro eodem instanti; aut caritatem in eodem instanti temporis, quo peccatum est, adhuc verè esse. sicut ex eo quòd sol fuerit prior natura sua luce, quam in eodem instanti, quo fuit creatus, produxit; non sequitur, hanc eodem instanti quo sol fuit creatus, non fuisse; aliàs non solùm res spirituales, sed etiam corporalis eodem instanti temporis continui esset, & non esset: quod etiam Lorca fatetur apertè implicare. quare consequentia illius argumenti apertè falsa est, nisi antecedens intelligatur de prioritate temporis; qua ratione intellectum est apertè falsum.

168

Ad probationem conseq. Respondeo illam supponere falsam quorūdam imaginationem: qui ex eo quòd audiant in eodem instanti temporis assignari varia instantia, & prioritates naturæ, colligunt illud instans in hæc tamquam in suas partes diuidi: in quarum priori possit aliquid verè esse, quod in posteriore non sit. sed hi apertè falluntur, cùm illud sit omnino indiuisibile. Varia igitur illa instantia naturæ nullo modo significant partes instantis temporis, sed solùm diuersos respectus quos inter se habēt duæ tresue res, quæ in eodem instanti temporis incipiunt esse. Itaque causam esse priorem naturā suo effectu, & hunc non existere in illo priori quo illa concipitur esse prior, non significat à parte rei esse aliquod instans, aut partem instantis in qua causa verè à parte rei sit, & effectus nō sit: ita vt verè dicatur Iam causa est, & effectus verè

Instantia naturæ non sunt partes instantis temporis.

Quid significent varia instantia naturæ, quibus vnum dicitur altero prius.

verè à parte rei non est; aut causa & negatio effectus sunt simul; sed solùm significat hunc existere dependenter ab illa, & illam independenter ab hoc. Quare effectum in illo priori naturæ nondum esse, non significat eum in illo instanti temporis pro aliqua eius parte absolutè nõ esse, sed solùm eũ non esse indepẽdenter à sua causa.

169 Quare vt ad argumentum respondeam in forma, nego conseq. quia gratiam adhuc esse in illo priori naturæ, non significat eam absolutè tunc esse, sed adhuc esse secundùm quid; & secundùm quendam nostrum modum concipiẽdi. sicut ex eo quòd Æthiops sit albus secundùm dentes non sequitur eum esse absolutè album. & ex eo quòd attributa in Deo distinguãtur virtualiter, aut, vt alij volunt, ratione cum fundamento in re, non sequitur ea à parte rei verè inter se distingui. Et simili modo argumentandi probaremus lucem & tenebras eodem instanti esse simul in eodem aëre, quando in loco tenebroso in instanti producitur corpus luminosum, quod eodem instanti ibidem producit lumen. tunc enim necessariò priùs natura producitur corpus luminosum, quàm ipsum lumen ab hoc producatur; & consequenter illud producitur priùs natura quàm tenebræ per lumen expellantur. Vnde sequitur in illo priori lumen nondum esse productum, & consequẽter adhuc esse negationem luminis siue tenebras: atque ita secundùm illum modum argumentandi inferretur, lucem & tenebras in eodẽ aëre pro eodem temporis instanti esse simul, quod aperrè falsum est. Igitur tenebras adhuc esse in illo priore naturæ, quo corpus luminosum producitur ante lumen, non significat illas in illo instanti temporis verè adhuc esse; sed solùm eas desinere esse dependenter à productione illius corporis ac luminis ab eo producti. Et similiter caritatem adhuc esse in eo priore naturæ quo peccatum sit, non significat eam tunc absolutè esse, sed eam desinere esse dependenter à positione peccati.

DISPVTATIO XXIII.

De actu caritatis.

D.Thom. DIuus Thom. 2.2. postquam qu. 23. & 24. disputasset de habitu caritatis, eiusque subiecto, incremento, ac amissione (quæ nos duabus præcedentibus disputationibus explicuimus) q. 25. & 26. agit de obiectis caritatis materialibus, & de ordine, quo hæc amanda sint. Sed quia in his explicandis sæpè agendum est de caritate actuali, putaui hanc priùs nobis explicandam esse, vt deinde alia faciliùs explicemus.

DVBIVM I.

Vtrùm amor prout est actus caritatis, sit idem quod beneuolentia?

1 *D.Thom.* DIuus Thom. 2.2. qu. 27. ar. 2. docet hæc ita distingui, quòd amor amicitiæ supra beneuolentiam superaddat quandam vnionem affectus erga amatum; ita vt amor tendat in amatum tamquam in aliquid sui, & ad se pertinens, siue tamquam ad alterum se; nam, vt ostendi disp. 21. n. 29. amicitia efficit ex duobus quodammodo vnum, ita vt alter alterum amet tamquam seipsum, nec à se distinctum. Beneuolentia autem solùm dicit simplicem affectũ erga alium, quo ei aliquod bonum volumus: quod fieri potest sine vlla erga eum amicitia, aut vero amore, quo eum cui bene volumus, absolutè secundùm se amemus. Nam si quis videat histrionem in theatro præ ceteris bene agentem, optat ei præmium optimè agenti propositum, atque ita bene ei vult, etsi fortè eum aliàs, quia homo vilis & scurrilis est, detestetur.

Quomodo differat beneuolentia ab amicitia.

2 *D.Thomas. Aristot.* Ex quo etiam sequuntur aliæ differentiæ, quas D.Thom. suprà ex Aristotele l. 9. Ethic. c. 4. & 5. adfert. Primò, quòd beneuolentia sæpè subitò ex aliqua causa non magni momenti oriatur, vt patet in casu allato: amor verò amicitiæ non nisi ex longa consuetudine, aut saltem ex causa aliqua graui, quæque nata sit vehementer alterius affectum in se rapere. Secũdò, quòd amor sit firmior & diuturnior, quàm beneuolentia. hæc differentia sequitur ex priore. vnde etiam sequitur Tertiò, beneuolẽtiam esse principium amoris, quatenus hic ex crebrò continuato affectu beneuolentiæ nascitur. vnde sequitur Quartò, omnem amorem amicitiæ includere in se beneuolentiam; non tamen contrà: quemcumque enim amamus, bene ei volumus; non tamen contrà: vt patet in exemplo histrionis suprà allato.

Amicitia includit beneuolentiam, non contrà.

DVBIVM II.

Vtrùm Deus debeat hìc à nobis immediatè & propter se diligi, & an possit diligi propter aliud?

3 *D.Thomas.* NOta Primò, cum D.Thoma 2.2.q.27.art.3. particulam *propter* hîc posse quadrupliciter accipi. Primò, vt significet causam finalem, qua ratione diligimus medicinam propter sanitatem. Secundò, vt significet causam formalem obiectiuam, qua ratione diligimus aliquem propter suam virtutem & bonitatem. Tertiò, vt significet causam efficientem ipsius rei amatæ, qua ratione, inquit, aliquos amamus quia sunt filij talis patris. Quartò, vt significet aliquid, quod nos disponit ad alium diligendum, & respectu amoris habet se tamquam occasio & motiuum remotum ipsius: qua ratione beneficia ab aliquo accepta sunt causa cur primò ei bene

bene afficiamur, ac deinde eius bonitatem attentiùs considerantes, incipiamus eum propter hanc diligere.

4 D.Thom. Docet autem D.Thom.dicto art.3.& 4.nos primo, secundo & tertio modo posse & debere Deum in hac vita immediatè in se & propter se diligere, quia ipse est vltimus noster rerumque omnium finis,& essentialiter infinita bonitas, & omnis bonitatis creatæ causa exemplaris & efficiens: quare non ipse propter alia, sed contrà omnia alia bona propter ipsum diligenda sunt. Nec his obstat quòd non possimus hîc Deum immediatè in se cognoscere,sed tantùm mediantibus creaturis: quia, etsi non possimus aliquid amare, nisi cognitum,tamen non est necesse vt modus amandi in omnibus sequatur modum cognoscendi: nam quos numquam vidimus ex sola aliorum relatione cognoscimus, & tamen eos non propter horum relationem, sed propter suam virtutem immediatè amamus. Quarto verò modo ait nos amare Deum propter sua beneficia, quia hæc communiter sunt nobis occasio & incitatio cur incipiamus bene erga Deum affici, & ipsius bonitatem considerare, atque ita eum vera caritate propter se ipsum amare.

Modus amandi non semper sequitur modum cognoscendi.

5 Nota Secundò, aliaratione *propter* posse significare causam finalem & efficientem non rei amatæ,sed ipsius amoris, denotando alium actum,à quo amor imperatur,& hac ratione saltem moraliter causatur; vt si quis ex amore castitatis imperet sibi amorem temperantiæ,tunc amor castitatis est causa amoris temperantiæ,& temperantia amatur propter castitatem.

Est autē difficultas vtrùm hac ratione Deus possit propter aliquid aliud amari,ita vt amor huius rei,illius amorem imperet. Lorca 2.2.sect. 3.disp.30 concedit actum amoris Dei posse quidem dicto modo causari ab actu spei, aut alterius virtutis: ait tamen eo casu nec hunc actum fore efficacem causam illius amoris Dei(quia actus reflexus nequit efficaciter imperare actum proprium voluntatis) nec eius obiectum fore causam finalem illius amoris Dei ; quia tunc Deus non amaretur propter se, sed propter aliud.

Lorca.

6 Possum aliquid amare propter se, & tamē eius amorem referre in aliū finem. Sed in hoc secundo apertè fallitur; nam hæc sunt valdè distincta, me referre meum actum in aliquem finem distinctum , & me in eum referre ipsum obiectum mei actus: v.c. aliud longè est me elicere verum actum caritatis , quia scio hunc esse vtilem ad augendam beatitudinem meam; aliud verò,me amare Deum quatenus est mea beatitudo, aut quia ab eo expecto beatitudinem:in priore enim casu bonitas Dei, qua in se est bonus, est obiectum formale illius amoris, quo ipsum amo; in secundo casu obiectum formale illius amoris est bonitas Dei,qua mihi bonus est.

7 Vbi Nota Tertiò, in priore casu interuenire tres actus. Primus,est desiderium siue intentio augmenti beatitudinis. Secūdus,est volitio siue electio medij,qua eligo ipsum actum caritatis, quatenus vtilis est ad augendam beatitudinem. Tertius,est actus caritatis,quo amo Deum immediatè quia in se bonus est: vbi duo priores actus sunt actus spei, tertius est actus caritatis. Primus imperat secundum,& hic tertiū. Aliud exemplum quotidianum est,quando quis desiderans obtinere remissionem peccatorum eligit ad hunc finem actum caritatis siue contritionis. quo casu apertè patet,verum actum caritatis (qualis necessariò est contritio)eligi propter alium finem.

8 Quòd autem illa electio sit vera causa illius actus caritatis, simili modo, quo intentio est causa electionis, patet, quia sicut intentio formaliter siue tamquam forma ei inhærens inclinat voluntatem vt eligat media , ita ea electio eam inclinat vt eliciat actum, qui iudicatur vtilis ad finem intentum obtinendum (in quo consistit omnis ratio qua vnus actus voluntatis imperat & causat alium:)atqui illud sufficit vt intentio sit verè causa electionis:ergo etiā sufficit vt electio sit verè causa illius actus voluntatis, qui eligitur. Et confirmatur, quia quando voluntas intendens finem applicat intellectum vt excogiter media ad illum vtilia,intentio non est aliter causa huius intellectionis, quàm quatenus formaliter mouet voluntatem vt intellectum applicet ad eam eliciendam, & nihilominus dicitur vera eius causa, & hæc intellectio verè exercetur propter illum finem: ergo cùm simili modo illa electio, qua quis eligit elicere actum caritatis, vt obtineat remissionem peccati, moueat voluntatem vt eliciat actum caritatis, ipsa erit vera huius causa, & hic verè elicietur propter illius finē. Et hac ratione Deum vero actu caritatis posse amari propter mercedem æternam, quatenus *propter* respicit siue denotat non obiectum formale ipsius amoris quo Deus amatur,aut finem rei amatæ,sed finem ad quem ipse amor Dei ab amante refertur,expressè docent D.Thom.in 3.d.29.q.1.art.4.in corpore.& Durand.ibid.q.3.lit.F.siue in 2.parte cōclus.quos etiam refert Lorca suprà n.11. sed eos aliter omnino explicat,putatque D Thom.2.2. q.27.a.3. quæibi docuerat reuocasse. sed eius mentem non est assecutus, vt facilè patebit legenti. Vtrùm autem possimus Deum amare eiúe seruire propter mercedem æternam vel temporalem, ita vt hæc sit obiectum formale illius actus,quo volumus Deum amare eiúe seruire, pertinet ad tractatum de spe , & explicui disp.19.dub 5.

Qua ratione vnus actus voluntatis imperet siue causet aliū.

Qua ratione Deus actu caritatis possit amari propter vitā æternam.

D.Thom. Durand. Lorca.

D.Thom.

DVBIVM III.

Vtrùm actus caritatis hîc & in patria sint eiusdem speciei?

9 QVidam affirmant,hos actus esse simpliciter eiusdem speciei,& solùm differre accidentaliter, quia scilicet actus caritatis in patria est necessarius , & perpetuò sine interruptione cum summa facilitate & voluptate elicitur,cùm hîc sit liber & necessariò sæpè interrumpatur. Addunt alij, ibi semper esse sine comparatione intensiorem. de quo agemus infrà. Ita Bañez 2.2.q.24.a.8. Medina 3.p.q.19.a.3.& 4.q.2.sub finem. Lorca 2.2.sect.3.disp.18.nu.4. & quidam alij; qui pro se citant Dionys. Carthus.in 1.d.17. q.8.

Bañez. Medina. Lorca. Dionys. Carthus.

q.8. sed ibi potiùs videtur dicere contrarium. ait enim: *Quoniam caritas viæ & patriæ in substantia sua omnino eiusdem est rationis, non autem operatio eius, quæ est dilectio, quia dilectio sequitur cognitionem, propter quod aliud ac altius genus cognitionis inducit aliud genus dilectionis.* vbi apertè docet, illam dilectionem in sua substantia esse alterius rationis ab hac: atque ita apertè docet, habitum caritatis hîc & in patria esse eiusdem rationis secundùm substantiam, actum verò diuersæ.

1.Cor.13. Probatur verò illorum sententia Primò, quia Apostolus 1.ad Cor.13. docet caritatem manere in patria: atqui hoc esset falsum, nisi eius actus vtrobique esset eiusdem speciei: ergo hoc est necessariò dicendum.

Probatur Secundò, quia actus specificatur ab obiectis: atqui vtrobique manet idem obiectum formale: ergo etiam idem actus.

10 Sed hæ rationes non satis probant intentum. Ad primam Respondeo Primò, Apostolum facilè posse intelligi de habitu caritatis, qui manet omnino idem in patria.

Qua ratione actus caritatis maneat in patria. Respondeo Secundo, & fortè meliùs, Apostolum etiam loqui de ipso actu caritatis, quem dicit numquam excidere, & consequenter manere in patria; non quia manet omnino idem etiam secundùm speciem, sed quia tam in patria quàm hîc vero & propriè dicto actu caritatis Deum amamus; atque ita verus actus caritatis ibi manet, siue sit eiusdem speciei siue diuersæ, quod ad propositum Apostoli non spectabat: qui solùm volebat ostendere caritatem esse excellentiorem fide & spe, quia hæ ex se dicunt aliquam imperfectionem, aut in modo tendendi in obiectum, aut saltem in suo subiecto: nam fides tendit necessariò in obiectum modo obscuro, & spes in obiectum absens, siue quo sperans caret; qui modi tendendi sunt ijs ita essentiales, vt aliter nequeant habere rationem fidei aut spei, siue ita vt hi actus nequeant vlla ratione aliter elici, vt suprà suis locis ostendi. Secùs est de caritate, cuius actus ex se nullam imperfectionem dicit, aut connotat; ideoque in patria, vbi abest omnis imperfectio, verus actus caritatis reperitur.

11 Scriptura solet res laudandas generatim sumere, prout abstrahunt à particularibus rationibus. Vbi Nota, sacram Scripturam, quando rem aliquam laudandam suscipit, vt nos ad eius amorem excitet, laudare eam in genere sumptã, & prout abstrahit ab hac vel illa specie; adeò vt sæpè de rebus diuersissimis & non solùm specie, sed etiam toto genere differentibus, atq; adeò de creatis & increatis, eò quòd in proprietate eiusdem nominis & aliqua analogia inter se cõueniant, tamquam de omnino ijsdem loquatur. sic Salomon Prouerb.8. vt nos excitet ad amorem sapientię, laudat sapientiam in genere, & mistim loquitur modò de creata, modò de increata, quasi esset eadem res. Et simili modo S.Iohan.epistol.1.c.4. loquitur de caritate creata & increata. Quem etiam loquendi modum D.Augustinus quibusdam locis imitatur, ita vt Magister ex ijs acceperit occasionem putandi non aliam nobis inesse caritatem, quàm ipsum Spiritum sanctum. vt ostendi disp.21.nu.5. & 6. Et simili modo Apostolus 1.ad Cor.13. loquitur de actu caritatis in via & in patria, vtrumque tamquam vnum recensendo.

Prouerb.8. *1.Iohan.4.* *Augustin.* *1.Cor.13.*

Confirmatur, quia Apostolus insinuat ideò caritatem manere in patria, quia caret imperfectione; cùm tamen ad Philipp.3. agens de sua in Deum caritate, qua propter Christum terrena omnia deseruerat & arbitrabatur vt stercora, & cupiebat configurari morti eius, siue pro ipso mori & crucifigi; dicit tamen se nondum perfectum esse, scilicet in caritate, sed continuò contendere vt consequatur perfectionem caritatis, quam expectabat in cælo. vbi clarè ostendit, omnem nostrum amorem hîc esse imperfectum. Et sanè per se patet, etiam perfectissimos hîc modo aliquo imperfecto Deum amare, vt infrà magis declarabo. Hinc D. Augustl. libr. de Perfect. iustitiæ ratiocin. 17. cuius verba citaui disp.22.n.78. docet, nos hîc ob imperfectionẽ caritatis non posse implere illud præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. 12 *Philipp.3.* *Augustin.*

Ad secundam, Respondeo actus nostros accipere quidem speciem ab obiectis formalibus, non tamen ab his solis, vt ostendi disput.5. dub.2. quare neganda est consequ.

Alij igitur docent, hos actus esse diuersæ speciei. Ita Pesant.2.2.q.24.a.12. disp.1.concl.3. Caietan.1.p.quæst.82.a.2.in fine. Ferrar.3.cõtra Gentes cap.62. Dionys. citatus n.9. Capreol. & Almain. citati à Torres 2.2.disput.77.dub.6. & videtur apertè sententia D.Thomæ 2.2.q.24.a.7.ad 3. vbi docet, actum caritatis viæ non posse pertingere ad perfectionẽ caritatis patriæ, quia sunt diuersæ rationis, sicut linea & superficies. quæ malè dicerentur, si secundùm substantiam essent omnino eiusdem rationis. 13 *Pesantius.* *Caietan.* *Ferrar.* *D.Dionys.* *Capreol.* *Almain.* *Torrez.* *D.Thom.*

Probatur Primò, quia, vt patet Matth.11.v.11. vbi dicitur minimus in regno cælorũ esse maior Iohanne Baptista; & ex multis locis D.Augustini relatis dub.6. caritas minimi Beati in cælo est perfectior caritate cuiusuis viatoris: atqui hoc nequit intelligi de sola maiore intensione: ergo debet intelligi de maiore perfectione specifica siue essentiali. *Matth.11.*

Ad hoc argumentum alij variè respondent, prout quisque diuersimodè sentit de ratione, qua actus caritatis in cælo sit perfectior quàm in via: quorum responsiones breuitatis causa omitto, quia mea sententia à firmitate huius argumenti non pendet, quamuis ex eo non improbabiliter inferatur.

Probatur Secundò, quia amor viæ habet rationem meriti, amor beatificus rationem præmij: ergo sunt diuersæ speciei: quia actus eiusdẽ ordinis siue speciei non videtur posse habere rationem meriti & præmij. Tertiò, quia amor patriæ habet effectum longè altioris ordinis, & diuersæ rationis ab omni effectu caritatis in via: nam gaudium, quod ex illo nascitur, est incomparabiliter perfectius & altioris ordinis supra omne gaudium quod hîc possit haberi in via ergo ille amor est diuersæ speciei ab hoc: quia ex diuersitate effectuum colligitur diuersitas causæ. Nec refert quòd illud gaudium nascatur etiam ex visione beatifica, quia non nascitur ex hac nisi mediante amore, præsertim si loquamur de gaudio quod Beati cõcipiunt, non ex sua beati- 14

beatitudine, sed ex beatitudine ipsius Dei; quod procedit propriè ex amore amicitiæ erga Deum. Quartò, quia cognitio altioris ordinis inducit amorem altioris ordinis: atqui cognitio patriæ est altioris ordinis: ergo, &c. Sed vt hæc ratio firma sit, indiget maiore explicatione.

15 Vt autem hæc difficultas faciliùs possit explicari, repetenda hîc sunt quædam, quæ dixi tom.2. de Sacram. disp.2. dub.7. n.64. vbi ostendi Primò, amorem tam naturalem quàm supernaturalem posse habere duplicem perfectionẽ sibi intrinsecam, qua vnus alterum superet, scilicet vel ratione maioris intensionis, vel ratione maioris appretiationis. Secundò, priorem perfectionem sæpissimè nasci ex maiore aliqua naturali inclinatione aut sympathia partis inferioris erga rem amatam, aliaue amantis dispositione: vnde etiam ea ferè intensiùs amamus quæ sensibus percipimus, aut quibus iam diu assueuimus, quàm alia quæ meliora iudicamus. Secundam verò communiter nasci ex aliquo iudicio siue recto, siue peruerso, quo aliquod obiectum hîc & nunc pluris æstimamus. Et hoc modo communiter magis amamus ea, quæ hîc & nunc iudicamus meliora; quamuis voluntas ex innata sibi libertate, possit quandoque facere contrarium.

Amoris perfectio alia est intẽsiua, alia appretiatiua.

Vnde vtraq; nascatur.

16 Ostendi Tertiò, nos sæpè minùs intensè amare ea quę appretiatiuè amamus magis; eò quòd etsi hæc iudicemus præstantiora, tamen erga illa ob rationes suprà allatas naturaliter magis inclinamur; atque ita maiore impetu in eorum amorem ferimur, ex quo nascitur maior intensio ipsius actus. Sic mater ob continuã cum minore filio familiaritatem & oblectationẽ, quam ex eius præsentia percipit, solet hunc amare intensiùs, cùm tamen maiorem appretiatiuè magis amet. Cuius manifestum signum est, quòd quoduis incommodum minoris filij longè magis sentiat, quàm incommodum maioris: si tamen alterutter deberet mori, mallet minorem mori, quàm maiorem. Similiter multi viri probi mallent vxorem, liberos, & vitam amittere, quàm peccare mortaliter; atque ita Deum appretiatiuè præ illis amant: si tamẽ contingat eos ex infirmitate peccare mortaliter, non sentiunt in se tam vehementem dolorem ac animi cõmotionem, nec possunt ita lacrymari, sicut facerent si vxorem & liberos perderent; vnde colligitur quòd hos intensiùs ament: quia intensus amor in voluntate, cùm hanc naturaliter valdè concitet in rem amatam, consequenter simul secum rapit partem inferiorem, atque ita dolorem & lachrymas ciet.

Vnde fiat quòd sæpè amemus minùs intensè ea quæ appretiatiuè amamus magis.

Respondẽt aliqui hinc solùm sequi tales maiore affectu appetitus sensitiui prosequi vxores & filios quàm Deum: non autẽ maiore affectu voluntatis. ita Scotus in 3. dist. 27. §. *De primo dicto.* Sed hoc non satisfacit, quia cùm voluntas & appetitus sensitiuus sint inter se cõnexa, & illa naturaliter sequatur huius impetum; nisi se cohibeat: sequitur eam nisi se cohibeat, vehemẽtiùs siue maiore impetu etiam ferri in ea, in quæ ille vehementiùs fertur, & consequenter etiam (in casibus prædictis voluntatẽ vehementiùs amare ea quæ minùs amat appretiatiue. Consumatur, quia Beati æquè intensè amant Deum & proximũ: & tamen Deum amant incomparabiliter magis appretiatiuè. Cùm igitur ex his clarè constet nos posse duas res æquè intensè amare, quarum alteram sine comparatione amamus magis appretiatiuè; nulla potest adferri ratio, cur non possimus eam amare intensiùs, quàm amamus minùs appretiatiuè.

Scotus.

Beati æquè intensè amant Deũ & proximum.

17 Ostendi Quartò, perfectionem appretiatiuam esse magis principalem magisque substantialem ipsi actui, non solùm considerato in genere moris, sed etiam secundùm entitatẽ physicam. nam idem actus respectu eiusdem obiecti eodem modo propositi, solùm ratione diuersæ dispositionis aut conatus ipsius elicientis, potest intendi ac remitti; quod signum est hanc perfectionẽ non esse substantialem, sed absolutè accidentalẽ ipsi actui, cui modò adesse, modò abesse potest. Contrà verò nõ videtur fieri posse, vt eodem actu aliquid amem, modò perfectiùs, modò imperfectiùs appretiatiuè; tũ quia hæc variatio vix fieri potest, nisi in obiecto aliquid apprehendatur, quod antè non apprehendebatur, vel contrà; tum etiã quia non fit additione aut detractione alicuius gradus aut partis ipsius actus, prout fit intensio aut remissio, sed mutatione totius actus. Nam cùm aliquid appretiatiuè magis amo quàm antea, toto actu aliter in illud tendo quàm antea; atque ita actus se toto videtur necessariò mutari, cùm nulla sit ratio cur eum potiùs dicamus mutari secundùm vnam partem, quàm secundùm aliam.

Perfectio appretiatiua est principalior magisq; substantialis ipsi actui.

Nequeo eodẽ actu aliquid modò & minùs, modò magis appretiatiuè amare.

18 Conclvsio I. Actus caritatis in quouis Beato est appretiatiuè, & consequenter iuxta dicta n.17. substantialiter perfectior quouis actu cuiusuis viatoris.

Prob. Primò, quia quiuis Beatus Deum eiusque bonitatem, & quàm ipse supra omne aliud bonũ quod quacũque ratione excogitari possit, sit infinitè magis desiderabilis & amabilis, incõparabiliter clariùs cognoscit, ac consequenter perfectiùs æstimat, quàm vlla creatura possibilis Deũ eiusque bonitatẽ hîc in via cognoscere aut æstimare possit: cùm igitur ibi perfectio amoris exactè sequatur perfectionẽ intellectionis, sequitur quemuis Beatum Deum incõparabiliter appretiatiuè magis siue perfectiùs amare, quàm vllus viator eum possit amare.

Quiuis Beatus sine cõparatione appretiatiuè magis amat Deum quàm vllus viator eum amare possit.

Prob. Secũdò, à posteriore. Quia quiuis Beatus ex vi sui amoris quo in Deum fertur, efficaciter determinatur ad omnia alia bona ac mala præ vnius Dei voluntate ac beneplacito ita contemnenda, vt impossibile ei sit aliquod peccatũ etiam veniale committere, aut aliquod bonum quantumuis grande contra Dei beneplacitum, vel leuiter appetere; adeò vt si videret id fore ad maiorem Dei gloriam eique placere, vt grauissima mala sustineret, idque sine vllo alio fructu, id promptissimè eligeret, ac omnibus cõmodis præponeret; eaque constantissimè & lubentissimè etiam longissimo tempore perferret, modò ille amor in eo semper duraret. Quod patet superare amorem cuiusuis viatoris, quo cum peccatum veniale potest consistere; nec ita promptam & constantem eius voluntatem in malis grauibus Dei causa acceptandis, ac

perferendis, ac in tentationibus vincendis efficit, vt hæc efficaciter & constanter siue actualibus & quidē maguis ac specialibus Dei auxilijs
Augusti. appetere ac perferre possit. Vnde etiam D. Augustin. citatus disp.22.nu.78.docet, caritatem hîc non esse perfectam, nec hominem hîc posse amare Deum ex toto corde, & ex tota virtute, quia numquam hîc caret omni cupiditate, sed hoc futurum in cælo.

19 Nec est quòd mihi hîc aliquis obijciat Adamum in paradiso, aut B. Virginem, qui caruerūt omni inordinata cupiditate, quia hoc non accidit ijs præcisè ratione caritatis, quam habebāt; sed ratione singularium auxiliorum, quibus à Deo custodiebantur, siue hæc fuerint actualia, siue habitualia, de quibus hîc non disputo.

Adde, Adamum his omnibus non obstātibus in peccatum lapsum esse: quod Beatis impossibile est. Possunt hæc aliquo modo exemplo declarari; ponamus enim puerum triū aut quatuor annorum habere gemmam pretiosissimam, quæ multis aureorū millibus æstimetur: quantumuis ei dicas illam pluris valere omnibus crepundijs alijsque puerilibus oblectationibus, varijsq; rationibus ipsi illius valorem persuadeas; ipse tamen numquam poterit hunc satis concipere, illamúe vel millesima ex parte tanti æstimare, quanti eam peritus gemmarius æstimat; quare nec illius adipiscēdi causa, nisi difficillimè, puerilia oblectamenta contemnet. Mihi autē omnino persuadeo, æstimationem quam Beati de Deo habent in cælo longè adhuc magis superare eam quam hîc de eo habemus, sicut eorū de Deo cognitio nostram magis superat; ita scilicet vt cognitio & æstimatio illius gemmæ, quā habet gemmarius, lōgè minùs superet cognitionē & æstimationem quā habet ille puer; quàm cognitio & æstimatio Dei in Beatis superet eam quam hîc illuminatissimus habeat. Quod vel inde patet, quòd sine speciali Dei gratia nullum alicuius momenti sine graui difficultate pro ipsius amore possimus constanter aut bonū deserere, aut malum pati: quod tamen Beatis esset facillimum.

Dices, Amamus hîc Deum appretiatiuè super omnia: ergo fieri non potest vt Beati eum appretiatiuè magis ament. Respondeo negando consequentiam: nam, vt ostendam disp.24.dub.8.n.149. fieri potest vt inter duos amantes Deū appretiatiuè super omnia, vnus eum appretiatiuè magis amet quàm alius.

20 Conclvsio II. Hæc differentia inter vtrūque actum videtur esse specifica, prout docent Auctores citati nu.14. Probatur Primò, quia, vt iam ostendi, perfectio appretiatiua amoris sequitur perfectionem appretiatiuam ipsius cognitionis: atqui hæc in Beatis est altioris ordinis, & speciei perfectioris appretiatione cuiusuis cognitionis, quam hîc de Deo habere possimus: ergo similiter appretiatio amoris erit in ijs altioris ordinis, & perfectioris speciei.

Secundò, quia quando duo ita inter se se habent, vt, quantumuis vnum in suo ordine perficiatur, numquam possit pertingere ad perfectionem alterius, bene colligimus vnum esse altioris ordinis siue perfectioris speciei: atqui dicti amores ita inter se se habent; nam, vt ostēdi, quantumuis amor viæ hîc perficiatur, numquam perueniet ad perfectionem amoris patriæ: ergo hic est altioris ordinis. Et hac ratione quiuis Beatus est maior quouis viatore, vt dixi disp.22.n.79.

DVBIVM IV.

Vtrùm actus caritatis sit intensior in patria quàm in via?

POtest hæc difficultas intelligi respectu eiusdem, siue an in eodem semper actus caritatis sit intensior in patria quàm in via; Secundò, respectu diuersorum, siue an minimus Beatus habeat intensiorem actum caritatis quouis viatore. Præter eos, qui putant habitum caritatis in minimo Beato esse intensiorem habitu cuiusuis viatoris, excepta saltem B. Virgine (quos citaui & refutaui disput.22.dub.6.) quidam quos citaui eodem dubio n.89. idem sentientes nobiscum de habitu, videntur sentire actum in vtroque sensu ibi fore intensiorem, atque adeò hunc fore multò intensiorem ipso habitu. 21

Probant Primò, quia obiectum caritatis sine comparatione ibi erit perfectiùs applicatum potentiæ: ergo hæc illud intensiùs amabit. Sed hoc argumentum loco citato satis refutaui. Secundò, quia constat caritatem longè fore perfectiorem in patria, quàm hîc: atqui hoc nequit intelligi de habitu: ergo debet intelligi de actu: ergo hic ibi debet esse intensior. Sed secunda hæc consequentia neganda est: nam, vt patet ex dubio præcedenti, alia ratione sine maiore intensione actus potest esse perfectior in patria, quàm hîc.

Conclvsio I. Actus caritatis in eodem ferè semper est intensior in patria quàm hic. Hæc est communis Theologorum. & eius ratio est clara; quia cùm per quemuis actum caritatis augeam habitum, ferè semper post actum elicitum habeo intensiorem habitum, quàm fuerit ipse actus, vt patet ex dictis disp.22.dub.4. cùm igitur in cælo actus semper sit tam intensus quàm habitus, sequitur actum ibi in eodem fore ferè semper intensiorem quàm hîc. His adde, eos præsertim, qui habent intensum valdè habitum, raro hîc elicere actus ci æquales. 22

Dixi, *ferè semper*, &c. quia posset fortè dari casus, in quo aliquis tam intensum haberet actum caritatis hîc, quàm in cælo: nam si quis infidelis primò iustificaretur per actū caritatis, & statim moreretur, ita vt non reciperet intensiorem habitum quàm fuerit ipse actus; tunc in cælo non haberet actum intensiorem quàm in via habuisset. Imò si poneretur ille casus, fieri posset quòd aliquis intensiùs amasset Deum hîc, quàm amaret in patria: quia, vt ostendi disp.22.dub.4. probabilius est talem non accepturum habitum tam intensum quàm esset ipsius actus. Sed credo hunc casum facilè posse fingi, non tamen ita facilè contingere, Deo res nostras aliter disponente. Nec his obest quòd aliqui credant nos in cælo eliciturosactus intensiores ipso habitu, quia contrarium est multò 23

Posito tali casu idem habuisset hic actus caritatis intensiorem quàm in beatitudine

multò probabilius,& videtur cõmunior Theologorum sensus,eumq; vt talem supponit Suarez disp.2.de Reuiuiscent.meritorum sect.3. n. 50.Et ratio est,quia actus non potest esse perfectior ipsa potentia: cùm igitur habitus caritatis respectu amoris beatifici habeat se per modum potentiæ,Beatus non poterit elicere perfectiorem actum ipso habitu. Et confirmatur, quia sicut habitus caritatis in intensione ibi correspondet lumini gloriæ, ita actus caritatis respondet visioni beatificæ: atqui hæc visio non est intensior lumine gloriæ: ergo nec actus caritatis est intensior suo habitu.

Suarez.

24 CONCLVSIO II. Multò probabilius est aliquos hîc in terris habere actus caritatis longè intensiores quàm habeant multi Beati. Sequitur apertè ex dictis:nam,vt ostendi sup.disp. 22.dub.6.concl.2.Beati in cælis non habent intensiorem habitualem caritatem quàm habuerint hîc in terris; cùm igitur hîc multi habuerint caritatem parum intensam vt infantes qui statim à baptismo moriuntur;& contrà cùm multi Sancti hîc eliciant actus caritatis valdè intensos,sequitur hos hîc elicere actus intensiores, quàm isti ibi eliciant: & suppositis suprà dictis, nullum est argumentum, quod contrariũ probet.Et qui contrarium tenuerunt ferè fuerunt decepti, quòd non distinguerent inter perfectionem caritatis appretiatiuam & intensiuam.

Disputant hîc præterea aliqui vtrùm actus amoris Dei possit vitiari.sed id fieri non posse, satis patet ex dictis disp.4.dub.3.

DISPVTATIO XXIV.

De obiectis materialibus caritatis,& obligatione ea diligendi.

DIsp.21.dub.2. egi de obiecto formali ipsius caritatis, & ostendi id esse ipsam Dei bonitatem, qua in se infinitè bonus est. iam verò agam de obiecto materiali,siue de ijs, quæ propter Deum diligenda sunt: nam ipsum propter seipsum diligendũ esse dicto dubio satis ostendi. Quænam autem illa sint quæ ex caritate diligẽda sunt,fusè explicat D.Thom. 2.2.q.25. & generatim dici potest omnem creaturam rationalem capacem æternæ gloriæ, siue quæ nondum æternæ damnationi addicta est, sic debere diligi, ita vt illi hanc gloriam optemus,& quantum in nobis est procuremus. Additque D.Thom. etiam creaturas quasdam irrationales ex caritate diligi,quatenus ad nostrã beatitudinem aut Dei gloriam conferunt; hæ tamen nequeunt diligi amore amicitiæ,quia eius incapaces sunt. quare etsi amor, quo eas Deo aut proximo optamus,respectu horum habeat rationem amicitiæ;non tamen respectu illarum.Quæ satis clara sunt,& solùm sunt quædam difficultates circa modum & obligationem illa diligendi,quas sequentibus dubijs explicabimus.

D.Thom.

DVBIVM I.

Vtrùm Deus & proximus eadem caritate amentur?

1 TRiplex hîc est difficultas.Prima,vtrùm habitualis caritas quatenus se extendit ad amorem Dei & proximi, sit vna simplex virtus. Videtur enim non esse: Primò,quia alius est habitus,quo cognoscuntur principia,& alius,quo cognoscitur conclusio;ergo similiter diuersa est caritas qua amatur Deus, ab ea qua proximus amatur.Secundò,quia cultus Dei & cultus Sanctorum proficiscuntur à diuersis habitibus: ergo etiam amor Dei & proximi.

Secunda difficultas est, vtrùm actus amoris Dei & proximi, quando hic amatur purè propter Deum,sint eiusdem speciei. Videtur enim quòd sic: Primò,quia habent idem obiectum formale,scilicet bonitatem Dei; Secundò,quia actus fidei quo credo Deum esse trinũ, & alius quo credo fuisse duodecim Apostolos, sunt eiusdem speciei: ergo similiter actus caritatis in Deum & proximum.

Tertia difficultas est, vtrùm amor,quo amo proximũ propter Deum, respectu proximi habeat veram rationem amicitię.Quidam id affirmant, quia iusti ex caritate volunt sibi mutuo beatitudinẽ, quatenus eis bona est,& quantum possunt vnus alteri eam procurat: ergo ipsi amant se amore amicitiæ.Ita Bañez 2.2.q.23.a.5.

Bañez. 2

Nota, proximum quadrupliciter amari posse, scilicet tripliciter cum aliquo respectu ad Deum,& quartò sine eiusmodi respectu. Primò igitur proximus amari potest quatenus est quædam res & bonum extrinsecum ipsius Dei ad eius gloriam spectans; sicut amatur medium propter finem, & mancipium amici propter amicum, siue quia huic vtile est. Cùm enim hominum bonitas, iustitia & beatitudo cedant etiam in honorem Dei,quatenus eius perfectio & bonitas ex illis magis innotescunt; sequitur, illa esse vtilia ad Dei excellentiam ac bonitatẽ ostendendam, atque adeò ad illius honorem promouendum:vnde illa ob gloriam & bonum quoddam Dei extrinsecum possumus amare.

Proximus potest quadrupliciter amari.

Secundò, quatenus diuina bonitas à proximo participatur,eumque afficit, & in eo elucet, atque ita eum amabilem reddit. Et hac ratione ferè eodem modo amamus proximũ, præsertim iustum propter Deum, quo amamus filios aut fratres amici propter amicum, quia iustus est verè filius Dei. Peccatores autem etiam hoc modo amamus,quia,etsi actu non sint filij Dei, tamen sunt tales potentia, & quantum est ex Dei antecedente voluntate & destinatione,

qui ideò eos creauit & redemit, vt filij Dei sint, & in hunc finem ex parte sua sufficientem ijs gratiam confert, qua tales esse possint, si velint.

4 Tertiò, possumus moueri ad aliquem amandum quia à Deo amatur, siue amore speciali, quo iustos amat; siue generali, quo omnes homines vult saluos fieri, idque tanto affectu, vt in hunc finem sanguinem suum fuderit. Amicitia enim sicut efficit amicos vnanimes siue vnius voluntatis, vt dixi disput.21. numer.29. ita efficit vt quidquid vnus amat, alter etiam amet: quod videmus etiam inter homines fieri: nam eos, quos videmus amari ab eo quem valdè amamus, ideo etiam amamus, etsi aliàs eos auersaremur; vt notat D.Thom.2.2.q.25.art.8.in fine corporis.

Amicitia nos inducit vt amemus quidquid amicus amat.

D.Thomas.

5 Potest autem hoc duobus modis fieri. Primò, ita vt amor Dei immediatè voluntatem meam inclinet vt proximum amem non respiciendo an ipse secundùm se sit dignus amore nec ne, sed præcisè quia scio Deo, qui tantum eum amat, placere vt eum etiam amem. Et hic amor ad primum modum spectat: nam sic amo proximum quatenus est quoddam bonum Dei siue Deo charum, & ideo ei volo bonum, quia hoc placet Deo, & ita in eius bonum cedit. Secundò, ita vt amor Dei immediatè moueat meam apprehensionem vt apprehendam proximum dignum amore: sicut enim amor efficit vt amicum magnifaciam, ita etiam efficit vt magnifaciam ac digna amore æstimem ea quæ ipse magni facit & amat: quare cùm verè Deum amans videat eum tanti homines facere, vt velit eos adoptare in filios, & ad hoc efficiendum voluerit pro ijs mori; non potest fieri quin magni eos faciat, ac consequenter amet. Et hic modus amandi à prioribus omnino distinguitur.

Amor amici dupliciter me mouet vt amem eos, quos ipse amat, scilicet vel immediatè vel mediatè.

6 Quartò, possum proximum amare præcisè propter intrinsecam suam bonitatem, siue naturalem siue supernaturalem, sine respectu ad alia: qua ratione communiter amicos solemus amare.

His posset addi quintus modus, quo diligimus proximũ præcisè quia Deus hoc præcipit, siue vt satisfaciamus præceptis Dei: sed patet hunc actum nullo modo habere rationem caritatis, sed obedientiæ.

7 Conclvsio I. Eadem caritas vt est virtus theologica, nos tribus prioribus modis inclinat ad amorem proximi; duosque primos actus immediatè per se elicit: tertius autem potest ab habitu distincto elici. Hæc est communis Doctorum, etsi hos modos non ita exactè distinguant.

Deus & proximus quãdoque eodẽ, quandoque distincto habitu amantur.

De primo modo probatur: quia idem habitus inclinat ad amorem finis & mediorum, & vtrumque actum immediatè elicit: atqui dictus amor proximi respectu amoris Dei habet se tanquam amor medij respectu amoris finis: ergo vterque ab eodem habitu elicitur.

Maiorem omnes concedunt, quia vterque actus ad eandem virtutem pertinet, & efficax intentio finis virtute continet electionem medij. Minor probatur, quia, sicut eligens amat medium quatenus est vtile ad obtinendum finem, ita amans dicto modo proximum optat ei bonum quatenus hoc est vtile ad Dei gloriam ac bonum promouendum. Probatur Secundò, quia caritas Dei inclinat nos ad optandum & procurandum omne bonum Dei: atqui bonum proximi est dicta ratione aliquod bonum Dei: ergo caritas Dei inclinat nos ad id amandum.

8 De secundo probatur: quia virtus inclinans ad amorẽ alicuius boni, inclinat ad illud amandum vbicumque illud reperiat, siue in proprio subiecto siue in alio: atqui bonitas Dei reperitur in omni proximo nostro, eumque afficit ac amabilem reddit, iuxta modos dictos nu.3. ergo caritas Dei inclinat vt eum hoc modo amemus. Confirmatur inductione, quia amor castitatis inclinat suum subiectum ad amandum omnes castos qua tales; & amor iustitiæ ad amandos omnes iustos; reuerentia in Christũ ad honorandum ipsius vicarium, ac imagines; amor amici ad amandum eius filios; amor naturalis nostri inducit parentes vt ament seipsos in filijs: & vtrique actus ab eodem habitu producuntur: ergo similiter caritas Dei inclinat ad talem amorem proximi eumque producit.

Confirmatur conclusio Secundò, tam de hoc amore quàm de præcedente. Quia actus, qui habent idem obiectum formale vltimum, siue quo primò & per se potentia ad agendum mouetur, producũtur ab eodem habitu, si vterque sit naturalis aut supernaturalis, vt patet in electione medij & intentione finis: atqui dicti amores proximi habent eo modo idem obiectum formale cum amore ipsius Dei, scilicet bonitatem Dei: ergo producuntur ab eodem habitu.

9 Quòd autem Dei caritas nos tertio modo inclinet ad amorem proximi, per se patet; quia ad hoc inclinat primò & per se nos inclinando ad amandum Deum, & consecutiuè ad amandos eos quos Deus amat, iuxta modum explicatum n.5. Quòd autem tunc amor proximi non necessariò eliciatur ab habitu caritatis theologicę, patet; quia etsi possim tunc in proximo considerare rationes eum amandi in primo & secundo modo explicatas, tamen hoc non est necessariũ, sed possum etiã concipere rationes eum amandi concl.5. explicandas, atque ita eum amare amore omnino distincto à caritate theologica.

10 Conclvsio II. Caritas quatenus nos his tribus modis inclinat ad amandum Deum & proximũ, est qualitas omnino simplex, nec habet partes heterogeneas. Hæc videtur communis etiam sententia Theologorum, quia dicunt nos Deum & proximum eadem caritate diligere, sicut eadem fide credimus omnia mysteria fidei. vt patet ex D. Thoma 2.2.q.24.art.5. Turriano disp.73.dub.3. & alijs S. Thomæ interpretibus in eum locum.

D.Thom. Turrian.

Probatur Primò, quia, vt ostendi disput.16. numero 19. habere partes heterogeneas extensiuas ad diuersa obiecta, proprium est habitibus acquisitis, qui ex actibus generantur, & sunt quoddam eorum vestigium; nullo-que modo conuenit habitibus infusis, qui se habent

Habitus infusi non habent partes heterogeneas extensiuas.

habent per modum potentiæ; atque ita sicut hæc omnino vna & simplex potest se extendere ad diuersos actus, ita etiam habitus infusus.

11 Partes heterogeneæ alicuius habitus nec acquiruntur, nec perduntur omnes simul.

Probatur Secundò, quia quando aliquis habitus habet partes eiusmodi heterogeneas, non omnes acquiruntur simul, sed vna post alias, idque per actus diuersos & sibi mutuo succedentes; & similiter vna pars potest tolli per obliuionem, aut detestationem vnius partialis obiecti, aut simili ratione manente altera: vt patet experientia in scientijs acquisitis, similibusque habitibus; caritas autem tam Dei quàm proximi necessariò simul infunditur, nec vna potest tolli manente altera: nam, vt S. Iohan. epist. 1. c. 3. & 4. sæpius inculcat, nemo potest amare Deum, nisi etiam amet proximum.

1. Iohan. 3. & 4.

Ad primum argumentum propositum nu. 1. nego consequ. tum ob dicta in prima ratione huius conclusionis; tum etiam quia intellectus principiorum, & scientia conclusionis, habent obiecta formalia longè magis distincta, quàm habeant amor Dei & amor proximi propter Deum; qui se habent sicut intentio & electio, vt infrà dicam.

Ad secundum, Respondeo id solùm probare quartam nostram conclusionem.

12 In solis habitibus acquisitis requiritur nouus habitus occurrente noua difficultate.

Obijcies Primò, Vbi in diuerso actu reperitur noua difficultas, ibi ad eam superandam debet dari nouus habitus, aut prior per partem heterogeneam extendi: atqui in amando proximo reperitur noua difficultas; nam existentes in caritate sæpè experiuntur graues difficultates in amando proximo, à quo læsi sunt: ergo ad hoc requiritur nouus habitus, aut saltem extensio præcedentis. Respondeo maiorem solùm esse veram in habitibus acquisitis, quorum proprium est facilitare ipsos actus; & consequenter minuere occurrentes difficultates: secùs autem esse in habitibus infusis, qui non dantur ad facilitandum actum (vt ostendi disput. 6. dubio 6.) sed præcisè vt possimus elicere actum supernaturalem; quare habent se per modum potentiæ, quæ est vna & simplex respectu omnium suorum actuum.

13 Noua actus difficultas quandoque eode, quandoque distincto habitu superatur.

His adde, etiam in habitibus acquisitis tunc solùm habitum debere augeri per partem heterogeneam, quando difficultas quæ in secundo actu reperitur, nascitur ab intrinseca ratione ipsius actus, vt contingit in cognitionibus diuersarum conclusionum vnius scientiæ. Secùs autem esse quando illa difficultas solùm nascitur ab extrinseco; tunc enim ad hanc superandam non debet prior habitus extendi, sed alterius virtutis habitus debet acquiri. verbi causa, vt aliquis sit liberalis & misericors in pauperes, omnis difficultas, quæ nascitur ex nimio amore pecuniarum, debet tolli per virtutem liberalitatis: si verò aliunde nascatur difficultas, vt si ad dandas eleëmosynas requiratur vt quis parcè viuat & lautitijs abstineat; hæc difficultas non debet tolli per extensionem habitus liberalitatis, sed per virtutem temperantiæ: idemque est in alijs similibus. Qui autem in se est bene dispositus ad amandum Deum, nullam habet difficultatem vt amet proximum propter Deum, spectando præcisè hunc actum secundùm se: ab extrinseco tamen, vt quia à proximo grauiter læsus est, aut ab similes causas potest nasci difficultas; sed hæc per habitus acquisitos præsertim patientiæ, aut per vehementem ac seriam apprehensionem passionis ac patientiæ ipsius Christi in cruce pro suis tortoribus tanto affectu orantis, aut per alias Dei gratias præuenientes facilitanda est.

Obijcies Secundò, Si vnus se sæpè exerceat in contemplando & amando Deo in se, alter verò in amando proximum propter Deum, hic acquiret facilitatem maiorem amandi proximum propter Deum, ille amandi Deum in se: ergo ad hos actus dantur diuersi habitus.

14

Respondeo negando consequentiam, præsertim loquendo de habitibus infusis; quia, vt iam dixi, hi non dantur ad facilitandum actum. quare hoc argumentum vt summum probat, habitum acquisitum per diuersas partes heterogeneas extendi ad hos actus. Quamquam nec hoc satis probet, si loquamur præcisè de habitu voluntatis; quia illa diuersa facilitas in vtroque sæpè non prouenit ex diuersitate huius habitus, sed ex diuersa dispositione partis inferioris, scilicet imaginatiuæ & concupiscibilis. Nam, vt dixi disput. 22. dubio 1. ex frequenti Dei contemplatione in imaginatiua nascitur quædam facilitas, eum sub modo corporeo apprehendendi, & in appetitu sensitiuo quædam inclinatio in eum vt sic apprehensum tendendi; quibus actus voluntatis multum facilitatur. Cùm igitur aliter apprehendamus Deum vt amabilem in se, aliter in proximo; sequitur ex frequentatione alterutrius actus nasci diuersam apprehensionem in imaginatiua, & inclinationem in appetitiua; & consequenter diuersam facilitatem in voluntate. Hinc videmus eos, qui sæpè & diligenter se exercent in sibi repræsentando ac contemplando Christo crucifixo, aut iacente in præsepio, aut veniente ad iudicium, visa eiusmodi imagine statim excitari ad similes affectus, quales in meditando senserunt. Ex quibus etiam vtilitas tum eiusmodi exercitij, tum etiam vsus imaginum clarè probatur.

Vt facilè aut difficulter amemus Deum aut proximum, sæpè facit dispositio partis inferioris.

Conclvsio III. Actus, quo primo modo amo proximum propter Deum, est diuersæ speciei ab eo quo amo Deum in se. Ita Lorca 2.2. sect. 3. disput. 24. num. 11. vbi ait eos essentialiter differre, & clariùs disput. 26. num. 9. & alij. Probatur, quia hic amor proximi respectu amoris Dei in se, habet se sicut electio medij respectu intentionis finis: atqui hi actus sunt diuersæ speciei: ergo & illi. Minor probatur, nam intentio pro suo obiecto formali immediatè habet bonitatem ipsius finis; electio verò vtilitatem medij ad finem, & solùm mediatè bonitatem ipsius finis: eligens enim aliquod medium immediatè illud amat quia vtile est ad finem acquirendum, & hoc actu præcisè solùm implicitè & consecutiuè amat bonitatem finis in se consideratam: dictæ autem rationes formales sunt absolutè diuersæ. Et simili modo amor quo dicto modo amo proximum propter Deum, pro suo obiecto formali immediatè

15 Lorca.

Intentio finis & electio medij habet obiecta formalia immediata distincta.

habet bonitatem proximi quatenus vtilis est ad gloriam Dei promouendam, siue hanc ipsam vtilitatem; & bonitas Dei in se spectata hoc præcisè actu solùm implicitè & consecutiuè amatur. Ex quo etiam patet maior nostri syllogismi. Cùm igitur actus habentes diuersa obiecta formalia sint necessariò diuersæ speciei, apertè sequitur, dictos actus esse diuersæ speciei.

16 Nec his obstat quòd D.Thom.2.2.q.25.ar.1. *D.Thomas.* dicat dictos amores esse eiusdem speciei; quia hoc intelligendum est secundùm rationem quam adfert, scilicet quatenus habent idem obiectum formale. quare cùm, sicut iam ostendi, hic amor proximi non habeat idem obiectum formale immediatum cum amore Dei in se; nec etiam habebit eandem speciem proximam, sed solùm remotam, aut in genere moris & bonitatis. Adde, D.Thomam propriè non loqui de primo modo amandi proximum, sed de secundo, vt patet ex eius responsionibus ad argumenta.

Ad primum argumentum contrarium positum n.1. negandum est assumptum, vt patet ex dictis.

Ad secundum, nego consequentiam. quia omnes assensus fidei theologicæ habent omnino idem obiectum formale: secùs est de dictis actibus, vt iam ostendi.

17 Conclvs.IV. Amor quo proximus amatur secundo modo propter Deum, etsi fortè nó differat specie ab amore, quo Deus in se amatur (quia vterq; hic actus videtur habere idem obiectum formale immediatũ solùm diuersimodè consideratum) tamen est substantialiter diuersus & inferioris gradus. Et hoc saltem modo vera est sententia Lorcæ suprà, qui quoad hanc distinctionem comparat hanc dilectionẽ proximi priori. Prior pars prob. quia videtur *D.Thom.* esse D.Thomæ 2.2.q.25.a.1.in corpore. Secunda probatur Primò, quia, vt ostendi suprà disp. 23.dub.3.nu.17.perfectio appretiatiua est actui substantialis, ideoq; hæc variari nequit nisi varietur eius substantia: atqui amor quo amamus Deum in se, est appretiatiuè longè perfectior amore, quo eum amamus in proximo, siue quo amamus proximum propter Deum: ergo ille est substantialiter longè perfectior. Minor probatur, quia bonitas Dei in se considerata, longè est maior & perfectior, quàm prout consideratur in proximo; & longè etiam aliter eam apprehendimus in Deo, quàm in proximo: ergo amor quo amamus Deum in se, est appretiatiuè maior eo, quo amamus eum in proximo.

18 Confirm. quia hoc secundo modo similiter amamus Deum in proximo, sicut eum honoramus in suo vicario aut in Sanctis: atqui excellẽtiore cultu honoramus eum in se quàm in suo vicario aut in Sanctis: ergo perfectiore amore amamus eũ in se quàm in proximo. Maior patet, quia sicut ideo honoramus Deum in vicario & Sanctis, quia eius maiestas in his elucet & tamquam præsens apprehenditur, ita dicto modo amamus eum in proximo, quia eius bonitas in his elucet; & sicut maiore cultu eum prosequimur in iis in quibus eius maiestas magis elucet, ita maiore amore eum prosequimur in ijsin quibus eius bonitas magis elucet. Nec his obstat quod docet D.Thom.2.2.q.25.art.1.ad 2.& q.81.a.4.ad 3. vbi ait, proximum posse quidem amari eadem caritate, qua amatur Deus, non tamen eodem cultu. Quia loquitur de cultu latriæ externo, qui soli Deo adhiberi potest; quia hic per se simpliciter fertur in obiectum præsens cui defertur, nec potest in suo obiecto abstrahere diuersas rationes formales secundùm quas diuersimodè in illud feratur, prout fit in actibus internis. Nullibi autẽ D.Thom. negat nos interno actu posse Deum colere in suis vicarijs aut Sanctis; sicut possumus eum in his amare. Alij alias explicationes adferunt, vt patet apud Turrian.2.2.disp.73.dub.2. sed quæ minùs satisfaciunt. *D.Thom.* *Cur possimus eodẽ cultu interno qui externo ipsi Deum in se & in suo vicario.* *Turrian.*

Conclvsio V. Actus, quo quarto modo amo proximum, nullo modo elicitur à virtute theologica; sed ab habitu virtutis moralis infusæ: quæ caritas seu amicitia proximi dici potest. Ita Vasquez in 3.part.tom.1.disp.98.cap.2. *Vasquez.* Turrian.suprà, & Lessius de Iustit.cap.36.nu.23. *Turrian.* & apertè ipse D.Thom.2.2.q.103.a.3.ad 2. vbi *Lessius.* docet, quòd sicut Sancti ob propriam excellentiam coluntur cultu distincto à latria: ita proximum ob proprias sibique intrinsecas perfectiones amari virtute distincta à caritate theologica. *D.Thom.* 19

Per se etiam patet, quia, cùm hic amor habeat distinctum omnino obiectum à virtute theologica, necessariò debet à distincta virtute proficisci, quia habitus nequit ferri extra suum obiectum formale. Quamuis autem hac ratione præcipuè amemus iustos, possumus tamen etiam ita amare peccatores, quatenus homines sunt ad Dei imaginem creati, & ad beatitudinem ex parte Dei destinati.

Conclvsio VI. Quartus hic amor est verus amor amicitiæ siue beneuolentiæ erga proximum. Primus verò nullo modo est amor amicitiæ erga proximum, sed solùm erga Deum. Ita Auctores citati numero 19. 20 *Quis amor proximi habeat rationẽ amicitiæ erga eum, & quis non.*

Prior pars per se clara est; quia sic amamus proximum propter suam bonitatem, & optamus ei bonum quatenus ei bonum est, in eo sistendo: quod est proprium amoris amicitiæ. Nec refert quòd fortè proximus non redamet nos, quia hoc non obest quin amor, quantum est ex parte nostra, sit verus amor amicitiæ, etsi ob defectum alterius partis non sit inter nos absolutè vera amicitia; quæ mutuum amorem requirit. *Possumus amare amore amicitiæ eũ, cui mecũ non intercedit vera amicitia.*

Secunda pars probatur, quia amicitia requirit vt amico velimus bonum præcisè quia ipsi bonum est: atqui dicto amore optamus proximo bonum, non tam qua ipsi bonum, quàm quatenus est Deo bonum: sicut famulis amici optamus bonum quatenus hoc cedit in bonum amici: ergo sicut hic amor non habet rationem amicitiæ respectu famulorum, sed solùm respectu domini, ita necille habet rationem amicitiæ respectu proximi, sed solùm respectu Dei. 21

Con-

22 CONCLVSIO VII. Etsi secundus amor habeat maiorem speciem amicitiæ erga proximum, atque ita possit latiore modo talis dici, tamen stricte loquendo solùm habet veram rationem amicitiæ erga Deum. Hic etiam est sensus Auctorum quos citaui nu.19. quia in solo quarto amore aiunt esse veram amicitiam erga proximum.

Prior pars probatur, quia, cùm proximus à tali amante consideretur quasi aliquid vnum cum Deo, amor eius vt habens rationem amicitiæ videtur etiam terminari ad ipsum proximum.

Secunda pars probatur, quia vt sit verus amor amicitiæ, debeo proximo velle bonum, aut præcisè, aut saltem præcipuè quia ei bonum est: atqui in dicto casu non volo proximo bonum, aut præcisè, aut saltem præcipuè quia ei bonum est; sed præcipuè amo Dei bonum qua tale, cùm tota ratio cur illi velim bonum, sit ipse Deus, cui eodem actu magis illud ipsum bonum volo, quàm ipsi proximo; sicut eo actu magis amo Deum quàm proximum.

23 Ex his patet Primò, nullum amorem, qui sit actus virtutis theologicæ, habere veram rationem amicitiæ erga proximum; sed solùm erga Deum, cui per omnem eiusmodi actum primò & præcipuè bonum volumus, proximo autem solùm quatenus hoc simul est bonum Dei. Ita Auctores citati num.19. atque adeò etiam ipse D.Thom. vbi ait: *Non enim per caritatem diligimus in proximo, nisi Deum.* scilicet quatenus est virtus theologica, & habet rationem amicitiæ. nam quatenus habet rationem amoris concupiscentiæ, certum est nos etiam diligere proximum eiusque bonum.

Nullus actus virtutis theologicæ habet rationē amicitiæ erga proximū.

24 Patet Secundò, tertium actum amoris, si tendat in proximum priore modo ex dictis n. 5. proficiscie ex virtute theologica, & solùm habere rationem amicitiæ erga Deum; quia est eiusdem rationis cum primo actu. Si verò secundo modo tendat in proximum, scilicet mediante consideratione bonitatis ei propriæ & propter hanc, tunc non est virtus theologica, sed moralis, & vera amicitia erga proximum: quia est eiusdem rationis cum quarto actu.

DVBIVM II.

Qualis Dei dilectio nobis sit præcepta illo Deuter.6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua?

25 DVplex hîc est difficultas: Primò, circa intelligentiam istorum verborum, deinde an hoc præceptum in hac vita impleri possit.

Circa primum quidam quos tacito nomine citat Lorca 2.2.sect.3 disp.57. putarunt nullum omnino esse speciale præceptū diligendi Deum actu interno, sed illo similibusque præceptis solùm nobis præcipi vt impleamus Dei mandata in decalogo cōtenta. Videtur autem hoc posse probari Primò, ex Scriptura, quia Christus Iohann.14. explicans quid sit diligere Deum ait: *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.* Secundò, quia D.Bernardus serm.50.in Cantica, explicans illa verba: *Ordinauit in me caritatem: Est*, inquit, *caritas in actu, est & in affectu: & de illa quidem, quæ operis est, puto datam legem esse hominibus, mandatumq; formatum: nam in affectu quis ita habeat, vt mandatur? Ergo illa mandatur vt meritum, ista vt præmium datur.* & infrà: *Quomodo ergo iubenda fuit, quæ implenda nullo modo erat:* Quę fusè pergit disputare ostendendo illud præceptum Deuter.6. non posse hîc perfectè impleri; atque ita per illud ostendi quid in altera vita futurum sit.

Lorca. Iohan.14. Bernard.

26 Secunda sententia ita illud præceptum explicat, vt velit illis verbis non solùm internum amoris actum speciatim præcipi: sed etiam per singula membra diuersa siue diuersam amoris circumstantiam præcipi: ita vt per *cor*, quod in nobis est principium vitæ, significetur voluntas, quæ est principium omnium liberarum actionum: per *mentem* verò (quæ Marci 12.v.30. præcedētibus additur) significetur intellectus; per *animam* verò appetitus inferior: per *fortitudinem* siue *virtutem* vis executiua siue exterius operatiua. Atque ita dicto loco nobis præcipitur, vt ita Deum amemus, vt tota nostra voluntas siue intentio feratur in Deum; & intellectus, vis appetitiua, ac exterior operatio omni ex parte Deo subdantur, & secundùm voluntatem eius regulentur. ita D.Thom.2.2.q.44.art.5. Vbi alias varias sanctorum Patrum explicationes adfert, sed quæ cum dicta magna ex parte in sensu conueniunt.

Quid cor, mēs, anima, virtus in præcepto caritatis significent. Marc.12. D.Thomas.

27 Circa secundam difficultatem D.August.l. de Perfectione iustitiæ ratiocinatione 17. videtur sentire hoc præceptum hîc impleri non posse, sed solùm in altera vita; quia cùm non possimus omnino carere omni peccato veniali ac inordinato amore, non videmur Deum posse diligere ex toto omnino affectu, prout ibi præcipitur. Verba eius sunt: *In qua plenitudine caritatis* (quæ scilicet erit in patria) *præceptum illud implebitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Nam cùm adhuc aliquid est carnalis concupiscentia, quod vel continendo frenetur, non omnino ex tota anima diligitur Deus*, &c. Eum etiam sequitur D.Bernardus citatus n.25.

August. Bernard.

28 CONCLVSIO I. Datur speciale præceptum diligendi Deum actu interno. Probatur Primò, quia est communis sensus Doctorum id tamquam omnino indubitatum asserentium: vt patet apud D.Thom.2.2.q.44.a.1. quem ibi omnes ipsius interpretes sequuntur. Scot.in 3.d. 27.q.vnica a.3.§. *Quantum ad* 2. Durand.in 3.d. 37.q.1.ad 3. Valentia 2.2.disp.3.q.19. puncto 1. Sanchez de Præcept. l.2.c.35. Turrian.2.2. disp. 97.dub.1. Lorca sect.3.disput.47. vbi plurimos alios citat. Secundò, quia Scriptura sæpissimè nobis inculcat Deum necessariò super omnia diligendum esse, vt Deuter.6. Matth.22. & alibi. & quòd loquatur de obligatione siue præcepto distincto à ceteris præceptis decalogi, patet ex Matth.22. vbi hoc præceptum vocatur primum & maximum; quod propriè non esset verum, si non esset distinctum à ceteris. Pro

D.Thomas. Scotus. Durand. Valentia. Sanchez. Turrian. Lorca. Deuter.6. Matth.22.

Præceptum caritatis dicitur primũ, id est præcipuum.

quo Nota, illud mandatum dici primum, non quia primo loco ponitur, sed quia primò & maximè per se præceptum est, adeò vt reliqua omnia præcepta dentur, vt hoc omni ex parte perfectè impleatur. atque ita impletio illius præcepti est finis reliquorum omnium. vt dicitur 1. ad Timoth. 1. *Finis autem præcepti est caritas de corde puro*, &c.

1. *Tim.* 1.

29 Ex quo probatur conclus. Tertiò, qui obligatur ad media, multò magis obligatur ponere finem, si hoc sit in ipsius potestate. v.c. si in potestate venatoris sit non solùm prosequi feram, sed etiam eam capere; si obligetur eam prosequi, multò magis obligatur eam capere: ergo cùm obligemur seruare alia præcepta, vt dilectio Dei in nobis sit & conseruetur, multò magis obligamur habere ipsam Dei dilectionem, cùm hæc per Dei gratiam sit in nostra potestate.

Probatur Quartò, quia dilectio Dei habet specialem honestatem, quæ inter omnes virtutes maximè deceat naturam rationalem, & maximè ad Dei gloriam spectat: ergo cùm aliquarum aliarum virtutum actus nobis sint præcepti, (vt de actu fidei & religionis omnes fatentur) multò magis nobis erit præceptus actus caritatis. Confirm. quia aliquis pater, qui valdè amat suum filium, & hoc maximis in eum collatis beneficijs continenter testatur, ab hoc non solùm exigit vt omnia ipsius præcepta exteriùs obseruet, sed etiam, & quidem præcipuè, vt eum interiùs verè amet. vnde si actus nostri interni hominum oculis paterent, talis pater putaret se maxima iniuria affici, si videret se à filio interiùs numquam amari; & omnes huic hoc maximo vitio verterent. Quanto igitur magis Deus, cui nostra interiora patent, & qui plus quouis patre nos amat, maioribusque beneficijs prosequitur, à nobis exigit internum amoris affectum?

30 Ad primum argumentum positum num. 25. Respondeo Christum ibi non explicare in quo formaliter consistat amor Dei nobis præceptus; sed ostendere Primò, solum amorem Dei inefficacem, siue qui nos non impellit efficaciter ad seruanda mandata, non sufficere ad implerionem præcepti caritatis, cùm non sit vera caritas. Secundò, obseruationem omnium aliorum mandatorum esse signum interni & veri amoris, cùm sine hoc nequeat consistere: qui enim Deum verè non amant, facilè ac frequenter in alia peccata incidunt.

31 Ad secundum, Respondeo D. Bernardum non distinguere ibi actum internum amoris contra externam obseruationem mãdatorum, sed distinguere duplicem actum internum caritatis. Alterum, quo suauiter toto affectu Deo ita inhæremus, vt animus sui rerumque omniũ aliarum quasi omnino oblitus, cum summa dulcedine totaliter in Deum feratur. Alterum, quo ad opera externa, vt proximo succurramus, impellimur. hanc caritatem vocat actualem, quia ad agendum impellit; illam affectuosam, quia tota sistit in interno affectu. Secundam docet habere rationem meriti: priorem verò habere rationem mercedis, ideoque propriè pertinere ad patriam, ibique solùm perfectè reperiri, quamuis hîc quandoque in contemplatione prægustanda detur. Vnde infrà cùm distinxisset triplicem amoris affectionem, scilicet in eam quam caro gignit, & quam ratio regit, & quam condit sapientia, subdit, *Prima quidem dulcis, sed turpis; secunda sicca, sed fortis; vltima, pinguis & suauis. Igitur per secundam opera fiunt* (siue imperantur) *& in ipsa caritas sedet non illa affectuosa, quæ sale sapientiæ condita pingueſcẽs magnam importat menti multitudinem dulcedinis Domini; sed quædam potius actualis: quæ etsi nondum dulci amore suauiter reficit, amore tamen amoris ipsius* (scilicet omnino perfecti, quo animus totaliter in Deum rapiatur) *vehementer accendit.* & infrà: *Opere diligamus & veritate; quo videlicet moueamur ad bene operandum, magis quodam viuidæ virtutis impulsu, quam sapidæ illius caritatis affectu.* Vbi apertè duplicem illum actum internum, vt suprà dixi, distinguit.

Quem amorem S. Bernardus vocet actualẽ, quem affectuosum.

Communiter igitur, vt dixi, Doctores consentiunt nobis esse præceptum vt actu interno caritatis Deum diligamus; sed inter eos aliqua est difficultas, vtrum hoc intelligendum sit de amore naturali, an de supernaturali, an verò de vtroque. Quidam autem volunt id intelligi de solo amore supernaturali: alij verò de vtroque: alij volunt Christianis præceptum amorem supernaturalem, alijs naturalem, prout videre est apud Bañez 2.2. qu. 44. art. 1. dub. 1. & Turrian. disp. 97. dub. 1. Videntur autem Doctores præcipuè hanc quæstionem mouere, quia putant has dilectiones distingui obiecto formali, & vnam ferri in Deum, qua auctorem rerum supernaturalium, aliam verò qua auctorem rerum naturalium: & hoc supposito meritò hæc difficultas mouetur. Sed cùm disp. 5. dub. 3. ostenderim dilectionem Dei naturalem & supernaturalem non differre necessariò obiecto formali, & vtroque posse amari Deum vt auctorem tam rerum supernaturalium, quàm naturalium. Item cùm disput. 6. dub. 5. ostenderim, habentem habitum supernaturalem, si circa eius obiectum formale operetur, semper producere actum supernaturalem: non videtur res vlteriùs posse esse dubia, supposita veritate eorum quæ ibi docui. Bañez. Turrian.

32 Dicendum itaque, cùm præceptum diligendi Deum oriatur ex iure naturæ, obligare omnem sufficienter vtentem ratione, vt Deum diligat vero actu amoris beneuolentiæ, & consequenter propter intrinsecam suam bonitatem qua in se infinitè bonus & amabilis est; iuxta dicta disput. 21. dub. 2. abstrahendo tamen an hic amor futurus sit naturalis, an supernaturalis. Etsi enim Deus præcipuè intendat vt amemus eum amore supernaturali, cùm ad hoc nobis gratiam tam præuenientem, quàm habitualem largiatur; tamen ad hoc propriè nullo præcepto directè obligamur. Quod patet, quia non possumus vllo modo in nobis distinguere amorem Dei naturalem à supernaturali, aut scire an hoc vel illo Deum amemus; quod tamen videretur necessarium si obligaremur eum alterutro determinatè amare. Secundò, quia, etsi in nostra potestate sit, saltem habita gratia præueniente ad hoc necessaria, Deum super omnia dili-

Lege naturæ tenemur Deum diligere propter intrinsecam suam bonitatem, abstrahendo an amor sit naturalis an supernaturalis.

Non obligamur ad aliũ amoris supernaturalis nisi aliquo modo indirectè.

Non est in nostra potestate elicere potiùs actum supernaturalem, quàm naturalem.

diligere; tamen non est in nostra potestate efficere, vt hic actus sit potiùs supernaturalis quàm naturalis, vel cõtrà; sed posito quòd habeamus sufficientia auxilia siue habitualia, siue actualia ad eliciendum actum supernaturalem, ille actus erit supernaturalis, & contrà erit naturalis si illa auxilia nobis desint, quantumuis conemur elicere supernaturalem.

Solùm igitur indirectè possumus obligari vt eliciamus actum supernaturalem, quatenus omnes obligamur vt quantum cum Dei gratia possumus, elaboremus vt simus in statu gratiæ: quo posito hoc ipso quo eliciemus actum caritatis, necessariò eliciemus supernaturalem. vt ostendi suprà.

33 *Deut.6. Quis sit sensus illius loci, Diliges Dominum Deum, &c. D. Thomas.*

CONCLVSIO II. Etsi illud Deuter.6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. sensu accommodatitio bene explicet D.Thom. citatus nu.26. tamen si spectemus præcisè sensum litteralem, & modum loquendi Hebræorum & Scripturæ, illa verba: *Ex toto corde & ex tota anima*, &c. videntur omnino idem significare, scilicet nos ita debere amare Deum, vt affectũ nostrum non diuidamus in alia, aliquid appretiatiuè supra eum aut contra eius voluntatem amando, atque adeò vt simus parati potiùs omnia carissima etiam ipsam vitam deserere, quàm ipsius præcepta violare. Ita Cornelius Cornelij in dictum locum Deuter. & Vasq.1.2. disp.194. c.3.in fine.

Cornel. Cornelij, Vasquez.

Scriptura variis verbis idem significat vt fortiùs inculcet. 4.Reg.20. Psalm.6. Psalm.50.

Vbi Nota, quando Scriptura vult aliquid fortiter asserere aut inculcare, id variis verbis idem significantibus repetere. Sic 4.Regum c. 20. Isaias ait Ezechiæ: *Præcipe domui tuæ, morieris enim tu, & non viues.* Psalmo 6. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Psalm. 50. *Amplius lauame ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* & alibi sæpiùs. Et simili modo dicto loco Deut.6. sæpiùs idem alijs verbis repetitur, vt fortiùs inculcetur.

34 *Possumus hic implere præceptum amandi Deũ. Trident.*

CONCLVSIO III. Absolutè dicendum est, nos in hac vita posse Deum cum ipsius gratia amare prout præcipitur Deut.6. Probatur Primò, quia Trident.sess.6.can.18. dicit anathema ijs, qui dixerint præcepta Dei etiam iustis esse obseruatu impossibilia: atqui illud est verum Dei præceptum: ergo potest impleri. Secundò, quia Christus Lucæ 10. legisperitum interrogantem quid faciendo obtineret vitam æternam, remisit ad legem, & ex ea recitanti dictum præceptum, ait: *Rectè respondisti, hoc fac, & viues.* Vbi apertè ostendit impletionem illius præcepti esse possibilem, & necessariam ad obtinendam vitam æternam. Item Deuter.30.v.2. vt filij Israël post peccatum possent à Deo misericordiam obtinere, expressè exigitur vt ad eum reuertantur, eique obediant ex toto corde & ex tota anima; quæ frustra docerentur si hoc esset impossibile. & v.6. dicitur: *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo & in tota anima tua, vt possis viuere.* Vbi apertè dicitur hoc præceptum hîc implendũ esse à filijs Israël, & hoc esse necessarium vt possint hîc viuere, siue ne Deus eos disperdat.

Luc.10.

Deut.30.

35 Vbi Nota, hæc verba: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c. posse dupliciter accipi. Primò, in sensu omnino rigoroso & stricto, ita scilicet vt totus noster affectus continenter feratur in Deum, adeò vt nulla ex parte vel minimùm ab eo deuiet, aliquid aliud inordinatè amando; quod in hac vita fieri nequit, saltem sine specialissima Dei gratia. & sic illa verba intellexerunt D.August. & D.Bernardus citati in 27. Secundò, vt dicantur Deum ex toto corde diligere, qui eũ appretiatiuè diligunt super omnia, ita nimirum vt sint parati pro ipsius amore potiùs omnia perdere, quàm eum præsertim mortaliter offendere. & hic est sensus illius præcepti, & sic impleri hîc potest. Posset hîc disputari an teneamur Deum diligere super omnia intensiuè, sed de hoc melius agemus disp.sequenti.

Duplici sensu Deus potest dici amari ex toto corde.

August. Bernard.

DVBIVM III.

Quando obliget præceptum diligendi Deum super omnia?

VIx vlla est difficultas theologica, præsertim moralis siue practica, in qua explicanda tot tamque variæ sunt Doctorum sententiæ; adeò enim hæc res est obscura, vt facilius sit ferè quasuis in ea sententias refutare, quàm aliquam certam firmiter stabilire. Quare varias aliorum sententias hîc proferemus & expendemus, vt lector possit aliquo modo discernere quænam ad veritatem videatur propiùs accedere. 36

Primò, igitur S.Thom.1.2.qu.89.a.6. quem tota ferè eius schola sequitur, docet, quemuis hominem statim ac ad vsum rationis peruenit, ita vt sit potens peccare, teneri hoc præcepto Deum super omnia diligere. 37 *D.Thom.*

Probatur Primò, quia homo statim ac peruenit ad vsum rationis, tenetur se conuertere ad vltimum suum finem ad quem omnes suas actiones dirigat: atqui hoc fit per dilectionem Dei super omnia: ergò ad hanc tunc tenetur. Maior probatur, quia quod in lapide est grauitas necessitans eum vt tendat ad suum finem, scilicet ad centrum terræ, hoc in homine est obligatio tendendi ad suum finem: atqui lapis statim ac generatus est, sublato omni impedimento tendit ad suum finem: ergo similiter homo statim ac natus est, sublato omni impedimento, quod ei initio inest ob defectum rationis, tenetur se conuertere ad Deum.

Secundò, quia aliàs fieri posset vt quis existens in peccato originali, veniensque ad vsum rationis, aliquamdiu viueret sine peccato mortali, & priùs peccaret venialiter, quàm mortaliter; & ita moreretur: atqui hoc est absurdum: ergo & id vnde sequitur. 38

Minor probatur Primò, quia Innocent.III. c.*Maiores*, de baptis.§.*Sed adhuc*, docet, adultis dormientibus non posse per baptismum remitti peccatum originale, quia hoc nequit remitti sine mortali: ergo sentit hoc non posse in adultis reperiri sine mortali. *Innoc.III.*

Probatur Secundò, quia Concilium Florent. ait: *Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali discedunt, mox in infernum descen-* *Concil. Florent.*

descendere, pœnis tamen disparibus cruciandas. Vbi nullam facit mentionem eorum, qui discedunt cum solo peccato originali & veniali: ergo sentit nullos tales esse.

Tertiò, quia nullus pro his posset assignari locus: nam nec limbus puerorum, quia ibi non puniuntur peccata actualia; nec etiam locus damnatorum ob peccata mortalia, quia ipsi non commisissent peccatum mortale: & nullus tertius locus damnatorum datur.

39 Nullo argumento satis probatur nos primo instanti quo vtimur ratione teneri nos convertere ad Deū.

Sed hæc argumenta non satis probant intentum. Ad primum, nego maiorem. Ad eius probationem, Respondeo maiorem eius nullo niti fundamento, & videri apertè falsam: quia aliàs sequeretur, hominem obligari vt quoties non impeditur continuo actu amoris tendat in Deum, donec et in cælo vniatur; sicut lapis quoties non impeditur, continuò quantum potest tendit ad centrum terræ, donec eò perueniat.

His adde, etsi vtriusque argumenti maior esset vera, solùm probaret nos statim ac habemus vsum rationis, debere elicere actum spei, & amare Deum tam quam bonum nostrum: hac enim ratione Deus est noster vltimus finis & obiectum spei, & lapis tendit ad centrum tam quam ad bonum suum.

40 *Sanchez.*

Ad secundum, multi apud Sanch. de Præcept.l.2.c.35.n.7. negant secundam partem maioris. nam, etsi concedant fieri posse vt existens in peccato originali peccet priùs venialiter, quàm mortaliter, aiunt tamen pertinere ad diuinam prouidentiam non permittere vt talis in eo statu moriatur: quod etsi videatur solum inuentum ad soluendam dictam difficultatem; tamen probabilius dicitur, quàm illud, quod alij per illud argumentum conantur probare. Cum alijs tamen credo probabilius, absolutè fieri posse, vt aliquis cum solo peccato originali & veniali è vita discedat. & hoc cum alijs probabile putat Suar.to.4.in 3.p.disp.11.nu.18. Atque ita nego minorem illius argumenti.

Fieri potest vt quis moriatur habēs solum peccatum originale cum actuali veniali. *Suarez.*

Ad primam probationem, nego conseq. quia Pontifex non reddit ibi omnino generalem rationem cur adulto, qui baptismum numquam petijt, per hunc dormienti collatum nequeat remitti peccatum originale: sed solùm respondet ad casum qui communiter solet accidere, & quem sibi expressè soluēdum proposuerat: Cur scilicet in eo, qui simul habet peccatum originale iunctum peccato mortali actuali, illud nequeat remitti per baptismum homini dormienti nec vllo modo pœnitenti collatum. Ad quod optimè respondet id fieri non posse, quia secundùm præsens Dei decretum vnum ex dictis peccatis nequit remitti sine altero.

41

Ad secundam prob. nego conseq. quia Concilium non statuerat ibi enumerare omnes casus qui poterant hac in re accidere, cùm hoc nullo modo faceret ad rem: vnde nec ibi facit mentionem eorum qui discedunt è vita cum peccato actuali mortali & veniali, aut cum peccato originali & actuali mortali. & tamen inde non licet inferre tales nullos esse. Ideò igitur Concilium facit mentionem duorum casuum, quia solùm faciebant ad ipsius propositum: nam solùm intendebat ostendere, vtrumque peccatum tam originale quàm actuale mortale, per se sufficere ad æternam damnationem.

Ad tertium, Respondeo cum Suarez suprà tales futuros cum reliquis qui habent solum peccatum originale, in limbo, passuros tamen particularem aliquam pœnam; aut æternam valdè leuem, v.c. perpetuam aliquam displicentiam sui, aut confusionem ex apparenti illa in se macula, aut temporalem grauiorem, iuxta ea quæ dixi to.2.de Sacram.disp.10.dub.6. *Suarez.*

His adde, etsi concederemus omnes statim ac incipiunt vti ratione, teneri Deum amare super omnia; inde tamen non sequi, nullum existentem in peccato originali posse priùs peccare venialiter, quàm mortaliter. quia cùm hæc obligatio communiter ab incipientibus vti ratione inuincibiliter ignoretur, præsertim inter barbaros; ratione huius ignorantiæ, aut etiam omnimodæ inaduertentiæ, venientes ad vsum rationis non elicientes actum caritatis, communiter excusabuntur à peccato, præsertim mortali, & ita priùs poterunt peccare venialiter quàm mortaliter. 42

Secunda sententia docet, adultos obligari singulis diebus Dominicis & festis elicere actū caritatis, quia hoc videtur præscribi dum iubemur dies festos sanctificare. Ita Scot.in 3.d.27. q.vn.ad 3.§. *Quantum ad secundum.* & alij. Sed hoc alij communiter reijciunt, quia fundamento caret. nam per præceptum sanctificandi festa solùm nobis præcipitur abstinentia ab opere seruili, & aliquis actus latriæ, v.c. auditio Sacri, idque iure Ecclesiastico: dicta autem fieri possunt sine actu caritatis. 43 *Scotus.*

Alij Tertiò, docent hoc præcepto obligari adultos, quando suscipiunt baptismum, vt hac ratione profiteantur se Deo omnino subiectos esse. Sed alij id reijciunt, tum quia ad baptismū ritè suscipiendum sufficit attritio; vt etiam ostendi to.1.de Sacram.q.62.a.1.dub.2.n.31. tum quia etiam per ipsam baptismi susceptionem satis testamur nostram fidem & subiectionem respectu Dei. 44

Quartò, alij putant hoc præceptum obligare: Primò, quoties magnum aliquod beneficium à Deo accipimus; Secundò, quando audimus aliquos blasphemantes, aliamue iniuriam Deo inferentes; Tertiò, quando opus aliquod valdè difficile aut magni momenti aggrediendum est; Quartò, quando grauem patimur tentationem. Sed alij hos casus reijciunt vt carentes fundamento. Nam primus solùm requirit actionem gratiarum: secundus verò, vt talem Dei iniuriam quantum possumus impediamus: tertius autem, vt Dei auxilium imploremus: & quartus, vt repræsentando nobis pœnas inferni aut similia affectum tentationi repugnantem in nobis excitemus: quæ omnia sine actu caritatis fieri possunt. His adde, si in dictis casibus præceptum caritatis obligaret, id solùm fore per accidens, nos autem hic quærimus, quando per se obliget. 45

Quintò, ob has difficultates quidam apud Turrian.2.2. disp.97.dub.2. §. *Propter difficultatem.* 46 *Turrian.*

tem. putant hoc præceptum solùm obligare in periculo vitæ. Sed alij hoc refutant, quia cùm amor Dei super omnia conducat ad vitã rectè instituendam, si vnquam per se obliget, potiùs debet obligare in initio vitæ, quã in fine. Quare aliqui apud Sanch. de Præceptis l.2. cap.35. sub finem putant eos, qui in fine vitæ possunt suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, non teneri elicere actum caritatis, quia alia ratione possunt ad mortem se munire. Alios quosdam casus præterea referunt Turrian. & Sanchez locis suprà citatis. Ex quibus omnibus videas quàm hæc res apud Auctores sit dubia. Pro cuius resolutione

Sanchez.

47 Possumus obligari ad actum caritatis aut per se aut per accidens.

Nota, nos dupliciter posse obligari ad eliciendum actum caritatis. Primò, per se siue spectata præcisè bonitate illius actus & obligatione quam habemus eum eliciendi. Secundò, per accidens, eò quòd occurrat obligatio alterius præcepti, cui non possumus satisfacere nisi eliciamus actum caritatis, vt patebit ex dicendis.

48 *Vasquez. Azor. Turrian. Sanchez.*

Conclvsio I. Non tenemur elicere actum caritatis statim ac peruenimus ad vsum rationis. Ita Vasq. 1.2. disp.146. c.2. Azorto. 1. Moral. l. 4. c.10. q.6. Turrian. 2.2. disput. 97. dub.2. & cum alijs Sanch. de Præcept. l.2. c.35. n.7.

Probatur Primò, quia, vt ostendi nu.39. contrarium caret sufficienti fundamento, sine quo tamen tam grauis obligatio inducenda non est. Secundò, quia eiusmodi obligatio communiter ab omnibus Christianis ignoratur, exceptis ijs qui de ea in scholis disputari audiunt: si autem talis obligatio esset, omnes Pastores tenerentur eam sæpissimè suis subditis, & parentes suis liberis statim atque aliquis vsus rationis in ijs apparet, imò etiam ante hunc vsum inculcare; vt primo instanti vsus rationis eam possent implere. Quæ sunt contra praxim Ecclesiæ, imò fieri nequeunt, quia pueri nequeunt talia doceri, antequam ad vsum rationis perueniant: postquam verò ad eum peruenerint, iam transijt illud tempus, quo primò ad eliciendum actum caritatis obligantur, antequam hac de re possint instrui.

Si esset lex nos obligans primo instanti vsus rationis ad actum caritatis, eius obseruatio esset impossibilis.

49 Ex quo probatur Tertiò, quia nec pueri ante primum instans vsus rationis possunt sufficienter doceri quomodo Deũ ex caritate debeant diligere, nec id etiam per se sine vllo doctore statim in primo instanti vsus rationis scire, cùm & tunc & aliquamdiu pòst vix possint spiritualia vllo modo apprehendere: vnde sequitur, eos sine singulari valdè Dei illustratione, quæ cõmuniter ijs non datur, tunc non posse Deum vero actu caritatis diligere, & consequenter nec ad hoc obligari.

Quæ vera sunt non solùm accipiendo illud instans metaphysicè, prout quidã id accipiunt, sed etiam pro notabili aliquo tempore, v.c. aliquot horarum aut etiam dierum; quia pueri in illa ætate vix possunt sufficienter apprehendere quid sit Deum præcisè propter intrinsecam suam bonitatem super omnia diligere, ita vt possint verum actum caritatis elicere: ad hoc enim videtur requiri ingenium aliquo modo maturum, quale non habent pueri in primo vsu rationis; saltem communiter loquendo. Quare cùm eiusmodi actus ipsis pro eo tempore sit saltem valdè difficilis, & moraliter impossibilis, non videtur conuenire suaui dispositioni diuinæ prouidentiæ eos pro tunc ad eum eliciendum obligare.

Conclvsio II. Valdè probabile est, tunc nos per se incipere obligari vt eliciamus actum caritatis erga Deum, cùm primùm habemus sufficientem ipsius Dei cognitionem, vt possimus eiusmodi actum elicere: qua nimirum siue fide diuina, siue alia ratione cognoscamus ipsũ esse in se infinitè bonum ac amabilem, & nos omnia ab eo habere, totosque ab eo pendere, omniaque nostra ei debere, aliaque eiusmodi, quæ nos ad eius amorem possunt excitare. Ita Valent. 2.2. disp.3. q.19. puncto 1. §. *Primus casus est.* Cùm enim hic amor maximè à nobis exigatur, vt eo incitemur vt Deo ex vero affectu filiali seruiamus, eique in omnibus conemur placere, nullo modo possumus huic nostro officio satisfacere, si eum actum in finem vitæ differamus; quare recta ratio omnino exigit vt eum circa initiũ vitæ nostræ eliciamus. cùm autem, vt ostendi concluſ. 1. vix possimus eum citiùs elicere ob defectum cognitionis, & ingenij immaturitatem: videtur tempus iam dictum aptissimum, quo illa obligatio incipiet.

50 Quando incipiat caritas Dei nos per se obligare ad suũ actum. *Valentia.*

Hoc tamen non puto ita intelligendũ, quasi peccemus mortaliter nisi tunc statim eiusmodi actum eliciamus (hoc enim satis graue esset, nec sufficienti ratione probari potest) sed vt secluſa omni ignorantia & inaduertentia, sine graui peccato nequeamus eum valdè diu differre. quanto autem tempore possimus eũ differre sine peccato mortali, non possumus ita præcisè dicere: crediderim tamen omnino peccaturum mortaliter qui eum ad aliquot annos differret, aut fortè etiam qui vltra annum, secluſa, vt dixi, inaduertentia.

Habita sufficienti Dei cognitione peccamus mortaliter si valdè diu differamus elicere actũ caritatis; nõ tamen, si nõ ita diu.

Conclvsio III. Tenemur per se elicere actum caritatis circa articulũ mortis. Ita Valentia suprà casu 7. Quod non solùm intelligendũ est, quando non habemus copiam confessarij, & conscij nobis sumus peccati mortalis (quo casu res omnino certa est, quia sine actu caritatis nequimus elicere contritionẽ; ad quod tamen tunc, ne aliàs damnemur, obligamur) sed etiam si sacramentaliter confessi sumus. Ratio est Primò, quia, etsi satis certum sit ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ sufficere attritionem; tamen non sumus semper satis certi nos habere veram attritionem: & qui in illis circumstantijs quando agitur de æterna salute irreparabiliter perdenda, ita tepidus est, vt sciens solùm velit atteri, nec conetur ad verum actum caritatis & contritionis, facilè exponet se periculo non habendi veram attritionem; quare tunc nitendum est ad summa, vt media obtineamus, quia via tunc securissima eligenda est.

51 *Valentia.*

Instãte mortẽ nitendum ad summa & securissima.

Secundò, quia cùm tunc grauissima instent certamina, omnibus modis homo tenetur se contra ea parare: nam si tunc cadat æternùm peribit: & quamuis non eliciendo actum caritatis, absolutè loquendo alijs medijs, v.c. meditatione instantis mortis, & secuturæ æternitatis,

52

tis,ac excitando in se spem æternæ felicitatis ac timorem inferni , aut simili ratione possit eas tentationes superare & victor euadere;tamen si tepidè hac in re agat, exponet se grauissimo periculo æternæ damnationis : quod in eo casu omnibus modis tenetur vitare, & viam quantum potest securissimam eligere, omnibus quibus potest modis se Deo suo perfectissimè vniendo,quod fit per actus caritatis. Adde, hos actus esse vtilissimos ad impetrandam diuinam gratiam,tunc homini maximè necessariam.

53 Conclvsio IV. Valdè probabile est hominem diu viuentem extra dictos casus adhuc sæpiùs per se teneri elicere actum caritatis ; ita vt grauiter peccet si sciens sponte siue aduertèter id valdè diu differat. Hic etiam videtur ferè communis sensus Doctorum paucis exceptis; & quamuis non possit præcisè definiri tempus intra quod talis sub mortali tenetur actum caritatis elicere; tamen videtur omnino mortaliter peccaturus , si illud ad tres aut quatuor annos sponte differat. Probatur Primò, quia secundùm moralem æstimationem videtur includere quendam contemptum diuinæ amicitiæ , si quis infinitam bonitatem à qua ita amatur, tanto tempore sponte negligat redamare. Secundò, quia qui ita negligens est in amando Deo,vix fieri potest vt diuinam amicitiam tanti faciat,eamque ita colat ac contendat conseruare , sicuti tenetur & omnino necessarium est ne ea excidat : qui enim tam tepidè Deo seruit, facilè data occasione eius cultum deserit.

54 Quando teneamur per accidens elicere actum caritatis. Conclvsio V. Extra hos casus sæpè potest contingere, vt homo per accidens teneatur elicere actum caritatis.Primò,quoties tenetur conteri , vt si conscius sibi peccati mortalis teneatur solemniter administrare aliquod Sacramentum, nec possit confiteri:alijsq; casibus, quos retuli to.2.de Sacram.disp.3.dub.3.initio. Ratio est,quia, vt ibidem respondi disp.2.dub. 6.concluſ.1. fieri nequit vt peccator eliciat veram contritionem sine formali actu caritatis. Secundò,quoties quis credit id hic & nunc esse necessarium ad vincendam aliquam grauem tentationem; aut vt sufficienter animum comparet ad aggrediendum aliquod opus heroicũ, quod iam aggredi tenetur, aut similes ob causas. Probatur Primò,quia,etsi eum tunc elicere actũ caritatis non esset verè à parte rei medium hîc & nunc necessarium ad illos fines obtinendos;tamen hoc ipso quo ille putat id ita esse necessarium,ad illud obligatur, quamdiu in ea opinione manet, ne alias peccet contra conscientiam.

55 Secundò, quia sæpè potest contingere , vt illud sit verè medium necessarium ad dictos fines obtinendos:idque vel ob eius dispositionem , qui alijs vijs non sit fortasse sufficienter excitandus vt tentationem superet aut opus illud constanter aggrediatur , vel etiam quia alia via non est à Deo impetraturus eas gratias, quibus indiget vt eos fines de facto obtineat. Etsi enim Deus nobis in necessitate non desit suam gratiam subministrando, tamen sæpè vt det nobis gratias maiores , & quas videt habituras effectum,requirit vt eas certis rationibus conemur impetrare : quas si ex negligentia omittamus,dat nobis minores,quibus etsi absolutè possemus hoc vel illud perficere;tamẽ non nisi difficillimè id ita possemus , ideoque non sumus de facto perfecturi.

DVBIVM IV.

Vtrùm teneamur aliquando amare proximum actu interno?

NOta nos dupliciter posse ad hoc obligari. 56
Primò,præcisè ex virtute caritatis.Secundò,ex alia particulari virtute, v.c.ex pietate aut gratitudine. Et satis clarum est, nos hac ratione obligari quandoque vt alios amemus aliquo actu interno.Quia in humanum omnino & contra pietatem parentibus debitam videtur, si filius suos parentes nullo vnquam vero amoris affectu prosequatur. Hinc Apostolus ad Rom. 1.inter alia grauissima vitia,quibus olim Gentiles laborabant , vocat eos *sine affectione*, græcè ἀστόργους, quod iuncto α. priuatiuo descendit à στοργὴ,quod propriè significat amorem filiorum in parentes: atque ita ἄστοργος dicitur qui hoc amore caret. Et simili ratione is, qui valdè ab alio amatur,& ab eo magna beneficia accepit, videtur ex gratitudine obligati non solùm vt exteriùs se gratum ostendat, sed etiam vt interno affectu eum amet ; hoc enim exigit illa beneuolentia , qua alter eum prosequitur. Confirmatur, quia si illi scirent se ab his verè interiùs non amari, ægerrimè id ferrent,& æstimarent id cedere in sui contemptum , idque secundùm commune omnium iudicium, meritò facerent:quod verum non esset, si illi non tenerentur eos ita amare.

Inhumanè agit filius nunquam interno actu parentes amando. *Rom.1.*

Ex gratitudine obligamur magis benefactori amare.

Quantum autem & quoties tam filij parentes, quàm beneficiati suos benefactores teneãtur interno amore prosequi, non est facile definire,nisi quod in genere dici potest Primò, hîc multò grauiorem esse obligationem filij erga parentem , quàm beneficiati erga benefactorem , ob varias causas quas adferam disput.sequenti dub.9. Secundò, quando abest omne odium & animi auersio, & filius parenti,& beneficiatus benefactori exteriùs omnia officia ijs debita præstant , non esse multùm laborandum de interno affectu , quia in hoc casu moraliter vix fieri potest, vt hic saltem notabiliter desit. 57

Et ex his proportionaliter potest colligi quê affectum inferiores debeant suis Superioribus, vxores maritis , &c. aut etiam contrà parentes suis filijs , Superiores suis inferioribus , mariti vxoribus, & c.hæc enim spectanda sunt maximè ex officijs, quæ sibi mutuo tenentur præstare,de quibus agemus disp.sequenti. hîc autem solùm agimus de priore obligatione, quæ oritur præcisè ex virtute caritatis.

Illi igitur, qui , vt ostendi nu.25. putant non esse specialem obligationem diligendi Deum actu interno ; multò magis id dicũt de dilectione proximi , atque adeò secundùm eos caritas per se solùm nos obligat Primò , ad abstinendum ab omni proximi odio,alijsque rebus quæ 58

ei

ei possunt aliqua ratione nocere. & Secundò, vt occurrente necessitate aliaque occasione exhibeamus ei externa officia, quæ ei ex caritate tenemur exhibere. Ad internum verò affectũ non aliter nos obligat, quàm quatenus hic est necessarius vt illa exhibeamus: ad quod non est necessarius vllus verus actus caritatis erga proximum, cùm ex alijs pluribus finibus non malis possimus ea proximo exhibere.

59 Prob. Primò, quia Christus Matt. 7. explicans qua ratione debeamus proximum diligere, ait: *Omnia ergo quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc est enim lex & Prophetæ.* Ac si dicat, Hoc faciendo implebitis totam legem circa dilectionẽ proximi. vnde D. Bernard. serm. 50. in Cantica, ait: *An non denique satis tibi esse iudices ad implendum istud de proximi dilectione mandatum, si id perfectè obserues in quo omni homini rectè de lege naturæ præscribitur: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: & item illud, Quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis?*

Matth. 7.

Bernard.

60 Secundò, quia S. Iohan. epist. 1. c. 3. explicans qua ratione debeamus proximum diligere, ait: *Qui habuerit substantiam huius mũdi, & viderit fratrem suum necessitatem habentem, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo? Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua; sed opere & veritate.* Quibus locis tam Scriptura, quàm S. Bernardus totam obligationem diligendi proximum & veram rationem caritatis ponunt in externo opere.

1. Iohan. 3.

Nec refert quòd S. Bernardus verbis suprà recitatis subiungat: *Neque hoc dico vt sine affectione simus*, &c. quia videtur loqui de affectione in Deum, aut de ea, quæ necessaria est, vt opera externa faciamus: vt patet ex sequentibus.

61 Tertiò, quia spectando præcisè præceptum caritatis, non tenemur aliquẽ diligere, nisi quatenus id in ipsius bonũ aliquo modo cedit (nulla enim videtur ratio cur alicui teneat amorem aliudue officium impendere, si id nullo modo in ipsius bonũ cedat:) atqui, etsi amor merè internus possit aliquo modo cedere in bonum & cultum Dei, qui eum immediatè in se intuetur; non videtur tamen posse cedere in bonum hominis, nisi ratione actus externi; quia solùm ratione huius & nullo modo secundùm se præcisè potest ab homine percipi: ergo non aliter teneor proximum amare, quàm quatenus id est necessarium ad exhibendos ei actus externos ipsi debitos.

Caritas solũ imperat dilectionem proximi quatenus in eius bonum cedit.

62 Confirm. Primò, quia nec teneor amore interno amare omnes homines in confuso; hoc enim videtur inutile, quia non possum præstare aliqua beneficia saltem quæ sint magni momẽti hominibus in genere sumptis: neque etiã teneor ita singulos amare in particulari, quia hoc est impossibile: neq; etiã speciatim aliquos in particulari, quia nulla est ratio cur hos potiùs quã illos tenear ita amare: nisi fortè, vt dixi n. 56. ad id obliger ex aliqua particulari virtute: de quo casu hic non agimus. Quare etsi parentibus & quibusdã alijs ex pietate aut gratitudine tenear exhibere etiã internum affectum, quia nimirum hic est cõmuniter necessarius, vt debitè ijs exhibeã particularia officia, quæ ijs debeo; tamen secùs videtur de alijs hominibus, quibus non teneor exhibere particularia officia, nisi fortè per accidens ratione occurrentis necessitatis, quo casu ea ex alia virtute possũ facilè exhibere.

Cõfirmatur Secundò, quia, vt insinuat S. Iohannes citatus nu. 60 & docet D. Th. 2. 2. q. 25. a. 8. non tenemur ex virtute caritatis proximũ particulari affectu diligere, nisi ratione occurrentis necessitatis; & cõsequenter quatenus hæc id exigit: atqui huic potest occurri per externam beneficentiam sine actu interno caritatis: ergo hic non est necessarius.

S. Iohan. D. Thom.

63 Cõmunior tamen Doctorum sententia est, nos etiam ex caritate teneri diligere proximum, vt patet ex Auctoribus citatis suprà n. 25. qui id ferè omnes ibidẽ aut expresè docent, aut clarè insinuant. Et probant Primò, quia Christus cùm Matth. 22. attulisset primum mandatum, scilicet, *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. subiunxit: *Secundum autem est simile huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum*: atqui Deum tenemur diligere actu interno: ergo etiam proximum. Et Iohannis 15. ait: *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*: atqui ipse nos dilexit vero actu caritatis interno: ergo etiam sic debemus nos mutuò diligere. Similiter S. Iohannes epistola 1. cap. 4. ait: *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum*, scilicet simili caritate. Confirm. quia D. August. l. 8. de Trinitate cap. 7. apertè docet, nos eadem caritate diligere Deum & proximũ: quod verũ nõ esset, si vna esset solùm externa, alia interna.

Matth. 22.

Iohan. 15.

1. Iohan. 4.

August.

64 Sed hæc argumenta non videntur id quod intendunt satis euincere. Ad loca enim Scripturæ facilè responderi posset, in illis solùm probari esse verum præceptum, quo iubemur diligere proximum; & hoc esse simile illi præcepto, quo iubemur diligere Deum: quia scilicet vtrumque est iuris naturæ & diuini, & virtute continet omnia officia erga Deum & proximum exhibenda: ex quo non sequitur, erga Deum & proximum similem dilectionem præcipi; sed solùm erga vtrosque eam dilectionem præcipi, quæ vtriq; conuenit, & ad bonum ijs conueniens procurandum est necessaria: iuxta dicta n. 61.

Ad Augustinum Respondeo, si aliquid probaret, probaret eandem esse dilectionem qua diligimus proximum, & qua Deus nos diligit? solùm ita q; vult has tres dilectiones, scilicet Dei erga nos, & nostram erga Deum & proximum, conuenire in genere, & in confuso in ratione dilectionis, vt dixi disp. 21. n. 6.

65 Pro resolutione Nota ex dictis dub. 1. me dupliciter posse diligere proximũ. Primò, amore distincto ab eo quo diligo Deum, & qui habeat veram rationem amicitiæ erga proximum. Secundò, eodem amore quo diligo Deum, quiq; respectu Dei sit amor amicitiæ, respectu proximi amor concupiscentiæ. Quod rursum dupliciter fieri potest. Primò, vt amor meus explicitè se extendat ad proximũ, vt cùm explicitè opto ei beatitudinem aliaue bona ad hanc conducẽtia, quatenus hæc conducunt ad gloriam Dei, & sunt quoddam bonum ipsius Dei. Secundò, vt meus amor solùm implicitè proximum respiciat;

ciat;hoc ipso enim,quo Deũ super omnia amo, eique in genere omne bonum opto,& in omnibus placere,& ipsi placita pro viribus procurare cupio,implicitè opto proximo salutem æternam, aliaque bona ad hanc consequendam ei necessaria, & exhibeo me paratum vt data occasione ea procurem,quatenus hæc sunt etiam quoddam bonum Dei eique placent.& hac ratione omnis vera & efficax dilectio Dei est etiam vera dilectio proximi.

66 Tenemur proximum actu interno diligere:non tamẽ distincto ab eo, quo Deum diligimus.

Conclvsio I. Tenemur proximũ vltimo modo aliquando ex caritate vero interno actu diligere. Patet, quia,vt ostendi dub.præced.tenemur aliquando actu interno diligere Deum: omnis autem vera dilectio Dei est dicto modo etiam dilectio proximi.

67

Conclvsio II.Spectata præcisè virtute caritatis valdè probabile est nos non teneri per se vnquam vero actu caritatis interno diligere proximum , nisi eo modo quem in prima concluſ.explicui: alijs verò duobus modis suprà n. 65.recensitis solùm obligamur quandoque per accidens diligere proximum,quatenus id quãdoque est necessarium vt aliqua bona ei procuremus.Ita Scotus in 3.dist. 30. §. *Quantũ ad hoc.* circa medium: vbi docet nos non teneri explicitè diligere proximũ. & Lorca 2.2. sect. 3.disp. 58.n.10. & videtur aperta sententia D.Thomæ 2.2.q.25.a.8.in corpore. Vbi ait nos ex caritate non obligari speciali motu dilectionis amare inimicum , sed sufficere nos animo ita paratos esse, vt eum specialiter diligamus, quando necessitas occurrit:quod sufficiẽter fit per dictum actum dilectionis Dei.Quãtum autem est præcisè ex virtute caritatis, non tenemur aliter diligere alios proximos, qua inimicos, nisi in ijs occurrat specialis ratio diligendi.

Scotus.

Lorca.

D.Thomas.

Ex virtute caritatis præcisè non tenemur aliter diligere non inimicos, quàm inimicos.

Prior pars concl.probatur Primò,argumẽtis allatis nu.59.& seqq.quæ hanc sententiã videntur satis clarè probare, nec militant vllo modo contra nostram primam conclusionem.

68

Secundò, quia omnia loca Scripturæ ac Patrum , quæ præcipiunt aut docent præceptam esse dilectionem proximi, possunt intelligi de hac implicita dilectione , quatenus efficaciter mouet nostram voluntatem vt proximo data occasione externa amoris signa exhibeamus. vt patet ex dictis n.59.60.&64.imò dicta loca videntur expresè de hac dilectione loqui ; nam eam omnino confundunt cum dilectione Dei, & tanquam secundùm se ab ea omnino inseparabilem , & solùm distinctam ratione actuum externorum , qui immediatè circa proximum versantur.vt patet ex dictis locis citatis,& ex toto c.3.& 4.epist.1.S.Iohannis.

Tertiò,quia,vt ostendi n.61. & colligitur ex D.Thoma citato num.67. amor proximi nobis solùm præcipitur quatenus est necessarius vt efficiat animum nostrum paratum vt ei in omni necessitate succurramus, ipsiusque bonum data occasione promoueamus:atqui hoc sufficienter fit per ipsius amorem iam explicatum: ergo hic sufficit.

69 Qua ratione per accidens fit necessaria

Secunda pars probatur. Quia cùm sæpè sit necessarium,vt ei aliqua bona procuremus, etiam necessarium est vt ea ipsi velimus ; & quamuis per se loquendo non sit communiter necessarium vt ea ipsi velimus ex virtute caritatis erga ipsum aut erga Deum,cùm possimus ea ipsi velle ex alia virtute; tamen in multis actionibus id vix modo connaturali fieri potest, nisi ex aliquo amore amicitiæ erga Deum vel proximum;vt cùm tenemur pro ipsius salute æterna orare,præsertim pro ijs, qui nobis coniuncti non sunt. Ad hæc enim aliaque similia caritatis externa opera exercenda, vix possumus efficaciter excitari nisi ex explicito proximi amore, quo eum vel propter Deum vel propter se amamus.Ex alio etiam capite quandoque eiusmodi amoris actus posset omnino esse necessarius , scilicet ratione alicuius difficultatis quæ in exercendis eiusmodi operibus sæpè occurrit ex aliqua auersione erga proximum, aut inordinato nostri amore,præsertim quando cum aliquo nostro incommodo ea exercenda sunt. quo casu fieri potest vt non possimus aliter sufficienter nos excitare vt proximo procuremus ea bona,quæ ei tenemur procurare; nisi in nobis priùs excitando aliquem explicitum erga eum amorem.

distinctæ à lectio proxima.

DVBIVM V.

Vtrùm & quo iure teneamur diligere inimicos?

70 *D.Thom.*

D Thomas 2.2.q.25.ar.8.& 9.docet Primò, nos debere amare inimicos non quatenus sunt nobis inimici siue à nobis auersi (quia sic amaremus eorum peccatum) sed quatenus sunt homines eiusdem nobiscum naturæ & eiusdem gloriæ capaces , sicut alios proximos amamus. Secundò, docet,nos communiter & per se loquendo non teneri eos singulari beneuolentiæ affectu prosequi, nullo tamen modo posse eos excludere à generali affectu ac beneficijs , quibus generatim omnes alios homines aut aliquam communitatem , cuius ipsi sunt pars,prosequimur. Docet Tertiò, nos quibusdam circumstantijs teneri singularia ijs beneficia exhibere. Quæ vt clariora sint tria nobis hîc explicanda restant. Primũ,quo iure teneamur diligere inimicos; Secundũ, quomodo teneamur eos diligere; Tertium,an in lege veteri fuerit licitum odisse inimicos. Hîc agemus de solo primo;de alijs,dubijs sequentibus.

71 *Magister.*

Quidam igitur apud Magistrum in 3.d.3.circa finem putant solis perfectis esse præceptum diligere inimicos ; minùs perfectis verò id solùm esse in consilio, atque adeò hos solùm teneri diligere eos à quibus nihil mali passi sunt, & inimicos non odisse. Mouentur præcipuè quibusdam verbis D.Augustini in Enchiridio cap.73. infrà citandis. Sed hi nullo modo loquuntur consequenter:nam etsi perfecti multa faciant, quæ non faciunt, imò nec facere possunt imperfecti, quamdiu manent tales:tamen secluso omni voto,similiue particulari obligatione,illi non obligantur ad plura quàm hi:nec D.Augustinus loco citato his quidquam contrarium vllo modo insinuat.

Augustin.

Perfecti non obligantur ad plura,qui imperfecti.

Augustin.

72

Conclvsio.In omni lege,scilicet cũ angelica,veteri,& naturæ,nobis præcepta est dilectio inimico-

inimicorum. Est certa & communis omnium Theologorum. De lege Euangelica probatur: quia Christus Matth 5. ait: *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos*, &c. Quæ verba etsi ex parte contineant solum consilium, quatenus nos inuitant vt etiam extra casum necessitatis quacumq; data occasione inimicos singulari beneuolentia prosequamur; tamen simul etiam continent verum præceptum diligendi inimicum, iuxta modum dubio seq. explicandum. Hoc autem probatur Primò, quia Christus subdit, *Vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est.* insinuans nos alias, siue nolentes dilgere inimicos non futuros filios Dei; quia scilicet grauiter peccabimus. Secundò, quia ibidem dixerat, *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* & deinde subdens in quibus deberet abundare, inter cetera præcipit dilectionem inimicorum. Tertiò, quia, etsi ibi probet dilectionem amicorum, tamen docet eos qui solos amicos diligunt, non habituros maius præmium quàm Ethnici & publicani habeant, qui sanè vita æterna carebunt.

Matth.5.

73

74 Probatur de lege veteri, quia Exodi 23. dicitur: *Si occurreris boui inimici tui aut asino erranti, reduc ad eum. si videris asinum odientis te, non pertransibis, sed subleuabis cum eo.* & Prouerb. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* quibus locis cùm præcipiatur effectus amoris, hauddubiè amor etiam præcipitur, id est voluntas, qua volumus inimico tale bonum, sine qua hic effectus esse non potest.

Exod.23.

Prou.25.

75 De lege naturæ probatur, quia Christus Lucæ 6. vt probet inimicos esse diligendos, adfert illud præceptũ naturæ: *Prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.* Ex quo axiomate naturæ lumine euidenter cognito, clarè probat diligendos esse omnes homines, etiam inimicos; nam nemo est qui non cuperet amari etiam ab eo, cui ipse nocuit.

Luca 6.

Secundò, quia multi Gentiles hoc viderunt: nam Plato in Critone expressè docet non licere referre iniuriam. Et Plutarchus in libro de Vtilitate ex inimicis capienda ait grauissima pœna dignos qui beneficentiam inimicis collatam vituperant.

Plato.
Plutarch.

Inimicus nobis est proximus.

Tertiò, lumine naturæ certum est proximum esse diligendum: atqui etiam inimicus est proximus: ergo, &c. Minor probatur Primò, quia ipse est eiusdem nobiscum naturæ, & eiusdem gloriæ capax. Secundò, quia Lucæ 10. Samaritanus vocatur proximus Iudæi lapsi in latrones, cùm tamen illi essent mutuo inimici.

Luca 10.

76 Dices Primò, Si sit præceptum legis naturæ: ergo viribus naturę impleri potest. Respondeo, nego conseq. quia certum est nos totam legem naturæ, sine gratia Dei implere non posse; quare etsi fortè possit naturæ viribus aliquis amor haberi erga eum qui nobis est iniurius, non tamen efficax & constans.

Non omnis lex naturæ potest naturæ viribus impleri.

77 Dices Secundò, Illud videtur esse contra naturam, quia omnes res naturaliter auersantur nociua, vt patet in brutis, & etiam in nobis, qui viso inimico mox naturaliter cõcitamur ad ira. Respondeo id fieri, quia vis æstimatiua in brutis & pars animæ inferior in nobis, cùm non possint apprehendere honestatem in amore inimici, sola sibi contraria apprehendunt, & ita statim commouentur. Rationis verò est discernere amanda à fugiendis, & odisse in homine peccatum, & amare imaginem Dei.

Dices Tertiò, S. August. in Enchir. c. 73. ait, dilectionem inimicorum non spectare ad omnes, ad quos spectat dicere, *Dimitte nobis debita nostra*: cùm enim sit opus perfectissimum, ad solos perfectos videtur spectare. Respondeo S. August. ibi loqui de singulari beneficentia, quam perfecti ostendunt inimicis. ait enim magnificentissimæ bonitatis esse vt tuum quoque inimicum diligas, & ei qui tibi malum vult, & si potest facit, tu bonũ semper velis faciasque. Ad vitandum autem peccatum, siue ad implendum præceptum de dilectione inimici, non est necessarium vt semper inimico faciamus bonum, vt infrà ostendam, sed sufficit nos id facere in certis circumstantijs.

78 *August.*

DVBIVM VI.

Qua ratione teneamur diligere inimicos?

HOc dubium triplicem continet difficultatem. Prima est, an liceat aliquando odisse inimicum? Qua in re per se clarum & certũ est, licere odisse inimicum formaliter sumptũ, siue qua inimicum. quia hoc nihil est aliud quàm odisse ipsius inimicitiam erga nos, quod bonũ est: nam hac ratione non odimus ipsam personam, sed potiùs bene ei volumus, dum auersamur ipsius malum, illudque ab eo abesse cupimus; sicut dum odimus morbũ amici nostri, aut nos ipsos qua peccatores, siue peccata nostra, tam amicum quàm nos verissimè amamus; & potiùs haberemus nos odio, si nos hac ratione non odissemus.

79

Licitè odimus inimicum qua talem præcisè.

Sic D. Thom. 2.2.q.25.a.6. docet, nos debere odisse peccatores qua tales. & a.7. docet, peccatores quantumuis sibi videantur se amare, tamẽ secundùm effectum & veritatẽ potiùs se odisse, dum sua peccata in se amant. Quo sensu etiam ipse Christus Lucæ 14. docet, eos qui ad ipsum veniunt debere odisse patrem & matrem, atque adeò omnes suos propinquos: non quidem secundùm se sumptos (sic enim eos præcipimur diligere) sed quatenus nos impediunt, quo minùs ad Christum accedamus, siue quatenus, vt alio loco ait, domestici nostri sunt inimici nostri; quatenus scilicet nos auertunt à cultu Dei.

80 *D.Thomas.*

Luc.14.

Qua ratione iubeamur odisse propinquos.

Difficultas igitur est Primò, vtrùm aliquãdo liceat odisse eum qui nobis est inimicus? Secũda difficultas est, an teneamur aliquando inimicos actu interno diligere? Qua de re Auctores ferè eodem modo sentiũt, sicut de dilectione proximi, quia etiam inimicus est verè noster proximus. quare ex dictis dub. 4. hæc difficultas facilè potest colligi. Tertia difficultas versatur circa officia caritatis externa, quæ tenemur inimicis exhibere, quam sequentibus conclusionibus explicabimus.

CONCLVSIO I. Numquam licet inimicum siue eum qui nobis inimicus est, absolutè odisse

81

se odio omnino propriè sumpto siue odio inimicitiæ. Loquendo tamen per se numquam est absolutè necessarium inimicum speciali actu interno diligere.

Prima pars est communis, & prob. quia absolutum odium fertur in personam, & vult illi malum qua malum est. quod illicitum esse docet S. Thom. suprà: & ratio apertè euincit: nam illud nullam potest habere honestam aut legitimam rationem.

Leuit.19. 1.Iohan.2. Probatur Secundò, ex Scriptura, quia Leuit. 19. & 1. Iohan. 2. expresè prohibetur odium erga fratrem; sed etiam inimicus intelligitur ibi noster frater, quia ibi vocatur frater quicumque est eiusdem nobiscum naturæ: ergo ibi prohibemur odisse inimicum. Confirmatur, quia dub. 5. ostendi nos teneri diligere inimicos: atqui hoc non consistit cum eorum odio: ergo hoc nobis est illicitum.

Non omne odium inimici est malum. Dixi, *odio inimicitiæ*, &c. quia odisse aliquem odio abominationis eum solùm qua nobis malũ auersando, non semper & omni casu malum est, vt ostendam disp. 29. dub. 3. vbi etiam explicabo quando & qua ratione hoc aliquando sit licitum.

82 Tenemur alijs remittere iniurias. *Matt.19.* Hinc sequitur, quemque teneri in corde suo remittere iniuriam ab alio acceptam etiam non petenti. vnde Christus dicit Matth. 19. nos tradendos à Deo tortoribus, nisi ex corde remiserimus fratribus nostris iniurias ab ijs acceptas. Quod loquendo de interna remissione intelligendum est, etiam priusquam alter id petat, vel etiam desinat nocere. quia hoc nihil est aliud, quàm non suscipere odium erga illum, aut deponere susceptum, quod semper ad salutem est necessarium. vt docet Lorca 2.2. sect. 3. disp. 25. n. 33. Silues. v. *Iniuria.* q. 5. Nauar. c. 14. n. 25. & expresè patet ex eo Leuit. 19. *Non oderis fratrem tuum in corde.* vbi agitur de nondum desistente ab iniuria, vel saltem non satisfaciente. nam subditur: *Sed publicè argue illum.* scilicet, per fraternam correptionem; non vt te vindices, sed vt ipse emendetur. ideoque additur: *Ne habeas peccatum super illum.* vnde patet error Antonij Burgensis & Bartoli in l. *Si tibi.* §. 1. ff. de iniuria, qui putant nos non teneri remittere iniuriam non petenti.

Lorca. Siluester. Nauarr. Leuit.19. *Bartol.*

83 Nota, numquam licere proximo quantumuis inimico imprecari aliquod malum quia ipsi malum est: sed bene quatenus illud malum habet rationem boni. vt si imprecer alicui graui peccatori morbum aut similem aduersitatem, quando credo hanc fore valdè vtilem ad ipsius conuersionem. Hinc quando Sancti in Scriptura videntur imprecari peccatoribus vel inimicis suis aliqua mala; quatuor modis possunt intelligi, vt docet S. Thom. 2.2. q. 83. a. 8.

D. Thomas. Quo sensu Sancti aliquando imprecentur suis inimicis mala. Primò, vt per modum imprecationis mala futura prædicant; non autem reuera imprecentur. Secundò, vt temporalia ijs mala imprecentur, quatenus per ea corrigantur: iuxta illud psalm. 82. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Tertiò, vt non tam peccatores cupiant euerti, quàm eorum peccata. Quartò, ita vt conformando se diuinæ iustitiæ, cupiant hanc vindictam exerceri in ijs, quos Deus incorrigibiles nouit, idque propter bonum iustitiæ, & correctionem aliorum, & vt ea ratione alijs desinant nocere, & peccando suam pœnam augere.

Psalm.82.

Secunda pars conclusionis expresè docetur à D. Thom. 2.2. q. 25. a. 8. in corpore: vbi ait non esse necesse speciali motu dilectionis moueri erga inimicum, quo scilicet illum in particulari diligamus; quia nec alios quidem tenemur in particulari diligere; cùm impossibile sit omnes homines ita diligere, nec per se sit ratio cur vnum magis ita teneamur diligere, quàm alium. Idem docet Caiet. ibidem. 84 *D. Thom.* *Caiet.*

Probatur Secundò, ex S. Augustino suprà, vbi dicit ita amare inimicos non esse omnium, sed sufficere, vt vbi ratio id postulat, ostendamus illis signa beneuolentiæ, v.c. remittendo etiam exteriùs ijs offensam quando petunt veniam, &c.

Probatur Tertiò, quia interna dilectio erga proximum tantùm est præcepta, quatenus est necessaria ad eius bonum procurandum; sed non est ad hoc semper aut per se necessaria, sed tantùm quatenus data occasione est necessaria ad actu externo ipsi subueniendum: ergo vt sic tantùm est præcepta. vide dicta suprà n. 61.

Dixi, *per se*, quia per accidens est aliquando etiam necessarium vt eum actu interno diligamus, quando aliter non possemus superare affectum odij, aut ostendere ei signa beneuolentiæ necessaria.

Conclvsio III. Ex genere suo est peccatum mortale, sine alia causa iusta inimicum excludere à generali affectu, vel beneficijs, quibus ceteros homines, aut communitatem, qua ipse continetur, prosequimur. Ita S. Thom. suprà a. 9. in corpore, vbi dicit contrarium esse de necessitate salutis. & ibi Bañez, Lorca, & communiter D. Thomæ interpretes. Iohannes Benedicti in Summa sua l. 3. c. 12. §. 9. Astexanus l. 2. t. 62. q. 3. §. *Numquid tenemur.* Pelbartus in 3. v. *Caritas.* 6. §. 57. n. 1. Baptista Tronamala v. *Caritas*, n. 6. 85 *D. Thom.* *Bañez.* *Lorca.* *Io. Bened.* *Astexan.* *Pelbartus.* *Tronamala.*

Probatur, quia Matth. 5. Christus docet, vt intremus cælum & simus filij Dei, necesse esse ita diligere inimicos nostros, vt Deus suos; qui eos non excludit à communi affectu quo ante præuisam mortem in peccato mortali vult omnes homines, quantum est ex parte sua, saluos fieri, & participes esse meritorum Christi. Nec etiam excludit eos à communibus beneficijs quæ præstat generi humano, qui solem facit oriri & pluuiam descendere super iustos & iniustos. *Matth.5.*

Probatur Secundò, quia velle inimicum ab eiusmodi beneficijs excludere, esset expresè ipsum odisse. Eiusdem enim affectus est nolle alicui bonum qua bonum, & velle illi malum qua malum; qui autem inimicum sine alia causa siue præcisè quia inimicus est, excludit à beneficijs quæ communiter siue generatim communitati, in qua inimicus continetur, impertit, hoc ipso posituè non vult ei bonum qua ei bonum: nam eo casu ideo præcisè vult ei bonum qua ei bonum non dare, vt eo careat, siue ne ei prosit. Addit Bañez suprà dub. 3. talem etiam peccare contra iustitiam distributiuam; sed hoc verum *Nolle alicui bonum qua ei bonum est eum odisse.* *Bañez.*

verum non est, quia illa solùm habet locum in distributione bonorum, ad quæ communitas habet aliquod ius, qualia hæc non sunt; quia supponimus hîc beneficia merè gratuita conferri.

Vnde patet Primò, ex genere suo esse peccatum mortale, cùm quis orat pro salute alicuius communitatis, inimicum excludere, nolendo eum esse participem boni quod alijs precamur: quia hoc faciendo volumus eum carere eo bono præcisè quia ei bonum est; qui est actus odij. Et hac saltem ratione Matthæi 5. iubemur orare pro persequentibus nos. Secundò, quando quis dat eleëmosynam generatim pauperibus alicuius communitatis, excludere inimicos, statuendo ne eius sint participes. Tertiò, quando multos nominatim salutans de industria solos inimicos inter eos existentes omittit. & alia eiusmodi. Ratio est, quia talis exceptio est moraliter actus odij, & apertum grauis odij signum, & quod proximum communiter grauiter ad odium prouocat. Quare eodem præcepto prohibetur, quo prohibetur nobis ne externa signa odij erga proximum ostendamus, aut ei demus occasiones quibus meritò grauiter nobis offendatur.

Matth.5. Excludere aliquem à generali beneficio est actus externus odij.

87 Quibus casibus licitè inimicum excludis à generali beneficio,

Dixi, *sine alia iusta causa*. quia si hæc adsit, illa facere non est peccatum; modò absit scandalum. Hinc si essent decem captiui inter quos quinque essent tibi inimici, si timeres ne non impetrares salutem omnibus, posses tantùm pro amicis rogare, modò aliorum exclusio ita fieret, vt nec esset signum odij, nec ab eo procederet.

Eadem est ratio, quando non possum toti communitati dare eleëmosynam, tunc seruatis dictis circumstantijs licitè eam do ijs solis, qui me non læserunt. Item si negando inimicis eleëmosynam sperem per hoc eos emendandos, licitè eos excludo, etiam si aliàs sufficiens esset eleëmosyna pro omnibus; quia hæc exclusio est ijs bona. Si tamen hæc exclusio ratione circumstantiarum esset moraliter euidens signum odij, ita vt sine scandalo non posset vnus præ alio omitti, tunc eleëmosyna aut salus impetrata esset sorte diuidenda: quod quando & qua ratione faciendum sit, ex circumstantijs prudenti iudicio spectandum est. Sed vix fieri potest vt eiusmodi inimicorum exclusio possit esse apta ad eorum conuersionem, & tamen simul esse scandalosa, præsertim si excludens palàm reddat rationem cur excludat inimicos; ostendatque se paratum eos iuuare, modò velint se emendare.

88 Dixi, *ex genere suo esse mortale*: quia ob materiæ leuitatem posset esse veniale, vt quando in eleëmosyna distribuenda, aut communi salutatione nullo aut leui scandalo & ex parua auersione animi inimici omitterentur.

Quando talis exclusio sit iudicanda mortalis.

Vbi Nota, vt iudicemus an hæc exclusio sit peccatum mortale an solùm veniale, non tam esse spectandum an bonum à quo inimicũ excludimus, sit magni momenti an parui; quàm vtrùm ex magna aut parua auersione fiat, & an in his circumstantijs natum sit multùm an parum alios offendere: talis enim exclusio non tam est peccatum quia inimico non datur hoc vel illud bonum, quàm quia procedit ex odio, eiusue est signum, & nata grauiter aliorum animos offendere.

Dices, Possum sine peccato hæc beneficia omittere erga totam communitatem: ergo etiam erga aliquam eius partem. Respondeo te posse ea ita omittere erga totam communitatem, quando hoc nec procedit ex odio, nec eius est signum: & eodem modo licitè ea omittis erga solam eius partem: sed hoc vulgò illicitum est, quia vel procedit ex odio, vel est eius signum.

CONCLVSIO IV. Non tenemur communiter inimicis singularia signa benevolentiæ ostendere: tenemur tamen semper ad id esse parati, idque de facto facere, quando necessitas & ratio id postulabunt. Ita D. Thom. supra art. 9. & cum eo communiter ipsius interpretes alijque Theologi. Richardus in 3. d. 30. qu. 1. a. 1. Valentia 2. 2. d. 3. quæst. 3. p. 2. Lorca sect. 3. disput. 25. membr. 3. Iohannes Benedict. l. 3. Summæ cap. 12. §. 9. & est expresè S. Augustin. in Enchiridio c. 73. vbi ait nos non teneri semper benefacere inimicis, paratos tamen debere esse remittere ijs offensam id petentibus.

89 Qualis inimici dilectio sit præcepta. *D. Thomas. Richard. Valentia. Lorca. Io. Bened. August.*

Prima pars patet, quia non tenemur plus inimicos diligere, quàm alios: at qui alijs non tenemur semper ostendere particularia signa benevolentiæ: ergo nec inimicis. Probatur Secundò, quia Christus Matth. 5. tantùm præcipit ne subtrahamus illis generalia beneficia, vt patet ex beneficijs Dei in nos, quæ adfert vt imitemur. Probatur Tertiò, quia præceptum dilectionis est affirmatiuum, & ideò non obligat ad semper, sed pro occasione data. *Matth.5.*

Secunda pars probatur, quia cùm sit præceptum diligendi inimicum, idque non verbo & lingua tantùm, sed opere & veritate, vt ait S. Iohannes epistola 1. cap. 3. certum est quòd obliget aliquando, & debeat opere impleri: impletur autem per signa externa amoris & benevolentiæ: at qui debemus semper esse parati satisfacere obligationibus occurrentibus, & de facto satisfacere quando de facto occurrent: ergo debemus semper esse parati inimicos ita diligere. 90 *1. Iohan. 3.*

Ex dictis sequitur Primò, nos non teneri absolutè occurrentes inimicos salutare, aut eos alloqui, aut in familiaritatem admittere, quia hæc sunt signa particularia, quæ non omnibus communiter solemus exhibere. Si tamen tales essent circumstantiæ, vt eos non salutare esset signum odij, teneremur eos salutare. Tale autem signum est Primò, quando alter nos salutat vel alloquitur; nisi forte essent personæ valdè dispares, quarum dignior communiter non solet aliam resalutare. Secundò, quando conditio alterius ex more patriæ requirit vt alterum etiam non salutatus saluter; qualis communiter est conditio inferioris respectu Superioris. Vide Valentiam 2. 2. disput. 3. q. 3. puncto 2. Bañez q. 25. a. 9. dub. 3. Lorcam disp. 25. n. 28. & Nauar. c. 14. n. 25. 91 An teneamur occurrentes nobis inimicos salutare. *Valentia. Bañez. Lorca. Nauar.*

Idem videtur dicendum quando publicæ eorum essent inimicitiæ, quia tunc posset facilè 92

parere scandalum, cùm omissio salutationis videretur esse signum odij, maximè in locis vbi noti sibi occurrentes solent se mutuo salutare. Etsi enim in eiusmodi locis aut circumstantijs occurrentes non salutare vel non resalutare, in alijs tantùm esset signum rusticitatis contra vrbanitatem, ideoque leue peccatum; tamen in inimicis, quorum inimicitiæ ita notæ sunt, esset signum odij, & contra caritatem: atque ita facilè posset esse graue peccatum, ob grauem aliorum offensionem.

Dixi, *nos absolutè non teneri*, &c. quia, etsi omittere eiusmodi signa beneuolentiæ non sit omnino contra caritatem; est tamen præter officium hominis Christiani, eique aliquo modo repugnat, cuius est non tantùm alios non lædere, sed etiam fouere caritatem: imò per talem omissionem communiter, etsi non grauiter, tamen aliquo modo læditur caritas; vnde etsi ob multorum fragilitatem, & grauem difficultatem, quam hac in re experiuntur, sæpè non expediat confessarium suis pœnitentibus absolutè præcipere, vt extra casus iam dictos suis inimicis eiusmodi signa beneuolentiæ exhibeant; tamen ad ea exhibenda valdè sunt hortandi: tũ quia hoc Christianum valdè decet, tum etiam quia ea est optima ratio auertos animos perfectè reconciliandi.

93 Quibus casibus teneamur inimicis singularia amoris signa ostendere.

Sequitur Secundò, nos multis casibus teneri exhibere particularia signa amicitiæ ipsis inimicis. Primò, quando inimicus petit veniam, tenemur ei non tantùm ex corde omnem offensam remittere, sed id etiam externo aliquo signo ostendere; quia id tunc omittere esset moraliter euidens signum odij, & alterum ad odium incitaret. Ita Iohannes Benedicti, & Astexanus suprà. Bonauentura in 3. distinct. 30. quæst. 2. circa literam. Rosa aurea libr. 3. verb. *Caritas*. §. 57. numero 6. Rosella verbo *Caritas*. num. 7.

Iohan. Bened. *Astexanus.* *Bonauent.* *Rosa aurea.* *Rosella.*

94 Qua ratione Superior offensus debeat se gerere erga petentem veniam.

Nota tamen Primò, Superiores aliquando ad hoc non obligari, quando scilicet ostensio illa perseuerantis offensi animi indicatur necessaria, vt subditus petens veniam magis apprehendat grauitatem culpæ, eamque postea fugiat. Ita Dauid diu noluit Absalonem admittere in conspectum suum. Cauendum tamen Superiori ne id videatur facere ex odio; quare dum hoc facit, simul debet ostendere se id agere magis ex amore ipsius subditi, vt eum perfectè corrigat, quàm ex aliqua ab eo auersione. Item cauendum ne subditus nimis exasperetur. Ratio autem diuersitatis hac in re inter Superiores & alios est, quòd Superioris sit non tantùm fraternè peccantem admonere, & ita ad pœnitentiam inducere, quod ad quemuis proximum pertinet; sed etiam eius peccatum punire; quare in Superiore ostensio illa offensi adhuc animi potest esse signum non tam odij ergo subditum quàm amoris iustitiæ; secùs est in alijs.

95 Non semper tenemur remittere satisfactionẽ aut debitam pœnam.

Nota Secundò, etsi teneamur remittere offensam; nos tamen non teneri remittere reparationem damni, satisfactionem pro iniurijs, vel debitam pœnam; sed posse hæc per potestatem legitimam exigere, modò id non fiat ex cupiditate vindictæ. Imò quandoque non possumus hæc omnia remittere; nam iudex non potest semper remittere debitam reo pœnam: nec paterfamilias pecuniam sibi debitam necessariam ad familiæ sustentationem: nec quisquam restitutionem suæ famæ, quando ea remissio in alterius damnum cederet. Ita Iohan. Benedicti, Astexanus & Pelbartus suprà. & Richardus q. 2. in corpore.

Iohan. Benedict. *Astexanus* *Pelbartus.* *Richardus.*

Cauendum tamen ne in exigenda satisfactione simus nimis rigidi, præsertim quando non agitur de damno reparando, sed tantùm de satisfactione pro aliqua iniuria, quæ sine alio damno facta est: in qua re ferè habet locum illud vulgatum, *Summum ius, summa iniuria.* quare cùm in omni satisfactione quæ est in nostra potestate, tum maximè in hac valdè Christianum est & Deo gratum nos omnem satisfactionem remittere. vnde Matth. 18. seruus rigidiùs & duriùs quàm caritas postulat exigens solutionem à conseruo, meritus est vt dominus donationem debiti reuocarer. Vbi licèt Scriptura videatur loqui de debito pecuniæ, & possit etiam de illo intelligi; quando proximus extra grauem creditoris necessitatem cum magno suo detrimento cogitur subitò soluere; tamen hic locus præcipuè agit de remissione iniuriæ, & consequenter de remissione satisfactionis debitæ, prout caritas & ratio postulant.

96 Cauendus rigor in exigenda satisfactione.

Matth. 18.

Secundus casus quo teneor inimico ostendere signa beneuolentiæ est, quando paruo meo incommodo possum notabile ipsius malum animæ, corporis vel fortunarum auertere. Ita iubemur Exodi 23. leuare asinum inimici iacentem sub onere, & Prouerb. 25. cibare inimicum cibare. vnde patet contra Scotum in 3. d. 3. a. 2. paulò ante §. *Ad primum*. hæc in Scriptura præcepta esse.

97

Exod. 23. *Prou. 25.* *Scotus.*

Tertius casus est, quando per illa signa multùm promouendum est bonum spirituale proximi, vt si eum comiter compellando, vel ad amicitiam mensamue inuitando crederem me posse eum abstrahere à grauibus peccatis, v.c. ab odio in me perpetuo, pessimorum hominum consortio, infidelitate, &c. in quibus fortè aliàs tota vita maneret. Ratio est, quia Deus vnicuique mandauit de proximo suo; & si tenemur cùm possumus promouere bonum proximi temporale, multò magis tenemur promouere spirituale.

98

Quartus casus est, quando omissio horum signorum pareret scandalum, vt si ob circumstantias putaretur esse signum odij: de quo suprà satis dixi.

Petes, quando duo offenderunt se mutuo, vter teneatur primò petere veniam? Respondeo, ceteris paribus ad hoc teneri eũ qui primò offendit: aliàs eum, qui notabiliter grauiorem iniuriam intulit. Ita Iohannes Benedicti suprà, Nauar. c. 14. n. 25.

99 Vter prior teneatur petere veniam.

Io. Bened. *Nauarr.*

100 An pœnitẽs cogendus vt petat veniã ab offẽso.

Petes Secundò, vtrùm is, qui intulit iniuriam, non possit absolui si paratus non sit petere veniam, aut vt ratio postulat satisfacere? Respondeo, non posse si iniuriam passus id omnino exigat. Ita Siluester verb. *Iniuria*. qu. 5.

Siluester.

Ratio

Ratio est, quia qui lęsit omnino ad hoc tenetur, nec alter tenetur satisfactionem remittere; censetur tamen eam remittere si cùm facilè possit, eam non exigat, & amicè compellatus similiter familiariter compellat. aut simili ratione ita se gerat, vt videatur satisfactionem aut omnino remittere, aut parum curare. Quare in his circumstantijs pœnitens non est cogendus vt alteri satisfactionem offerat. vide Siluest. suprà, quæst. 8.

101 Nota Tertiò, quando satisfactio esset valdè difficilis, vt si læsus exigeret vt alter publicè in indusio aut alio aliquo modo infami veniam peteret, lædentem ad hoc non teneri, nisi sententia iudicis cogatur: nimis enim durum est sponte similia subire.

102 Vtrùm læsus possit exigere vt lædens puniatur.

Petes Tertiò, vtrùm læsus possit petere à iudice vt lædens pœna legibus statuta puniatur, e si hoc non sit necessarium, aut etiam nullo modo vtile vt reparetur damnum, quod ipse passus est. v. c. occidit aliquis Petri filium; damnum est irreparabile, & occisor dolet se fecisse & veniam petit. quæritur an Petrus nihilominus in conscientia possit eum accusare & petere à iudice vt fiat iustitia?

Quidam sentiunt me tunc non posse talem accusare, aut petere vt iudex eũ puniat. Primò, quia videtur contra caritatem alterũ tanto malo afficere sine vlla necessitate, quæ hîc non videtur occurrere. Secundò, quia petitio punitionis videtur tunc continere desiderũ vindictæ, quod homini illicitum est. Tertiò, quia Christus Matth. 18. iubet vt peccantem fratrem primò secretò moneamus, & tũc solùm deferamus eum ad Ecclesiam, quando non vult nos audire: ergo quando vult se aliter emendare, illicitè accusatur. Citatur pro hac sententia Siluester v. *Caritas*, q. 6. sed ibi solùm dicit nos non teneri remittere actionem iniuriarum, quando is qui læsit non est paratus satisfacere. an autem tenemur eam remittere parato quantum potest satisfacere, ibi non dicit. Fauet tamen huic opinioni v. *Accusatio*, q. 3. vbi docet non licere procedere ad accusationem, nisi is qui peccauit priuatim admonitus nolit se emendare. In eandem sententiam valdè inclinat Petr. Nauarra l. 2. de Restit. c. 4. n. 256.

Matth. 18. *Siluester.* *Petr. Nauarra.*

103 Alij volunt tali absolutè licere petere à iudice punitionem rei, non quidem ex cupiditate vindictæ, sed ex amore iustitiæ. Quia sicut respublica habet ius vt peccata puniantur, ideoque iudices ad hoc constituit & obligat: sic quilibet quatenus est pars reip. id licitè etiam exigit, quia videtur ad reipublicæ bonum pertinere vt delicta puniantur, vt hac ratione alij ab ijs committendis deterreantur. Et hanc sententiam dicit communiorem Lorca 2.2. sect. 3. disp. 25. n. 33. & eidem fauent Nauar. c. 18. n. 30. citans Adrian. & Soto de detegendo secreto, mẽbro 2. q. 5. concl. 4. & q. 3. concl. 4. qui dicunt nos licitè ex amore iustitiæ, aut ob similem finem honestum accusare peccantem, non præmissa secreta monitione, siue non curando an aliter possit emendari.

Lorca. Nauarra. Adrian. Soto.

104 Lorca verò suprà fatetur in rigore talem accusationem & petitionem punitionis esse licitam, nec absolutè condemnandum eum, qui eã exigit: addit tamen id esse periculosum; quia rarò fit sine odio & cupiditate vindictæ, raroque ait esse qui ex puro amore iustitiæ id faciant. citatque pro ea etiam Cordubam.

Et hanc sententiam puto cõmuniter esse veram, ideoq; communiter lęsis valdè suadendum ne eos à quibus læsi sunt, accusent, quando id ad reparationem damni accepti non est necessariũ. Ei tamen qui nollet huic cõsilio acquiescere, sed omnino vellet punitionem criminis à iudice legitimè exigere, modò protestaretur se id non facere cupiditate vindictę, nullo modo negãda est absolutio: quia absolutè id potest licitè facere.

Læsis communiter suadendum ne lædentis punitionem exigant: ad hoc tamen non sunt cogendi.

105 Quandoque non est suadenda remissio pœnæ.

Imò quando agitur de homicidijs similibusq; criminibus reip. valdè nociuis (nisi circũstantiæ in particulari casu aliud suadeant) præsertim in locis vbi sæpè eiusmodi crimina committuntur: non putarem læsum vrgendum vt accusationem remittat; sed solùm ne ex cupiditate vindictæ eam assumat. Quia valdè nociuum est reip. eiusmodi crimina manere impunita; nam hac ratione cum magno reip. damno & animarum pernicie (quia subita occisio ferè fit cum certo periculo æternæ damnationis ipsius occisi, præsertim in pugna) homines audaciùs spe impunitatis talia committunt. nisi autem pars punitionem à iudice exigat, aut si eam ex parte sua remittat, rei facilè impunitatem obtinent. Et credo Auctores suprà citatos huic sententiæ sic explicatæ consensuros: quia ferè omnes docent liciram esse eiusmodi exactionem punitionis quando ea reip. valdè expedit. quod ostendi in dicto casu fieri.

DVBIVM VII.

Vtrùm in veteri lege licuerit odisse inimicos?

106 *Matth. 5.*

DVbium hoc præcipuè proponitur vt intelligamus illum locum Matth. 5. *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuũ.* hic enim locus videtur apertè pugnare cum dictis dub. 5. vbi ostẽdi, lege veteri & naturæ præceptã esse dilectionem inimici; cùm tamen hâc dicatur in lege veteri fuisse dictum, vt Iudæi haberent inimicos suos odio. Difficultas itaque est Primò, vtrùm illa verba, *Et odio habebis inimicum tuum*: verè fuerint in lege dicta Iudæis; an verò ab ijs sint peruersè legi addita, aut imperitè ex ea deducta. Secundò, posito quòd explicitè aut implicitè habeantur in lege, quomodo sint intelligenda.

107 *Scotus. Lyran. Iansen. Lorca.*

Scotus igitur in 3. d. 30. q. vnica, §. *Ad primum.* Lyranus in dictum locũ Matthæi. Iansen. in sua Concordia c. 40. Lorca 2.2. sect. 3. disp. 25. nu. 13. & quidam alij volunt illa verba, *Et odio habebis inimicum tuum.* nulla ratione in veteri testamento contineri; sed esse falsam glossam Scribarum, qui ex eo quòd Leuit. 19. iubemur diligere amicum, à contrario sensu inferebãt inimicos odio habendos. quod etiam tamquam probabile defendunt Malderus 2.2. q. 25. ar. 9. & Bañez ibid. dub. 1. ad 2. Pro eadem sententia Lorca sup. citat. Rupertum l. 4. in Matth. sed ibi hac de re nihil dicit:

Leuit. 19. *Malderus. Bañez. Lorca. Rupert.*

dicit:sed l.5. paulò ante medium explicãs dicta verba Matth.5. apertè docet contrariũ. nam ibi primò ait esse *legis permissum, Odies inimicũ tuum.* & paulò infrà subdit: *Quare ergo lex dicit, Et odies inimicum tuum? nonne ipsa eiusdem vox est, cuius est Euangelium?* & respondet legem tunc non præcepisse dilectionem inimicorum propter imperfectionem Iudæorũ. Ex quibus apertè patet, ipsum putasse dicta verba verè fuisse verba legis, non præcipientis, sed permittentis. Dicta autem opinio præcipuè probatur Primò, quia dicta verba nullibi in tota Scriptura reperiuntur, nec Christus eo loco dicit, *Scriptum est*; sed, *dictum est*. scilicet à Scribis legem malè interpretantibus. Probatur Secundò, quia odium inimicorum est intrinsecè malum: ergo à lege nec præcipi, nec permitti potuit.

108 Dices, illud permitti à lege non approbante tanquã licitum; sed dissimulante & relinquente in hac vita impunitũ. sed hoc non satisfacit; quia inde sequeretur, nõ omnia peccata mortalia per legem antiquã fuisse prohibita, atque ita ad ingrediendũ regnum cælorũ non sufficisse seruare omnia legis mãdata: cùm tamen Matth.19. iuueni petenti quid faciendo obtineret vitã æternã, Christus respondeat vt seruet mandata, tamquã id sufficiat. Tertiò, quia aliàs sequeretur, Christum correxisse legem veterem tamquã imperfectam, quæ videtur sententia Fausti, quam D. *Augusti.* Augustl.19. cõtra eum c.18.19.&c. fusè refutat. Quartò, quia sequeretur, Christum præter præcepta Sacramentorum aliqua alia moralia præcepta legi veteri addidisse; quod est contra cõmunem Theologorum sententiã. Addũt quædã alia argumenta, sed quæ cũ his ferè coincidunt.

109 Secunda sententia docet, dicta verba saltem implicitè siue æquiualenter contineri in veteri lege. hanc fusissimè defendunt Salmeron to.5. *Salmeron. Maldonat.* tract.42.& Maldon.in c.5.Matth.n.21. Probatur hæc sententia præcipuè Primò, quia omnia alia de quibus Christus ibi ait: *Audistis quia dictũ est*, &c. reperiuntur in veteri lege; ergo etiam illud, *Odio habebis inimicũ tuũ.* quia Christus eodẽ modo de hoc loquitur, sicuti de alijs ibidem relatis.

110 Prob. Secundò, quia quibusdam Scripturæ locis videtur Iudæis præcipi ciusmodi odium. *Deut.23.* nã Deut.23. cùm Scriptura præcepisset nè Moabitæ & Ammonitæ in æternum intrarent in Ecclesiam Domini, eò quòd noluissent cum pane & aqua occurrere populo egredienti ex Ægypto, sed contra eum conduxissent Balaam vt ei malediceret; subdit: *Non facies cum iis pacem, nec quæres eis bona omnibus diebus vitæ tuæ.* vbi Iudæis videtur *Exod.34.* præcipi vt eos oderint. Similiter Exod.34. præcipitur Iudæis, ne cum Chananæis ac Iebuzæis vllum vmquam fœdus ineant, sed eos penitus extirpent. quæ videntur aperta signa odij. vnde *Eccli.50.* etiam Ecclesiasticus cap 50. apertè profitetur se odisse gentes populo Iudaico inimicas: nam ait: *Duas gentes odit anima mea, tertia autem nõ est gens,* (id est non meretur nomen gentis) *quam oderim. qui sedent in monte Seir* (id est Idumæi) *& Philistijm, & stultus populus, qui habitat in Sichimis,* id est Samaritani. Certè nisi Ecclesiasticus crediderit esse laudabile eas gentes odisse, non ita prædicaret suum in eas odium.

Prob. Tertiò, quia est communis sententia omnium Patrum, & inter ceteros apertè ita sentiunt Origen.hom.in dictũ locũ Matth. D. Epi- *Origenes.* phanius hæresi 33. Hilarius can.4. in Matth. *Epiphan.* Gregor.hom.38.in Euang. sub initiũ. D. August. *Hilarius.* lib.1.de serm. Domini in monte, longè post me- *Gregorius.* dium. vbi ait: *Nec quod in lege dictum est, Oderis inimicum tuum, vox iubentis iusto accipienda est, sed permittentis infirmo.* *Augustl.*

Ad hanc auctoritatem Respõdet Lorca Au- III gustinum postea mutasse suam sententiã in l.19. *Lorca.* contra Faustum. sed apertè fallitur: nã ibid.c.24. ait: *Ea quippe regula & hoc soluitur, dicetur q, nõ esse contrarium; quod in antiqua scriptum est, Oderis inimicũ tuum; & in Euangelio, Diligite inimicos vestros: quòd vnusquisq, iniquus homo in quãtum iniquus est, odio habendus est; in quantum homo est, diligendus est.* Vbi apertè admittit illud in lege veteri esse scriptum, licet id alio modo explicet: de quo hîc nõ quæritur. Quam sententiã & explicationem *D.Thom.* sequitur D.Thom.1.2.q.107.a.2.ad 2. vbi apertè cum Augustino admittit illud in lege veteri haberi, quamuis fuerit à Scribis malè intellectum. Priorem verò eius interpretationem sequitur Rupertus citatus suprà n.107. Ex quibus *Rupert.* patet, fuisse communem Patrum sententiam ea verba in lege antiqua contineri.

Est tamen inter eos magna discrepantia quo- III modo ea verba sint intelligenda. nã D.August. *Augustl.* suprà adfert duas explicationes; & in priore ait odium inimici solùm fuisse permissum Iudæis; *Rupert.* quam interpretationem sequitur Rupertus su- *S.Hilar.* prà; & antè docuerat S. Hilarius can.4. in Matthæum, sub finem. vbi ait: *Amari enim lex proximum exigebat, & in inimicum licentiam odij dabat: diligi verò inimicos fides præcipit.* Sed hæc explicatio magnam habet difficultatem, vt patet ex dictis num.108. nisi intelligatur de odio minùs propriè dicto iuxta dicenda infrà concl.4.

In secunda explicatione ait Iudeis fuisse præ- III ceptum amare inimicos qua homines, & eos odisse qua peccatores: quam interpretationem *D.Thom.* sequitur D.Thom.1.2.q.107.a.2.ad 2. Sed nec hæc interpretatio satisfacit. nam sic lex Christi nihil perfectionis superadderet legi veteri; nam diligere inimicum qua hominem, eumq; odisse qua peccatorem, cùm nihil sit aliud quã odisse eius peccata, est opus absolutè bonum & in lege noua præceptum. Illud tamen apertè videtur contra dictum locum Matth.5. vbi Christus suum dictum, scilicet *Diligite inimicos vestros*, &c. tamquam aliquid perfectius siue cõtinens abundantiorem iustitiã opponit dicto legis, *Odio habebis inimicũ.* Alij per inimicũ intelligunt diabolũ: sed hoc dici nequit, quia etiã modò iubemur eũ nullo modo diligere, aut ei benefacere.

Salmeron verò & Maldonatus suprà pro ho- 114 rum explicatione notant nos duplicem posse *Salmeron. Maldonat.* habere inimicum. Primò, ciuilem, qualis potest dici is, qui in rebus ciuilibus nobis nocet aut *Alius nobis est inimicus ciuilis, alius spiritualis.* aduersatur. Alium verò secundũ legem & quasi spiritualem. Quales respectu Iudæorum erant olim habitatores terræ Chanaan, alijque vicini idololatræ ac omnibus vitijs inquinati; quibus cum Iudæi prohibebantur vllam amicitiã inire, & potiùs iubebantur eos auersari, & quantum

pote-

poterant penitus de terra delere. Idq; ob periculum quod ipsis ab illis gentibus imminebat, ne ab ijs ad idololatriam aliaque vitia sectanda
Exod.34. 3.Reg.11. inducerentur: vt dicitur Exodi 34.v.16.& 3.Regum 11.v.2. & exemplo Salomonis ac aliorum sæpissimè patuit.

De his igitur inimicis illi volunt intelligi dictum in veteri lege; *Et oderis inimicum tuum.* de priore verò inimico aiunt data fuisse præcepta eum diligendi citata suprà n.74.

115 Christus verò etiam eiusmodi odium inimi-
Rom.11. corum sustulit, apud quem, vt dicitur ad Rom.
Act.10. 11. iam non est amplius distinctio Iudæi & Græci siue Gentilis; vnde etiam Actor.10. Petrus alijq; in eo fideles prohibentur à serpentibus alijsque animalibus, quæ apud Iudæos erant immunda, id est à Gentibus idololatris & profanis, abhor-
Marci vlt. rere: & contrà iubentur Marci vlt. per vniuersum mundum omni creaturæ prædicare Euãgelium, nec vllam gentem quantumuis peccatricẽ & legi ac populo Dei inimicam auersari, aut ab ingressu Ecclesiæ excludere (prout Iudæi iubebantur excludere Ammonitas) sed omnes vera caritate complecti, & omni modo quo possunt ad fidem inuitare. Et hac ratione aiunt illi Christum etiam hac in parte legem antiquam correxisse; non tamquam malam, vt calumniabantur Manichæi, sed tamquam minùs perfectam, aliquid perfectionis ei addendo.

116 Hanc explicationem apertè docet D.Gregor.
D.Gregor. hom.38.in Euang. paulò post initiũ, vbi ait: *Cùm in lege scriptum sit, Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum: accepta tunc iustis licentia fuerat, vt Dei inimicos, suosq; aduersarios quanta possent virtute comprimerent, eosq; aure* (aliàs ore) *gladij ferirent. Quod in nouo proculdubio testamento compescitur, cum per semetipsum Veritas prædicat dicens, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Deinde pergit ex dictis ostendere quomodo lex siue doctrina, qua pascuntur iusti noui testamenti, vtpote cælestis, sit perfectior lege, qua pascebantur iusti veteris testamenti, vtpote terrena; & consequenter illi etiam his sunt perfectiores.

Hęc sententia sic explicata satis probabilis est, vt omnes tamẽ difficultates euadat, maiore adhuc explicatione indiget. Prior etiam quædam vera continet, & adhibita quadam explicatione ac moderatione, cum secunda conciliari potest, cum qua fortè plus verbis quàm reipsa dissidet.

117 Odium a-liud inimi-citiæ, aliud abomina-tionis. Nota igitur Primò, odium esse duplex, scilicet inimicitiæ quo alicui volumus malũ, qua ei malũ est; & abominationis qua aliquid auersamur tamquam nobis malum, & cupimus procul à nobis abesse, aut etiam omnino destructũ esse. Prius versatur circa solas personas. Secundum verò primò & per se circa res à personis distinctas, & ratione harum etiam circa personas quibus illæ insunt; ita vt has nõ quidem propter se, sed præcisè propter vitia, tamen etiã absolutè secũdùm se abominemur. Prius odium est intrinsecè malum, secundùm verò quandoque licitum, vt pluribus ostendam infrà disp.29.dub.3.

Odiũ aliud internum, aliud exter-num. Nota Secundò, vtrumq; odium posse dupliciter accipi. Primò, propriè pro actu interno; Secũdò, pro solo actu externo, quo scilicet ita nos erga aliquem gerimus ac si eũ odissemus; quod quandoque sine vero interno odio fieri potest. Simili phrasi Deus Ezechielis 33.vers.13.dicitur *Ezech.33.* tradere obliuioni omnes iustitias iusti peccãtis; quia nimirum sic gerit se erga eum ac si illarum esset oblitus. Et Genes.8. dicitur recordatus *Genes.8.* Noë, quasi antè fuisset ipsius oblitus.

Nota Tertiò, aliquid dupliciter posse contineri in aliqua lege. Primò, expressè; & satis clarũ 118
est dicta verba, *Et odio habebis inimicũ tuum,* non fuisse hac ratione contenta in veteri lege. Secũdò, implicitè & æquiualenter; & de hoc modo continendi est tota quæstio. Item possunt verba aliqua secundùm vnum sensum verè in lege cõtineri, & secundùm alium sensum peruersum, quo ab alijs intelliguntur, ipsi legi contrariari.

Nota Quartò, legem aliquam varijs modis 119
Lex variis modis potest corrigi. posse corrigi. Primò, per legem omnino contrariam, qua prior tamquam mala aut inutilis abrogetur. qua ratione Manichæi blasphemabant legem veterem à Christo fuisse correctam. quos
Augus. D.August.lib.19.contra Faustum cap.18. & sequentibus meritò refutat, nec vllus Catholicus ijs hac in parte consentit.

Secundò, inducendo quædã præcepta, quæ præsenti reip. statui sunt magis accõmoda, quæque etsi literæ ipsius prioris legis aliquo modo contrarientur, tamen intentioni legislatoris maximè accommoda sunt. v.c. præceptor puero incipienti discere scribere præcipiat vt nihil scribat quin priùs stilo plumbeo ducat rectam lineam, quam in scribendo sequatur, vt ita assuescat ea quæ scribit in recta linea collocare. Et deinde postquã profecit prohibeat illi dicto modo scribere, vt assuescat eriã sine illis lineis literas recto ordine collocare. Clarũ est eiusmodi præceptorẽ non præcipere formaliter contraria; nec prius præceptum per secũdum propriè corrigere, sed id potiùs per hoc explicare, ostendendo illud fuisse temporale ratione indigentiæ status illius pueri tunc illi conueniens; quod iam proficiẽti minùs conueniret. Idemque est de medico pro diuerso statu ægri, huic diuersa præcipiente.

Tertiò, addendo ei aliqua, quæ ei nullo modo 120
verè repugnant, sed eã potiùs perficiunt, eã explicando aut ad perfectiorem ipsius explicationem iuuando. Qua ratione D.Augustinus l.19.
Augus. contra Faustum c.22.in fine, & c.23.& 24.docet, Christum Matth.25.emendasse legem veterem.

Quartò, potest lex aliqua dici indirectè corrigi vel potiùs abrogari, quãdo inducitur omnino nouus status reipubl. ac vetus, pro quo solo lex erat lata, planè tollitur; & satis inter omnes, Catholicos cõstat Christum hac ratione legẽ veterẽ abrogasse quoad ceremonialia & iudicialia, quia quoad hæc illa lex solũ erat lata pro populo Iudaico; idq; vsq; ad Christi passionẽ, aut saltẽ vsq; ad promulgationem legis nouę in Pentecoste: quo tempore lex vetus quoad suprà dicta desijt omnino obligare: vt docet Apostolus ad
Rom.7. Rom.7.initio, & ad Hebr.8.in fine. Vbi hoc no-
Hebr.8. tandum est, solo primo modo ex dictis legem propriè dici corrigi, alijs modis impropriè.

Conclvsio I. Certum omnino est Primò, 121
Christum non correxisse legem primo modo ex dictis; quia fide constat eã fuisse bonam, & Deo

auctore

auctore latam, qui nequit esse auctor rei malæ. Secùdò, eam quarto modo à Christo fuisse correctam siue abrogatam, quoad cæremonialia & præcepta positiua iudiciaria illi populo particularia. patet ex dictis, & omnes fatentur. Tertiò,

Matth.5. eam tertio modo à Christo Matth.5. fuisse emẽdatam aut potiùs adimpletã. hoc fusè probat S.

August. August. citatus n.120. & per se patet. nam clarũ est Christũ illa præcepta, *Non occides*, & *Non cõcupisces*, ibi clariùs explicuisse, quàm antè fuerãt explicata, ostendendo ijs etiam vetari odium ac concupiscentiam merè interna; quæ cùm sint iure naturæ verita, patet etiam in lege veteri fuisse vetita; etsi Iudæi communiter non ita clarè viderint ea in lege vetari, aut saltẽ nõ ita grauiter vetari vt inducerent damnationẽ. Deinde Christus ibi docuit, multa exhibẽda esse ijs, à quibus læsi sumus: quæ etsi nõ semper sint in præcepto, tamen caritas ea suadet, & obseruata iuuant ad perfectiorem legis naturæ obseruationem. Nec puto hæc sic explicata ab vllo negari.

122 Conclvsio II. Christus etiam secũdo modo correxit, vel potiùs adimpleuit legem veterem. Et de hoc modo præcipuè loquuntur Salmeron & Maldonat. suprà: & est aperta sententia Ruperti, S. Hilarij, & S. Gregorij: quos citaui n.115. & 116. atque adeò etiam ipsius S. August. l.1. de serm. Domini in monte. hi enim apertè docent, odium inimicorum olim Iudæis ob eorum infirmitatem fuisse permissum, & in Euangelio maiorem perfectionem à nobis exigente prohibitum. Nec S. Augustinus hac ex parte mutauit sententiam (vt putat Lorca) nam in lib. 19. contra Faustum c.19. apertè idem insinuat, vt ostendam n.128. & 129.

Salmeron. Maldonat. Rupert. Hilarius. Gregorius. August.

Lorca.

Patet conclusio clarè ex eo, quòd in lege antiqua fuerit permissa pluralitas vxorum, quas vnus simul validè ducebat, vt patet ex c. *Gaudemus*, de diuortijs. & exemplo Patriarcharum, qui simul plures habebant vxores. Item in ea validè poterat vxor ex iusta causa dimitti, ita vt vinculum matrimonij solueretur, & hæc validè alteri nuberet. vt patet ex Deut.24. initio. quorũ vtrumq; iam illicitè & inualidè fieret. quæ pluribus ostendi tom.2. de Sacram. disp.26. dub.1. & 2. Vbi etiam ostendi vtrumque sepolita Dei singulari concessione, esse contra ius naturæ: & nihilominus ea posita vtrumque licere sine vlla vera dispensatione in lege naturæ; sicut sibi vsurpare rem alienam inuito domino, est contra ius naturæ, quod tamen eo id concedente fit licitum.

In lege veteri licitè plures vxores simul ducebantur, & ex iusta causa matrimonij vinculum soluebatur. vtrumque iam iure naturæ illicitũ. *Deut.24.*

123 Conclvsio III. Dicta verba, *Et odio habebis inimicum tuum*. non sunt explicitè verba legis veteris: quia in ea nullibi reperiũtur. Nec Iudæis vmquam per legem explicitè aut implicitè fuit permissum vero odio inimicitiæ aliquos particulares inimicos aut etiã gentes prosequi; quia hoc intrinsecè malum est, nec vlla fuit causa hoc ijs permittendi. nec etiam fuit ijs permissum, & multò minùs præceptum, generatim omnes inimicos, aut etiam gentes idololatras odio abominationis prosequi, ita vt non solùm eorum vitia, sed etiam personas licitè odissent. Patet, quia, vt ostẽdi n.74. lex apertè præcipiebat particularibus inimicis exhibere signa beneuolentiæ, quæ non consistunt cum eiusmodi odio. & Deuter. 24. v.7. Israelitæ expresè prohibentur abominari Idumæos & Ægyptios, qui tamen tunc erant idololatræ.

Odium inimici propriè dictum nũquam licuit.

Deut.24.

Conclvsio IV. Iudæis fuit præceptum odium abominationis saltem externum erga quasdam gentes ipsis inimicas secundùm legẽ. Patet ex dictis n.110. vbi ostendi eis fuisse præceptum cum quibusdam nullam vmquam pacem inire, nec ijs quærere bona, sed potius quantum possent eas penitus extirpare; qui sunt externi actus odij abominationis, cuius etiam rationem teddidi n.114. 124

Quale inimicorum odium Iudæis aut præceptum aut permissum fuit.

Internum tamen eiusmodi odium non fuit illis præceptum: quia non fuit necessarium, cùm sine eo ex alio fine honesto illi actus externi potuerint exerceri. Non est tamen improbabile ijs fuisse permissum: nam cùm absolutè possit licitè etiam erga aliquas personas haberi, vt ostendam disp.29. dub.3. & cùm hominibus non ita perfectis sit valdè difficile illos actus diu exercere sine interno tali odio, non est ratio cur dicamus hoc ijs fuisse vetitum. Et sic possunt commodè intelligi multi Patres dicentes Iudæis aliquod inimicorum odium fuisse non præceptum, sed permissum. 125

Conclvsio V. Christus Matth.5.v.44. his verbis, *Ego autẽ dico vobis, Diligite inimicos vestros.* ex parte immutat legem veterem modo iam dicto præcipientem aliquod odium ergo certas gentes, non tamquam malam, inutilem, aut absolutè imperfectam: sed tamquam statui Ecclesiæ, quam iam paulatim formabat, minùs conuenientem, ad quam à suis discipulis volebat omnes omnino gentes inuitari, cùm Euangelij prædicatione, tum maximè caritatis ostensione. Et hanc satis probant argumenta allata n.110. & sequentibus, dictaque n.114. & 115. & est aperta sententia Salmeronis, & Maldonari, & Patrum, quos suprà pro eorum sententia allegaui. Nec argumenta pro prima sententia allata n.107. quidquam contra eam probant, vt mox patebit. 126

Ad primum, Respondeo solùm probare ea verba non haberi explicitè in lege veteri; non autem ea non haberi secundùm aliquem sensum implicitè, vt iam probaui. 127

Ad secundum, Respondeo antecedẽs solùm esse verum de odio inimicitiæ, atque ita solùm probare secundam partem concl.3.

Ad tertium, Respõdeo solùm probare priorem partem primæ nostræ conclusionis, quã solam S. Augustinus contra Faustum defendit; qui, vt patet ex initio illius libri & toto discursu, docebat Christum omnino soluisse legem per Moysen datam populo Hebræo tamquam malam; & adimpleuisse legem datam prioribus Patribus, v.c. Adamo, Abel, Enoch, &c. Nam Augustinum ibi admisisse Christum secundo & tertio modo ex suprà dictis correxisse vel potiùs adimplesse legem veterem, patet ex c.22. in fine, vbi ait, Christum venisse legem adimplere. *Nouis his videlicet additamentis, quæ vel ad expositionem pertinent propositarum antiquarum sententiarum, vel ad conseruationem; non ad impletionem*, scilicet secundùm modum quem fingebant 128

bant Manichæi; quasi lex non Moysis, sed prioribus Patribus data fuisset adimpleta. Verba citata aliqui aliter legunt, sed mendosè, quia carent sensu. Et clariùs ex c.26. in fine, vbi ait: *Sed vt potiùs quod nunc agitur explicem, si Christus vbi quibusdam antiquis sententijs propositis adiunxit: Ego autem dico vobis, neque primorum virorum* (scilicet Abel, Enoch, &c.) *legem hoc verborum additamento adimpleuit, neque illam quæ per Moysen data est, quasi contrariorum oppositione destruxit: sed potiùs omnia ex Hebræorum lege commemorata* (Nota hæc vltima verba quibus S. August. significat Christum per illa verba, *dictum est*, intellexisse dicta in lege) *ita commendauit, vt quidquid ex persona sua insuper loqueretur, vel ad expositionem requirendam valeret, si quid illa obscurè posuisset; vel ad tutiùs obseruandum, quod illa voluisset.* id est, quod lex intenderat: ita scilicet, vt etsi verba Christi aliquo modo aduersarentur verbis legis; fauerent tamen eius intentioni, iuxta dicta n.119. in 2. modo corrigendi legem. quod clariùs adhuc indicat c.19. in fine: vbi ait, *Nos enim dicimus etiã hæc, quæ isti putant soluisse Christum velut contraria referendo, & tunc pro tempore fuisse bene instituta, & nũc à Christo non soluta, sed adimpleta.* Vbi Nota illa verba, *Tunc pro tempore fuisse bene instituta.* quibus apertè significat quædã ex ijs, quæ Christus ibi ex lege veteri citat, solùm fuisse instituta pro tẽpore illius legis, ideoq; alijs præceptis legi nouæ magis conuenientibus, fuisse à Christo adimpleta, & ita secũdùm modum à nobis iam dictũ correcta, non tamquam mala, sed tamquã pro hoc rerum statu minùs vtilia, & ipsius, etiam antiquæ legis (quæ Iudæos instar pædagogi, vt dicitur ad Gal.4. ad Euangelium adducebat) intẽtioni iam minùs conducentia. Quare Christus suis additamentis eã adimpleuit, efficiẽdo vt tutiùs obseruaretur ac obtineretur id, quod illa volebat siue intendebat, vt dixit c.26. sup. citato.

129

Gal 4.

130 Ad quartum, nego id sequi. Quia quidquid Christus ibi veteri legi addidit, posito hoc nouo Ecclesiæ statu est legis naturæ, vt de ôdio inimicorũ olim ex parte Iudæis permisso aut etiã præcepto, & iam per Christum prohibito, patet ex dictis. nam posito quòd Christus velit omnibus gentibus suam patere Ecclesiam, contra ius naturæ esset aliquam velle ab ea excludere. Idem de matrimonij dissolutione, & polygamia ostendi tom.2. de Sacramentis disp.26. dub.2.

131 *Matth.5.* Conclvs. VI. Christus dicto c.5. Matth. nõ solùm legem veterem dictis modis correxit, seu potiùs adimpleuit: sed præcipuè videtur correxisse peruersas Scribarum interpretationes, qui ex eo quòd Exodi 34. & Deut.23. ijs aliquod odium erga certas gentes aut permitteretur, aut etiã præciperetur, iuxta dicta concl.4. videntur intulisse inimicos simpliciter odio habendos esse. Item ex eo quòd Exodi 21.v.23. præcipitur iudicibus qua ratione debeant punire eos, qui pugnando alios lædunt, vt scilicet hi reddant animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente; videntur Iudæi collegisse licere hæc ex cupiditate vindictæ expetere. quod Christus suprà corrigit. Ita expresè D. Augustinus suprà cap.23.24.25. & sic intellecta prior sententia vera est, modò non excludat sensum pro secunda sententia explicatum, concluſ.1. 2.& 5.

Exodi 34.
Deuter. 23.
Exodi 21.
August.

Argumenta autem allata n.109. pro secunda sententia, etsi probent concl.2.& 5. tamen cõtra hanc nihil faciunt, vt per se patet. In quibus hæc sola est difficultas quomodo Ecclesiasticus c.50. dicat se odisse Idumæos; cùm tamen Deuter.23. Iudæi prohibeantur hos odisse. Respõdeo Primò, hoc Iudæis fuisse prohibitũ pro illo tẽpore, quo isti Iudæis non ita aduersabantur: Ecclesiasticũ autem eos odisse siue abominatũ fuisse eo tempore, quo ipsi erant in se nequissimi, & infensissimi Iudæis. Respondeo Secundò, & fortè meliùs, eum posse intelligi de odio, quo oderat non tam gentem, quàm eorum grauissima scelera: hoc enim odium homini ita sancto & à Deo illustrato magis conueniebat.

132

Deut.23.

DVBIVM VIII.

Vtrùm dilectio inimici sit actus melior ac maioris meriti, quàm dilectio amici, quando vterque amatur propter Deum?

Diuus Thom.2.2.q.27.art.7. docet, amorem amici ex vna parte esse meliorem. Primò, quia habet melius obiectum, nobisque magis coniunctum; nam amicus est melior nobisque magis coniunctus quàm inimicus. Secundò, quia cùm amicus sit magis amabilis, quàm inimicus, illius amor est feruentior, & consequenter melior.

133 *D. Thom.*

Ex altera verò parte docet, dilectionẽ inimici esse meliorem, quia hæc elicitur purius propter Deum: nam solus Deus potest esse causa dilectionis inimici; ad amandum verò amicum ferè ob alias etiam rationes mouemur. Secundò, quia in amore inimici est fortior dilectio Dei, vtpote quæ diligentem impellit ad opus difficilius. Vter autem amor sit absolutè melior, ibi non definit: quare à diuersis Auctoribus pro vtraque parte citatur.

Qua in re satis constat posse fieri vt amor amici sit melior amore inimici, si ille sit longè intensior, & ex se efficax ad bonum amici quantum amans potest procurandum; hic verò ex se sit inefficax & valdè remissus. sicut contrà hic secundùm omnes erit melior si sit longè intensior. Quæritur igitur quando vnus efficaciter propter Deum vult aliquod bonum suo amico, & alter æquè intensè propter Deum efficaciter vult simile bonum inimico, vter amor sit melior.

134

Caietan.2.2.q.27.a.7. Bañez ibid.dub.2. Lorca sect.3. disp.31.& quidam alij putant dilectionem amici esse meliorem.

135 *Caietan. Bañez. Lorca.*

Probatur Primò, quia ille actus est melior, qui habet melius obiectum: atqui amor amici habet melius obiectum, non solùm materiale, sed etiam formale; quia amicus habet in se maiorem bonitatem & coniunctionem nobiscum, quæ sunt rationes eum diligendi: ergo huius amor est melior. Secundò, quia quo magis agens perfectiùs agit circa obiectum sibi meliùs applicatum: atqui amicus est obiectum caritati magis

gis applicatum vt eum amet: ergo hæc illum perfectiùs amabit. Quod Lorca ait intelligendum esse non tam ratione maioris intensionis ipsius actus, quàm ratione maioris appretiationis; quia amicum amamus magis appretiatiuè. Tertiò, quia amor magis debitus, est melior; nam voluntas per eum magis conformatur legi & rationi: atqui amor amici est magis debitus: ergo est melior. Quartò, odium amici est peius odio inimici: ergo illius amor est melior. Quintò, quia aliàs sequeretur, dilectionem inimici esse meliorem dilectione parentum, aut sui ipsius: atqui hoc est falsum: ergo & illud vnde sequitur.

136 Quis actus optimus.

Pro resolutione Nota Primò, ex dictis disp. 21.dub.5.eo actum alicuius virtutis esse meliorem, quo voluntatem actualiter efficaciùs, perfectiùs & generaliùs, siue respectu plurium obiectorum subijcit ac conformat voluntati diuinæ. Item ex dictis disp.23.n.17.eo actum caritatis esse & physicè & moraliter, ceteris paribus perfectiorem, quo per eum Deum appretiatiuè magis amamus; & hinc longè magis æstimandam esse actus perfectionem, quàm ex maiore intensione, nisi hic excessus esset valdè magnus. Cuius ratio est, quia quo amor Dei est appretiatiuè maior, eo vniuersaliùs & ceteris paribus perfectiùs nostram voluntatem diuinæ subijcit & conformat: nam hoc ipso quo aliquem pluris facimus, siue appretiatiuè magis amamus, eo ex vi illius actus sumus parati plura ipsius causa facere, siue in pluribus ipsius voluntati inseruire; in quo consistit conformitas voluntatis nostræ cum voluntate amati.

Amor appretiatiuè maior est melior.

Nota Secundò, nos hîc non agere de amore, quo siue amicus, siue inimicus amatur implicitè ab omni eo, qui amat Deum super omnia, iuxta dicta dubio 44 numero 65. sed de amore quo illi explicitè amantur propter Deum.

137 Amor obiecti materialis supponit amorem obiecti formalis, quando hoc ab illo distinguitur.

Nota Tertiò, omnem amorem, quo amamus vnum propter aliud, necessariò supponere amorem eius rei, propter quam aliam amamus, v.c. nisi priùs amem sanitatem, non potero amare medicinam propter sanitatem; & similiter nisi priùs amem Deum, non potero amare proximum propter Deum: quia tunc amor Dei debet me actu impellere, vt amem proximum propter Deum: hinc eiusmodi amor proximi non solùm est implicitè amor ipsius Dei, sed necessariò habet explicitum Dei amorem sibi coniunctum, quo voluntas priùs natura amat Deum in se, quàm proximum propter Deum. vt enim intentio finis actu causet electionem medij, debet actu esse & quidem priùs naturâ ipsa electione medij. Hæc videtur aperta sententia D. Thomæ 2.2. q.27.art.8. Vbi ait dilectionem proximi propter Deum includere dilectionem ipsius Dei; ideoque dicit illam esse perfectiorem ea dilectione, qua Deus solus in se diligitur: vnde patet, quando dicit dilectionem proximi propter Deum includere dilectionem Dei, hoc non debere intelligi de sola implicita Dei dilectione, quia hæc nequit esse melior dilectione, qua Deus explicitè in se

D. *Thom.*

diligitur: ergo debet intelligi de dilectione explicita. iuxta dicta.

Confirmatur, quia quando amo medium propter finem, debeo ad illius amorem excitari per ipsam bonitatem ipsius finis: atqui hæc non excitat me ad amorem medij, nisi mediante amore sui: ergo priùs me excitat ad amorem sui; atque ita priùs amo finem quàm medium.

138 Omnis elligens aliquid medium habet duplicem amorem finis.

Ex quo sequitur Primò, omnem qui amat medium propter finem, habere duplicem amorem ipsius finis. Primò, quo amat finem explicitè in se. Secundò, quo eum amat implicitè per amorem ipsius medij. Qui enim aliquid amat quatenus vtile ad aliud obtinendum, eodem amore etiam implicitè amat id, quod cupit per aliud obtinere; & quidem magis quàm ipsum medium, cùm hoc non cupiat nisi vt alterum habeat.

Amor medij est virtute duplex.

Sequitur Secundò, amorem medij dicere duplicem respectum, scilicet ad medium & ad finem, & sic etiam virtute esse duplicem. Est enim explicitè amor medij, & implicitè amor ipsius finis.

139 Non quilibet amor finis efficaciter impellit ad quodlibet medium eligendum.

Nota Quartò, non quemuis amorem finis sufficere vt me efficaciter moueat ad quæuis media eligenda siue amanda, etiamsi sciam hæc ad illum obtinendum esse necessaria. nam fieri potest vt quis amet v.c. aliquam dignitatem, ita quidem vt ad eam obtinendam sit paratus ire ad 50. milliaria, & expendere 100. aureos, non tamen amplius; quo casu amor illius finis non est sufficiens vt amantem impellat vt conficiat 500. milliaria, & expendat mille aureos, quantumuis sciat hæc esse necessaria vt illam dignitatem obtineat, & in eius potestate sit ea facere, si velit.

140

Ex quo sequitur Primò, eum qui ita amat illam dignitatem, vt de facto ad eam obtinendã conficiat 500. milliaria, & expendat mille aureos, longè perfectiùs & appretiatiuè magis eam amare, quàm prior eam amet.

141

Sequitur Secundò, hunc secundum non solùm per ipsam intentionem finis, sed etiam per ipsam electionem medij implicitè appretiatiuè magis amare eum finem, quàm prior eum amet; quia sicut etiam per eum actum verè eum implicitè amat, ita tanto ampliùs eum amat, quanto plus laboris & impensarum ipsius causa cupit insumere.

142 Dispositio actualis semper est valdè diffortis ab habituali.

Nota Quintò, longè esse aliud me habitualiter ita esse dispositum vt occurrente hac vel illa occasione hoc vel illud facerem; aliud verò me actualiter siue ex vi præsentis alicuius actus ita esse dispositum. Cum priore enim dispositione potest consistere aliquis actus, qui nullo modo potest consistere cum secunda. Nam potest fieri vt aliquis sit habituaiiter ita inclinatus in aliquod peccatum, vt, si daretur talis aut talis occasio, sine dubio esset in illud lapsurus; aut etiam si hoc ei iam occurreret, esset in eo sibi complaciturus: & tamen ipsi nihil de eo cogitanti congruè proponatur Deus, vt summè amabilis, & quòd ei peccata summè displicent; poterit perseuerante ea habituali inclinatione elicere actum caritatis, &

& generatim detestari omnia peccata, & consequenter implicitè & in confuso etiam illud peccatum in quod habitualiter ita inclinatur. Secùs est de eo, qui actualiter circa aliquod peccatum mortale ita affectus est: qui durante eiusmodi affectu nequit elicere actum caritatis Dei aut contritionis; quia simul actu idem peccatum detestaretur & amaret: & haberet voluntatem fugiendi omnia peccata mortalia, & aliquod committendi. quæ apertè implicant.

143 Facilius amatur Deus super omnia in confuso, quàm si singula specialiter consideres.

Nota Sextò, longè esse facilius amare Deum super omnia in confuso considerata; quàm ita eum amare considerando quædam, erga quæ multũ afficimur, in particulari; præsertim quando præsens adest necessitas aut ea pro Deo deserendi, aut mortaliter peccandi. Item quando non adest eiusmodi necessitas, nec occurrit de iis particularis cogitatio, aut saltem nulla fit cum his expressè comparatio, sufficere priorem amorem Dei super omnia ad verum actum caritatis, atque adeò ad iustificationem. Patet ex dictis n. præcedenti. Et confirm. quia aliàs nemo posset elicere actum caritatis, nisi eo ita redderetur in amore Dei firmus, vt si statim occurreret necessitas grauissima patiendi aut peccandi mortaliter, illud præ hoc eligeret: quod constat esse falsum. Plura hac de re dixi tom. 2. de Sacram. disp. 2. n. 69.

144 Electio in appretiatione finis nõ semper assequitur perfectionem intentionis.

Nota Septimò, longè esse aliud me eligere aliquod medium ex magno amore finis, aliud verò hoc medium ex se exigere vt eligatur ex tanto amore ipsius finis. v.c. fieri potest vt quis aliquam gemmam tanti faciat, vt esset paratus pro ea dare mille aureos, si aliter eam habere non posset; tamen quia vendens non exigit pro ea nisi decem, de facto tantùm vult decem pro ea dare. Quo casu electio huius medij, siue voluntas eam emendi per se solùm requirit procedere ex amore finis siue possessionis gemmæ hanc appretiante decem aureis; quamuis per accidens procedat ex amore illam appretiante mille aureis: hinc si alius eam solùm æstimaret decem aureis, ita vt hos vellet pro ea dare, non tamen amplius; præsupponendo à diuersitate intentionum, fieri posset vt vterque eodem modo eam emeret, scilicet volendo hîc & nunc pro ea dare præcisè decem aureos. Nam etsi prior plus pro ea vellet dare, si esset necessariũ, tamen de facto non vult dare nisi decem. quare eo casu vterque per hanc præcisè electionem medij, siue per hanc volitionem tantum pro ea dandi æquè appretiatiuè eam amat.

145 Medium quandoque amatur purè propter finẽ; aliàs ex parte propter se.

Nota Octauò, me dupliciter posse amare aliquod medium. Primò, præcisè qua vtile ad finem; Secundò, simul etiam propter aliquam bonitatem ei propriam, siue qua per se & propter se redditur amabile: v.c. duo in gratiam & commodum Petri conficiunt aliquod iter, vnus valdè facile & iucundum, & quod vel delectationis causa lubens conficeret; ideoque valdè lubens & promptus id conficit. Alter verò conficit iter valdè laboriosum, & plenum periculis, quodque in se nihil habet oblectationis, ideoque cum magno tædio id facit. Prior amat illud iter non solùm propter Petrum, sed etiam propter suam iucunditatem: secundus verò illud amat præcisè propter Petrum siue qua vtile Petro. Et quamuis prior fortè longè magis amet suum iter, quàm secundus suum; tamen hic volendo suscipere hoc iter longè magis amat Petrum, quàm prior, qui fortè nullo modo vellet pro Petro aliud illud iter suscipere. Imò etsi prior suum iter consideratum tam qua vtile Petro, quàm qua sibi iucundum, fortè etiam appretiatiuè magis amet, quàm Petrus suum: tamen hic suum iter præcisè qua vtile Petro, & propter Petrum magis amat, quàm alter suum præcisè qua vtile Petro, quia hic suum iter, si esset solùm vtile Petro, nollet cum tanta molestia suscipere, cum quanta alter suscipit suum præcisè qua Petro vtile.

Quandoque magis amans ipsum medium, minùs amat ipsam vtilitatem medij.

146

Nota Nonò. Etsi communiter is, qui nobis est inimicus nos auersando ac lædendo sit simul peccator; tamen non similiter is, qui nobis est amicus, nobisque benefacit, necessariò est etiam communiter iustus; nam etiam cum iis quos scimus esse peccatores, potest nobis honesta amicitia intercedere, si illi nos ament propter virtutem aut similem honestam causam, & nos eos propter Deum: atque adeò poterit hic amicus esse maior peccator eo qui mihi est inimicus. Imò absolutè loquendo, fieri poterit vt hic sit iustus, vt si ex ignorantia inuincibili putet me esse impium, sibique valdè noxium, atque ita me auersetur mihique noceat; credens hoc sibi esse necessarium vt se indemnem conseruet, ideoque hoc sibi esse licitum.

Quandoque amicus est iniustus, & inimicus iustus.

147 Variis modis possum aliquos amare.

Nota Decimò, me variis modis posse amare tam amicum, quàm inimicum. Primò, ita vnum amando vt simul alterum oderim, aut prout sub mortali teneor non amem; & hic amor non potest esse actus veræ caritatis Dei, quia hic nequit cum peccato mortali consistere, quare de eo hîc non agimus. Secundò, amãdo alterutrum ex vera caritate eo tempore & modo quo hîc & nunc teneor eum amare. Tertiò, ita alterutrum amando quando eum non teneor amare.

148 Non omnis amor Dei est efficax amor inimici.

Ex his sequitur Primò, non omnem actum caritatis quo explicitè aut solum Deum in se amo, aut etiam amicum propter Deum, ita me disponere vt amarem etiam inimicũ propter Deum, si hoc tanquam præceptum hîc & nunc occurreret. Patet ex dictis n. 139. nam posset ille amor esse tam infirmus, vt quamuis sufficeret ad amandum amicum, quod facile est; non tamen sufficeret ad amandum inimicum, quia hoc longè difficilius est.

149 Vnus amans Deum super omnia appretiatiuè est amat præ alio.

Sequitur Secundò, fieri posse vt inter duos amantes Deum verè super omnia vnus eum appretiatiuè magis amet quàm alter. Quia sicut is amat rem aliquam appretiatiuè magis, qui ex vi illius amoris est paratus plus pro ea soluere: ita is alium appretiatiuè plus amat, qui ex vi sui amoris est efficaciter paratus plura ac difficiliora eius causa facere, eaúe de facto facit, vt patet ex dictis n. 140. & 145. atqui fieri potest vt inter duos amantes Deum super omnia, vnus ex vi sui actus sit paratus plura & difficiliora Dei causa facere quàm alter, vt patet ex dictis n. 143. & 144. & clarissimè etiam potest ostendi in duobus ita elicientibus actum caritatis, vt

vnus proponat solùm seruare omnia præcepta, alter verò statuat etiam amplecti consilia, & asperrimam vitam ducere, & cupiat quauis occasione data multa pro Christo pati; qui sine dubio pluris æstimat Deum eiusque beneplacitum, quàm prior. Confirm.ex dictis disp.23. dub.3. vbi ostendi Beatos in patria sine comparatione amare Deum appretiatiuè magis, quàm vllus hîc eum possit amare in via.

150 Amans inimicum propter Deum, hunc appretiatiuè magis amat, quàm amans amicum.

Sequitur Tertiò, amantem inimicum propter Deum, quantum est ex vi illius amoris, appretiatiuè magis amare Deum, quàm amantem amicum propter Deum. Quia prior opus longè difficilius propter Deum aggreditur; & quod secundus fortè nollet propter Deum aggredi, si ei proponeretur; aut saltem id non vult quantum est ex vi illius actus. Patet ex dictis n.144. & 145.

151 Quid præcisè requiratur ad amorē Dei super omnia.

Dices, Amans Deum super omnia amat eum summè appretiatiuè: ergo nemo potest eum appretiatiuè magis amare.

Respondeo nego conseq. quia talis dicitur Deum summè amare, non facta comparatione cum actibus quibus alij Deum amant, aut quibus etiam ipse posset Deum amare, quasi ad illud requiratur vt tantum Deum appretiatiuè amet, quantum vel ipse, vel alij eum amare possunt (qua ratione solus Deus seipsum appretiatiuè super omnia siue summè amat;) sed facta præcisè comparatione ad alias res ab ipso eo tempore amatas, ita scilicet vt tunc nihil de facto amet tantum quantum amat Deum, ac saltem implicitè statuat potiùs omnia deserere, quàm Deum mortaliter offendere.

152

Sequitur Quartò, longè esse aliud quærere, vtrùm sit melius diligere meliorem, quàm minùs bonum; & vtrùm sit melius diligere amicum, quàm inimicum: quia hic potest esse melior illo. vt patet ex dictis n.146.

153 Amor inimici exigit procedere à maiore amore Dei.

Conclvsio I. Etsi absolutè loquendo amor amici possit procedere ab actuali caritate Dei tam perfecta, quàm amor inimici; hic tamen per se loquendo exigit procedere à perfectiore caritate Dei actuali, quàque Deus secundùm se appretiatiuè magis amatur, & communiter etiam à tali procedit. Est expresè

D.Thom. D.Thom.2.2.q.27.a.7.in corpore, vbi ait: *Tanto ergo fortior ostenditur diuina dilectio, quanto propter ipsam difficiliora implemus: sicut & virtus ignis tanto est fortior, quanto comburere potest materiam minùs combustibilē.* Vbi per dilectionem fortiorem non debet intelligi magis intensa (hoc enim nullo modo est necessarium) sed maior

D.Thom. appretiatiuè: vt patet ex dictis. Quare D.Thomas ibi apertè nostram sententiam docet; quæ etiam clarè sequitur ex dictis n.144. vbi sufficienter ostendi, electionem medij difficilioris per se exigere amorem finis appretiatiuè maiorem, à quo causetur.

154 *Durandus. Carthus. Bonauent. Richardus. Malderus. D.Thom.*

Conclvsio II. Dilectio inimici propter Deum ceteris paribus est in se perfectior dilectione amici. Ita Durand.in 3.d.30. q.2. Carthus.ibid.q.1.citans Albertum. Bonau.a.1.q.6. Richard.a.1.q.3.quem aliqui malè pro contraria sententia citant. Malderus 2.2. q.27.a.7.& videtur expresè sententia D. Thomæ ibid.

Quia docet hanc dilectionem procedere ex perfectiore caritate erga Deum, & habere obiectum formale perfectius, siue perfectiorem rationem diligendi. Prob. Primò, ex Scripturis, quæ vbique tanquam actum perfectissimum extollunt dilectionē inimici. vt Matth.5. v.44. & 45. ad Rom.5. v.6. & idē passim docēt Patres. *Matth.* *Rom.5.* Augustinus in Enchirid.c.73. ait: *Minus enim magnum est erga eum esse beneuolum, siue etiam beneficum, qui tibi nihil mali fecit; illud multò grandius & magnificentissimæ bonitatis est, vt tuum etiam inimicum diligas,* &c. Deinde subiungit, priusse omnium iustorum, secundum solùm perfectorum: quia etsi omnes elicientes actum caritatis necessariò diligant inimicos implicitè, & in confuso; tamen non necessariò eos diligunt expresè & particulari affectu: de quo amore hîc solùm agimus. Imò plurimi sunt iusti, quibus si occurreret hîc & nunc necessitas ita diligendi suos inimicos, difficultate rei victi à caritate deficerent. Idem communiter dicunt alij Patres. *August.*

Prob. Secundò à priore. Quia ea dilectio est perfectior, magisque meritoria, qua Deus magis appretiatiuè diligitur, vt patet ex dictis n. 136. atqui ceteris paribus propter Deum diligens inimicum eo actu appretiatiuè magis diligit Deum, quàm diligens amicū propter Deum, vt patet ex dictis num.140. ergo illa dilectio est perfectior magisque meritoria. 155

Dixi, *ceteris paribus,* &c. Quia qui ex caritate Dei exponit vitam suam præsenti periculo pro salute spirituali amici, hoc actu magis appretiatiuè Deum diligit, quàm qui propter Deum vult inimico dare paruam eleēmosynā. Quare quando hæc non sunt paria, videndum est in vtra actione sit maior difficultas; & indè spectandum vtra dilectio sit perfectior. Loquor autem de difficultate operis, quæ nascitur, non ex imperfectione operantis, sed ex ipso obiecto, aliisque circumstantiis, præsertim operanti extrinsecis. iuxta dicta disp.8.dub.11. 156

Ex dictis sequitur Primò, caritatem Dei, qua moueor ad amandum inimicum, ceteris paribus esse etiam physicè perfectiorem caritate qua moueor ad amandum amicum; quia, vt ostendi disp.23.nu.17. non solùm moralis, sed etiam physica perfectio amoris præcipuè spectatur ex maiore appretiatione. 157

Secundò, amorem inimici propter Deum esse moraliter meliorem amore amici etiam notabiliter intensiore; modò cetera sint paria: iuxta dicta n.156. Ratio est, quia, vt ostendi suprà, perfectio ac meritum amoris longè magis crescit ex maiore appretiatione ipsius Dei, quàm ex intensione actus. Et confirmatur; quia sit vnus, qui intenso affectu recitet in honorem Dei aliquam orationem, erga quam valdè afficitur: & alter, qui propter Deum exponat suam vitam certo periculo, actu tamen remisso ob difficultatem quam sentit; quis neget hunc amorem ob maiorem appretiationem ipsius Dei, esse meliorem priore longè intensiore? Præsertim cùm is qui priorem elicit, si daretur necessitas eliciendi secundum, fortè in eo deficeret. Idemque est de amore intensiore amici respectu amoris 158

moris inimici remissioris quidem, sed longè difficilioris, ideoque tanto magis Deum appretiantis. Confirmatur, quia in prioribus actibus maior intensio non prouenit vllo modo ex amore maiore etiam intensiuè erga Deum secundùm se consideratum; sed ex maiore affectu erga rem quam propter Deum amamus. Ex quo perfectio actus longè minùs crescit, quàm ex perfectione amoris quatenus respicit præcisè Deum.

159 Actus habès melius obiectum non est semper melior.

Ad primum argumentum positum n.135. nego maiorem etiam loquendo de obiecto formali; præsertim quando agimus de amore, quo vna res amatur siue eligitur propter aliam, in quo obiectum formale immediatum rei electę est ipsius vtilitas ad consequendá rem propter se amatam. Maiorē enim in hoc sensu esse falsam patet ex Lucæ 12.v.42. vbi vidua pauper mittens duo minuta in gazophylacium dicitur plus dedisse, siue actum meliorē fecisse iis qui multo plus pecuniæ dederant; cùm tamen horum datio haberet obiectum etiam formale immediatum melius: nam quo pretium rei datæ ad promouendum Dei cultum est maius, eo illa res data est magis promotiua cultus Dei; & consequenter est obiectum formaliter melius vt eligatur ad promouendum cultum Dei. Et ratio est, quia, vt iam dixi, perfectio actus interni præcipuè spectatur ex maiore appretiatione rei, quæ propter se amatur: vidua autem illa cùm ad promotionem cultus Dei faceret rem sibi difficiliorem, hunc præ aliis magis appretiabatur. Et similiter qui propter Deum bene facit suo inimico, quod difficile est, in hoc actu magis Deum appretiatur, quàm is qui propter Deum bene facit amico, quod ipsi facile est. His adde, amicum non semper esse obiectum melius, vt dixi n.146. & consequenter minorem illius argumenti non esse generatim veram.

Luc.12.

160 Amare inimicos propter Deum solùm est iustorum: amare ita amicos etiam iniusti possunt.

Ad secundum, Respondeo id solùm probare nos intensiùs & appretiatiuè magis amare amicum secundùm se spectatum, quam inimicum: non autem nos amando amicum hoc ipso appretiatiuè amare perfectiùs ipsum Deum; ex quo tamen præcipuè meritum actus spectandum est: vt satis patet ex iam dictis.

161 Actus magis debitus non semper est melior.

Ad tertium, nego maiorem eiusque probationem: ex ea enim sequeretur, eum qui die festo audit Sacrum plus mereri eo qui vouet castitatem aut ingressum Religionis, quia ille facit actum magis debitum. Quamuis enim omittens Sacrum, quando ad id tenetur, magis peccet, & magis sit difformis voluntati Dei, quàm is qui illa sponte non vouet, quia hic nullo modo peccat, nec est difformis voluntati Dei præsertim præcipienti; tamen supradicta vouens hoc actu magis se subiicit & conformat voluntati Dei, quàm is qui die festo audit Sacrum. Nam ille ex vi illius affectus esset paratissimus audire Sacrum, si occurreret præceptum; hic verò ex vi illius voluntatis, qua statuit audire Sacrum, nullo modo est paratus vouere castitatem aut ingressum Religionis. Ex quo etiam patet responsio ad quartum, neganda enim est consequentia.

Omissio actus minùs boni est peior omissione actus melioris, si ille sit magis debitus.

162

Ad quintum, nego minorem. Nam etsi longè magis obligemur amare parentes; tamen diligere inimicum propter Deum est perfectius: quia virtute quodammodo continet dilectionem parentum: nam vi sua constituit diligentem paratum multò magis diligere parentes, quando occurret occasio: cùm contra diligens parentes propter Deum, non sit ex vi illius actus efficaciter paratus diligere inimicos. Et ob hanc causam Christus Matth.5. ait: *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habetis? nónne & publicani hoc faciunt?* vbi ostendit, amorem parentum & amicorum ex se esse imperfectum, & posse etiam reperiri in peccatoribus: quod verum est etiam quando amamus eos propter Deum, quia potest hoc fieri, etsi non amemus Deum super omnia; nam fieri potest, vt quis propter Deum velit amare amicos, & nullo modo velit amare inimicos. Cùm contrà fieri nequeat, vt quis amet inimicos propter Deum, & non sit paratus propter eum amare amicos; ideoque Christus ibi docet, hunc amorem solùm esse filiorum Dei, siue amantium Deum super omnia.

Matth.5.

DISPVTATIO XXV.

De ordine caritatis.

D.Thom.

Postquam D. Thom. q 25. explicuisset quæ obiecta debeamus per caritatem diligere; deinde qu.26. disputat quo ordine debeamus vnumquodque diligere. Consistit autem hic ordo in eo, quòd Deum, propter quem cetera diligenda sunt, diligamus super omnia, & inter reliqua ea diligamus magis siue præ aliis, quæ cum Deo aut nobiscum maiorem coniunctionem habent, aut ad quorum dilectionem maiorem aliunde obligationem habemus. Quæ sequentibus dubiis sigillatim explicanda sunt.

Quis ordo in charitate seruandus.

Coninck de act. supernat.

DVBIVM I.

Qua ratione teneamur Deum summè siue super alia omnia diligere?

SAtis constat, Deum summè siue super omnia diligendum esse. Hoc enim non solùm naturalis ratio (quæ docet summum bonum, à quo omnia alia bona originem habent & pendent, summè esse diligendum) sed etiam Scripturæ clarissimè docent. Quia Deuter.6. iubemur diligere Deum ex tota anima, ex toto corde, & ex tota fortitudine; quod mandatum

Deut.6.

Matth. 22. *Matth.*10. Matth.22.dicitur primum & maximũ,id est primò & maximè nos obligans.Vnde etiã Matth. 10.v.37. & sequentibus, iubemur Deum diligere supra patrem & matrem,atque adeò supra nos ipsos; ita vt Christus Lucæ 14.v.26.dicat: *Si quis vult venire ad me,& non odit patrem suum & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam* (hæc scilicet omnia quando opus est pro Deo deserendo) *non potest meus esse discipulus.* Vbi expresse dicitur,vt simus discipuli Christi nos debere eum diligere supra ea omnia,quæ hîc habemus carissima. Solùm igitur est quæstio qua ratione teneamur Deum præ aliis omnibus diligere ? Eademque est difficultas in aliis, quorum vnum præ alio tenemur diligere.

Lucæ 14.

2

Amor vnus potest tripliciter esse maior altero.

Pro huius explicatione communiter Doctores notant nos tripliciter posse vnam rem præ alia amare. Primò, obiectiuè optando ei maius bonum, quàm aliis: & constat hac ratione nos teneri Deum supra alia omnia diligere, quia cùm ei soli possit competere beatitudo omni ex parte infinita, hanc ei soli possumus seriò optare; & sicut non possumus velle esse plures deos, ita nec possumus velle alios esse æquales Deo in potestate,maiestate ac beatitate.Secundò, intensiuè, scilicet maiore feruore vnum præ alio diligendo. Tertiò,appretiatiuè,vnum alteri præferendo. quem modum diligendi Scotus in 3.d.27.§.*De primo dico.* vocat extensiuè maiorem, quia nimirum ad plura bona extenditur; nam ei quem appretiatiuè magis amamus plura bona volumus.Addit tamen Deũ per eiusmodi amorem supra alia omnia appretiari. Et hos duos modos multi ex veteribus confundunt, & vtrumque vocant intensiuè maiorem. vt patet ex D.Thom.suprà art.7.vbi docet nobis magis coniunctos intensiuè magis esse diligendos; quod intelligendum est de dilectione maiore appretiatiuè, vt ex dicẽdis patebit.Quod ad rem tamen attinet,ipse hos duos amores satis distinguit in 4.d.17.q.2.art.3.ad 4. vbi docet,hominem etiam bene erga Deum dispositũ quandoque vehementiùs horrere pœnam quàm culpam (quod prouenit ex amore magis intenso suiipsius) & tamen malle pati pœnam quàm admittere culpam: quod indicat amorem Dei appretiatiuè maiorem. Addunt alij Quartum modum quo vnum fortiùs siue firmiùs,quàm aliud diligo.Sed in eo explicãdo nõ satis eum distinguũt à tertio modo.Est igitur hîc difficultas,vtro ex his duobus posterioribus modis teneamur Deum diligere super omnia: & in quo formalis ratio huius amoris consistat.

Scotus. Appretiationem amoris Scotus extensionem, S.Thomas cum aliis intensionem vocat.

3

Adrianus.

Prima sententia docet,nos debere Deum diligere summè intensiuè,siue tam intensè quàm possumus. Ita videtur sentire Adrianus in 4.q. 2.de pœnitentia,& quodlib.5.a.3.vbi ad remissionem peccati saltem extra Sacramentum videtur requirere, vt de eo doleamus propter Deum tam intensè quàm possumus:eadem autem est ratio actus caritatis. Nec refert quòd ibidem ad 3. dicat minimam contritionem ad remissionem peccati sufficere: quia addit, non tamen sufficere minimũ motum displicentiæ, quia hic potest esse tam exiguus,quòd non mereatur caritate informari: loquitur autem de magnitudine intensiua, vt patet ex argumento cui respondet. Eidem sententiæ fauet Scotus *Scotus.* suprà, nam ait nos Deum debere diligere & extensiuè siue appretiatiuè,& intensiuè super omnia. Videntur autem id sentire Primò,quia aliàs non amamus Deũ ex tota virtute, nisi amemus eum tam intensè quàm possumus. Secundò, quia non videmur posse aliquid amare appretiatiuè magis, nisi etiam id amemus intensiuè magis.Sed has rationes satis refutaui suprà:priorem quidem disp.24.dub.2.nu.33. vbi ostendi, secundùm modum loquendi Scripturæ amare Deum ex tota virtute,& ex toto corde, siue ex toto animo,omnino idẽ esse,& tunc fieri quando ita eum amamus, vt simus parati pro eo alia omnia deserere. Secundam verò refutaui disp. 23.n.16.vbi apertè ostendi,dictos modos amandi posse inter se separari.

Hæc igitur sententia non videtur probabilis. 4
Primò, quia,vt iam ostendi, nullo nititur fundamento.Secundò,quia vel vult ad verũ actum caritatis requiri vt amemus Deum tam intensè, quàm à nobis hîc vlla ratione amari potest: vel vt amemus eum tam intẽsè quàm absolutè possumus eum amare hîc & nunc, siue spectatis auxiliis quæ de facto habemus. Prius dici nequit,quia valdè probabile est,nullum hîc posse elici actum caritatis tam intensum, quin cum Dei singulari auxilio possit hîc dari intensior: & saltem excepto Christo certum est nullum hominem tam intensè Deum amare, quin ab alio homine posset amari intensiùs: aliàs sequeretur, talem amare Deum tam intensè, quàm Christus eum amauit. quod apertè est falsum. Quare si illa sententia in hoc sensu esset vera, sequeretur,nullum purum viatorem hîc amasse Deum super omnia. Secundum etiam dici nequit; quia sequeretur, eum qui haberet hîc & nunc solùm auxilia sufficientia ad amandum Deum intensè vt duo, ita eum propter se amãdo elicere actũ veræ caritatis; & eum qui Deum ita amaret intensè vt 100. si haberet sufficientia auxilia ad amandum eum vt 101.non habere verum actum caritatis.quod per se absurdũ est.

Secunda sententia docet, ad actum veræ caritatis requiri vt amemus Deũ intensiùs, quàm rem vllam aliam amemus; siue ita vt nihil amemus tam intensè quàm Deum. Ita agens de cõtritione docet Petrus Soto lect.14.de pœnit.in fine,& lect.15.§.*Cæterùm.* vbi tamen suam sententiam ita explicat, vt eam planè destruat. 5 *Pet. Sot.*

Sed nec hæc sentẽtia videtur probabilis;nam inde sequeretur Primò, Petrum amantẽ Deum propter se vt vnum, & ita dolentem de peccatis,quia Deo displicent; si interim de nulla alia re cogitaret, habiturum actum veræ caritatis & iustificandũ: Iohannem verò ità amantẽ Deum & dolentem de peccatis vt 100.si simul tam intensè doleret de damnatione sui patris, quem moraliter certò sciret mortuum esse in peccato mortali, nec habiturum actum veræ caritatis, nec iustificandum. quòd apparet apertè absurdum: cùm Iohannes ita dolendo de damnatione patris etiam laudabiliter agat. Sed hæc clariùs ex dicendis patebunt.

Tertiò,

6 Tertiò, quidam putant, amorem Dei super omnia in hoc præcisè cõsistere, vt velimus Deo bonum, aut de eius bono gaudeamus præcisè quia ei bonum est. nec aliud requiri, opusue esse vt quis secum statuat potiùs quiduis pati quàm peccare mortaliter, siue potiùs alia omnia deserere quàm Deum: quamuis hoc dicant esse bonum, & signum veri amoris. Illud autẽ *super omnia*, quod denotat quandam comparationẽ, aiunt non debere referri ad quæcumque alia bona quæ diligimus, sed solùm ad ea quæ diuinæ voluntati ita contraria sunt, vt sine peccato mortali fieri nequeant. Adduntque secundum ex priore sequi, siue volentem Deo bonũ præcisè quia ipsi bonum est, non posse simul habere affectum erga aliquod peccatum mortale, quia amor amicitiæ ita fertur in amatum, vt grauem eius offensam secum non patiatur.

Sed hæc etiam sententia patitur difficultatẽ. 7 Primò, quia inde sequitur, nos quemuis amicũ amare super omnia, quoties volumus ei bonum qua ei bonum est, siue ex amore beneuolentiæ erga eum. Quod patet esse falsum, quia possum alicui etiã ex vero amore amicitiæ velle aliquod bonũ, & tamen simul magis amare vitã parentis aut meam quàm illius, statuendo in necessitate meam & parentis vitam præponere vitæ illius.

Nos aliquem amare amore amicitiæ, & amare eũ super omnia non sunt idẽ.

Secundò, quia secundùm eam omnes & singulos etiam licitè possemus simpliciter super omnia amare; quia licitè amamus eos amore amicitiæ, atque etiam super omnia quæ honestæ eorum amicitiæ aduersantur: illud autem est absurdum: ergo & id vnde sequitur.

8 Nota Primò, ex dictis disp.23.n.15.& disp.24. dub.8. nos amare vnũ magis appretiatiuè quàm aliud, nihil esse aliud quàm nos illud actu ipso voluntatis pluris facere, ita scilicet vt ex vi illius amoris ita affecti simus, vt quando occurreret necessitas mallemus perdere secundum quàm prius: sicut enim intellectus tunc vnum præ alio appretiatur quando illud iudicat esse melius, & præ hoc eligendum; ita voluntas suo modo id magis appretiatur, quod præ altero eligit, & saluum esse vult.

Quid sit aliquem appretiatiuè super omnia amare.

9 Ex quo patet duplex notabilis valdè differẽtia inter amorem intensiuè maiorẽ, & amorem appretiatiuè maiorem. Prior, quòd hic dicat necessariò aliquam comparationem inter duo ex quibus vnum tanquam carius alteri præfertur: secùs est in priore amore. Nam vt amem Petrũ intensiùs quàm Paulum, non est opus vt faciam vllam inter hos comparationem; aut vt vnum alteri præponã, sed sufficit quòd absolutè amem Petrum intensè vt sex, & Paulũ solùm vt quinque, nullo modo eos aliter inter se conferendo, aut illum huic præponendo. Imò fieri potest vt eum quem minùs intensè amo, actu alteri præponam amando eum magis appretiatiuè: vt ostendi disp.23.n.16.

Duplex differentia inter appretiationem & intensionem amoris.

10 Secunda differentia est, quòd eum, quem appretiatiuè minùs amo, in actu exercito ostendo me minoris facere quàm alterum: sicut cùm oblatis mihi duabus rebus vt alteram eligam, hoc ipso quo vnam eligo, ostendo me alteram minoris facere: secùs est in amore intensiuè minore; nam, vt ostendi suprà, possum eum quem pluris facio minùs intensè amare. vnde vlteriùs sequitur, me sine vllo Dei contemptu aut vilipensione posse aliquem hominem intensiùs amare quàm ipsum Deum; sine ipsius tamen contẽptu nequeo aliquẽ amare magis appretiatiuè.

Sine Dei cõtemptu aliũ amo intensiùs; non tamẽ appretiatiuè magis.

Nota Secundò, me amando Deum appretiatiuè super omnia posse tripliciter hanc comparationem facere ad omnes creaturas. Primò, explicitè & sigillatim eum præferendo rebus mihi cariſſimis, v.c. expressè proponendo parentes, ac omnia bona, & famam, & vitam, si necesse sit, perdere, ac grauissima torméta sustinere potiùs quàm vnquam mortaliter peccare. Secundò, explicitè Deum præponendo rebus omnibus in genere & confusè conceptis, v.c. proponendo potiùs omnia deserere quàm Deum mortaliter offendere, nihil tamen in particulari cogitando. Tertiò, omnino implicitè concipiendo serium propositũ Deo in omnibus semper placendi, aut omnia peccata mortalia vitandi, aut hæc generatim omnia detestando, præcisè quia ei displicent, aut etiam simpliciter Deum propter se amando eo beneuolentiæ affectu, ex quo statim sequeretur tale propositum si de eo eliciendo cogitarem.

11 Possum tripliciter Deũ amare appretiatiuè supra creaturas.

Conclvsio I. Tenemur diligere Deum super omnia obiectiuè & appretiatiuè. Est communis Doctorũ, & omnino certa. Prior pars patet ex dictis n.2. Secunda patet etiam ex dictis n. 8.9.& 10. vbi ostendi, me necessariò eum pluris facere quem appretiatiuè magis amo, & eum minoris facio quem appretiatiuè minùs amo, & consequenter æqualiter eos æstimo, quos æqualiter appretiatiuè amo: at qui impium est aliquẽ pluris aut etiam æqualiter æstimare, atq; ipsum Deum, siue hunc non pluris facere quàm res creatas: ergo teneor Deum appretiatiuè amare super omnia.

12 Qua ratione Deus sit necessariò summè amandus.

Vbi Nota, ad peccandum contra hoc præceptum nihil referre siue aliquid amemus amore amicitiæ, an verò amore concupiscentiæ supra Deum: nam qui amat pecunias supra Deum, amat solùm amore concupiscentiæ, & tamen peccat contra hoc præceptum.

Conclvsio II. Tenemur Deum amare appretiatiuè non solùm super omnia, quæ eius vtilitati siue amicitiæ aduersantur, sed simpliciter super omnia ab eo distincta. Hęc paucis exceptis videtur etiam cõmunis & omnino certa, & clarè sequitur ex dictis n.7.& 12. Quia scilicet aliàs possemus aliquẽ æqualiter cum Deo appretiatiuè amare, & cõsequenter tanti facere ac ipsum Deum. quod apertè absurdum est. Hoc autem aliàs secuturum probatur, quia si non tenemur Deũ amare appretiatiuè super omnes omnino res, nihil prohibet quo minùs potero rem aliquam æquè ac ipsum appretiatiuè amare. Sicut quia non teneor Deum intensiuè amare super omnia, licitè aliqua amo tam intensè quàm Deum, vt infrà ostendam.

13

Ex quibus patet actum veræ caritatis necessariò ferri in Deum cum vera comparatione saltem implicita ad res à Deo distinctas; ita vt Deus in amore & æstimatione his omnibus præponatur, iuxta aliquem ex modis explicatis n.11.

Actus caritatis inuoluit aliquam comparationem Dei ad creaturas.

Conclvsio III. Nullo iure iubemur Deum 14

Valentia. Medina. Vega. Soto. Henriquez. Suarez. Vasquez. Turrian. Lorca. Malderus.

amare supra omnia intensiuè. Ita Valentia 2.2. disp.3.q.4.punct.1.Medina Cod.de pœnitent. tract.1.q.5. Vega l.17.in Trid.c.24. Soto in 4.d. 17.q.2.a.4. Henriquez l.4.de Sacram.c.27.n.2. Suarez to.4.disp.4.sect.4.n.4.& 9. Vasqu.1.2. disp.194.c.3.Turr.2 2.disp.74.dub.1.Lorca ibid. sect.3.disp.26.Mald.q.26.a.2.& cõmuniter alij.

Probatur Primò,ex dictis n.5.vbi contrariam sententiam refutaui. Secundò, quia aliàs qui nunquam elicuisset amorem Dei nisi vt sex,peccaret amando suam aut parentis salutem vt septem examore spei,aut pietatis erga parentem. quod planè absurdũ est,cùm hi actus honestum habeant obiectum & sint veri actus virtutis.

15 Dices,talem non peccaturum,quia suam aut parentis salutem tam intensè amat;sed quia nõ amat Deum intensiùs.Sed contrà Primò,eodẽ præcepto,quo iubeor Deũ amare supra omnia, prohibeor alia amare supra Deum, vt patet ex illo Matth.10. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Secundò, quia talis tunc eodẽ instanti,quo parentis salutem amat, teneretur Deum amare intensiùs quàm suã aut parentis salutem,nempe peccaret Deum non amando super omnia. illud autẽ apertè absurdum est; tum quia nulla potest dari probabilis ratio cur tunc præcisè teneatur elicere amorem Dei tam intẽsum, cùm ne quidẽ obligetur tunc actu amare Deum:tum quia sic deberemus perpetuò esse soliciti ne amaremus aliquid intensiùs quàm Deum, imò creatũ aliquod amando vel mediocriter intensè,exponeremus nos sæpè periculo peccãdi.Nam cùm sæpè non possimus facilè discernere,vtram rem amemus intensiùs, communiter exponeremus nos periculo amãdi aliquid tam intensè quàm ipsum Deum,aut saltem cõmuniter possemus de eo dubitare:atq;ita semper deberemus esse anxij.quæ absurda sunt.

Matth.10.

16 Dices, Simili modo non possumus scire an Deum amemus appretiatiuè super omnia: ergo ex alia sententia eadem sequuntur incommoda. Antec.prob. quia aliàs possemus scire an simus in gratia.

Facilè aduertimus an aliquid amemus appretiatiuè supra Deum, non tamen an intensè.

Respondeo,nego antec.quia longè faciliùs & certiùs possumus cognoscere an amemus Deũ supra omnia appretiatiuè , quàm an amemus eum intensiùs quàm res alias. Primò,faciendo expressam comparationẽ,vel cum omnibus rebus in confuso, vel cum maximè caris in particulari,& examinando nos an simus parati has omnes pro Deo deserere.Secũdò,per ipsam experientiã,quãdo de facto deserimus ea ad quorum amorẽ nos sentimus trahi,ne Deũ offendamus.Ex quibus,etsi nõ omnino infallibiliter,tamẽ probabiliter possumus cognoscere nos Deũ amare supra omnia appretiatiuè,& cõsequenter simili modo possumus scire nos esse in gratia.

17 Conclvsio IV.Non solùm nõ est peccatũ; sed etiam honestũ ac laudabile amare proximũ ac res alias propter Deum,aut ex alio fine honesto tam intensè quàm ipsum Deũ. Hæc videtur sententia omniũ,quos supra citaui pro concl.3. & ex ea sequitur. Et probatur, quia Beati,qui omnia honestissimè agunt, tam intensè amant proximum quàm Deum, quia vtrosque ex tota latitudine sui habitus , siue tam intensè eos amant ex caritate,quàm est intensus eorum habitus caritatis;& consequenter æquè intensè.

Honestè aliquis amãmus tam intensè quàm Deũ.

Secundò,quia cùm amor proximi aut alterius rei honestæ ob finẽ honestũ sit intrinsecè honestus,quo erit intensior, eo erit honestior; quare cùm,vt ostendi,nulla sit obligatio amandi Deũ intensiùs quàm res alias, erit honestum has ob finem honestũ tam intensè amare quàm ipsum Deum. Ex quo vlteriùs sequitur,quòd,etsi me amare rem honestã ob finem honestũ intensiùs quàm amem Deũ,connotet in me imperfectionem aliquã amoris diuini,quatenus hic non est tam perfectus quàm conueniret ; tamen in eo nullo modo pecco,& amor meus erga proximũ eo casu est perfectior & melior,quã esset si esset minùs intẽsus:quia intensè ferri in obiectũ honestũ,est perfectius quã in id ferri minùs intẽsè.

18 *Cur possit licere aliquid plus quàm Deo amare magis tamen quàm appretiatiuè.*

Ratio à priore harũ omnium conclusionum, siue cur nunquã liceat aliquid magis vel etiam æquè appretiatiuè amare atq; ipsum Deum; & tamen liceat aliqua amare tam intensè,aut etiã intensiùs,est,quia prius nequit fieri nisi pluris, vel saltem tanti æstimemus rem creatam,quàm ipsum Deum;quod semper malum est:secùs est de secundo; vt patet ex dictis n.8.& 10.

19 *Admittatis notis quibuscunq; intensionis.*

Conclvsio V. Ad actũ veræ caritatis,quo absolutè & secundùm exigentiam Scripturarũ, ac sufficienter ad iustificationẽ amemus Deum supra omnia,non requiritur vlla certa intensio; sed amor Dei quantumuis remissus potest esse talis.Ita cum aliis expresè Suarez citatus n.14. & videtur sententia omnium quos ibi citaui:& apertè ex dictis sequitur. Nam cùm non teneamur amare Deum tam intensè quàm res alias, nulla est ratio,cur ad verum actum caritatis requiratur certa intensio.

Suarez.

DVBIVM II.

Vtrùm fieri possit, vt quis amet proximum propter Deũ intensiùs quàm ipsum Deum?

20 NOn quærimus hîc vtrùm hoc sit licitum,de quo egimus dub.præced.nec etiam vtrùm propter alia motiua possim amare proximũ intensiùs,quàm Deũ:hoc enim constat fieri posse. nec etiam vtrùm possimus aliquem amare purè propter Deum appretiatiuè magis quàm Deũ: constat enim hoc fieri non posse;nam patet fieri non posse,vt medium amem purè propter finẽ, & tamen illud pluris faciam quàm ipsum finem; siue vt malim carere fine quàm medio,v.c.sanitate quàm medicina, quam non amo nisi propter sanitatem.Secùs esset si eam etiam amarem quia dulcis est,aut ob similem causam. Solùm igitur quærimus an siue licitè siue illicitè fieri possit , vt amemus proximum purè propter Deum intensiùs quàm ipsum Deum.

21 *Malderus.*

Malderus 2.2.q.26.a.2.affirmat id fieri posse. Prob.Primò,quia propter idem obiectum formale æqualiter à duobus participatum possum vnum amare intensiùs altero. v.c.vnũ fratrem meum intensiùs altero præcisè quia meus frater est: ergo similiter possum propter eandẽ rationem formalẽ amare intensiùs aliquod obiectũ alio , etsi hoc illã magis participet quàm prius; v.c.propter bonitatẽ Dei possum amare proximum intensiùs quàm Deum.Secundò,quia habens

bens caritatem vt sex potest Deum amare solùm vt duo: ergo poterit tunc proximum amare vt sex: nulla enim est ratio cur tunc id nõ possit, cùm habeat ad hoc habitum sufficientem.

22 Sed hæ rationes non satis probant intentum. Alij enim ad primã facilè negabunt antecedẽs, dicentq; eo casu me fratrẽ magis dilectum non amaturũ solùm præcisè quia frater est, sed simul ob aliquas alias rationes, quæ in altero fratre nõ reperiuntur. vel melius respondebũt hoc argumentũ nihil facere ad rem; quia non quærimus hîc vtrùm inter duos possim minùs intẽsè amare eum qui æqualiter vel magis participat rationem obiecti formalis; sed vtrum possim aliquid amare intensiùs, quàm amem ipsam rationem formalem, ob quam illud amo. nam quærimus an possimus amare proximũ purè propter Deũ intensiùs quàm ipsum Deum, quo casu hic, qua in se bonus est ratio formalis amandi proximũ: quod valdè diuersum est ab altero. Ad secundã, nego cõsequentiam; quia, etsi talis possit Deum amare solùm vt duo, nequit tamen eo amore impelli vt proximũ amet vt sex, sed ad hoc opus est vt priùs amet Deum vt sex, quia causa nequit esse perfectior suo effectu: vt autem dixi suprà disp.24.dub.8.n.137. amor Dei in nobis causat amorem proximi propter Deum.

23 Bañez verò ibid. negat id fieri posse. Primò, quia omnis habitus fortiùs inclinat in obiectum formale quàm in materiale. Secũdò, quia homo per actũ caritatis assimilatur Spiritui sancto; ergo intensiùs diligit Deum quàm proximũ, sicut Spiritus sanctus eum intensiùs diligit. Tertiò, quia intẽsio actus caritatis mediante habitu est à Spiritu sancto: atqui hic nequit magis inclinare in hominẽ, quàm in Deum: ergo fieri nequit vt per illũ habitũ homo diligatur intẽsiùs quàm Deus. Quartò, quia perfectiùs assentimur præmissis quã cõclusioni propter præmissas: ergo intẽsiùs amamus Deũ, quã proximũ propter Deũ.

24 Sed tria priora argumenta nihil probant. Ad primũ, Respondeo inde nõ sequi, me obiectum formale semper amare intensiùs, quia nõ cogor semper sequi omnẽ habitus inclinationẽ: nam habens habitũ intensum potest remissè operari. Ad secundũ, nego conseq. tum quia per actum caritatis non assimilamur in omnibus Spiritui sancto: tum etiam quia falsum est Spiritũ sanctũ amare intẽsiùs Deum, quàm nos, quia vtrosque eodem amore omnino infinitè intenso diligit, & Deum siue seipsum solùm appretiatiuè magis diligit. Ad tertium, Respondeo hoc solùm probare nõ posse prouenire ex parte habitus, quòd intensiùs amem proximũ quàm Deum, nõ autẽ id non posse prouenire ex parte volũtatis liberè se applicantis vt proximũ intensiùs amet, quàm Deum. Quartum habet plus probabilitatis, sed tamen nec hoc satis conuincit intentũ, quia videtur nimium probare, scilicet nos non posse amare proximũ propter Deum tam intẽsè quàm ipsum Deum, sicut non possumus tam perfectè assentiri cõclusioni propter præmissas, atq; ipsis præmissis. Quare dicendũ est id solùm probare me non posse amare proximũ tam perfectè siue æquè appretiatiuè (in quo amoris perfectio præcipuè consistit) propter Deũ atq; ipsum Deum.

Omissis igitur his rationibus, hæc sententia 25
potest probari Primò, quia potentia naturaliter & vehementiùs fertur in obiectũ quod eam hîc & nunc magis ad agendũ mouet: atqui obiectũ formale siue bonitas Dei magis mouet voluntatem ad amorẽ sui quàm ad amorẽ proximi: ergo volũtas affecta caritate naturaliter siue spectata naturali totius illius cõpositi inclinatione, magis feretur in amorem Dei, quàm in amorẽ proximi propter Deum. Nec refert quòd voluntas ob libertatem suam possit non sequi suam inclinationẽ, & vehementiùs amare id in quod aliàs minùs inclinatur; quia hoc facere nõ potest nisi habeat ad hoc aliquod motiuum. Sicut enim homo nihil potest amare, nisi in eo cõcipiat rationem boni: ita nihil potest amare intensiùs ad hoc expresè conando, nisi cõcipiat hîc & nunc sibi esse bonum illud intẽsiùs amare. Etsi autem possim cõcipere vt bonum amare tam proximũ quàm Deum quantum possum, & ita vtrumque æquè intensè amare, vt contingit in Beatis: tamẽ non possum concipere vt bonum non amare Deum tam intensè quàm proximum; & consequenter non possum ad hoc conari, spectata præcisa ratione formali caritatis, siue nisi ex alia ratione formali ad hoc inciter.

Voluntas naturaliter vehementiùs inclinatur in amorem obiecti formalis quàm materialis.

Prob. Secundò, quia cùm bonitas diuina non 26
moueat me ad amandũ proximũ nisi mediante amore sui, vt dixi disp.24.dub.8.n.137. videtur satis difficile, vt ipsa moueat me ad amandũ intensiùs proximũ quàm ipsa in se ametur: siue vt amor ipsius causet in me amorẽ proximi se maiorem, cùm effectus nequeat esse perfectior sua causa. Loquor autẽ quando ex solo amore Dei moueor ad amãdũ proximũ: quo casu amor Dei est in suo genere siue in ratione causę formaliter voluntatẽ incitantis sola causa amoris proximi.

Dices, Fieri potest, vt quis se sæpè exercuerit 27
in amando proximũ propter Deum, & sic contraxerit habitum acquisitum eum ita amandi, à quo incitetur ad eum ita amandum: atque ita fiat vt non solus actualis amor Dei eum moueat ad amorem proximi, & hic amor ei sit facilior & consequenter intensior, quàm amor Dei in se.

Respondeo, Fieri nequit vt quis exerceat se Nequeo amare proximũ propter Deum nisi amem Deũ secundum se.
in amando proximo purè propter Deum, quin simul exerceat se in amando Deo propter se, atque ita necessariò contrahet similẽ habitum, eandemq; facultatẽ respectu vtriusque. Quòd si assueuerit amare proximum non purè propter Deum, sed simul etiam propter aliquas alias rationes (sicut ferè communiter fit quando amamus nobis amicos, aut saltem non omnino extraneos) tunc contrahet habitum eum amandi non purè propter Deum, & non nisi aliquam vim sibi inferendo poterit eum aliter amare: nam semper ille habitus ad eadem motiua inclinabit.

Ex his patet probabilius esse, nos nunquam 28
amare proximum purè propter Deum intensiùs quàm ipsum Deum, ac consequenter quando illum amamus intensiùs, nos eum non amare purè propter Deum, sed simul propter aliquaalia motiua; quæ possunt etiam esse honesta, & efficere actum meritorium.

DVBIVM III.

Vtrùm natura nos inclinet ad amandum Deum magis quàm nos ipsos?

29 NOta Primò, nos hîc non quærere vtrùm possimus naturaliter siue solis naturæ viribus amare Deũ supra nos ipsos: hoc enim ad 1.2. spectat, sed vtrùm natura nos inclinet ad eum magis amandum, quàm nos ipsos, siue hic amor eliciendus sit solis naturæ viribus, siue per auxiliũ gratiæ, à quo hîc abstrahimus. D. Thom. 2.2. q.26. a.3. id affirmat: quem ibid. Caiet. Bañez & reliqui ipsius interpretes sequuntur. Eandẽ tenent Turr. Lorca, Malderus in dictum art. & est longè cõmunior sententia. Fauent eidem Scot. in 3.d.27. §. *Istis igitur*. & Durand. dist. 29. q.2. vbi tamen propriè id non asserit, sed solùm nos naturaliter ad hoc obligari.

D. Thom. Caietan. Bañez. Turian. Lorca. Malderus. Scotus. Durandus.

30 Prob. Primò, quia quæuis pars magis inclinat in bonum totius, quàm in suum particulare, vt patet in brachio, quod cum suo periculo naturaliter se exponit ferientis gladio, vt impediat ne caput feriatur; & in aqua ascendente sursum ob bonũ vniuersi, ne detur vacuum: atqui Deus habet se per modum totius, homo verò per modum partis: ergo homo naturaliter magis inclinatur ad amandum Deum, quàm seipsum. Secundò, quia vitiosum est magis amare se, quàm Deum: ergo natura in hoc non inclinat; quia aliàs esset ex se vitiosa & mala.

Secunda sententia docet, nos naturaliter magis inclinari vt amemus nos ipsos, quàm Deum. Ita Bonau. in 3.d.29 a.1.q.2.ad 1. Gabriel ibid. q.vnic.a.1.not.3. Altisiod. l.3. tract.5.c.3.q.1. sub finem. & quidam alij.

Bonauent. Gabriel. Altisiod.

Prob. Primò, quia, cùm amor fundetur super vnione, magis inclinat ad amanda magis vnita: atqui magis sumus vniti nobis quàm Deo: ergo natura nos magis inclinat ad amandũ nos, quàm ipsum Deum. Secundò, quia homo naturaliter magis amat filium tanquam aliquid sui, quàm parentem: ergo etiam magis se quàm Deum. Tertiò, quia appetitus sensitiuus in nobis inclinat naturaliter in bonum contrarium rationi: ergo non omnis amor naturaliter nos inclinat ad amandum Deum. Quartò, quia quando tyrannus minatur mortem, nisi negemus Deum, natura magis inclinat ad fugiendam mortem, quàm ad non negandum Deum: ergo ipsa magis inclinat in amorem sui quàm Dei.

31 Sed quamuis hæ sententiæ verbis inter se discrepent, tamen, si Auctorũ earum mentẽ magis quàm verba consideres (paucis saltem exceptis, qui rigidiùs loquuntur) videntur reipsa non ita pugnare, quin in bono sensu conciliari possint.

Pro quo Nota Secundò, inclinationem naturalem nihil esse aliud quàm ipsam naturam quatenus proposito aliquo obiecto facilè mouetur ad hoc prosequendũ vel fugiendũ. Itaq; naturam inclinare ad aliquid amandũ, est ipsam facilè moueri vt hoc sibi propositum amet.

Quid sit inclinatio naturalis.

32 Nota Tertiò, aliud esse naturam magis siue faciliùs, citiùs ac vehemẽtiùs inclinare ad amandum se quàm Deum: aliud verò ipsam inclinare vt appretiatiuè magis amet se quàm Deum, siue vt se præferat Deo. Videntur autem Auctores primæ sententiæ loqui in secundo sensu, & Auctores secundæ sententiæ in primo sensu: & ita posse conciliari.

Nota Quartò, inclinationẽ nostræ voluntatis esse duplicẽ. Prior inclinat simpliciter in bonum propositũ sine vllo respectu ad circumstantias. Secunda inclinat immediatè ad sequendã rectã rationẽ, & hac mediante in bonum propositum cum respectu ad circumstantias. Priore volũtas inclinatur quatenus est potentia naturalis, seu potiùs animalis: secunda quatenus est potentia rationalis, ideoq; hæc est propria naturæ rationali: prior verò ei est communis cum brutis. Et hinc fit quòd semper sentiamus in nobis pugnam aliquam, quoties ex vna parte proponitur nobis bonum honestum, & ex altera bonum delectabile honestati contrarium, quorum alterum deserendum est: eò quòd tunc priore inclinatione incitemur ad sequendũ bonum delectabile, à quo secunda inclinatio nos auertit.

Inclinatio voluntatis duplex.

CONCLVSIO I. Natura rationalis non inclinat ad amandum se magis appretiatiuè quàm Deum, sed potiùs contrà. Ita Auctores primæ sententiæ. Prob. Primò, quia neque natura inclinat nos priore inclinatione ad amandum se præ Deo (quia hæc inclinatio fertur aut in se aut in Deum sine respectu ad aliud; amor autem appretiatiuè maior connotat respectũ ad aliud) neque etiam secunda inclinatione, quia hæc inclinat ad sequendam rectam rationem; quæ dictat Deum super omnia diligendum esse. 33

Ex quibus patet secunda pars, scilicet naturam rationalẽ qua talem inclinare ad amandum Deum præ se; quia cùm secunda inclinatio sit ei propria, quò hæc inclinat, eò natura rationalis dicitur absolutè inclinare.

Confirm. Primò, quia aliàs Deus malè instituisset nostram naturam. Nam simpliciter malum est appretiatiuè amare creaturam præ Deo, ad quod illa inclinaret. Secundò, quia aliàs esset peccatum sequi perfectissimam inclinationem naturæ. quod videtur apertè absurdum. 34

Vbi Nota, magnam hac ex parte esse differentiam inter hanc inclinationem, & inter illam, qua natura simpliciter inclinat in amorem alicuius boni sine alio respectu. Quia inclinatio, quæ fertur ad amandum nos ipsos appretiatiuè supra Deum, fertur in malum qua malum est. Secùs est de absoluta illa inclinatione, quia hæc absolutè fertur in bonum siue in commodum naturæ, abstrahendo à licito vel illicito, & consequenter ex se non fertur in malum, qua malum est. Quare etiũ appetitus sensitiuus feratur in bonum aliquod sensibile, quod propter circumstantias hîc & nunc illicitum est appetere; tamen non dicitur inclinari contra rationem, quia non inclinat in illud quatenus ue in malis talibus circumstantiis affectum est, sed simpliciter quatenus est bonum naturæ sine alio respectu. Ideoque homini data est ratio, qua hunc appetitũ dirigat. Idemq; est in voluntate, quæ ex se, & nisi dirigatur à ratione, naturali impetu fertur in bonum sibi propositum sine alio respectu: hac tamen differentia, quòd hæc cùm sit libera, possit tuum appetitum cohibere; si tamen

Cur appetitus sensitiuus non inclinet propriè contra rationem &

men hunc non cohibeat, sæpè vehementissimè fertur in bonum illicitum, non quidem qua illicitum, sed qua delectabile.

Confirmatur Tertiò, quia recta ratio apertè docet, nos debere Deum appretiatiuè magis diligere quàm nos ipsos: atqui natura secunda illa inclinatione nos inclinat ad sequendam rectam rationem: ergo ad amandum Deum supra nos ipsos.

35 CONCLVSIO II. Prior illa inclinatio est vehementior quàm secunda; & ita natura vehementiùs inclinat in amorem sui, quàm in amorem Dei. Et hoc solùm videntur velle Auctores secundæ sententiæ: nec credo id alios negare, nisi fortè paucos, qui non satis considerantes distinctionē datam notab.3. putant id necessariò negari ad defendendā priorē nostrā conclusionē.

Vnde nascatur in nobis difficultas fortè in omnibus amandi Deum.

Hæc conclusio vel ex ipsa experientia satis probatur: nam quotidie experimur nos ex nobis ipsis, & nisi auxilio gratiæ adiuuemur, vehementiùs inclinari in amorē nostri, quàm in amorem Dei: & hinc nascitur omnis difficultas sincerè amandi Deum, atque etiam ferè omnis rebellio carnis cōtra spiritū: imò etsi hęc omnino, omnisq; eius motus essent planè compressa & subiecta imperio voluntatis, adhuc esset difficultas sincerè planè Deum in omnibus præ se amandi: nam etiam eo casu homo solis naturæ viribus nō posset diù in omni casu omnē legem seruare, & constanter malle grauissima omnia perpeti quàm Deum offendere. Cuius nulla alia est ratio, quàm quia voluntas naturaliter vehementiùs inclinatur in bonum suum, quàm in bonū Dei. Si enim vehementiùs inclinaretur in amorem Dei, sine vlla difficultate hunc ibi in omnibus præponeret, adeoq; ad hoc non indigeret vlla gratia; quia nihil nobis facilius, quā sequi naturalē nostram inclinationē, præsertim eam quæ in nobis est ceteris vehementior, prosequendo scilicet id, ad quod hîc & nunc vehementiùs inclinamur.

36 Prob. Secundò, quia si natura vehementiùs inclinaret in amorē Dei, quàm in amorem sui, non videtur probabile futurū fuisse vt vllus angelus aut homo in statu innocentiæ constitutus vnquam peccaret; quia debuissent sibi vim inferre ad peccandum, præsertim cùm iis ineset constās & vniformis naturæ inclinatio, & ratio perpetuò sibi præsens. Confirm. quia si rationi esset consentaneum, nobisq; à Deo præciperetur, vt semper faceremus id ad quod natura nos magis impellit, omnino credibile est, imò certum, aut nullos aut vix vllos homines peccaturos: ergo si angeli aut homines in statu innocentiæ naturaliter fuissent vehementiùs inclinati ad amandū Deum eiusq; beneplacitum, quàm ad se amandum, omnino credendum est nullum ex iis fuisse peccaturum.

37 Prob. Tertiò, quia aliàs sequeretur, hominem constituī in pura natura, si Deus solùm impediret ne diabolus eum tentaret, posse sine vlla alia gratia constantissimè amare Deum super omnia, & omnia eius præcepta seruare, etiamsi propterea grauissima ei essent patiēda; quia eius volūtas semper in omni casu vehemēciùs inclinaretur ad seruāda Dei præcepta, quàm in contrariū: nulla autē nobis opus est gratia vt faciamus id, ad quod vehementiùs inclinamur: illud autē est apertè falsum: ergo & id vnde sequitur.

Prob. Quartò, quia aliàs non esset actus heroicus in angelo aut in homine, quē præsertim nulla corporis passio turbaret, malle æternis ac grauissimis pœnis sine peccato cruciari, quàm admittendo vnū peccatū mortale æterna quadam naturali felicitate perfrui: sicut de facto nō est opus difficile aut heroicū ex duobus grauissimis malis illud eligere, à quo natura minùs abhorret; hæc autem semper minùs abhorret ab eo quod contrariatur bono ad quod minùs vehementer inclinatur. si igitur natura nostra ex se vehementiùs inclinaretur ad amandū Deum eiusq; beneplacitum, quàm ad amandum seipsam suumq; commodum, sequeretur, quòd vehementiùs inclinaretur ad fugiendum peccatum, quàm ad vitandam illam pœnam: & consequēter minùs abhorreret ab hac pœna, quàm à peccato; atque ita non esset ei difficile illam acceptare, vt hoc vitaret.

Dices, D. Thom. hîc ait naturam etiam irrationalem suo modo plus inclinare ad amandū Deum vt bonum vniuersi, quàm ad amandum seipsam: ergo dum ait naturam magis inclinare ad amandū Deum, quàm seipsam, hoc non intelligit tantùm de secunda illa inclinatione, quæ est ad sequendam rectam rationem, siue qua natura rationalis qua talis inclinatur; sed etiam absolutè de omni naturæ nostræ inclinatione ipsi omnino naturali. 38

Respondeo, nego conseq. quia D. Thom. ibi loquitur de natura irrationali, non per se spectata, sed prout dirigitur ab intelligentia mundum gubernante. Qua ratione etiam manus excipit vulnus vt defendat caput, non priuata sua inclinatione, sed quatenus regitur à ratione (sub qua comprehendo æstimatiuam in brutis) quæ totum corpus gubernat.

Qua ratione manus exponat se vulneri vt defendat caput.

Ex his facile est soluere rationes initio dubij allatas: nam allatæ pro priore sententia solùm probant priorem nostram conclusionem. Ad primam itaque, Respondeo partem non per se, sed quatenus regitur à ratione totū corpus gubernante, magis inclinare ad conseruationem totius quàm sui. Ad secundam, Respondeo solùm probare priorem conclusionē. Allatæ verò pro secunda sententia solùm probāt secundam conclusionem, scilicet naturam nostram vehementiùs inclinare in amorem sui quàm Dei: vt facilè patet discurrenti per singula. 39

DVBIVM IV.

An debeamus ex caritate magis diligere nos ipsos quàm proximum.

D. Thom. 2.2.q.26.a.4. quem communiter Doctores sequuntur, docet nos ex caritate debere nos ipsos magis diligere, quàm proximum. Quia cùm caritas fundetur super communione in eadem beatitudine, post Deum, qui est principium huius beatitudinis, debemus primò diligere eos qui sunt magis vni nobiscum in illa beatitudine; nos autem nobiscum sumus magis vni (quippe realiter & physicè) quàm cum proximo, cui propriè solùm sumus vniti- 40 D. Thomas.

vniti. Patet etiam clarè ex Scriptura, in qua
Matth.22. Matth.22. iubemur diligere proximum sicut nos ipsos. Vbi cùm dilectio nostri statuatur exemplum & regula dilectionis proximi, apertè insinuatur nos teneri post Deum primò diligere nos ipsos; quia rectitudo & perfectio regulæ & exemplaris debet priùs & magis conuenire regulæ & exemplari, quàm regulatis. Similiter
Eccli.14. Ecclesiastici 14. dicitur: *Qui sibi nequam, cui alij bonus erit?* quasi nemo possit bene amare alios, qui seipsum primò non amat. vnde subditur: *Qui sibi inuidet, nihil eo nequius.* Vbi dum dicitur nequissimus esse qui sibi inuidet, siue seipsum non amat, apertè insinuatur nos teneri amare plus nos ipsos, quàm alios.

41 Quare loquendo de amore in genere res hæc est clara: sed cùm, vt patet ex dictis n.2. vna dilectio tripliciter possit esse maior altera, scilicet obiectiuè, intensiuè & appretiatiuè; quæritur qua dilectione debeamus nos diligere præproximo. Et quidem quod spectat ad intensionem nullus hîc est præceptus ordo, vt facilè patet ex dictis dub.1. sed aliqua est difficultas de aliis duobus modis. Item cùm habeamus bona spiritualia, corporis & externa, dubium est in quibus debeamus nos diligere præproximo.

Difficultas igitur est Primò, an in bonis spiritualibus debeamus nos magis appretiatiuè diligere quàm proximum. Secundò, an etiam magis obiectiuè. Tertiò, qua ratione in bonis fortunæ aut vitæ debeamus nos diligere præproximo. Quartò, qua ratione bona spiritualia proximi debeamus præferre vitæ nostræ. Quæ sequentibus dubiis explicabuntur.

DVBIVM V.

Qua ratione in bonis spiritualibus debeamus nos appretiatiuè & obiectiuè magis diligere quàm proximum.

42 NOta, varia esse bona spiritualia, in quibus hîc potest fieri comparatio. Primò, est euitatio omnis peccati, & periculi peccandi. Secundò, exercitium boni operis, præsertim actus caritatis Dei. Tertiò, fruitio beatifica, siue æterna beatitudo. Quartò, habitualis sanctitas ad æternam beatitudinem necessaria. Quintò, maior perfectio. Sextò, status ad maiorem perfectionem conducens. Et de hoc vltimo Auctores hîc communiter expressè non disputant, tamen ex iis quæ de aliis dicunt, facilè hoc potest colligi. Item in his omnibus disputari potest tam quid sit præcepti, quàm quid sit consilij.

43 Lorca 2.2.sect.3.disp.28.n.2.docet, caritatem
Lorca. non exigere vt diligamus nos obiectiuè magis, quàm proximũ: quia honestè possumus aliis velle excellentiorem gradũ gratiæ & gloriæ, quàm nobis. Probat Primò, quia pium est quòd placeat nobis excellentior gradus sanctitatis & gloriæ, quem B. Virgo & Apostoli præ nobis consecuti sunt, ita vt de eo gaudeamus. Secundò, quia pium est desiderare vt ordo diuinæ prædestinationis, qua aliquos ad maiorem sanctitatem & gloriam præ nobis prædestinauit, impleatur; & oppositum esset affectus inuidentiæ & auersionis à diuina voluntate. Et deinde reprehendit Sotum, quòd l.5.de Iustit. *Sotus.* q.1.a.6. dicat esse contra inclinationem caritatis desiderare quòd Deus me minùs diligat quàm alium.

Pro horum autem resolutione suppono Primò, caritatem primò & per se inclinare subiectum suum ad amandum Deum, & omne bonum Dei qua tale, & consequenter ad procuranda ea quæ Deo magis placent, & quatenus ei magis placent; & ad detestanda ea, quæ ipsi displicent, quatenus & quia ei displicent. Per se patet, & ex dictis dub.1. 44 *In quæ caritas inclinet.*

Suppono Secundò, nos duplici desiderio posse desiderare bonum Dei, siue ea quæ Deo placent, scilicet efficaci & ineffica, illudque per se esse melius & Deo gratius. Patet per se, & ex dictis disp.24.dub.8.nu.136. His suppositis ponemus primò conclusiones aliquot clariores, ex quibus reliquas deducemus.

CONCLVSIO I. Caritas nunquam me potest 45 *Quid caritas aliquando faciat.* inclinare vt faciam aliquod peccatum, etiam veniale, etsi per hoc possit totus orbis saluari. Dicitur autem hoc loco caritas me ad id inclinare, quod requirit à me fieri, siue quod ad seruandum decentem caritatis ordinem hîc & nunc fieri debet. Conclusio est communis & certa. Probatur Primò, quia Apostolus ad *Rom.* Rom.3.absolutè tanquam blasphemos damnat eos, qui dicunt, *Faciamus mala, vt eueniant bona.* *Augus.* Vnde etiam D. Augustinus libr.de Mendacio c.20.docet, nec pro tuenda pudicitia, nec pro vlla alia re vnquam licere mentiri. Ratio est, quia caritas nunquam potest me inclinare vt faciam aliquid quod necessariò displiceat Deo; omne autem peccatum Deo necessariò displicet, quantumuis ob bonum finem fiat. Et quamuis fieri possit, vt aliquid, quod aliàs esset peccatum ratione circumstantiarum, siue eò quòd ad aliquem finem acquirendum hîc & nunc sit necessarium, desinat hîc & nunc esse peccatum, atque ita licitè ob eum finem fieri possit (nam ad conseruandam vitam meam aut alterius licitè aliena surripio, quando hoc ad illud est necessarium:) tamen fieri nullo modo potest vt licitè faciam aliquid quod hîc & nunc verè est peccatum, quantumuis ob bonum finem id faciam, & consequenter est impossibile Deo placere me hoc facere, aut caritatem Dei me ad hoc inclinare.

Hinc sequitur, caritatem me semper magis 46 *Caritas me semper inclinat vt faciam maiori obligationi.* inclinare ad faciendum id quod hic & nunc facere obligor, quàm ad quodcumque aliud bonum, quantumuis magnum, si ad id non obligor, vel etiam minùs obligor quàm ad aliud. Atque ita magis me inclinat vt dem debitam pecuniam diuiti creditori, quàm pauperi indigenti cui nihil debeo, cùm vtrique dare nequeo, nisi fortè hic sit in extrema aut valdè graui necessitate. Item magis me inclinat vt operando lucrer victum egenti familiæ, quàm vt diebus non festis audiam Sacrum, aut toto die feruenter orem, quando vtrumque facere nequeo. Item vt dem operam ad conseruandam valetudinem, quàm vt continuem

longam

longam & feruentem contemplationem; quando hæc sine illius notabili læsione à me haberi nequit. Ratio est, quia, cùm obliger ad illa facienda, pecco ea omittendo, & hæc ponendo illorum obligationi non facio satis. Vnde si hæc non possum facere nisi illa omittendo, non possum hæc facere sine peccato. quare sicut caritas nequit me inclinare ad peccandum, ita nequit me obligare vt hæc illa omittendo faciam.

47 CONCLVSIO II. Caritas semper magis inclinatin illud opus vel desiderium, quod hîc & nunc Deo magis placet. Prob. quia caritas semper absolutè inclinat in id quod Deo placet, solùm & præcisè quia Deo placet; sicut amor sanitatis inclinat in id quod conducit ad sanitatem præcisè quia conducit; ergo semper magis inclinat in id, quod Deo absolutè magis placet: sicut amor sanitatis magis inclinat in id quod sanitati magis conducit, & quia amor in genere inclinat in amabile ex se semper magis inclinat in magis amabile.

48 CONCLVSIO III. Caritas ex se semper magis inclinat in desiderium efficax eorum quæ Deo hîc & nunc absolutè placent, quàm in inefficax. Sequitur ex dictis, quia desiderium efficax est præstantius & Deo magis placet, quàm inefficax; adeoque Deo magis placerem si efficaciter desiderarē ei paruum honorem, quàm si magnum inefficaciter: atqui, vt iam dixi, caritas ex se semper inclinat in id quod absolutè Deo magis placet: ergo magis inclinat in desiderium efficax, quàm in inefficax.

49 Dices, Gratior esset regi, qui ipsi magno desiderio optaret monarchiam orbis, quàm qui illi procuraret exiguum bonum: ergo similiter dicendum est in amore Dei.

Respondeo feruens tale desiderium non posse esse omnino inefficax, aliàs enim non esset feruens: quare subditum etiam excitabit vt procuret bonum ipsius regis vbicumque poterit: & hac ratione multùm cedet in bonum regis, cui nihil melius est quàm habere promptos subditorum animos ad suum bonum procurandum. aliàs si illud desiderium ex se esset inefficax, nec subditum ad aliquid faciendum excitaret, nullius esset momenti & indignum nomine veri amoris, iuxta illud: *Amor magna operatur, vbi est; vbi operari desinit, ibi amor non est.*

Nota igitur nos hîc omne illud desiderium vocare efficax, quod homines incitat ad procurandum aliquod bonum Dei, quantum in se est, etsi fortè reddatur inefficax ob externa impedimenta.

50 Præcipitur nobis amor boni efficax, non autem inefficax. *Ioan.3.* CONCLVSIO IV. Desiderium efficax diuini honoris & salutis proximi sæpè est in præcepto, & consequenter tunc caritas ad illud necessariò inclinat: inefficax verò nunquam est in præcepto. Prima pars prob. quia iubemur Deum & proximum opere & veritate diligere, Ioan.3. atqui hoc fit per desiderium siue amorem honoris Dei efficacem: ergo hic est aliquando in præcepto.

Secunda pars prob. quia tale desiderium est inutile si ex se sit inefficax: quando verò solùm est inefficax ob impedimenta aliqua extrinseca, aut ob defectum potestatis, tunc, etsi sit vtile ad ostendendum & fouendum affectum in Deum; tamen communiter saltem non est necessarium, ideoque nec præceptum, quando res desiderata noscitur impossibilis desideranti, ideoque caritas non necessariò ad illud inclinat. Et quidem hactenus dicta etsi (excepta 1. concluſ. & priore parte 4. quas communiter omnes expressè docent) non ita expressè à Theologis docentur, tamen non credo aliquem ea negare: nam per se nota sunt, & videntur ab aliis vt talia supponi.

CONCLVSIO V. Caritas numquam inclinat hominem vt ob quemcumque finem absolutè desideret vel omnino Deo non frui, vel minùs eo frui: sed semper inclinat in contrarium. Hæc est apertè D. Thomæ 2.2.qu.26.art.4. quem alij communiter Theologi sequuntur. vt videre est apud Malderum in dictum artic. Lorcam 2.2. sect.3.dub.28.nu.15. Valentiam disp.3.qu.4.p.3. Turrian. disp.75.dub.2. Est autē conclusio vera non solùm posito quòd nemo sine sua culpa possit carere beatitudine, sed etiamsi hæc priuatio sine nostra culpa posset contingere. Ratio est, quia illud ad nullum omnino finem potest esse vtile, aut in Dei honorem cedere, atque ita nec potest Deo vllo modo placere: sed contrà, cùm maior nostra beatitudo ex se ad maiorem Dei gloriam spectet, ideoque Deo magis placeat, caritas nos semper ad eam desiderandam inclinat. 51 *S. Thomas. Lorca. Valentia. Turian.*

Petes, quomodo ergo Moses Exodi 32. petierit deleri de libro vitæ: & D. Paulus ad Rom. 9. optarit esse anathema à Christo pro fratribus. 52 *Exod. 32. Rom. 9.*

Omissis variis sententiis quas adferunt Lorca, & Mald. suprà, & Cornelius in Comment. in Pentateuch. & in epistolas Paulinas in explicatione dictorum locorum: *Lorca. Malderus. Cornel.*

Respondeo neutrum optasse simpliciter excidere à beatitudine; sed Mosem vsum quadam erga Deum confidentia immiscuisse se quodammodo causæ populi, quem Deus volebat delere; vt Deus aut ipsum cum populo perderet, quod sciebat non futurum, aut vtrosque seruaret. sicut si filius regis videns patrem iratum alicui multitudini rebellanti paratum immittere in eos milites qui eos occiderent, se eidem multitudini immisceret & ad patrem clamaret, vt aut illis parceret, aut se cum illis occideret, sciens patrem hoc nullo modo facturum. Ita D. August. q.147. super Exodum. Quomodo Moses optarit deleri de libro vitæ, & Paulus esse anathema. *August.*

Paulus verò solùm habuit tale desiderium conditionatum: Si per impossibile posset esse ordinatum medium ad salutem aliorum, scilicet Iudæorum omnium, & fieri posset sine vllo meo peccato, vellem carere visione Dei, vt fratres mei Iudæi, qui iam pereunt, salui fierent. Et ita fortè etiam posset explicari desiderium Mosis, ita vt vterque excessiuo quodam & qui supra hominem sit desiderij & amoris feruore, tanto suo damno voluisset procurare proximi salutem, & maiorem Dei gloriam: quæ maior relucet in multorum, quàm in vnius sanctitate, si illud potuisset ad hæc esse necessarium medium, & simul posito quòd non obstante illa priuatione beatitudinis ipsi potuissent non minùs 53

Chrysost. nùs Deo placere eumque amare. Vide Chrysostomum in illud D.Pauli. Optauit itaque S. Paulus sub illa conditione salutem Iudæorum emere priuatione suæ beatitudinis, non præcisè quatenus illa erat Iudæis bona, sed præcipuè quatenus spectabat ad maiorem Dei gloriam, atque ita ex caritate amabat bonum Dei magis quàm suum.

54 Et tale desiderium conditionatum potest esse laudabile, & caritas potest ad id inclinare, quatenus, vt dixi, proximi salus cedit in maiorem Dei gloriam, & eius damnatio ac peccata hanc consequentia in Dei & passionis Christi quandam iniuriam. Quia tamen eiusmodi conditiones sunt omnino impossibiles, nunquam eiusmodi desiderium absolutum potest esse honestum, aut ex inclinatione caritatis; quæ nunquam potest nos inclinare, vt desideremus aliquid coniunctum cum nostra culpa, aut aliàs Deo minùs placere, eumúe minùs amare. Imò eiusmodi desiderium etiam conditionatum communiter non est suadendum, quia in imperfectis posset esse periculum, ne transiret in desiderium absolutum, quod esset inordinatum & periculosum: quia facilè excitaret ad negligentiam propriæ salutis.

55 Conclvsio VI. Contra caritatem est ob quemcumque finem velle sibi minorem sanctitatem, vel eandem sibi minùs velle, quàm ipsi proximo. Quia caritas inclinat semper suum subiectum vt omnibus modis optet magis placere Deo, eumque magis amare, quod fit per maiorem sanctitatem siue caritatem. Ita Valentia suprà puncto 3. & Sotus citatus n. 45.

Valentia. Sotus.

Prima pars prob. quia velle sibi minorem sanctitatem nequit esse vtile ad vllum finem bonum, ideoque nec potest placere Deo: imò desiderium quo desiderarem me aliis esse minùs sanctum, ex se natum est me excitare ad negligentiam procurandi maiorem perfectionem; quæ sine dubio Deo displicet, & multa bona impedit.

Prob. Secundò, quia est contra ordinem caritatis eligere quod minùs Deo placet, vt patet ex concl. 2. atqui qui eligit minorem perfectionem, eligit id quod minùs Deo placet: ergo facit contra ordinem caritatis.

56 Secunda pars prob. Primò, quia caritas nos semper excitat, vt quæramus ea quæ Deo placent, & consequenter vt ea magis quæramus, quæ Deo magis placent: atqui desiderium meæ salutis & perfectionis est efficacius ad promouendum honorem Dei, & consequenter Deo magis placet quàm desiderium salutis alienæ: ergo caritas me ad illud magis inclinat. Minor prob. quia efficaciùs possum me ipsum promouere ad perfectionem quàm alios: ergo cùm maior nostra perfectio pertineat ad maiorem Dei gloriam, sequitur desiderium meæ salutis & perfectionis magis & efficaciùs pertinere ad Dei gloriam, quàm desiderium salutis alienæ.

Desiderium propriæ perfectionis magis promouet honorẽ Dei, quàm desiderium alienæ salutis.

57 Prob. Secundò, quia desiderium propriæ perfectionis est medium ex se aptissimum ac omnino necessarium vt Dei gloriam tam in aliis quàm in me promoueam: ergo magis Deo placet, quàm desiderium perfectionis alienæ. Consequentia patet, quia illud Deo magis placet quod natum est ipsius gloriam in nobis ac aliis magis promouere. vnde vlteriùs infertur caritatem ad tale desiderium maximè inclinare.

Antec. prob. quia quo aliquis perfectior est, eo in se magis Dei gloriam promouet, & aptior est vt perfectionem & salutem aliorum magis promoueat; cùm contrà qui in se imperfectus est, vix vnquam possit esse aptum instrumẽtum vt aliorum salutem ac perfectionẽ promoueat: ergo propriæ nostræ perfectionis cura ac desiderium, est medium magis necessarium ad Dei gloriam in nobis aliisque promouẽdam, quàm desiderium perfectionis alienæ.

Prob. Tertiò, quia vnicuique incumbit maior cura sui, quàm aliorum; nam quisque magis & immediatiùs habet suas actiones in sua potestate quàm aliorum: quare etiam magis obligatur promouere Dei gloriam in se, quàm in aliis; sicut Superior magis tenetur curare perfectionem suorum subditorum, quàm aliorum: ergo caritas magis inclinat me vt procurem meam salutem, quàm aliorum: quia, vt patet ex dictis suprà, semper magis me inclinat ad id, ad quod magis obligor. 58

Nota, caritatem nos semper inclinare ad amandum bonum Dei cum quodam respectu ad subiectum cui inest: rectus enim ordo omni in re postulat vt quiuis primùm & maximè curet quæ ad ipsum spectant, alia verò deinceps prout magis vel minùs ad ipsum spectant: iuxta illud Matth. 7. *Hypocrita, eiice primùm trabem de oculo tuo*, &c. Quare caritas, quæ ordinatissimè agit inclinat suum subiectum, vt primò curet satisfieri propriis obligationibus, quia hæ magis ad ipsum spectant, quàm alienis. Et hoc vult dicere D. Thom. suprà ad primum, cùm ait caritatem non tantùm habere quantitatẽ ex parte obiecti, sed etiam ex parte subiecti. *Caritas inclinat in bonum cum quodam respectu ad subiectum.* *Matth. 7.*

Dices, Sæpè non obligor vt velim maiorem meam perfectionem: ergo tunc caritas æquè me inclinabit vt velim perfectionem proximi ac meam, & magis vt huic maiorem velim, quia hæc ad maiorem Dei gloriam spectat. 59

Respondeo Primò, etsi non semper obligor ex vero præcepto quærere maiorem meam perfectionem, ita vt eam non quærendo peccem; tamen semper aliquo modo obligor ex quadam decentia, quam caritas etiam spectat, quæ maximè decenter operatur.

Respondeo Secundò, nego conseq. ob primam & secundam rationẽ suprà allatam. Adde Primò, etsi ad maiorem Dei gloriam spectet, vt proximus habeat potiùs magnam caritatem, quàm paruam: tamen non spectat ad maiorem Dei gloriam, vt ipse habeat potiùs magnam, quàm ego, excepta saltem B. Virgine; quare nulla est ratio cur proximo optem maiorem gratiam quàm mihi. Adde Secundò, cùm desiderium propriæ perfectionis sit ex se magis efficax & promotiuum honoris Dei, quàm desiderium alienæ perfectionis, vt ostendi n. 56. semper magis esse ex gloria Dei, vt primò & præcipuè desiderem & procurem meam perfectionem, & deinde alienam. Hæc tamen obiectio bene probat inuersionẽ huius ordinis non esse graue pecca-

peccatum, modò non ita negligam meam perfectionem, vt exponam me periculo grauiter peccandi: quod facilè posset accidere in eo qui magis curat salutem proximi quàm suam.

60 Hinc patet non esse verum quod docet Lorca citatus n.43. scilicet caritatem nos non inclinare vt in bonis spiritualibus nos hîc diligamus obiectiuè magis quàm proximum; contrarium enim clarè patet ex dictis, & expressè docetur à D. Thoma 2.2.q.26.a.13. vbi docet hac ex parte mutandum ordinem caritatis in patria, quòd ibi, quia ampliùs non erit locus merendi, optabimus maiorem gloriam sanctioribus, quàm nobis; secùs tamen esse dum sumus adhuc in via, vbi gratiam & gloriam possumus augere,

D. Thomas.

61 Meritò nobis placet Apostolorum sanctitas, malè tamen gaudemus nos esse minùs sanctos.

Ad primum ipsius argumentum, Respondeo Primò, esse quidè pium vt placeat nobis excellens illorum sanctitas, tamen non esse piũ nobis placere nos nõ esse tam sanctos, quàm ipsi sunt; cùm optimũ sit contrarium desiderare, scil. nos tantum Deum amare eique placere, quantũ illi eum amant eique placent. Atque adeò (excepta saltem B. Virgine, respectu cuius propter honorem Christi non facilè huiusmodi comparationes instituẽdæ sunt) debemus appretiatiuè magis non solùm aliquam gratiam & gloriam; sed & maiorem gratiam & gloriam optare nobis quàm Apostolis, vt patet ex dictis. Sicut enim caritas me inclinat vt magis velim me, quàm Apostolos absolutè placere Deo eumque amare, vt etiã Lorca fatetur; ita etiã me inclinat vt velim me magis Deum amare eique magis placere, & vt ad hoc toto conamine contendam.

Deus nulli ita prædestinauit certũ gradum gratiæ aut gloriæ, vt nolit ipsum hic maiorem mereri.

Ad secundum, Respondeo Deũ non elegisse singulos homines ad certum gradũ gloriæ ante præuisa merita, quare quãdiu sumus in hac vita debemus semper aspirare ad maiorem sanctitatem & gloriã, vt omnes fatentur. cuius contrarium probaret argumentũ Lorcæ, si aliquid probaret, scilicet nos non debere absolutè hîc desiderare perpetuò in sanctitate magnis passibus progredi, & ad hoc toto conamine contẽdere, ne fortè acquiramus, aut saltem desideremus & conemur consequi maiorem gloriã, quàm Deus nobis prædestinauit: quod secundùm Lorcã esset malum. Quare omnino dicendum Deũ quãtum est ex parte sua, si per nos nostramque tepiditatem ac discordiã non staret, cupere quemq; nostrûm peruenire ad longè maiorem sanctitatem quàm sit ea ad quã de facto sumus peruenturi: atq; adeò ad æqualem cum ea quã habent maximi Sancti. Et hoc debemus desiderare & omni modo ad hoc conari. Nec hac ratione inuidemus maioribus Sanctis suam gloriam, sed nobis similem aut etiã maiorem optamus, & appretiatiuè magis quàm illis: quod honestissimè & sine vlla inuidia fieri potest. sicut honestè & sine inuidia possumus nobis ipsam gloriam appretiatiuè magis velle, quàm illis, vt Lorca cum communi sententia fatetur.

Lorca.

62 CONCLVSIO VII. Caritas nunquam inclinat ad opus ex quo per se sequitur minor perfectio operantis, quàm ex eo quod huius causa omittitur: quandoque tamen ratione grauis necessitatis proximi, aut alterius alicuius obligationis inclinat nos ad id, ex quo per accidens ex vitio operantis sequitur minor perfectio.

Prima pars probatur, quia aliàs ipsa inclinaret ad maiorem perfectionem operantis: quod enim inclinat ad causam, inclinat etiam ad effectum per se ex ea sequentem: sed illud est absurdum, vt patet ex concluſ.6. ergo & id vnde sequitur.

Secunda pars prob. quia caritas multos inclinat, vt relicta contemplatione, iisque operibus quæ ordinantur ad propriam perfectionẽ, dent se concionibus, confessionibus audiendis, &c. imò quandoque vt omissa Religione suscipiant dignitatem Ecclesiasticam; cùm tamen communiter homo plus proficiat studendo suæ perfectioni, quàm studendo alienæ, & in Religione quàm in sæculo. Quò etiam videtur posse referri illud D. August. l.9.de Ciuit.c.19. *Otium sanctum quærit caritas veritatis; negotium iustum suscipit necessitas caritatis.* *August.*

Dices Primò, Videtur caritas hoc modo inclinare simpliciter ad minorem perfectionẽ operantis; quia inclinat ad statum absolutè minùs aptum acquirendæ perfectioni: præsertim si ob publicas necessitates inclinet aliquem vt relicta Religione matrimonium ineat; quia hic status simpliciter illo est imperfectior: & tamen si id esset necessariũ ad impedienda grauissima bella, & regni euersionem, aut ne alias hæreticus cum periculo euersionis subditorum in regnum succederet, teneretur quis ex caritate relicta Religione matrimonium inire, vt olim fecit Casimirus rex Polonorum. 63

Dices Secundò, Contemplatio maximè hominem perficit, iuxta illud Lucæ 10. *Maria verò optimam partem elegit*: atqui caritas sæpè auocat nos à contemplatione ad opus Marthæ, vt scilicet proximi necessitatibus succurramus: ergo sæpè nos inclinat ad opus ex quo per se sequitur minor perfectio operantis. *Lucæ 10.*

Nota ex dictis disp.21. nu. 47. & 50. hominis perfectionem primò & præcipuè consistere in vnione cũ Deo, & conformitate volũtatis ipsius cum prima sua regula, quæ est voluntas diuina: loquor autem de perfectione morali siue in ratione virtutis, quia ad hanc præcipuè caritas inclinat, vt quę maximè Deo placet, & ad eius gloriam pertinet. Vnde maxima hominis perfectio consistit in maxima & perfectissima vnione siue conformitate voluntatis ipsius cum voluntate Dei: idque Primò, extensiuè, vt scilicet homo velit omnia quæ Deus vult eum velle, non modò præcipiendo, verùm etiam suadendo. Secundò, intensiuè, vt scilicet eadem feruentissimè velit. Tertiò, vt quantum potest efficaciter & constanter ea velit. His positis. 64 In quo consistat hominis perfectio.

Respondeo ad primam obiectionem, statum Religiosum esse quidem ex se perfectissimum (quia non solùm in præparatione animi, verùm etiam ipso facto, quantum in se est, subijcit hominem eiusque voluntatem totaliter voluntati Dei) non tamen semper facere hominem perfectiorem. Sicut etsi datio eleëmosynæ centum aureorum sit in se melior datione vnius aurei, tamen illa non semper meliùs fit, aut magis est meritoria: vt patet 65 Quandoque ob circumstantias minùs perficiunt quæ ex se sunt magis perfectiua.

Luc.12. Lucæ 12. in vidua conferente duo minuta. Item communiter quidem bona voluntas, quæ actum externum coniunctum habet, perfectior est illa, quæ eum non habet; tamen simpliciter fieri potest, vt hæc sit perfectior, vt si sit intensior, & quantum est ex se efficacior in eo, cui actus externus est impossibilis. Et simili modo fieri potest, vt *is*, qui ex aliqua necessitate proximi episcopatum suscipit, aut coniugium init, vniat voluntatem suam diuinæ extensiuè & intensiuè tam perfectè & quantum est ex parte sua, tam efficaciter & constanter, quàm faceret si Religionem ingrederetur: imò & hoc eo casu addet, quòd spiritualia commoda & animi delicias quæ in Religione experiretur purè propter Deum velit commutare cum ariditate & molestijs, quas in episcopatu aut regno administrando experietur.

66 Dices, Etiamsi ante executionem possit voluntas æqualiter disposita, cui externus actus est impossibilis, esse tam perfecta, quàm ea, quæ est habitura effectum, non tamen postea: quia actus internus per externam executionem natus est magis excitari, & ita maiore intensione & duratione perfici: maximè in Religione, vbi omnia exercitia comparata sunt vt hominem magis in virtute perficiant.

67 Qua ratione necessitate cogente Religiosum statum propter Deum deferens possit non minùs ideo proficere.

Respondeo hinc bene sequi, ex natura rei actum externum, & maximè Religionis ingressum, causare perfectiorem actum voluntatis, atque ita magis hominem perficere; tamen in eo qui ex parte sua habet firmum & efficax desiderium ingrediendi Religionem, hæc possunt aliunde compensari. Primò, eò quòd res valdè desiderata si negetur soleat maius desiderium excitare. Secundò, quia cùm talis necessariò valdè apprehendat sublimitatem perfectionis Religiosæ, & facilitatem & securitatem huius status: & contrà suum statum apprehendat vt imperfectum, laboriosum & periculosum, excitatur continuò ad sui contemptum, & status sui fastidium, & ad statum Religiosi magnam æstimationem concipiendã, & ita non facilè honoris aut libertatis amore capitur; & ex difficultatis & periculorum apprehensione sibi diffisus totum se ad Deum confert, seque in eum magna fiducia erigit conscius sibi se illa pericula ac molestiam propter Deum suscipere. Vnde etiam, quod præcipuũ est, Deus talibus dat maiorem gratiam, quia numquam committit vt alicui damno sit propter se aliqua bona reliquisse, aut pericula prudenter suscepisse. Possunt hæc confirmari plurimorum sanctissimorum Pontificum exemplo, v.c. Augustini, Ambrosij, Basilij, Gregorij, &c. qui episcopalibus curis & functionibus ob proximi necessitatem implicati tanta sanctitate, vitæ innocentia, ac caritatis feruore enituerunt, vt plurimos etiam perfectos Religiosos in ijs superarint.

68 Vnde patet, caritatem dum ex talibus causis auocat aliquem ex Religioso statu ad secularem, nec inclinare ad minorem perfectionem (quia non inclinat ad minorem voluntatis nostræ cum diuina coniunctionem) nec etiam ad id, ex quo necessariò sequitur minor perfectio; cùm homo possit absolutè in vtroque statu æqualiter se Deo vnire: quamuis hæc vnio extra Religionem sit longè difficilior, & ferè inconstantior: atque ita secundùm legem ordinariam nequit tam sperfecta haberi extra Religionem ab eo, quem nulla necessitas à Religione auocat, quia impossibile est actum internum sine externo esse verè ex se efficacem, vbi hic est moraliter possibilis. Hinc omnes ferè Sancti, quantum in ipsis fuit, Religiosum statum experti sunt, nec nisi coacti dignitates Ecclesiasticas susceperunt. ideoque nullum in perfectione damnum senserunt, quia cùm retinerent perpetuum & feruens Religionis desiderium, eius meritum non amiserunt, sed voluntas ijs pro facto reputata fuit.

Negquit tutũ proficere in seculo, quisquis in Religione, qui hanc spontè non ingreditur.

Sancti non nisi coacti Ecclesiasticas dignitates susceperunt.

Hinc patet solutio secundæ obiectionis: licet 69 enim contemplatio in se sit melior actione, tamen ratione circumstantiarum hæc potest esse melior, magisque hominem perficere. vt docet D. Thom. 2.2.q.182.a.2. idque ratione duplicis necessitatis, scilicet nostræ & proximi. Ex qua nascitur in nobis obligatio Primò, tuendi vitam & valetudinem nostram, & eorum, à quibus eam accepimus; Secundò, satisfaciendi creditoribus; Tertiò, obediendi Superioribus; Quartò, prospiciendi saluti proximi. ad quæ caritas nos magis inclinat, quàm ad meditationem, vt patet ex dictis 1. concluf. Idque Primò, quia illa sine peccato omitti non possunt. Secundò, quia melior est illa voluntas, quæ propter Deum, qui vult nos his obligationibus satisfacere, meditationem quantum in se est efficaciter volitam relinquit, quàm quæ ipsius dulcedini nimiùm inhæret. Vnde D. Augustf. serm. 27. de verbis Domini in illud Christi, *Mariaoptimampartem elegit.* fusè docet, omissa actione continuam contemplationem sectari esse secũdùm se optimum, tamen propter necessitatem proximi opera caritatis non esse omittenda, sine quibus caritas Dei in nobis esse non potest teste S. Iohanne epistolæ 1.c.3.v.17. Vnde etiam D. Augustinus suprà per Mariam optimam partem eligentem vult intelligi & laudari æternam vitam, vbi nulla erit miseria, & consequenter nec opus misericordiæ.

D.Thom. Quæ cuique non meriti contemplatione ulationi accidant.

Augst. 1.*Ioan.* 3.

Hucaccedit, quòd opera pia succedentia 70 meditationi magis perficiant caritatem, quàm continuata meditatio. Primò, quia cùm corporis imbecillitas non ferat continuam meditationem, hæc diutiùs continuata languescit; quare tunc melior est magisque caritatem excitat feruida actio, quàm tepida contemplatio. Secundò, quia perfectius est desiderium boni diuini, quod est magis efficax, & ad hoc caritas magis inclinat: atqui is efficaciùs desiderat Dei gloriam, qui eam de facto iuxta suam conditionem in proximo promouet, quàm qui eam solùm inter contemplandum desiderat: ergo illius desiderium est perfectius. Tertiò, quia præstantius est pluribus modis Dei gloriam optare & procurare; vt docent D. Thom. 2.2.q.188.art.6. & S. Bernardus serm. de natiu. S. Iohannis paulò post initium, vbi ait: *Est enim tantùm lucere vanum; tantùm ardere parum; ardere & lucere* (scilicet alios ad perfectionem ducendo, eosque ita illuminando) *perfectum est*: atqui caritas soli

Miseretationem contemplationi ad perfectionem ducit.

D. Thom. Bernard.

con-

contemplationi vacans tantùm in se ardet; quæ autem simul incumbit in salutem proximi simul etiam illuminat: ergo hæc est perfectior. Quartò, quia caritatis perfectio in eo consistit, quòd nostram voluntatem perfectissimè vniat Deo, eiusque voluntati conformet: hoc autem nequit perfectè consequi per suos actus solos; sed indiget subsidio omnium virtutum, sine quibus illi ferè sunt languidi & inefficaces: atqui multæ virtutes, v.g. patientia, fortitudo, tolerantia iniuriarum & laborum, &c. sine actione acquiri nequeunt: ergo nec caritas potest sine his omnino perfici (quia ipsa necessariò est patiens, benigna, &c.) & consequenter nec sine actione ad illas virtutes acquirendas necessaria perfici potest.

Multæ virtutes sola contemplatione acquiri nequeunt; sine quibus tamen caritas non est omnino perfecta.

71 Perfectissima vita actionem cõtemplationi coniungit.

Vnde patet Primò, illam vitam ex genere suo esse perfectiorem, quæ vtilem saluti proximi actionem cõtemplationi adiungit: quia nec ferè uens in Deum caritas sola actione cõparari potest: nec caritas potest fieri patiens, efficax, benigna, &c. sine actione. vnde etiam D. Basilius in regulis fusiùs disputatis c. 7. docet, in vita solitaria & plus periculi esse, & ad necessarias virtutes comparandas minus facultatis. vide D. Thom. suprà a. 6. & 8.

D. Basil.

D. Thom. Vita Religiosa seculari & contẽplatio actioni præferenda.

Patet Secundò, statum Religiosum semper secundùm se & quantum in nobis est, esse eligẽdum præ seculari, & cõtemplationem præ actione, quia illa secundùm se meliora sunt, & magis hominem perficiunt, & ideò caritas ad illa per se inclinat; ad hæc solùm per accidens ratione alicuius circumstantiæ, scilicet necessitatis propriæ aut alienæ.

72 Conclvs. VIII. Caritas numquam inclinat vt quis aliquid faciat, ad quod aliàs nõ obligatur, solùm quia proximi salus speratur inde promouenda, si probabile sit suam ferè tantumdem lædendam aut impediendam; sed semper contrà nos inclinat, vt quantum in nobis est eas actiones assumamus, quibus nostra perfectio magis promouenda est. Sequitur ex concluſ. 6. eamque apertè innuunt Auctores ibi citati. nam aliàs inclinaret ad præferendam salutem proximi saluti propriæ.

Male curas salutem alienam cum periculo perdendi tuam.

Hinc contra caritatem est Primò, suscipere aliquod officium quantumcumque necessarium saluti proximi, cum euidenti periculo perdendi propriam aut peccandi mortaliter: quia hoc esset moraliter eligere peccatum mortale. Si tamen periculum sit remotũ & probabiliter creditur euitandum, tunc grauis necessitas proximi, cui aliter nequit succurri, videtur præponẽda. Patet, quia victus lucrandi causa potest quis suscipere aliquod munus quod coniunctum est cum eiusmodi periculo peccandi (nam aliàs nõ liceret exercere militiam, mercaturam, & quædam similia officia, in quibus communiter sunt eiusmodi pericula peccandi:) ergo multò magis cum eiusmodi meo periculo licitè procuro proximi salutem, quæ cuiuis lucro temporali præponenda est. Cùm igitur id licitè facere possim, tanta proximi necessitas & debita ei caritas à me exigit vt hoc faciam.

Prudenter subis periculum remotũ peccandi vt proximi aut tuæ necessitati succurras.

Quando verò proximi necessitas leuis est, etsi licitè cum tali periculo ei succurram, caritas tamen magis me inclinat vt meæ securitati prospiciam; quia inclinat vt, quantum fieri potest, omne periculum mortaliter peccandi vitem, etiam in casu, vbi aliàs magnus speratur fructus: nisi fortè periculum sit etiam valdè leue, & longè probabilius sit me id omnino euasurum; quæ prudenti iudicio expendenda sunt. Vbi tamen non est notabile periculum peccati, peruersio ordinis non est peccatum mortale.

73 An ob periculũ peccati venialis deferenda sit cura proximi.

Secundò, contra caritatem est extra grauem proximi necessitatem, aut quando ei aliter potest succurri, exponere se euidenti periculo peccandi sæpiùs & grauiter venialiter; si tamen hoc periculum sit remotum, vel peccata quæ timentur sunt leuia, & quibus vix tardabitur propria perfectio, videretur ingens proximorum profectus præponendus, qui aliàs impediretur. Ratio est, quia, cùm sine huiusmodi leuibus peccatis hîc viuere non possimus, non tenemur eorũ periculum tanti facere, vt eius vitandi causa, magnũ aliquod bonum omittamus. Aliàs qui cõmuniter non orant sine distractionibus in quibus venialiter peccant, nunquam deberẽt orare, præsertim quando ad hoc non obligantur, quia diu orando exponunt se periculo peccandi venialiter per culpabilem distractionem: illud autem apertè absurdũ est. Non est tamẽ mortale hîc ordinem peruertere, vt per se patet: quando nihil omittitur aliàs obligatorium.

74 Imprudẽter tuum profectum deseris, vt alienum promoueas.

Tertiò, est contra caritatem etiam extra periculum frequentiùs peccandi, suscipere officiũ quo ferè tantum impedienda est perfectio propria, quantum proximi promouenda. sequitur ex concl. 6. & Auctoribus ibi citatis. Quamuis per se loquendo hic ordo sine peccato tunc inuerti possit: quia non tenemur sub peccato positiuè velle maiorem nostram perfectionem, & consequenter non tenemur postponere maiorem proximi perfectionem nostræ. Tamen ea inuersio nõ potest esse actus virtutis, quia deest ordo ad hanc requisitus. Et hac ratione dixi esse contra ordinem caritatis. Quare talis actus erit naturalis proximi amor aut similis. Quòd si magno valdè excessu proximi perfectio crederetur magis promouenda quàm mea retardanda, non est improbabile caritatem tunc posse inclinare ad hoc opus suscipiendum, quatenus ex eo tanta promotio salutis proximi, & consequenter maior Dei gloria sequetur, quam videmur honestè posse procurare cum aliquo periculo incommodi nostri spiritualis, siue minoris perfectionis acquirendæ. colligitur apertè ex Valentia 2.2. disp. 3. q. 4. puncto 3. Et hac ratione aliqua ex parte vera est sententia Lorcæ citati num. 43. docentis nos posse in bonis spiritualibus proximum obiectiuè magis diligere quàm nos ipsos. quamuis generaliter intellecta eius sententia, & prout ipse eam intelligit, vera non sit, vt ostendi concl. 6.

Valentia.

Dices Primò, Ergo caritas aliquando inclinat in minorem perfectionem propriam. Respondeo nego conseq. quia non inclinat in opus, ex quo per se sequitur minor perfectio propria, nec vt opus eo modo fiat vt hæc sequatur; sed solùm vt fiat quatenus est promotiuum honoris

75

ris Dei in proximo, etsi ex operantis negligentia sequatur minor eius perfectio, vt dixi suprà concl.7.

76 Dices Secundò, Ergo caritas inclinabit etiam ad opus ex quo solùm paulò magis promouenda sit perfectio proximi, quàm mea retardanda; quia ex eo simpliciter sequitur maior Dei gloria. Respondeo, nego consequentiam, quia caritas non inclinat absolutè in maiorem Dei gloriam, sed cum aliquo respectu ad operantem, quem decet priùs magisque procurare gloriam Dei in se quàm in alio. vt patet ex tertia ratione conclusionis 6. atque ita nisi aliunde magna sit indisparitas, semper nos incitat vt nostram perfectionem magis promoueamus quàm alienã.

77 Conclvsio IX. Caritas inclinat ad præferendam salutem & perfectionem proximi omnibus donis animi naturalibus & gratijs gratis datis. Est communis, & per se patet: quia salus & perfectio proximi per se Deo placent, & hominem meliorem efficiunt: alia verò illa solùm per accidens, quatenus ad nostram aut aliorũ perfectionem promouendam iuuant. vnde patet in cogitationibus suis euanescere eos, qui magis quærunt bene scire quàm bene viuere, aut proximorum salutem promouere.

DVBIVM VI.

Vtrùm in bonis temporalibus, siue fortunæ, siue corporis, teneamur nos ipsos magis diligere quàm proximum?

78 NOn quærimus hîc, vtrùm is qui habet aliquos v.c. liberos aut parentes, quos ex pietate aliaúe virtute tenetur decenter iuxta eorum statum sustentare, possit bona ad hoc necessaria alijs dare. de hoc enim disputabimus infrà dubio 8. sed agimus solùm de eo, qui ab huiusmodi obligationibus liber est.

Hac autem in re constat Primò, quemque in graui necessitate teneri in eiusmodi bonis plus amare rempublicam cuius est pars, quàm seipsum, atque adeò etiam vitam suam pro eius conseruatione profundere, vt ex communi sententia docet D.Thom. 2.2. quæst. 26. a. 3. in corpore. *D.Thomas.*

79 Constat Secundò, nos in eiusmodi bonis in pari necessitate licitè plus amare nosipsos, quã quemuis alium priuatum. Nam D.Thom. suprà a.4. ex eo, quòd quisque sibi propior est quàm alteri, bene probat caritatem vnumquemque inclinare vt magis amet se quàm proximum; quod etiam in bonis corporalibus habet locũ. *In bonis tẽporalibus licitè amas te præ aliis. D.Thomas.*

Constat Tertiò, nos in ijs bonis externis, quæ non sunt necessaria ad conseruationem vitæ, posse plus diligere proximum quàm nos ipsos, hæc ei in pari necessitate largiendo; etiam ea quæ ad sustentationem nostri status nobis sunt necessaria. Quia nullo iure tenemur aut illa bona, aut ipsum statum nobis integrum cõseruare: imò ob multos fines possumus nos his omnibus honestè spoliare. *Licitè largimur aliis nobis necessaria ad vitæ statum.*

Dubium autem est, an per se loquendo, & secluso aliorum damno possim vitam meam pro vita amici priuati exponere euidenti mortis periculo; v. c. in extrema necessitate dando ei panem ad vitæ sustentationem mihi omninò necessarium, aut in naufragio cedendo ei tabula, qua possem enatare, &c. *Vtrum licitè me pro altero exponam periculo vitæ.*

80 Quidam id negant. Primò, quia caritatis ordo postulat vt nos amemus præ proximo: atqui qui illud faceret amaret proximum præ se: ergo faceret contra ordinem caritatis. Secundò, quia cùm non simus vitæ nostræ domini, non possumus eam sine necessitate perdere, sed tenemur eam conseruare quamdiu licitè possumus: atqui talis potest eam licitè conseruare: ergo ad hoc tenetur. Tertiò, quia non possumus vitam spiritualem pro alterius salute spirituali exponere euidenti periculo: ergo nec corporalem pro corporali. Quartò, quia D. August. lib. de Mendacio c.6. ait: *Si pro illius temporali vita suam ipsam temporalem perdit; non est iam diligere sicut seipsum, sed plusquam seipsum. quod sana regulæ doctrinam excedit.* Ita Palud. in 4. dist.15. quæst.3.art.2.concluſ.3. Gabriel ibidem dist.16. quæst.4.ar.2.concl.1.& quidam alij. Pro eadem sententia citatur Durand in 4.d.17.quæst.6. in respons. ad 2. Sed ibi apertè contrarium dicit; nam docet nos honestè exponere vitam periculo, sicut pro republ. ita etiam pro amico: & quamuis inde sequatur mors, hanc tamen non eligi pro republica aut amico, sed solùm functionem boni ciuis aut amici, ex qua mors per accidens sequitur. *Auguſt. Palud. Gabriel. Durand.*

81 Conclvsio. Per se loquendo, siue nisi ex alia obligatione teneamur vitam nostram conseruare, licitè eam exponemus euidenti periculo pro vita alterius saluanda, iuxta modos suprà dictos. Ita expresè D.Thom. in 3.d.29. quæst. vnica a.5.ad 3. Durand. suprà citatus, S. Antoninus 4.part.tit.6. c.3.§ 8. Victoria relect. de homicidio nu.27. Tolet. lib.5 Summæ cap.6. Petrus Nauarra lib.2.de Restit.c.3.nu.27. Lessius de Iustit. cap.6.dub.6.num.30. Azor tom.2.l.12. cap.4.q.2. *D.Thom. Durand. S. Antonin. Victoria. Toletus. Nauarra. Leſſius. Azor.*

Probatur Primò, quia sancti Patres laudant Damonem & Pithiam, quorum vnus se tyranno vadem pro vita alterius obtulit: vt patet ex D. Hieron. in cap.7. Michææ, D. Ambros. l.3. Offic. c.12. D. Auguſt. l.4. Confeſſ. cap.6. Lactantio l.5. de Institut. cap.18.& alijs. Idem docet Aristoteles lib.9. Ethic. cap.8. vbi ait: *Verum est quod de studioso dicitur, complura inquam ipsum agere amicorum & patriæ gratia, & si opus fuerit mortem obire.* *Hieron. Ambroſ. Auguſt. Lactantius. Ariſtot.*

Quidam vt hoc argumentum eludant, respondent tales ab ijs viris laudari, non quia vitam suam exponunt pro vita amici consequenda; sed quia in eo actu expetunt honestatem, & hanc suæ vitæ præponunt. Sed hoc parum consequenter, quia ille actus nequit esse honestus, nisi quia est honestum exponere vitam suam pro vita amici: ergo hoc debet necessariò esse honestum, vt in eo actu possit honestas expeti. Adde, Aristotelem ibi apertè eodem modo loqui de exponente vitam pro patria, & exponente eam pro amico: atqui illud est simpliciter honestum: ergo & hoc.

Probatur conclusio Secundò, quia potest quis exponere vitam suam certis periculis pro con-

conseruatione sui statusac honoris: ergo magis pro vita amici & amicitiæ honestate.

82 Tertiò, quia famuli pro tuenda vita sui domini licitè exponunt se certissimis vitæ periculis, & accepto stipendio licitè ad hoc se obligant: quare igitur non liceat id facere pro honestate amicitiæ, quæ melior est eiusmodi lucro? & si quis pro stipendio & amore lucri possit se ad illud obligare, quare non etiam amore honestatis possit se amico gratis ad hoc obstringere?

Quartò, quia, etsi furiosum te inuadentē licitè occidas, vt vitam tuam tuearis, tamen laudabiliter permittis te potiùs occidi: quo casu tamē perdis vitam tuam vt conserues vitam alterius.

83 Ad primum argumentum contrarium D. Thomas suprà negat min. quia talis in eo actu non amat proximum præ se, sed bonum virtutis præ vita. Adde, caritatem in solis bonis spiritualibus nos obligare vt nos diligamus præ proximo, in alijs verò id solùm permittere. quare neganda est maior si loquamur de postulatione inducente obligationem respectu bonorum corporalium.

Caritas in solis bonis spiritualibus nos obligat vt amemus nos præ aliis.

Ob multas causas licitè desinimus conseruare vitam.

Ad secundum, nego maiorem semper esse veram: quia multæ possunt occurrere causæ, ob quas honestè desinimus conseruare vitam, etiā eo casu, quo eam licitè possumus conseruare: vt patet ex dictis, & cum alijs bene docet Lessius l. 4. de Virtut. card. c. 3. n. 12. & patet vel ex instituto Carthusianorū, qui licitè se obligant ad non edendas carnes, etsi ratione morbi id esset necessarium ad vitæ conseruationem.

Lessius.

84 Ad tertium, nego consequentiam: quia longè magis tenemur vitare mortem nostrā spiritualem, quia grauissimum malum est, quod nullum ob finem potest honestè appeti; quàm mortem corporalem, quæ sæpè habet rationem boni, & ob finem honestum potest appeti, v. c. vt liberemur à periculis peccandi, vt citiùs fruamur Deo: quamuis enim non possimus nobis ob has causas inferre mortem, licitè tamen ob eas optamus mori.

Ob multas causas licitè optamus mortem, illicitè tamen eam nobis inferimus.

Ad quartum, Respondeo S. Augustinum nō dicere hoc esse contra eam regulam, sed eam excedere; quia nimirum talis plus diligit proximum, quàm illa regula præcipiat. Nec refert quòd contraria explicatio, scilicet, quòd Augustinus ibi velit innuere hoc esse illicitum, videatur magis consona adiunctis; quia hoc non ita hîc curandum est; nam ipse Augustin. lib. 1. Retract. c. vltimo fatetur in hoc libro multa obscurè & confusè à se dicta esse magis inquirendo quàm asserendo.

Augustin.

Hinc patet nos licitè exponere vitam nostrā euidenti periculo pro conseruatione vitæ alicuius personæ etiam priuatæ, quæ concionando aut alia ratione multùm prodest saluti animarum; atque adeò hoc esse valdè laudabile, & ex caritate theologica, quatenus cedit in honorem Dei, appetibile.

Nota tamen, eum qui habet vxorem & liberos, quibus alendis aut moribus Christianis instruendis vita ipsius valdè necessaria est, contra caritatem his debitam facturum, si vitam suam pro priuato amico tali periculo exponeret.

Quod etiam insinuat D. Thom. 2.2.q.32.art.6. dum dicit neminem debere dare eleëmosynam ex pane suæ & filiorum vitæ sustentandæ necessario. Vbi nullo modo (vt aliqui putant) contradicit ijs, quæ docuit in 3. citatus suprà nu. 81. vbi dicit amicum honestè pro amico vitam periculo exponere. Sed vtrumque commodissimè potest conciliari, si vnum intelligas de homine omnino libero, siue cuius vita non est alteri obligata; & alterum de eo qui vxori & liberis alendis obligatur. Sic etiam persona publica, cuius vita est valdè necessaria reipublicæ, malè faceret exponendo eam certo periculo pro priuato.

D. Thomas.

DVBIVM VII.

Qua ratione, siue quibus casibus salus proximi est præferenda saluti corporis nostri, ita vt hanc pro illa teneamur profundere?

85 Diuus Thom. 2.2.q.26.ar.5. absolutè docet, animam proximi magis esse diligendam, quàm corpus nostrum, quia caritas fundatur super participatione bonitatis Dei, & beatitudinis æternæ; quam magis participat anima, quā corpus. Ex quo sequitur, nos teneri aliquando vitam spiritualem proximi præponere vitæ nostri corporali, hanc pro illa profundendo. In quo omnes consentiunt: nam clarè ex Scripturis constat. Nam Christus Iohan. 15. ait: *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* & ostendens in quo hæc dilectio consistat subdit: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat pro amicis suis.* Vbi apertè insinuat, nos debere pro proximi salute animam ponere, sicut ipse suam pro nostra salute posuit. Vnde S. Iohannes epistolæ 1. c. 3. ad hunc locum alludens ait: *In hoc cognouimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam posuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Ratio huius est, quia caritas postulat vt subeamus paruum damnum ad auertendum ingens damnum proximi, præsertim si hic illud nulla ratione potest auertere: & ita teneor facere iacturam alicuius pecuniæ vt seruem vitam proximi: mors autem corporis comparata cum morte animi, præsertim æterna, est valdè exiguum malum: & consequenter præ illo est negligendum.

D. Thomas.

Certum est nos aliquādo teneri vitam corporalem perdere pro spirituali proximi saluanda.

Iohan. 15.

1. Iohan. 3.

Posito igitur quòd aliquādo teneamur ponere animam pro fratribus, quæstio est quando ad id teneamur. Potest autem hoc disputari vel respectu priuatorum, vel respectu Superiorū quibus singulariter animarum cura incumbit.

Conclvsio I. In extrema proximi necessitate spirituali quiuis tenetur ei succurrere etiam cum certo periculo vitæ; si sit probabilis omnino spes eum iuuandi. Sequitur apertè ex iam dictis: nam si aliquando teneamur vitam corporis exponere certo periculo pro salute proximi, ad id maximè tenemur in dicto casu. Vnde etiā communiter Doctores in hac conclus. consentiunt, vt patet ex Bañez, Caiet. & Malder. 2.2.q. 26.a.5. Turrian. disp. 87. dub. 2. concl. 3. Valentia disp. 3. q. 4. puncto 4. assert. 5. Lorca sect. 3. dubio 28. memb. 2. Toleto l. 4. Summæ c. 10. Azor

86

Bañez. Caietan. Malder. Turrian. Valentia. Lorca. Toletus. Azor.

Nauar. tom.2.l.12.cap.4.Nauarr.c.24.nu.9. & alijs.

Dixi. *si sit probabilis spes eum iuuandi.* Quia si hæc spes sit exigua aut valdè dubia: omnes fatentur nos non teneri vitam pro altero tanto periculo exponere.

87 Quis dicatur esse in extrema necessitate.

Nota Doctores communiter docere, eum esse in extrema necessitate spirituali constitutum, qui constitutus in periculo æternæ damnationis non potest se ex eo vllo modo eripere, ita vt sine mea opera salus ei aut omnino aut saltem secundùm moralem æstimationem possit dici impossibilis.

In tali autem necessitate, vt omnes fatentur, constitutus est Primò, existens in mortali peccato, qui dormiens aut phreneſi laborans subitò ab inimicis aut etiam à seipso est occidendus, nisi ego id impediam; quare si possum etiam cum periculo vitæ teneor id impedire, modò sit valdè probabilis spes, quòd ea ratione poterit euadere damnationem, v.c. ad se postea redeundo & confitendo, &c.

88 *Nauarr. Siluester. Lorca.*

Secundò, infans non baptizatus iam iam moriturus. Nauar. tamen c.24.n.9. Siluest. verb. *Bellum*, 2.q.4. Lorca 2.2. sect.3. disp.28.n.32. & quidam alij docent, nos non teneri talem cum periculo vitæ baptizare, nisi sit filius hominis Christiani. Quia filium hominis Ethnici non possumus baptizare inuitis parentibus. Sed hæc ratio nec est generatim vera (nam, vt ostendi tomo 1. de Sacram. q.68.a.10.n.76. multis casibus filius hominis infidelis inuito parente licitè baptizatur præsertim in articulo mortis) nec etiã generatim ex ea infertur intentum: nam fieri potest, vt pater infidelis infantis consentiat in baptismum filij, & hic quia est in loco infecto peste nequeat sine periculo vitæ baptizari. Quare illorum assertum solùm est verum, quando talis infans nequit baptizari nisi vis iniustè inferatur parentibus, aut cum alia graui ac iniusta eorum perturbatione: quo casu ille infans licitè baptizari nequit.

Licitè quandoque baptizatur infans parentibus infidelibus inuitis.

89 *Lorca. Bañez.*

Tertiò, multi asserunt in extrema necessitate esse constitutum peccatorẽ qui proximus morti timens se non esse contritum instanter petit confessarium; atque ita deficiente Parocho quemuis sacerdotem etiam cum periculo vitæ teneri ipsius confessionem audire. Quia etsi talis per contritionem saluari possit, hæc tamen ei est difficilis, & ipse meritò timet ne non sit contritus. Ita Lorca suprà & Bañez 2.2. quæst. 26.a.5.

An moriturus existens in mortali, qui creditur non esse cõtritus, sit in extrema necessitate.

Sed hoc alijs videtur difficile: nam hinc sequeretur, tempore pestis aut inuasionis hostilis quemuis sacerdotem in defectu aliorum teneri se pro quouis existente in periculo mortis (præsertim si sit ei probabile eum fortè esse in peccato mortali) exponere periculo vitæ: & multò magis pro eo, qui non petit instanter confessarium, quàm pro eo qui petit: quia de illo magis timendum est, ne in malo statu moriatur, quàm de hoc. Communiter tamen Doctores docent, tali tempore solos eos quibus incumbit cura animarum, teneri infectorum confessiones cum periculo vitæ audire. vnde Lorca suprà num.38. vult tunc alios in defectu Parochorum non teneri cum maximo, sed solùm cum graui detrimento corporali audire confessiones pestè morientium: in quo non loquitur consequenter.

Hinc meritò Nauarr.c.24.nu.9. hunc casum limitat ad existentem in peccato mortali, qui omnino ignorat sibi necessariam esse contritionem extra susceptionem Sacramenti, aut omnino ignorat quid sit contritio, & quomodo eam possit in se excitare: atque ita non curat se ad eam habendam excitare. Et omnino probabile est sacerdotem qui certò illius statum sciret, & omnino speraret se posse eum iuuare, etiam cum periculo vitæ ad hoc teneri. nam, etsi talis faciendo omne quod in se est, posset maiorem à Deo illuminationem accipere, & ita conteri; tamen in homine rudi & mortis angustijs presso hoc est difficillimum, ideoque secundùm communem Doctorum sententiam talis potest dici in extrema necessitate constitutus. 90 *Nauarr.*

Quartò, Bañez suprà docet esse in extrema necessitate hominem simplicem, qui ab hæretico seducitur. Sed hoc generatim sumptum non est probabile. Quia vel talis laborat ignorantia vincibili, & sic non est in extrema necessitate, quia potest se iuuare: vel laborat ignorantia inuincibili, & tunc in eo errore non peccat. His adde, talem postea sæpè habiturum occasiones cognoscendi veritatem, si ad hoc prout potest & debet voluerit laborare. quare nullo modo potest dici constitutus in extrema necessitate. Melius Nauar.c.24.nu.10. ait in tali necessitate constitutum, qui inuincibiliter ignorat res fidei aliaúe necessitate medijei ad salutem necessaria, & est in articulo mortis constitutus. Et iuxta dicta nu.90. is qui potest talem iuuare, videtur etiam cum periculo vitæ ad hoc teneri. 91 Seducitur ab hæretico non est in extrema necessitate. *Nauarr.*

Opinioni Bañez fauet Lorca suprà num.33. vbi docet, quando hæreticus seducit plebem, deficientibus alijs quemcumque ad hoc aptum teneri ei resistere, etiam cum periculo vitæ. Quod quidem omnino credo verum esse, quãdo esset euidens periculum ne multi seducerentur, & probabilis spes illud impediendi si quis ad hoc aptus se ei opponeret: nam hic ad hoc obligabitur: non tamen ex eo præcisè, quòd seducti sint tunc in extrema necessitate, vt Lorca insinuat (hoc enim, vt iam ostendi, non est probabile) sed quia tunc ipsa communitas, atque adeò fides Catholica in ijs locis absolutè periclitatur: pro quorum defensione etiam priuati tenentur vitæ discrimen subire: hoc enim à quouis fideli & membro Ecclesiæ exigunt tam caritas debita communitati (cuius bonum longè magis tenemur procurare, quàm priuatum) quàm honor fidei, cuius confessionem in tali casu tenemur non erubescere. vt in simili ostendi disp.15.n.92. & 107. 92 *Lorca.* Quando est periculo vitæ tenemur nos opponere hæretico plebem peruertenti.

Quintum casum aliqui ponunt, quando aliquis & præsertim plures in aliqua communitate ex ignorantia vincibili putarent aliquem cõtractum esse iustum, qui tamen est vsurarius, & crederentur in ea ignorantia perseueraturi. 93

Sextò, quando pater ob paupertatem filiam inuitam est prostituturus, & hæc creditur nisi impediatur vsque ad mortem in eo peccato perseueratura.

Septi-

Septimò, quando aliqua adultera, nisi impediatur, videtur continuò in adulterio perseueratura. putant enim illitunc quemuis qui id probabiliter facere potest, cum periculo vitæ teneri ea impedire.

94 Sed hæc parum sunt probabilia, ideoque meritò ab alijs hi casus aut omittuntur (vt à Nauarro, Bañez, Maldero citatis nu.86.) aut expressè negantur, vt à Lorca suprà. De quinto casu patet, quia vel illa ignorantia est ijs moraliter vincibilis, & tunc nullo modo possunt dici esse in graui necessitate, cùm absolutè voluntariè eam ignorantiam patiantur; vel est omnino inuincibilis, & tunc eum contractum sine vlla culpa exercent. Adde, quòd tales in articulo mortis, aut etiam dum aliàs confitentur, vel inuincibiliter non recordantur illius peccati quod ex vincibili ignorantia commiserunt, & ita possunt verè atteri & per Sacramentũ iustificari sine illius peccati confessione, aut maiore notitia: vel illius aliquo modo recordantur, & dubitant an licitè eiusmodi contractum exerceant; & tunc facilè possunt confessarium consulere & ipsius consilium sequi. Vnde constat tales ne quidem esse in graui necessitate.

95 In sexto & septimo casu etiam clarissimum est tales non esse in extrema necessitate. Nam illa adultera omnino sponte peccat, atque ita ne quidem est in graui necessitate. Illa autem filia etsi initio secundùm quid inuita peccet, tamen absolutè voluntariè id facit, & volendo sustinere patris iram, aut vt summum periculum vitæ, potest ab omni periculo peccandi liberari: nemo autem præcisè ex caritate tenetur vitam suam exponere periculo vt personam priuatam à periculo vitæ liberet. His adde, illam paulò pòst aut morte parentis omni eiusmodi necessitate liberandam, aut facilè reperturam occasionem se aliqua via illis molestijs liberandi, si ad hoc velit seriò conari, aut etiam contracto grauiore morbo ab eiusmodi peccatis necessariò cessaturam.

Confirmatur, quia aliàs sequeretur, me non posse vt vitam defendam, occidere inuasorem qui ab alio metu adigitur vt me occidat; quia hic est in longè maiore necessitate, quàm illa filia: & tamen certum est licere talem inuasorem cum moderatione inculpatæ tutelæ occidere.

96 CONCLVSIO II. Extra extremam necessitatem caritas quidem suadet, vt homini particulari in periculo salutis constituto etiam cum euidenti periculo vitæ nostræ succurramus, quando est spes eum iuuandi, tamen personas priuatas ad hoc non obligat. Ita Bañez, Malderus, & Lorca suprà, & videtur communior sententia.

Bañez. Malderus. Lorca.

Prior pars probatur, quia est actus heroicæ virtutis, proximi salutem & honorem Dei, qui per alterius peccatum, & fortè etiam damnationem, grauiter esset lædendus, propriæ vitæ præponere. Cùm enim illa sint bona longè excellentiora, quæque Deo magis placent, quàm vita nostri corporis, non potest non esse laudabile & Deo gratum pro illorum defensione vitam corporalem periculo exponere. Excipiendus tamè casus, quo alicuius vita esset communitati valdè necessaria, ita vt multorum salus ab ea penderet; tunc enim talis etiam in extrema necessitate pro priuati salute eam imprudenter certo periculo exponeret; quia sic vt vnum seruaret multos periculo exponeret.

Secunda pars prob. Primò, quia cùm constitutus in graui necessitate salutis possit adhibendo diligentiam se ex ea eripere; non potest me obligare vt cum tanto meo incommodo eum eripiam. 97

Secundò, quia constitutus in periculo vitæ corporalis, ex quo etsi difficulter, tamen absolutè potest se eripere, non potest me obligare, vt ei ex caritate succurram cum diminutione mei status, siue ex bonis ad huius conseruationem aliquo modo necessarijs: ergo nec constitutus in periculo damnationis, ex quo etiam moraliter loquendo, etsi difficulter, potest se eripere, nequit me obligare vt ei cum periculo vitæ succurram: videtur enim par vtriusque ratio.

Tertiò, quia cùm hæ necessitates sint satis frequentes, nimis esset graue, & contra suaue caritatis iugum, quemuis obligare vt eas cum tanto suo periculo tollat; præsertim cùm non vulgaris, sed omnino heroicæ caritatis ac fortitudinis sit vitam suam pro alterius salute sponte morti exponere.

Quartò, quia aliàs priuati in similibus periculis tantum obligarentur aliorum saluti prospicere, quantum Pastores: atqui hoc est falsum & contra apertam sententiam D. Augustini epistola 180. vbi ostendit, tempore persecutionis aut pestis longè aliter obligari Pastores ne suas oues deserant, quàm alios ne suos ciues deserant: ergo dicendum est priuatum non teneri talibus succurrere cum periculo vitæ.

In conclusione dixi Primò, nos eo casu non teneri succurrere hominis particularis necessitati; quia quando ipsa communitas laboraret simili necessitate, vt si ab hæreticis magna ex parte peruerteretur, tenerer ei etiam cum periculo vitæ succurrere, quando esset probabilis spes eam iuuandi. vt dixi n.92. Et confirmatur, quia quinis ciuis tenetur suæ reipublicæ in graui necessitate temporali constitutæ etiam cum periculo vitæ succurrere: ergo multò magis in necessitate spirituali ad hoc tenetur. 98

Communitati graui periculo spirituali laboranti teneor cum periculo vitæ succurrere.

Dixi Secundò, me ad illud non teneri cum euidenti periculo vitæ. Quia si periculum illud esset leue & parum probabile, tenerer eo contempto proximo in graui necessitate spirituali constituto succurrere; quando esset ferè certa spes eum iuuandi; quia illud vitæ periculum non est tanti faciendum, vt propterea possim æternam proximi salutem in eo casu negligere. Ita Azor tom.2.Moral.l.12.c.4.qu.2.& Toletus l.4.Summæ c.10.& Valentia tom.3.disp.3.q.4. puncto 3.assert.5. quamuis ipsi aliquanto generaliùs loquantur; tamen hanc sententiam apertè docent, & fortè secundùm eam explicari possent. Quando autem proximi necessitas & vitæ periculum talia sint, vt hoc præ illa sit necessariò contemnendum, prudenti iudicio spe- 99

Azor. Toletus. Valentia.

ctandum est: nam generalis regula dari nequit; cùm secundùm varias circumstantias hæc in omnibus casibus possint variari.

100 Teneor grauiter laborranti succurrere cum iactura bonorum.

Ex quibus sequitur Primò, me teneri succurrere, quando possum, tali necessitate laboranti cum aliqua iactura bonorum; non minùs, imò multò magis, quàm teneor succurrere laboranti extremæ necessitate corporali: quia illius periculum sine comparatione est grauius.

Sequitur Secundò, me cuiuis proximi necessitati spirituali, præsertim quando agitur de vitanda morte ipsius spirituali, siue de vitando peccato mortali, quantumuis ei voluntario, teneri succurrere, quando id possum sine meo incommodo facere, vt per se patet, & fusiùs ostendam in materia de correptione fraterna disput. 28.dub.6.

101 Ad quid obligentur Superiores in spirituali suorum periculo. *Valentia. Malder. Lorca. Iohan.10. August.*

Conclvsio III. Superiores, quibus cura animarum commissa est, ratione sui officij tenetur etiam cum periculo vitæ grauibus suorum subditorum necessitatibus succurrere. Ita Valentia, Malder. Lorca citati n.86.

Colligitur hæc conclusio clarè ex Iohan.10. vbi singulariter de pastoribus dicitur, quòd teneantur animam suam ponere pro suis ouibus; & dicuntur mercenarij, qui lupo veniente fugiunt. Vnde etiam S. Augustinus epist.108. ad Honoratum valdè fusè probat, eos singulariter obligari ne suas oues tempore persecutionis aut in similibus periculis deserant. Ex quibus sic argumentor, Priuati tenentur cum certo periculo vitæ succurrere proximo in extrema necessitate spirituali constituto: atqui Pastor secundùm iam dicta longè magis & in pluribus casibus obligatur succurrere subdito, quàm priuatus proximo: ergo ille tenetur ei succurrere etiam in graui necessitate cum certo periculo suæ vitæ.

Probatur Secundò, quia Pastores ideò præcipuè accipiunt à subditis stipendium siue suam sustentationem ac præbendam, vt ijs in similibus necessitatibus succurrant, & consequenter quasi ex contractu se ad hoc obligant: ergo ad hoc tenentur etiam cum certo vitæ periculo; sicut famulus ad id conductus etiam cum certo periculo suæ vitæ tenetur dominum suum periclitantem defendere.

102 Quando aliqui dicendi sint constituti in graui necessitate spirituali.

Nota Primò, Pastorem instante tali necessitate non posse inuitis subditis renunciare suo officio, sicut nec miles instante pugna potest renunciare militiæ; nam aliàs licitè vterque fugeret, veniente lupo aut inimico, renunciando suo officio.

Nota Secundò, talem necessitatem esse Primò, quando hæretici peruertunt plebem, præsertim quando multis, & consequenter ipsi communitati, periculum imminet; quo casu etiam priuati tenentur cum periculo vitæ ei malo occurrere, quando possunt.

Secundò, quando in persecutione aut hostili incursione fugiente Pastore tota plebs esset destituenda sacerdotibus, à quibus Sacramenta possent percipere, & in fide confirmari. vide dicta disp.15.n.103.& 104.

Tertiò, quando tempore pestis est periculum ne aliqui sine confessione moriantur; quos Pastor alijs deficientibus tenetur etiam cum periculo vitæ audire: ne aliàs periculo damnationis exponantur, si fortè non sunt contriti; vt in rudibus præsertim facilè posset accidere.

Nota Tertiò, quando Pastor potest suis ouibus per alios sufficienter prouidere (quod tempore pestis omnino quantum potest fieri conuenit, ne Pastor sanos propter ægrotos teneatur deserere) eum non teneri se exponere periculo, vt ex S. Augustino notaui loco mox citato: & ratio est, quia tunc cessat necessitas.

DVBIVM VIII.

Qua ratione vnus proximus sit magis diligendus, quàm alter?

QVidam apud Magistrum in 3.d.29. §. *Vnde etiam.* docent, nos quoad affectum debere omnes proximos æqualiter diligere; sed in operis exhibitione esse differentiam; ita scilicet vt aliquibus ex caritate plus teneamur bene facere, quàm alijs. Mouentur præcipuè auctoritate D. Augustini, qui l.1. de Doctrina Christiana c. 28. ait: *Omnes autem homines æquè diligendi sunt; sed cùm omnibus prodesse non possis, his potissimùm consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictiùs tibi, quasi quadam sorte iunguntur.* Item in expositione c.6. ad Galatas explicans illud: *Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei*, ait: *Omnibus enim pari dilectione vita optanda est: etsi non omnibus eadem possint exhiberi dilectionis officia.* Quam sententiam Magister non omnino reijcit, licet §. *Verùm quia.* contrariam præferat. 103 Magister. August.

Sed plurimi Doctores secuti D. Thom.2.2. qu.26.a.6. hanc sententiam putant esse improbabilem. Primò, quia caritas non minùs est ordinata, quàm natura: atqui in naturalibus interior inclinatio respondet exteriori effectui; nam sicut terra de facto descendit infra aquam, ita intrinsecam habet ad hoc inclinationem: ergo sicut caritas inclinat vt secundùm exteriorem affectum vnum præ alio diligamus; ita etiam inclinat vt similiter secundùm internum affectum vnum præ alio diligamus. 104 D. Thom.

Secundò, quia externa caritatis ostensio non debet esse ficta, sed debet procedere ab interiore vero affectu: ergo sicut caritas inclinat, vt vni præ altero aliquod bonum conferamus: ita inclinat vt illud ipsi præ altero optemus; & consequenter vt eum interiùs magis amemus: nam sicut aliquem interiùs amare, nihil est aliud, quàm ei velle bonum, qua ei bonum est; ita ipsi magis velle bonum quàm alteri, est eum interiùs magis amare quàm alterum. Et sanè si prior sententia ita generatim intelligatur, est sine dubio falsa, vt dicta argumenta probant, & præsertim secundum. Sed non credo eius Auctores eam vnquam ita generatim intellexisse.

Durandus verò in 3.d.29.q.1.a.1. distinguit duplicem affectum caritatis, scilicet complacentiæ, quo nobis placet bonum proximi iam ab eo adeptum: & desiderij, quo desideramus ei bonum nondum adeptum. docetque quòd sicut vnus Beatus in cælo de facto habet maiorem 105 Durand.

rem gloriam quàm alter,ita hoc nobis debeat placere:loquendo tamen de bono nondum acquisito,nos debere omnibus æqualem gratiam & gloriam optare. Primò,quia tantum cuique bonum desiderandum est,quanti est capax: sed omnes æquales gloriæ sunt capaces : ergo omnibus æqualis est desideranda. Secundò, quia desiderare alicui minorem beatitudinẽ quàm alteri , videtur prouenire ex aliqua inuidia aut æmulatione : præsertim cùm vnius beatitudo nequeat alteri obesse , eiusque beatitudinem minuere.

106 *Magister.* Eidem sententiæ valdè fauet Magister suprà. nam docet Augustinum citatum num.103.ideo dicere nos omnes æquè ac pari dilectione debere diligere;quia debemus omnibus optare vt paria bona mereantur, ijsque tantum bonum desiderare quantum nobis , etsi non pari affectu. Quia nimirum debemus dicta bona appretiatiuè magis velle vni quàm alteri ; ita scilicet vt posito casu,quo non possint omnes æqualiter idem bonum participare, id optemus nobis præ alijs, & vni proximo præ altero. Et quamuis alij D.Augustinum aliter explicent; hic tamen videtur omnino fuisse ipsius sensus. Nam cùm c.27. dixisset Deum super omnia diligendum,& proximũ magis quàm corpus nostrum: eò quòd ille possit nobiscum Deo frui,corpus verò nostrum non ita ; siue eò quòd nostrum corpus non sit capax eiusdem beatitudinis cum anima,subdit: *Omnes autem homines æquè diligendi sunt*,&c. vt suprà citaui. Vbi apertè insinuat, sicut ideo corpus nostrũ minùs diligimus quàm proximum, quia non est similiter capax beatitudinis;ita ideo nos debere æquè omnes homines diligere, quia omnes æqualiter sunt capaces beatitudinis. Item cùm subiungat nos ideo non debere omnibus æqualiter, sed vni magis quàm alteri consulere siue benefacere,eò quòd nobis sit impossibile omnibus æqualiter prodesse;apertè insinuat nos ex parte nostra debere optare omnibus æqualiter prodesse , si qua ratione id fieri posset ; & ideò præcisè posse id non omnibus æquè efficaciter velle, siue ideo posse velle vni præ altero consulere , quia non possumus omnibus æqualiter consulere.

107 *Lorca.* Hanc sententiã omnino reijcit Lorca 2.2.q. 26.in explic.a.6.n.8. Primò,quia qui cupit suũ amicum esse sanctiorem alio sibi ignoto , nihil facit inordinatum. Secundò, quia secundùm sententiam Durandi deberemus cuiuis optare tantam gratiam & gloriam, quantam habet anima Christi: atqui hoc est absurdum: ergo & illud vnde sequitur. Tertiò,quia non debemus singulis optare tantam gloriam , quantam per diuinam potentiam habere possent; sed solùm tantam quantam habere possunt secundùm diuinam dispositionem, & propriam cooperationem : qua ratione varij inter eos sunt gradus. Vnde infert Primò,nobis non licere alijs optare tantam gloriam quantam habent B.Virgo & Apostoli : quia secundùm legem Dei ordinariam alij ad eam peruenire non possunt.Secundò, nos licitè vni præ altero optare præstantiorem gloriam inter eos , de quibus non constat quis eorũ ad maiorẽ gloriam sit prædestinatus.

Nota Primò, nos varijs modis posse alicuius bonum amare. Primò,solùm complacendo nobis in bono quod habet. Secundò , desiderio inefficaci ei aliquod bonum optando. Tertiò, id efficaciter ei procurando , saltem quantum in nobis est. 108 Varijs modis alterius bonum amamus.

Item possunt hæc omnia fieri Primò , simpliciter & sine comparatione cum altero , v.c. optando Petro tantam gloriam , non curando an hæc sit æqualis alterius gloriæ nec ne.

Secundò, comparatiuè, v.c.expresè optando , vt Petrus habeat æqualem gloriam cum Paulo,aut etiam hoc maiorem. Quod rursum varijs modis fieri potest. Primò,optãdo vt Paulus habeat minorem gloriam,aut ne habeat maiorem,vt hac ratione Petrus habeat ei æqualem aut maiorem. Secundò, optando vt sine vllo damno Pauli Petrus sit ei æqualis , aut maior in gloria. Tertiò, optando vt Petrus habeat tantam gloriam quantam Paulus de facto habet, simul tamen huic optando maiorem quàm de facto habeat.

Nota Secundò , nos posse alicui præ altero velle aut bona necessaria ad salutem animæ vel corporis, vel etiam ad decentiam status sustinẽdam: aut talia quæ ad hæc simpliciter non sunt necessaria; vt sunt maior sanctitas, maiores diuitiæ, &c. Hoc autem dubio præcipuè agimus de bonis spectantibus ad salutem ac beatitudinem animæ, quia de his est præcipua quæstio; ex occasione tamen simul etiam de alijs agemus. 109

Nota Tertiò,hîc posse quæri.Primò,ad quid caritas obliget. Secundò, ad quid magis inclinet,siue quid secũdùm eam magis deceat. Tertiò,quid licitè fieri possit, etsi fortè contrarium magis deceat.

Conclvsio I. Caritas nec obligat,nec inclinat nos vt vnum proximum intensiùs amemus quàm alium; sed potiùs inclinat vt omnes quàm possimus intensissimè amemus propter Deum. Hæc iam est communior sententia , & apertè patet ex dictis dub.1.concl.3.vbi ex communiore sententia ostendi nos proximum honestè tam intensè amare quàm ipsum Deum,& hoc à Beatis fieri.vbi etiam n.2.ostendi,D.Thomam & quosdam alios dum aliquando videntur contrarium docere , accipere *intensiue* pro *appretiatiuè*. 110

Conclvsio II. Etsi,vt patet ex dictis disp. 24.nu.61.& 62. non teneamur vnquam proximum explicitè in se amare amore omnino inefficaci , & consequenter nec eiusmodi amore absolutè teneamur vnum præ altero amare: tamen posito quòd eiusmodi actus elicianus; sæpè vnus præ altero nobis est amandus tam amore complacentiæ,quàm desiderij.De priore amore id docent Durandus suprà, & S.Thom. suprà a.7.& 13.Et per se patet, quia posito quòd velim elicere actum cõplacentiæ circa gloriam quam Sancti de facto habent,debet mihi placere quòd sanctior habeat maiorem:quia non potest mihi displicere quòd habeat tantam gloriam,quantam de facto habet: & quamuis absolutè loquendo possim desiderare vt is , qui de facto habet minorem gloriam, sit sanctior , & ita 111 *D.Thom. Durand.*

ita habeat æqualem gloriam alteri ; tamen nequeo gaudere eum habere æqualem cum eo gloriam : quia non possum meritò gaudere de gloria alicuius Beati nisi quam de facto habet: cùm igitur sanctior habeat maiorem, si velim circa diuersorum gloriam gaudere, debet mihi placere maior gloria sanctioris. Idem apertè docent communiter Doctores de affectu desiderij appretiatiuè maioris respectu vnius quàm alterius, vt patebit ex dicendis.

112 CONCLVSIO III. In bonis ad salutem siue animæ siue corporis necessarijs tenemur aliquando vnum proximum præ altero appretiatiuè diligere, tam affectu interno quàm externo opere. Ita D. Thom. 2.2.q.26.a.6.& Caietan. Bañez, Lorca, Mald. ibidem, Turrian. disp.76. Valentia disp.3.q.4.puncto 4. & alij communiter. De opere externo, est expresè D. Augustini suprà, eamque omnes fatentur. Et per se clarum est quòd quando pater & alius ignotus sunt in periculo salutis animæ aut corporis , si non possim vtrique succurrere , me teneri potiùs succurrere patri quàm externo; præsertim mihi aliàs ignoto. De affectu interno prob. quia fieri nequit, vt tunc patri magis quàm alteri liberè succurram, nisi id velim facere, & consequenter nisi velim siue amem salutem patris præ salute alterius.

D. Thom. Caietan. Bañez. Lorca. Malder. Turrian. Valentia.

113 Ex quo vlteriùs patet, quòd si extra tale periculum velim mecum statuere vtri ex ijs duobus in dicto casu vellem succurrere, me teneri velle potiùs succurrere patri, & consequenter huius salutem præ salute alterius appretiatiuè amare. Nam cùm apertè malum sit in eo casu velle potiùs succurrere externo quàm patri, aut etiam velle vni non magis succurrere quàm alteri (quia hoc esset virtute velle vtrumque perire, cùm, vt supponitur, fieri nequeat vt alteruter saluus sit, nisi ei velim præ altero succurrere) ita etiam malum est alterutrum horum velle sub conditione, si talis casus occurreret; & consequenter si velim statuere, quid tali casu essem facturus, debeo statuere potiùs succurrere patri, quàm alteri. Ex quo etiam patet vltima pars concluſ.2.

114 CONCLVSIO IV. In bonis ad salutem corporis aut animæ non necessarijs, caritas quandoque præcipit, quandoque solùm suadet vnum præ altero diligere. Sequitur ex dictis.

Prior pars patet, quia quandoque aliqui ex officio obligantur alijs eiusmodi bona procurare, v.c. Superior in Religione tenetur procurare quantum potest non solùm ne subditi dãnentur, sed etiam vt in spiritu proficiant. Item tutor tenetur sui pupilli bona non solùm conseruare; sed etiam augere, quando commodè potest. Quare sicut illi tenentur his præ alijs eiusmodi bona procurare , ita iuxta dicta concluſ.3. tenentur hæc ijs magis quàm alijs ad ipsos non pertinentibus velle, & consequenter eos præ his in ordine ad dicta bona amare.

115 Secunda pars probatur , quia quandoque absolutè non tenemur eiusmodi bona nobis aut alijs procurare, ita vt peccemus ea non procurando (nec enim semper sub peccato teneor aut mihi aut alijs maiorem sanctitatem, aut maiores diuitias procurare) quo casu certum est quòd non teneor ea vni præ altero procurare; & consequenter nec teneor eum ex hac parte appretiatiuè magis quàm alterum amare. Sicut tamen tunc caritas inclinat, siue suadet, vt eiusmodi bona spiritualia & mihi, &, si possim, alijs procurem, ita etiam suadet vt ea mihi magis procurem quàm alijs. vt ostendi dub.4.concl. 6. & consequenter etiam inclinat vt ea mihi magis coniunctis, siue quibus magis sum obligatus, magis procurem quàm alijs , quando ea vtrisque non possum æqualiter procurare ; atq; ita etiam inclinat, vt in ordine ad ea bona illos præ his appretiatiuè amem. Contrarium tamen facere non est peccatum, sed minùs decens, vt ex dictis satis patet.

116 CONCLVSIO V. Numquam mihi licet optare alicui minorem gratiam aut gloriam quàm de facto habet; aut etiam optare ne acquirat maiorem gratiam quàm habet. hoc enim esset aperta inuidia fraternæ caritatis. Cuius tamen possum optare maiorem gratiam ac gloriam quàm de facto habet; & caritas ad hoc me inclinat. Videtur per se clara. Primò, quia caritas me semper inclinat vt velim Deum tam à me quàm ab alijs semper magis ac magis diligi; & sicut numquam possumus eum tantum amare, quin mereatur adhuc magis à nobis amari ; ita nunquam eum tantum amamus, quin quantũ in nobis est debeamus desiderare eum magis amare: atqui quo quis habet maiorem gratiam hîc, & gloriam in cælo, eo Deum magis amat: ergo sicut caritas nos inclinat ad prius nobis alijsque desiderandum , ita & ad hæc desideranda.

Secundò, quia caritas nos inclinat vt desideremus, & quantum est in nobis procuremus ea quæ spectant ad maiorem Dei gloriam , & vt hæc in nobis alijsque hominibus magis ac magis eluceat ac promoueatur: atqui quo quis est sanctior, eo in ipso magis eluceat ac promouetur Dei gloria : ergo caritas nos inclinat, vt cuiuis optemus maiorem sanctitatem siue gratiam habitualem; & consequenter maiorem in cælo gloriam.

117 Obijcies Primò, Deus prædestinauit singulis certum gradum gratiæ & gloriæ : ergo illicitè illis optarem maiorem , quia hoc esset optare euerti ordinem diuinæ prædestinationis.

Nõ debeam esse sollicitus ne plures, aut ne alijs ad maiorem gloriam pertineant, quia Deus prædestinauit.

Respondeo Primò, si hoc aliquid probaret, etiam probaret me debere esse sollicitum , ne fortè vel ego acquirerem maiorem sanctitatem, vel alios ad maiorem sanctitatem acquirendam excitarem, vel etiam plures à peccatis ad sanctitatem conuerterem, quàm Deus prædestinauit, ne fortè hoc modo ordo diuinæ prædestinationis euerteretur. quæ absurdissima sunt : cùm certissimum sit caritatem Dei nos inclinare, vt quantum possumus, optemus & laboremus, vt omnes homines à peccatis conuersi quàm optimè viuant, idque vsque ad finem vitæ, & vt tam nos ipsi quàm etiam omnes alij continuò in sanctitate magis ac magis proficiamus.

118 Nec his satisfacit , si dicas ideo nos debere laborare, vt quotquot possumus à peccatis ad Deum conuertamus, & sanctitatem in nobis a-

hijsque

lijsque promoueamus, tum quia nescimus quos Deus in particulari prædestinarit, & ad quantam gloriam vnumquemque prædestinarit; tum etiam quia ipse facilè prouidebit ne plures ad gloriam, aut ne aliqui ad maiorem gloriam perueniant, quàm ipse ijs prædestinarit, non dando ijs gratias congruas, quibus conuertantur, si non sint prædestinati; aut si conuertantur, non permittendo vt in statu gratiæ moriantur; aut si prædestinati sint, negando ijs eas gratias, quibus videt eos ad maiorem gloriam peruenturos quàm ijs sit prædestinata; aut eos ex hac vita subtrahendo antequam maiorem gloriam mereantur. Atque ita sicut non debemus esse solliciti ne Deus in sua prædestinatione fallatur, ita non debemus esse solliciti ne quis ad gloriam non prædestinatus, aut ad maiorem gloriam perueniat, quàm sit illa ad quam prædestinatus est.

119 Sed hoc, inquam, non satisfacit. Quia inde sequitur Primò, Deum ex se & sine respectu ad nostra opera, siue nulla ex parte nostra data causa, omnes eos qui de facto damnantur, ante omnia eorum præuisa demerita voluisse à cælo excludere, & cõsequenter eos in æternũ dãnari.

Secundò, Deum positiuè velle ac curare ne aliqui non prædestinati perueniant ad gloriam, aut ne prædestinati mereantur maiorem gloriam, quàm sit ea ad quam sunt prædestinati: sicut ipsius est positiuè procurare ne vllus prædestinatus moriatur in peccato mortali, aut ne non mereatur tantam gloriam ad quantam est prædestinatus: vtrumque enim secundùm eam sententiam est medium necessarium ne ordo diuinæ prædestinationis inuertatur: quicumque autem vult efficaciter aliquem finem, ad eum spectat procurare media ad eum acquirendum necessaria. Quæ videntur repugnare Arausic. 2. c. 25. vbi ait: *Aliquos verò ad malum diuina potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiam si sint qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione in illos anathema dicimus.* certè aliquos ante præuisa demerita destinari ad dãnationem, est eos prædestinari ad malum. *Arausic.*

120 Tertiò, sequeretur, nos non debere esse solicitos vt nostram aliorumque perfectionem promoueamus: quia sicut nullum est periculum ne ob nostram diligentiam plures saluentur, aut ne aliqui maiorem gloriã mereantur, quàm à Deo est prædestinatum; ita secundùm illam opinionem nullum potest esse periculum, ne ob nostram negligentiam aliqui prædestinati non perueniant ad gloriam, aut ne perueniant ad minorem, quàm à Deo prædestinatum est. Eodem enim modo impossibile est prædestinationem Dei in hac vel illa parte falli, aut nostra diligentia aut negligentia eius ordinem inuerti, aut vlla ex parte immutari. atque ita non oportebit nos magis esse sollicitos pro vna parte quàm pro alia. Possent hæc pluribus confirmari, & contrariæ responsiones refutari; sed non est huius loci hæc ex professo, aut fusiùs tractare.

121 Ad obiectionem igitur Respondeo Secundò, vel inde sequi longè esse verius Deum neminem ad certum gradum gloriæ elegisse ante præuisa ipsius merita: vnde etiam sicut ipse quantum est ex se, & nisi nostra peccata impedirent, cupit omnes omnino homines ad gloriam peruenire; ita cupit singulos maiorem gloriam mereri, quàm de facto mereantur, nec per eũ sed per nos stat, quo minùs hoc fiat. vnde etiam ex parte sua ad hoc dat omnibus sufficientem gratiam. qua de re vide plura apud Lessium in tractatu, quem de Prædestinatione scripsit, præsertim sect. 6. Deus ex parte sua cupit omnes homines saluos fieri, & vnũquemq; maiorem gloriã mereri. *Lessius.*

Obijcies: Etsi liceat mihi optare maiorem sanctitatem cuiuis viatori, quàm ipse de facto habet; secùs tamen esse de Beatis: quia cùm certum sit propter Dei ordinationem eos de facto nullo modo posse acquirere maiorem sanctitatem quàm habent; videtur stultum ac vanum hoc optare, sicut vanum est optare quoduis aliud impossibile, cùm hoc nequeat ad aliquid esse vtile. 122

Respondeo, etsi vanum sit velle laborare vt aliquid fiat, quod scimus esse impossibile, tamen nos sæpè honestè aliqua similia simplici aliquo desiderio optare. Honestissimè enim desideramus nos non commisisse ea peccata, quæ fecimus: nam etsi hoc nequeat esse vtile ad illos effectus ponẽdos, qui iam omnino impossibiles sunt; est tamen vtile ad ostendendum nostrum erga Deum & virtutem affectum, eumq; in nobis magis excitandum; aut ob similes aliquos fines. Honestè quandoque optamus id, quod scimus impossibile.

Conclvsio VI. Licitè atque adeò honestè tam mihi quàm cuiuis alteri in particulari saltem viatori opto, vt tantum amet Deũ quantum Apostoli aut etiam Beatissima Virgo eum amant; ac consequenter vt habeat tantam caritatem ac sanctitatem quantam hæc de facto habet. Sequitur apertè ex sentẽtia Durandi & Magistri, quos citaui n. 105. & 106. atque etiam ex mente ipsius D. Thomæ 2. 2. qu. 26. a. 7. Vbi generatim docet, me honestè desiderare cuiuis viatori mihi coniunctiori vt habeat maiora merita, & consequenter sanctitatem maiorẽ quàm habeat alius qui de facto est eo sanctior: vbi neminem excipit. Quòd si possim alicui mihi propinquo optare tantam sanctitatem, quare non etiam mihi ipsi, aut etiam cuiuis alteri homini? Satis etiam apertè colligitur ex S. Augustino, quem citaui & explicui n. 103. & 106. Sequitur etiam clarè ex conclus. præcedente: nam si nullus vnquam habeat tantam gratiam, quin possim ei optare maiorẽ, & procurare si possim; potero ei optare tantam, quantam B. Virgo de facto habet. Nam aliàs alicubi deberem fatere, ita vt alicui non possem optare maiorem gratiam quàm habeat. 123 *Augustin.*

Probatur præterea Primò, quia, sicut cedit in honorem Dei quòd Apostoli ac Beatissima Virgo eum tantum hîc amarint, & tot ac tam heroica opera ipsius causa fecerint: ita cederet in maiorem ipsius honorem, si plures eum tantum amarent, ac tanta opera in eius honorem fecissent: atqui honestum est optare quidquid cedit in maiorem Dei gloriam: ergo etiam illud optare est honestum. 124

Secundò, quia illicitè absolutè desideratem aut gauderem quòd aliquis habeat minorem cari-

caritatem, minusque Deū amet, quàm Beatissima Virgo eum de facto amat: quia sic gauderem proximum carere maximo bono, atque ita gauderem de malo ipsius: ergo licitè ei opto vt tantum Deum amet, quantum Beatissima Virgo eum amat. Probatur consequentia, quia sicut ex eo quòd illicitum sit gaudere proximum carere caritate, optimè infertur honestum esse optare eum habere caritatem: ita ex eo quòd illicitum sit gaudere proximum minùs amare Deum, quàm eū amet Beatissima Virgo, benè infertur esse honestum, optare vt ipse tantum amet Deum, quantum hæc eum amat.

Tertiò, quia cùm tale desiderium habeat obiectum tam materiale quàm formale honestum, scilicet maiorē proximi sanctitatem, quatenus cedit in maiorem Dei gloriam; nulla potest reddi ratio cur honestè elici nequeat.

125 Dices Primò, hoc desiderium esse illicitum, quia cedit in diminutionem gloriæ Beatissimæ Virginis, cui valdè honorificum est non habere vllum purum hominem sibi parem in gloria; sicut in regno terreno valdè honorificum est alicui principi quòd sit primus post regem, nec vllum alium sibi habeat parem. Respondeo, nego assumptum eiusque probationem: nā non habere sibi parem solùm est bonum in participatione boni finiti, qualis est gratia regis terreni, & omnis honor ab eo participabilis; quo enim plures his fruuntur, eo quisque minùs eis fruitur. Secùs autem est in participatione boni omnino infiniti, quale est ipse Deus, in cuius fruitione omnis Beatorum felicitas, gloria ac bonum consistunt, qui propter aliorum consortium nullo modo minùs Deo fruuntur, quàm aliàs fruerentur; sed potiùs magis, cùm eo tunc fruantur non solùm per se, sed etiam per alios, quorum gloria etiam plurimùm gaudent, multoque magis quàm hîc gaudeamus de gloria parentum aut fratrum, in quibus nos etiā honorari concipimus. His adde, Beatissimā Virginem hac ratione omnibus accidentali gloria sine comparatione eminere, eò quòd sit mater Dei, quod ei vni competit.

Non habere sibi parem solùm est bonum in participatione boni finiti.

126 Dices Secundò, Deus facillimè potuit vel pluribus vel etiam omnibus dare talem gratiam, qua ad sanctitatem Beatissimæ Virginis peruenissent: ergo cùm hoc non fecerit, iudicauit non esse ad maiorem suam gloriam, nec expedire vt plures haberent talem sanctitatem.

127 Respondeo, negando consequentiam: quia aliàs etiā sequeretur, non expedire, nec fore ad Dei gloriam si vllus ex ijs qui dānantur saluaretur, aut si vllus omnino homo plus Deum amaret quàm de facto eum amet, aut etiā pauciora peccata committeret quàm de facto cōmittat, ideoque Deum nolle hæc fieri; quia similiter ei facile fuit omnibus dare eam gratiā, qua saluarentur, aut eum magis amarent, aut pauciora peccata committerent. Illa autem sunt apertè absurda, & præsertim vltimum; nā Deus non potest velle peccata committi, & hoc ei necessariò displicet. Item inde similiter sequeretur, nos illicitè optare & ex parte nostra conari vt plures saluentur, quàm de facto saluentur, & vt pauciora peccata committantur, & plura bona opera fiant, &c. quæ absurdissima sunt. Sicut igitur non ideo Deus non dat omnibus eam gratiam, qua videt eos peccata vitaturos si daretur, quia cupit eos ea committere, aut quia non cupit ea non committi; sic non ideò non dat alijs tantam gratiam qua videt eos ad sanctitatem Beatissimæ Virginis peruenturos, si ijs daretur, quia vult eos ad tantā sanctitatem non peruenire: sed ob alias causas sibi notas. Interim dat singulis eas gratias, quibus, si vellent diligenter collaborare, possent ad maiorem sanctitatem peruenire, quàm de facto peruenīāt, & ex parte sua cupit eos ad maiorem peruenire; & ad hoc etiā maiores gratias daret, nisi nostris peccatis & negligentia in vtendo gratijs acceptis id impediremus.

Deus non ideo non dat nobis maiores gratias, quia nō vult nos maiorē sanctitatem acquirere.

Dixi, nos hæc honestè optare saltem viatoribus. Quia cùm hi possint semper adhuc in gratia proficere, res de ijs est clarior; & circa hos hoc desiderium potest aliquo modo esse efficax, & nos incitare vt totis viribus laboremus in nobis & alijs sanctitatem promouere; vt magis & magis ad illorum sanctitatem accedamus. Secùs est in Beatis, qui iam suum statum habent, nec possunt in sāctitate ampliùs proficere. Vnde etiā D. Thom. supra a. 3. & 13. videtur facere discrimen hac in re inter Beatos & viatores. Si tamen loquamur solùm de simplici aliquo desiderio siue velleitate, nihil prohibet nos etiam simile habere circa ipsos Beatos, vt patet ex dictis n. 122. 128 *D. Thom.*

Conclvsio VII. Caritas me nullo modo potest inclinare, vt aut mihi aut alteri ita optem parem gratiam aut gloriam cum Apostolis aut Beatissima Virgine, vt simul explicitè aut implicitè optem hos non habere maiorem. hoc enim apertè esset contra amorem ac reuerentiam his debitā, nec potest habere honestum finem. Quare vt licitè optem alicui vt habeat æqualem gratiam cum Apostolis, debet hoc ita fieri vt nullo modo optem horum gratiam minui; eoque non habere maiorem gratiam quàm de facto habeāt, aut quàm sit ea quam alteri opto; sed solùm ei optando tantam gratiam, quantam Apostoli de facto habent, nullo modo interim optando ne hi habeant maiorem. 129 *Nullo modo possū optare ne Apostoli habeant maiorem gloriā quàm nos habebimus.*

Ex his satis patet argumenta Lorcæ allata n. 107. non satis refutare sententiam Durandi. Ad primum, distinguo assumptum. Nam si talis ita cupiat suum amicum esse alio sanctiorem, vt implicitè cupiat hunc esse minùs sanctum; illicitè id facit: secùs est si solùm cupiat amicum suum esse sanctiorem quàm alter de facto sit; cum quo optimè consistit eum quantum est ex se, optare vtrique maiorem sanctitatem quàm de facto habeant, aut etiam inter se æqualem; quo casu neutri inuidebit, sed vtrique bene volet. 130

Ad secundum, nego assumptum. Nam sententia Durandi non est ita intelligenda, quasi obligemur positiuè & expressè vellè omnes homines habere tantam gratiam, quantæ sunt absolutè capaces; (nam, vt ostendi concluſ. 2. non tenemur erga proximum habere eiusmodi desideria, quæ nullo modo possunt esse effi- 131

efficacia) sed ita vt solùm velit hoc licitè fieri, & nos debere ita esse omnino comparatos, vt id efficeremus, si esset in nostra potestate: atque adeò vt numquam optemus, aut gaudeamus aliquem non habere tantam gratiam.

132 Ad tertium, Respondeo nos non teneri proximo positiuè tantam gratiam optare; licitè tamen id facere: iuxta dicta ad secundum, præsertim posito quòd detur certus gradus gratiæ, quo non potest dari intensior. Nam aliàs posito quòd nequeat dari gratia tam intensa, quin Deus nobis possit infundere intensiorem, non possumus alicui optare gratiam intensissimam possibilem, quia nulla talis datur. Quare tunc sententia Durandi vt vera sit, debet intelligi secundùm nostram conclusionem 7. scilicet nullum habere gratiam tam intensam quin possimus ei optare intensiorem.

133 Solo amore appretiatiuè maiore tenemur vnũ hominem præalio diligere.

Ex dictis demum patet, id quod communiter Theologi & Patres docent, nos debere vnum proximũ præ altero diligere, & nos ipsos magis quàm alios, propriè loquendo debere intelligi de amore appretiatiuè maiore, ita scilicet vt casu, quo non possimus vtrique æqualiter gratiam procurare, aut æquè efficaciter velle, eam nobis magis ac maiorem velimus quàm alijs, & vni proximo quàm alteri: ita tamen vt quantum est in nobis his etiam æqualem optemus, & simus parati eam procurare, si commodè possemus: iuxta dicta num.131. Ita vt caritas eatenus solùm, siue ea sola ratione nos inclinet, vt nobis nobisque propinquioribus magis aut maiorem optemus gratiam quàm aliis, in casu quo non potest vtrisque æqualiter contingere. Quod non est absolutè mihi maiorem optare gratiam quàm aliis, sed eandem siue paruam, siue magnam optare magis mihi mihique propinquioribus quàm aliis: idque quasi sub conditione, scilicet posito quòd non possit vtrisque æqualiter contingere. Cùm quo optimè consistit, quòd absolutè siue sublata tali conditione optem omnibus æqualem gratiam, & consequenter obiectiuè æqualiter omnes amem: quare tam intensiuè quàm obiectiuè honestè omnes æqualiter amamus; modò iuxta dicta sit inæqualitas in appretiatione. Excipe tamen casum quo aliquibus opto maiorem aut minorem gloriam cum aliqua reduplicatione; sic magis sanctis qua tales sunt, siue posito quòd sint magis sancti, debeo maiorem gloriam optare quàm minùs sanctis qua tales sunt. cum quo potest consistere vt his optem æqualem sanctitatem, atque ita vtrosque æqualiter obiectiuè amem. Et hanc omnino credo esse sententiam Durandi, Magistri, ac ipsius D. Augustini. quos citaui n. 103. 105. 106.

DVBIVM IX.

Quæsnam & in quibus bonis debeamus præ alijs diligere?

HAnc difficultatem tractat D. Thom. 2.2.q. 26.ar.7.8.9.10.11.12. in quibus partim ab eo, partim ab ipsius interpretibus variæ tanguntur difficultates, quas hoc dubio paucis explicabimus. 134 *D. Thom.*

Prima difficultas est, vtrùm teneamur nobis coniunctiores præaliis amare. Secunda, vtrùm teneamur sanctiores magis amare quàm eos qui nobis sunt coniunctiores. Tertia, vtrùm parentes sint magis amandi quàm filii vel vxor, & pater præ matre, & filii præ vxore. Quarta, vtrùm in bonis spiritualibus pater aut filius carnalis sit amandus præ spirituali. Qua in re Cajetan. q.26.a.8. docet, patrem ac filium spirituales in spiritualibus absolutè præponendos esse carnalibus. Contrà Bañez ibid. dub.2. docet, in iis quæ spectant ad salutem, præponendos esse carnales. Quinta, vtrùm in aliquo casu insignis benefactor, qui v.c. me conuertisset ad fidem, & liberasset à certissimo mortis periculo, idque cum periculo vitæ suæ, sit amandus præ patre, vxore aut filiis. Sexta, vtrùm magis amandus sit benefactor, quàm is cui bene fecimus. *Caietan.* *Bañez.*

Nota Primò, cum D. Thoma suprà art.8. homines varias inter se habere coniunctiones; & vnamquamque postulare, vt certo ordine sese ament, ac se mutuo iuuent in iis quæ ad illam coniunctionem spectant. v.c. ciues in iis quæ spectant ad officia suæ reipubl. magis amant & promouent suum ciuem, quàm alium suum consanguineum, qui non sit illius reip. ciuis: v.c. magis debeo optare vt is qui fungitur in mea ciuitate magistratu, bene & vtiliter rempublicam regat, quàm vt id ita faciat meus consanguineus, qui fungitur magistratu in alia ciuitate: & si possim debeo priorem magis in suo munere iuuare quàm secundùm, præsertim quando hoc reip. magni interest. similiter milites in rebus ad militiam spectantibus præponunt suos commilitones aliis, illis magis optando victoriam, & eos in ea acquirenda magis iuuando, quàm alios etiam suos consanguineos. Ratio est, quia hoc spectat ad eorum officium; & cùm sint simul membra vnius communitatis, in rebus ad hanc spectantibus bonum vnius est bonum alterius. 135 *D. Thom.* Variæ hominum inter se coniunctiones varium amorem exigunt.

Nota Secundò, cognationem spiritualem esse multiplicem. Prima, qua omnes Christiani dicuntur fratres, & vnius Christi ac Ecclesiæ filii. & hæc cognatio inter omnes verè fideles est æqualis. Secunda, qua omnes existentes in gratia singulariter sibi coniunguntur. Tertia, qua membra eiusdem Religionis inter se coniunguntur. Quarta, quæ est inter eos quorum vnus alium ad fidem conuertit, aut eius est Pastor, vel confessarius, &c. & tunc vnus dicitur alterius pater spiritualis. 136 Multiplex cognatio spiritualis.

Nota Tertiò, aliquem tripliciter respectu alterius posse dici patrem spiritualem. Primò, præcisè 137 Triplex spiritualis pater.

præcisè quia eum ad fidem conuertit, aut eius confessionem solitus sit audire, eumque in rebus spiritualibus instruere sine vlla id faciendi obligatione. Secundò, quia ipsius est Pastor, in sæculo tamen. Tertiò, quia est eius Superior in Religione. Inter quos primus ex sola caritate tenetur suo filio spirituali in necessitate spirituali constituto succurrere: alij verò duo etiam ex officio, quod eos specialiter obligat vt alterius bono spirituali prospiciant, etiam in casibus in quibus primus ad hoc nullo modo obligatur. vt quando eorum opera non est alteri ad salutem necessaria, sed solùm vtilis ad maiorem profectum spiritualem. tunc enim filius spiritualis habet ius exigendi à duobus posterioribus auxilium, & hi tenentur hoc ei, quantum sine notabili incommodo possunt, non negare: secùs est de primo, qui rarò in tali casu absolutè obligatur alteri suam operam impendere.

Diuersa eorum obligatio.

138 Nota Quartò, filium carnalem quandoque emancipari, atque ita desinere omnino esse sub potestate & cura patris; quamdiu tamen non emancipatur manet sub potestate & cura parentis, ita vt hic singulariter non solùm ex caritate, sed etiam ex officio paterno obligetur illius habere curam ac ipsius bono consulere, non solùm in temporalibus, sed etiam in spiritualibus: pater enim ex officio singulariter obligatur filium sub sua cura constitutum per se vel alios in fide alijsque rebus ad salutem ipsius pertinentibus instruere, & quantum potest ipsius saluti consulere; non minùs quàm Pastor tenetur consulere saluti suorum subditorum. Quare talis parens ex officio suo non solùm est filij sui pater carnalis, sed etiã spiritualis. Quod adhuc clarius est, quando simul ipsius est Pastor aut Superior in Religione: vt si post matrimonium & filios susceptos fiat sacerdos, aut etiam Religiosus, & filius carnalis sit ei subditus.

Pater ex officio tenetur filio tam in spiritualibus, quàm in temporalibus prospicere.

139 Conclvsio I. Ceteris paribus nobis coniunctiores, sunt nobis magis amandi. Ita D. Thomas 2.2.quæst.26.a.7. & alij communiter. Probatur Primò, ex 1.ad Timoth.5. vbi Apostolus ait: *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Vbi Apostolus ostendit nos obligari habere curam domesticorum magis quàm aliorum, & consequenter nos obligari eos appretiatiuè magis diligere, siue ijs præ alijs bene velle, iuxta dicta num.104. Per domesticos autem ibi præcipuè intelligit nobis sanguine aut alia ratione coniunctos. Secundò, quia quo aliquis nobis est coniunctior, eo magis ad nos pertinet, & quodammodo vnus nobiscum efficitur. sicut igitur caritas inclinat vt post Deum primò nos ipsos amemus, ac nostri curam habeamus, præsertim in spiritualibus: ita etiam inclinat vt post nos primò ac magis amemus eos qui maximè nobiscum sunt vni ac ad nos pertinent. Tertiò, quia communiter ex alia etiam virtute obligamur tales magis amare, v.c. ex pietate filiali erga parentes; aut ex officio paterno erga filios; aut ob accepta beneficia ex gratitudine, &c.

D. Thomas. 1. Tim. 5.

140 Conclvsio II. Etsi sanctiores eatenus nobis obiectiuè magis diligendi sunt, quàm coniunctiores, quatenus non potest nobis displicere quòd Deus habenti maiora merita det maiorem gratiam aut gloriam; sed hoc potiùs debet nobis placere, posito quòd velimus eiusmodi actus cum ea reduplicatione circa eos elicere, iuxta dicta n.133. nihilominus loquẽdo de amore absoluto, siue eo qui fertur in obiectum sine eiusmodi reduplicatione, tenemur coniũctiores appretiatiuè magis diligere. Ita apertè Durand. suprà & Bañez, Malder. Turrian. Lorca, Valentia, alijque D. Thomæ interpretes in illum articulum.

Durand. Bañez. Malderus. Turrian. Lorca. Valentia.

Prob. quia, vt patet ex iam dictis, coniunctio adfert per se obligationem aliquem præ alijs diligendi, & maior coniunctio eum magis diligendi. Secùs est de sanctitate; nec enim est vlla causa, quæ me obliget vt aliquem præcisè quia est sanctus, singulari affectu diligam, & consequenter nec maior sanctitas obligat me vt eum magis diligam.

Ex quibus patet, cũ, vt dixi dub.8. obligatio, 141
qua absolutè tenemur vnũ proximũ præ altero diligere, sit intelligenda de dilectione appretiatiuè maiore, absolutè dicendum esse nos teneri magis diligere nobis magis coniũctos. Loquor hîc autem semper de dilectione, qua aliquos expresè & distinctè in particulari diligimus; non de dilectione qua diligendo Deum, & optando ei omne suum bonum tam intrinsecum, quàm extrinsecum, omnes homines, & præsertim sanctos, implicitè diligimus, & consequenter magis sanctos magis diligimus; quia ipsi maius Dei bonum sunt.

Dices, Bonum est diligibile qua bonum: ergo sanctiores sunt magis diligendi, quia sunt magis boni.

Respondeo, nego conseq. loquendo de obligatione diligendi: quia sicut non teneor omne bonum in particulari diligere, ità nec teneor maius bonum magis diligere.

Nõ tenemur semper magis bonum magis amare.

Conclvsio III. Ceteris paribus Christiani 142
magis diligendi sunt præ infidelibus. Sequitur apertè ex dictis, & cõmuni sententia; quia Christiani nobis sunt magis coniuncti, quàm infideles, & consequenter magis amandi. Est etiam apertè ipsius Apostoli ad Galatas 6. vbi ait: *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maximè ad domesticos fidei.* tales autem sunt omnes Christiani, quibus docet nos præ ceteris debere benefacere.

Galat.6.

Conclvs. IV. In bonis quæ ad salutem siue 143
corporis, siue animæ non sunt necessaria; sed tantùm conferunt ad maiorem profectum siue in spiritualibus, siue in corporalibus, ceteris paribus præ alijs nobis amandi sunt qui nostræ curæ commissi sunt, præsertim in ijs rebus, in quibus nostræ curæ commissi sunt. Ita Turrian. 2.2.disp.76.dub.2.

Turrian.

Prob. quia ex officio nostro tunc speciatim obligamur illorum profectum in ijs bonis quærere: atqui, vt ostendimus.46. caritas me semper inclinat ad magis amandum siue volendum id, ad quod hîc & nunc magis obligor: ergo inclinat me vt illorum profectum magis procurem, & consequenter efficaciùs ac magis amem, quàm profectum aliorum.

Dixi.

Dixi, *præsertim in ijs rebus*, &c. Quia ludimagister non debet procurare bona temporalia sui discipuli, sed solùm eum instruere in moribus ac in ijs disciplinis, in quibus erudiendum suscepit.

144 Conclvsio V. In dictis bonis etsi caritas me inclinet, vt inter eos qui meæ curæ non sunt commissi, ceteris paribus magis amem mihi coniunctiores; tamen hunc ordinem inuertere aut nullum aut leue peccatum est.

Probatur prior pars, quia, vt patet ex dictis concluſ.1. & communi sententia, caritas inclinat vt coniunctiores magis amem, & consequenter vt ceteris paribus eorum bonum magis procurem ac amem.

Secunda pars probatur, quia non obligor absolutè procurare maiorem profectum eorum qui meæ curæ non sunt commissi; quia per se loquendo, nec sub peccato absolutè obligor meum maiorem profectum procurare: ergo multò minùs obligor vnius profectum procurare præ profectu alterius.

145 Obligatio patris in filium. Hinc sequitur Primò, patrem in eiusmodi bonis tam spiritualibus quàm corporalibus debere post se amare filium nondum emancipatum præ omnibus alijs, etiam præ suo patre. Ita D. Thom. suprà a.9. & quæst.31.a.3.ad 4. & patet apertè ex Apostolo 2. ad Corinth.12. vbi ait: *Nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs.* Ratio est, quia parentes tum ratione officij, tum etiam ratione maximæ coniunctionis tenentur eiusmodi filiorum profectum in vtrisque bonis procurare. Quare cùm inter omnes quorum ipsi curam habent filij sint ipsis coniunctissimi, tenentur hos præ omnibus alijs in his bonis amare: videtur autem eadem ratio nepotis defuncto patre sub aui cura constituti, quia hic est instar filij.

D. Thomas. *2. Cor.12.*

Dixi, *filium nondum emancipatum*, &c. Quia alia est ratio filij emancipati, siue non ampliùs sub patris potestate constituti, vt patebit ex dicendis.

146 Sequitur Secundò, in vtrisque dictis bonis eos qui sub nostra cura constituti sunt, secundùm eam rationem qua ita constituti sunt, præferendos esse alijs, etiam consanguineis, qui sub nostra cura non sunt. Quia illis hac in re sumus speciatim obligati, non autem his. Excipiendus tamen videtur pater in bonis temporalibus, quia hæc sunt aliquo modo etiam bona ipsius filii; cùm ad ipsum per hereditatem saltem ex parte sint ventura; atque ita dum ea curat, curat etiam sua bona: quisque autem licitè præfert bonum suum alieno; nec censetur se quisquâ velle obligare vt cum neglectu suorum bonorum aliena curet; exceptis saltem iis qui pretio suam operam aliis locarunt, quam sine iniustitia iis nequeunt subtrahere: de quibus hîc non agimus.

Licitè tua curas præ alienis.

147 An tutor licitè præferat filium pupillo. Posset etiam probabiliter simili ratione excipi filius emancipatus: videtur enim pater hunc posse in huiusmodi bonis temporalibus præferre alteri cuius est tutor, quando vtriusque commodis non potest æqualiter prospicere. Quia cùm filius sit aliquid ipsius patris, dum ipse huius bona curat, videtur aliquo modo curare bona propria. Et huius sententiæ videtur fuisse Bañez citatus suprà num.134. vbi absolutè docet, in bonis spiritualibus pertinentibus ad vltimum finem filium carnalem præferendum esse filio spirituali: ergo multò magis censet patrem in bonis temporalibus simpliciter posse præferre filium suo pupillo. Excipiendus tamen est Superior alicuius Religionis, qui rem sui monasterii tenetur magis curare, quàm proprii filii, quia suæ Religioni arctissimè obligatur.

Bañez.

148 Notandum tamen, cùm hæc bona nec ad vitam corporalem, nec ad spiritualem sint absolutè necessaria, peruersionem huius ordinis non facilè esse peccatum mortale: nisi fortè vbi agitur de damno vitando; vt quando timetur dissolutio morum aut disciplinæ in Religione, aut amissio bonorum temporalium siue monasterij, siue pupilli; quale etiam damnum censetur quando pecunia Religiosæ domus aut pupilli, qua reditus aliaue res fructifera commodè emi posset, relinqueretur diu otiosa. Hæc enim damna Superiores & tutores tenentur ex officio impedire. Item nisi aliquis ingens bonum eorum quorum habet curam, pro exiguo alterius bono negligeret procurare, cùm facilè posset. Aut nisi aliquis omittat aliquam actionem, ad quam speciatim hîc & nunc grauiter obligetur: vt si Parochus nolit administrare Sacramentum petenti subdito: præsertim cùm hic id alibi nequeat sine incommodo recipere. Ratio autem horum est, quia in aliis casibus non est facilè ita grauis obligatio suis hæc bona procurandi, & consequenter nec inuersio ordinis est facilè peccatum mortale.

149 Conclvsio VI. In bonis ad vitam temporalem absolutè necessarijs, præsertim in extrema huius necessitate, primò amandus est pater carnalis, secundò mater, tertiò vxor, quartò filii, quintò reliqui consanguinei suo ordine, siue prout magis minusue coniuncti sunt; aut etiam ii, qui nostræ curæ sunt commissi, qui secundùm dicta concluſ.4. ceteris paribus etiam in his bonis præponendi sunt. Ita D. Thom. suprà a.9.10.11. & communiter Doctores. Quamuis aliqui velint filios præponi vxori. Sed alij meliùs contrarium asserunt. Ita Bañez & Caietanus 2.2.quæst.26.a.12. Malderus & Lorca a.11. & alij. Ratio est Primò, quia, vt docent Caiet. & Bañez, vxor amatur tanquam bonum præstantius, scilicet tam quam principium ipsorum filiorum. Secundò, quia vxor videtur etiam simpliciter esse viro coniunctior, quàm sint filij; quia est facta vna caro cum eo, idque vinculo omnino indissolubili. Tertiò, quia cùm se totam viro tradiderit, meretur vt vir ei in tali necessitate post parentes, præ reliquis succurrat.

D. Thom. *Bañez.* *Caietan.* *Malder.* *Lorca.*

Vxor in extrema necessitate præponenda filijs.

150 Dices, Vxor amatur propter filios: ergo filij præ ea amandi sunt. Respondeo Primò, nego antecedens: nam etsi vxor assumatur præcipuè, vt proles generentur, non tamen propter hos solos assumitur, sed etiam ad vitæ societatem & solatium: vnde etiam non solùm propter pro-

les, sed propter se amatur. Hinc etiam etsi vsus matrimonij saltem præcipuè propter solas proles adhibendus sit, & consequenter non adhibendus vbi deest spes prolis, nisi quatenus iudicatur necessarius ad sedandas periculosas carnis tentationes: tamen vxor æquè est amanda, præsertim in necessitate, siue sit sterilis, siue non: quod esset falsum, si solùm amaretur propter liberos. Respondeo Secundò, nego consequentiam, quia etiã arbor amatur propter fructus, & tamen magis amatur quàm ipsi fructus, quia horum est principium.

151 An nostræ curæ cõmissi sint præferẽdi consanguineis.

Solùm hîc posset esse dubium, vtrùm in extrema aut ferè extrema necessitate nostræ curæ commissi debeant præferri consanguineis. Sed dicendum est Primò, eos absolutè posse præferri consanguineis extra primum gradũ nobis coniunctis. Quia, vt docet Lorca *Lorca.* suprà a.8.n.4. non est tanta obligatio tales alijs præponendi, quin ob alias causas hic ordo mutari possit.

Dicendum Secundò, nos tamen posse nobis coniunctiores illis præponere. Quia eorum curam suscipiendo non censemur nos voluisse obligare, vt in tali casu nobis sanguine coniunctos deseramus; nec hoc ipsi à nobis potuerunt exigere. Vtros autem ex dictis in tali casu alijs honestiùs præferamus, ex varijs circumstantijs spectandum est. Ego sanè communiter crederem coniunctos in secundo gradu præferendos omnino extraneis nostræ curæ commissis. Excipe casum, quo stipendio ad horum custodiam conducti sumus.

152 Superior Religionis tenetur in extrema necessitate sibi subditos omnibus aliis præferre; exceptis solis coniunctis in primo gradu.

Excipe etiam Superiorem Religionis, qui in tali necessitate tenetur suos Religiosos præferre eiusmodi consanguineis, non solùm in distributione bonorum monasterij (in qua in pari necessitate etiã extrema, tenetur eos etiam parenti præferre, quia hæc sunt bona illorum Religiosorum quatenus communitatẽ constituũt, quare in pari necessitate Superior non potest ea ipsis eripere vt parenti det) sed etiam in distributione eleëmosynæ, ab alijs impetratæ, cuius Superior aliàs habeat liberã dispositionem. Ratio est, quia Superior respectu suorum Religiosorum non solùm est pater spiritualis; sed etiam est ijs loco patris carnalis in rebus temporalibus. Cùm enim Religiosi in vtrisque bonis se ei strictissimè submiserint, ac se totos eius curæ commiserint, alter strictissimam habet obligationem in vtrisque bonis quantum poterit & ratio postulabit, ijs prouidẽdi. Imò credo Superiorem vt minimum melius facturum si in tali casu suum Religiosum præponeret etiã proprio fratri, quia ille ei est absolutè loco filij, & valdè probabile est posse æquari proprio filio. Quia, vt infrà ostendam, multi docent singularem benefactorem posse præferri omnibus alijs excepto parente. Imò Lorca suprà docet, singularem amicum posse præferri fratri carnali. Sanè videtur Superior magis obligari suis Religiosis, quàm vlli alteri, quantumuis singulari amico aut benefactori.

Lorca.

153 Conclvsio VII. Nullus vnquam benefactor necessariò præponendus est parenti, siue patri, siue matri: quamuis aliquo casu probabiliter his possit præponi. Videtur aperta sententia D. Thom. q.29.a.9. vbi clarè docet, parentes debere in necessitate amari præ omnibus alijs consanguineis. & art.8. ad 1. docuit, consanguineos præ alijs amandos. Idem docent Bañez, Caietanus, Valentia, Malderus, Lorca, alijque D. Thomæ interpretes in dictum articulum. Probatur id ratione D. Thomæ suprà art.6. §. *Sed contrà.* Quia eum tenemur præ alijs diligere, contra cuius dilectionem faciendo grauiùs peccamus: atqui grauiùs peccamus faciendo contra dilectionem parentum, quàm contra dilectionem aliorum: ergo eos præ omnibus alijs tenemur diligere. Minor probatur, quia Leuitici 20. iubentur occidi qui maledixerint patri aut matri: & Exodi 12. iubemur honorare parentes; id est in necessitate ijs succurrere, vt simus longæui super terram, vbi Deus implicitè minatur repentinam mortem ijs qui parentes non honorant, siue qui eos in necessitate deserunt. Qua ratione nullibi iubemur aliquos alios priuatos honorare. Item Ecclesiastici 7. singulariter & efficacissimis verbis præcipitur nobis amor parentum. vbi dicitur: *In toto corde tuo honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliuiscaris: memento quoniam nisi per illos natus non fuisses: & retribue illis quomodo & illi tibi.* scilicet te totum illis impendendo, sicut tu totum ab ijs accepisti. Honorare autem ibi phrasi Hebræa non significat solùm exhibitionem externæ reuerentiæ, sed præcipuè sustentationem, & beneuolentiæ ac auxilij exhibitionem. Patet ex Matthæi 15.v.4.& 5. vbi Christus reprehendit Scribas, quòd contra hoc præceptum docerent, filios debere potiùs offerre munera in templo quàm sustentare parentes. Simili ratione Eccl. 38. dicitur, *Honora medicum* (id est, da ei stipendium) *propter necessitatem.* & 1.ad Timoth 5. *Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur*, id est duplici stipendio.

D. Thom. *Bañez.* *Caietan.* *Valentia.* *Malder.* *Lorca.* *D. Thom.* *Lenit. 20.* *Exodi 12.* *Eccli. 7.* Honorare Hebræis nõ significat solùm exhibitionem, sed etiam sustentationem aut stipendia dare. *Matth. 15.* *Eccli. 38.* *1. Tim. 5.*

154 Probatur Secundò, quia cùm pietas postreligionem sit longè excellentior virtus, quàm gratitudo, etiam longè magis obligat, quàm gratitudo erga homines: atqui obligamur ex pietate amare parentes, alios verò benefactores solùm ex gratitudine: ergo tenemur illos præ his amare.

Tertiò, quia, vt ponderat etiam Ecclesiasticus suprà, plus accepimus à parentibus, quàm ab vllo alio homine possimus accipere: nam ab illis accepimus simpliciter quòd sumus, siue totum nostrum esse secundùm animam & corpus: nam etiamsi solus Deus animam creet, tamen parentes sunt etiam causa cur Deus eam creet. Ab alijs verò hominibus vt summũ possumus accipere vitæ corporalis conseruationem, aut spiritualis restaurationem, dum nos à peccatis Deo cooperante conuertunt. Sed nec hoc possent facere nisi parentes nos priùs genuissent: quare etiam hoc parentibus suo modo debemus.

Plus accepimus à parentibus, quàm ab vllo alio homine.

155 Aliquo casu potest benefactor præferri patri, nunquid & matri? Dixi, *Quamuis aliquo casu*, &c. Quia, si pater, præsertim ex malitia, me hæresi malisque moribus imbuisset, aut diabolo consecrasset, aut vitam mihi iniustè voluisset eripere; & alius cum magno labore ac molestia, & præsertim cum

vitæ

vitæ suæ periculo me illis malis eripuisset, & in fide ac bonis moribus instituisset, sine dubio hic valdè multùm me sibi obligasset; & contrà parens valdè multùm suum in me ius minuisset; ideoque nullo modo posset iure ægrè ferre, si hunc in extrema necessitate ipsi præponerem; atque adeò video hoc honestè facere posse. Ad hoc tamen obligaret, quia, etsi possem ob illam iniuriã aliquid de iure ipsius parentis detrahere; tamen ad hoc non teneor; sed possum id ei integrum relinquere, eumque eo loco habere, ac si nihil in me vnquam peccasset. Ita Turrian. disp. 8. dub. 2. & Lorca suprà. & Bañez a. 8. in fine dub. 1. Malder. ibidem & alij.

Turrian. Lorca. Bañez. Malderus.

156 Addit ibidem Bañez, & ex eo Turrian. Primò, remotiores consanguineos non necessariò præponi singularibus amicis; quia erga illos nõ est tanta obligatio. Secundò, singularem valdè benefactorem pari necessitate necessariò præponendum cognatis in tertio aut quarto gradu, quia circa hos non habemus singularem obligationem, qua multùm obligemur eos alijs singularibus amicis præponere; eiusmodi autem benefactori singulariter & quidem grauiter obligamur, vt eum alijs præponamus.

Comparatio singularis amici aut benefactoris cum consanguineis.

Docet Tertiò, eum qui nos cum vitæ suæ periculo certæ morti eripuisset, etiam fratri in necessitate esse præponendum: quia talis est quasi alter parens. Quæ sunt rationi satis consona.

157 Addit Lorca suprà a. 9. nu. 4. solos consanguineos in primo gradu necessariò alijs præponendos. *In quo*, inquit, *comprehendo parentes, filios & vxores. Quod attinet enim ad fratres, contingere potest vt absque peccato postponantur amicis aut benefactoribus: & rarò & in paucis euentibus erit peccatum mortale eos postponere: iuxta illud Prouerb.* 18. *Vir amabilis ad societatem magis amicus erit, quàm frater.* Quibus meritò præponit se hæc in alijs non legisse; nam simpliciter & prout iacent improbabilia sunt, & contra communem sensum. Et in primis id quod apertè insinuat, ordinem caritatis non obligare nisi vt parentem, vxorem & filios alijs in necessitate præponamus, videtur non satis probabile; quia omnes communiter iudicarent eum grauiter contra caritatem fratri debitã peccasse, qui in necessitate graui vel extrema eum desereret vt extraneum sibi familiarem in pari necessitate constitutum iuuaret.

Lorca.

Prou. 18.

158 Confirmatur Primò, quia quando volumus significare aliquos singulariter se amare, dicimus eos se habere pro fratribus; quo modo loquendi significamus, fratres debere sibi mutuo singularem amorem, & naturam ad hoc (vt etiam experientia docet) singulariter inclinare. Confirmatur Secundò, quia, vt ostendi concl. 1. cùm debeamus nobis coniunctiores magis amare, sequitur, ibi particularem, & quidem magnam, esse obligationem vnum præ ceteris amandi, vbi est singularis & magna præ ceteris coniunctio: atqui fratres nobis præ alijs singulariter & multùm coniuncti sunt: ergo est particularis & magna obligatio eos præ alijs amandi. Quare alij Auctores (vt patet ex eorum locis suprà citatis) communiter supponunt esse singularem obligationem fratres præ alijs amandi: & consequenter non licere in extrema aut graui necessitate solius amicitiæ causa alium ijs præponere.

Locus autem à Lorca citatus ex Prouerb. 18. 159 nihil facit ad rem: nam ibi solùm significatur aut nos sæpè magis delectari amici familiari vsu, eiusque consilijs magis vti, quàm fratris: vt insinuat D. Thom. suprà a. 8. ad 1. Aut sæpè contingere, vt amicus sit nobis in necessitate fidelior, & maiori auxilio quàm frater. Ex quo nullo modo sequitur, nos in necessitate non obligari fratribus magis prospiciendo, quàm extraneis amicis: vt bene aduertit D. Thom. suprà. Solus igitur is amicus potest præponi fratri, qui simul est omnino singularis benefactor, ita vt possit dici alter pater. iuxta dicta n. 154. & 156.

D. Thomas.

CONCLVSIO VIII. In extrema aut graui ne- 160 cessitate spirituali, parentes sunt omnibus præponendi. Ita Valentia 2. 2. disp. 3. a. 4. puncto 5. §. *Quintò sequitur*. Richard. in 3. d. 29. q. 9. Bañez suprà a. 8. dub. 2. Malderus ibid. §. *Tertiò tamen*. Lorca n. 8. & alij. & apertè D. Thom. a. 6. §. *Sed contrà*. & a. 9. ad 3. & q. 31. a. 3. ad 3. Vbi generatim docet, in necessitate magis esse succurrendum parenti quàm vlli alteri priuato; nec vllibi contrarium insinuat.

Valentia. Richard. Bañez. Malder. Lorca. D. Thomas.

Probatur clarè rationibus allatis pro concl. 6. quia cùm pater sit nobis simpliciter principium essendi, non solùm secundùm corpus, sed etiam secundùm animam, vt ibidem ostendi, & multùm etiam ponderat Ecclesiasticus ibi citatus, quia sine eo nullo modo essemus: atque ita ab eo initialiter habemus quòd possimus æternùm viuere; ideoque etiã præ omnibus alijs, tam secundùm corpus, quàm secundùm animã à nobis diligendus est. Atque ita etiam hanc in partem valet argumentum D. Thomæ quo a. 9. probat patrem post Deum præcipuè esse diligendum, quia habet rationem principij, & cõsequenter bonitatem simillimã diuinæ. cui planè cõsonat Ecclesiasticus c. 7. suprà citatus: cùm enim ibi probasset, nos debere parentes honorare ex toto corde, quia sine illis non essemus; subdit: *In tota anima tua time Dominum*, &c. *in omni virtute tua dilige eum qui fecit te*. Insinuans nos solum Deum debere præponere patri.

Eccli. 7.

Nota hanc concluſ. esse planè certam ac cla- 161 ram quando pater functus est officio paterno educando filium more Christiano, & in moribus ac in pietate instituendo, siue id per se, siue per alios fecerit; quia tunc est etiam pater spiritualis. Sed videtur aliquod dubium quando neglexit omnino salutem filij: & in eo casu intelligendus videtur Caiet. 2. 2. q. 26. a. 8. vbi docet, in spiritualibus patrem spiritualem præferendum esse carnali.

Caietan.

Sed meliùs alij docent, etiã in hoc casu præ- 162 ferendum in necessitate spirituali patrem carnalem; & hoc satis probant argumenta suprà allata. quia sicut non possemus æternùm viuere, nisi pater spiritualis nos genuisset Christo; ita nec hic potuisset nos Christo gignere, nisi alter nos genuisset carnaliter. Cõfirmatur, quia, si vnus mihi non habenti miraculosè dedisset

Pater etiam in ordine ad vitam spiritualem plus nobis tribuit quàm pater spiritualis.

dextram manum, & alter docuisset me scribere; prior etiam in ordine ad hanc artem plus mihi contulisset quàm secundus, præsertim si sine priore nullo modo potuissem vnquam habere manum aut discere scribere; sicut sine patre nũquam ab alio potuissem gigni, aut ad pietatem conuerti; genitus autem & habens manum possum à pluribus cõuerti ac discere scribere: quare priores etiam quo ad hos effectus plus mihi contribuerunt quàm secundi.

163 Quòd si pater ex odio erga me, & ex certa intentione perdendi meam salutem neglexisset me instruere, aut curare baptizari, aut etiam infidelitate me instruxisset, aut dæmoni consecrasset, sicut sagæ suas proles sæpè consecrant; & præsertim si adhuc pertinaciter in sua impietate perseueraret: tunc pater spiritualis, qui magno labore me ab impietate conuertisset, posset alteri in necessitate spirituali præferri: quia alter suum erga me beneficium quantum in se erat mihi sustulisset, atque ita plurimùm suum in me ius minuisset. Absolutè tamen non tenerer ei alterum præferre, vt in simili dixi nu.155.

164 CONCLVSIO IV. In extrema aut valdè graui necessitate spirituali pater tenetur primò omnium succurrere filio carnali, sub sua cura ac potestate adhuc constituto. Hæc sequitur clarè ex dictis, quia pater ex officio tenetur huic tam in spiritualibus, quàm in corporalibus prouidere, atque ipsius esse pater non tantùm corporalis, sed etiam spiritualis. quare de hac conclusione nequit esse dubium.

165 Quæ sit obligatio patris circa filium emancipatũ. *Caietan. Ambros.* Sed aliquã est difficultas, quando filius carnalis non est ampliùs sub cura parentis. Caietanus enim suprà, & quidam alij absolutè docent, tunc patrem magis teneri succurrere filio spirituali, quàm carnali. Probant Primò, auctoritate D. Ambrosij, qui lib.1. Officiorum c.7. ait: *Neque enim minùs vos diligo, quos in Euangelio genui, quàm si in coniugio suscepissem. non enim vehemẽtior est natura ad diligendum, quàm gratia. Plus certè diligere debemus quos perpetuò nobiscũ putamus futuros, quàm quos tantùm in hoc seculo.* Quem citat & sequitur D. Thom. suprà art.8. ad 2. Probant Secundò, quia debemus magis diligere nobis magis coniunctos secundùm eam rationem, qua nobis coniuncti sunt: atqui filius spiritualis in spiritualibus nobis est magis coniunctus, quàm carnalis: ergo debemus illum in spiritualibus magis diligere quàm hunc. Tertiò, quia Pastor ex officio specialiter obligatur vt suas oues in spiritualibus pascat, & quidem præcipuè in necessitate: ergo facit ijs iniuriam, si eas tunc propter alium quemcumque deserat.

D. Thom.

166 *Bañez. Lorca. Richardus.* Contrà verò Bañez suprà a.8. dub.2. & Lorca ibid. nu.8. Richard. d.29. a.1. qu.9. generatim docent, filium carnalem in eo casu præponendum spirituali. Primò, quia hic magis nobis est coniunctus, etiam in ordine ad vltimum finem. Nam respectu huius finis coniunctio est communis ad omnes proximos, cùm omnes in eum finem sint creati. Secundò, quia dilectio filij est similis dilectioni nostri: debemus autem nos ipsos etiam in spiritualibus præ alijs diligere. Tertiò, qui aliàs sola dilectione naturali, non autem ex caritate filius carnalis esset præ alijs diligendus; quia caritas primò & præcipuè spiritualia respicit. Quartò, quia caritas in via non inuertit, sed perficit naturam: sed secundùm ordinem naturæ filius carnalis alijs est præferendus: ergo etiam secundùm caritatem. Quintò, quia nullus rectè sentiens opinabitur, licitum esse negligere salutem spiritualem patris aut filij, vt subueniatur Pastori aut Religioso eiusdem Ordinis in pari necessitate: ergo similiter illicitè relinquis filium carnalem vt subuenias spirituali. Sed vtraque sententia vt vera sit, imò prior vt aliquo modo sit probabilis, videtur aliquo modo limitanda.

Pater spiritualis tenetur plex.

Pro quo Nota, vnum tripliciter posse esse patrem spiritualem alterius. Primò, præcisè quia ille huius confessiones solet audire, & eum in spiritualibus instruere, aut quia eum baptizauit, aut etiã ab infidelitate ad fidem conuertit; ita tamẽ vt non sit eius Superior, & consequenter ex officio ad supradicta non obligetur. Secundò, ita vt sit ipsius Pastor in seculo. Tertiò, ita vt sit eius Superior in Religione.

Per hæc præcisè quilibet confessio. litur audire, aut simili modo eius spiritualis nullam ergo eum obligationem contrahit.

CONCLVSIO VIII. Certum omnino est, eũ qui ita est alicuius pater spiritualis, vt tamen ex officio non obligetur eius salutem procurare, prout tenentur spirituales Pastores, Superiores ac similes, teneri in necessitate plus prospicere saluti filij carnalis, quàm spiritualis. Patet, quia talis habet specialem obligationem ceteris paribus plus procurandi salutẽ filij carnalis, quàm aliorum, vt omnes fatentur; & contrà nullam habet specialem obligationem procurandi salutem sui filij spiritualis (nã ex hoc quòd spontè siue ex mera caritate, ei vnum aut etiam plura beneficia præstiterit, eum ab impietate conuertendo, aut sæpiùs eius confessiones audiendo, nullam contrahit obligationem ei plura beneficia conferendi:) ergo plus obligatur priori, quàm secundo; & consequenter in pari necessitate magis tenetur succurrere illi, quàm huic. 167

Ex quo etiã patet solutio quæstionis, quam proponit D. Thom. suprà a.12. scilicet an benefactor sit magis diligendus quàm beneficiatus. *D. Thom.* Dicendum enim, quantumuis sæpè magis inclinemur ad amandum beneficiatum, tamen nos magis obligari ad amandum nostrum benefactorem, quàm eum cui benefecimus: quia beneficia accepta nos speciatim obligant vt amemus benefactorem: per hoc autem quòd alicui beneficium contuli, nullo modo ad eum amandum obligor.

Magis obligor amare meum benefactorem, quàm beneficiatum.

168 CONCLVSIO IX. Verius est Pastorem secularem posse in extrema necessitate præferre salutem sui filij carnalis etiam emancipati, saluti sui filij spiritualis siue sui subditi. Probatur, quia si quid obstaret, esset specialis obligatio procurandi salutem subditi: atqui hæc in eo casu videtur omnino cessare: ergo nihil obstat quo minùs id possit. Minor probatur Primò, quia Pastor suscipiendo illam obligationem iuuandi suos subditos, secundùm prudens iudicium videtur excepisse dictum casum, nec tanto filiorum suorum periculo voluisse se alijs obligare. Et confirmatur, quia, vt patet ex dictis suprà, necessariò dicendum est, eum tacitè excepisse

casum

casum extremę necessitatis sui parentis, cui tunc debet præ omnibus alijs succurrere: ergo idem videtur dicendum de extrema necessitate filij: quia hæc coniunctio est ferè æqualis illi.

Probatur Secundò, Pastor ex suo officio præcisè non obligatur strictiùs succurrere suis subditis in necessitate constitutis quàm proportionaliter obligetur debitor soluere suo creditori; quia hic ex stricta iustitia obligatur: atqui hic non obligatur soluere suo creditori etiam extremè indigenti, cum certo periculo vitæ corporalis sui filij, vt cum alijs docet Lessius de Iustitia c.16.nu.14. ergo nec Pastor tenetur succurrere suo subdito in extrema necessitate spirituali, deserendo filium in simili necessitate. *Lessius.*

169 Conclvsio X. Valdè probabile est, Pastorem secularem tali casu etiam teneri potiùs succurrere filio carnali quàm subdito. Et sic intellecta sententia Bañez allata num.166. est valdè probabilis, eamque non malè probant 1.2. & 4. argumentum ex ibidem allatis. Et maximè confirmatur argumento secundo, pro concl. præcedente allato. nam pater habens & filium & creditorem in extrema necessitate constitutos, non solùm potest, sed etiam tenetur sua pecunia creditoria aliàs debita, potiùs succurrere filio, quàm eam soluere creditori: ergo similiter Pastor potiùs tenetur in dicto casu suam operam impendere filio extremè ea indigenti, quàm suo subdito: videtur enim esse omnino par vtriusque ratio.

Pater magis tenetur succurrere filio, quàm soluere creditori, si vterque sit in extrema necessitate.

170 Ad primum argumentum propositum n.165. Respondeo Primò, S. Ambrosium ibi non agere de eo, ad quod quis obligetur, sed solùm suis velle significare quantum eos de facto diligat, ita scilicet vt tantum pro eorum salute sit paratus laborare, ac si eos omnes in coniugio genuisset. Respondeo Secundò, tam eum ibi quàm D. Thomam agere de opera à Pastore subditis impendenda extra tempus necessitatis suorum consanguineorum: quo casu, vt ostendi concl. 4. plus diligendi sunt spirituales subditi, quàm filij carnales non subditi.

Ad secundum, nego minorem loquendo de bonis hîc & nunc necessarijs ad vitam æternã, siue in casu extremæ necessitatis: nam sicut filius carnalis à patre habet non solùm vitam corporalem, sed etiam initialiter vitam spiritualẽ, & officium paternum exigit vt in vtraque conseruanda vel acquirenda filio assistat, vt patet ex dictis num.162. & 164. ita filius carnalis non modo carnali, sed etiam spirituali coniunctione ipsi proximus est. Et quamuis per emancipationem hæc obligatio patris in filium aliquo modo minuatur; nullo modo tamen omnino desinit; præsertim in tali necessitate, in qua potiùs ex parte desinit obligatio erga filium spiritualem: vt ostendi n.168. in primo argumento.

171 Conclvsio XI. Valdè probabile est Superiorem Religionis in extrema spirituali necessitate debere potiùs succurrere suo Religioso, quàm filio carnali sibi non subdito. Et ex hac parte veriorem credo sententiam Caietani. Ratio est, quia, cùm Religiosus totum mundum & quidquid in eo habebat, atque adeò & patrem & matrem Dei ac Religionis causa deseruerit, & ita se Religioni totum mãciparit, omnemque suam salutem ei crediderit, vt nihil sibi proprium, imò nec suam voluntatem sibi retineret, & sub ea ratione Religio eum in suam fidem acceptarit; arctissima inter eos debet esse coniunctio, præsertim in spiritualibus; atque adeò arctior quàm inter filium & patrem carnalem esse vllo modo possit. Vnde etiam filius in eligendo statu patri simpliciter non est subditus, & consequenter minùs hac ex parte ei est coniunctus, quàm Religioni. Ex quo vlteriùs sequitur, Religionem se ei vicissim obligasse vt præ ceteris ei in necessitate spirituali succurrat. Locum autem ipsius Religionis hac ex parte Superior sustinet. Ex quibus patet, argumenta allata n.166. nihil facere contra hanc conclusionem. Nam ex dictis constat hanc coniunctionem superare coniunctionem patris & filij carnalis: & consequenter ex ea maiorem nasci obligationem diligendi, & rationem naturalem id etiam ostendere.

Dices, hinc sequi Superiorem Religionis 172
debere etiam in extrema necessitate præponere suum Religiosum proprio parenti. Respondeo negando hoc sequi: quia, etsi inter illos maior sit coniunctio in spiritualibus; tamen hac in re præponderat obligatio quam filius habet respectu parentis, ob summum beneficium ab eo acceptum. vnde etiam ad sublevandã ipsius extremam inopiam tenetur ad tempus Religione egredi, quando ei aliter nequit succurrere, vt cum communi sententia docet Lessius de Iustit.c.41.n.34. *Lessius.*

Nota Primò, omnes supradictas conclusiones 173
esse intelligendas ceteris paribus: nam ex varijs circumstantijs res potest mutari. Primò enim quando aliqua persona publica, à qua salus communitatis pendet, laborat extrema necessitate corporali, tenetur quis ei magis succurrere quàm proprio parenti; quia tenetur salutem reip. vitæ parentis, imò etiam propriæ, præponere. Secùs est de persona publica ex cuius morte resp. nullum aut exiguum damnum esset acceptura; quia non aliter tenemur pro publica persona vitam nostram aut parentum certis periculis exponere, nisi quatenus hoc est necessarium ad reip. conseruationem; nisi fortè ratione officij speciatim obligemur vitam illius publicæ personæ defendere.

Ex his sequitur Primò, Pastorem pro nullius 174
sibi coniuncti necessitate posse suum gregem in graui necessitate spirituali omni ope destitutum deserere; quia debet publicum bonum priuato præponere.

Secundò, ceteris paribus alijs præponendi 175
sunt, qui maiore necessitate laborant: adeò vt etiam extraneus in extrema necessitate siue spirituali siue corporali positus, sit præponendus patri parua necessitate laboranti. Item is, qui sine sua culpa necessitatem patitur præponendus est ei qui similem sua culpa patitur, præsertim quando cetera non sunt valdè disparia.

Tertiò, ceteris paribus præponendi sunt ij, quibus nostra opera probabiliùs est profutura.

Quartò, alijs etiam præponendi sunt, ex

quorum salute maior aliorum speratur fructus. Quando autem hæ circumstantiæ in diuersis diuersæ sunt, videndum quænam præponderent, & maiorem hîc & nunc obligationem inducant: quæ certis regulis definiri non possunt.

176 D.Thomas. Nota Secundò, D.Thom.suprà ar.13.disputare an ordo caritatis maneat in patria? & docere eum partim mansurum, quatenus scilicet ibi amabimus Deum super omnia, nos ipsos post Deum appretiatiuè præ alijs: partim verò non mansurum, quatenus ibi meliores absolutè magis amabimus, quàm eos qui carnaliter nobis sunt coniunctiores, idque tum appretiatiuè, tum etiam obiectiuè, optando ijs maiorem gloriam quàm alijs minùs bonis. Quia cùm ibi ampliùs non possimus aut nostram aut alterius salutem promouere, cessabit omnis obligatio sanguine coniunctos iuuandi, & consequenter eorum salutem præ salute aliorum optandi: atque ita præcipua ratio eos diligendi, erit coniunctio cum Deo; & consequenter huic magis coniunctos magis amabimus.

DISPVTATIO XXVI.

De tribus effectibus caritatis internis, gaudio, pace & misericordia.

D.Thomas. Diuus Thom.cùm explicuisset naturam ac ordinem caritatis tam actualis quàm habitualis, quæst. 28.vsque ad 33.inclusiuè disputat de sex eius effectibus, scilicet tribus internis, gaudio, pace & misericordia; & tribus externis, beneficentia, eleëmosyna & correptione fraterna; hac autem disputatione explicabimus tres effectus internos, duabus sequentibus externos.

DVBIVM I.

Vtrùm gaudium sit effectus caritatis & vera actio voluntatis à caritate distincta?

1 Conclvsio I. Gaudium de bono Dei qua tale, siue quo gaudeo Deum hoc vel illud bonum siue internum siue externum habere, est verus effectus caritatis siue amoris Dei. Ita D.Thomas. D.Thom.q.28.a.1.& ferè communiter alij. Pro quo Nota, me quadrupliciter posse aliquod bonum apprehendere. Primò, considerando illud præcisè secundùm se, & hinc in voluntate nascitur quædam simplex complacentia, qua illud mihi secundùm se placet. Secundò, apprehendendo illud vt aut mihi aut amico meo bonum, absens tamen, & hinc nascitur desiderium. Tertiò, considerando illud simul vt acquisitu possibile, & hinc nascitur spes. Quartò, apprehendendo illud vt præsens, & hinc nascitur gaudium: quod nihil est aliud quàm positiua quædam quies siue suauis animi affectus in bono à se vel amico adepto quiescentis.

Bonum apprehendimus quadrupliciter. Vnde quadruplex oritur affectus.

Gaudium quid sit.

2 Sicut igitur complacentia siue amor boni absentis in voluntate excitat desiderium quo ad id consequendum contendat; ita amor boni iam adepti in eadem excitat suauem quendam affectum, quo in illo conquiescat, & quantum potest sibi coniunctum detineat. Sicut contrà odium rei malæ impendentis, excitat in animo timorem quo illud fugit, & quando illa res præsens est quandam tristitiam: quæ est quædam molestia & inquietudo animi contra illud malum luctantis & conantis illud excutere. Igitur caritas, qua Deus nobis in se placet, quaque omne bonum ei desideramus, hoc ipso quo videmus eum habere bonum quod ei optamus, causat in nobis gaudium, voluntatem ad hoc eliciendum efficaciter impellendo; ferè simili modo atque intentio efficax finis causat in voluntate electionem medij.

Tristitia quid sit.

Contra hæc vltima dicta sentiunt Scotus in 3.dist.15.q.vnic.§. *Aliter potest dici.* Gabriel in 1. dist.1.q.3.a.2. Occam ibid.& quidam alij, putantes gaudium aut tristitiam non esse veras actiones voluntatis, nec ab ea produci, sed vel ab ipso obiecto (vt Scotus) vel immediatè ab ipso actu amoris; vel odij, vt alij volunt, voluntate se habente merè passiuè. 3 Scotus. Gabriel. Occam.

Probant Primò, quia omnis actio voluntatis est volitio vel nolitio: atqui gaudium & tristitia nec sunt volitio nec nolitio: ergo non sunt actiones voluntatis. Minor prob. quia Deus & Beati res aliquas, v.c. peccata hominum, summè nolunt esse, & tamen nullo modo tristantur: ergo tristitia non est nolitio. Secundò, quia omnis actio voluntatis est libera, & in voluntatis potestate: atqui non est in potestate voluntatis non gaudere posita præsentia rei valdè amatæ, aut nō tristari posita præsentia rei quam odit: ergo gaudium & tristitia non sunt actiones voluntatis.

Conclvsio II. Gaudium (eademque est ratio tristitiæ) est vera actio voluntatis. Ita Caietan. 1.2.q.4.a.1.& q.31.ar.4. Vasquez ibid.disp. 14.cap.2. Bañez 2.2.q.28.a.1.& ferè communiter alij. 4 Caietan. Vasquez. Bañez.

Probatur, quia, vt patet experientia, voluntas gaudendo siue per ipsum gaudium vitaliter tendit in obiectum: percipimus enim nos simili modo tendere in obiectum per gaudium, sicut per desiderium aut similes animi affectus: atqui hoc esset falsum si non produceretur immediatè à voluntate: ergo necessariò dicendū est ita produci. Minor prob. quia aliàs possem intelligere & velle per intellectionem & volitionem à solo Deo in meo intellectu productas: sed hoc est absurdum: ergo & id vnde sequitur. Aliqui negata minore huius syllogismi concedunt maiorem: sed hanc esse falsam vel inde patet, quòd aliàs sequeretur, voluntatem posse

Nihil possum velle aut intelligere nisi me producto.

posse aliquid velle volitione sibi nullo modo voluntaria, eò quòd nullo modo procederet ab intrinseco. Item aliàs posset voluntas in suis volitionibus absolutè & propriè vim pati & cogi ad volendum, non minùs quàm grauia possunt cogi vt ferantur sursum. Illa autem sunt
D.Thom. apertè absurda, vt patet ex ijs quæ D.Thom.1. 2.q.6.a.1.& 4. & alij communiter docent. Possent hæc pluribus facilè clarè probari, sed res non est huius loci.

5 Ad primum argumentum contrarium, nego minorem, si volitionem & nolitionem generatim sumas, prout in maiore sumuntur; si autem volitionem speciatim & strictè sumas pro sola volitione finis, prout eam quandoque aliqui sumunt, sicut intellectus etiam sumitur pro sola cognitione principiorum: sic nego maiorem. quia aliàs electio medij non esset actus voluntatis, quia non est volitio ita strictè sumpta.

Ad probationem minoris, nego consequentiam; quia inde solùm sequitur, non omnē mali nolitionem esse tristitiam, sed eam solam quam suprà descripsi, quæ in Beatos non cadit.

Ad secundum, nego Primò, maiorem. nam amor beatificus est vera actio voluntatis: & tamen nullo modo est liber. Nego Secundò, minorē generatim sumptam; nam etsi gaudium & tristitia quandoque non sint nobis libera, quādo nimirū amor boni, vel odium mali præsentis non sunt nobis libera: tamen quoties hæc nobis libera sunt, etiam illa sunt libera. eodē modo quo electio medij ad finem intentum necessarij, est nobis libera, iuxta dicta suprà disp.2.n. 87.& sequentibus.

Gaudium & tristitia quādoque sunt nobis libera, quandoque non.

6 Conclvsio III. Gaudium de bono Dei præsente est actio voluntatis distincta ab actu caritatis, quo Deo illud bonum opto. Hæc vi-
D.Thom. detur aperta sententia D.Thomæ suprà a.1.& 4. & omnium eorum, qui fatentur hoc gaudium esse effectum caritatis; nam effectus debet à sua causa distingui.

Probatur Primò, quia tristitia est actio distincta ab odio mali præsentis: ergo gaudium est actio distincta ab amore rei præsentis: est enim par vtriusque ratio. Antecedens probatur, quia tam Deus quàm Beati vehementissimè oderunt ac detestantur quædam mala præsentia, v.c. injuriam quæ Deo per peccata infertur, & tamen de ea nullo modo tristantur. quod fieri nullo modo posset, si tristitia non distingueretur ab odio rei malæ præsentis: tunc enim nullo modo posset vnum sine altero reperiri.

Probatur Secundò, quia gaudium potest etiam de facto separari ab amore boni præsentis: vt contingit in ijs, qui vehementi tristitia absorpti sunt. qui etsi cogitent de bono aliquo à se possesso, illudque actu ament, tamen de eo, tristitia id impediente, gaudere non possunt.

7 Vbi Nota, me non dicere gaudium distingui ab omni amore rei præsentis; hoc enim apertè dictis repugnat: nam cùm iuxta dicta gaudium sit quædam volitio boni præsentis, necessariò est etiam aliquis eiusdem amor: nam omnis volitio boni est amor boni. Solùm itaque dicimus gaudium distingui Primò, ab amore ipsius boni, quo hoc siue absens, siue præsens secundùm se mihi placet. Secundò, ab eo amore quo mihi aut meo amico illud bonum opto, qui amor etiā fertur tam in bonum absens, quàm in præsens; nam per eum opto mihi acquiri bonum absens, & præsens conseruari. & ex hoc amore nascitur gaudium posita ipsius boni præsentia, iuxta dicta n.2.

8 Ex dictis sequitur Primò, caritatem hîc in nobis causare non solùm gaudium, sed etiam tristitiam: nam sicut per eam amamus bonum Dei, ita etiam impellimur vt oderimus malum ei contrarium, & eo in nobis aut proximo existente tristemur. hinc contritio est verus effectus caritatis. *Caritas & gaudium & tristitiam gignit.*

9 Sequitur Secundò, resolutio duarum difficultatum, quas D.Thom. resoluit suprà a.2.& 3. *D.Thom.* scilicet vtrùm gaudium quod nascitur ex caritate, habeat admixtam tristitiam? & vtrùm hoc gaudium possit impleri.

Ad primum, Respondet si respiciamus præcisè bona Deo intrinseca, nos solùm posse de ijs gaudere: quia cùm in illis nullus possit esse defectus, nulla potest esse causa tristitiæ. Si verò respiciamus bona Deo extrinseca, caritatem generare in nobis non solùm gaudium, sed etiam tristitiam, qua dolemus hæc bona in tam multis deficere, ab ijsque negligi ac violari.

10 Ad Secundum, Respondet gaudium duobus modis posse esse plenum, Primò, ita vt sit tantum quantum est bonum, de quo gaudemus: docetque sic solum Deum posse habere plenum de suo bono gaudium: quia omne gaudium creaturæ necessariò est finitum, & cōsequenter minus bono infinito. Secundò, ita vt voluntas in eo omnino conquiescat, nec vllam ampliùs inquietudinem patiatur, aliquid aliud desiderando: & ait nostrum gaudium hac ratione hîc impleri non posse; quia semper hîc est aliquid quod nos inquietat. Imò cùm hîc tanquam exules ad æternam patriam tendamus, quo maior in nobis est caritas, eo magis ad eam aspiramus, & consequenter animus noster eo minùs hîc potest in gaudio conquiescere. Addit D.Thomas id implendum in altera vita, vbi omni bono fruemur. *Gaudium dupliciter plenum.*

DVBIVM II.

Vtrùm gaudium de bono Dei sit particularis virtus distincta à caritate?

11 Diuus Thom. suprà a.4. respondet non esse virtutem distinctam à caritate; quia idem caritatis habitus, vt patet ex dictis, nos inclinat ad amandum bonum diuinum, & ad gaudendum de eo; sicut idem habitus inclinat nos ad intentionem finis & electionem medij. Et hæc est ferè communis sententia & certa; tamen duæ sunt obiectiones hîc explicandæ, ad quas non omnes eodem modo respondent. Prior est, Tristitia inordinata est particulare vitium: ergo ordinatum gaudium est particularis virtus ab alijs distincta. Secunda, Spes non minùs sequitur ex amore, quàm gaudium: atqui illa est particularis virtus distincta ab amore: ergo & hoc. *D.Thom.*

Pro

12 Ex duplici capite possunt aliqui actus dici distinctæ virtutes.

Pro resolutione Nota, duos actus dupliciter posse dici esse distinctas virtutes. Primò, quia eliciuntur à diuersis habitibus. Et ratio D. Thomæ bene probat gaudium hac ratione non esse distinctam virtutem à caritate. Sed, vt ostendi suprà disp.19.dub.9.nu.128. etiam spes theologica hac ratione videtur posse dici eadem virtus cum amore cõcupiscentiæ circa Deum, imò cum gaudio beatifico de Deo iam possesso: quia ab eodem habitu procedit. Secundò, quatenus habent eandem speciem bonitatem moralem, & consequenter eandem rationem virtutis: qua ratione etiam intentio finis & electio mediorum, etsi physicè loquendo sint diuersæ speciei, quia habent obiectum formale proximum distinctum; tamen habent eandem speciem bonitatem moralem: quia bonitas moralis electionis suam speciem accipit à bonitate finis: atque ita in ratione virtutis intentio & electio sunt eiusdem speciei.

Intentio & electio etsi physica specie differãt, moralem bonitatis speciem habent eandẽ.

13 *D. Thom.*

Et D. Thomas intendit docere, gaudium & caritatem etiam hac ratione pertinere ad eandem virtutem. Quod tamen in respons. ad 2. negat de virtute spei respectu simplicis amoris concupiscentiæ circa Deum. Quia, vt ait, *spes addit ex parte obiecti quandam specialem rationem, scilicet arduum & possibile adipisci.* Quod non est ita intelligendum, quasi hæc ingrediantur formalem rationem spei (hoc enim verum non est, vt ostendi disp.19.dub.2.) sed quia hæ conditiones sicut multùm variant modum potentiæ tendendi in obiectum, & reddunt eum longè difficiliorem ac alterius rationis; ita dant actui singularem honestatem. vt dixi loco citato nu. 24. Secùs est de gaudio quod perfectum amorem boni adepti naturaliter consequitur; ideoque non habet specialem bonitatem ab illo distinctam. Et hinc patet responsio ad secundum argumentum suprà allatum.

Cur spes potiùs habeat specialẽ rationẽ virtutis quàm gaudium.

14 Ad primum, Respondet D. Thomas eam tristitiam nasci ex inordinato amore sui, qui non est speciale vitium, ideoque inordinatam tristitiam debere esse particulare vitium. secùs verò esse de dicto gaudio quod nascitur ex caritate, quæ est specialis virtus.

Sed hæc responsio habet difficultatem, quia, etsi inordinatus sui amor in genere ac in abstracto sumptus non sit speciale vitium: tamẽ quiuis eiusmodi amor in particulari est necessariò speciale vitium. nam sicut nihil potest existere nisi sit certæ speciei, ita nihil potest actu esse malum, nisi malitia certæ speciei. Cùm igitur inordinata tristitia necessariò oriatur ex certo amore inordinato actu malo, necessariò oritur ex amore habente malitiam certæ speciei.

Omne malũ existẽs habet malitiã certæ speciei.

Respondeo D. Thom. non negare quin ille inordinatus amor à parte rei, siue prout hîc & nunc ponitur, sit malus malitia certæ speciei; sed solùm negare, istum amorem habere semper hanc malitiam à se, seu ex suo obiecto, quod directè respicit; sicut caritas habet suam bonitatem.

Inordinatus amor non semper est malus ex obiecto.

15 Pro quo Nota, tristitiam inordinatam, qua voluntas de aliquo bono opere debito, siue quod tenetur suscipere, tristatur quia laboriosum est, & qua tale id aduersatur; communiter nasci ex amore suipsius secundùm se non malo, sed ideo solùm inordinato ac malo, quia nimius est, atque ita illam tristitiam causat, siue quia est interpretatiua huius volitio, & consequenter tunc accipit suam malitiam ab hac tristitia tamquam ab obiecto interpretatiuè volito: sicut intentio boni finis causans electionẽ mali medij ab hac suam malitiam accipit. vnde sequitur, in illis casibus tam dictam tristitiam, quàm hãc electionem, quatenus priùs natura quàm existunt per modum obiecti respiciuntur ab intentione finis, aut ab illo inordinato amore, habere malitiam obiectiuam certæ speciei, priùs natura, quàm eam habeant illi amores ex quibus sequuntur, qui sine his mali non essent. secùs autem contingit in actu caritatis, ex quo gaudium nascitur, vt per se patet. Et hoc solùm intendit D. Thomas.

Amor est solùm est inordinatus & malus ratione actus priùs quã causæ, & hic etiã obiectiuè malus priùs quam sit quia.

DVBIVM III.

Quid sit pax: & qua ratione sit effectus caritatis?

16 Quibus pax opponatur.

NOta Primò, pacem opponi bello, dissensioni ac turbationi, & significare quandã ab illis omnibus quietem; vbi enim illa sunt, pax esse non potest. hinc etiam mare dicimus esse pacatum, quando non est turbulentum, sed omnino quietum.

17 Inordinatus amor pacẽ non habentibus turbat.

Nota Secundò, hominem posse dupliciter turbari, scilicet exteriùs per dissensionem cum alijs, & interiùs per inordinatas passiones quibus turbatur, appetendo ea quæ aut nullo modo, aut non nisi illicitè potest assequi; aut etiam cupiendo res inter se pugnantes, v.c. honorari ab hominibus, scientiam ac dignitates consequi; & tamen sectari ignauiam ac vitia, quæ ei infamiam pariunt, & ad illa consequenda ineptum reddunt. Ex quibus nascitur magna in animo inquietudo, & quasi quædam distractio ac seditio siue conflictus affectuum ac cupiditatum pugnantium, tam inter se quàm cum recta ratione. Ex quo sequitur, duplicem hominis esse pacem, scilicet internam & externam, & vt quis absolutè fruatur pace vtramque requiri.

18 In quibus consistat pax interna.

CONCLVSIO I. Interna hominis pax consistit in perfecta consensione voluntatis ipsius cum diuina, & omnium appetituum tam inter se quàm cum recta voluntate. externa verò pax consistit in ordinata consensione voluntatis ipsius cum voluntate eorum quibuscum ei agẽdum est. Et consequenter absoluta hominis pax in vtraque dicta pace consistit. Ita apertè D. Augustinus l.19. de Ciuit. cap.13. vbi ait: *Pax animæ rationalis ordinata cognitionis actionisq; consensio. Pax hominis mortalis & Dei immortalis ordinata in fide sub æterna lege obedientia.* Quibus apertè internam hominis pacem describit, quam homo habet secum, & cum Deo. Subdit: *Pax hominum ordinata concordia.* Vbi describit externam pacem. *Augustin.*

19

Res etiam per se patet: nam positis illis consensionibus homo ab omni turbatione accidentali perfectam quietem habet. Prior enim consensio tollit omnem turbationem, quam possit

possit in se habere ratione dissensionis appetituum inter se aut cum ordinatione diuina; & secundò tollit ei omnem dissensionem, quam possit habere cum hominibus.

D.Thomas. Ex quo etiam apertè sequitur id, quod docet D.Thom.q.29.a.1. pacem superaddere aliquid concordiæ siue consensioni diuersarum voluntatum, in qua consistit externa pax: scilicet ipsam internam pacem.

20 CONCLVSIO II. Caritas primò & præcipuè operatur pacem internam: externam verò illa mediante; nec absolutè, sed quantum hæc potest cum illa consistere; vnde etiam aliquando hanc tollit, quando cum priore nequit consistere.

Prima pars patet ex dictis disp.21.n.29.& 55. vbi ostendi caritatem nostram voluntatem perfectissimè subijcere diuinæ, ac inter vtramq; efficere maximâ consensionem. Item adiuuante Dei gratia & exercitio aliarum virtutum continuò contendit omnes animi affectus ac desideria ad vltimum finem & Dei honorem ordinare, ac ita ea rectæ voluntati planè subijcere.

Qua ratione caritas causet pacem.

Secunda pars probatur, quia interna hominis pax, dum omnes passiones domat, tollit causas quæ communiter solent inter homines generare discordias, & dum voluntatem totam inclinat vt quærat in omnibus bonum Dei, simul eam inclinat vt se aliorũ voluntati in omnibus quantum fieri potest accommodet, &(vt de se testatur Apostolus 1.ad Cor.9.)vt omnibus omnia fiat, vt omnes faciat saluos.

1.Cor.9.

Tertia pars probatur, quia caritas sæpè nos impellit vt impijs aliquid contra Dei honorem molientibus resistamus, atque ita eorum voluntatem contra nos iritemus. testatur id apertè ipse Christus qui cùm Lucæ 12.agens de caritate dixisset: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* tamen Matth.10.ait: *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. venientem separare hominem aduersus patrem suum*, &c.

Luc.12.

Matth.10.

21 Hinc sequitur Primò, nos in hac vita non posse omnino perfectam habere pacem: quia *Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu. persecutionem patientur.* vt dicitur 2.ad Tim.3. tales enim semper aliquos reperiunt, à quibus aliqua debent pati: aut si sint ita ab hominibus separati, vt ab ijs vexari nequeant, infestantur à diabolo.

Hic nunquã habemus omnimodã pacem.

2.Tim.3.

Hoc tamen Notandũ, quòd si homo haberet omnino perfectam pacem internam, ita vt nec interiùs sentiret vllam appetituum pugnam, nec externis persecutionibus vllo modo moueretur; talem absolutè habiturum veram pacem. sed hoc in altera vita consequemur: hîc autem omnino perfectè consequi non possumus.

22 Sequitur Secundò id, quod docet D.Thom. *D.Thomas.* suprà a.4.scilicet pacem non esse aliquam particularem virtutem. nam sicut sanitas corporis non consistit in vna aliqua qualitate; sed in iusta ac ordinata omnium proportione: ita pax non est vna aliqua virtus; sed omnium appetituum inter se & cum diuina voluntate consensus, ad quem requiritur omnium virtutum concursus, quibus omnia contraria vitia expellantur.

Pax non est specialis virtus.

Sequitur Tertiò, id quod docet D.Thom. 23 suprà art.2. scilicet omnes etiam seditiosissimos appetere pacem: quia hi ideò mouent seditiones vt alios cogant suæ voluntati consentire, atque ita cum ijs pacem habeant; mali tamen ad eam assequendã vtuntur medijs peruersis, inutilibus ac noxijs, cùm suo agendi modo suas passiones magis alant ac concitent, quæ in ijs tam internam quàm externam pacem continuè turbant.

Omnes appetunt pacẽ.

Sequitur Quartò, veram pacem non posse 24 esse nisi inter bonos & virtutis studiosos: atque adeò verissimum esse quod dicitur Isaiæ 48. *Non est pax impijs, dicit Dominus.* & 59. *Viam pacis nescierunt.*

Malis non est pax. Isaiæ 48. & 59.

Sequitur Quintò, quando in Scriptura nobis præcipitur vt seruemus cum alijs pacem, non præcipi nobis aliquẽ certum actũ; sed vt quantum possumus ea omnia caueamus, quæ alios meritò possent offendere aut turbare, atque ita pacem auertere; sed contrà faciamus ea, quæ possunt honestam inter nos pacem conciliare.

Quomodo teneamur cum alijs seruare pacem.

DVBIVM IV.

Quid sit misericordia?

DE hac tractat D.Thom.q.30.vbi a.1.ex D. 25 August.l.9.de Ciuit.c.5.eã ita definit: *Misericordia est alienæ miseriæ in nostro corde compassio, qua vtique si possimus subuenire compellimur.* subditque D.Thom. misericordiam ita dictam quòd miserans habeat cor ex aliena miseria miserum, ratione nimirum compassionis, qua ei compatitur. Vt autem tota res clariùs intelligatur, Nota misericordiam dupliciter posse sumi. Primò, pro passione quadam partis inferioris animi, aut pro habitu eiusdem passionis moderatiuo. Secundò, pro affectione siue virtute in parte superiore animi consistente.

D.Thomas. August.

Misericordia alia est passio, alia virtus.

CONCLVS.I. Si accipiamus misericordiam 26 pro passione, tunc rectè definitur à D.Thoma ex D.Augustino. Prob.Primò, auctoritate ipsius S.Augustini, qui tam capite citato, quàm præcedente testatur se loqui de misericordia, vt accipitur pro passione partis inferioris: vnde in fine capitis docet, angelos sine ita punire, & sine compassione miseris subuenire. & tamẽ, inquit, *ipsarum nomina passionum consuetudine locutionis humanæ etiam in eos vsurpantur: propter quandam operum similitudinem, non propter affectionum infirmitatem.* Vbi misericordiam apertè vocat passionẽ, ideoq; negat eam posse angelis cõuenire. Prob.Secundò, quia ex communi hominũ sensu conceptam ex aliena miseria animi commotionem, si ea impellamur ad subueniendũ, vocamus misericordiã: atqui talis commotio vt reperitur in parte inferiore animi, rectè dicitur cõpassio, non autem prout est in voluntate: ergo misericordia dicto modo sumpta, est passio partis inferioris. Minor prob. quia compassio est quædam passio: atqui omnis passio est in parte inferiore animi: ergo etiam compassio. Cõfirm. quia communiter solemus pro eodem accipere aliquem moueri misericordia erga alium, & illum

lum huic compati: ergo compassio & misericordia idem sunt, prout hæc dicit illam animi commotionem.

27 CONCLVSIO II. Datur in parte inferiore animi habitus moderatiuus huiusmodi passionis, & hic est bonus ac honestus, potestque dici virtus misericordiæ. ita D. Thom. suprà a.3. *D. Thom.*

Prior pars probatur, quia, vt rectè docet D. Thom. 1.2.q.56.a.4. in concupiscibili & irascibili debent poni quidam habitus, vt hæ potentiæ possint bene dirigi à ratione: atqui actus misericordiæ vt est compassio quædam, est in concupiscibili: ergo vt hæc in hoc actu facilè dirigatur secundùm rationem, debet in ea poni aliquis habitus illius passionis moderatiuus. *D. Thomas.*

Prob. Secundò, quia, vt docet D. Thom. infrà q.58.ar.5.ad 2. temperantia & fortitudo ponuntur subiectiuè in parte inferiore animi: ergo etiã hic habitus in ea ponitur, quia est eadẽ ratio. *D. Thomas.*

28 Secunda pars prob. quia D. Augustinus suprà probat ex Cicerone misericordiam esse virtutẽ: atqui non est virtus vt est præcisè motio seu passio animi: ergo prout accipitur pro habitu illius passionis moderatiuo. Confirm. quia ipse ibidem dicit eam vocari virtutẽ quatenus inseruit rationi, ne quid contra iustitiam faciat: atqui habitus moderans passiones propriè inseruit rationi, non autem ipsa passio: ergo ab Augustino non hæc passio, sed ille habitus vocatur virtus. *August.*

Dices, D. Thom. a.3. ponit hunc habitum in parte intellectuali: ergo non loquitur de habitu moderatiuo passionum. Respondeo, nego conseq. quia D. Thom. ibi accipit partem intellectualem pro concupiscibili, quatenus hæc à ratione dirigitur, atque ita suo modo rationem participat, vt ipse docet in 1.2. loco suprà citato q.56.a.4. *D. Thomas.*

29 CONCLVSIO III. Virtus misericordiæ propriè consistit in voluntate, & est alienæ miseriæ displicentia, siue nolitio efficax, qua scilicet voluntas mouetur ad succurrendum. Ita Richard. in 4.dist.46.ar.2.q.1. Vasquez 1.p.q.21. in comment.a.3. Bañez 2.2 q.30.ar.3.dub.2. conclus.1. Turrian. ibid.disp.79.dub.1. eamque apertè videtur tenere Clemens Alexand. lib.4. Stromatum in illud Matth.5. *Beati misericordes*, &c. Vbi reprehendit philosophos eò quòd misericordiam dicebant esse molestiam propter alienas miserias, docetque eam esse aliquid diuinum, & maximè consistere in voluntate subleuandi alienam miseriam. *Richard. Vasquez. Bañez. Turrian. Clemens Alexand.*

Misericordia est in Deo. Probatur Primò, quia in Deo & in Beatis est propriè dicta misericordia: atqui in illis non est habitus ille moderatiuus alicuius passionis, aut aliquid huic habitui respondens; quia omni planè passione carent, sed in ijs tãtùm est displicentia quædã alienæ miseriæ, & voluntas eam subleuãdi: ergo virtus misericordiæ propriè cõsistit in tali voluntate. Maior prob. quia Scriptura pluribus locis Deo tribuit misericordiã, eamque præcipuè in eo exaltat. Hinc psal.144. dicitur miserationes Domini esse super omnia opera eius. Hinc etiam Clemens Alexandrinus suprà dicit misericordiam esse aliquid diuinum, quo scilicet Deo sumus planè similes, iuxta illud Lucæ 6. *Estote misericordes, sicut & Pater vester cæ-* *Psalm.144.* *Clemens Alexand.* *Luca 6.*

lestis misericors est. Confirm. ex D. Augustino sup. vbi dicit misericordiam à se definitam pertinere ad imperfectionem præsentis vitæ, quæ nõ erit in cælo, apertè significans ibi verè reperiri misericordiam sine vlla imperfectione: hæc autem misericordia nequit esse alia, quàm iam à nobis est definita.

Nota in actu misericordiæ tria cõcurrere. Primum, est displicentia quædam miseriæ ipsius proximi quatenus ipsi mala est. Secundum, est voluntas, quantũ in ipsa est siue ex parte sua efficax ipsi succurrendi. Quamquã autẽ hæc duo non semper reipsa distinguantur, quia perfecta displicentia alienæ miseriæ continet in se eiusmodi voluntatem; semper tamen virtute distinguuntur, & ipsa displicentia est ratione prior illa voluntate, siue idem ille actus priùs ratione habet rationem displicentiæ, quàm rationẽ efficacis voluntatis succurrendi: & sæpè fit vt hæc reipsa distinguantur; vt quando ea displicentia initio est inefficax, & deinde fit efficax adiuncta voluntate succurrẽdi. Tertium, est ipse exterior effectus siue succursus & amotio mali ipsius proximi. Inter hæc autẽ præcipuum obtinet voluntas succurrendi; nam ex hac reliqua suã bonitatem obtinent. Quia inefficax displicẽtia est parui momenti, si ex se sit inefficax, & non tantùm propter extrinsecum impedimentum: exterior autem actio per se non habet formalem bonitatem aut malitiam; sed solùm ratione voluntatis qua imperatur. 30 *Misericordiæ tria cõcurrere.*

Ex his patet, quis sit sensus Clement. Alexandrini suprà citati, & quàm sit verũ quod ibidem docet, scilicet misericordiã propriè non cõsistere in illa molestia, quã aliquãdo ex proximi miseria suscipimus, imò hanc molestiã ad verã rationẽ misericordiæ nullo modo esse necessariã. Item quomodo in Deo sit vera & propriè dicta misericordia, quia miseria nostra ei verè displicet, habetq; efficacẽ voluntatem eam tollendi. 31

CONCLVSIO IV. Hæc virtus non videtur distincta à caritate proximi. Ita Bañez sup.dub.1. quamquã contrarium etiam putet probabile. & Lorca 2.2.sect.3.disp.33. Prob. quia eiusdem virtutis est amare proximi bonum & auersari malũ contrarium: atqui caritas amat & procurat bonum proximi: ergo eadem eius malum auersatur & propellit. Loquor autẽ hìc de caritate proximi prout generatim significat omnem amorem erga proximũ, siue eum amem præcisè propter Deum & virtute theologica, siue propter intrinsecam suam bonitatem & amicitia humana ac virtute merè morali. 32 *Misericordia est caritas proximi.* *Bañez.* *Lorca.*

Confir. Primò, quia sicut se habet amor nostri erga mala propria, ita se habet amor proximi erga mala proximi: sed idem amor nostri impellit nos ad procuranda nobis bona, & mala à nobis propulsanda: ergo idem amor proximi impellet nos, vt ei bona optemus, & vt mala ab eo propulsemus. Cõfirm. Secundò, quia D. Tho. infrà q.33.a.1. in corpore expresè docet, correptionẽ fraternã, quæ est propriè actus misericordiæ, esse actũ caritatis quatenus ordinatur ad malũ proximi amouendũ. idq; probat, quia amouere malũ alicuius, & procurare eius bonũ sunt eiusdem rationis: procurare autẽ bonum proximi pertinet *D. Thom.*

net ad caritatem, qua volumus & procuramus amico bonum. vnde infert quòd etiam fraterna correctio ideo sit actus caritatis, quia per eam repellimus malum proximi: ergo idem est dicendum de quouis alio actu misericordiæ.

33 Nota D.Thom.q.30.constituere misericordiã quamdam virtutem à caritate distinctã, & quæ sit quasi effectus caritatis; & q.33.contrà docere, opera misericordiæ immediatè elici à caritate. quia priore loco loquitur de misericordia præcipuè vt se extendit ad opera misericordiæ corporalia, quæ ferè fiunt ex aliqua cõpassione erga proximum: in secundo verò agit de operibus misericordiæ spiritualibus tantùm, quæ vix habent coniunctã compassionem, quia mala proximi spiritualia non ita commouent partem inferiorem animi, & consequenter ad ea decenter amouenda non ita est opus saltem communiter illo habitu passionum moderatiuo, in quo D.Thomas q.30. constituit particularem virtutem misericordiæ.

34 Prob. conclusio Secundò, quia actualis contritio est actus caritatis: ergo etiam actualis misericordia. Prob. consequ. à paritate rationis: quia ideo contritio pertinet ad caritatem Dei, quia per illam displicet mihi peccatum, & quãtum in me est cupio illud tollere, quatenus est quoddam malum Dei, eiq; displicet: ergo similiter misericordia, qua mihi displicet malum proximi qua tale, & qua cupio quantũ in me est illud tollere, erit actus caritatis erga proximũ.

35 Prob.Tertiò, quia Scripturæ explicãtes quomodo proximus amandus sit, communiter docent id faciendum per actus misericordiæ: & ex horum exhibitione aut defectu colligunt aliquem habere aut non habere caritatem. Ita Lucæ 10. Lucæ 10. ostenditur Samaritanum dilexisse proximum, quia ipse fecit misericordiam: & Iohan. Iohan. 15. 15. Christus præcipiens suis caritatem, quam erga se inuicem deberent habere, ostendit eam consistere in subleuatione miseriæ proximi, præsertim cùm hanc etiam cum nostro damno subleuamus, scilicet animam nostram pro eo ponendo. Item S.Iohan. epist 1.c.3. & S.Iacobus in 1.Iohan.3. Iacob.2. epistola sua c.2. pluribus ostendunt caritatem non posse consistere sine operibus misericordiæ, eamque ex his maximè demonstrari. Vnde etiam tam illi ibi, quàm etiam nos communiter eadem opera vocamus opera misericordiæ & caritatis.

36 Dices Primò, Misericordia tantùm versatur circa miseros, impellendo nos vt eorum miseriam subleuemus; caritas verò etiam versatur circa Beatos, impellendo nos vt ipsis sua bona gratulemur: ergo misericordia non est caritas.

Respõdeo, nego consequentiã, quia inde tantùm sequitur, caritatem non sub quacumque ratione consideratã posse dici misericordiam; sed tantùm quatenus versatur circa mala ipsius proximi subleuanda. Sicut etsi omne gaudium de bono diuino qua tali, sit actus caritatis; tamen non omnis amor boni diuini est gaudium, sed is solus qui certo modo versatur circa bonum Deo præsens, qua tale est; vt ostendi suprà dub. 1. & 2.

37 Dices Secundò, Per actum caritatis proximi volo ei bonum præcisè quia ei bonum est; aut saltem quatenus est bonum Dei, si illum amo propter Deum: atqui qui vult subleuare miseriã proximi quia hoc honestum est, non vult proximo bonum qua huic bonũ est, sed potiùs sibi vult illam honestatem, & consequenter vult proximo bonum, non qua proximo, sed qua sibi bonum est: ergo ipse hoc non facit actu caritatis, sed alterius particularis virtutis.

38 Respondeo, nego minorem: nam aliàs sequeretur, nos nunquam ex virtute caritatis siue beneuolentiæ erga proximum posse huic aliquod bonum velle: quia, vt ostẽdi suprà disp.3.dub.4. vt actus voluntatis, præsertim qui versatur circa obiectum quod potest malè appeti (quale est bonum proximi qua huic bonum) sit honestus, & consequenter vt sit actus virtutis, voluntas debet illud bonum appetere, quia honestũ est illud appetere; quare iuxta illam obiectionem voluntas debet illam honestatem sibi appetere, nec poterit actu honesto appetere bonum proximi quia huic bonum est, sed solùm quia sibi bonum est. quod apertè absurdũ est. Quare quòd aliquis sibi appetat honestatem alicuius actionis, nullo modo impedit quin alteri eodẽ actu velit bonũ qua ei bonum est, & vero actu beneuolentiæ: sed potiùs illud est necessarium vt hic actus sit vera virtus beneuolentiæ.

39 Dices Tertiò, Misericordia non respicit malum proximi absolutè sumptum, sed tanquam subleuandum, in quo reperitur particularis difficultas, ne aut nimia compassione deflectamus à iustitia, aut contrà ex imprudenti nemesi iudicantes miseros digna suis factis recipere, atque ita non esse subleuandos, deflectamus ad crudelitatem.

Respondeo Primò, veram caritatem, quæ non solis verbis diligit, sed opere & veritate, vt dicitur 1.Iohan.3. similiter respicere malum proxi- 1.Iohan.3. mi vt subleuandum: atque ita est eadem vtriusque ratio. Resp. Secundò, hoc argumentum vt summum probare secundam nostram conclusionem, scilicet, vt rectè ac ordinatè proximi misereamur nos indigere aliquo habitu moderante passiones, quæ possent rectum hac in re ordinem impedire. Quod nihil omnino facit contra quartam nostram conclusionem.

40 Dices Quartò, Ad Colos.3.cùm Apostolus eos adhortatus esset vt induerent viscera misericordiæ; subdit, *Super omnia autem hæc caritatem habete, quod est vinculũ perfectionis.* ergo sentit misericordiam esse virtutem distinctam à caritate. Coloss.3.

Respondeo, nego consequentiam: solùm enim significat caritatem habere varios alios actus siue effectus, quos in se non continet misericordia. Aut etiam & fortè magis ad sensum Apostoli, dici potest eum ibi accipere misericordiam pro externo ipsius opere siue elargitione eleëmosynæ, & caritatem pro amore interno. Item potest misericordia ibi accipi prout prouenit ex beneuolentia erga proximum, atque adeò prout est virtus moralis; & caritas pro virtute theologica.

DISPVTATIO XXVII.

De duobus prioribus actibus caritatis externis, scilicet beneficentia & eleëmosyna.

DVBIVM I.

Quid sit beneficentia, & quibus exhibenda?

1 Beneficentia per se pertinet ad caritatem Dei aut proximi.

CONCLVSIO I. Beneficentia est actus externus caritatis; vel theologicæ, si proximo benefiat propter Deum; vel virtutis moralis, si proximus ametur propter se, & vero actu beneuolentiæ erga ipsum. Ita D. Thomas q. 31. art. 1. & 4. vbi id etiam bene probat; quia beneficentia exterior ex se nata est proficisci ex actu interno, quo alteri bene volumus: atqui bene alicui velle est actus caritatis, alterutro ex modis iam dictis: ergo similiter bene alicui facere est actus caritatis.

D. Thom.

Per accidens pertinet ad alias virtutes.

Notat tamen D. Thomas, nos ob alios varios fines honestos posse aliis bene facere: & sic beneficentia pertinebit ad diuersas virtutes denominatione extrinseca: qua ratione etiam quiuis alij externi virtutum actus possunt à variis virtutibus imperari.

2 Quis ordo seruandus in beneficētia.

CONCLVSIO II. Debemus, quantum est in nobis, omnibus benefacere, saltem in genere pro omnibus hominibus quandoque orando: & in particulari iis, quibus necessitatem patientibus hîc & nunc benefacere possumus, magis tamen nobis coniunctioribus: quia hos tenemur præ aliis diligere, nisi aliorum necessitas aut aliæ circumstantiæ contrarium suadeant.

D. Thom.

Ita D. Thomas suprà a. 2. & 3. vide dicta disp. 25. dub. 9. vbi hæc satis explicui: eodem enim ordine tenemur vni præ altero benefacere, quo tenemur vnum præ alio amare.

DVBIVM II.

Quid sit eleëmosyna, seu cuius virtutis sit actus?

3 Eleëmosyna est actus externus misericordiæ.

NOta Primò, eleëmosynam venire à Græco ἐλεέω, id est misereor, atque idem significare cum misericordia, seu potiùs significare ipsum exercitium, siue externum opus misericordiæ; nam misericordia cōmuniter sumitur pro actu interno, & eleëmosyna pro externo opere. Sicut etiam à D. Thoma q. 30. & 32. sumuntur. Sicut igitur misericordia (vt dixi disput. 26. dub. 4. concl. 3.) est propriè displicentia miseriæ alienæ, & voluntas eam subleuandi; ita eleëmosyna est propriè ipsa subleuatio alienæ miseriæ, siue ipsum opus quo hæc subleuatur.

D. Thom.

4 Hinc quidam apud D. Thomam q. 32. art. 1. eam ita definiunt: *Eleëmosyna est opus, quo datur aliquid indigenti, ex compassione propter Deum.* In qua definitione verbum *compassio* dupliciter potest sumi. Primò, propriè pro vera passione, siue commotione partis inferioris animi alterius miseriæ compatientis; & sic illa pars definitionis non est essentialis, aut omnino necessaria: nam, vt satis patet ex dictis disp. 26. dub. 9. tam actus internus, quàm externus misericordiæ potest esse sine huiusmodi compassione; sed solùm indicat quid communiter in nobis fieri soleat: communiter enim dantes eleëmosynam, aliqua eiusmodi compassione ad id faciendum incitantur. Secundò, *compassio* potest sumi minùs propriè, pro interna voluntatis displicentia, qua ei aliena miseria displicet: & in hac significatione compassio misericordiæ est essentialis; vt suprà ostendi. Item quod ibi dicitur *propter Deum*, solùm est necessarium, vt eleëmosyna sit actus caritatis theologicæ. Nam vt sit verus actus misericordiæ, & consequenter vera eleëmosyna, sufficit quòd fiat vt proximi miseria subleuetur, siue ex amore beneuolentiæ erga ipsum proximum, vt patet ex dictis disp. 26. dub. 4.

Vtrum eleëmosyna debeat fieri ex compassione & propter Deum.

Nota Secundò, eleëmosynam tam in communi sermone, quàm in sacris Litteris, sæpè sumi pro re quam damus indigenti, vt eius inopiam subleuemus; sic vnus dicitur dare & alter accipere eleëmosynam. Hinc Lucæ 12. dicitur: *Vendite quæ possidetis, & date eleëmosynam.* & Actorum 3. *Rogabat autem vt eleëmosynam acciperet.*

Eleëmosyna accipiuntur suo obiecto.

Luc. 12.

Act. 3.

S. Thom.

Nota Tertiò, D. Thomam q. 32. a. 1. in corpore dicere, *quòd actus exteriores ad illam virtutem referuntur, ad quam pertinet id, quod est motiuum ad agendum huiusmodi actus.* Potest autem hoc dupliciter fieri. Primò, ita vt actus externus ordinetur ad finem siue motiuum sibi intrinsecum. Secundò, vt ordinetur ad finem sibi extrinsecum. Finis autem ille dicitur alicui actui externo intrinsecus, ad quem hic sua natura ordinatur, ita vt hic illū ex se natus sit causare. sic sumptio medicinæ est nata causare sanitatem, & datio eleëmosynæ nata est remouere miseriam pauperis; & ideo hi sunt fines intrinseci illarum actionum: fines verò extrinseci sunt alij ab his distincti, ad quos pro voluntate operantis illæ actiones ordinantur: vt si quis det alteri medicinam vt inde lucrum aut honorem consequatur: aut si quis det eleëmosynam vt satisfaciat pro peccatis, vel vt aliquid à Deo impetret. Ratione prioris finis, actus externi habent intrinsecam honestatem, & ex se sunt actus certæ virtutis: at ratione finis extrinseci, solùm sunt boni denominatione extrinseca, eaque sola ratione ad aliquam virtutem pertinent. Hinc quando aliquis dat eleëmosynam, vt aliquid ad salutem pertinēs à Deo impetret, illa datio intrinsecè & secundùm se, ac prout præscindit ab actu imperante, est actus misericordiæ;

Quis finis actui intrinseco & quis extrinsecus.

Vnde actus externus accipiat intrinsecam honestatem.

cordiæ; extrinsecè verò & prout moraliter informatur ab actu imperante, est actus spei. vide dicta suprà disp.3.dub.3.

7 Ex his patet eleemosynam propriè & ex se esse actum caritatis erga proximum: nam (vt iam ostendi) est propriè & ex se actus misericordiæ: hic autem, vt ostendi disp.26.dub.4. est propriè actus caritatis in proximum: nam omnis voluntas remouendi alterius malum, prouenit ex amore, quo ipsius bonum amamus, & vtraque voluntas ad eandem virtutem pertinet.

8 Cùm autem, vt dixi disp.24. dub.1. proximus possit amari, vel propter Deum tanquam aliquod bonum ipsius Dei, & consequentet caritate theologica; vel propter seipsum & ex amore beneuolentiæ erga ipsum, & consequenter ex caritate, quæ sit virtus moralis; sequitur eleemosynam ex se natam esse ab vtraque virtute proficisci. Patet, quia eleemosyna ex natura sua, nata est causare bonum ipsius proximi, subleuando ipsius miseriam, qui est finis amoris beneuolentiæ erga proximum. Cùm autem proximus ex natura sua sit res & mancipium ipsius Dei, bonum proximi ex natura sua est bonum extrinsecum ipsius Dei, sicut bonum equi, est bonum heri ipsius equi: & consequenter eleemosyna est ex natura suà, causatiua vtriusque boni tam proximi quàm ipsius Dei, & tanquam talis appetibilis, atque ita ex se pertinet tam ad amorem Dei, quàm ad amorem proximi: quamuis sicut magis immediatè spectat ad bonum proximi, ita magis immediatè ex huius amore proficiscitur, idque vel amore amicitiæ erga ipsum proximum, quando hic propter se amatur; vel saltem ex amore concupiscentię, quando proximus amatur propter Deum, siue eo amore qui erga Deum habeat rationem amicitiæ, & erga proximum solùm sit amor concupiscentiæ.

Qua ratione eleemosyna nata sit imperari ab amore Dei.

9 Nota Quartò, D.Thomam suprà in responsione ad secundum dicere eleemosynam quando ordinatur ad placandum Deum, habere rationem sacrificij, & imperari à latria. Mouetur autem, quia ad Hebræos 13 dicitur: *Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuiscì, talibus enim hostiis promeretur* (id est placatur ac nobis beneuolus redditur) *Deus.* Simili ratione Ecclesiastici 35. dicitur, *Qui facit misericordiã, offert sacrificiũ.*

D.Thom. *Hebr.13.* *Eccli.35.*

Quæ difficultatem habent. Primò, quia sicut desiderare habere Deum sibi placatum, non est actus latriæ, sed spei; ita actus externus quo aliquid facimus, vt Deus nobis placetur, non procedit à latria, sed à spe.

Secundò, quia vnicum est legis nouæ verum sacrificium ab eleemosyna omnino distinctum: ergo hæc non est verum sacrificium.

10 Ad primum Respondeo, D.Thomam non intendere docere, eiusmodi actum semper & necessariò proficisci, siue imperari à virtute latriæ: sed tunc solùm, quando fit per modum sacrificij, siue ad testandam subiectionem nostram erga Deum, ipsiusque in nos dominium.

Qua ratione eleemosyna sit sacrificiũ.

Ad secundum Respondeo, hostias & sacrificium tam à Scriptura quàm à D.Thoma ibidem latè sumi, pro quauis actione qua Deus quacunque ratione colitur seu honoratur: qualis est omnis actio bona, præsertim si in eum finem exerceatur vt Deus per eam colatur. Iuxta illud D.Augustini lib.10. de Ciuitate, c.6. *Sacrificium verum est omne opus bonum, quod agitur vt sancta societate inhæreatur Deo.* Vide quæ dixi to.1. de Sacram.q 83.a.1.dub.1.

Augustin.

11 Ratione autem eorum quæ D.Thomas docet in eadem responsione, disputant hîc multi an actus virtutis superioris possit imperari à virtute inferiori, v.g. actus caritatis à virtute spei. Negant id Lorca, Caietanus & Bañez in dictum artic. dub. 2. præsertim loquendo de actu virtutis formaliter sumpto. Primò, quia imperare est superioris: ergo virtus inferior nequit imperare virtuti superiori. Secundò, quia actus virtutis debet ferri in obiectum suum propter propriam honestatem: actus autem imperatus ab alia virtute, non in propriam, sed in honestatem, siue finem virtutis imperantis refertur. Quare Caietanus & Lorca concedunt virtutem inferiorem posse imperare actum virtutis superioris materialiter sumptum. Malderus verò ibidem §. *Quæres tertiò.* etsi initio videatur generatim asserere, virtutem inferiorem posse imperare actum virtutis superioris, tamen postea id restringit secundùm limitationem Caietani.

Lorca. *Caietan.* *Banez.* *Caietan.* *Lorca.* *Malderus.*

12 Sed absolutè dicendum est, virtutem inferiorem posse imperare actum virtutis superioris etiam formaliter sumptum, atque adeò actum internum talis virtutis. Ita Valentia 2.2. disp.3.q.9.puncto 1. vbi id etiam bene probat; nam vnam virtutem imperare actum alterius, nihil est aliud, quàm voluntatem ex desiderio obtinendi finem vnius virtutis, moueri ad eliciendum actum alterius virtutis, quatenus ad illum finem est vtilis: atqui fieri potest vt actus virtutis superioris etiam formaliter sumptus sit vtilis, aut etiam hîc & nunc sit necessarius, ad obtinendum finem alterius virtutis: ergo hic poterit ob illum finem à voluntate eligi; atque ita ab illa virtute imperari. Minorem latis probaui disp.3. dub.9. & clarè patet in eo qui conscius sibi peccati mortalis, & non habens confessarium, instante mortis periculo ex timore inferni, siue ex amore vitæ æternæ cupit iustificari, & scit ad hoc necessariam esse contritionem, ideoque eam in se excitat. quo casu ille ex desiderio vitæ æternæ, quod est actus spei, imperat sibi actum formalem caritatis (omnis enim vera contritio supponit actum formalem caritatis, à quo procedat) tamquam necessarium ad finem virtutis spei, & consequenter virtus spei imperat formalem actum caritatis, vt patet ex dictis.

Virtus inferior imperat actum virtutis superioris. *Valentia.* *Quid sit vnũ actum imperare alterũ.*

13 Ad primum argumentum contrarium, Respondeo antecedens solùm esse verum in eo qui propriè & sua auctoritate alteri imperat: secùs autem esse in eo qui imperat aliquid impropriè & auctoritate aliena; vt fit in nostro casu, vbi vna virtus imperat non per se immediatè & vi sua, sed mediante voluntate, & virtute ipsius; quæ habet suos actus in sua potestate, & hac ratione est iis superior. Sicut etiam

rex sæpè per inferiorem imperat aliquid huic superiori, sibi tamen subiecto.

Actus imperatus potest habere obiectum formale toto genere distinctum ab obiecto actus imperantis.

Ad secundum, Respondeo eundem actum voluntatis posse directè ferri in suum obiectum, ob propriam suam honestatem, & tamen simul alio actu referri in alium finem. vt patet in exemplo allato: nam contritio detestatur peccata præcisè quia displicent Deo, & tamen ab eliciente per actum spei refertur in finem ipsius spei.

Nota tamen actum imperatum eo casu non accipere vllam bonitatem ab actu imperante: hoc enim solùm conuenit actibus externis respectu actus interni, à quo immediatè imperantur. vt ostendi disp.3.dub.10.

DVBIVM III.

Vtrùm eleëmosyna rectè diuidatur in septem corporales & septem spirituales?

14 Respondeo, ex communi omnium sententia rectè ita diuidi: quod pulchrè ostendit *D.Thom.* D.Thomas suprà art.2. omnesque his duobus versibus comprehendit:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo,
Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Priore comprehenduntur opera misericordiæ corporalia, secundo spiritualia: ita tamen vt sub verbo *consule* subintelligatur etiam *doce ignorantes*, vt monet D.Thomas suprà.

15 Vbi etiam in responsione ad 2. bene notat, posse diuersa alia dari opera misericordiæ, quæ strictè loquendo à supradictis distinguantur. Qualia sunt ducere cæcum per rectam viam, liberare oppressos ab opprimentibus, succurrere patienti naufragium, aut simili aliqua ratione in periculo existenti; defendere læsam alterius famam, aliaque similia, quæ plurima enumerari possent. Cùm enim omnis honesta subleuatio miseriæ proximi sit eleemosyna, sicut nobis tam in corpore quàm in anima ferè innumeræ possunt occurrere miseriæ, ita innumera ferè deberent recenseri misericordiæ opera, si omnia distinctè essent recensenda. Communiter tamen sola supradicta solent recenseri, ac aliis proponi; tum quia maximè communia sunt, tum etiam quia alia aut possunt ad ea facilè reduci, aut ex iis intelligi.

16 Vbi præterea Notandum est, per visitare infirmos, non intelligi solam visitationem quatenus hæc adfert aliquod solamen ægro, qua ratione videtur potiùs pertinere ad consolationem mœstorum: sed præcipuè intelliguntur opera & cura ægris impensa, quibus eorum morbus aliqua ratione subleuari possit.

17 Addit præterea D.Thomas art.3. eleemosynas spirituales ex genere suo esse præstantiores *D.Thom.* corporalibus. Primò, quia dona spiritualia sunt nobiliora corporalibus. Secundò, quia per illa subleuatur spiritus, qui melior est corpore. Tertiò, quia actus spirituales, quibus exhibetur eleemosyna spiritualis, sunt nobiliores corporalibus. Subdit tamen ratione circumstantiarum & ob indigentiam proximi, corporales quandoque esse præferendas spiritualibus; extrema enim fame laborans potiùs pascendus est quàm erudiendus. Item cùm corporales ferè fiant cum maiore incommodo dantis, eò quòd dando fiat pauperior, sunt etiam difficiliores, & ex hac parte sæpè earum laus & meritum multùm crescit; præsertim quando aut magnæ sunt, aut fiunt ab iis qui re quam dant etiam notabiliter indigent.

His positis solùm hîc restat aliqua difficultas, vtrùm sepultura mortuorum debeat numerari inter opera misericordiæ. Quidam enim hæretici nostri temporis apud Bellarm. libr. de Purgatorio cap. vltimo, inter multa alia, quæ Catholici in suorum sepultura vsurpare solent, hoc etiam reprehendunt, quòd credamus sepulturam mortuorum esse opus misericordiæ, pium & Deo gratum. 18 *Bellarm.* *Error hæret. circa sepulturam.*

Primò, quia Matthæi 25. Christus enumerans sex alia opera misericordiæ corporalia nullam facit mentionem sepulturæ: ergo censet eam non esse opus misericordiæ. Secundò, quia opera misericordiæ dicuntur exhiberi creaturæ rationali, quale non est cadauer. Tertiò, quia sepultura nullo modo prodest defunctis, nec ea carere iis vllo modo obest: ergo eos sepelire non est opus misericordiæ. *Matth.25.*

Antecedens patet Primò, ex cap. *Sacris.* de sepultura. vbi dicitur iustis non obesse sepulturam nullam vel vilem. Secundò, quia S. Augustinus lib.1. de Ciuitate cap.12. ait: *Quia ista, id est curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis sunt viuorum solatia quam mortuorum subsidia.* Quartò, quia Christus Lucæ 12. docet non esse timendos tyrannos, qui corpus occidunt, & postea non habent quod faciant; quod verum non esset, si mortuo obesset carere sepultura. *c.Sacris.* *Aug.* *Luc.12.*

Sed sepulturam defunctorum esse verum opus misericordiæ erga defunctos, non solùm omnes Catholici asserunt, sed Scriptura apertè testatur: nam 2.Regum 2. cùm nuntiatum esset Dauidi quòd viri Iabes Galaad sepeliuissent Saul, misit ad eos nuntios qui suis verbis iis dicerent, *Benedicti vos à Domino, quia fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, & sepelistis eum.* Vbi Dauid expressè vocat sepulturam opus misericordiæ erga defunctum, docetque illos viros ob eam Sauli exhibitam esse benedictos à Domino, siue à Domino aliquam benedictionem meruisse. Item Tobias in Scripturis plurimùm laudatur, quòd inter cetera misericordiæ opera tam sedulò defunctos sepelierit. 19 *2.Reg.2.*

Probatur Secundò, ex Patribus, quos fusè citat Valentia 2.2. disp.3. qu.9. puncto 2. Vnus hîc mihi sufficiet Ambrosius, qui libro de Tobia cap.1. ait: *Nihil hoc officio præstantius, ei conferre (scilicet beneficium) qui tibi iam non possit reddere: vindicare à volatilibus, vindicare à bestiis consortem naturæ.* *Valentia.* *Ambros.*

Probatur Tertiò, ratione. Primò, quia aliquem honestè sepeliri, pertinet ad honorem & famam defuncti; sicut contrà priuari sepultura est ei ignominiosum; vnde hoc etiam affectis supplicio, tam quam ipso supplicio ignominiosius, solet pro graui pœna infligi. Confirmatur, 20

quia

quia secundùm commune iudicium, censemur honorare defunctos, eorum imagines aliasue res ad eos pertinentes, honorificè asseruando; & contrà censemur eos afficere dedecore, si hæc viliter & neglectim habeamus, aut etiam abiiciamus; quanto igitur magis ad eorum honorem aut contemptum pertinet, si hac vel illa ratione eorum corpora tractemus?

Augusſt. Vnde D. Augustinus lib.1. de Ciuitate cap.13. *Non contemnenda,* inquit, *nec abiicienda sunt corpora defunctorum, maximè iustorum & fidelium, quibus tamquam organis & vasis ad omnia opera bona sanctus vsus est Spiritus. Si enim paterna vestis, aut annulus, aut si quid huiusmodi, tanto carius est posteris, quanto erga parentes maior extiterit affectus; nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ vtique familiariùs atque coniunctiùs, quàm quælibet indumenta gestamus.* Et paulò infrà: *Vnde & antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ, & sepultura prouisa; ipsiq; dum viuerent de sepeliendis vel etiam transferendis suis corporibus filiis mandata dederunt.* Vbi deinde pluribus probat hoc opus esse pium, & Deo gratum.

21 Probatur ex ratione Secundò, ex communi affectu & cura quam morituri circa suam sepulturam habent. vt patet ex verbis D. Augustini, & exemplis antiquorum Patriarcharum; cui affectui per sepulturam satisfit. Tertiò, quia Ecclesiastica frui sepultura per accidens multum sæpè defunctis prodest, ratione precum quæ pro fidelibus talibus locis sepultis particulatim funduntur. Quod pulchrè & fusè docet D. Augustinus lib. de Cura pro mortuis gerenda cap. 4. vbi inter alia ait: *Quoniam si nonnulla religio est vt sepeliantur, non potest nulla esse, quando vbi sepeliantur attenditur.* Deinde docet hoc prodesse mortuis, quia alij, *dum recolunt vbi sint posita eorum, quos diligunt, corpora, iisdem Sanctis* (quibus scilicet illa sepulturæ loca consecrata sunt) *illos tamquam patronis susceptos hospites apud Dominum adiuuandos orando commendant.*

Ecclesiastica sepultura qua ratione prosit.

Augusſt.

Valentia. Bañez. Ob huiusmodi rationes Valentia suprà secutus Bañez docet, esse peccatum mortale, sine vlla iusta causa omittere sepulturam, cùm ea defuncto commodè possit exhiberi, quia est quædam inhumanitas erga naturam humanam.

Quale peccatum negligere sepulturam.

22 Ad primum argumentum positum n.18. nego consequentiam, quia Christus ibi non intendit omnia misericordiæ opera enumerare; sed illa sola, quæ frequentiùs occurrunt, & ab hominibus negliguntur: aut etiam potest dici ipsum solum intendisse recensere ea, quæ ex sola misericordia solent alienis exhiberi, & sub iis voluisse reliqua intelligi; sepultura autem communiter ab amicis curatur tamquam aliquid spectans ad honorem familiæ, adeoque rarò aliis incumbit onus eam curandi ex misericordia.

Ad secundum, Respondeo sepulturam exhiberi non tam in gratiam cadaueris, quàm ipsius animæ, qui, vt patet ex dictis, ea ratione officium & misericordiam præstamus.

Coninck de act. supernat.

Ad tertium eiusque probationes, Respondeo solùm probare, sepulturam per se non posse prodesse defunctis, efficiendo eos felices, sicut nec eius carentia potest eos reddere infelices, quasi animæ tam diu loco Beatorum excluderentur, donec eorum corpora sepeliantur, vt olim quidam Gentiles credebant; quos refutat D. Augustinus loco in argumento citato, & præcipuè libr. de Cura pro mortuis gerenda c.2. & hoc solùm vult Christus Lucæ 12. vnde etiam subiungit eum solùm timendum, qui potest animam mittere in gehennam, & ita cælo excludere. Per accidens tamen sepulturam prodesse defunctis, tum ad illorum honorem ac venerationem augendam, tum etiam vt viuentium precibus magis iuuentur, patet ex dictis, & ipse August. supià citatus docet.

D. Augusſt. *Luc.12.*

Obiiciunt præterea aliquid, quod Christus dicit Lucæ 11. *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum, patres autem vestri occiderunt illos: profectò testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra.* Qui locus satis obscurus est, & varij variè ad eum respondent, quorum responsiones fusè recenset Turrianus 2.2. disp.81. dub.1. Sed his omissis Respondeo Primò, hunc locum nihil facere contra præsentem materiam; & vt summum quadam externa apparentia ibi videri improbari cultum reliquiarum Sanctorum. Respondeo Secundò, eum locum etiam omnino nihil facere contra cultum reliquiarum, sed potiùs eum probare, tanquam opus ab omni antiquitate habitum pium.

23 *Luc.11.* *Turrian.*

Pro eius explicatione Nota, Lucæ verba esse valdè concisa, & quædam relinquere subintelligenda, quæ supplet S. Matthæus cap.23. vbi Christus ait: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis, Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine Prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum qui Prophetas occiderunt.* Ex quibus patet Primò, Iudæos tunc vulgò existimasse esse opus pium sepulchris & ornatis monumentis venerari Sanctorum reliquias: quia Christus Scribas ibi vocat hypocritas, quòd ex hoc opere, sicut ex decimatione menthæ & anethi, & aliis similibus operibus ex se bonis vanam gloriam & opinionem sanctitatis sibi quærerent. Nec Christus ea opera secundùm se reprehendit, sed solam eorum malam intentionem, & quòd dum illa facerent, grauiora præcepta negligerent, vt ex toto contextu capitis patet, & præsertim v.23.

24 *Matth.22.*

Patet Secundò, Scribas & Pharisæos ostendisse se esse filios eorum qui Prophetas occiderant, non quidem ædificando horum sepulchra (hoc enim nulla apparentia) id probat, sed potiùs contrarium; vnde etiam, vt patet ex verbis S. Matthæi, ipsi eiusmodi operibus volebant ostendere se abhorrere omnino à factis patrum suorum) sed Primò, vocando eos, qui occiderant Prophetas, suos patres; Secundò, similiter occidendo Prophetas, quos Deus tunc

25

ad eos mittebat, scilicet Christum eiusque discipulos, vt tam Matthæus quàm Lucas subiungunt. Illa igitur verba apud S.Lucam, *Quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra*; non debent referri ad illa proximè præcedentia, *Profectò testificamini quòd consentitis operibus patrum vestrorum.* sed ad alia præcedentia, *Væ vobis*, &c. Reddit enim ibi Christus rationem cur sint hypocritæ & reprobi: quia nimirum cùm tam verbis quàm etiam ædificatione sepulchrorum, damnarent occisores Prophetarum, nihilominus ipsi eos imitabantur, similiter occidendo Christum eiusque discipulos à Deo ad se missos; atque ita seipsos condemnabant, & apertè ostendebant se grauissimis suppliciis dignos esse: scilicet verbis & factis grauiter in suis maioribus damnando ea, quibus ipsi similia atque etiam peiora perpetrabant. Hanc explicationem pulcherrimè paucis tradit D. Ambrosius libr. 7. in Lucam in fine cap. 11. vbi de Scribis loquens, air: *Qui ædificando sepulchra Prophetarum, suorum patrum facta damnabant: æmulando autem paterna scelera, in seipsos sententiam retorquebant. Etenim propheticorum ædificatione tumulorum, sceleris eos qui occiderant arguebant, & similium æmulatione factorum se quoque declarabant paterna iniquitatis heredes. non igitur ædificatio, sed æmulatio loco criminis æstimatur.* Quibus nihil pulchrius & breuius pro huius loci explicatione dici potuit.

Ambros.

DVBIVM IV.

Qua ratione eleëmosyna operetur in dante remissionem peccatorum alioſue effectus spirituales?

26 D. Thomas quæst. 32. art. 4. tribuit eleëmosynæ duplicem effectum spiritualem: Primum eum quem producit ratione suæ causæ, siue ratione affectus ex quo fit, vt quando fit ex vera caritate Dei vel proximi; tunc enim certum est eam ratione actus à quo imperatur habere eosdem effectus, quos habet dilectio Dei aut proximi.

D. Thom. Duplex eleëmosynæ effectus.

Secundum quem habet ratione sui effectus, scilicet quatenus excitat recipientem vt pro dante oret; & sic intelligitur id quod dicitur Ecclesiastici 29. *Conclude eleëmosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.*

Eccli. 29.

27 Et de his satis constat inter Catholicos, qui omnes fatentur Primò, eleëmosynam factam ex vera caritate theologica, ratione huius per modum vltimæ dispositionis valere ad remissionem peccati: quia omnis actus veræ caritatis Dei elicitus à peccatore, hunc vltimò disponit ad gratiam iustificantem, vt communiter omnes fatentur, & fusiùs ostendi tomo 2. de Sacramentis disputatione 2. dubio 1. 2. & 3. Secundò, eleëmosynam factam à iusto ex vera caritate mereri augmentum gratiæ & gloriæ. Idemque dicendum esse de omni ea, quæ à iusto fit ex quouis fine aliquo modo supernaturali, siue tendente in Deum, satis ostendi suprà disp. 3. dub. 9. Tertiò, eandem esse satisfactoriam pro pœnis post peccatum remissum adhuc restantibus, satis ostendi tomo 2. de Sacramentis disput. 10. dub. 3. & 4. vbi ostendi id generatim conuenire omni operi bono facto à iusto. Quibus locis etiam refutaui hæreticos nostri temporis, negantes nos siue per eleëmosynam, siue per vlla alia bona opera posse quidquam apud Deum mereri, aut pro peccatis satisfacere.

Restat hìc solùm explicanda difficultas, qua ratione eleëmosyna non facta ex amore Dei super omnia, sed ex alio fine honesto valeat ad remissionem peccati mortalis. Qua in re præcipua difficultas est cum quibusdam hæreticis, qui olim tempore D. Augustini, vt ipse refertur lib. 21. de Ciuitate cap. 22. putabant eam tantam habere vim remittendi peccata, vt quicumque fidelis daret eleëmosynas, modò ex animo remitteret offensas omnibus iis qui ipsum offenderant, quoties hi veniam peterent; quantumuis ipse in aliis peccatis perseueraret, nullo tamen modo perpetuò damnaretur: sed saltem pœnis Purgatorij post exiguum vel longum tempus, ab omnibus peccatis purgatus tandem perueniret ad cælum.

28 *Augus.*

Probant autem suum errorem ex Scripturis. Primò, quia Lucæ 11. Christus dicit Scribis, *Verumtamen quod superest date eleëmosynã, & ecce omnia munda sunt vobis.* Secundò, quia Christus Matthæi 6. iubet nos in quotidiana oratione dicere Deo, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* & deinde subiungit: *Si enim dimiseritis peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis peccata vestra.* Vbi Christus videtur generatim promittere remissionem peccatorum omni remittenti alteri quæ in se peccant: quæ remissio est quædam spiritualis eleëmosyna. Tertiò, quia Tobiæ 4. dicitur, *Eleëmosyna ab omni peccato & morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Quartò, sanctus Iacobus c. 2. air: *Iudicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam: superexaltat autem misericordia iudicium.* Vbi indicatur solis illis futurum iudicium sine misericordia, qui misericordiam non fecerint. quò etiam pertinet illud Matthæi c. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Quintò, 1. Petri 4. dicitur: *Caritas operit multitudinem peccatorum.* Eleëmosyna autem est actus caritatis. Sextò, quia Christus Matthæi 25. reddens rationem cur aliqui saluentur, alij verò æternùm damnentur, hanc solam adfert, quòd illi fecerint opera misericordiæ, hi verò non. Alia similia multa habentur pluribus Scripturæ locis.

Luc. 11. *Matth. 6.* *Tob. 4.* *Iacob. 2.* *Matth. 5.* *1. Pet. 4.* *Matth. 25.*

29 Pro eadem opinione videntur facere plurima dicta Patrum, qui videntur eleëmosynæ tribuere eandem aut etiam maiorem vim delendi peccata, quàm habet baptismus. Hinc D. Ambrosius serm. 31. air: *Ita igitur eleemosyna extinguit peccata, sicut aqua baptismi gehennæ extinguit incendium.* Et paulò infrà: *Ergo eleëmosyna quodammodo animarum aliud est lauacrum, vt si quis fortè post baptismum humana fragilitate deliquerit,*

Ambros.

querit, superſit ei vt iterum eleemoſynis emundetur: ſicut ait Dominus, Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis. Niſi (quod ſalua fide dixerim) eleëmoſyna eſt indulgentior quàm lauacrum. Lauacrum enim ſemel datur, & ſemel veniam pollicetur; eleemoſynam autem quoties feceris, toties veniam promereris. Item S. Cyprianus ſermone de opere & eleëmoſynis ſub initium, citans illud Eccleſiaſtici 3. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis*; *Hic quoque*, ait, *oſtenditur & probatur, quia ſicut lauacro aquæ ignis extinguitur; ita eleemoſynis atque operibus iuſtis delictorum flamma ſopitur: & quia ſemel in baptiſmo remiſsio peccatorum datur, aſsidua & iugis operatio baptiſmi inſtar imitata Dei rurſus indulgentiam largitur.* Similia habent & alij Patres. vide S. Chryſoſtomum homilia 33. ad populum Antiochen. S. Leonem ſerm. 2. de collectis, Nazianzenum in orat. de pauperum amore ſub finem, Auguſtinum ſerm. 50. de tempore, cap. 10. in illud Matth. 25. *Venite benedicti*, &c. *Eſurini enim, & dediſtis mihi manducare*, &c.

Cyprian. *Eccli. 3.* *Chryſoſt.* *Leo.* *Nazianz.* *Auguſt.* *Matth. 25.*

30 Conclvsio I. Certa fide tenendum eſt peccata actualia, ſine vera pœnitentia ſaltem virtuali, ſimiliſque propoſito emendationis, nullo modo vnquam remitti; atque adeò in peccatis perſeuerantem, nullo modo per ſolas eleëmoſynas, aut ſine vera illorum pœnitentia ſaluari poſſe. Ita expreſsè Tridentinum ſeſſione 14. cap. 4. vbi ait: *Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius.* Vbi contritionem latè accipit, prout complectitur etiam attritionem, quam iunctam Sacramento inferiùs docet ſufficere ad remiſſionem peccati.

Trident.

Eandem apertè docet Scriptura: nam Lucæ 13. Chriſtus ait Iudæis: *Niſi pœnitentiam egeritis ſimul omnes peribitis.* Item Actorum 2. Iudæis petentibus quid ſibi eſſet neceſſarium ad obtinendam remiſſionem ſui peccati, S. Petrus ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm.* Vbi pœnitentiam tamquam medium ad remiſſionem peccati omnino neceſſarium exigit. Item Apoſtolus 1. ad Corinthios 13. *Etſi*, inquit, *diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, &c. caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Vbi expreſsè docet, elargitionem eleëmoſynarum quantumuis magnam non prodeſſe perſeuerantibus in diſſenſione aliiſque ſimilibus peccatis.

Luc. 13. *Act. 2.* *1. Cor. 13.*

Eôdem pertinent alia loca Scripturæ, quæ ad ingreſſum in vitam æternam requirunt obſeruationem omnium præceptorum, & ab eo peccatores excludunt. Matthæi 19. *Si autem vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* & 1. ad Corinthios 6. *Neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri*, &c. *regnum Dei poſſidebunt.*

Matth. 19. *1. Corint 6.*

31 Eandem communi ſenſu docent omnes Patres; fuſeque eam probat D. Auguſtinus libr. 21. de Ciuitate cap. 27. & in Enchiridio cap. 75. & 76. & in epiſtola 48. ad Vincentium, vbi in fine ait: *Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel à quocumque ſeu magno ſeu paruo peccato, ad correctionem ſine pœnitentia poſſe tranſire.* Item D. Gregorius in Paſtorali p. 3. cap. 21. *Ne*, inquit, *venalem Dei iuſtitiam æſtiment, ſi cùm curant pro peccatis nummos tribuere, arbitrentur ſe poſſe inultè peccare.* Vbi etiam pulchrè rationem noſtræ concluſionis reddit, contrarium errorem refutando; quia nimirum qui putant ſe quantumuis in peccatis perſeuerent, poſſe tamen dando eleëmoſynam impetrare veniam, putant iuſtitiam Dei eſſe venalem, & ſe poſſe impunitatem peccandi à Deo emere. quæ maxima in Deum eſt iniuria: ſicut grauiſſimam alicui iuſto principi aut iudici faceret iniuriam, qui nummos ei offerret vt emeret ab eo licentiam quæuis ſcelera impunè faciendi. Quæ pulchrè etiam proſequitur D. Auguſtinus locis citatis.

Gregor. *Auguſt.*

Conclvsio II. Eleëmoſyna facta à peccatore ex fine honeſto, confert ad remiſſionem peccati. Primò, quatenus homo ſua liberaliter pauperibus elargiens paulatim erga res temporales minùs afficitur (quo enim eas magis à nobis abiicimus, eo animus iis minùs adhæreſcit:) atque ita fit aptior vt diuinam recipiat gratiam eique cooperetur. Secundò, quia hac ratione excitat recipientem vt Deum pro ipſo oret, ac gratiam qua conuertatur ei impetret. Tertiò, quia eleëmoſyna ex gratia Dei præueniente facta eſt ſingulariter impetratiua gratiæ præuenientis, qua homo ad veram pœnitentiam ac veniam peccatorum facilè, ſi velit, poſſit peruenire: iuxta illud Matthæi 5. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* & Eccleſiaſtici 29. *Conclude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* quod tam de ſecundo quàm de tertio modo ex iam dictis intelligi poteſt.

32 Qua ratione eleëmoſyna conferat ad remiſſionẽ peccati.

Matth. 5. *Eccli. 29.*

Quamuis autem peccator etiam per alia opera bona ex gratia præueniente facta mereatur de congruo maiora auxilia, quibus à peccato poſſit reſurgere; ea tamen præcipuè & ſingulari ratione meretur per opera miſericordiæ. Primò, quia miſericordia per ſe & ſingulariter meretur miſericordiam, iuxta illud: *Beati miſericordes*, &c. Secundò, quia, cùm Deus eleëmoſynam reputet ſibi factam (iuxta illud Matth. 25. *Amen dico vobis quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis:*) qui eam debitè facit, ſingulariter Deum ſibi quodammodo obligat ad gratiam retribuendam: iuxta illud Prouerb. 19. *Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis; & vicißitudinem ſuam reddit ei.* Atque ita Deus ratione ſuæ promiſſionis tenetur ei cum fœnore, atque adeò abundantiorem gratiam retribuere.

33 Per opera miſericordiæ ſingulariter meremur gratias præuenientes.

Matth. 25. *Prou. 19.*

Quidam apud Lorcam 2. 2. ſect. 3. diſp. 34. num. 7. addunt eleëmoſynam ex infallibili Dei promiſſione habere ſibi annexam gratiam efficacem, ita vt eam faciens infallibiliter ſit conuertendus. Sed hoc ſine vllo fundamento & planè improbabiliter, atque adeò periculosè dicitur: tum quia nullibi talis promiſſio exſtat, nec eam Patres vnquam cognouerunt:

34 *Lorca.* Eleëmoſyna non ſemper impetrat gratias efficaces.

Augustin. Gregor. 1. Cor. 13.

uerunt: nam D. Augustinus & D. Gregorius, atque adeò ipse Apostolus 1.ad Corinth.13. citati num.30.& 31. apertè docent, posse fieri vt aliquis dans eleëmosynas perseueret in peccatis & de facto damnetur. & ipsa experientia hoc etiam docet; cùm videamus non solùm malos Catholicos vsque ad finem vitæ, in concubinatu aliisue similibus peccatis perseuerantes, sed etiam hæreticos sæpè dare eleëmosynas: hæc autem essent falsa, si omnes dantes eleëmosynam infallibiliter acciperent gratiam efficacem, qua conuerterentur. Tum etiam quia illa opinio præbet hominibus occasionem sine timore damnationis perseuerandi in peccatis, modo dent eleëmosynas, quia secundùm illam tandem infallibiliter conuertentur, & saluabuntur.

35 Ad loca autem Scripturæ & Patrum suprà allata varij variè respondent. Quidam volunt in iis ideo dici eleëmosynam delere peccata, quia propter eam iustis remittuntur pœnæ ob peccata secundùm culpam remissa adhuc debitæ. Sed quamuis hoc verum sit, tamen loca citata longè plus innuunt: quia agunt etiam de eleëmosyna data à peccatore, & consequenter de vera remissione ipsius culpæ; vt legentibus erit facilè videre. *Lorca.* Igitur Lorca suprà num.11. vult ea omnia testimonia loqui de eleëmosyna facta ex vera caritate theologica, siue coniuncta cum vera contritione; atque hac ratione promittere facienti infallibiliter remissionem peccati. Probat, quia Scripturæ opera misericordiæ vocant opera caritatis, & totam perfectionem caritatis proximi in eiusmodi operibus constituunt. vt patet 1.Iohan.3.v.17.& 18. & alibi. *1.Iohan 3. Augustin.* Vnde etiam D.Augustinus libr.21. de Ciuitate cap.27. & in Enchiridio cap.76. loca Scripturæ promittentia remissionem peccati intelligit de eleëmosyna, vt ait, ordinatè facta, quam scilicet quis primò sibi facit conuertendo se toto corde ad Deum. *Eccli. 30. Leo.* Iuxta illud Ecclesiastici 30. *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Similia habet S.Leo serm.2.de collectis. & quidam alij.

36 Sed etsi certum sit, per eiusmodi actus peccata remitti, & quædam Patrum loca possint hoc modo explicari; tamen tam Scripturæ quàm alij Patres plus videntur velle. Primò, quia tam Scripturæ quàm Patres videntur singularem aliquam vim tribuere hac in re eleëmosynæ: secundùm illam autem explicationem non plus ei tribuerent quàm cuiuis alteri externo operi; quoduis enim opus ex caritate theologica factum, ratione huius habet vim remittendi quæuis peccata. Secundò, quia sic ipsa datio eleëmosynæ propriè nunquam vlla ratione remitteret peccata, nec ad eorum remissionem iuuaret: sed eam præsupponeret iam factam per actum internum caritatis, à quo proficiscitur; quique eam necessariò non modò natura, sed etiam tempore præcedit: cùm ille actus eliciatur in instanti, donatio autem eleëmosynæ fiat in tempore illud instans sequente.

Imò non solùm externam dationem eleëmosynæ, sed etiam ipsam voluntatem eam dandi propter Deum necessariò, præsertim in peccatore, saltem priùs natura præcedit verus actus caritatis Dei, sicut electionem medij necessariò præcedit intentio finis; vt ostendi suprà disput.24. num.137. Vnde sequitur, non solùm ipsam externam eleëmosynæ dationem, sed etiam voluntatem eam dandi propter Deum secundùm dictam explicationem nunquam operari remissionem peccati; sed eam per actum caritatis à se distinctum iam priùs natura factam præsupponere. 37

Probatur Tertiò, quia cùm, vt iam ostendi, ipse amor quo Deus amatur propter se, sit causa & via eliciendi amorem proximi propter Deum, atque adeò debeat per illum ad hunc peruenire, non contrà; sicut per intentionem debet peruenire ad electionem, non contrà; secundùm illam explicationem homines non essent excitandi, vt per eleëmosynarum largitionem conarentur peruenire ad reconciliationem cum Deo, & sic ad eius amorem ac amicitiam; sed priùs essent excitandi ad amorem Dei, vt hac ratione permouerentur vt proximum amarent eique benefacerent propter Deum; sicut priùs excitamus homines ad amorem finis, quàm ad electionem mediorum. Vnde etiam D. Augustinus in Enchiridio cap.76. *Augst.* vult peccatorem priùs sibi dare eleëmosynam reconciliando seipsum Deo, & deinde eam dare proximo: cùm tamen Scripturæ ferè omnibus locis suprà citatis, & aliàs sæpè peccatores excitent vt dent eleëmosynas, vt per has veniam peccatorum obtineant: ex quo sequitur eas aliter debere intelligi.

Respondeo igitur, tam Scripturas quàm Patres tribuentes eleëmosynis vim delendi peccata communiter id dicere Primò, quia eleëmosyna facta à iusto habet singularem vim satisfaciendi pro pœnis, ob peccata priùs facta & iam secundum culpam remissa adhuc infligendis: idque ob rationes allatas num.33. Secundò & præcipuè, quia ipsa ob honestum finem ex præueniente Dei gratia facta habet singularem vim impetrandi abundantiores gratias præuenientes, ac hominem disponendi vt eas vtiliter recipiat, quibus peccator facilè possit ad veram pœnitentiam peruenire, atque omnino sit peruenturus, nisi nimia malitia & obstinata voluntate vim diuinæ gratiæ, prout potest, impediat: iuxta dicta conclus.2. Cùm igitur eleëmosyna dicta ratione data, præsertim ab homine aliquo modo bonæ voluntatis, habeat ex natura sua singularem vim impetrandi à Deo talem gratiam qua peccator ad reconciliationem cum Deo, si velit, facilè perueniat, & qua etiam de facto plurimi ad eam perueniunt, atque adeò omnes peruenirent, nisi sua obstinatione omnino sponte Dei gratiæ obicem ponerent eamque negligerent; Scriptura generatim dicit eleëmosynam delere peccata, nec permittere animam ire in tenebras. Solent enim Scripturæ sæpè generatim dicere aliqua fieri, quæ vt plurimùm fiunt, aut quæ quàm est 38

Quis ratione Patres & Scriptura tribuant eleëmosynæ vim delendi peccata.

Quæ vt plurimùm fiunt Scriptura generatim asserunt.

est ex se nata sunt ex tali causa fieri, nisi aliunde impediantur. Sic Ioël.2.v.28. dicitur tempore Christi spiritum Dei effundendum super omnem carnem, ita vt omnes prophetent. Et Iohannis 6.v.45. ex Isaiæ 54.v.13. dicuntur omnes fore docibiles Dei, scilicet quantum est ex vi meritorum & gratiæ Christi: etsi multi ob suum defectum Dei cognitionem & spiritum non participent.

Ioël.2. *Iohan 6.* *Isaiæ 54.*

39 His adde Tertiò, eleëmosynam peccatoris, etiam eius qui se non conuertit ex toto corde ad Deum, sed adhuc hæret in suis peccatis, sæpè valere ad remissionem, aut saltem dilationem pœnarum temporalium, quas Deus ipsi in hac vita, aliàs esset ob peccata inflicturus; etsi nec culpa, nec pœna æterna ei remittatur. Et sic etiam videtur posse intelligi dictum Danielis cap.4. ad Nabuchodonosor, *Peccata tua eleemosynis redime.* Imò teste Hieronymo in eum locum, ipse Nabuchodonosor de facto per eleëmosynas impetrauit dilationem illius pœnæ per integrum annum, donec relapsus in superbiam rursum vindictam contra se excitauit. Ex quibus patet facilis responsio ad omnia loca Scripturæ & Patrum suprà citata n.28.

Quam vim habeat eleëmosyna in perseuerantibus in peccato. *Daniel* 4. *Hieron.*

40 Ad primum, Respondeo Christum ibi hortari Pharisæos, vt, qui exteriùs se sæpiùs lauabant & volebant videri mundi, cùm intus essent pleni rapina & iniquitate; etiam darent operam & quidem maiorem, vt interiùs in conscientia essent mundi; & deinde suggerere medium quo id possent assequi. Nam subdit: *Quod superest* (scilicet post restitutionem iniustè ablatorum, siue, vt Græca habent, τὰ ἐνόντα, inexistentia, siue quæ insunt, id est secundùm ea quæ vobis insunt, siue quæ in potestate vestra sunt) *date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Quia scilicet restituendo ablata, & dando eleemosynam, primò liberabitis vos ipsos à rapinis, & iniqua alienorum possessione, & purgabitis cor ab auaritia, & à Deo impetrabitis gratiam, qua possitis plenè ad eum conuerti; & sic non modò exteriùs, sed etiam interiùs eritis mundi; & consequenter omnia erunt vobis munda.

41 Ad secundum, Respondeo eam Christi promissionem intelligendam esse cum aliqua conditione, sicut multæ aliæ similes; scilicet nisi nostra obstinatione & impœnitentia Dei misericordiam impediuerimus. Solùm enim vult, primò Deum non remissurum nobis vllo modo peccata nostra, nisi proximo remiserimus ea quæ contra nos peccauit; & deinde si hoc fecerimus, Deum facilè remissurum nobis peccata quorum nos perfectè pœnitet; & daturum gratiam, qua facilè ad pœnitentiam possimus peruenire.

Ad tertium, Respondeo id dici propter gratias præuenientes, quas eleemosyna titè facta nobis impetrat, quibus, si velimus, facilè perueniemus ad pœnitentiam & peccati remissionem; aut etiam quia eleemosyna facta à iusto delet pœnas peccatis remissis adhuc debitas.

42 Ad quartum, Respondeo in illo loco tam S.Iacobi quàm S.Matthei solùm significari Deũ rigidè acturum cum immisericordibus, & liberaliter cum misericordibus, scilicet dando his liberaliter gratiam, qua facilè ad pœnitentiam & perfectionem perueniant, si velint.

Ad quintum, Respondeo aut id intelligendum esse de amore proximi procedente ex vera Dei caritate; aut dicendum ibi solùm significari dilectionem proximi valere ad remissionem peccati, modo iam dicto.

Ad sextum Respondeo, Christum ibi solùm facere mentionem operum misericordiæ, non quòd non sit ibi habiturus rationem aliorum operum, siue bonorum ad præmiandum, siue malorum ad puniendum (nam Matth.12.v.36. *Matth.* 12. expressè dicitur ibi exigendam esse rationem de omni verbo otioso:) sed quia eo loco volebat homines singulariter excitare ad opera misericordiæ exercenda, eosque ex iis, quæ de his factis aut omissis ibi dicuntur, intelligere quid de aliis operibus bonis aut malis sit dicendum.

Ad loca verò citata ex S.Ambrosio & S.Cypriano, Respondeo ea nullo modo probare eleemosynam delere peccata, quorum nos non pœnitet; nam nec baptismus delet peccata actualia, nisi eorum nos pœniteat. Dicunt igitur tam illi quàm alij Patres eleemosynam delere peccata, aut quia hæc omnia delet, quoties procedit ex vera caritate erga Deum (quia tunc supponit saltem virtualem de peccatis omnibus contritionem:) aut quia delet pœnas peccatis per pœnitentiam iam remissis adhuc debitas; aut etiam quia impetrat gratiam, qua ad pœnitentiam perducimur. 43

DVBIVM V.

Quinam possint dare eleëmosynas?

HAc in re certum est Primò, eos liberè posse dare eleemosynas, qui habent res aliquas quarum habent absolutum dominium ac liberam administrationem: quia in vsu ac alienatione honesta harum rerum à nullo dependent. Secùs autem est de iis, qui aut huiusmodi res non habent, aut si habeant carent iure eas administrandi; qui ideo in earum alienatione pendent ab iis, apud quos est earum dominium aut ius administrandi. Hinc inter Doctores nascitur controuersia, circa nouem genera personarum, qua ratione iis licitum sit dare eleemosynas. Scilicet circa mancipia & Religiosos professos, qui absolutè carent omni eiusmodi rerum dominio, saltem propriè dicto; circa famulum respectu bonorum sui heri; circa vxores & filiosfamilias; circa pupillos & minores constitutos sub tutore aut curatore; circa prodigos sub curatore constitutos; & demum circa eos qui commiserunt aliquod crimen ob quod eorum bona ipso iure sunt confiscata. Nam Medina tractatu de eleemo- *Medina.* syna, quæst. *De quibus bonis & à quibus*, &c. putat tales nihil ex suis bonis, nisi quantum est necessarium ad suam & suorum sustentationem, posse alienare. & consequenter hi nec poterunt dare eleemosynas. 44

Secun-

45 Secundò, certum est supradictos posse facere eleemosynas, Primò, in iis casibus, in quibus ob extremam aut valdè grauem alicuius necessitatem licet capere alienum ad dandam eleemosynam, iuxta dicenda infrà dub.9. Tenentur tamen, si fieri possit, priùs petere veniam ab iis, à quorum voluntate in ea donatione aliàs penderent. In sequentibus igitur resolutionibus semper excipimus hunc casum. Secundò, ex expresso vel tacito consensu eorum, apud quos est dominium vel ius administrandi ea bona, ex quibus dant eleemosynas, aut quibus aliàs subiecti sunt.

46 Quas eleëmosynas aut possint aut non possint facere mancipia. *Lessius.* Ex dictis sequitur Primò, mancipia non posse dare vllas eleemosynas sine tacito vel expresso consensu suorum dominorum : quia nullius rei habent verum dominium, sed tam ipsi quàm omnia quæ habent sunt ipsius domini, vt ex communiore sententia docet Lessius de Iustitia cap.4.dub.4. Censetur autem dominus consentire, Primò, vt aliquando dent paruas aliquas eleemosynas ex reliquiis ciborum, aliatumque similium rerum, quarum dispensatio eorum curæ est absolutè commissa : nisi expressè de contraria mente ipsius domini constaret. *Azor. Turrian. D.Thomas.* Ita cum communi sententia Azor tomo 2.Moralium lib.12. cap.10. quæst.2. Turrianus 2.2. disput.84. dub.2. & ipse D.Thomas in 4. dist.16. quæstione 2. articulo 5. Secundò, quando dominus seruo concedit certam quantitatem ciborum aut pecuniæ pro sua sustentatione, nec vnquam inquirit quid de illis agat, si hic totum non consumat, censetur ille consentire, vt quod supereſt suo arbitrio honestè insumat, & consequenter vt ex eo det eleemosynam. Tertiò, dominus censetur consentire vt seruus de suo priuato peculio, quod cum domini consensu, aut alia ratione licitè habet, faciat eleemosynas; imò contingere quandoque potest vt dominus nequeat ei licitè eiusmodi peculium auferre, aut eius honestam dispensationem prohibere; præsertim quando ipse hoc ei absolutè dedit in compensationem iniuriæ ei factæ, aut extraordinarij laboris suscepti, aut quando ei ab aliis aliquid ea ratione donatum est, vt in potestatem domini venire non posset. *Lessius.* Vide Lessium suprà.

47 Quas eleëmosynas possint facere Religiosi. Sequitur Secundò, Religiosum qui est absolutè Superior, posse ex redditibus monasterij suorum decenti sustentationi non necessarijs facere eas eleemosynas, quas ei suæ constitutiones permittunt : alios verò subordinatos officiales posse facere eas eleemosynas, quas aut Superior aut officij regulæ iis expressè permittunt facere; aut quas eorum decessores communiter palàm nemine contradicente facere sunt soliti; quia quamdiu Superior expressè non contradicit, censetur in hoc consentire. Potest tamen Superior eorum potestatem suo arbitrio restringere. Similiter priuatus Religiosus dum proficiscitur, aut extra monasterium in studiis aut similem ob causam commoratur, potest ex iis quæ ei ad viaticum aut sustentationem dantur, paruas aliquas eleemosynas facere; quia Prælati censentur in hoc consentire. Ita ex communi sententia Lessius de Iustitia cap.18.dub.11.n.85. *Lessius.*

48 Extra huiusmodi autem casus non censetur Superior priuatis Religiosis vllam tribuere facultatem eleemosynas faciendi, quia bonæ subordinationi & gubernationi domus Religiosæ conuenit, vt ipsius res non dispensentur, nisi per eos quibus ea cura à Superiore demandata est. Vnde Lorca 2.2 sect.3.disp.36.num.6. *Lorca.* cum aliis bene infert, Religiosum existentem in monasterio non posse ex his, quæ ipsi ad victum & vestitum dantur, facere eleemosynam, sine speciali Superioris consensu. Addit-que in hoc differre monachum à mancipio aut etiam à famulis, qui ex iis quæ ipsis dantur ad victum, possunt sibi aliqua subtrahere & dare pauperibus. Et rationem reddit, quia monachus tam est incapax propriè dicti vsus rerum, quàm dominij, nisi quatenus à Superiore conceditur. Sed melius Turrianus 2.2.disp.84. *Turrian.* dub.2. nullam hac in re inter dictos agnoscit discrimen: quia tam dominus potest suis mancipiis ac famulis, quàm Superior suis Religiosis quotidie dare certam portionem pro eorum præcisè sustentatione, ea conditione vt totam quidem possint consumere, si iis necessaria sit; nullo tamen modo possint ex ea quidquam aliis elargiri, imò ferè communiter hac conditione iis quotidianum victum dant: facilius tamen dominus suis seruis aut famulis concedet vt superflua suæ portionis possint dare pauperibus, quàm Superior suo Religioso; quia hoc nullo modo expedit (saltem communiter) vt omnis species proprietatis euitetur. vnde serui sæpè prudenter præsumunt eam esse sui domini voluntatem: Religiosi verò vix vnquam possunt similem sui Superioris voluntatem præsumere, nisi expressè de ea constet; aut extra monasterium commorentur.

50 Sequitur Tertiò, famulos posse dare eleemosynas ex bonis quorum sunt domini, quia horum habent liberam dispensationem: de bonis verò suorum dominorum non aliter possunt facere eleemosynas, quàm quatenus id ipsis dominus tacitè vel expressè concedit. iuxta dicta n.6. de mancipijs: est enim hac ex parte eadem vtrorumque ratio.

51 Quas eleëmosynas possit aut debeat facere. Sequitur Quartò, vxorem omnino liberè posse facere eleemosynas ex bonis quorum non solùm habet dominium, sed etiam liberam dispensationem : qualia sunt, Primò, ea quæ maritus ei concedit, vt ea pro libitu expendat. Secundò, si quæ habeat bona paraphernalia, siue quæ secum attulit supra dotem, aut quæ labore suo, ad quem, eò quòd sufficientem attulerat dotem, non tenebatur, lucrata est; hæc enim secundùm Ius Cæsareum, tam secundùm proprietatem quàm secundùm vsum ac liberam dispositionem sunt omnino ipsius. Sed secundùm multarum regionum ius priuatum & receptum vsum, etiam hæc bona sunt communia vtrique coniugi, & mariti dispositioni subiecta : quare in his locis de illis bonis, sicut de ceteris, est iudicandum.

Quintò,

52 Quintò, eandem ex reditibus suæ dotis aut aliis bonis cõmunibus, honestæ familiæ sustentationi superfluis, posse facere moderatas eleëmosynas, quales aliæ suæ conditionis fœminæ solent facere: quia hoc communis vsus ei concedit. Ita Palud. in 4. dist. 15. q. 3. art. 6. Siluester v. *Eleëmosyna*, q. 5. Angelus ibidem n. 7. & Turrian. 2. 2. disp. 84. dub. 1. & alij infrà citandi. Nauarrus tamen in Manuali c. 17. n. 153. docet, id solùm esse verum, quando maritus censetur aliquo modo consentire: nam si hic expressè id vetet, vult ei non licere vllas facere eleëmosynas; quia dispensatio istorum bonorum omnino ad maritum pertinet. Sed Petrus Nauarra lib. 3. de Restitut. c. 1. n. 83. Molina de Iustitia disp. 274. Lessius de Iustitia c. 12. dub. 14. n. 48. & quidam alij meliùs docent, eam etiam hoc casu posse eiusmodi eleëmosynas facere. quibus videntur Paludanus, Siluester & Angelus iam citati consentire, qui illimitatè loquuntur. Et probatur Primò, quia communis consuetudo tribuit ei ad hoc ius, idque non minùs efficaciter quàm priuilegium hoc ei tribueret, quo maritus eam inuitam nequit priuare. Secundò, quia vir tenetur vxori pro sua conditione præstare honestam sustentationem: ad quam inter cetera pertinet, vt possit quandoque quædam in eleëmosynas aliasque res honestas expendere, sicut aliæ suæ conditionis fœminæ facere solent; & contrarium ipsius honori apud æquales ac notas multum detraheret. Tertiò, quia vir non debet vxorem tractare vt mancipium, sed vt sociam in domus gubernatione, atque ita ei aliquam rerum administrationem credere; ita tamen vt ad ipsum spectet hanc in omnibus rationabiliter moderari, si cubi illa excedat.

Paludan. Siluest. Augustt. Turrian. Nauarr.

Pet. Nau. Molina. Lessius.

Vxor potest etiam inuito marito facere aliquas eleëmosynas.

53 Dices, D. Augustinus epist. 199. ad Ecdiciam ait: *Nihil ergo de tua veste, nihil de tuo auro vel argento, vel quacunque pecunia, aut rebus vllis terrenis tuis sine arbitrio eius* (scilicet viri tui) *facere debuisti.* & infrà: *Mulierem coniugatam non licet dicere, Facio quod volo de meo, cùm & ipsa non sit sua, sed capitis sui, hoc est viri.* Respondeo hæc solùm probare vxorem non posse pro libitu sine viri consensu ita de rebus suis disponere, vt eas aut magna ex parte eo inconsulto profundat (prout illa fecerat, ad quam S. Augustinus ibi scribit) aut etiam vt tam multa, eaue ratione ex iis largiatur, vt vir meritò offendatur. vnde D. Augustinus prioribus verbis subiungit: *Ne scandalizares hominem*, scilicet virum tuum. In nostro autem casu vir nequit eiusmodi eleëmosynis iustè offendi, vt iam ostendi: & quamuis mulier sit aliquid viri tamquam capitis; tamen non est eius mancipium, sed in gubernatione socia, etsi sub viro: iuxta iam dicta.

Augustt.

54 Sextò, eandem de bonis communibus posse facere eleëmosynas, quando maritus est amens, aut diu absens, quia tunc gubernatio domus ad eam spectat. Ita Auctores citati num. 52. Nauarrus tamen n. 154. docet, eam tunc non posse facere maiores eleëmosynas, quàm vir dum vtebatur ratione, ac præsens erat, solebat facere. Sed alij hanc limitationem non addunt: vnde Lessius docet, eam tunc posse facere eleëmosynas, prout prudentia dictabit. Quod videtur omnino clarum, quando vir est amens, quia tunc ipsa ei nullo modo ampliùs subest; atque ita gubernatio domus ei absolutè est commissa. Idemque credo esse verum quando vir diu abest; nisi expressè prohibuerit ne det eleëmosynas maiores, quàm ipse soleat dare: quod eum posse facere est satis probabile, cùm maneat absolutè eius superior; præsertim si habeat iustam causam timendi ne vxor in iis dandis sit indiscretior.

Nauarr.

Lessius.

Addunt iidem Doctores vxorem inscio marito posse dare eleëmosynas, vt auertat graue mariti damnum, ne scilicet Deus eum ob peccata puniat; aut vt impetret eius conuersionem. Probatur Primò, quia hoc modo agit vtiliter rem sui mariti. Secundò, quia si maritus corpore periculosè laboraret, & ex auaritia nollet facere necessarias expensas in medicos & medicinas, posset vxor eo inscio ex bonis communibus eas facere, vt periculum ab eo auerterer: ergo similiter poterit dare eleëmosynas, vt auertat ab eo periculum animæ. Tertiò, quia Abigail 1. Regum 25. inscio marito licitè & laudabiliter dedit Dauidi munera, vt ab eo auerteret imminens periculum: ergo similiter vxor poterit dare eleëmosynas, vt euasionem periculi, aliudque bonum à Deo marito impetret. 55 1. *Reg.* 25.

Quæ sententia est probabilis ob Doctorum auctoritatem; argumenta tamen allata eam non probant. Ad primum, Respondeo me non quouis modo alterius negotium vtiliter agere, quando ipse inuitus est: nec enim possem inuito domino accipere ipsius pecunias ad reditum, quas seruat otiosas, vt ipse ea ratione aliquid lucretur. Item aliàs posset vxor inuito marito semper omnia statui eorum non necessaria dare in eleëmosynas vt ei maiorem gratiam à Deo impetraret; quia secundùm illos vtiliter ageret eius negotium. 56 An vxor possit maiores facere eleëmosynas vt marito gratiam à Deo impetret.

Ad secundum & tertium, nego consequentiam: quia in illis casibus illa vxorum elargitio est medium omnino necessarium, & moraliter certò creditur hîc & nunc futurum efficax ad ea pericula euitanda: secùs est de illa datione eleemosynæ, quia mulier aliis viis, v. g. precibus ac piis operibus, potest non minùs viri salutem promouere, quàm dictis eleemosynis: & quamuis eas faciat, valdè incertum est an periculum à marito auertet. Huc accedit, quòd, loquendo prout dicti Auctores videntur loqui, de datione eleemosynæ, vltra eam mensuram, quam nu. 52. diximus vxorem posse dare etiam inuito marito; hac ratione minimùm videatur laxari libertas vxorum, datique iis occasio multa imprudenter largiendi, dum facilè apprehendent hoc esse vtile medium vt viri ab aliquibus vitiis, quæ ipsis valdè displicent, emendentur. Quare putarem hac sententia nonnisi rarò & valdè cautè vtendum, præsertim quando manifestè non constat virum esse notabiliter negligentem in dandis eleemosynis, & suo officio hac in re nullo modo satisfacere.

Addit Paludanus suprà, vxorem inscio marito posse ex bonis communibus tantum expendere in eleemosynas, quantum ad eam 57 *Paludanus.*

ejusque

eiusue nomine ad liberos mortuo marito rediturum est. Sed meritò alij hac in re ei contradicunt; est enim apertè falsum: quia istorum bonorum tam vsusfructus quàm dispensatio ad maritum pertinet, quibus ipsum vxor per eiusmodi eleemosynarum distributionem iniuriosè priuaret. Posset tamen hæc sententia habere ex parte locum, quando maritus bona communia dissipat, ea in compotationibus, luxuriis, aliisue rebus inutilibus immoderatè expendendo; qua in re cùm apertam vxori faciat iniuriam, hæc potest tantumdem ex bonis communibus clàm surripere vt se indemnem seruet, & hoc sibi seruare, aut etiam in pias causas ex parte aut totum expendere; nisi necessarium sit ad suam suorumque sustentationem, qua proles non potest priuare. Vide Lessium de Iustitia c. 12. dub. 14. n. 87. & Petrum Nauarram lib. 3. de Restitut. c. 1. n. 114.

Quid liceat vxori si maritus bona prodigè expendat.

Lessius.
Pet. Nauar.

58 Sequitur Septimò, filiumfamilias ex bonis castrensibus aut quasi castrensibus posse omnino liberè facere eleemosynas: quia horum tam dominium quàm dispensatio ad eum pleno iure pertinet. Quod maximè locum habet in puberibus; nam impuberes in donationibus ob iudicij imbecillitatem magis restringuntur: quare his non ita facilè permitterem dare magnas eleemosynas sine consensu eorum quibus subsunt. Vide Lessium de Iustitia c. 18. n. 78.

Quid liceat filiofamilias.

Lessius.

59 Ex bonis verò aduentitiis & profectitiis filiusfamilias potest dare eleemosynam. Primò, ex iis, quæ parentes ipsi concedunt ad honestas recreationes, aut vt ea pro libitu expendat. Secundò, quando versatur in studiis, aliaue ex causa degit extra domum parentis, ex tacito huius consensu, ex iis quæ ipsi ad sustentationem à parente dantur, potest facere moderatas eleemosynas, sicut alij eiusdem sortis facere solent: nam, vt ostendi n. 47. etiam Religiosi extra monasterium versantes possunt hac ratione facere eleemosynas. Vide Lessium de Iustitia c. 12. dub. 13.

Lessius.

60 Vbi cum eodem c. 4. dub. 3. Nota, filiumfamilias habere quadruplicia bona. Primò, castrensia, quæ ratione militiæ accipit. Secundò, quasi castrensia, quæ ex beneficiis aut ratione publici officij non mechanici, v. g. iudicis, aduocati, notarij, &c. aut ratione professionis artis liberalis, accipit: & horũ tam dominium quàm dispensatio ad ipsum pertinet. Tertiò, aduentitia, quæ ei nec ex causis iam dictis, necà parente aut eius intuitu proueniunt: quorum dominium ipsius est, vsusfructus & dispensatio parentis. Quartò, profectitia, quæ ei à parente vel eius causa proueniunt: quorum filius solum habet vsum ea ratione qua ei à parente conceditur. Vide plura apud Lessium.

Quadruplicia bona filijsfamilias.

61 Sequitur Octauò, pupillos & minores in dandis eleemosynis, præsertim magnis, pendere à consensu suorum tutorum aut curatorum; nam etsi sint absolutè domini suorum bonorum, tamen in eorum administratione pendent à consensu tutorum. Dixi *præsertim magnis*, &c. quia vt dent moderatas, & quales alij eiusdem secum sortis solent facere, quæque sine notabili incommodo rerumue suarum diminutione fieri possunt, tutor & curator censentur, imò etiam tenentur consentire; & si agatur de eleemosynis dandis ex bonis castrensibus aut quasi castrensibus, minores præsertim in his nullo modo pendent à suis curatoribus. Vide Lessium de Iustitia cap. 18. dub. 11. & Lorcam 2. 2. sect. 3. disp. 36. n. 10. Vbi etiam n. 11. citans Paludanum, Armillam & Azor, notat tutorem posse nomine pupilli ex eius bonis facere moderatas eleemosynas. Quod probabile est quando id sine notabili pupillorum incommodo fit. Quando tamen pupilli vtuntur sufficienti ratione, tutiùs hoc cum eorum consensu fit, imò multò conuenientius est vt tutores incitent pupillos vt per se huiusmodi eleemosynas faciant ex tutoris directione. & hi sine dubio habent ad hoc aliquod ius, si id ita fieri velint: quia hoc iis vtilius est; nam hoc modo magis merentur, & piorum operum exercitio assuescunt; & etiam ad eorum honorem & decentem sustentationem pertinet.

Lessius. Lorca. 62 Paludan. Armilla. Azor

Quid tutor possit circa bona pupilli.

Quod autem attinet ad prodigos, quibus datus est curator, eadem eorum est ratio atque aliorum sub curatore constitutorum. Illi autem, qui commiserunt crimen, ob quod eorum bona sunt de iure confiscata, quamdiu hæc ipsis per sententiam eiusque executionem non auferuntur, possunt ex iis dare eleemosynas sicut priùs; quia tam diu retinent eorum vsum & possessionem, possuntque iis sicut antea frui. Ita Suarez lib. 5. de Legib. c. 8. n. 5. Vasquez 1. 2. disp. 170. c. 3. vbi plurimos citat. & colligitur apertè ex cap. *Cùm secundùm*, de hæreticis, in 6. vbi hæreticorum bona decernuntur ipso iure confiscata; & tamen principes prohibentur ea de facto dominis eripere ante sententiam declaratoriam criminis. Lata tamen sententia, potest princeps omnes donationes, sicut & alias bonorum alienationes post commissum crimen factas reuocare, præsertim quando sunt magni momenti; quamdiu tamen non reuocantur, valent, vt docent Auctores citati.

63 Quid possit prodigus.

Quid sit lata sententia.

Suarez. Vasquez. Cardin.

DVBIVM VI.

Quibus danda sit eleëmosyna?

64 REspondeo, dandam esse pauperi siue indigenti. Per se patet, quia datio eleemosynæ, vt ostendi suprà, est opus misericordiæ; hæc autem propriè est voluntas subleuandi alienam miseriam; & consequenter vt aliqua donatio sit vera eleemosyna, siue datio eleemosynæ, debet esse subleuatio miseriæ alienæ; atque adeò debet fieri iis qui aliquam miseriam siue necessitatem patiuntur.

65 Vt autem tota res hæc sit clarior, Notandum est triplex esse genus pauperum. Primò enim quidam sunt omnino inuoluntariè pauperes. Secundò, alij sunt planè voluntariè pauperes, quales sunt Religiosi, qui ex amore virtutis & vt Christum perfectiùs sequerentur, se omnibus diuitiis exuerunt. Tertiò, aliis paupertas quidem est inuolũtaria secundùm se, quia eam planè oderunt, & cuperent habere diuitias, si eas sine labore consequi possent; est iis tamen volun-

Triplex genus pauperum.

voluntaria in causa, quatenus ex amore otij fugiunt laborem, quo facilè possent sibi necessaria acquirere, si vellent.

66 His positis difficultas est Primò, vtrùm omnibus his pauperibus danda sit eleemosyna. videtur enim secundi & tertij generis pauperibus non esse dandam elëemosynam: quia cùm paupertas ijs sit voluntaria, non videntur esse in vlla necessitate: nam in eo quod quis voluntariè patitur, non potest dici pati necessitatem.

Secundò, vtrùm pauperibus malis siue viuentibus in peccatis mortalibus danda sit eleëmosyna; videtur enim ijs non esse danda. Quia Eccles. 12. Ecclesiastici 12. dicitur: *Da bono, & nõ receperis peccatorem; benefac humili, & non dederis impio: prohibe panes illi dari, ne in ipsis potentior te sit*, &c. Luc. 16. Secundò, Lucæ 16. dicitur: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Matth. 25. Item Matth. 25. Christus ait, *Quamdiu feciſtis vni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Quibus Euangelij locis Scriptura nos solùm hortatur vt demus eleemosynas fratribus Christi, & ijs qui nos possunt recipere in æterna tabernacula; quales sunt soli iusti.

Tertiò, est difficultas vtrùm eleemosyna sit danda inimicis.

Quartò, an in danda eleemosyna sit aliquis modus seruandus.

Quintò, vtrùm donatio eleemosynæ facta ei qui fingit se esse pauperem, sit valida: multi enim absolutè docent esse inualidam, quia fit ex errore circa principale motiuum dandi, atque ita est omnino inuoluntaria, & consequenter irrita.

67 Conclvsio I. Non solùm pauperibus primi, sed etiam secundi generis ex recensitis num. 65. danda est eleemosyna. Est communis omnium Catholicorum. Probatur Primò, quia hi patiuntur veram necessitatem eorum quæ ad corporis sustentationem sunt necessaria, idque ob amorem Christi & veræ perfectionis: vnde tanto magis misericordia digni sunt, quo causa ob quam illam necessitatem patiuntur est magis digna amore & fauore. Secundò, quia Christus eiusque discipuli erant simili ratione voluntariè pauperes, & viuebant ex piorum liberalitate, siue Iohan. 12. eleemosynis: vt patet Iohan. 12. v. 6. & tamen quæ ijs dabantur, habebant veram rationem eleemosynæ. Tertiò, quia tota Ecclesia hoc censet, dum approbat institutum Religiosorum mendicantium, & laudat eos qui ipsis dant eleemosynas.

68 Ad argumentum contrarium, nego assumptum eiusque probationem generatim sumpta; tunc enim solùm sunt vera, quando aliquis non habet iustam causam voluntariè suscipiendi paupertatem, aut aliquid simile ex quo sequitur indigentia victus: secùs est quando quis eiusmodi habet causam, siue quando compellitur pati inediam ne perdat maius bonum: vt patet in nobili, qui casu exutus omnibus bonis mauult pati indigentiam rerum necessariarum, quàm exercere artem mechanicam suo

Quando dicatur quis pati necessitatem in eo quod voluntariè patitur.

statu indignam, siue cum periculo perdendi nobilitatem: qui sine dubio dignus est misericordia, & obiectum eleëmosynæ. Eademq; imò multò potior ac fauorabilior est causa Religiosorum, qui eam necessitatem viuendi ex eleemosynis subeunt, ne perdant perfectionem Euangelicam, & vt operam quam aliàs impensuri essent quærendo victui, impendant diuinis laudibus decantandis, & proximorum saluti procurandæ.

69 Conclvsio II. Pauperibus tertij generis, quando tales esse sciuntur, non est communiter danda eleemosyna, nisi fortè repentè in aliquam grauem necessitatè inciderint, ex qua se aliter expedire non possunt: aut nisi data aliqua eleemosyna putarentur ad meliorem frugem reducendi. Ita Lorca 2.2. sect. 3. disp. 37. nu. 10. *Lorca.* Sotus in deliberatione in causa pauperum, c. 3. *Sotus.* & Vasquez tract. de Eleemosyna cap. 2. dub. 1. *Vasquez.* vbi pulchrè variorum hac de re sententias conciliat. Probatur Primò, quia, cùm talibus ipsa paupertas siue indigentia sine vlla sufficienti ratione sit voluntaria in sua causa, non possunt dici verè pati necessitatem, atque ita in eos valet argumentum allatum num. 66. Secundò, quia tales homines sunt communiter pleni vitijs, ac ita nociui reipublicæ; à quibus auocarentur si nemine ijs dante eleemosynam compellerentur vtili labore victum quærere: & contrà per eleemosynas in otio, desidia, vitijsque quæ ex his nascuntur, fouetur. Vnde in eiusmodi etiam bene conuenit quod scribit S. Augu- *August.* stinus epistola 48. ad Vincentium Donatistam, aliquantò post initium. vbi air: *Vtilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligebat, quàm esurienti panis frangitur, vt iniustitiæ seductus acquiescat.* De similibus etiam potest intelligi Apostolus 2. ad Thessal. cap. 3. vbi air: *Audiuimus enim inter vos quosdam ambulare inquietos, nihil operantes, sed otiosè agentes*, &c. Propter quos priùs dixerat, *Nam & cùm essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, quandoquidem si quis non vult operari nec manducet.* *2. Thessal. 3.*

Cauendum tamè ne mendicos occurrentes nimis facilè credamus esse tales; atque ita exponamus nos periculo negandi eleemosynam ijs qui verè grauem necessitatem patiuntur; in quo longè grauiùs erratur quàm in contrario. Quare præstat ex errore sæpiùs dare eleemosynam non indigenti, quàm semel eam negare indigenti.

70 Conclvsio III. Etsi peccatoribus, qua tales sunt, non sint dandæ eleemosynæ, ita nimirum vt eos in suis peccatis foueamus, siue id intendamus, siue etiam solùm apertè aduertamus hoc per nostram dationem de facto fieri; extra dictum tamen casum sunt ijs dandæ eleemosynæ quatenus sunt homines, siue quatenus id necessarium est vt vitam sustentare possint. Ita cum communi sententia Bellarminus lib. 3. *Bellarm.* de bonis operibus cap. 12.

Prior pars patet, quia sicut bonum est ac opus caritatis aliquem à peccatis abstrahere, ita malum est & contra caritatem ipsum in ijs fouere. Et hanc partem apertè probant verba D. Augustini allata nu. 69. qui dicta epistola fusè eam

probat, ex eaque etiam præcedens conclusio confirmatur.

71 Secunda pars probatur Primò, ex cap.6. ad Galat.6. Galatas, vbi iubemur operari bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei, siue ad fideles: vbi Apostolus apertè iubet nos etiam Ethnicis benefacere, qui tamen mali erant. Secundò, quia Matth.5. Christus iubet vt benefaciamus etiam ijs qui nos oderunt, & subdit: *Vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Vbi expressè nobis præcipit, hac in re Deum imitari benefaciendo etiam iniustis. Deinde hæc pars satis patet ex dictis disput.24. dub.5.& 6. vbi ostendi nos etiam inimicos nostros debere diligere, qui tamen communiter sunt peccatores.

72 Ad locum Ecclesiastici contrà allatum nu.66. Respondeo eum solùm probare priorem partem conclusionis, ne scilicet ita impio benefaciamus, vt eum in impietate foueamus, vt patet vel ex vltimis eius verbis, *Ne in ipsis potentior te sit*, siue ne in sua impietate præualeat contra te. Adde, Ecclesiasticum videri ibi loqui non de danda eleemosyna verè indigenti, sed de ijs quibus conuenit nos benefacere extra eorum necessitatem.

Ad locum S.Lucæ, aliqui respondent per amicos ibi intelligi angelos, quos nobis demeremur, dum ijs qui eorum curæ commissi sunt, Ambros. hîc bene facimus. Ita S.Ambrosius in dictum locum. Alij volunt nobis ibi suaderi vt demus præcipuè eleemosynas pauperibus sanctis, & præsertim ijs qui sua omnia propter Christum deseruerunt, quorum est regnum cælorum, quique in eo thesauros habent, & cum Christo in nouissimo die futuri sunt iudices, vt dicitur Matth.5.v.3.& c.19.v.21.& 28. Ita S.Hieronym. Hieron. contra Vigilantium c.5.& S.August. serm.35. de August. verbis Domini c.1.

73 Sed etsi hæ explicationes probabiles sint, tamen hæc secunda ita intelligenda est, non quasi Christus velit nos his solis dare eleemosynas (hoc enim cum alijs verbis Scripturæ apertè pugnat) sed solùm quòd suadeat, vt quando nō possumus omnibus dare eleemosynas, ceteris paribus demus potiùs dictis quàm alijs. Verius igitur & magis literaliter ad dictum locum Respondeo, Christum ibi non velle vt demus eleemosynas ea intentione vt ipsi pauperes per se nos in cælo recipiant (hoc enim facere nō ipsorum, sed solius Dei est, præsertim cùm sæpè diutiùs viuant, quàm ipsi dantes; & consequenter necdum sint in cælo, cùm alij in eo essent recipiendi) sed vt ipse Christus (qui in ijs eleemosynas recipit, sibique eas factas censet, vt dicitur Matth.25.) eorum etiam nomine nos in cælo recipiat. Quod etiam locum habet, quando propter Christum damus malis eleemosynam. vt mox ostendam.

Qua ratione pauperes dicantur recipere in æterna tabernacula eos, à quibus acceperunt eleemosynas.

Matth.25.

74 Ad locum Matthæi, Respondeo omnem hominem viatorem, & præsertim fidelem, quantumuis malum, ibi vocari fratrem Christi: nam, vt ostendi disput.24.dub.5. omnis talis dicitur noster frater & proximus, & iubemur eum diligere, quamuis autem impij, præsertim infideles, non sint actu verè fratres ac membra Christi; sunt tamen tales ex voluntate & desiderio Christi, qui cupit eos esse bonos, & fieri viua sua membra, adeò vt etiam in hunc finem suum sanguinem fuderit. His adde, Christum ibi dicere, *Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis*, &c. quod vltimum verbū probabiliter videtur addidisse, vt significet se etiam loqui de fratribus impijs; ideoque eos vocet minimos, sicut Matth. 5.v.17. dicit eum qui bene docet & malè agit, vocandum minimum in regno cælorum, id est futurum reprobum, tamquam qui minus habeat; quia constat talem non intraturum cælum.

Qua ratione impij possint dici membra ac fratres Christi.

Matth.5.

Ex his tamen omnibus satis patet, quando nō 75 potest dari eleemosyna omnibus, longè præstare eam dari pijs, & præsertim ijs qui propter Christum paupertatem sponte sunt amplexi, quàm impijs; nisi fortè hi sine cōparatione grauiore necessitate premantur, aut etiam credantur per acceptionem eleemosynæ certò conuertendi: tunc enim horum salus spiritualis videtur præponenda aliorum bono corporali.

Pij in eleemosyna præferendi impijs.

Excipiendi casus.

Conclvsio IV. Danda est etiam eleemosyna inimicis, quando ea indigent. Est communis Doctorum, & clarè patet ex dictis disp.24. dub.5.& 6. vbi ostendi etiam inimicos esse amādos, iisque benefaciendum esse, prout Christus expressè præcipit Matth.5.v.44. 76

Matth.

Excipiunt communiter DD. Primò casum, quo inimicus in sua contra nos malitia ea ratione foueretur, & fieret potentior ad nos opprimendos. vnde inferunt etiā, si viderem inimicū meum extrema fame laborātem, & certò scirem eum mihi illaturum mortem si diutiùs superuiueret, me posse eum nō pascere, quia subtractio eleemosynę eo casu esset iusta defensio vitæ suę. Et hoc satis patet ex dictis n.72. huc enim propriè spectat locus Ecclesiastici 12. Sed ille casus vix potest accidere, quia vix possum vmquam habere vlla clara argumenta ex quibus sufficiēter colligam, inimicum meum extremè indigētem, si iam à me pascatur ac in vita conseruetur, permansurum mihi mortalem inimicum, & non potiùs tanto beneficio conuertendum ad amicitiam; nisi fortè sit publicus latro aut similis facinorosus, quales rarò condonatione vitæ fiunt meliores.

Eccles.12.

Addit Lorca 2.2.sect.3. disp.37.n.20. nō esse 77 dandam eleemosynam hostibus reipublicæ etiam extremè indigentibus, quamdiu cum iis iustum bellum geritur; secùs verò esse quādo cum ijs induciæ factæ sunt. Probat, quia in priore casu possum hostem reipublicæ iustè occidere, & consequenter negare cibum indigenti; secùs autem ait esse in secundo casu.

Lorca.

Sed neutrum est generatim verū; nam si du- An hostibus reipublicæ danda eleemosyna.
rante ex parte nostra iusto bello reperirem vnū ex hostibus extrema fame laborātem, & crederem me dando ei cibum omnino posse efficere vt in posterum deserat hostes, aut saltem numquā ampliùs noceat meæ reipublicæ, tenerer ei dare cibum, si possem, nō minùs quàm meo priuato inimico: quia cùm sim priuatus nō possum alia ratione hostem occidere, quàm quatenus id necessarium aut saltem valdè vtile est ad bonū

meæ

meæ reipublicæ promouendum, aut ad malum auertendum: quod in hoc casu nō accidit. Contrà verò si tempore inducíarum reperiam hostem reipubl. extremè laborantem fame, quem credo si conualescat finitis inducijs iniustè grauiter nociturum reipublicæ meæ, non solùm possum, sed etiam teneor ei non succurrere.

78 Per se quoad dandā eleemosynam non est distinctio inter hostem publicum & priuatum:

Quare per se loquendo hæ distinctiones nō videtur facere ad rem præsentem; nam si inimicus siue publicus siue priuatus, siue durante bello, siue tempore inducíarum extremè egeat, teneor ei, si possum, succurrere, posito quòd credatur in posterum ampliùs non nocíturus; secùs si credatur mea eleemosyna adiutus aut mihi aut reipublicæ grauiter nociturus; atque ita ex hac parte videtur eadem horum ratio.

79 est tamen aliqua per accidens.

Per accidens tamen potest hìc aliqua reperiri differentia. Primò, quia, etsi inimico priuato extremè laboranti, à quo mihi meritò timeo graue malum si periculum euadat, possim nolle succurrere; tamen ad hoc non obligor, sed licitè etiam ei succurro. Secùs est de inimico reipublicæ, à quo, si periculū euaserit, meritò grauia mala timeo reipublicæ: teneor enim huic nō succurrere. Ratio est, quia possum priuatum meū bonum corporale contemnere, & alterius bono posthabere; secùs est de bono reipublicæ. Secūdò, quia faciliùs contingit me sine meo incōmodo succurrere inimico priuato extremè laboranti, qui tali beneficio allectus communiter futurus est amícus; quàm hosti reipublicæ; quia huius hostes obsimilia priuata beneficia communiter nō desinunt partem aduersam tueri, cuius causam etiam cum certo vitæ periculo credunt sibi esse defendendam: atque ita rarò contingit me ijs sine periculo reipublicæ posse succurrere. Item rariùs id contingit durante ipso bello, quàm tempore inducíarum. vnde etiam consequenter ob has causas communiter ferè contingit quòd debeam succurrere inimico priuato extremè laboranti: non tamen hosti reipublicæ. & faciliùs contingit quòd huic debeam succurrere tempore inducíarū quàm durante bello, quia in hoc casu rariùs cessat omne periculum. Et cum his conditionibus & restrictionibus intellecta sententia Lorcæ est vera.

80 Ordo seruandus in danda eleemosyna.

Conclvs. V. In danda eleemosyna hic ordo seruandus est, vt quando non possumus omnibus succurrere, ceteris paribus priùs succurramus magis coniunctis, quàm alijs; & melioribus priùs quàm minùs bonis; & maiorem necessitatem patientibus priùs quàm minorem patienbus: prout disp.25.dub.8. dixi de ordine dilectionis: est enim hìc eadem ratio; imò ordo dilectionis præcipuè obligat vt in necessitate vni præ altero succurram ipsíusue bonum promoueam: & rarò obligat ad aliquid aliud positiuè agendum. Quando autem hæ conditiones diuersæ in diuersis reperiuntur, vt si melior aut coniunctior minùs indigeat, prudenter discernendum quæ præualeat.

81

Conclvsio VI. Etsi propter Doctorū auctoritatem sit valdè probabile eleemosynam omnino inualidè dari fingenti paupertatem; tamen credo communiter eam donationem esse validam, & solùm irritabilem pro voluntate dantis. Ita Soto lib.9. de Iustitia q.7.art.3. sub finem. *Soto.*

Prior pars prob. quia eam docet Alexander in 4.p.q.86.membro 3.art.3. Altisiodor. lib.4.c. de restitutione. Adrianus in 4. tractatu de restitutione, §. *Consequenter quæro vtrùm indistinctè tenetur homo.* Nauarrus in Summa c.17.nu.107. & in Apologia contra Sarmientum qu.1. monito 28.n.1. Medina q.24. Cod. de restitut. Scotus in 4.dist.15.q.2.a.3. Angelus v. *Restitutio*, 1.& v. *Turpe lucrum*, §.3. *Alexand. Altisiod. Adrian. Nauar. Medin. Scotus. Angelus.*

Secunda pars probatur, quia, vt fusiùs ostendi tom.2. de Sacramentis disput.14.num.95.& disp.23.dub.9. contractus & pacta, quibus error aut dolus causam dedit, si error non versetur circa substantiam actus, sunt omni iure valida, & solùm pro voluntate decepti irritabilia. In dicto autem casu error non versatur circa substantiam actus, sed solùm circa rationem motiuam dandi. Eodem planè modo, sicut quādo aliquis intendit contrahere cum aliqua præcisè vt suscipiat ex ea filios, & quia putat eam esse fœcundam, eò quòd fingat se esse iuuenculam ac habuisse filios ex priore marito; cùm tamen sit senex & sterilis: quo casu matrimonium esse validum nemo dubitat. Nec refert quòd ille donator solùm intendat eleemosynā dare, quia vt ipsius donatio habeat veram rationem & meritum eleemosynæ, sufficit quòd accipiens inuincibiliter putetur esse pauper, & tanquam tali ei aliquid detur.

Ad rationē eleemosynæ sufficit quòd accipiens credatur pauper.

82

Ex quo patet solutio argumenti positi n.66. nam cùm talis error non versetur circa substantiam actus, quæ præcisè consistit in eo quòd talis res per modum eleemosynæ detur huic præsenti personæ, in quibus talis dans non errat; actus non est inuoluntarius secundùm substātiam, sed solùm secundùm quasdam circumstantias, scilicet quatenus datur personæ quæ falsò putatur esse pauper; ob quod non redditur de facto irrita donatio, sed solùm irritabilis, vt fusè ostendi locis suprà citatis.

Tenetur tamen accipiens aperire alteri dolum, quia tenetur tollere deceptionem, in quā alium iniustè induxit, & relinquere ipsi liberum vt rem datam si velit recipiat. Aut si deceptor nolit hoc facere, tenetur rem acceptam restituere. Quæ fusiùs ostendi tomo 2. de Sacramentis disput.31. dub.1. Vbi etiam explicui quando error versetur circa substantiam actus, & quando non.

83

Disputant hìc etiam Doctores, cui talis debeat restituere acceptam eleemosynam. Et quidam dicunt eam pauperibus esse restituendam, non autem ipsi danti, qui iam eius dominium à se abdicauit, intendendo eam simpliciter dare pauperibus. Ita Nauarrus c.17.n.107. Scotus in 4.d.15.q.2.art.3. Adrianus in 4. tractatu de restitut. §. suprà citato in fine. Sed meliùs Lessius de Iustitia c.18.dub.vlt. in fine, putat per se loquendo restituendam esse donatori, si commodè fieri possit, & credatur ipse cognita fraude hoc desideraturus. Quod præsumendum est quando res est magni momenti, quia, vt patet ex dictis, ipse habet ad hoc ius, nec alij pauperes vllum ius in eam eleemosynam acquisiue- *Nauarr. Scotus. Adrian. Lessius.*

runt.

runt. Quando autem res est parui momenti, aut donatori, quia incognitus aut procul abest, restitui nequit; danda est alijs pauperibus, quia præsumendum est hanc donatoris esse voluntatem. Hoc inquam faciendum sequendo eam sententiam, quòd donatio illa sit omnino inualida: posita autem nostra sententia, faciendum est quod suprà dixi. quòd si deceptor nequeat vlla ratione deceptum adire aut consulere, eiúe restituere rem acceptam, licitè eam retinet: optimè tamen faciet confessarius si pro pœnitentia ei iniungat, vt eam det pauperibus, & veritate palàm cognita à magistratu ad hoc cogendus est.

DVBIVM VII.

Vtrùm sit obligatio dandi eleemosynam, & qualis?

84 DVplex hîc est difficultas. Prima, vtrùm sit vera obligatio siue præceptum dandi aliquando eleemosynam. Secunda, vtrùm aliquando obligemur ex iustitia dare eleemosynam constituto in extrema necessitate. Multi enim putant habentem superflua teneri ex iustitia dare eleemosynam constituto in extrema necessitate. Ita Turrecremata in c. *Si fœneraueris.* dist. 86. Sarmiento lib. de Ecclesiasticis reditibus puncto 3. cap. 4. n. 3. & sequentibus. Caietanus 2. 2. q. 118. art. 4. Aragon ibid. q. 32. art. 5.

Turrecrem. *Sarmient.* *Caietan.* *Aragon.* *D. Thom.*

Probant Primò, quia D. Thomas 2. 2. qu. 118. art. 4. ad 2. vocat hoc debitum legale; vt autem patet ex q. 80. a. 1. in corpore, idem est apud eum debitum legale & debitum iustitiæ. Secundò, quia in extrema necessitate omnia sunt communia: ergo qui sibi superflua non dat extremè indigenti, retinet bona pauperis, & peccat contra iustitiam. Antecedens probatur, quia iure naturæ omnia sunt communia, & rerum diuisio solo iure positiuo introducta est, quæ in extrema necessitate cessat, ne iuri naturæ præiudicet. Tertiò, quia aliàs magistratus non posset diuites cogere vt extremè indigenti darent eleemosynas: hoc autem est falsum: ergo & id vnde sequitur.

Probatur Quartò, ex Patribus, qui passim docent, diuitem sibi superflua non dantem pauperibus retinere aliena, & similiter peccare, ac si ea raperet; quæ sunt apertè contra iustitiã. Hinc S. Ambrosius serm. 81. sub finem: *Sed ais,* inquit, *Quid iniustum est, si, cùm aliena nõ inuadam, propria diligentiùs asseruem? ô impudens dictum! propria dicis? quæ? Ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti?* & infrà: *Non minus est criminis habenti tollere, quam cùm possis & abundes indigentibus denegare.* Basilius orat. in diuites, in illud Lucæ 12. *Destruam horrea mea,* &c. sub finem ait: *At tu nónne spoliator es, qui, quæ dispensanda accepisti, propria reputas: est panis famelici, quem tu tenes,* &c. Augustin. in psal. 147. explicans illud: *Confortauit seras portarum tuarũ,* ait: *Superflua diuiti necessaria sunt pauperi; aliena retinet, qui ista tenet.* Similia habẽt plures alij Patres. Alij volunt hanc sententiam esse veram respectu Ecclesiasticorum habentium reditus Ecclesiasticos honestæ suæ sustentationi superfluos. sed de his melius agemus dub. 10.

Ambros. *Basilius.* *Augustin.*

85 Vt autem hæc clariùs explicentur, priùs nobis disputandum est, vtrùm & qua ratione omnia iure naturæ olim fuerint, aut etiam iam in extrema necessitate sint communia. *Quæ res olim omnia fuerint iure naturæ communia.*

Vbi Nota Primò, varias esse res, quæ sub alienum dominium possunt cadere, aut etiam possunt esse omnibus communes. Primò, sunt ipsi homines, qui possunt fieri serui, & ita esse sub dominio alterius; Secundò, actiones hominum externæ; Tertiò, fructus harũ actionũ, siue res, industriâ & labore hominum confectæ, qualis respectu figuli est olla; Quartò, sunt campi siue agri, maria, & flumina; Quintò, res ab his spõte productæ, v. g. mineralia, pisces; ac siluestria animalia, ac plantæ, earumque fructus; Sextò, res, quas terra industriâ ac labore hominum culta producit, vt sunt frumentũ, vinum, &c. Et hæc non sunt fructus solius terræ, siue naturæ, sed maxima ex parte sunt simul fructus industriæ hominum. *Varia esse res sub hominum dominium cadentia.*

86 Nota Secundò, res, quas terra aut aqua sponte producit, esse duplices. Quædam enim omnibus obuiæ sunt, ita vt iam natæ sine labore à quouis possint occupari, si id nemo prohibeat; qualia sunt gramina, siluarum ligna, & similia, quæ passim vbique sine vllo cultu nascuntur. Aliæ verò non possunt acquiri sine magno labore ac industria: tales sunt feræ, pisces maris aut fluminum, mineralia, & similia. & his etiam saltem ex parte similes debent reputari res priores, siue quæ quibusdam in locis omnibus obuiæ nascuntur, respectu locorum aut temporum in quibus reperiri nequeunt, nisi singulari hominum industria ad ea loca aut tempora transferantur aut conseruẽtur. qualia sunt mala granata, aromata, &c. respectu regionũ in quibus non nascuntur: & omnes ferè fructus respectu hiemis, in qua non nascuntur, sed æstate nati hominum industria colliguntur, condũntur & in hiemem conseruantur.

87 Inter dictas autem res hæc præterea est differentia, quòd priores res secluſa rerum diuisione, antequam colligantur possint dici communes siue ipsius communitatis, quia sunt plenè in huius potestate, cùm quiuis pro libitu posset eas capere, ijsque pro arbitrio vti; secùs est de secũdis rebus, quas nemo potest pro libitu capere: nam sæpè quantumuis homines ad hoc maximè conentur; frustra tamen id faciunt, nec eas capiunt quas volunt, sed quas fors obtulerit. Ideoque hę res antequam capiantur, etsi possint dici esse communitatis, quatenus hæc habet ius eas capiendi; tamen propriè loquendo potiùs nullius sunt, sicut feræ quæ iam sunt in magna & aperta alicuius domini silua in qua ipse solus potest venari, non sunt verè ipsius, sed nullius: vnde etsi illi, qui eas inuito domino siluæ in hac capiunt, peccent contra ipsius ius in ea venando, tamen acquirunt feræ captæ dominium tamquam rei adespotæ, quæ ideo sit primò occupãtis. vt cum communi sententia docet Lessius de Iustitia c. 5. dub. 9. concl. 3. vnde etiam eiusmodi feræ antequam capiantur dicuntur communiter liberæ, quasi sub nullius potestate siue dominio constitutæ. *Quædam res nullius sunt.* *Lessius.*

Con-

88 Qua ratione simus iure naturæ liberi.

CONCLVSIO I. Quiuis homo iure naturæ est liber, ita scilicet vt spectato solo iure naturæ sub nullius siue particularis hominis siue communitatis sit dominio. Et consequenter quisq; iure naturæ est dominus suarum actionũ, ita vt excepto Deo nemo alius in has possit sibi vendicare aliquod dominium aut ius, saltem iustitiæ. Quod addo propter ius paternum in actiones filij, qui tũ ratione beneficij à parentibus accepti, tum quia filius est quasi aliquid patris, est huic naturaliter subiectus, & tenetur ei obedire, quamdiu sub eius est potestate, & consequenter pater habet ius ei certas actiones imperandi: sed hoc ius ad præsentem materiam propriè non spectat; quia non est ius dominij.

Prior pars conclusionis per se patet, & ab omnibus admittitur. Secunda autem apertè ex ea sequitur: quia idem sunt hominem esse liberum siue sui iuris, & ipsum esse dominum suarum actionum, siue nullum alium habere earum dominium, aut ius iustitiæ eas imperandi. Nec refert quòd simus omnes iure naturæ res ac mancipia Dei, quia dominium quod Deus habet in nos ac omnia nostra, cùm sit altioris ordinis, non impedit quo minùs simus absolutè liberi ac rerum nostrarum domini.

89 Iure naturæ homo est dominus rei à se confectæ.

CONCLVS. II. Homo liber cuius opera ab alio conducta nõ est, iure naturæ fit dominus earum rerum, quas labore & industria sua confecit, saltem si harum materiam licitè sibi priùs vsurparit, vt quia aut ipsius erat, aut nullius; sic figulus iure naturæ est dominus ollæ, & faber sedis quam confecit, & sic in alijs similibus. Sequitur apertè ex concl. 1. nam iure naturæ eiusdem est fructus cuius est arbor, aliaúe res ex se fructificans: atqui eiusmodi res sunt fructus operæ & industriæ eas conficientis: ergo idem est dominus harum, qui est dominus illius operæ & industriæ, qui post Deum est ipse homo operans, vt suprà ostendi.

90 Qua ratione mare, flumina, agri, &c. sint iure naturæ communia.

CONCLVS. III. Agri, maria, flumina, sicut etiã aër, & similia iure naturæ sunt hac ratione communia, quatenus eo solo spectato, siue secluso omni omnino iure positiuo sub nullius particularis hominis sunt dominio, & quiuis habet ius ijs prout necessitas ipsius exigit vtendi. Idemq; dicendũ est de rebus quę sponte, siue sine hominũ industria in ijs nascuntur; quales sunt plurimæ plantæ & earũ fructus, pisces ac feræ. Et hæc est etiam communis ac certa; & clarè patet, quia Deus tamquam communis naturæ auctor res priores in communem hominum vtilitatẽ procreauit, deditq; ijs vim animalia ac plantas fructiferas tamquam quendam suum fructum producendi, vt homines ijs, prout eorum necessitas ac ratio postularent, vterentur: non solùm præcisè ad naturæ sustentandæ necessitatem, sed etiam ad suas commoditates & honestas recreationes. quod vel inde patet, quòd natura eiusmodi res copiosiùs producat, quàm præcisè sit necessarium ad naturæ nostræ sustentationem; & quidem multas, quæ solùm honestæ recreationi deseruiunt.

91 Qua ratione liceat vti rebus communibus.

Ex his sequitur Primò, quemq; spectato præcisè iure naturæ, posse dictas res sibi vsurpare, ijsq; vti quantum requiritur non solùm præcisè ad necessariam, sed etiam ad commodam naturæ sustentationem & honestam recreationem, præsertim quando id fieret sine aliorum detrimento; vt quando ijs sufficientia relinquerentur, quæ si vellẽt simili modo vsurpare possent.

Sequitur Secundò, neminem spectato præcisè eodem iure posse sibi tãtum ex ijs rebus cõmunibus vsurpare, saltem quando eo ad naturæ sustentationem absolutè non indiget, vt nõ relinquat alijs sufficientes quas sibi vsurpare possint; quia aliàs apertè faceret alijs hominibus iniuriam, eos impediendo quo minùs possent necessaria sibi ex bonis communibus sumere.

92 Fructus ex communi agro collecti iure naturæ fiunt colligentis.

Sequitur Tertiò, eum qui sibi legitimè aliqua ex dictis vsurpasset, acquirere in ea particulare ius, ita vt alijs non liceat eadem ipsi surripere ac sibi vsurpare, quamdiu possunt alibi reperire vnde se sustentent. Quia ratio apertè dictat, facturos Petro iniuriam qui postquam hic laboriosè collegisset eiusmodi fructus, hos ipsi eriperent, eò quòd eos tæderet laboris illos sibi similiter colligendi, cùm id facilè facere possent. Et ratio est, quia, etsi fructus nondum collecti sint hac ratione communes, quatenus quinis habet ius eos colligẽdi; tamen labor quo collecti sunt non est communis, sed proprius ipsius colligentis, cuius quasi quidã fructus est ipsa collectio, quo sine iniuria spoliari nequit: quare fructus ita collecti iure naturæ fiunt proprij ipsius colligentis, saltem quãdiu alij possunt, si ad hoc velint ad laborare, sufficientes reperire quos colligant, vt seipsos sustentent.

93 Confirmantur hæc omnia ex communi hominum vsu in siluis aut pascuis communibus alicui communitati, ex quibus quiuis potest tantum lignorum & herbarum abscindere sibiúe vsurpare, quanto indiget, modò relinquat alijs sufficientia, quæ sibi colligere siue vsurpare pro sua necessitate possint: & quamuis illa ligna & herbæ ante collectionem sint communia; tamen post collectionem sunt propria colligentis, idque iure quodam naturali, ita vt alius qui ea collectori eriperet, huic faceret iniuriam. Et simile omnino est in casu conclusionis 2. & 3.

94 Quod autem hactenus dixi de rebus vsu consumptibilibus, idem etiam dicendum de vsu aliarum rerum: v.g. sint communes equi alicui communitati, quiuis ciuis poterit ex ijs vnum equum sibi sumere ad certũ vsum pro aliquo tempore, præsertim si interim relinquat sufficientes alijs, quibus vti possint; & donec iste vsus finitus sit, v.g. iter confectum, alij facient vtenti iniuriam, si ipsum in illo vsu impediant aut velint vti eo equo, & non alio: vnde patet eum pro illo tempore & vsu acquisiuisse singulare ius in eum equũ, siue in eius vsum, simile ei quod iã acquirimus in equũ quem cõducimus.

95 CONCLVS. IV. Res sexti generis, siue quæ vt nascantur indigent singulari hominis labore ac industria, etiam spectato solo naturæ iure, non sunt communes omnibus, sed propriè ijs, quorũ industria & labore prouenerunt. Sequitur apertè ex dictis: nam tales fructus aut totaliter aut lõgè maxima ex parte prouenium ex re propria ipsi laboranti, & fiunt huius fructus: ergo sunt ipsi

ipsi laboranti simpliciter proprij. Consequentia patet ex dictis, & per se clara est. Antecedés probatur, quia totus labor omnisque industria ex quibus illi fructus tãquam ex causa partiali proueniunt, sunt ipsius laborantis: terra autem siue ager, ex quo proueniunt, etsi per se cõmunis sit, tamen alter eũ pro tempore ad certũ vsum, v.g. ad seminandũ, legitimè occupãdo, acquisiuit in eum singulare ius, & quodammodo suũ effecit; simili ferè ratione atque is qui iam terram aliquam à domino conducit, qui fructus in ea natos facit suos, & sicut suprà dixi de legitimè vsurpante communem equum ad certum vsum.

96 Confirm. Primò, quia hi fructus non nascũtur ex terra per se sumpta, qua ratione hæc est communis, sed ex terra vt laborata ac seminata: qua ratione hæc non est communis, sed, vt iam ostẽdi, pro tempore propria ipsius laborantis. Confirmatur Secundò, quia si, vt dixi suprà, faceret iniuriam Petro, qui fructus ab eo collectos ipsi eriperet, vt sic vitaret laborem alios sibi colligẽdi cùm id facere posset; multò magis faceret ei iniuriam, qui triticum ab eo seminatum eo inuito meteret, cùm ipsi esset sufficiens terra relicta, quam posset colere, si vellet.

Nec refert quòd quando quis sine domini consensu aliquid seminat in alieno agro, id quod crescit non sit seminantis, sed domini ipsius agri, qui persoluto pretio laboris & impẽsarum alterius, potest id sibi vsurpare: quia est longè diuersa ratio in nostro casu, in quo seminans nec serit, nec sibi vlla ratione iniustè vsurpat agrum alienum; sed iure suo vtendo vsum alicuius agri non alieni eum serendo sibi pro tempore legitimè vsurpat, & pro eo tempore quo ad hunc vsum facit quodammodo suum. vt patet ex dictis.

97 Ex hac ac præcedentib. cõclusionibus sequitur Quartò, pisces maris ac fluminũ, aues, lepores aliasq; feras, etsi ante capturam propriè nullius sint, tamen etiam spectato præcisè iure naturæ fieri omnino proprias capientis, alioq; nõ posse eas ipsi sine iniuria eripere. Quia si, vt dixi suprà, nemo possit alteri eripere res alias, quas terra sponte producit, postquã hic eas collegit, ne eum iniuriosè spoliet fructu sui laboris: multò minùs poterit ei has eripere, quas longè maiore labore cepit. His adde, has res numquam vlla ratione fuisse propriè ipsius communitatis, sed ante captionem planè erant nullius, vt ostẽdi n. 85. quare postea singulariter fiunt capientis. Idemque dicendum de gemmis, argento, auro, ceteris que mineralibus, quæ magno labore & industria eruuntur & purificantur.

Feræ iure naturæ fiunt capientis.

98 Sequitur Quintò, in illo axiomate, Quæ nullius sunt iure gentium sunt primò occupantis, si intelligatur de rebus mobilibus, & præsertim vsu consumptibilibus; ius gentium non deberi sumi theologicè, prout differt à iure naturæ, sed in sensu Iuristarum, ita vt significet ipsum ius naturę, prout Theologi hoc sumunt: vt enim ex dictis patet, eiusmodi res iure naturæ fiunt primò occupantis, saltem quando earum occupatione nullum alijs præiudicium infertur: vt fit quando sufficientes eiusmodi res alijs relinquuntur, quas sibi occupare possint, sila-

Quod Theologi vocant ius naturæ, Iuristæ vocant ius gentium.

borem & industriam debitam adhibeant.

Sequitur Sextò, res alicuius industria illatas 99
in regiones vbi non nascuntur; aut conseruatas in tempus, quo non nascuntur, & in quod sine industria seruari non possunt, non debere eo loco aut tempore dici communes, sed proprias eius qui eas ita detulit aut conseruauit. Quia vt sic delatæ aut conseruatæ, non sunt fructus communis naturæ, sed propriæ industriæ deferentis aut conseruantis.

Sequitur Septimò, quòd iam in extrema ne- 100
cessitate omnia dicantur redire ad ius naturæ & esse communia, non ita esse intelligendũ, quasi tunc quiuis amittat dominiũ rei sibi superfluæ, illudque pauper ea indigens sibi acquirat, (hoc enim ne quidem in lege puræ naturæ verum fuisset: & ex eo sequerentur plurima incõmoda) sed per hoc solùm significatur, diuitem teneri eam rem pauperi dare; & pauperem, quando nequit aliter eam obtinere, habere ius eam sibi inuito domino vsurpandi; iuxta dicta nu. 90. quæ etiam n. 128. & 159. fusiùs probabo.

Qua ratione in extrema necessitate omnia sint communia.

Sequitur Octauò, res acquisitu valdè difficiles, vt sunt feræ, mineralia, &c. non fieri in extrema necessitate communes; & similiter res quæ certis locis aut temporibus nequeunt sine magna industria & labore haberi, tunc non debere dici communes pro dictis locis & temporibus, patet ex dictis n. 87. & 97. & 99. vbi ostendi talia iure naturæ non esse communitatis, sed singulari ratione fieri capientis, deferentis aut conseruantis.

Conclvsio V. Certum est habentes su- 101
perflua obligari ea elargiri ijs qui his grauiter indigẽt. Est communis, & habetur clarè in Scripturis: nam Matth. 25. Christus expressè docet, *Matth.25.* in die iudicij aliquos damnandos, quia neglexerunt esurientes pascere, &c. Item 1. Iohan. 3. *1. Iohan.3.* dicitur: *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo* (scilicet nihil ei dando) *quomodo caritas Dei manet in eo?* Vbi Apostolus apertè docet, talem eo casu omittenda dare eleëmosynã, non posse retinere caritatẽ Dei, & cõsequenter peccare mortaliter. Idẽ clarè testatur S. Iacobus c. 2. vbi docet fidẽ sine operibus nihil prodesse, & iudiciũ sine misericordia futurũ illi, qui non fecerit misericordiã. & hoc saltẽ apertè probãt auctoritates Patrũ allatæ n. 82. Fusiùs hæc ex Scriptura & ratione probãtur infrà n. 125. 126. 127. *Iacob.2.*

Disputant præterea hîc Doctores, ad quod 102
præceptum decalogi hoc præceptum debeat reduci. Quidam enim volunt illud non pertinere propriè ad vllum præceptum decalogi: sed ad præceptũ generale caritatis, quo iubemur proximum diligere sicut nosipsos; quod præceptis decalogi præsupponitur tamquam aliquod generale præambulum. Ratio eorum est, quia, vt ostendi suprà, datio eleemosynæ est actus caritatis. D. Thomas verò 2.2. q. 32. art. 5. ad 4. reducit illud ad quartum præceptum, quo iubemur parentes honorare, id est in necessitate alere; vult autem ibi subintelligi idem faciendum esse respectu cuiusuis proximi necessitatem patientis, etsi parentes tamquam præcipuum huius obligationis obiectum soli exprimantur. *D. Thom.*

Alber-

Albertus. Ast Albertus in 4 dist.15.a.16. cum quibusdam alijs vult hoc præceptum reduci ad septimum præceptum decalogi, *non furaberis*. Nam qui cùm facilè possit non largitur pauperi ea quibus hic extremè indiget, secundùm quandam moralem considerationem videtur ei sua furari retinendo ea quæ tenetur ipsi dare: cui etiam valdè fauent Patres citati n.84.

103 Quartò, eadem ratione posset reduci ad quintum præceptum *non occides*: quo prohibemur vitæ aut sanitati corporali proximi vllum nocumentũ inferre; qui autẽ cùm facilè potest non dat indigenti eleemosynam, est moralis causa ægritudinis, aut etiam mortis, quæ ex negatione eleemosynæ sequitur. sicut si quis videret aliquem coram se submergi, & cùm facilè posset nollet eum iuuare, secundùm moralem æstimationem esset causa mortis ipsius.

Nec his obstat quòd præceptum dandi eleemosynam sit affirmatiuum, quintum autem & septimum sint negatiua: quia etsi hæc præcepta formaliter & expresè sint solùm negatiua, tamen virtute sunt simul affirmatiua; quatenus præcipiunt quosdam actus, quorum omissio aliquo modo assimilatur actibus quos vetant: nam præcepto *non furaberis* præcipitur solutio debiti, vt per se patet: quæ tamen est actio positiua.

Nec etiam hinc sequitur, non dantem eleemosynam peccare contra iustitiam; nam non omnis qui quacumque ratione peccat contra dicta præcepta, peccat contra iustitiam, vt patet in nolente iuuare eum qui coram se submergitur.

Omnes hæ sententiæ possent probabiliter defendi, quare quisque poterit eligere sibi magis arridentem. Verius tamen videtur hoc præceptum per se primò pertinere ad præceptum dilectionis proximi, & ratione diuersarum materiarum posse reduci sub diuersa consideratione ad omnia dicta præcepta.

104 Conclvsio VI. Etiamsi quis habeat superflua non tenetur etiam extremè indigenti dare eleemosynam ex iustitia; sed solùm ex caritate. Ita Nauarrus c.24.n.7. Medina Cod. de Restit.q.3.causa 1. Couarr. ad reg. *Peccatum*.§.3. n.5. Turrianus 2.2.disp.82.dub.3. Sotus lib.5. de Iustitia q.3.a.4.ante solut.argumenti. Lorca 2.2. sect.3.disp.39.n.45. Insinuatque Azor p.2.l.12. c.9.q 3. Reginaldus p.1.l.4.c.20.sect.4. n.264. & 1eqq. Bellarminus lib.3. de bonis operibus c. 6.in fine. Et est iam ferè communis.

Nauarr. *Medina.* *Couarr.* *Turrian.* *Sotus.* *Lorca.* *Azor.* *Reginald.* *Bellarm.*

Probatur Primò, quia fundamentum, quo contraria sententia nititur, scilicet diuites in extrema necessitate amittere dominium rerum sibi superfluarum, & has fieri bona indigentiũ, non est verum. Quia eiusmodi bona sunt ab ijs, qui ea iam iustè possident, aut ab eorum maioribus proprio labore ac industria parta, aut collecta ex terris quas seminauerant, aut ex quibus habebãt ius colligendi fructus, & consequenter etiam iure naturæ facta sunt propria ea acquirentis, nec vnquam fuerunt verè communia, vt patet ex dictis concl.4. Confirmatur, quia, si ob extremam aliquorum indigentiam alij deberent perdere rerum aliquarum dominiũ, deberent maximè perdere dominium agrorum, & hi deberent fieri indigentium; quia hi soli ex omnibus rebus quas diues possidet, fuerunt aliquando propriè loquendo communes, vt ex dictis patet: atqui nemo docet, diuites tunc perdere horum dominium, aut teneri ex iustitia hos dare pauperibus: ergo multò minùs perdunt dominium pecuniarum, vestium aut ciborum, quia hæc aut proprio labore comparãrũt, atque ita sua fecerunt, aut ita à maioribus comparata acceperunt.

105 Probatur Secundò, quia, etsi concederem ea bona tunc fieri verè communia, cùm tamen diues ea iustè possideat, nec ex vllo pacto obligetur ea pauperibus dare, inde nullo modo sequeretur, eum ex iustitia teneri ea dare pauperi: sed solùm pauperem habere ius ea sibi vsurpandi, & diuitem teneri hoc permittere. Sicut si liber aut alia res communis mihi & Petro esset apud me, hic quidem haberet ius eam à me petendi, aut etiam eam accipiendi, eaque vtendi quoties ea indigeret, præsertim eo tempore quo ego ea non indigerem, & peccarem contra iustitiam eum in hoc impediendo; tamen quantumuis scirẽ ipsum grauissimè ea indigere, non tenerer ex iustitia eam ipsi dare, sed solùm permittere vt eam sibi vsurparet: quamuis peccarem fortè contra honestatem nolendo eam ipsi petenti dare, sed iuberem ipsum eam sibi quærere. Vtrùm autem diues peccet contra iustitiam, pauperem extremè indigentem impediendo, ne quæ ei superflua sunt, sibi vsurpet; dicam dub.9.n.169.

Ad primum argumentum contrarium positum n.84. nego D. Thomam per debitum legale ibi intelligere solum debitum iustitiæ: nam per id intelligit omne debitum, *ad quod reddendum aliquis lege astringitur*: vt ipse testatur dicta q.80.a.1. quod non conuenit soli debito iustitiæ. Vnde illud debitum distinguit contra debitum morale, quod vult non strictè, sed solùm ex decentia siue honestate virtutis obligare. nec ibi dicit omne debitum legale esse debitum iustitiæ: sed omne debitum iustitiæ esse debitum legale. Quod nihil contra nos facit, sed potiùs nobis fauet: nam eo modo loquendi satis innuit debitum legale esse genus, aut aliquid latiùs patens respectu debiti iustitiæ. 106 *D. Thom.*

Ad secundum, Respondeo in extrema necessitate omnia dici communia solùm impropriè, siue secundùm quid, quatenus habens superflua tunc ex caritate & præcepto diuino tenetur ex ijs indigenti succurrere, & hic habet ius ex ijs sibi necessaria sumendi: nec aliud probat allata ibidẽ probatio. ex quibus nullo modo sequitur, diuitem ex iustitia teneri illa pauperi dare; vt patet ex dictis.

Ad tertium, nego maiorem: nam magistratus potest subditos ad multa cõpellere, ad quæ ex iustitia non tenentur, v.g. vt se non inebrient, vt non fornicentur, &c.

Ad quartum, Respondeo Patres in eo modo loquendi vti aliqua auxesi, & vocare ea bona pauperum, & diuites eorum dispensatores, quia hi ex caritate & diuino præcepto tenentur ex ijs pauperum necessitati succurrere.

DVBIVM VIII.

Quando obliget præceptum dandi eleemosynam?

107 CVm hoc præcepum sit affirmatiuum, clarum est, ipsum non obligare pro quouis tẽpore, sed solùm in certis circumstantijs, sicut alia omnia præcepta affirmatiua obligant. Secundùm communem igitur omnium sententiam requiritur Primò, ex parte obligati dare, vt habeat aliqua quæ dare possit sine periculo vitæ suæ. Certum enim est, neminem obligari ad dandam eleemosynam, qui aut omnino nihil habet, aut ijs quæ habet extremè indiget, ita vt sine periculo vitæ ijs carere non possit. nisi fortè esset necessarium eum hæc dare ad seruandam vitam alicuius personæ, à qua publica salus pendet: pro huius enim salute sicut pro salute reip. tenemur vitam profundere. Nunquam tamen tenemur vitam profundere pro salute corporali alicuius priuati: etsi id quandoque laudabiliter possimus facere. vt ostendi disp.25.dub. 2. nisi fortè particulari aliquo contractu nos ad illud obligauerimus, prout aliquando famuli ad hoc conducti se obligant, vt domini vitam cum certo periculo suæ vitæ defendant. Secundò, requiritur ex parte alterius, vt hic egeat saltem secundùm æstimationem eius à quo eleemosynam petit; nemo enim tenetur, imò nec proprie potest dare eleemosynam ei, quem scit nullo modo egere. vt patet ex dictis dub.5.

Ex quibus sequitur, ad hanc obligationẽ requiri in dante vt habeat aliquo modo superflua, & in accipiente vt patiatur necessitatẽ. Quæstio igitur est quale requiratur in illo superfluum, & qualis in hoc necessitas.

108 *D.Thom.* Pro horum explicatione notant communiter Doctores cum D.Thoma 2.2 q.32.a.6. Primò, aliquem dupliciter posse habere superflua. Primò, respectu naturæ: qua ratione dicuntur ei superflua ea omnia, sine quibus se & suos potest sustentare; sicut dicuntur necessaria naturæ ea, sine quibus se & suos nequit alere. Secundò, respectu personæ siue status: qua ratione dicuntur ei superflua ea omnia, quæ ei non sunt necessaria vt decenter secundùm suum statum viuat. Et hæc sola propriè debent dici superflua; nã quæ solùm priore modo sunt superflua, cùm sint necessaria statui, potiùs absolutè sunt dicenda necessaria, & solùm superflua secundùm quid.

Quæ dicuntur superflua naturæ;

quæ statui sint superflua.

109 Notant Secundò, cum eodem suprà, necessaria statui non consistere in indiuisibili, sed pati quandam latitudinem, vt v.g. cui centũ annuè sunt necessaria ad statum, & si ei addantur decem aut duodecim, non dicetur statim habere superflua statui; quia etsi dicta omnia quotannis se suisque alendis impendat, non poterit statim dici suum statum in expensis excedere. Sicut etiam contrà diligentiùs rei familiaris administrationi inuigilando poterit decenter secundùm suum statum viuere, etsi ipsi aliqua ex ijs detrahantur.

Idemque proportionaliter dicendum est de necessarijs naturæ: nec enim ea sola debent dici naturæ necessaria, quibus si careas breui moriturus sis, sed etiam ea sine quibus non nisi cum grauissimis miserijs, aut euidenti earum periculo vitam possis traducere.

110 Necessaria ad statum vnde spectãda. Notant Tertiò, necessaria ad statum spectanda esse non solùm ex præsenti hominis conditione: sed etiam ex ijs, quæ ei probabiliter obuentura sunt. Hinc licet aliqua reseruare vel ad dotandas filias, si quis eas habet, aut credit se habiturum; vel ad sustentandam senectutem; vel ad occurrendum necessitati probabiliter obuenturæ ex morbis, bellicis casibus, alijsque similibus; aut vt heredibus relinquas, vnde secundùm suum statum viuere possint, &c. Item si quis sit dignus altiore statu, & ad eum probabiliter promouendus, in quo maiores opes ei erunt necessariæ, has coaceruando non dicetur habere superflua.

111 Ex quibus patet difficile esse decernere, quænam huic vel illi præsertim seculari sint superflua aut necessaria statui, idcoque hac de re satis fusè aliqui disputant. vt pater apud Lorcam 2.2.sect.3.disp.39. memb.1. Sed hæc certa regula definiri non possunt, & potiùs ex omnibus cuiusque personæ circumstantijs, quæ in singulis casibus variari possunt, prudenti iudicio spectanda sunt, & potiùs alieno, quàm ipsius cuius res agitur: quia in rebus similibus proprius amor nos facilè decipit, efficiendo vt fingamus nos dignos esse altiore statu, & facilè ad eum peruenturos, aut nobis imminere aliquos casus, in quibus pecuniæ nunc superfluæ sunt futuræ necessariæ, atque ita contra præceptum Domini simus solliciti in crastinum. *Lorca.*

112 Triplex necessitas indigentium. Notant Quartò, indigentium necessitatem esse triplicem, scilicet extremam, grauem, & communem. Extrema laborat is, cui deficiunt necessaria vitæ sustentandæ, ita vt sit in euidenti periculo mortis, aut grauissimæ miseriæ corporalis, quæ morti comparari possit: qualis est valdè grauis & perpetuus morbus, & similia. Alij vocant hanc necessitatem quasi extremã; sed parum facit ad rem, quia ipsi admittunt eandem esse vtriusque in præsenti materia rationem.

Quæ necessitas sit extrema.

113 Aliqui verò requirunt, vt hęc necessitas proueniat indigenti ab intrinseco, siue ex defectu alicuius rei vitæ sustentandæ necessariæ. Vnde aiunt eum non esse in extrema necessitate, qui à latronibus captus occidendus est nisi aliquis pro eo certum lytrum soluat. Sed alij inter hæc non distinguunt: & per se loquendo inter ea non est distinguendum, quia vtraque necessitas est æqualiter extrema, & per se æqualiter ad succurrendum obligat: per accidens tamen hæc quandoque minùs obligat. vt dicam n.143.

114 Lorca. Addit Lorca suprà n.9. eum debere dici esse in extrema necessitate, qui est in certo periculo ita decidendi ex honesto statu, vt non possit vitam sustentare nisi discendo atrem mechanicã, aut mendicando; quia multis hoc ita ignominiosum est, vt malint mori quàm ita viuere. Sed hac in re est ferè singularis. Nam alij communiter definiunt extremam necessitatem ex defectu rerum necessariarum naturę, siue sine quibus

bus hæc sustentari nequit: atque ita secundùm eos, supradicto solùm deficiunt necessaria ad statum, cùm operando aut mendicando possit habere necessaria naturæ; idque sine vlla miseria, quæ sit miseria ipsius naturæ aut etiam absolutè grauis miseria; nam aliàs quicumque coguntur laborando aut mendicando vitam sustentare, essent in graui miseria. Est igitur dicta miseria solùm miseria respectiua & secundùm
D. Thomas. quid, siue cum respectu ad statũ. Vnde D. Thomas in 4. dist. 15. q. 2. a. 1. quæstiunc. 3. in corpore, dicit hanc necessitatem non esse absolutam, sed solùm conditionatam, siue cum respectu ad conditionem & statum personæ. Argumentum autem Lorcæ solùm probat, talem miseriam respectu huius personæ & ob statum ipsius esse valdè duram ac difficilem, ideoque ipsum hanc vt grauissimum malum apprehendere, ac magna commiseratione esse dignum; præsertim si eam innocenter seu sine vlla sua culpa patiatur.

115 Graui necessitate laborat, qui ex defectu re-
Quæ necessitas sit grauis. rum necessariarum est in certo periculo incidendi in grauem miseriam, v.g. in grauem morbum aut diuturnam infirmitatem, in longam incarcerationem, &c. aut etiam is, qui est in periculo probabili incidendi in extremam necessitatem, aut qui est in certo periculo ex honorabili statu decidendi ad infimam fortunam, ita vt debeat mendicando aut laborando vitam tolerare.

Communis necessitas. Communi necessitate laborant communes mendici alijque pauperes, qui cum notabili difficultate alijsque operarijs extraordinaria, possunt sibi comparare ad vitam necessaria.

116 Notant Quintò, vt ego in particulari absolutè tenear alicui in particulari hîc & nunc ob eius necessitatem succurrere, debere mihi esse probabile quòd nemo alius sit qui ei hîc & nũc possit & velit succurrere, ita vt nisi ego succurram, talis in sua necessitate & miseria sit permansurus. Quia si alius ei sit succursurus, mea eleemosyna ei non est determinatè necessaria, cum sine ea eius miseria sit subleuanda; atque ita talis non est in extrema necessitate respectu
D. Thomas. Nauarr. mei. Ita D. Thomas in 4. d. 15. q. 2. a. 1. quæstiunc. 3. ad 4. & Nauarrus cap. 24. num. 5. cum alijs quos citat. Est tamen signum animi à misericordia alieni, occurrenti grauem necessitatem patienti negare eleemosynam quam facilè dare posses, præcisè quia credis alios ei succursuros.

117 His positis constat inter Auctores Primò, eum qui habet absolutè superflua etiam statui, teneri sub mortali succurrere illi omni qui est in extrema necessitate respectu ipsius, siue ita vt nisi ipse succurrat, nemo alius id probabiliter sit facturus. Per se patet, quia si vnquam obliget præceptum eleemosynæ, tunc sine dubio maximè obligat; & apertè est inhumanum, ac directè contra illud præceptum, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, tantum malum ab ipso non auertere, cùm facilè possis.

Secundò, constat me non teneri proximo in vllo casu succurrere, quando id nequeo facere nisi cum æquali meo incommodo, siue exponendo me certo periculo incidendi in idem malum quod ab eo volo auertere. Quia, vt patet ex dictis de ordine caritatis, nunquam teneor amare proximum plusquam meipsum. Excipiendus tamen est casus, quo, nisi proximo succurram, bonum publicum notabiliter periclitabitur; teneor enim hoc præponere priuato.

Est igitur difficultas Primò, an aliquando ab- 118
solutè teneamur facere eleemosynam extra extremam necessitatem proximi?

Secundò, an teneat, ex necessarijs ad statum subuenire laboranti extrema necessitate? Qua in re valdè variæ sunt Doctorum sententiæ, & aliqui tam obscurè loquuntur, vt difficile sit videre quid sentiant, ideoque à diuersis pro contrarijs sententijs citantur. & præsertim D. Thomas loco iam citato suprà, & 2. 2. q. 32. a. 5. *D. Thomas.* & 6. & q. 66. a. 7. in cuius sensu eruendo varij laborarunt, & à diuersis in sensu omnino contradictorio intelligitur, vt videre est apud Lorcam *Lorca.* 2. 2. sect. 3. disput. 39. n. 11. & seqq. quem si lubet consulas, quia longior necessario essem si hæc vellem exactè explicare.

Primò, igitur quidam docent, nos nunquam 119
absolutè obligari dare eleemosynam extra casum extremæ necessitatis proximi. Citantur pro hac sententia Maior in 4. dist. 15. q. 7. Gerson 2. *Maior. Gerson.* p. alph. 32. litt. O. Alensis 4. p. qu. penult. mem- *Alensis.* bro 1. Rosella v. *Eleemosyna.* n. 1. Panorm. in c. *Si* *Rosella.* *verò.* de Iureiurando. Medina Cod. de Pœniten- *Panorm.* tia tractat. 5. q. *De necessitate dandi eleemosynam.* §. *Medina.* *Quod in controuersia est.* Sed alij qui ex illis hoc nõ dicunt; sed potiùs contrarium. Eidem sententiæ fauet Gabriel in 4. dist. 16. q. 4. a. 2. concl. 4. vbi *Gabriel.* docet, nos in extrema necessitate eiusue probabili periculo teneri dare de ijs, de quibus liberè dare possumus. & concl. 5. ait extra tempus necessitatis, solùm esse consilij dare eleemosynam. vbi solùm agnoscit obligationem dandi eleemosynã in extrema necessitate. Nec refert quòd concl. 2. doceat, extra casum extremæ necessitatis non esse dandam eleemosynam de omnino necessarijs ad status conseruationem, secùs autem esse de alijs; quia ibi non agit quando teneamur dare eleemosynam, sed quando eam laudabiliter dare possimus.

Probatur Primò, quia, cùm non laborãs extrema necessitate possit sine mea eleemosyna viuere, hæc ei non est necessaria vt absolutè sit, siue vt viuat; sed solùm vt ei melius sit: atqui caritas non obligat me, saltem grauiter, vt procurem vt alter melius habeat: ergo nec me obligat vt tali dem eleemosynam.

Secundò, quia talis non tenetur seipsum ea miseria liberare, etsi facilè possit, sed potest eam velle propter Deum pati: ergo nec ego teneor ipsum ea miseria liberare.

Tertiò, quia Apostolus 2. ad Corinth. 8. ex- *2. Cor. 8.* citans eos vt Hierosolymitanis grauiter laborantibus mitterent eleemosynas, dicit se hoc non imperare: ergo ipsi ad hoc non tenebãtur.

Secunda sententia docet, nos teneri, etiam 120
in graui necessitate proximo succurrere ex superfluis statui, non tamen in communibus ne- *Paludan.* cessitatibus. Ita Palud. in 4. dist. 15. q. 3. a. 2. Sil- *Siluester.*

uester

Armilla. Sotus. Durand.

uester v. *Eleemosyna* q.1. Armilla ibid.n.3. Sotus lib.5.de Iustitia,q.8.a.1.& in eam inclinat Durandus suprà.

Priorem partem huius sententiæ probabimus infrà n.125. Secũdam verò partem probant Primò, quia vel tenemur omnibus eiusmodi necessitatibus succurrere, vel solùm aliquibus. Prius dici nequit (quia cùm hæ innumeræ sint, hoc fieri non potest) nec etiã secundum, quia non est ratio cur magis teneamur vni succurrere,quàm alteri. Secundò,quia aliàs nemo posset aliqua superflua sibi retinere , cùm vbique occurrant pauperes communi necessitate laborantes,atque ita maxima pars diuitum esset dãnanda.Nec sufficit si dicas eos non obligari sub mortali: quia videtur etiam valdè durum dicere eos toties peccare venialiter, quoties occurrenti eiusmodi pauperi non dant eleemosynam. Tertiò , quia aliàs malè facerent qui superflua expenderent in ædificandis ecclesijs , aut monasterijs,alijsque publicis operibus,cùm teneantur ea pauperibus erogare.

121 Tertia sententia docet , aliquem teneri ex duplici capite dare eleemosynam.Primò,ratione extremæ necessitatis proximi: quo casu tenetur ita indigenti in particulari dare eleemosynam. Secundò,præcisè quia habet superflua suo statui : & hoc casu quamdiu non occurrit extremè indigens, potest dare cui voluerit, nec tenetur dare alicui in particulari. Ita Caietanus in Summa v. *Eleemosyna.*& tom.2.opusc.tract. 5.c.2.Nauarrus c.24.n.5. & alij. Hanc partem probant Primò,quia Christus Lucæ 11.ait Pharisæis,*Quod superest date eleemosynam.* Secundò, quia iure naturæ omnia sunt communia,& instituta vt quisque ex ijs sibi necessaria sumeret, & reliqua daret indigentibus : quare qui habet superflua, non debet ea æstimare tamquam sua, sed tamquam sibi commissa vt ea pauperibus det.

Caietan. *Nauarr.* *Luc.11.*

122 Sed quidquid sit de hac sententia,hæ rationes parum probant : nam Christus in eo loco non dat aliquod præceptum , sed solùm consilium,ostendendo illis viam, qua possint à peccatis suis mundari : iuxta dicta suprà dub. 3.nu. 40. Secundum argumentum falsum sumit, scilicet omnia iure naturæ dicta ratione esse communia , quia secundùm id nemo posset verum alicuius rei dominium acquirere, & ea quæ quis iam habet superflua, non essent verè ipsius propria. Quare illud dictum in eo sensu sumptum dubio 6. satis refutaui. Vnde etiam patet,verum non esse aliquem obligari dare eleemosynam præcisè quia habet superflua: quia hoc ex nullo capite probari potest;& inde sequerentur multa incommoda. Tota igitur ratio nos obligans ad eleemosynam est indigentia proximi, cui ex caritate tenemur subuenire : & nos habere superflua est solùm conditio, sine qua non teneremur,quatenus efficit, vt sine notabili incommodo possimus proximo subuenire.

Nemo obligatur dare eleemosynã præcisè quia habet superflua.

Sola indigẽtia pauperis nos obligat ad eleemosynam.

Verum etiam non est,quòd extra extremam necessitatem non teneamur vnquam dare eleemosynam alicui in particulari: vt infrà ostendã.

123 Quarta sententia docet , nos etiã cum euersione nostri status teneri succurrere proximo in extrema necessitate constituto. Huius sententiæ videtur Caietanus suprà tract.5.c.2. §.*Fundatur autem.*Probatur Primò,quia caritas obligat me vt bonum meum minus perdam ad seruandum bonum proximi notabiliter maius: atqui bonum status est notabiliter minus bono vitæ: ergo teneor pro seruanda vita proximi perdere statum. Secundò, quia sicut se habet vita corporalis ad spiritualem;ita se habent bona externa,in quibus computatur status,respectu vitæ corporalis:atqui in extrema necessitate teneor perdere vitam corporalem vt saluem vitam spiritualem proximi: ergo similiter teneor perdere statum, vt seruem vitam proximi corporalem. *Caietan.*

Vt autẽ tota hæc materia sufficienter intelligatur,imò vt difficultates propositę possint clarè resolui , necessarium est præterea explicare quandam aliam difficultatem, quam Doctores communiter non ita ex professo disputant:scilicet vtrùm habens superflua teneatur pro seruanda vita proximi periclitante expendere etiam valdè magnam pecuniam,v.g. aliquot millia aureorum: quando sine diminutione sui status id posset facere. Eum enim teneri videtur probari Primò,argumentis allatis numero 123. pro quarta sententia. Secundò, quia Auctores communiter docent , nos teneri in extrema necessitate succurrere proximo ex superfluis: atqui tali tot millia sunt superflua : ergo tenetur hæc pro vita proximi seruanda expendere. Tertiò,quia caritas obligat me vt proximi valdè graue malum tollam , quoties id facere possum sine graui meo incommodo: atqui talis potest eos aureos pro vita proximi dare sine suo graui incommodo: ergo ad hoc tenetur.Confirmatur, quia talis diues quandoque minore suo incommodo poterit dare tot aureos,quàm communis mechanicus vnum florenum: atqui hic tenetur hunc dare pro vita proximi liberanda:ergo ille etiam tenetur dare istos aureos. 124 *An diues teneatur ingenti summa pro fundenda seruanda v. proxim.*

Conclvsio I. Habens superflua tenetur sub peccato mortali dare eleemosynam non solùm laboranti extrema necessitate , vt omnes fatentur, sed etiam laboranti graui necessitate, quando non est ei omnino probabile,& aliquo modo moraliter certum, sed eficiente alium ei succursurum. Ita Richardus in 4.d.15.a.2.qu.2. Couarr.lib.3.Variarum resolut.c.14.n.5.Bellarminus lib.3.de bonis operibus, c.7.Angelus v. *Eleemosyna.* n.1.Azor puncto 2.l.12.c.7.Valentia 2.2.disp.3.q.9.puncto 4. §. *Quæ sine controuersia.* Turrian.2.2.disp.82.dub.1. Vasquez opusc.de Eleemosyna,dub.3.n.24. Lorca 2.2.sect.3.disp. 39.n.22.Et est iam ferè communis. 125 *Richard. Couarr. Bellarm. Angel. Azor. Valentia. Turrian. Vasquez. Lorca.*

Probatur Primò,ex Scripturis. Quia Christus Matth.25. docet, aliquos in iudicio damnandos eò quòd non susceperint hospites,aut nudos non operuerint; qui sanè non videntur esse in extrema necessitate:nam ex nuditate,aut eò quòd debeat foris pernoctare non facilè quis moritur.Item 1.Iohan.3.dicitur, *Qui habuerit substantiam huius mundi , & viderit fratrem suum necessitatem habere , & clauserit viscera sua ab eo,quomodo caritas Dei manet in eo?* Ac si dicat, Fieri non potest vt caritas Dei in eo maneat: arqui *Matth.25.* *1.Iohan.3.*

qui clarum est laborãtem graui necessitate habere veram necessitatem (quia grauis necessitas est vera necessitas:) ergo qui habet superflua, quæ commodè ei dare possit, & hoc non facit, non manet in caritate; & consequenter peccat mortaliter. Alia adferam n.127.

126 Probatur Secundò, ex Patribus, qui passim grauis peccati & tamquam iniustos detentores rei alienæ damnant diuites non dantes eleemosynas; quorum aliquos citaui supra n.84. & plures fusè citant Bellarminus & Valentia citati n. 125. atqui illi omnes non possunt intelligi loqui de his solis, qui negant eleemosynam ijs qui extrema necessitate laborant, quia hi non ita multi sunt; & si quis eorum verba diligentiùs expendat, facilè videbit eos omnino aliud velle: ergo debent intelligi etiam de ijs qui non tribuunt graui necessitate laborantibus.

Bellarm. Valentia.

127 Probatur Tertiò, ex ratione. Primò, quia, vt constat ex dictis disp.24. & omnes fatentur, tenemur proximum ex vera caritate siue amicitia diligere: atqui grauiter contra amicitiam peccaret, qui videns amicum graui necessitate laborantem, & esse in certo periculo incidendi in graue malum, v.g. in grauem ac molestum morbum, aut amissionem sui status, nollet ei succurrere, cùm facili negotio & exiguo suo sumptu posset: ergo similiter non succurrere per eleemosynam proximo ea grauiter indigenti, est contra caritatem ei debitam.

Deuter.22. Confirmatur, quia Deuter.22. dicitur: *Si videris asinum fratris tui aut bouem cecidisse in via, non despicies, sed subleuabis cum eo.* Item Exodi 22. *Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei: ipsum enim est solum, quo operitur, indumentum carnis eius, nec habet aliud in quo dormiat: si clamauerit ad me,* (scilicet angustiatus eò quòd ei non reddideris pignus) *exaudiam eum, quia misericors sum.* Vbi aperte Scriptura docet, esse contra caritatem proximo debitam, ei eriam in necessitatibus non ita grauibus nolle succurrere.

Exodi 22.

128 Prob. ratione Secundò, quia etsi, vt ostendi dub.6. non solùm iure gẽtium, sed etiã iure naturæ, multarũ rerum verũ dominium possimus acquirere, atque adeò eorum quæ iustè possidemus maneamus veri domini, non obstante pauperũ necessitate etiam extrema; tamen cùm omnia externa bona nobis proueniant à Deo naturæ auctore, qui ea primò & per se instituit in communem hominum sustentationem & necessarium vsum; nullo modo videtur alicui concessisse ius ea sibi appropriandi cum peruersione illius intentionis; quod contingeret, si mihi omnino superflua licitè ita appropriarem, vt alijs grauiter ijs indigentibus nihil eorum tenerer concedere, etiã cùm id sine notabili meò incommodo facere possem. Hinc pulchrè D. Ambrosius serm.81. sub finem alloquens diuitem auarum, qui Lucæ 12. dicebat, *Destruam horrea mea,* &c. ait, *Numquid iniquus est Deus, vt nobis non æqualiter distribuat vitæ subsidia, vt tu quidem esses affluens & abundans; alijs verò deesset, & egerent?* Deinde pergit ostendere, ea quæ dies possidet superflua, esse bona indigentium, quia nimirum Deus ea ipsi dedit cum obligatione ea cum indigentibus communicandi. Vnde subdit: *Nequeenim minus est criminis habenti tollere, quàm cùm possis & abundes, indigentibus denegare,* &c.

Deus bona externa nobis concessit ad communem nostrã sustentationem.

Ambros.

Quo sensu bona diuitũ dicantur indigentium.

Ad primum argumentum contrarium positum n.119. nego maiorem, eam accipiendo propriè secundùm communem loquendi modum, quo ea sola solemus dicere esse præcisè nobis necessaria vt meliùs nobis sit, sine quibus nobis bene esse potest; qualis non est tua eleemosyna respectu patientis grauem necessitatem, quia huic sine ea non potest bene esse; quare ipsi omnino est necessaria vt rei bene sit, vel potiùs ne ei grauiter malè sit. Ad quod auertendum caritas nos obligat: vt iam ostendi. 129

Ad secundum, Respondeo Primò, antecedens non esse generaliter verum, quia is, qui ex indigentia est in periculo perdendi aliquod membrum, aut etiam incurrendi grauem morbum, tenetur hoc à se auertere si commodè potest, & peccaret qui eiusmodi pericula sponte accerseret, aut à se non auerteret, cùm facilè posset. Respondeo Secundò, negando consequentiam: quia quisque potest velle pati miserias propter Christum aut ad exercitium virtutis, & cedere suo iure quod habet vt legitima via eas euadat: nemo tamen alius potest eum ad hoc compellere, nisi id fiat via iuris propter cõmissa crimina. Adde, quando aliquis grauia & toleratu difficilia sponte propter Christum & virtutem patitur, ipsum hac ex parte non esse proprièmiserum, quia ijs malis in animo non affligitur: secùs est, quando ea inuitus patitur.

Inuitus mala patiens est miser, non tamen sponte ea patiẽs.

Ad tertium, Respondeo id nihil facere contrà nos. Primò, quia valdè verosimile est Corinthios illos Christianos non habuisse absolutè superflua aut abundasse, sed solùm secundùm quid, siue respectu Hierosolymitanorum, qui in valdè graui erant penuria. Nam de illis Apostolus ait epistola 1.c.1.v.26 inter eos non fuisse multos potentes aut nobiles. Secundò, quia, etsi Corinthij habuissent superflua, cùm domi haberent sufficientes pauperes in quos ea erogarent, non tenebantur ea aliò mittere, præsertim tam procul à se remotis.

1.Cor.1.

CONCLVSIO II. Quod ad hunc casum attinet, dicenda sunt superflua statui, non solùm ea quæ statui nullo modo necessaria sunt, ita vt sine prodigalitate in eo sustinendo nequeant impendi, sed etiam ea quæ non sunt ei ita necessaria, quin sine vllo illius detrimento possint ei subtrahi. Cùm enim, vt dixi n.109. necessaria ad statum patiantur magnam latitudinem, non omnia ad eum spectantia sunt ei ita absolutè necessaria, quin quibusdam sine suo detrimento possit carere, præsertim rebus non ita magnis. Ita Bañez 2.2.q.32.a.6 du.2. Turrian. disp. 82.dub.4. Lorca disp.39.n.35. 130

Quæ dicẽda superflua statui.

Bañez. Turrian. Lorca.

Probatur Primò, quia aliàs vix vllus teneretur vnquam dare eleemosynam grauiter indigenti, quia pauciſſimi sunt, præsertim sæculares, qui habent ita superflua vt illis nullo modo pro suo statu indigeant. Secundò, quia tenemur à proximo amouere graue damnum, quando sine notabili nostro incõmodo id facere possumus: atqui possumus de rebus ciusmodi sine notabili

bili nostro incommodo dare eleemosynas, quibus graue malum à proximo auertamus : ergo ad hoc tenemur.

131 Qua ratione communiter indigentibus teneamur dare eleemosynã.

CONCLVSIO III. Tenemur etiam ex huiusmodi bonis per eleemosynas subuenire communibus pauperum necessitatibus, non quidem ita vt singulis eas patientibus, aut etiam eleemosynam à nobis petentibus teneamur aliquid dare, (hoc enim esset nimis graue) sed ita vt pro opum magnitudine aliquando aliquas eleemosynas faciamus, prout prudens caritas dictabit faciendas. Ita Valentia, Bellarminus, Turrian. Lorca citati n. 124. & multi alij.

Valentia. Bellarm. Turrian. Lorca.

Probatur Primò, quia hoc etiam suadent auctoritates Scripturæ & Patrum allatæ pro prima concluſ. Nam Patres ob hanc obligationem passim dicunt superflua diuitum esse bona pauperum ac indigentium : ipsique esse data vt his dispensent. Patientes autẽ communes eiusmodi necessitates sunt verè pauperes, ac indigentes; & cùm toties tam Scripturæ quàm Patres damnent diuites qui sibi superflua non dant pauperibus, nullibi tamẽ insinuant se loqui solùm de ijs qui negant eleemosynas extremè aut grauiter indigentibus; imò Scripturæ allatæ n. 127. ex Deuteronomio & ex Exodo apertè insinuant indigentibus in communibus necessitatibus esse necessariò succurrendum, ne amicitia lædatur. Nam cuius asinus iacet sub onere, aut qui ob defectum indumenti non potest noctu sufficienter tegi, non est in ita graui necessitate, sed in ea in qua communiter eiusmodi pauperes sunt; & tamen Scriptura præcipit vt ijs succurramus cùm facilè possumus.

132 Probatur Secundò, quia si omnes habentes superflua numquam darent eleemosynas ijs qui solùm communem patiuntur necessitatẽ, multi ex his breui inciderent in grauem, aut etiam extremam necessitatẽ: quod esset graue malum tam ipsorum pauperum, quàm etiam reipublicæ, quæ postea illorum miserijs subleuandis multùm grauaretur.

Ex quo patet, etsi non sit graue habentem superflua præterire aliquos pauperes, quibus facilè posset dare eleemosynam; cum tamen si statuat numquam eam dare communibus pauperibus, aut de facto numquam det, grauiter communitati nocere, subtrahendo ei debita subsidia, & suo exemplo alios ad idem excitando. Vnde etiam tales communiter suis ciuibus sunt exosi, & passim auari, inhumani ac crudeles audiunt. Et sanè secundùm commune iudicium, propositum numquam aliquid pauperibus elargiendi, nisi in graui aut extrema necessitate, in homine opibus abundante est omnino inhumanum: & idem est censendum de executione talis propositi, aut etiam de perpetua omissione eleemosynæ, quantumuis sine expresso eiusmodi proposito fiat : quare hoc ita proponere aut consultò facere videtur esse peccatum mortale.

Quãdo grauiter peccet non dans eleemosynam cõmunibus pauperibus.

133 Ex his facile est respondere argumẽtis allatis n. 119. Ad primum, Respondeo nos nec teneri omnibus communi necessitate laborantibus, nec etiam vlli determinato dare eleemosynam, sed aliquibus indeterminatè prout iudicauerimus expedire. Sicut qui peccauit mortaliter, & habet multos quibus confiteri potest, non tenetur illis omnibus confiteri, nec vni magis quàm alteri; tenetur tamen aliquem ex ijs eligere cui confiteatur. Et in hoc differt hæc obligatio dandi eleemosynam ab ea, quæ oritur ex graui aut extrema proximi necessitate; tunc enim cuiuis ea laboranti tenemur succurrere si possimus.

Ad secundum, nego assumptum; quia tales, vt iam dixi, non tenentur omnibus dare eleemosynam; quamquam si habeant aliqua sibi omnino superflua, quæ nullo honesto vsui destinant, clarum est eos peccare nimio pecuniæ amore, si omnino statuant ea sibi seruare, nec velint pauperibus elargiri sed hoc vix contingit, nisi in valdè auaris : alij enim aut vix habent eiusmodi pecunias, aut statim eas alicui honesto vsui destinant, saltẽ aliquantò pòst futuro.

Ad tertium, nego assumptum; nam hoc ipso quo tales suas pecunias eiusmodi vsui destinant, non sunt ijs superfluæ, sed vtili vsui necessariæ.

CONCLVSIO IV. Etsi extremè aut etiam valdè grauiter indigẽti teneamur succurrere ex bonis ad conseruationẽ status hac ratione necessarijs, quatenus sine ijs non possumus eum ita commodè sustinere, vt patet ex dictis; tamẽ numquam personæ priuatæ etiam extremè indigenti tenemur succurrere ex bonis ita ad conseruationem status necessarijs, vt hic sine ijs nullo modo conseruari possit. Ita Auctores citati concl. 2. & est apertè D. Thomæ 2. 2. q. 32. a. 6. saltem quoad secundam partem. apertè enim docet, nos non teneri vnquam dare eleemosynam ex ijs sine quibus non possumus viuere decenter secundùm nostrum statum. Priori autem parti videtur ibi contradicere; sed posset intelligi loqui de communibus necessitatibus; opus enim ibi est aliqua benigna interpretatione. 134 *D. Thom.*

Probatur Primò, quia caritas non obligat me, vt cum tanto meo incommodo efficiendo me miserum, alienam vitam seruem: hoc enim esset valdè durum, vt magis infrà patebit; caritatis autem præcepta sunt suauia. 135

Secundò, quia non obligor magis seruare vitam proximi quàm meam: atqui nemo tenetur suam vitam seruare cum euersione sui status: ergo nec tenetur ita seruare vitam alterius. Maior patet, quia in ijs bonis quæ teneor mihi conseruare, qualis est vita, numquam minùs obligor amare meipsum quàm proximum. Minor probatur, quia aliàs sequeretur, nobilem ab inimicis captum teneri omnes suas opes dare pro lytro, & se ac suos ad mendicitatem redigere potiùs, quàm permittere se ab ijs occidi. Item sequeretur, periculosè ægrotantem teneri similiter omnia sua in medicos expertissimos vndequaque accersendo, & pretiosissimas medicinas comparando expendere, si hac ratione esset certa spes salutis recuperandæ, & aliàs immineret certum mortis periculum. quæ sunt apertè falsa, & contra communẽ sensum: omnes enim communiter hoc facientes tamquam nimiùm vitæ amantes vituperarent.

Non tenetur meam aut alienam vitã seruare cum euersione mei status.

Ratio

136 Ratio autem horum est, quia, etsi vita secundùm se & absolutè sumpta ac physicè loquendo sit bonum incomparabiliter maius omnibus bonis fortunæ, atque adeò ipso statu, si hæc secundùm se sumas; secùs tamen est, si hæc moraliter & secundùm communem hominum sensum inter se comparentur, & ex vna parte cogitetur vita vt coniuncta cum magna miseria, qualis est eius, qui honesto statu & omnibus fortunis excidit: & ex altera status ac diuitiæ considerentur quatenus reddunt vitâ ipsam commodam ac iucundam, atque ita sunt quodammodo quædam pars ipsius vitæ, quatenus vitam efficiunt bonam siue expetibilem, quæ aliàs esset misera & quasi longa mors. vnde multis grauius est amisso statu viuere, quàm eo integro mori.

Qua ratione vita cum bonis fortunæ possit conferri.

137 Secundò, quia vita necessariò est breuis & post aliquot annos finienda, quare eiusmodi profusione non conseruatur absolutè, sed solùm pro aliquo tempore prolongatur, status autem & diuitiæ quatenus sunt instrumenta virtutis & nominis comparandi, item quatenus in posteros siue heredes propagãtur; sunt quodammodo æterna, & vitam hominis in posteris ac in fama etiam post mortem suo modo perpetuant. quod multi ipsa vita pluris faciunt.

Tertiò, quia in Christianis, qui benè moriũtur, mors non tam est vitæ priuatio, quàm in meliorem commutatio: nam per illam ad meliorem vitam transimus.

138 Probatur conclusio Quartò, quia contrarium esset sæpè damnosum reipublicæ, quæ euersione status honesti ciuis longè plus læditur, quàm morte alicuius pauperis. Imò illa ratione respublica facilè tota euerteretur, si diuites tenerentur vel omnes vel magnam partem suarum fortunarum pro conseruanda vita cuiusuis pauperis expendere; quia sæpè contingit, præsertim serpente aliqua contagione, multos pauperes mori, qui valdè probabiliter curarentur si magnis sumptibus ad eos curandos expertissimi medici vocarentur, & reliqua omnis curatio adhiberetur, qualis valdè opulentis solet adhiberi; & secundùm contrariam sententiam diuites eo casu similia ijs exhibere tenerentur etiam cum euersione sui status; atque ita omnes reipublicæ opes breui exhaurirentur. Idem contingeret tempore belli aut grassantibus latronibus, qui facilè caperent pauperes, eisque minarentur mortem nisi diuites ingens lytrum pro iis soluerent, atque etiam quosdam ex illis occiderent, vt hos efficaciùs ad soluendum pro cæteris lytrum compellerent: atque ita exiguo tempore omnes opulentos suis opibus spoliarent, totamque rempublicam euerterent. Quæ etiam notanda sunt pro concl. sexta, vbi hæc conclusio magis confirmabitur.

139 Ex his facile est soluere argumenta allata num. 123. Ad primum, nego maiorem esse vniuersaliter veram: nam fallit quando bono meo minore non possum sine valdè graui incommodo carere; & non agitur de amittenda vita æterna proximi. Minor etiam non est generatim vera, vt patet ex iam dictis.

Ad secundum, nego maiorem: quia vita æterna est absolutè & semper bona, adeoque bonum summum & æternum; & contrà eius amissio est semper & absolutè mala, atque adeò extremum malum: quare nec illi vllum bonum temporale, nec huic vllum malum temporale vlla ex parte, vllaue ratione comparari potest. Secùs est de vita corporali, quæ nec semper nec omni ratione est expetenda; nec mors omnimodo fugienda, nec inter illam & bona fortunæ tanta est distinctio, vt nulla ratione possint comparari inter se: vt patet ex dictis n. 136.

CONCLVSIO V. Est tamen valdè laudabile 140
etiam statui decenter conseruando omnino necessaria pauperibus erogare, quoties id sine aliorum præiudicio fieri potest. Hæc est sententia D. Thomæ 2.2. quæst. 32. a. 6. & communis. *D. Thom.* Estque clara ex ipso Euangelio, vbi Christus suadet ad se venientibus, vt vendant omnia quæ possident, & consequenter etiam statui conseruando necessaria, & dent pauperibus. Quod consilium plurimi Sancti secuti ita sua sunt pauperibus elargiti, vt ex ditissimis facti sint ita pauperes, vt debuerint labore manuum, aut aliorum eleemosynis vitam sustentare: eaque ratione summam laudem à Deo ac hominibus consecuti sunt.

Dixi, *quoties id sine aliorum præiudicio fieri potest.* 141
Quia paterfamilias malè faceret si sine vxoris ac prolium consensu ita omnia sua elargiretur, vt non relinqueret his necessaria ad se secundùm suum statum sustentandum. Cùm enim hi, vt patet ex concl. 4. non teneantur in gratiam pauperum facere iacturam sui status, malè facit paterfamilias si indiscretis eleemosynis eos ad hoc cogat. Item Pastor, concionator, publicus doctor, non potest ita sua elargiri pauperibus, vt non retineat libros sibi omnino necessarios, sine quibus non possit docere aut concionari, aliaue officia obire; siue ita vt tempus quod debet impendere studijs, aut officio pastorali, debeat necessariò impendere operi manuum quo victum quærat, nisi simul possit & velit ea officia deserere: aliàs enim suis subditis aut auditoribus præiudicat, retinendo officium quod conuenienter nequit exercere.

Et sic intelligi D. Thomam suprà dicentem 142
esse inordinatum, aliquem tantum dare pauperibus, vt non retineat sufficienter vt possit secundùm suum statum decenter viuere: hoc enim est intelligendum quando hoc fieret cum aliorum præiudicio. Nam aliàs honesto loco natum, aut etiam nobilem, ita sua largiri pauperibus, vt cogatur pauperum more viuere & vestiri, etiamsi sæcularis maneat, & consequenter propriè statum non omnino mutet, quando id fit sine vllo alterius præiudicio, nihil continet inordinatum aut reprehensibile; sed opus maximæ caritatis, quodque in S. Martino summopere laudatur; qui cùm aliud non haberet quod dare posset pauperi, mediam partem suæ chlamydis ei dedit, cùm tamen reliqua parte non posset prout status eius exigebat decenter *D. Thom.*

vestiri, quæ bene etiam notauit Lorca 2.2.sect. 3.disp.39.n.42.& 43.

143 Conclvsio VI. Valdè opulentus non tenetur succurrere priuato indigenti, expendendo pro eo aliquot aureorum millia, etsi hoc necessarium sit vt hic ex certo vitæ periculo eripi possit, & quamuis ille id possit sine alio vllo graui incommodo facere: v.g. captus sit aliquis pauper ab hostibus, & hi exigant ingens pro eo lytrum, v.g. ter mille aureos, ni dentur, certò eum occisuri; & sit aliquis diues, qui tantum & amplius habet, quo sine detrimento sui status possit carere, dico eum non teneri illos dare, ne pauper occidatur.

Probatur, quia si diuites ad eiusmodi lytrum tenerentur, id esset nociuum reipublicæ, quia hostes facilè aliquos eius pauperes caperent, & minando ijs aliàs mortem cogerent opulentos ingentia pro ijs lytra soluere, & sic opes reipublicæ magna ex parte exhauirentur, dum illi cogerent diuites sibi dare ea omnia, quæ statui suo sustinendo non essent absolutè necessaria. Quod sine dubio reipublicæ esset valdè damnosum, cui valdè expedit habere in se viros opulentos: nam hac ratione ipsius vires crescunt, & alia ratione diminuuntur.

Et hac ratione puto motos quosdam Auctores, vt dicerent nos teneri per eleemosynam succurrere extrema necessitate laboranti, si hæc ei proueniat ab intrinseco, v.g. à fame, siti, morbo, &c. non tamen si ab extrinseco proueniat, v.g. à malitia latronis lytrum ab eo exigentis. cuius rationem etiam reddit Bañez 2.2. quæst.32.art.6.dubio 2.§.*Secundò est notandum.* Quia necessitati ab intrinseco prouenienti paucis subueniri potest, prouenienti verò ab extrinseco mensuram non habet: vbi implicitè nostram conclusionem insinuat, scilicet nos non teneri nisi moderata quædam pro proximi vita conseruanda expendere.

Bañez.

144 Ista tamen differentia non est generatim vera. Patet Primò, quia contingere potest vt lytrum quod exigitur exiguum sit, & tunc ab ijs qui facilè possunt soluendum est, præsertim quando inde non imminet periculum ne hostes ea occasione plures & sæpiùs alios atq; alios pauperes capiant, & hoc modo ciues suis opibus spolient. Hinc Imp. Mauritius quòd ab Auarum rege exiguo valdè lytro, scilicet quatuor siliquis, quibus hic singulos redimendos offerebat, captiuos noluit redimere, grauiter à Deo punitus est. vt refert Baronius anno Christi 560.& 562.

Baron.

Secundò, quia, etsi communiter necessitati ab intrinseco venienti possit paruis impensis succurri, non tamen semper; quia fieri potest vt aliquis laboret morbo periculoso, cui sanando necessarij sunt valdè periti medici aliunde magnis expensis aduocandi, & pretiosæ valdè medicinæ; & consequenter opus erit maximis sumptibus.

145 Ex his probatur conclusio Secundò, quia aliàs opulenti qui habent superflua, in dicto casu tenerentur eiusmodi sumptus pauperi aliàs certò morituro impendere si valdè probabile esset eum ijs impensis posse sanari: hoc autem est contra communem omnium sensum; nemo enim putat se ad talia obligari, nec vllus siue Pastor, siue Doctor, siue concionator quantumuis opulentos reprehendit, quòd pauperibus eiusmodi non procurent: sed omnes putant eos satisfacere si eam curam ijs impendant, quæ communiter pauperibus ægrotis solet impendi, procurando vt habeant sufficientia ad victum & communes medicinas, & vt aliquis, qui ibi reperiri potest, medicus eorum curam agat: nec vllibi in more est, vt pro ijs aliunde præstantes aut medici aut medicinæ accersantur. Ratio autem horum est, quia caritas solùm à nobis exigit vt proximo succurramus ex ijs, quæ natura aliquo modo voluit esse communia: inter quæ computanda est etiam communis hominum industria, quam Deus vt auctor naturæ etiam in hunc finem eis largitus est; eiusmodi autem rara & exquisita, quæque remotis ex locis tanto labore ac expensis accersenda sunt, non sunt ijs locis communia; vt notaui suprà n 85. vnde etiam eiusmodi magnos sumptus facere, magis spectat ad magnificentiam, quàm ad misericordiam. Confirmatur, quia opulentus tantam summam in vnius leuamen effundendo priuat se potestate faciendi alia maiora in vtilitatem reip. v.g. succurrendi plurimis alijs pauperibus non ita grauem necessitatem patientibus; quorum multorum miseriam posset ijs impensis notabiliter iuuare. quod videtur omnino esse opus melius & reipublicę lōgè vtilius, quàm sic curare vnicum egrum; quare diuisem obligare vt eas opes in vnum profundat, videtur nociuum reip. & contra æquitatem, quia nemo videtur obligandus vt propter bonum minus priuet se potestate faciendi maius bonum.

Ex quibus quo modo ratione temeraria possimus ab eo curare.

Impensa ad magnificentiam spectans.

Ad primum argumentum allatum nu.124. 146 respondi suprà n.139.

Ad secundum, Respondeo Auctores illos solùm loqui de succursu, qui communi modo & per media vsitata fieri potest; nemo autem dicit me eiusmodi medijs extraordinarijs teneri proximo succurrere, præsertim priuando me potestate faciendi maiora bona; imò, vt iam ostendi, communis sensus est contrarius.

Ex quo etiam patet responsio ad tertium: maior enim est intelligenda in casu, quo secundùm communem modum agendi possum mala à proximo auertere. Ad confirm. nego consequentiam, quia, vt iam ostendi, hac in re non solùm spectanda est incommoditas, quam subeo iuuando proximum, sed etiam modus quo est iuuandus: nam, vt iam ostendi, non teneor eum quouis modo iuuare. His adde, etsi valdè opulento non sit fortè hîc & nunc valdè incommodum ac difficile huic indigenti tantis impensis succurrere; tamen generatim omnes qui ita possunt succurrere existenti in periculo vitæ, ad hoc obligare, fore valdè graue & incommodum reipublicæ, vt iam ostendi; & consequenter talis obligatio inducenda non est.

DVBIVM IX.

Vtrùm, quando obligat præceptum eleemosynæ, hæc necessariò sit gratis danda: an verò sufficiat rem qua proximus indiget, dare mutuo, aut vendere dilata solutione?

149 Quandoque indigemus re aliena, aliàs solo vsu rei alienæ.

NOta, dupliciter aliquem posse nostra re indigere. Primò, ita vt solùm indigeat breui aliquo eius vsu, qui salua rei substantia haberi potest: v.g. indiget quis vsu tui equi, vt imminentes hostes fugiat. Secundò, ita vt re ipsa simpliciter egeat, vt eam possit consumere. Et quidem in priore casu certum est quòd non teneris ei dare equum; sed sufficit et vsum equi permittere.

148 *Lessius.*

Solùm posset hîc quæri, vtrùm si equus eo vsu pereat, alter teneatur concedenti pretium restituere. Respondet Lessius de Iustitia c.16.dub. 2.nu.10. si ipse eo modo vtatur equo, ex quo non est natus sequi equi interitus, eum non teneri soluere equi pretium; sed solùm pretium vsus, si is fuerit diuturnus, aut coniunctus cum notabili domini incommodo: si verò eo vtatur eo modo, ex quo natus est sequi interitus equi, vt si cogat eum celeriùs ac diutiùs currere quàm sine notabili periculo currere possit, aut per talia loca in quibus equo à latronibus certum periculum imminet; docet, ipsum teneri pretium equi soluere, quia in hoc casu ipse censetur causa interitus equi: secùs verò est in priore casu, in quo interitus equi censetur fortuitus, atque ita domino suo perit. Et hæc quidem vera sunt quando vtens equo habet sufficientia media vt soluat eius pretium. Quando verò ipse est omnino pauper, idem dicendum est de eo ac de quouis alio qui rem alterius in eiusmodi necessitate consumpsisset, de quo dicemus n.152.

149 Nota Secundò, quandoque contingere, vt qui re nostra absolutè hîc & nunc indiget vt eam consumat, nec quidquam apud se habet, quod postea possit rependere, habeat tamen alibi sufficientia media, aut sit in spe ea paulò pòst habendi, aut ex arte quam nouit, aut alia ratione si laborare velit, facilè possit sibi comparare necessaria, non solùm vt transacta hac necessitate viuat, sed etiã vt pecuniam iam mutuo acceptam restituat, aut rei consumptæ pretium soluat. Quo casu omnes communiter fatẽtur sufficere si ei detur mutuum, aut si res, qua indiget ipsi dilata solutione vendatur: aut saltẽ si hæc ei detur cum obligatione restituendi cõditionata, si nimirum peruenerit ad pinguiorem fortunam: iuxta dicẽda n.151. Quia talis non est absolutè pauper, sed tantùm secundùm quid, & pro hoc tẽpore & loco. Aliàs verò indigens re nostra quandoq; est absolutè pauper, ita vt nec hîc, nec vllibi aliquid habeat quo se possit sustentare, nec in ipsius potestate sit id breui habere, quia aut non potest laborare, aut etsi possit vtcumq; laborare, ita vt possit sibi aliquo modo victum comparare; tamen nonnisi cum summa difficultate poterit sibi tantum acquirere, vt mutuo accepta possit restituere. nec etiam ex hereditate, aut alia ratione vllas diuitias expectat. Et de hoc est tota quæstio.

Prima igitur sentẽtia docet, sufficere tali dare mutuum. Ita Nauarr. c.17.n.61. Couarr. reg. *Peccatum.* p.2.§.1.n.4. Adrianus quodlib.1.a.2. circa medium. Toletus in Summa l.vlt.c.37. Probant Primò, quia eleemosynæ præceptum nos solùm obligat vt liberemus proximum à necessitate quam patitur: sed hoc fit etiam per mutuum: ergo per hoc illi præcepto satisfacimus. 150 *Nauarr. Couarr. Adrian. Toletus.*

Secundò, quia sublata necessitate proximi tollitur obligatio ei subueniendi, quacumque tandem ratione ea auferatur: sed per mutuum, aut per eiusmodi venditionem eius necessitas aufertur: ergo tollitur etiam obligatio subueniendi.

Secunda sententia docet, in extrema necessitate dandam esse eleemosynam gratis; in graui verò sufficere mutuare. Ita Lorca 2.2.sect.3. disp. 39.n.53. citans pro se Cordubam, Iohannẽ Medinam & Bañez. sed hi duo tenent sententiam explicandam n.152. 151 *Lorca. Cordub. Medin. Bañez.*

Prior pars probatur Primò, quia extremè indigenti iure naturæ debetur sustentatio: ergo fit contra caritatẽ, si res ipsi sustentando necessaria ei detur cum onere restituendi. Secundò, quia si sufficeret mutuare, hoc fieret, quia hac ratione sine concessione dominij rei necessariæ, posset tolli necessitas proximi, sed in ijs quæ vsu consumuntur, ipso vsu perit eorum dominium: ergo qui eiusmodi rem dat extremè indigenti, non potest sibi reseruare eius dominium.

Secundâ partẽ probant Primò, quia Tobias Gabelo grauiter indigenti solùm dedit mutuũ. Itẽ Iosephus Ægyptijs graui fame laborantibus, non dedit frumentũ gratis, sed vendidit. Secundò, quia his non est debita sustentatio eodem modo ac prioribus: ergo quomodocumque ijs subueniatur, satisfit obligationi.

Tertia sentẽtia docet, non sufficere communiter dare eiusmodi pauperibus mutuum propriè dictum, quod inuoluit absolutam obligationem restituendi accepta in æquialẽti. Quia hac ratione accipiens obligaretur postea laborare, quantum moraliter posset, vt haberet vnde restitueret, atq; ita non posset suscipere voluntariam paupertatem, aut Religionem ingredi, præsertim si esset spes quòd breui posset lucrari sufficientia ad restituendum. quod videtur nimis durum. 152

Ait tamen sufficere dare illis necessaria cum obligatione ea restituẽdi condionata, si nimirum aliquando ad pinguiorẽ fortunam peruenerint: quo casu hic secundùm eos poterit quidem, si velit, voluntariam paupertatem sequi; si hoc tamen non faciat, tenebitur laborando aut alia ratione dare operã vt habeat vnde restituat. Citatur pro hac sentẽtia Medina Cod. de Eleemosyna, q.6. sed hoc solùm ibi asserit de ijs qui non sunt re & spe pauperes, eò quòd laborando facilè possunt acquirere vnde accepta restituãt. Et satis certum est nos absolutè loquendo præcepto eleemosynæ satisfacere ralibus dãdo necessaria cum eiusmodi conditionata obligatione. sed nos hîc loquimur de eleemosyna danda ijs qui absolutè pauperes sunt. *Medinæ.*

153 Conclvsio. Probabilius longè est in extrema aut graui necessitate cõstituto, si re & spe sit pauper, iuxta dicta n.149. dandam esse eleemosynam gratis, & absolutè sine onere restituẽdi. Ita Medina suprà. Bañez 2.2.q.32.a.6. Valentia 2.2.disp.3.qu.9.puncto 4. §. *Septimò certissimum.* Turrian.disp.82.dub.6.& 7. & plures alij.

Medina. Bañez. Valentia. Turrian.

Probatur Primò, quia hæc videtur communis sententia Patrum, qui, vt patet ex dictis dub. 6. initio, docent diuites teneri dare eleemosynam, ac si non sua sed pauperum bona dispensarent: quod nullo modo videtur futurum veram, si solùm tenerentur ijs necessaria mutuare: nam qui solùm dat mihi pecuniam mutuam, aut etiã is qui mihi vendit cibos dilata solutione, nullo modo agit personam bona mihi debita dispensantis: sed illa mihi mutuat, aut vendit tamquam sibi omnino propria, nec mihi vllo modo debita: ergo secundùm sententiam Patrum non satisfacit præcepto eleemosynę. Nec hîc est facienda distinctio inter grauem & extremam necessitatem: nam, vt probaui dub. 7. concl. 1. Patres suprà dicta docentes, loquuntur etiam de casu grauis necessitatis.

Probatur Secundò, quia vel tales creduntur omnino impotentes vlla ratione acquirere vnde postea restituant; & tunc frustra talis obligatio ijs imponeretur. vel creduntur quidem posse acquirere vnde restituant, sed cum magna difficultate, multùm laborando, & quantum possint parum consumẽdo; & eos velle ad hoc obligare videtur inhumanum; vnde omnes qui vellent pauperes obligare vt pretium panis aut vestis, aut pecuniolam in eleemosynam acceptam cum ea difficultate restituerent, haberentur ab omnibus auari ac inhumani. Vel demum creduntur sine notabili difficultate posse acquirere vnde restituant; & tunc non sunt re & spe pauperes.

154 Ex quibus sequitur Primò, etiam non sufficere ijs dare cum obligatione restituendi conditionata, explicata n.151. Quia hac etiam ratione obligarentur ad dictam difficultatem subeundam.

Dices, Poterit ijs dari eleemosyna cum obligatione eam restituẽdi, si casu aliquo ad pinguiorem fortunam venerint, nolendo interim eos ad dictam difficultatem constringere. Sed etsi hoc minùs durum sit, nec possit ita improbari in eo, qui cum aliqua notabili difficultate daret eleemosynam ex rebus quibus ipse etiam indigeret: tamen in alijs videretur etiam non satis humanum, & signum nimij affectus erga pecuniam: & videtur repugnare sententiæ Patrum, qui, vt ostendi, volunt eleemosynam gratis & absolutè dari. His adde, hunc modũ dandi cum tali conditione magis ad speculationem, quàm ad praxim pertinere; quia rarum valdè est eiusmodi pauperes ad talem fortunam peruenire, vt sine magna difficultate possint accepta restituere: quare vix operæ pretium est in rebus præsertim non ita magnis, eiusmodi obligationem exigere, & consequenter eam exigere, vt minimum vilis aut auari est animi.

155 Sequitur Secundò, probabilius esse idem esse dicendum de obligatione dandi eleemosynas in communibus pauperum necessitatibus; ad quas dandas diuites obligari dixi dub. 7. concl. 3. Quia hoc apertè etiam insinuãt Patres, & sine dubio communiter vilis, inhumanus ac auarus haberetur, qui tales eleemosynas, quales eiusmodi pauperibus homines solent communiter dare, vellet dare cum simili obligatione restituendi.

Excipiunt hîc aliqui casum, quo summa in eleemosynam danda esset valdè notabilis, v.g. 50. aureorum: quia nemo videtur posse ęgrè ferre si eiusmodi summã nolis omnino gratis dare, sed solùm cum obligatione restituendi, quando id sine graui difficultate fieri poterit. 156

An magna summa danda gratis dari.

Sed etsi hoc sit valdè probabile: tamẽ vix potest huic cõclusioni accommodari. Primò, quia, vt ostendi dub. 7. concl. 6. quæ tenemur dare in eleemosynam extremè aut grauiter indigenti, non sunt saltem communiter tanti pretij.

Secundò, quia vel accipiens illam pecuniam speratur facilè posse ad talem fortunam peruenire, vt sine notabili difficultate valeat eam reddere; prout sæpè contingit quando similis summa datur exercẽtibus mercaturam, & subitò aliquod damnum passis, aut ijs quibus perierunt instrumenta magni pretij, quibus artem suam exercere debent. Et hi non sunt absolutè re & spe pauperes, nec tam indigent rei donatione, quàm solo mutuo, cùm hoc habito possint facilè diuitias sibi necessarias acquirere. Vel ea summa datur tali, de quo non est talis probabilis spes; & tunc, vt iam ostendi, parum humaniter eiusmodi obligatio ei imponeretur ab eo qui eam eleemosynam sine notabili difficultate absolutè dare posset. Qui autem sine notabili difficultate eam ita dare non posset, non teneretur eam dare etiam sub tali cõditione: quia cùm vix vlla sit spes vnquam recipiendi suam pecuniam, tali ferè æquè graue esset dare suam pecuniam sub ea conditione, ac dare eam absolutè: eam tamen sic dando suo officio satisfaceret.

Ad primum argumentum positum nu. 150. 157 nego maiorẽ absolutè & generatim sumptam: nam obligamur non solùm vt subleuemus miseriam proximi, sed etiam vt eam debito modo & sufficienter subleuemus, prout caritas requirit; hoc autem non fit per mutuum. Vnde etiam patet responsio ad secundum, quia necessitas proximi nec sufficienter, nec debito modo per eiusmodi mutuationem sublenabatur.

Ad primum argumentum Lorcæ allatum n. 150. pro secunda parte suæ sententiæ, Respondeo nihil facere ad rem, quia nec Gabelus nec Ægyptij erant absolutè pauperes; sed tantùm pro certo loco ac tempore, aut respectu certæ rei: nam Ægyptij habebant saltem terras quibus triticum emerent.

Ad secundum, nego antecedens: sumit enim quod probandum est, scilicet talibus minùs deberi sustentationem dari gratis, quàm extremè indigentibus; aut si aliud velit, nihil facit ad rem.

DVBIVM

DVBIVM X.

Vtrùm in extrema aut graui necessitate liceat aliena surripere, eaúe consumere sine obligatione restituendi?

158 HAc in re certum est Primò, egentem non posse aliena inuito domino surripere, quando ea rogando aut simili ratione cũ ipsius beneplacito habere potest. Quia talis eo casu non habet necessitatem aut iustam rationem aliena inuito domino surripiendi. Nec refert quòd ipsum valdè pudeat mendicare eò quòd honestæ sit familiæ, quia hic pudor in tanta necessitate vincendus est, nec tanti faciendus vt excuset necessitatem patientem quo minùs teneatur saltem aliquibus diuitibus suam necessitatem indicare priùs quàm eorũ res surripiat. Quia cùm eiusmodi necessitas possit sine vlla culpa euenire, nihil verè pudendum continet: vnde eiusmodi pudor ex vana apprehensione nascitur.

159 Secundò, certum est existentem in extrema necessitate, cui ipse alia ratione nequit occurrere, posse aliena clàm aut etiam palàm si commodè potest surripere. Hoc enim communiter Doctores infrà citandi docent. Ratio est, quia, vt dixi dub.7. in extrema necessitate bona ad vitæ sustentationem necessaria sunt communia, non quidem quasi eorum dominus amittat eorum dominium siue proprietatem; sed quatenus, vt ibidem dixi, tunc ex institutione auctoris naturæ cuique tribuitur ius ex ijs suam vitam sustentandi: in quem finem eæ res à Deo primò & per se productæ sunt, & cum eiusmodi onere ad certorum dominium translatæ. Talis autem rem alienam ita surripiens propriè eam non furabitur, quia non accipiet eam domino rationabiliter inuito.

Accipiens in extrema necessitate aliena non furatur.

Tertiò, certum est non licere in communibus, siue non ita grauibus necessitatibus aliena surripere; quia cùm plurimæ sint eiusmodi necessitates, talis licentia omnia furtis & rapinis repleret.

160 Est igitur difficultas Primò, vtrùm etiam in graui necessitate liceat aliena surripere, quando aliter ei succurri non potest? Sotus lib.5.de Iustitia q.3.a.4. Caietanus 2.2.qu.66.art.7. Couarr.reg.*Peccatum*,puncto 2.§.1.n.3. & quidam alij id negant.

Sotus. Caietan. Couarr.

Primò, quia putant hanc esse sententiam D. Thomæ 2.2.q.66.art.7. Secundò, quia extra extremam necessitatem proximi diues non tenetur dare eleemosynam alicui in particulari; sed potest ex varijs eligere, vt det cui velit. Tertiò, quia extra extremam necessitatem proximi nemo potest cogi vt det eleemosynam. Quartò, quia c.*Si quis.*3. de furtis. dicitur: *Si quis propter necessitatem famis aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem vel pecus, pœniteat hebdomadas tres, & si reddiderit non cogatur ieiunare*: vbi supponitur, surripientem aliena in graui necessitate peccare, aliàs non imponeretur ei pœnitentia.

Si quis.

161 Secundò, est difficultas, vtrùm qui rem alie-

nam in graui vel extrema necessitate surripuit aut consumpsit, teneatur eam postea restituere, si ad pinguiorem fortunam venerit.

Quidam id absolutè affirmant, scilicet illi omnes qui dicunt diuites non teneri talibus gratis rem qua indigent donare, sed satisfacere dando ijs mutuum, aut cum obligatione conditionata restituendi; quos citaui n.149 & 151. & illud ex hoc necessariò sequitur: nam pauper non potest rem alienam alia ratione accipere, quàm quatenus diues tenetur eam petenti dare: ergo si diues non tenetur eam omnino gratis & sine onere restitutionis dare, nec pauper potest eam aliter accipere, nisi simul suscipiendo illud onus eam restituendi, idque quasi ex tacito quodam contractu.

Hinc etiam illi qui docent, diuitem in graui necessitate non teneri dare eleemosynam absolutè & sine vlla obligatione restituendi, consequenter debent docere, pauperem tunc eius rem non posse sine tali onere surripere.

CONCLVSIO I. Non solùm in extrema, sed 162
etiam in valdè graui necessitate constitutus potest rem alienam, qua dominus non multùm indiget, surripere, si alia ratione eam obtinere, aut suæ necessitati satisfacere nequeat. Ita Nauarrus c.17. n.5. Angelus v.*Furtum*.n.36. Siluester ibidem q.5. §.*Secundum*. Petrus à Nauarra lib.2. de Restitut.c.1.n.374. & seqq. Lessius de Iustitia cap.12.dub.12. Vasquez de Eleemosyna dub.7.n.60.& alij.

Nauarr. Angelus. Siluester. petr.Nau. Lessius. Vasquez.

Probatur Primò, quia Deus vt auctor naturæ res ad vitam sustentandam necessarias primò & per se instituit non solùm ad tollendam extremam necessitatem, sed etiam ad necessitates valdè graues propellendas, quales sunt quãdo aliàs imminet periculum grauis morbi, aut æquiualentis miseriæ corporalis: ergo sicut voluit cuique in extrema necessitate esse ius etiam ex alienis sibi vsurpandi necessaria ad vitam sustentandam, ita etiam idem ius voluit esse in valdè grauibus. Confirmatur, quia etiam in graui necessitate diues tenetur gratis dare eleemosynam in particulari eam patienti, vt ostendi dub.7.concl.1. vbi etiam n.128. tam ex ratione quàm ex sententia Patrum ostendi, superflua diuitum etiam in graui necessitate aliquo modo dici bona pauperum, quatenus hi habent ius vt ex ijs eorum necessitati succurratur.

Ad primum argumẽtum positum n.159. Respondeo D.Thomam ibi potiùs nostram sententiam docere: nam expressè tam in corpore, quàm ad primum docet, in vrgenti necessitate licere aliena surripere; talis autem est necessitas valdè grauis. 163

Ad secundum autem & tertium, nego assumptum; contrarium enim apertè probaui dub.7. concl.1.

Ad quartum, Respondeo illud capitulum aut intelligendum esse de eo qui indebitè rem alienam vsurpauit, cùm eam alia ratione, scilicet rogando, potuisset obtinere, vt multi id explicãt; vel potiùs de eo qui non erat verè in graui necessitate: nec enim omnis qui famet aut ex nuditate aliquod frigus patitur, est in graui necessitate, cùm hoc communibus omnibus pauperibus

peribus accidat,& sæpè illis, qui facilè, si vellent, possent laborando sibi necessaria comparare. Quare nulla est necessitas vt intelligamus illud capitulum loqui de existente in necessitate absolutè graui. Adde, hoc non esse desumptum ex vlla decretali Pontificum,aut ex vllo Concilio,sed ex pœnitentiali Theodori.

164 CONCLVSIO II. Qui existens re & spe pauper in tali necessitate rem alienam ad vitam sustentandam sibi necessariam consumpsit, factus postea ditior non tenetur eam restituere. Ita Auctores citati dub.9.n.153. & sequitur apertè ex ibidem dictis. Nam,sicut tunc dives obligatur eiusmodi rem necessitatem patienti absolutè gratis dare,ita si id ille nolit facere,hic poterit eam ea ratione accipere. Sicut enim hoc ipso,quo dives habet obligationem dandi eam rem pauperi,& non vult eam dare, hic acquirit ius eam furripiendi, ita etiam acquirit ius illam sibi vsurpandi ea ratione qua alter eam tenetur dare. Cùm igitur dives teneatur eam dare gratis siue non obligando pauperẽ eam restituere,hic poterit illam eadẽ ratione sibi vsurpare. Ex quibus patet responsio ad fundamentum contrarię sententiæ.

165 Excipiunt hinc aliqui casum quo talis ante eam necessitatẽ rem iniusto titulo,v.g.furto aut simili ratione,acquisiuerat. Putãt enim eũ tunc quidẽ licitè in extrema aut graui necessitate eã rem consumere, obligari tamen eam postea restituere si ad lautiorem fortunam peruenirat: quia ante eam necessitatem habebat obligationem eam restituendi,non solùm ratione rei acceptæ,sed etiã ratione iniustæ acceptionis, quæ per illam necessitatem sopitur quidem,non tamen extinguitur. Ita Scotus in 4.dist.15.qu.2.§. *Ad argumenta.* circa medium. Silvest. verò v. *Restitutio.*5.num.2.dicit id esse tutius,vnde videtur contrarium iudicare probabile. Pro quo etiam citat Richardum & Paludanum. Idem,scilicet talem non teneri restituere, docet Petrus à Nauarra de Restitut.l.4.c.4.n.24.& 25. & quidam alij.

Scotus. Silvester. *Richardus. Paludan. Petr. Nau.*

166 Et credo hoc esse probabilius; quia talis videtur satisfacere obligationi restituendi quam antè contraxerat ratione iniustę acceptionis,insumendo dictam rem in eos vsus,in quos dominus eam tenebatur insumere. Confirmatur,quia si eam rem domino clàm restituisset dum ea extremè indigebat,eamq; statim iterum accepisset, non fuisset postea vnquam obligatus eam restituere: ergo nec in priore casu ad hoc obligatur. Probatur consequentia, quia si res furto ablata apud furem sine eius culpa pereat eo tempore quo restituta domino eodem modo ei perijsset, fur liberatur onere restitutionis, vt docet Lessius de Iustitia c.12. dub.15. atqui in dicto casu apud furẽ ita perijt,quia, etsi eam tunc domino restituisset,& statim sicut poterat recepisset, eodem modo domino sine furis culpa perijsset.

Lessius.

167 Dices Primò, Si talis ante eam necessitatem illam rem accepisset mutuo, aut dilata solutione emisset, & demum in extrema necessitate eã consumpsisset, post hanc transactam factus ditior fuisset obligatus reddere alteri ipsius pretiũ; ergo similiter quando eam furto sustulerat.

Respondeo, nego consequentiam: quia in priore casu consumpsisset rem suam, atque ita hæc ipsi perijsset; sicut etiã ei perijsset, si perijsset casu fortuito sine vllius culpa:in secundo casu is cui res ablata est, manet eius dominus, ideoque ipsi perit, dum dicta ratione sine eius iniuria consumitur, seclusо omni expresso aut implicito contractu, qualis hîc nullus intercedit. *Cur pretij nec empta si in extrema necessitate consumpta potiùs quàm furtiue ablata teneatis persoluere.*

Hæc autem intelligenda sunt, quando fur eam rem in extrema aut valdè graui necessitate consumens est re & spe omnino pauper:nam si alibi haberet diuitias, aut posset facilè habere, tunc non posset eam consumere nisi volendo se obligare ad pretij restitutionem, pro eo tẽpore quo hanc facere posset. Absurdissimum enim esset hominem diuitem,carẽtem in aliquo loco pecunijs alijsque rebus sibi ad victum absolutè necessarijs,posse illas sine obligatione earũ pretium soluendi ab alijs accipere : quare omnes consentiunt talem teneri postea rerum ita consumptarum pretium soluere. 168

Dices Secundò, Si talis habet ius accipiendi rem alienam: ergo dominus peccabit contra iustitiam, si eum impediat ne rem suam accipiat; quia qui impedit ius alterius, peccat contra iustitiam. 169

Respondeo dominum posse dupliciter impedire ne extremè indigens rem suam accipiat. Primò, eam priùs occultando, eò quòd timeat ne alter eam accipiat: & tunc solùm peccat contra caritatem, quia pauper non habet strictum ius ne dominus illud faciat; atque ita hic hoc faciendo verè non impedit ius alterius, nec vllam ei infert iniuriam. *An peccet contra iustitiam impediens ne extremè indigens rem ipsius auferat.*

Secundò,inferendo vim ipsi pauperi volenti eam rem sibi vsurpare, & tunc peccat contra iustitiam, eiq; iniuriam facit: vnde alter potest eam vim vi repellere,vt cum alijs docet Lessius de Iustitia c.12.dub.12.n.69. Simile esset si vnus impediret pauperem ne peteret eleemosynam, scienter abducendo diuitẽ ad ea loca, vbi pauper ab eo non posset petere eleemosynam:& alter vi pauperem impediret ne eleemosynam peteret. Prior peccaret solùm contra caritatem,alter contra iustitiam. *Lessius.*

Ex dictis sequitur, pauperem existentem in graui aut extrema necessitate non posse à domino inuito accipere rem, qua ipse ferè æqualiter indiget, aut quæ ei ad suum statum sustinẽdum omnino est necessaria. Item eum etiam ab homine valdè opulẽto illicitè clàm accipere rem valdè pretiosam aut magnam summam pecuniæ; nisi fortè haberet probabilem spem & sinceram voluntatẽ ea post aliquod tempus restituẽdi. Ratio eorum est,quia pauper non aliter habet ius rem alterius furripiẽdi, quàm quatenus hic tenetur eam ipsi cognita eius necessitate dare: atqui, vt ostendi dub.7.conclus.4.& 6. nemo tenetur pauperi priuato, quantumuis indigenti, rem qua æquè grauiter indiget, aut ita pretiosam,dare omnino gratis, etsi ea non ità indigeat : sed summum tenetur hanc dare mutuo, quãdo est probabilis spes eam aliquando recipiendi:ergo ea indigens non potest eam alia ratione furripere, 170 *Indigus iustè alterum eripit rem statui omnino no necessario, aut valdè magnã summam.*

Dices

171 Dices Primò, Si deberem Petro decẽ millia aureorum, & captus à latronibus deberem his tantum dare, vel occidi, possem illa dare, etsi per hoc fierem omnino in perpetuum impotẽs soluere Petro: ergo similiter potero ei tantum surripere, si hoc similiter sit necessarium ad saluandam meam vitam.

Minor requiritur causa vt debita non soluam, quàm vt aliena surripiam.

Respondeo negando consequentiam: quia longè faciliùs occurrit iusta causa non soluendi debita, quàm surripiendi rem alienam; nam qui non potest soluere debita, nisi priuando se re qua extremè indiget, ad hoc non tenetur, etsi creditor ea etiam extremè indigeat: quod verum, etsi res esset in specie debita siue aliena, v.g. commodato accepta aut furto ablata; nullo tamen modo potest quis eiusmodi rem accipere ab eo qui ea extremè indiget, vt cum alijs docet Lessius de Iustitia cap.16. dub.1.nu.13.& Sotus lib.4.de Iustitia q.7.a.1.& Caietanus 2.2. q.62.art.5.§. *In responsione ad* 4. Lorca tamen hîc disp.38.n.11. putat eum, qui rem in specie alienam possidet, siue iustè, siue iniustè eam acceperit, teneri eam restituere domino extremè ea indigenti, quantumuis ipse eadem extremè indigeat; quia cùm alter semper maneat illius rei dominus, ipse semper retinet ius eam sibi vendicandi, & illa quodammodo violenter manet apud possessorem. Sed probabilius est talem possessorem eo casu non teneri rem illam restituere; vt cum alijs docet Lessius suprà: quia in extrema necessitate cessant hac ex parte rerum dominia, & omnia fiunt communia: quare melior est conditio possidentis, atque ita tunc illa res desinit apud hunc violenter esse, & dominus perdit ius eam sibi vendicandi. meritò tamen omnes excipiunt casum, quo possessor rem illam à domino iniustè accipiendo hunc in extremam necessitatem coniecisset: tunc enim etiam cum certo vitæ periculo tenetur eam reddere. vide Lessium suprà.

Lessius. Sotus. Caietan. Lorca.

Lessius.

172 Dices Secundò, Adultera potest permittere vt filius spurius educetur ab insscio marito magnis sumptibus, & maximam hereditatẽ tamquam legitimus adeat, quando hoc est necessarium vt vitam aut famam tueatur: ergo ob similem necessitatem poterit tantumdem alteri surripere. Respondeo, negando consequentiam; quia longè faciliùs habes iustam causam permittendi aliquod damnum, etiamsi tua culpa ei dediſti causam, quàm id inferendi; quia illud licet quoties est necessarium ad conseruandum bonum superioris ordinis: non tamen hoc. hinc si tua culpa ortum sit incendium, non teneris id extinguere cum certo vitæ periculo; non potes tamen alienam domum incendere, quantumuis hoc sit necessarium vt certam mortem euadas, vt si latrones omnino vellent te occidere, nisi illud faceres.

Adultera nõ tenetur propalare suum crimen, ne spurius hereditatem adeat.

Vt euadas mortem licitè non extinguis incendium tua culpa ortũ, illicitè tamẽ id excitas.

DVBIVM XI.

Vtrùm Ecclesiastici specialiter, aut etiam ex iustitia obligentur superflua pauperibus erogare?

VT hæc clariùs tractentur, Notandum cum Nauarro q.1.de Reditibus Ecclesiast.monito 19. Ecclesiasticos beneficiatos posse habere triplicia bona. Primò, patrimonialia, inter quæ computantur etiam ea quæ donatione aut sua industria eadem ratione ac si essent laici acquisiuerunt. Secundò, quasi patrimonialia, quæ ipsi quidem acquirunt vt clerici, v.g celebrando, confessiones audiendo, &c. nõ tamen ex vllo beneficio; inter quæ etiam cõputantur ea, quæ quandoque quibusdam personis Ecclesiasticis assignantur, præcisè ad eorum sustentationem. Tertiò, sunt ea, quæ ipsi percipiunt ex reditibus sui beneficij. His Caietanus 2.2.q.185. art.7.§. *Ad secundam.* in fine, addit Quartum genus, scilicet dominium aliquarum ciuitatum, quarum Episcopus qua talis est princeps. vt cõtingit in multis Episcopis Germaniæ, qui sunt absoluti principes in sua diœcesi, ita vt eis incumbat curare ea quæ pacis & belli sunt, non minùs quàm alijs Imperij principibus.

173 *Nauarr.* Triplicia bona Ecclesiasticorum.

Caietan.

Nota Secundò, ex duplici capite posse videri nasci maiorem obligationem dandi eleemosynam in Ecclesiastico quàm in seculari. Primò, ratione status ipsius. Sicut enim hic requirit in eo maiorem perfectionem, quàm requiratur in laico; ita videtur requirere in eo maiorem caritatem erga pauperes. Secundò, ratione ipsorum bonorum, quæ ipse possidet: & ex hac parte cõstat inter Doctores, Ecclesiasticos ratione bonorum primi & secundi generis, non aliter teneri dare eleemosynas, quàm teneantur alij merè seculares: quia illi dicta bona eodem modo possident, atque hi sua.

174 Ex duplici capite Ecclesiasticus præ laico obligatur ad eleemosynã.

Lorca verò 2.2.sect.3.disp.40.n.3. cui etiam fauet Caietanus suprà, putat eandem omnino cum his esse rationem bonorum quarti generis; atque ita Episcopum ex ijs non aliter obligari ad eleemosynam, quàm obligetur princeps secularis. Quia ea bona sunt eis data, tum ad ampliandam Ecclesiæ maiestatem, quæ multùm apud seculares per huiusmodi dignitates augetur: tum etiam vt bonum publicum suæ prouinciæ curent, ac etiam armis quando opus est defendant, non minùs quàm seculares principes. Ideoque possunt etiam in hunc finem congregare thesaurum quantum necessarium iudicãt, & statum suæ dignitati conuenientem habere; quia hoc requirit bonum ipsius reipublicæ, cui præsunt. Quare his rebus primò debent prouidere, & solùm ex superfluo succurrere pauperibus.

175 *Lorca. Caietan.*

Quæ posteriora vera quidem sunt, & ea sola videtur intendere Caietanus suprà; tamen inde non sequitur, eorum bonorum esse absolutè eandem rationem, ac bonorum primi & secundi generis, aut Episcopum posse ijs vti eodem modo ac princeps omnino secularis potest vti suis. Sed solùm sequitur, tam Episcopum quàm

176

alium principem eodem modo teneri ex his bonis primò consulere bono ac dignitati suæ reipublicæ, & huic fini tantum impendere, quantum necessarium est. Quod autem his superest, id princeps Ecclesiasticus non potest eodem modo impendere ac princeps secularis, sed planè simili ratione atque alij clerici tenentur impendere bona tertij generis suæ sustentationi superflua. Quod vel inde patet, quia princeps secularis ex huiusmodi bonis superfluis licitè ditat suos amicos, & si ea in sumptuosa conuiuia aliásve res non necessarias profundat, modò ideò non nimiùm negligat pauperes, non facilè ideò grauiter peccat. Secùs omnino videtur dicendum de Episcopis, in quibus talia grauiter reprehensibilia sunt, vt magis infrà patebit.

177 Præcipua igitur hîc quæstio versatur circa bona tertij generis. Circa quæ difficultàs est Primò, vtrùm Ecclesiastici ea quæ ex his bonis habent honestæ suæ sustentationi superflua, teneantur ex iustitia dare pauperibus? Secundò, vtrùm saltem singularem habeant obligationem ea in pauperes aliásve causas pias expendendi? Tertiò, quo iure ad hoc teneantur?

178 Quæ spectẽt ad honestam clerici sustẽtationem.

Pro harum autem explicatione notant Auctores Primò, decentem clerici sustentationem non consistere in indiuisibili, sed habere quandam latitudinem, vt dub.7. etiam dixi de secularibus. vnde is cui quingenta absolutè sunt necessaria, ita vt sine ijs nequeat decenter secundùm suum statum viuere, poterit sine notabili excessu expendere sexcenta. Ex quo nascitur quarta difficultas, vtrùm scilicet quo clericus est nobilior aut etiam doctior, eo plus possit insumere in sua sustentatione? Et Quintò, vtrùm aliquando ad statum clerici spectet, præcipuè quando fit Episcopus, eleuare suos parentes pauperes ad altiorem statũ? Item Sextò, vtrùm, si clericus aliquid subtrahat honestæ sustentationi, quod sine peccato poterat in eam insumere, possit id eodem modo expendere, atque alia bona patrimonialia?

179 Notant Secundò, ex canone *De reditibus*, 12.q.2. alijsque multis eodem titulo, olim initio Ecclesiæ singulos clericos non habuisse proprios reditus: sed omnes clericos vnius Ecclesiæ habuisse bona communia, quæ erant bona ipsius Ecclesiæ; & diuidebantur in quatuor partes: quarum vna dabatur Episcopo pro sua sustentatione; secunda impendebatur pro sustentatione fabricæ, alijsque Ecclesiæ impensis; tertia dabatur pauperibus; quarta diuidebatur singulis clericis prout vnicuique erat opus. Postea tamen ob multas difficultates quæ hinc oriebantur, erecta sunt beneficia, & singulis assignati sunt proprij reditus. & tota difficultas est circa eos qui eiusmodi bona iam possident.

180 Circa primam igitur difficultatem propositam num.177. aliqui putant Ecclesiasticos non esse verè dominos illius superflui. hinc si aliquis Canonicus ex suo beneficio recipiat, v.g. 400. aureos, & 200. ei sufficiant ad honestam sustentationem; aiunt eum reliquorum ducentorum non fieri dominum, sed solùm dispensatorem, atque adeò ex iustitia teneri eos expendere in opera pia, eosque restituere, si eos aliter impenderit. Ita Nauarrus libro de Reditibus Ecclesiast. quem ferè totum in hac quæstione insumit. Alensis 3.p.q.36.art.2.nu.5. Henricus quodlib.8.q.7. & quidam alij, quos citat Nauarrus suprà tractatu 2. monito 7. vbi docet esse communem iuristarum sententiam. *Nauarr.* *Alens.* *Henricus.*

Probant Primò, quia multi canones dicunt bona Ecclesiæ non esse sacerdotum, sed pauperum, illosque solùm esse eorum dispensatores. c.*Res Ecclesiæ*. c.*Nulli*. c.*Si priuatim*. 12.q.8. c.*Fraternitatem*, de donationibus. c Res Ecclesiæ. c. Nulli. c. Si priuatim. c. Fraternitatem.

Secundò, quia Ecclesiastici iure communi prohibentur testari ex huiusmodi fructibus. c.*Episcopi*. c.*Manifestà*. c.*Sint manifestà*. 12.q.1. c.*Quorumdam*. c.*Adhæc*. de testamentis. ergo hoc est signum eos non esse horum bonorum dominos. c. Episcopi. c. Manifestà. c. Sint manifestæ. c. Quorumdam. c. Ad hæc.

Tertiò, quia quæcumque Ecclesiastici ex reditibus Ecclesiæ emunt, secundùm ius commune non sibi sed Ecclesiæ acquirunt, vt habetur c.*Placuit*. 12.q.3. & c.*Sacerdotes*. 12.q.4. ergo non sunt istorum bonorum domini. c. Placuit. c. Sacerdotes,

Quartò, quia D. Bernardus epist.2. ad Fulconem, circa finem ait: *Denique quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Bernard.

Quintò, quia illi, qui tantas diuitias Ecclesiasticis dederunt, illas non dederunt vt hos ditarent (hoc enim fuisset imprudenter factum) sed vt hi sibi superflua pauperibus distribuerent: ergo ipsi ad hoc ex iustitia tenentur.

Sextò, quia ante erectionem beneficiorum quarta pars bonorum Ecclesiæ debebatur pauperibus: atqui hæc videtur passim permista ipsis beneficijs: ergo beneficiarij tenentur quartam partem suorum reditumm dare pauperibus.

Circa quartam difficultatem (nam in 2.&3. auctores ferè conueniunt) Lorca 2.2. sect.3. disp.40.nu.39. absolutè negat clericos ratione maioris doctrinæ aut nobilitatis posse plus ex reditibus Ecclesiasticis in sua sustentatione insumere. Primò, quia omnes clerici debent esse eruditi, iuxta exigentiam sui status. Secundò, quia status clericalis est status humilitatis: ergo secularis nobilitas in clericis debet submitti clericali humilitati, non autem hæc trahi ad secularem fastum. Tertiò, quia beneficia non sunt instituta, vt secularis nobilitas & pompa foueantur; sed vt ministrorum Ecclesiæ honor pro dignitate officij conseruetur. 181 Lorca.

Circa quintam difficultatem Auctores communiter concedunt, clericos ex eiusmodi bonis posse dare suis consanguineis pauperibus tantum, quanto indigent ne egeant; siue ita vt non modò naturam, sed etiam statum suum decenter sustinere possint, si ipsi per se ad id sufficientia acquirere nequeant. Item quando clericus natus ex parentibus vilis conditionis, vt qui quotidiano labore debebant sibi victum comparare, ad honestum Ecclesiasticum statum aut dignitatem euehitur, ipsum ex huiusmodi bonis posse suos parentes eleuare ad statum paulò honestiorem: ita vt inter ciues aliquo modo honestos computari possint; quia hoc ad hono- 182 Quid clerici possint dare suis consanguineis.

honorem & decentem clerici sustentationem pertinet; cui communiter vitio dabitur, si suos parentes in ea paupertate permittat degere. vide Tabienam v. *Restitutio.* §.19. Molinam tractatu 2. de Iustitia disp.146. Toletum libr.8. Summæ c. 38. Lorcam suprà n.42.

Tabiena. Molina. Toletus. Lorca.

183 Sed difficultas est, vtrùm ijs liceat eleuare suos consanguineos ad statum nobilium, instituendo pro ijs maioratum aut similia. Lorca suprà videtur id absolutè negare. Alij verò id cõcedunt fieri posse, modò non fiat ex ijs bonis, quæ ipse in vsus pauperum tenetur expendere. Item modò id fiat sine scandalo, quod nascereture quando alij putarent eos ditare suos ex bonis quæ tenẽtur pauperibus distribuere; at hoc sufficienter vitatur, quando palàm constat eos sufficienter pro qualitate sui beneficij in pauperes expendere. Ita Molina suprà citans alteram Molinam, Maiorem in 4. dist. 24. qu. 6. Nauarrum in Apologia qu. 1. monito 30. & 78. & Sotum lib. 10. de Iustitia q. 4. art. 3. Sed aliqui ex his auctoribus id non dicunt apertè. Et hãc sententiam puto veriorem, quia posito quòd illi tantum in pias causas expendant quantum in eas tenentur expendere: nulla est ratio cur ex aliis bonis non possint suos consanguineos locupletare. Quamuis enim hoc sit minùs perfectum, ac vanitatem nimiumque erga res huius mundi affectum sapiat, ideoque minùs deceat personam Ecclesiasticam, quæ deberet illa contemnere, tamen nullo iure est ijs absolutè prohibitum. Nec his obstat Tridentinum sess. 25. c. 1. de reformat. prohibens ne clerici suos consanguineos ditent ex reditibus sui beneficij; quia hoc intelligendum est de ijs, quæ tenentur pauperibus distribuere. Confirmatur, quia cur ipsi non possint ex bonis sui beneficij ditare amicos, sola hæc videtur esse ratio, quòd ea teneantur expendere in pios vsus: ergo bona, quæ non tenentur ita expendere, possunt dare suis consanguineis.

Qua ratione clerici possint suos cõsanguineos ditare.

Molina. Maior. Nauar. Sotus.

Trident.

184 Ex quibus patet, clericum non posse suos ita ditare ex bonis beneficij honestæ suæ sustentationi superfluis; quia hæc tenetur absolutè in pias causas expendere; vt infrà dicemus. Quare vt videamus ex quibus bonis sine graui saltem peccato possit suos ita ditare, primò resoluenda est sexta difficultas; scilicet vtrùm clericus ijs bonis, quæ honestæ suæ sustentationi subtrahit, minus ex suis reditibus expendendo quàm decenter posset expendere, possit vti tamquam patrimonialibus, & consequenter ex ijs ita suos amicos ditare. Lorca suprà nu. 43. id negat. Primò, quia D. Thomas 2.2.q.185. ait clericum nõ peccare sibi subtrahendo ex ijs, quæ suo vsui sunt deputata, eaque dando consanguineis, modò id faciat moderatè, ne egeant, non autem vt ditiores fiant. Secundò, quia etiam illa bona sunt sacra: ergo non licet ea conuertere in vsum profanum, qualis est ita ditare consanguineos.

Lorca. D. Thom.

185 CONCLVSIO I. Verius omnino est clericos seculares iam esse verè dominos omnium fructuum suorum beneficiorum. Ita Soto lib. 10. de Iustitia q. 4. a. 3. concl. 3. Driedo lib. 2. de Libert. Christiana cap. 4. Couarr. in c. *Cum in officiis.* de testamẽtis, n. 3. Sarmiento de Reditib. Ecclesiast. p. 2. cap. 1. & 2. Lessius de Iustitia cap. 4. dub. 6. Lorca 2.2. sect. 3. disp. 40. n. 23. Molina tractatu 2. de Iustitia disp. 143. & 144. Caietanus 2.2. qu. 185. a. 7. Idem ibidem tenere D. Thomam pulchrè docet Molina suprà.

Soto. Driedo. Couarr.

Sarmient. Lessius. Lorca. Molina. Caietan. D. Thom.

Probatur Primò, quia id apertè insinuant, vel potiùs docent Bonifacius VIII. cap. vnico de clericis non residentibus. & Tridentinum sess. 22. c. 3. de reformat. vbi statuunt vt clerici qui non intersunt diuinis officijs, amittant distributiones; & quantumuis eas receperint, tamen non acquirant earum dominium, nec faciant eas suas, sed teneantur eas restituere. Et sess. 23. c. 1. de reformat. statuit vt Episcopi alijque beneficiarij, qui vltra tempus sibi concessum illegitimè à sua Ecclesia absunt, pro rata temporis absentiæ non faciant fructus suos. Quibus locis apertè supponitur, illos qui legitimè residet, ac diuinis officijs intersunt, facere fructus suos, ac eorum dominium acquirere.

Bonif. 8. Trident.

186 Respondent aliqui ibi solùm sumi argumentum à contrario sensu, quod sæpè fallit, & præsertim quando aliquod aliud Ius contrarium statuit, vt fit in præsenti casu.

Sed hi apertè falluntur; nam, vt ostendam infrà, nec vllum est Ius, quo contrarium insinuatur, nec hoc argumentum est à contrario sensu, sed à priuatione ad habitum: ex eo enim quòd tam Pontifex, quàm Concilium eos, qui vel à sua Ecclesia vel ab eius officio illegitimè absunt, priuant dominio fructuum sui beneficij, bene inferimus ipsos aliàs illorum dominium acquisituros fuisse; alioqui enim eo priuari non possent, sicut priuari nequit qui eius est incapax; & ridiculè in pœnam alicuius peccati quis priuaretur ea hereditate, quam quantumuis innocens numquam fuisset aditurus.

187 His adde, Tridentinum sess. 24. c. 12. de reformat. cùm statuisset ne beneficiati in cathedralibus Ecclesijs vltra tres menses à suis Ecclesiis abessent, subdere: *Alioquin primo anno priuetur vnusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ ac residentiæ fecit suos.* Vbi apertè docet, residentes fructus perceptos facere suos, siue eorum dominium acquirere.

Tridentin.

Probatur Secundò, quia si Ecclesia sentiret tales non fieri dominos istorum fructuum, sed esse meros dispensatores, deberet non solùm non insinuare contrarium, sed illud apertè asserere, præsertim cùm clarè videat beneficiarios sibi contrarium persuadere. Item deberet rescindere omnes donationes ac contractus non cedentes in vsus pios, quæ palàm videt quotidie fieri: atqui Ecclesia nec illud vllibi expressit (vt patebit ex solutione argumentorum) nec eiusmodi contractus aut donationes rescindit: ergo sentit clericos eiusmodi fructuum esse verè dominos, ac validè, etsi illicitè, eos in vsus non pios expendere.

188 Ad primum argumentum positum nu. 179. Respondeo ea Iura non loqui de illa portione reditum, quæ singulis ad sui sustentationem aut iam absolutè assignata est, aut olim per Episcopum suis temporibus, prout quisque indigebat, dabatur (nullibi enim Ius insinuat clericos,

ricos, aut iam non esse, aut etiam olim non fuisse, dominos illius portionis vnicuique priuatim assignatæ, aut per Episcopum distributæ) sed agere de massa communi redituum, quæ Episcopo eiusque officialibus in vsus num.178. recensitos distribuenda committebatur. Quare solùm dicunt illos huius massæ non esse dominos, sed solùm dispensatores. quod nihil cõtra nos facit. Imò c.*Fraternitatem*, loquitur non de ipsis reditibus, sed de fundis Ecclesię alijsue bonis immobilibus: quæ negat per Episcopum in detrimentum Ecclesiæ alienari posse, vt patet apertè ex textu. Hæc enim possunt in Ecclesiæ vtilitatem aut detrimentum meliorari aut deteriorari, non autem fructus iam percepti, qui possunt quidem expendi in Ecclesię vtilitatem, non autem meliorari. Caput verò *Conuenior*, nullo modo loquitur de bonis Ecclesiæ, sed de ipsa Ecclesia.

c. Fraternitatem.

c. Conuenior.

189 Ad secundum, nego consequentiam: inde enim solùm sequitur, Ecclesiasticos habere illud dominium aliqua ex parte iure positiuo impeditum; quod etiam iam magna ex parte præsertim in clericis non Episcopis vsu contrario abolitum est.

Ad tertium, nego consequentiam ob rationem iam allatam; præsertim cùm iam videamus apertè contrarium vsu esse receptum: nam beneficiati bona sic empta passim ad suos heredes transmittunt, nisi viuentes saltem testamẽto aliud de ijs statuerint: nec Ecclesia ea vllibi repetit. quod est apertum signum ipsos ea sibi comparare: atque ita hinc etiam confirmatur nostra conclusio.

Respondeo Secundò, ea Iura apertè loqui de ijs, quibus erat commissa cura & distributio cõmunium bonorum, & de emptione ex horum reditibus facta, vt patet ex c.*Sacerdotes*, citato. Quare meritò eiusmodi bona Ecclesiæ adiudicantur, vt quæ ipsius pecunia empta sunt.

c. Sacerdotes.

Bernard. Ad quartum, Respondeo S. Bernardum hoc dicere ea ratione, qua Patres communiter dicunt omnia superflua diuitum esse bona pauperum: vt ostendi suprà n.82.

190 Ad quintum, Respondeo Primò, hoc totũ posse consistere cum eo quòd clerici sint veri domini istorum redituum; nam si quis daret mihi agrum cum ea conditione vt quartam partem fructuum darem pauperibus, ego quidem fierem dominus omnium fructuum agri, & tamen ex iustitia obligarer quartam partem dare pauperibus.

Respondeo Secundo, nego consequentiam. Quia etsi fuerit ea intentio donantium, ipsi tamen pro sua in Ecclesiam reuerentia noluerũt Ecclesiasticis eiusmodi obligationẽ imponere, aut sua bona solùm dare cum tali cõditione: nã hac ratione ostendissent se eorũ probitati diffidere: sed confidẽtes clericos hac in re facturos quod ratio postularet, absolutè sine vlla eiusmodi conditione sua bona Ecclesiæ tradiderũt.

Hoc tamen argumẽtum bene probat, Ecclesiasticos iure naturæ singulariter obligari eiusmodi bona suæ honestæ sustentationi superflua in pias causas expendere: nã qui aliter facit fundatores grauiter decipit, & eorum pietate & liberalitate malè abutitur. Sicut qui in Vniuersitatibus fruuntur bursis, siue annuis reditibus institutis vt possint pauperes in studiis ali, qui postea reipublicę prosint; singulariter tenentur diligenter studere, ne si totum tempus otio terant, fundatorum piam intentionem omnino defraudent; contrà tamen facientes non tenentur ad restitutionem.

Ad sextum, Respondeo Primò, minorẽ esse valdè incertam: nam facilè fieri potuit, vtea pars fuerit ratione nobis ignota pauperibus attributa, aut fortè solius Episcopi portioni permista. Respondeo Secundò, nego consequentiam: quia illa quarta pars nõ erat ex iustitia debita pauperibus, sed solùm ex Ecclesiæ præcepto: nam aliàs sequeretur, quòd etiam ij qui nõ habent reditus suæ honestæ sustentationi superfluos, tenerentur quartam eorum partem dare pauperibus, præsertim si alunde haberent vnde viuerent. Item quòd ea bona necessariò deberent dari pauperibus, nec possent in alia pia opera expendi. quæ apertè falsa sunt. 191

CONCLVS.II. Ecclesiastici singulariter iure naturæ & positiuo obligantur eiusmodi bona suæ decenti sustentationi superflua in pias causas expendere: adeò vt mortaliter peccẽt, si notabilem summam in res profanas expendant. Est communis Doctorum, quos suprà pro vtraque sententia citaui. 192

De iure naturæ probatur Primò, ex dictis n. 190. vbi ostendi contrà facientes grauiter decipere fundatores eorum intentionem fraudando. Secundò, quia, sicut eorum status maiorem ab ijs requirit perfectionem, ita etiam requirit maiorem: erga pauperes misericordiam, præsertim cùm ratione eorum bonorum, quæ tam pia fundatorum intentione tam largiter ijs suat donata, & eorum quasi fidei commissa, sint singulariter patres pauperum constituti.

De iure Ecclesiastico idem patet, cùm ex pluribus canonibus id præcipientibus, tum maximè ex Tridentino sess. 25. cap. 1. de reform. vbi grauissimis verbis iuxta Apostolorum, vt ait, canones prohibet ne beneficiarij, & præsertim Episcopi, suos consanguineos ex reditibus Ecclesiæ ditent, aut hos in vllos profanos vsus expendant. Vide plura apud Lessium de Iustitia *Trident.* *Lessius.* cap. 4. n. 47.

Ex quibus patet, hanc maiorem clericorum obligationem dandi eleemosynas ex huiusmodi bonis in duobus consistere. Primò, quòd non dando eleemosynam in ijs casibus, in quibus etiam laici tenentur eam dare, ipsi multò grauiùs peccẽt, & longè faciliùs mortaliter, ob maiorem & specialiorem suam obligationem. Secundò, & quidem præcipuè, quòd laici non peccent mortaliter expendendo notabilẽ summã in res profanas aliàs non illicitas, modò ideò non omittant dare eleemosynas vllis grauiter indigentibus, & moderatè etiam dent communiter indigentibus: secùs est de clericis respectu eorum bonorum quæ ex beneficiis decenti suæ sustentationi superflua recipiunt. nam peccant mortaliter, si etiam in dicto casu notabilem ex iis summã in vsus profanos expendant: vt communiter Auctores ex Tridentino aliisq; Iuribus colli- 193

In quo consistat singularis Ecclesiasticorum obligatio dandi eleemosynam.

Quando dicatur clericus notabilē summam expendisse in vsum profanum.

colligunt. Notabilē autem summam hìc vocamus, non quæ furto sublata sufficeret ad peccatū mortale: sed quæ possit dici pars aliquo modo notabilis redituum superfluorum ipsius beneficiati; vt si quis horum tertiam, quartam aut quintam partem in res profanas expenderet.

194 CONCLVSIO III. Probabilius est, Ecclesiasticum valdè nobilem aut magnæ literaturæ ceteris paribus posse plus alijs minùs nobilibus minusque doctis in sua sustentatione insumere. *Molina.* Ita Molina de Iustitia tract.2.disp.145. Colligitur apertè ex c. *De multa.* de præbendis. vbi *Innoc.III.* Innocentius III. cum Concilio Lateranensi statuit cum personis sublimibus siue valdè nobilibus, aut literatis, siue notabiliter doctis posse dispensari in obtinendis pluribus beneficiis, eò quòd tales personę maioribus beneficijs honorandæ sint. vbi apertè docet, tales ceteris paribus plus alijs posse in sua sustentatione insumere; aliàs frustra darentur ijs plura aut maiora beneficia. Ratio est, quia tales ratione suæ dignitatis ac æstimationis, quam ob nobilitatem aut doctrinam obtinent, ceteris paribus plus aliis Ecclesiæ prosunt, eius dignitatem augendo, eamque auctoritate & consilio tuendo: qui autem plus Ecclesiæ prodest, maiorem ab ea *1.Timoth.5.* sustentationem meretur: vt dicitur 1. Timoth. 5. vers.17. vbi dicitur: *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore* (id est stipendio) *digni habeantur.*

195 Ex quibus patet, hæc intelligenda esse de iis, qui valdè notabiliter alios eadem secum præbendas obtinentes nobilitate aut eruditione superant. Aliàs enim nequeunt notabiliter Ecclesiæ præ aliis prodesse; debet autem hic excessus sustentationis esse moderatus, ita vt non excedat decentem Ecclesiasticorum modestiam. Quare filij regum aut principum non possunt tantum ex suis beneficijs in sua sustentatione insumere, quantum possent insumere ex bonis secularibus, si ea illis æqualia haberent; quia alia sustentatio decet principem secularem, alia Ecclesiasticum. Item hæc ita intelligenda sunt, modò tales ideo non negligant graues pauperum necessitates, aut debitam fabricæ sustentationem ac ornatum, quando ad hæc procuranda tenentur aliquid ex suis prębēdis dare, siue quando fabrica ad suam sustentationē & decentem ornatum sufficientia aliūde non habet. grauis enim est culpa, Deoq; ac hominibus derestabilis, si Ecclesiastici neglectis Ecclesiæ fabrica ac ornatu ex eius bonis splendidè viuant. vide Molinam suprà & Bellarminū lib.2.de Gemitu columbæ, cap.5.sub finem. vbi grauiter in eos inuehitur, qui munditiem & ornatum rerum sacrarum negligunt.

Grauiter peccant clerici ornatum Ecclesiæ negligentes.

Molina. Bellarm.

196 Ex his facile est respondere ad argumenta contraria posita n.181. Ad primum, Respondeo non omnes clericos debere esse, aut etiam de facto esse eminentis doctrinæ; quales sunt ij, de quibus loquimur.

Ad secundum, Respondeo hinc tantùm sequi, filios principum non debere tanto splendore ex bonis Ecclesiæ viuere ac si essent principes seculares; quod suprà etiam monuimus.

Ad tertium, Respondeo etiam ad honorem & dignitatem Ecclesiæ, & ad congruentem ministrorum ipsius sustentationem pertinere, vt personæ eminentes ex eius reditibus aliquanto splendidiùs viuant, vt suprà ostendi. His adde, etiam in hunc finem plurimas pinguiores præbendas à principibus esse institutas, vt illustres ac eminentes personæ possent in statu Ecclesiastico pro sua dignitate tractari. vnde etiam sæpè non nisi tales ad eas possunt admitti. ex quibus etiam nostra conclusio confirmatur.

197 CONCLVSIO IV. Si clericus non tantum insumat in sua sustentatione, quantum licitè posset insumere, parciùs viuendo quàm alij suæ conditionis ac bonæ conscientiæ clerici viuant, potest ijs quæ sibi ita subtrahit, eodem modo vti, sicut bonis patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus. Ita Molina, Maior, Sotus, Nauarrus, citati n.183. & Lessius de Iustitia c.4. dub.6.n.39.

Molina. Maior. Sotus. Nauarr. Lessius.

Probatur Primò, quia hæc bona habent rationem stipendij, quod clerico inseruienti ipsi Ecclesiæ debetur, & consequenter computanda sunt inter ea bona, quæ clericus suo labore ac industria acquirit. Secundò, quia clericus absolutè non tenetur dicta impendere in pias causas, (quia aliàs non posset ea insumere in suam sustētationem non omnino necessariam:) ergo potest ea eodem modo expendere, quo patrimonialia; quia nulla potest esse ratio hoc negandi, quàm quia tenetur ea in causas pias expendere; ad quod, vt iam ostendi, non tenetur.

198 Ex quibus patet, clericum saltem sine graui peccato ex eiusmodi bonis posse suos consanguineos ditare, & ad statum altiorem proueherе, iuxta dicta n.182. Quod tamen cum Molina ibidem citato intellige, modò non adsint graues pauperum necessitates, quibus ex iis bonis teneatur succurrere, nec aliàs etiam negligat communibus pauperum necessitatibus succurrere; & omne scandalum absit, iuxta ibidem dicta.

Molina.

199. Ad primum argumentum Lorcæ positum n.183. Respondeo D. Thomam loqui de bonis honestæ sustentationi superfluis; nam etiam hæc eo ipso quo ex ipsius beneficio percipiuntur, eius vsui deputata sunt. Aut si loquatur etiam de ijs quę clericus posset honestæ suæ sustētationi insumere, dicendum ideo ipsum insinuare clericum peccare ex his ditando consanguineos; quia, vt ostendi n.183. hoc communiter parum conuenienter fit, & cum peccato veniali, aut etiam quandoque cum mortali propter scandalum.

Ad secundum, nego antecedens propriè loquendo: nam etsi fundi ex quibus illi reditus percipiuntur, dici possint res sacra, quia Deo dicati sunt, tamen ipsi fructus non sunt tales: nam aliàs non possent vēdi secularibus, qui eos in vsus profanos conuertunt. Item etsi ea pars redituum, quæ honestæ clerici sustentationi superest, possit aliqua ratione dici res sacra, quatenus debet impendi in causas pias; secùs tamen est de parte ipsius sustentationi debita, vt iam osten-

ostendi; nisi alia ratione probetur eam debere ita impendi.

200 Nota demum, dicta suprà conclus.1. intelligenda esse de beneficiatis non Religiosis: nam Religiosi professi assumpti ad aliquod beneficium siue regulare, siue seculare, nullum acquirunt fructuum ex eo perceptorum dominium, quia huius sunt incapaces; solumque habent ius illos fructus in honestam suam sustentationem, & qui huic supersunt, in vsus alios pios dispensandi: & consequenter peccant contra iustitiam eos in vsus profanos expendendo, prout omnes fatentur de clericis Episcopo inferioribus.

Sotus. Sed est aliqua difficultas de eiusmodi Religiosis factis Episcopis: nam Sotus lib.10. de Iustitia, quæst.vltim.art.vltim. cum quibusdam alijs putat tales omnino absolui voto paupertatis, & fieri capaces dominij.

c. Statutū. Probant id Primò, quia cap. *Statutum.* 18. quæst.1. dicitur Religiosum factum Episcopum habere potestatem tamquam legitimum heredem vendicandi sibi paternam hereditatem: quod dici nequit nisi eius acquirat dominium, aliàs eam non sibi sed suo episcopatui acquireret, & hic, non autem ipse, esset heres. Nec refert quòd ibidem dicatur ipsum ea bona debere relinquere ipsi altari cui intitulatus est: quia inde solùm sequitur, ipsum non posse de ijs bonis testari, quo cum optimè consistit ipsum esse dominum illorum bonorum.

Secundò, quia, etsi cum voto paupertatis & carentia dominij possit consistere ius dispensandi aliqua bona temporanea, quod arbitrio Superioris possit auferri, quale est in Superioribus Religionis alicuius; secùs tamen est de eiusmodi iure perpetuo, quale habet Episcopus, cui hoc ius sine graui valdè causa nequit inuito auferri.

Tertiò, quia nisi ipse sit dominus fructuum sui beneficij, dici nequit apud quem maneat illud dominium: ergo dicendum ipsum esse verè dominum illorum.

201 Sed communis Theologorum sententia est contraria, scilicet talem manere obstrictum voto pauperratis, & incapacem propriè dicti dominij eiusmodi bonorum temporalium.

D. Thomas. Caietan. Nauarr. Ita D.Thom. 2.2.quæst.185.art.8. Caietan. ibid. in fine ante solut. argument. & tomo 1. opusc. tractat. 25. quæst.2. Nauarrus in Apologia contra Sarmiento quæst.1. monito 11.

Siluester. Couarr. Bonauent. Lessius. Sarmiento. Siluester v. *Religio.* 6. quæst.10. Couarru. in cap.1. de testamentis, numer.18. Bonauent. in 4. dist.38. art.2. quæst.3. ad vltim. Lessius de Iustitia c.41. dub. 11. num.92. Sarmiento 1. part. suæ defensionis mon.11. num.3.

Probatur, quia vota semel emissa perpetuò ligant, nisi ex legitima causa ac à legitima potestate in iis dispensetur: atqui cùm votum paupertatis possit ab Episcopo seruari, non minùs quàm ab Abbatibus quibus cõmittitur administratio bonorum abbatiæ, aut ab alijs Religiosis assumptis ad aliquod beneficium seculare inferius episcopatu (quod saltem dispensante Pontifice fieri posse, ac tales manere obligatos paupertatis voto omnes fatentur;) nulla hîc potest occurrere necessitas, & consequenter nec iusta causa in eo dispensandi. Item, nullum apparet argumentum ex quo colligamus cum tali esse dispensatum, vt patebit ex solutione obiectorum: ergo dicendum est ipsum adhuc eo voto obligari.

Dicunt aliqui, votum paupertatis solùm e- 202
mirti in Religione, & pro eo statu; atque ita per se desinere obligare, quando quis ad aliam dignitatem extra Religionem assumitur. Sed hoc nullo modo dici potest. Primò, quia votum paupertatis eodem modo emittitur sicut votum castitatis, &, vt patet ex dictis, non minùs quàm hoc potest ab Episcopo seruari: atqui certum est votum castitatis non minùs obligare post assumptionem ad episcopatum quàm antè (aliàs Religiosus professus qui ante susceptos Ordines sacros assumeretur ad episcopatum, liberaretur à voto castitatis, & validè duceret vxorem: idemque esset de monacho sacerdote, si lege Ecclesiastica non esset sacerdotali statui annexa continentia. quæ apertè absurda sunt:) ergo similiter votum paupertatis non minùs obligat iam factum Episcopum, quàm antea. Secundò, quia eadem hac ex parte est ratio Religiosi assumpti ad episcopatum, & assumpti ad aliud beneficium seculare; quia vterque æqualiter viuit extra Religionem, præsertim si collatio beneficij non possit sine causa de nouo emergente reuocari: atque vterque æqualiter legibus Religionis obligatur, aut non obligatur, nisi cum alterutro aliquo iure positiuo dispensetur, quod hîc nullum potest adferri, vt infrà ostendam: atqui Religiosus si dispensante Pontifice aut alia ratione assumatur ad beneficium episcopatu inferius, pergit obligari voto paupertatis: ergo etiam factus Episcopus.

Probatur concluſ. Secundò, quia, vt cum a- 203
liis docet Vasquez opusculo de Reditib. Eccles. *Vasquez.*
cap.3. dub.1. Religiosus factus Episcopus tenetur ferre habitum sui Ordinis, aliaque statuta obseruare, quantum per statum Episcopalem commodè potest: ergo multò magis simili modo tenetur suis votis.

Tertiò, quia id apertè insinuatur cap. *Statu-* *c.* Statutū.
tum. 19. quæst.1. vt ostendam in responsione ad primum.

Ad primum argumentum contrarium, Respondeo in illo capitulo dici Religiosum habere potestatem vendicandi sibi hereditatem paternam, non pro se, sed pro sua Ecclesia, & vt huic acquirat eius dominiũ. Patet hoc Primò, ex *c. Non liceat.* 19. q.3. vbi dicitur, nõ licere parentibus filios factos monachos à paterna aut materna hereditare repellere; ne scilicet hanc adeant. cùm tamen hi eam non sibi, sed monasterio acquirant, & hereditatem nemo adeat nisi velut heres: & eadem ratione qua quis eam ita adit, eam sibi vendicet. Secundò, & clarius ex *l. Deo l.* Deo nobis. 56. §. *Hoc etiam.* C. de Episcopis & clericis. bis. Vbi decernitur ne parentes liberos factos monachos priuent sua legitima. & subditur: *Sin verò vltimam voluntatem parentes neque testamento, neque alio vltimo elogio declarasse monstrati fuerint;*

omnem

omnem parentum substantiam heredes, quibus ab intestato competit, secundùm leges nostras sibi defendant (quod idem omnino est ac sibi vindicent) *nullo impedimento ex sanctimoniali conuersatione generato: siue soli, siue cum aliis ad successionem vocantur.* Ex quibus apertè patet, ex eo quòd Ius dicat monachum siue in monasterio degentem siue factum Episcopum tanquam heredem posse succedere parentibus, aut hereditatem parentum adire, sibiq; defendere aut vendicare, nullo modo sequi, ipsum illius fieri dominum, ac sibi non autem monasterio aut Ecclesiæ suæ acquirere; cùm omnino certum sit monachum existentem in monasterio nihil sibi, sed soli monasterio acquirere.

205 Patet id clarissimè Tertiò, ex eodem ipso c. *Statutum.* contra nos citato: vbi in fine de monacho facto Episcopo dicitur: *Sed quidquid acquisierat, vel visus fuerat habere,* (scilicet antequam fieret Episcopus) *monasterio relinquat, & Abbatis eius qui fuerat, secundùm regulam S. Benedicti arbitrio. Postquam enim Episcopus ordinatur, ad altare, ad quod sanctificatur & intitulatur, secundùm sacros canones, quod acquirere poterit, restituat.* Vbi non solùm (vt aduersarij volunt) prohibetur tali Episcopo de eiusmodi bonis testari: sed apertè iubetur ea secundùm sacros canones suo altari, siue Ecclesiæ restituere. quo verbo apertè significatur ea bona non fuisse ipsius, sed eorum solùm fuisse administratorem & dispensatorem; nam etsi nostra possimus Ecclesiæ relinquere, non tamen restituere, nisi ea quæ sunt Ecclesiæ. Confirm. quia sicut ea, quæ visus fuerat habere ante episcopatum iubetur relinquere monasterio, ita quæ postea acquirit iubetur restituere Ecclesiæ suæ: atqui illa relinquit monasterio non sua dando, sed quæ monasterij erant ei reddendo: ergo similiter hæc restituit suæ Ecclesiæ. Confirm. Secundò, quia nulla ratio aut æquitas postulat, talem obligari vt bona à parentibus, & nulla ratione ex beneficio sibi obuenientia relinquat Ecclesiæ suæ, nec possit de iis aut testamento aut alia ratione disponere, saltem in causas pias dando ea priori suo monasterio, nisi quia ea non sibi, sed suæ Ecclesiæ acquirit: atqui in illo capitulo apertè dicitur, ipsum bona acquisita post episcopatum non posse dare illi monasterio, sed teneri restituere suæ Ecclesiæ: ergo hæc non sunt ipsius, sed Ecclesiæ.

206 Ad secundum, nego assumptum; quia ius administrandi bona sui beneficij quod habent Abbates, præsertim abbatiarum quæ non reguntur capitulariter, siue per capitula generalia, est perpetuum, nec sine graui valdè causa potest hoc iis inuitis auferri: & tamen ipsi nullo modo sunt domini illorum bonorum, sed meri dispensatores.

Dices, eiusmodi Abbatum ius solo iure humano esse perpetuum, ius autem Episcoporum esse perpetuum iure diuino, ideoque non esse paritatem. Respondeo hoc nihil facere ad rem; nam si, vt in argumento sumitur, ius perpetuum dispensandi bona sui beneficij nequeat consistere cum voto paupertatis & incapacitate dominij, ius humanum non poterit efficere vt in eodem simul reperiantur.

Ad tertium, Respondeo ipsam Ecclesiam cuius ipse est Episcopus, esse dominam illorum fructuum, sicut est domina fundorum, ex quibus percipiuntur: & sicut monasterium habet dominium non tantùm fundorum, sed etiam fructuum ex iis perceptorum, quamdiu non alienantur: & quidem etiam eorum qui in quibusdam locis assignati sunt mensæ Abbatis, quos hic suo arbitrio in causas pias potest dispensare.

DVBIVM XII.

Vtrùm possimus dare eleëmosynam ex iniustè acquisitis?

PRo huius dubij explicatione notant Doctores, bona iniustè siue iniquè acquisita posse esse triplicia. Primò enim quædam acquiruntur cum iniuria domini, ita vt restitutioni sint obnoxia. vt accidit in furto, rapina, vsura; & ex his non potest fieri eleëmosyna quoties aut in specie sunt aliena siue restituenda, aut obligatus restituere dando eleëmosynam, fieret impotens restituere; quia tunc eleëmosyna fieret cum iniuria alterius. Excipe casum extremæ necessitatis, in quo, vt dixi suprà, etiam licitè aliena rapimus, vt per illa possimus laboranti succurrere, quando hoc aliter fieri nequit. 207

Secundò, quædam ita acquiruntur, vt danti quidem non fiat iniuria, tamen eorum tam datio quàm acceptio est iniqua. vt quando emitur res spiritualis: nam pro hac tam dare quàm accipere pretium, iniquum est: quia hac ratione ipsa res spiritualis æstimatur aliquo pretio, quæ supra omne pretium est: atque ita ipsi fit quædam iniuria, vel potiùs ipsi Deo rei spiritualis auctori ac domino. 208

Tertiò, quædam iniquè acquiruntur, quia opus propter quod dantur est malum, ipsa tamen acceptio secundùm se mala non est. qualia sunt ea quæ à meretricibus acquiruntur. Et omnes communiter docent, ex his bonis fieri posse eleëmosynas, cùm ea possidens eorum sit absolutè dominus, sicut aliorum suorum bonorum.

Est autem difficultas Primò, circa bona secundi generis: multi enim generatim docent, ita accepta esse restituenda, non ei qui dedit, sed vel Ecclesiæ vel pauperibus, atque ita talia necessariò esse insumenda in pios vsus. Alij volunt restituenda ipsi danti, saltem ante sententiam. Alij inter varias simonias distinguunt. Quæ doctè disputat Lessius de Iustitia c. 36. dub. 28. 30. 31. quæ consulas, quia hæc res graues habet difficultates. ideoque paucis nequit explicari, & fusiùs de ea disputare non est huius loci. 209 *Lessius.*

Secundò, difficultas est in assignandis exemplis bonorum secundi generis. Lorca enim 2.2. sect. 3. disp 38. nu. 2. & quidam alij computant inter hæc ea omnia quæ acquiruntur ex contractu vtraque ex parte iniusto, vt cùm iudici datur pecunia pro sententia iniustè lata, aut testi vt iniustum testimonium ferat. 210 *Lorca.*

Sed in hoc falluntur. nam vel loquuntur de restitutione ita acceptorum faciendа ante opus, propter quod dantur, expletum: & tunc iure naturæ restituenda sunt danti, non autem danda pauperibus: & simili modo data meretrici pro vsura corporis obtinenda, ante opus expletum restituenda sunt danti; nam hic ea non dedit nisi sub conditione operis explendi, quod tamen altera pars tenetur non explere. vel loquuntur de casu quo opus promissum iam est expletum: & tunc multò verius est (exceptis saltem acquisitis contractu simoniaco) ita recepta nulli esse restituenda. nam aliàs sequeretur, militantem in bello quod nouit esse iniustum, teneri restituere omnia stipendia: & meretrix teneretur restituere ea quæ à coniugatis pro corporis vsura accepit. quæ tamen communiter negantur. Ratio est, quia, etsi ipsa promissio aut datio pecuniæ vt opus iniquum fiat, sit iniqua ac iniusta, quatenus inducit ad opus iniustum faciendum, sicut etiam illius promissionis aut dationis acceptatio est iniqua, quatenus fit cum promissione operis iniqui: tamen opere iam expleto nec datio promissi præmij est iniqua, sed iusta ac debita, quia iam ampliùs ad nullum peccatum inducit; nec etiam eiusdem acceptio, aut antè dati retentio est iniqua, quia non fit cum vlteriore promissione operis iniqui, nec ad aliquid iniquum inducit. Et simili planè modo promissio aut datio præmij eiusque acceptatio pro simplici fornicatione obtinenda sunt iniqua, & dissoluenda ante opus expletum: hoc tamen expleto præmium promissum licitè datur & acceptatur, & iam datum retinetur: nec est inter dicta vlla hac ex parte distinctio.

Alij volunt hæc quidem vera esse spectato solo iure naturæ, aiunt tamen iure positiuo restituenda esse accepta pro opere, quod legibus prohibetur ac punitur. Probant id ex leg. *Generaliter.* 26 ff. de verb. obligat. & l. *Pacta* 6. C. de pactis. Sed hæc Iura solùm probant eiusmodi pacta omnino inualida ac rescindenda esse ante opus expletum, ob rationem suprà dictam, nec ex iis dari vllam actionem etiam post factum, idque in odium id perpetrantis. Vide Lessium de Iustitia c. 14. dub. 8. ad quem locum horum tractatio spectat. 2 *l. Generaliter.* *l. Pacta.* *Lessius.*

DISPVTATIO XXVIII.

De tertio opere misericordiæ externo, scilicet de correptione fraterna.

D. Thom. DE hac disputat D. Thomas 2.2.q. 33. vbi a.1. videtur correptionem & correctionem pro eodem accipere: sed si vim vocis & communiorem eius vsum spectes, dicta omnino diuersa sunt; nam correptio significat quandam reprehensionem aut etiam castigationem alieni vitij, & tamquam medium solet assumi ad procurandam peccantis correctionem siue emendationem; vnde hæc est illius effectus. Hinc D. Augustinus serm. 16. de verbis Domini: *Ideo*, ait, *debemus amando corripere, non nocendi auiditate, sed studio corrigendi.* Tamen per metonymiam, qua causa significatur nomine effectus, aut contrà, aut etiam quia dicta aut in re, aut saltem in intentione legitimè corripientis sunt coniuncta, vnum pro altero sæpè sumitur.

Correctio est finis & effectus correptionis.

August.

DVBIVM I.

Cuius virtutis actus sit correptio fraterna?

1 *Turrian.* QVidam apud Turrianum 2.2. disput. 76. dub. 1. volunt correptionem fraternam non pertinere ad particularem aliquam virtutem; sed ad diuersas, prout vitia, ob quæ alter corripitur, diuersis virtutibus aduersantur: atque ita si quis corripiat peccantem contra castitatem correptio erit actus castitatis; si verò corripiat peccantem contra sobrietatem, erit actus sobrietatis: & sic de cæteris. Ratio est, quia ad eandem virtutem spectat prosequi propriam honestatem, & impedire vitia sibi contraria.

Sed hoc solùm probat, correptionem posse assumi siue imperari ob honestatem ac finem proprium istarum virtutum, & singulas inclinare suum subiectum, vt vitia sibi contraria etiam in aliis quantum potest impediat. Ex quo non sequitur, correptionem fraternam secundùm se spectatam esse propriè actum illius virtutis, cui vitium reprehensum contrariatur. Nam vt actio externa sit propriè & intrinsecè actio alicuius virtutis, non sufficit quòd sit commoda, aut etiam quandoque necessaria ad huius finem perfectè assequendum (nam sic ieiunium ex se & intrinsecè esset sæpissimè actus castitatis) sed necessarium est quòd per se & ex natura sua ordinetur ad finem illius virtutis, atque ita ad eius honestatem conseruandam sit medium per se necessarium. Correptio autem fraterna solùm finem misericordiæ siue caritatis hac ratione respicit: quod vel inde patet, quia sola caritas siue Dei, siue proximi ad eam nos strictè obligat; vt ostendam dubio sequenti. 2 Quid requiratur vt actus externus sit talis aut talis virtutis.

Conclvsio I. Correptio fraterna est propriè actus misericordiæ, siue caritatis. Ita D. Thomas 2.2. quæst. 33. art. 1. & communiter Theologi: quamuis aliqui ex his distinguentes virtutem misericordiæ à caritate velint correptio- 3 *D. Thom.*

reptionem fraternam propriè & immediatè solùm esse actum misericordiæ, & solùm remotè actum caritatis. Sed suprà disput.26.dub.4. concluſ.3.& 4. satis ostendi, virtutem misericordiæ non distingui à caritate. Hanc autem conclusionem D.Thomas bene probat, quia eiusdem virtutis est procurare alterius bonum, & remouere malum ei contrarium: atqui correptio fraterna ex natura sua propriè & per se directè ordinatur ad amouendum siue impediendum malum proximi, scilicet eius peccatum: ergo est actus caritatis, cuius est procurare bonum proximi.

Confirmatur, quia correptio proximi est quædam eleemosyna spiritualis: vt autem ostendi suprà disp.27.num.7. eleemosyna propriè & immediatè est actus caritatis erga proximum. vbi num.8. ostendi posse etiam esse actum caritatis erga Deum, quatenus proximi bonum est etiam bonum ipsius Dei, atque ita tanquam tale per se amabile. quod maximè locum habet in correptione fraterna, qua impediuntur peccata, quæ secundùm se immediatè sunt quoddam externum malum Dei, cuius bonitati & auctoritati contrariantur.

Vt hæc meliùs intelligantur, Nota Primò, correptionem posse esse triplicem. Prima est iudicialis, quæ assumitur vt puniatur peccatum; & est actus iustitiæ, & solius Superioris auctoritate fieri potest. Secunda est fraterna, quæ assumitur præcisè fratris emendandi causa, & exercetur à pari in parem. Et de hac hîc propriè agimus, dicimusque eam esse actum caritatis. Tertia est, quæ assumitur quandoque contra detractores aut blasphemantes, vt honor Dei aut fama proximi per illos læsa, quantum in nobis est reparetur. Hoc ipso enim quo reprehendo detrahentem, præsertim coram aliis, ostendendo eum falsa dicere, reparo famam proximi per eum læsam. Et similiter dum grauiter reprehendo blasphemantem, præsertim coram aliis, reparo diuinum honorem per ipsum læsum. Ideoque ad illa, quoties commodè fieri possunt, caritas Dei & proximi me obligat, quatenus me obligat ad illorum mala auertenda: & consequenter hæc correptio est etiam actus caritatis, non quidem erga correptum, sicut secunda; sed erga eum, cuius fama vel honor læsa sunt. Vnde etiam hæc adhibenda est etsi non speretur emendatio peccantis, quia hoc manente in sua malitia potest fama aut honor læsi apud alios reparari. Idem dicendum est de prima correptione, quæ spectat bonum publicum, cui expedit peccantes puniri. Secùs est de secunda correptione, quæ spectat præcisè bonum correpti.

4 Correptio iudicialis, fraterna, restituiua & paterna.

5 Potest his addi quarta correptio quodammodo media inter primam & secundam, quæ solet dici paterna: qua quis alium peccantem corripit, in quem aliquam auctoritatem habet, & quatenus hanc habet, siue cum quadam auctoritate & significatione superioritatis. Hæc autem præcipuè quidem assumitur ob bonum peccantis, vt hic corrigatur (& in hoc conuenit cum secunda correptione, & participat virtutem caritatis) ita tamen vt verborum seueritate simul culpa puniatur; & in hoc conuenit cum prima correptione, & participat aliquo modo virtutem iustitiæ punitiuæ, & assumitur ex officio Superioris, & ab eo debita est inferioribus peccantibus. Dicitur autem paterna, quia maximè conuenit amori & curæ quam debet habere pater in filios; & consequenter omnis Superior, maximè spiritualis, erga inferiores, quorum ille quodammodo pater est.

DVBIVM II.

Vtrùm & ex qua virtute obligemur proximum peccantem corripere?

6 QVidam olim Semipelagiani, contra quos agit S.Augustinus libr.de Correptione & gratia, putabant obligationem corripiendi proximum peccantem non posse consistere cum necessitate gratiæ ad peccatoris conuersionem ac legis obseruationem requisitæ. Ita enim apud S.Augustinum suprà cap. 2. aiunt: *Vt quid nobis prædicatur ac præcipitur vt declinemus à malo, & faciamus bonum, si hoc nos non agimus, sed id velle & operari Deus operetur in nobis?* Et infrà cap. 4. *Præcipe*, inquiunt, *mihi quid faciam, & si fecero age pro me gratias Deo, qui mihi vt facerem dedit. Si non fecero, non ego corripiendus sum, sed ille orandus, vt det quod non dedit; id est ipsam, qua præcepta eius fiant, fidelem Dei & proximi caritatem.* Vbi Notandum, illos non negasse nos debere ob peccata nostra corripi; sed supponentes hoc esse necessarium, & in Scripturis præceptum, inde volebant euertere sententiam D. Augustini ac Ecclesiæ Catholicæ; quæ docet, nos sine gratia Dei, qua ipse in nobis operetur & velle & perficere bonum opus, non posse mandata implere. vt enim patet ex verbis citatis, & sequentibus; ita argumentabantur: Aut enim habemus eam gratiam, qua Deus in nobis operatur velle & perficere impletionem legis, & sic sine dubio eam implebimus, nec correptione opus erit; aut eam non habemus, & sic frustra arguimur, quia sine ea non possumus implere legem; atque ita nos non sumus arguendi, sed Deus est orandus, vt eam nobis det. Augustin.

7 Sed argumentum nullius est momenti, quia etsi ad implendam legem nobis sit necessaria Dei gratia; tamen ipse ex parte sua est paratus eam nobis dare, quanta ad hoc est necessaria, & de facto eam etiam dat, nisi nos nostra malitia ponamus impedimentum malè vtendo gratiis iam acceptis, ac internos eius instinctus negligendo: quod si faciamus, peccamus & meritò arguimur. Secundò, quia Deus non semper quacumque

ratione vult dare nobis suas gratias bona nobis desideria inspirando, & deinde nos ad ea perficienda adiuuando: sed sæpè ad hoc requirit aliquorum operam, qui nos exteriùs admoneant & arguant; atque ita quodammodo plantent & rigent, vt ipse interiùs det
Gregor. incrementum. Vnde pulchrè D. Gregorius homil.17. in Euangel. in illud Lucæ 10. *Misit eos binos ante, &c. Bene, inquit, subditur quia misit eos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quò erat ipse venturus. Prædicatores enim suos Dominus sequitur, quia prædicatio præuenit, & tunc ad mentis nostræ habitaculum Dominus venit, cùm verba exhortantis præcurrerunt: atque per hoc veritas in mente suscipitur. hinc namque iisdem prædicatoribus Isaias dicit: Parate viam Domini, &c.* Tertiò, quia Deus non dat nobis eas gratias quæ nos necessitent ad bene operandum: sed quibus acceptis possumus aut operari, si velimus, aut iis resistere non operando: vt docet Tridentinum sess.6.cap.5. Quare
Trident. læpè nostra culpa contingit, vt accepta gratia, qua possemus bene operari, ea neglecta operemur malè, ideoque corripiendi simus.

8 Omnes igitur Catholici docent, fraternam correptionem nobis esse præceptam; nam Scriptura multis locis hoc clarè docet. Nam
Eccli.19. Ecclesiastici 19. dicitur: *Corripe amicum, ne fortè non intellexerit, & dicat, Non feci; aut si fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum, ne fortè non dixerit; & si dixerit, ne fortè iteret. Corripe amicum: sæpè enim fit commissio.* Aci dicat, Nisi eum peccantem corripueris, periculum est ne iteret peccatum.

Hìc autem non dari solùm consilium corripiendi proximum, sed verum præceptum, patet Primò, ex tam crebra illius repetitione & solicita inculcatione; qua significatur agi de re omnino necessaria. Secundò, ex ratione, quæ ibidem subiungitur; ne scilicet proximus non correptus pergat peccare: quod iure naturæ quantum commodè possumus tenemur impedire ex caritate tam Dei quàm proximi; quia peccatum est vtriusque graue malum, quod tenemur auertere. Tertiò,
Eccli.17. quia, vt dicitur ibidem cap.17.v.11. & Deus dedit homini legem vt attendat siue abstineat ab omni iniquo, & mandauit vnicuique de proximo, vt scilicet eum quantum potest ab iniquitate auertat.

Item Leuitici 19. dicitur: *Non oderis fratrem*
9 *tuum in corde tuo: sed publicè* (id est clarè & apertè, ita vt intelligat peccatum suum) *argue eum; ne habeas super eo peccatum.* id est,
Leuit.19. ne sis particeps peccati ipsius, dum scilicet id non impediendo, cùm facilè possis, censeris in id consentire, atque ita illud sit tibi interpretatiuè voluntarium, adeoque tibi imputetur. Ex quo apertè patet, nos obligari data occasione per correptionem fraternam proximi peccatum impedire. Hinc etiam meritò grauissimè ab omnibus reprehenditur ista vox Cain: *Numquid ego custos fratris mei sum?*

Tertiò, Matthæi 18. dicitur: *Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum*, &c. vbi apertè *Matthæ.* iubemur fratrem peccantem corripere. & ex ratione, ob quam iubemur eum corripere, scilicet vt eum alias periturum lucremur (quæ valdè grauis est) patet hoc præceptum etiam grauiter obligare. Idem præcipitur multis aliis locis, quæ hìc breuitatis causa omitto.

Inter Catholicos igitur satis constat dari aliquod tale præceptum. Item omnes satis con- 10
sentiunt hoc esse iuris naturæ; sed est aliqua difficultas, ex qua virtute oriatur. Quidam apud Turrianum 2.2. disput.76. dub.1. *Turrian.*
putant hoc præceptum oriri ex virtute misericordiæ, à caritate distincta. Sed hoc satis refutaui disput.26.dub.4. concluf.4. vbi ostendi virtutem misericordiæ non distingui à caritate.

Alij volunt id non oriri ex particulari vir- 11
tute, sed ex diuersis prout peccatum corripiendum diuersis virtutibus repugnat. Quia sicut vnaquæque virtus nos inclinat & obligat, vt in nobis propriam ipsius honestatem conseruemus, & contratia vitia fugiamus, ita etiam nos obligat vt idem faciamus in aliis. Sed hoc dici nequit; quia inde sequeretur, eum qui, cùm facilè posset, non corripit furem, peccare contra iustitiam: vnde vlteriùs sequeretur, eum teneri ad restitutionem. quod apertè absurdum est. Nimis enim videtur durum & contra communem sensum dicere, eos omnes qui non corripiunt fures, cùm facilè possent, teneri ad restitutionem.

Dices, talem quidem peccare contra iusti- 12
tiam, non tamen teneri restituere, quia non omnis qui peccat contra iustitiam, tenetur restituere; vt patet in eo, qui conatur alicui inferre damnum irrito conatu, aut qui videns alium inferentem suo inimico damnum de eo gaudet; qui peccat contra iustitiam sine onere restituendi. Respondeo illos omnes & *Quinmo tura restituere.*
solos teneri ad restitutionem, qui sunt iniusta causa damni de facto illati, quales sunt omnes ii, qui ex iustitia tenentur impedire damnum inferendum, aut procurare vt illatum reparetur, si id sua culpa negligant, saltem quando in eo mortaliter peccant. Quòd enim tales sint verè causa iniusta illius damni, patet, quia ex communi sententia effectus qui per accidens ex mea actione aut omissione sequitur, tunc mihi dicitur voluntarius, & vt cau- sæ imputatur, quando eum teneor impedire. Secundùm alteram autem sententiam tenemur ex iustitia corripere furem, atque ita quantum possumus impedire ne damnum inferat, aut efficere vt illatum restituat. quare si id lata nostra culpa negligamus, tenebimur ad restitutionem. Hinc patet exempla de conante inferre alteri damnum, aut de gaudente ob damnum alteri iniustè illatum nihil facere ad rem, quia tales non sunt iniusta causa damni.

Ad fundamentum illius sententiæ, nego 13
assumptum. Quia, etsi virtus castitatis v.c. me incliner

Castitas, iustitia, similesque virtutes non obligant me vt eas in aliis conseruem.

inclinet vt in altero eius honestatem procurem, & prout possum conseruem, & consequenter vt impediam vitia ei contraria : tamen ad hoc me non obligat ; præsertim obligatione stricta siue graui : sicut etiam eadem virtus semper me inclinat ad heroicos eius actus exercendos; tamen ad hoc me non obligat, nisi quandoque per accidens, eò quòd illud sit necessarium ne in vitium ei contrarium incidam.

Ratio est, quia quæque virtus suum subiectum solùm obligat, vt eam in se conseruet, nihil faciendo quod ei contrariatur ; nec quidquam omittendo quod necessarium est vt eam in se conseruet. Potest autem castitas (idem est de aliis similibus virtutibus) optimè in me persistere, etsi non procurem aliorum castitatem. quamdiu enim ego castè viuo quantumuis culpabiliter negligam impedire ne alij scortentur ; tamen ideo non fio scortator aut incontinens. Secùs est de caritate proximi, quæ sicut per se amat bonum proximi, ita nequit in me conseruari, nisi id procurem quoties ille in graui est necessitate, & ego eum facilè iuuare possum. Et hæc est ratio à priori, tam cur illa sententia non sit vera, quàm conclusionis mox ponendæ.

14 *D.Thomas. Lorca.*

Conclvsio. Obligatio corripiendi proximum oritur propriè ex caritate Dei & proximi. Ita D.Thomas 2.2.qu.33.a.2. Lorca ibidem & alij. Et sequitur ex dictis dub.1. & probatur, quia, sicut caritas Dei & proximi nos obligat vt data occasione vtriusque bonum procuremus, ita nos obligat vt impediamus ea quæ ipsis grauiter aduersantur : atqui peccatum, præsertim mortale, grauiter vtrique aduersatur: ergo caritas nos obligat, vt illud impediamus; quod fit per correptionem fraternam.

15

Hinc patet hanc obligationem ex se esse grauem & sub peccato mortali, quando agitur de peccato mortali impediendo. Quia hoc est graue malum proximi ; quod eum priuat vita spirituali & æterna beatitudine, & reddit reum æterni supplicij. Item est etiam grauis iniuria Dei, cui infinitè displicet peccatum, quoque eius maiestas infinitè quodammodo deprimitur; dum eius peccata prohibentis auctoritas ac amicitia rebus creatis postponitur. Hinc

D. August. D.Augustinus serm.16. de verbis Domini : *Ille,* inquit, *iniuriam fecit, & iniuriam faciendo seipsum graui vulnere percussit ; tu vulnus fratris tui contemnis? tu eum vides perire, & negligis? Peior es tacendo, quàm ille conuiciando.*

Dixi, *hanc obligationem per se esse sub peccato mortali*, quia sæpè ratione circumstantiarum omissio correptionis erit solùm peccatum veniale, aut etiam nullum ; vt patebit ex dubio sequenti.

16

Dices Primò, Quando malum proximi est ipsi voluntarium, quodque facilè per se possit auertere, si velit, non teneor ei succurrere ; vt patet in eo, qui sponte patitur paupertatem, nuditatem, ac miserias eas sequentes ; quem non teneor his eripere, quia non censetur esse in necessitate: atqui omne peccatum saltem formale est peccanti voluntarium, & hic potest illud vitare, si velit : ergo non teneor ipsum ab eo eripere.

Respondeo Primò, hinc vt summum sequi, me non teneri corripere peccantem præcisè ob bonum ipsius, siue quatenus peccatum ipsi præcisè malum est : cum quo optimè consistit quòd tenear illud impedire ex caritate Dei, cui per peccatum fit grauis iniuria.

Respondeo Secundò, etsi peccatum qua voluntarium non mereatur misericordiam, sed potiùs indignationem & vindictam; tamen ex alia parte meretur etiam misericordiam, quatenus habet multum inuoluntarij admistum. Fit enim communiter, aut ex aliqua ignorantia licet crassa, aut ex inconsiderantia ; aut ex aliqua animi perturbatione, aut graui tentatione, vel affectuum inclinatione in bonum delectabile peccato coniunctum. quæ reddunt eius vitationem valdè difficilem : & hac ratione est ex parte inuoluntarium. Sicut perditio sarcinæ est ex parte inuoluntaria viatori, qui ob lassitudinem & difficultatem eam ferendi ipsam abiicit, ac in via relinquit. 17

Respondeo Tertiò, etsi quis peccet omnino sciens & ex pura malitia, adhuc peccatum esse ex aliqua parte inuoluntarium, quatenus scilicet priuat peccantem gratia Dei & æterna beatitudine, aut causat ei æternum supplicium; quæ peccans odit & cuperet effugere. Nec refert quòd hæc voluntariè sibi accersat, atque adeò videatur ea parui facere, cùm facilè ea vitare posset; hoc enim fit, quia non satis apprehendit quantum malum illa contineant; quod si, prout decet, apprehenderet, omnino non peccaret. 18

Adde, neminem ita peccare ex malitia quin aliqua tentatione, & ad bonum delectabile inclinatione, quam non ira facilè potest superare, ad id incitetur : atque ita ipsum peccatum tum ex hac parte, tum etiam quatenus dicta mala adfert, est ei semper aliqua ratione inuoluntarium. Hoc tamen fatendum est, nos rarius obligari taliter peccantes corripere, quia rarò est spes emendationis : quando tamen hæc adest, ad illud tenemur.

Dices Secundò, Matth.7.v.1. & etiam 1.Corinth.4.v.5. prohibemur alios iudicare : ergo prohibemur etiam eos corripere : quia antequam eos corripiamus, debemus eos iudicare peccasse. Respondeo, nobis illis locis solùm prohiberi, ne iudicemus de occultis aliorum factis ea fine iusto fundamento malè interpretando : correptio autem solùm debet fieri de peccatis manifestis, quæ non possumus non iudicare esse peccata. 19 *Matth.7.* *1.Cor.4.*

Adde, Matth.7. vt patet ex v.3. propriè reprehendi eos, qui paruos defectus in aliis notant, ac grauiter arguunt ex hypocrisi, vt ipsi videantur iusti: & interim grauia sua peccata dissimulant. *Matth.7.*

DVBIVM III.

Quæ peccata teneamur in aliis corripere?

20 CVm varia sint peccata, de quibus possimus alium corripere, variæ hîc occurrunt difficultates.

Prima est, vtrùm teneamur in proximo corripere peccata mortalia. Origenes enim tractatu 5. in Matthæum videtur id negare. nam docet correptionem solùm respicere leuiora aliorum peccata: non autem peccata quæ sunt ad mortem; inter quæ numerat homicidia, idololatriam, fornicationem, & similia. Probat suam sententiam, quia Christus Matth.18. solùm præcipit vt corripiamus fratrem in nos peccantem: atqui qui grauiora illa peccata committit, non est frater: ergo hic non est corripiendus. Minorem probat, quia 1. Corinth.5. dicitur: *Si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax*, &c. vbi Apostolus illum qui dicta facit, non dicit esse, sed solùm nominari fratrem; insinuans eum verè non esse fratrem.

Origen. *Matth.18.* *1.Cor.5.*

Sed mens Origenis non est satis clara, tum quia non satis liquet an omnia peccata mortalia ibi vocet peccata ad mortem: an verò solùm aliqua grauiora, & quæ magnum scandalum aut perturbationem pariunt. nam inter peccata, de quibus tenemur alios corripere, numerat quædam, quæ solent inter mortalia censeri. Item videtur ibi solùm disputando loqui: quia etiam contra alteram partem difficultatem mouet.

21 Quidquid autem sit de ipsius mente, constat inter Doctores Catholicos peccata mortalia etiam grauissima esse materiam correptionis fraternæ. quod apertè colligitur ex dicto loco Matthæi: vbi Christus ait: *Si te audierit* (scilicet peccator à te correptus) *lucratus eris fratrem tuum*. In quæ verba D. Augustinus sermone 16. de verbis Domini: *Quid est*, inquit, *lucratus est te, nisi quia perieras, nisi lucraretur te? nam si non perieras, quomodo te lucratus est?* Certè non perimus nisi per peccatum mortale. Confirmatur, quia Christus dicit eum, qui corripientem fratrem post inductos testes non audit, denunciandum esse Ecclesiæ; quam si non audierit, habendum tanquam Ethnicum & publicanum. quæ non conueniunt in solùm venialiter peccantem, quantumuis ab hoc non abstineat.

August.

22 Argumentum autem Origenis nullius momenti est: nam phrasi Hebræa ibi dicitur nominari frater, qui verè talis nominatur, atque adeò verè est frater. Simili ratione angelus Lucæ 1. de Christo nascituro ait: *Hicerit magnus, & filius Altissimi vocabitur*: id est erit. Et infrà: *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei*. Et inferiùs Zacharias alloquens Baptistam ait: *Et tu puer propheta Altissimi vocaberis*. Quòd autem Christiani quantumuis peccatores sint verè nostri fratres, patet 1. Iohannis 3. vbi dicitur: *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Et S. Iacobus cap. 5. v. 19. existentes in peccato mortali apertè vocat fratres. Ratio est, quia, etsi tales non sint verè filij Dei, quamdiu tamen fidem retinent sunt, filij communis matris Ecclesiæ: præsertim si non sint excommunicati; & consequenter sunt fratres nostri.

Origen. *Luc.1.* *1. Iohan.3.* *Iacob.5.*

Secunda difficultas est, vtrùm in aliis teneamur corripere peccata venialia. Qua in re certum est nos ad hoc teneri, quando aliàs est notabile periculum ne peccans incidat in peccatum mortale: quia patet, nos teneri hoc quantum commodè possumus impedire. 23

Item certum est, Superiorem Religiosorum teneri in suis subditis corripere peccata venialia, quando aliàs imminet periculum ne disciplina Religiosa magna ex parte dissoluatur, quia tenetur quantum potest dare operam vt hæc integrè seruetur. Imò credo certum esse quemuis etiam priuatum, præsertim si sit membrum illius Religionis, teneri ad eiusmodi correptionem, quando commodè potest & sperat fructum: quia talis dissolutio est graue valdè malum ipsius Religionis siue totius commuuitatis; quod ille ex caritate & fide, quam debet matri suæ, scilicet ipsi Religioni, tenetur impedire. 24

Tertiò, satis constat, nos extra dictos casus non teneri sub mortali corripere peccantem solùm venialiter. Primò, quia minùs teneor cauere peccatum alterius, quàm meum: atqui non teneor meum peccatum veniale vitare sub mortali: ergo nec ita teneor vitare peccatum alterius. Secundò, quia magis peccat, qui suadet alteri vt peccet venialiter, quàm qui id sponte permittit: atqui ille non peccat mortaliter: ergo nec hic. 25

Dices, Si proximus esset in periculo perdendi omnia sua bona, aut etiam vitam, tenerer sub mortali id impedire, si commodè possem: atqui peccatum veniale est grauius malum quàm illud: ergo teneor etiam sub mortali hoc impedire, si commodè possim.

Respondeo, negando consequ. Primò, quia peccatum veniale, etsi absolutè sit grauius malum, quàm amissio vitæ; tamen in genere bonorum spiritualium est leue, ideoque non ita obligamur id impedire: præsertim cùm facilis sit illius reparatio, vnde multùm eius malum minuitur. Secundò, quia vt grauiter obliger proximi malum impedire, non tam spectandum est quàm graue illud sit, quàm quàm sit illi inuoluntarium, quantumque ipse hoc teneatur vitare: hinc etsi longè grauius damnum accipiat qui lusu perdit aliquot millia aureorum, quàm is qui casu fortuito perdit centum; longè tamen aliter teneor hoc impedire, quàm illud; quando vtrumque æquè commodè impedire possum. Peccatum autem veniale est peccanti voluntarium.

Tota

26 Tota itaque difficultas est, quando solùm est periculum ne quis aliàs sæpiùs labatur in eadem peccata venialia, vtrùm tunc sub peccato veniali teneamur eum corripere.

Prior sententia id absolutè affirmat. Primò, quia laboranti aliqua necessitate corporali, etsi non sit grauis, tenemur succurrere quando commodè possumus: ergo idem dicendum est de laborante necessitate spirituali, etsi hæc non sit grauis, qualę est omne periculum peccati venialis. Secundò, quia eiusdem rationis est impellere alium ad malum, & eum ab hoc non impedire, cùm facilè possis: atqui impellens alium ad peccandum venialiter, peccat venialiter: ergo similiter is qui ipsum ab eo non impedit. Tertiò, quia tenemur diligere proximum sicut nos ipsos: atqui tenemur à nobis auertere peccata venialia: ergo etiam à proximo. Hanc tenent Caietanus in Summa verb. *Correctio fraterna.* §. *Est ergo.* Valentia 2.2. disp.3.qu.10. puncto 2. sub finem. Soto de tegendo secreto, qu.2. concluſ.3. Lorca hìc disp. 41.n.9.

Caietan. Valentia. Soto. Lorca.

27 Secunda sententia docet, nos nullo modo teneri talem monere. Ita Paludanus in 4 d.19. q.3.a.2. Adrianus in 4.tractatu de correptione fraterna, §. *Quoad tertium.* Bañez 2.2.q.33.art.1. dub.2. Angelus verb. *Correctio fraterna.* num.1. Azorto.2.institut. Moralium libr.12.c.14. Eandem insinuant Nauarrus cap.24.num.12.&13. Siluester verb. *Correptio fraterna*, qu.1. non satis tamen se explicant, quia videntur etiam insinuare esse obligationem sub peccato veniali, dum negant esse obligationem sub peccato mortali.

Paludan. Adrian. Bañez. Angelus. Azor. Nauarr. Siluest.

Matth.18. Probatur Primò, quia Matth.18. vbi datur & explicatur præceptum de correptione fraterna, expresè agitur de corripiendo peccante mortaliter; quia hic solus potest dici periisse nisi corripiatur; & habendus tanquam Ethnicus, si Ecclesiam non audierit. Hæc enim nequeunt conuenire in peccantem solùm venialiter.

28 Secundò, quia nimis durum videtur, nos obligari vt omnes peccantes venialiter corripiamus: idque Primò, quia eiusmodi peccata frequentissimè & communiter ab hominibus committuntur: atque ita quasi continuò, quoties inter homines versamur, teneremur alios corripere. quod videtur intolerabile. Secundò, quia hoc turbaret valdè pacem tam internam quàm externam: nam vbique occurreret occasio dubitandi an hic & nunc talem aut talem venialiter peccantem teneremur corripere; quod in rebus ita obuiis, & quæ pendent à tot circumstantiis difficile esset dignoscere. atque ita talis obligatio redderet nos anxios. Deinde ipsi etiam reprehensi facilè turbarentur, aut quia non agnoscerent se in tali facto peccasse; nam ista parua vitia non ita facilè in nobis aduertimus, & facilè videntur nobis posse excusari: aut quia indignarentur nos ea in ipsis reprehendere, quæ ipsi aut saltem iis similia committimus, cùm sine venialibus non possimus viuere; & fortè putarent nos id facere ex hypocrisi, vt videremur aliis sanctiores.

Probatur Tertiò: nam, vt ostendi suprà disput.27. num.132. extra casum extremæ aut grauis necessitatis corporalis non tenemur certæ alicui personæ facere eleëmosynam; sed sufficit quòd pro nostra facultate demus aliquando aliquibus eleëmosynam: atqui ii, qui solùm peccant venialiter, vt plurimum sunt similes pauperibus laborantibus communi necessitate: ergo nulli horum obligamur in particulari dare eleëmosynam spiritualem, eum corripiendo: sed vt plurimum possumus obligari vt aliquando aliquos corripiamus, qui magis videbuntur indigere correptione, & quando id facilè poterimus facere. 29

Probatur Quartò, quia prior sententia non videtur niti satis firmo fundamento: nam eius argumenta facilè possunt solui. Ad primum, Respondeo Primò, nego maiorem; nam, vt iam ostendi, nulli talium determinato tenemur dare eleëmosynam; sed sufficit quòd aliquando aliquibus eam demus. Respondeo Secundò, nego consequentiam: quia tales pauperes omnino inuiti patiuntur eiusmodi necessitates, nec possunt se ab iis expedire; secùs est de existentibus in periculo perseuerandi in peccatis venialibus, quia hi facilè possunt se ab eiusmodi malo expedire si velint. Ad secundum, nego maiorem: videtur enim repugnare communi sensui; nam omnes iudicant me longè aliter obligari ne alium impellam ad peccandum, quàm ne omittam ipsum à peccando retrahere. quod vel inde patet, quia nulla potest dari iusta causa ob quam alterum licitè incitem vt peccet: plurimæ autem possunt dari, ob quas licitè omittam eum à peccando auocare. Ad tertium, Respondeo maiorem non esse ita intelligendam, quasi in omnibus casibus obligemur eodem planè modo procurare bonum proximi, & malum eius impedire, sicut tenemur nostrum malum spirituale impedire. nam quando agitur de virandis peccatis; hoc apertè falsum est: nam ex eo sequeretur, sicut ob nullam causam possumus permittere siue non euitare proprium peccatum, ita nos ob nullam causam posse permittere peccatum alienum. quod apertè falsum est. 30

Sed credo neutram ex his sententiis esse absolutè & generatim veram; imò credo auctores earum non intendere eas ita absolutè & generatim asserere: atque adeò puto eos posse conciliari. Respondeo igitur Primò, nos communiter non teneri fratrem corripere ob sola peccata venialia, quando aliud non subest periculum. & hoc satis probant rationes pro secunda sententia allatæ. 31

Qua ratione & quando teneamur corripere peccantes venialiter.

Respondeo Secundò, valdè tamen esse probabile, nos aliquando per se, & secluso alio periculo sub veniali teneri fratrem corripere ob peccata venialia, quando certæ adsunt conditiones. Scilicet Primò, quòd manifestum sit ipsum peccasse, & quidem in genere peccati venialis aliquo modo grauiter. 32

Secundò, quòd omnino commodè & sine peccantis offensione eum possim corripere, ita vt moraliter aliquo modo certus sim correptionem profuturam & nullo modo obfuturam. Hæc autem obligatio maximè habet locum quando peccatum esset aliis scandalo, trahendo eos ad imitationem. Ratio est, quia, cùm eiusmodi peccatum sit notabile proximi malum, & vera Dei offensa; sincera Dei proximique caritas exigit vt id ab eo auertam, quando id tam facilè facere possum. sicut mala proximi corporalia etiam leuia teneor ab eo auertere, quando sine vllo meo incommodo id facere possum. Ex quibus patet solutio rationum pro secunda sententia allatarum, quæ huic sententiæ sic explicatæ non repugnant. Quia tamen hæ conditiones rarò adsunt, hinc etiam rarò adest eiusmodi obligatio: nisi fortè in Superioribus, qui ratione officij multò strictiùs obligantur sibi subditos corrigere, eorumque perfectionem procurare: & faciliùs sine vllo incommodo, & cum fructu id facere possunt. Quibus proximè in hac obligatione succedunt, qui magna apud alios auctoritate sunt.

33 Tertiò, est difficultas, an teneamur ea peccata corripere quæ publicè aut magistratu permittente fiunt, qualia sunt peccata publici vsurarij, aut publicæ meretricis.

Tenemur quandoque etiam publicos peccatores corripere.

Sed omnino dicendum est nos ad hoc teneri, quando id commodè facere possumus, & speratur fructus. Quia etiam eiusmodi peccata cum graui Dei iniuria & proximi malo fiunt. Imò sæpè, præsertim peccata meretricum & similia, positis iis conditionibus eo magis tenemur corripere, quo cum maiore aliorum scandalo & ad peccandum allectione fiunt. Nec refert quòd magistratus ea permittat, quia hoc solùm facit, quia sine grauiore incommodo ea nequit impedire.

34 Dices, Si ego publico vsurario persuaderem vt desisteret dare ad vsuram, sequeretur idem incommodum, quod magistratus intendit vitare, permittendo ei exercitium vsuræ, scilicet quòd multi grauiter indigentes mutuo & non reperientes mutuantes, premerentur grauissimis difficultatibus.

Cur magistratus quãdoque minùs teneatur quædã peccata impedire quàm priuati.

Respondeo, duplex esse discrimen inter magistratum permittentem publicum vsurarium, & inter priuatum omittentem eum corripere quando ipsum ea ratione posset facilè emendare. Primò, quia si magistratus hunc vsurarium ab eo exercitio impediret, deberet omnes impedire, quia nulla est ratio cur id vni magis permittat quàm alteri: atque ita dicta incommoda necessariò sequerentur. Secùs est si priuatus alicui vsurario persuadeat vt ab vsuris desistat; quia nunquam persuadebit id omnibus, atque ita semper erunt sufficientes, qui populo hac in re satisfacient. Secundò, quia, etsi magistratus possit impedire ne huiusmodi homines publicè vsuras exerceant: nequit tamen efficere vt in animo à peccatis verè ad Deum conuertantur; aut etiam occultè peccare desinant: quod tamen facit priuatus, qui eos efficaciter corripit, atque ita eorum animas lucratur: quod magistratus facere nequit.

Quartò, est difficultas, vtrùm peccata præterita, an verò futura sint materia correptionis fraternæ. 35 Sed dicendum est nos teneri quidem, quantum commodè possumus, proximi peccata futura impedire, sola tamen præterita esse materiam correptionis: quia non possumus aliquem corripere sine reprehendere ob peccata, nisi ea iam aliquo modo commiserit, saltem exponendo se notabili periculo ea committendi; quo casu iam incepit peccare; finis tamen ipsius correptionis est propriè impedire futura peccata, siue ne proximus peccata commissa postea repetat, aut saltem diutiùs in commissis hæreat. Quare ob peccatum omnino præteritum, quando inde aliud non timetur malum, non tenemur quemquam corripere, vt dicam dubio 6. num. 117.

Futura peccata tenemur impedire præterita corripere, vt illa impedia-mur.

DVBIVM IV.

Quos peccantes teneamur corrigere?

CVm varia sint genera peccantium, variæ occurrunt difficultates sigillatim tractandæ.

Prima est, an teneamur corrigere peccantes ex ignorantia. 36 Qua in re certum est peccantes ex ignorantia vincibili debere corripi, quia verè culpabiliter peccant. Sed est difficultas de peccantibus ex ignorantia inuincibili.

Quidam id generatim negant: nam ita peccantes verè non peccant, saltem culpabiliter. Pro hac citatur Nauarrus in Summa cap. 24. num. 12. & in cap. *Si quis.* de pœnitentia, dub. 7. num. 71. Sed ipse vt summum tenet tertiam sententiam. *Nauar.*

Alij generatim affirmant tales esse corripiendos, quando speratur fructus. quia talis ignorantia ac peccatum eam consequens, sunt verè malum proximi, à quo tenemur eum eripere. Ita Siluester verb. *Correctio fraterna.* quæst. 10. D. Antoninus 2. p. tit. 9. §. 4. Angelus verb. *Correctio fraterna.* num. 6. Lorca hic disp. 42. n. 15. *Siluest. D. Antonin. Angel. Lorca.*

Alij dicunt priorem sententiam esse veram respectu peccantium contra solum ius positiuum, secundam verò respectu peccantium contra ius naturæ. Pro hac citatur Bañez 2.2. quæst. 33. art. 2. dub. 3. sed ibi concluf. 2. expressè docet, peccantem ex ignorantia iuris siue diuini siue humani corripiendum esse, quando speratur emendatio. *Bañez.*

Pro resolutione Nota, hanc ignorantiam 37 esse duplicem: vna est iuris, qua ignoramus aliquam legem ad nos spectantem, siue naturalem, siue diuinam, siue humanam. Alia est facti, qua ignoro aliquod factum, aut aliquam actionis meæ circumstantiam; ex quo

Ignorantia alia iuris, alia facti.

quo fit vt materiale peccatum committam ; vt si volens comedere carnes ignorem esse feriam sextam, aut si ignorem cibis, quos volo comedere, carnes esse permixtas.

38 Conclvsio I. Teneor monere eum qui peccat ex ignorantia inuincibili iuris tam naturalis quàm positiui, si speretur fructus; secùs, si non speretur fructus. Ita apertè Auctores secundæ sententiæ.

Prima pars probatur, quia hæc ignorantia est graue malum proximi, quod quisque prudens vellet à se auerti, & quod etiam quisque quantum potest, tenetur euitare: nam quisque tenetur discere scitu necessaria ad rectè viuendum : cognitio autem talis iuris est necessaria ad rectè viuendum ; vt magis patebit ex dicendis.

39 Probatur Secundò, quia hanc ignorantiam consequuntur grauia mala. Primò, peccata materialia, quæ multum dedecent naturam humanam, maximè quando sunt contra ius naturæ. Secundò, periculum ne talis tandem etiam formaliter peccet, quando hæc ignorantia incipiet ei esse vincibilis. nam propter assuetudinem liberè eiusmodi actus committendi, postquam incipiet de eorum malitia dubitare, difficulter ab iis abstinebit : atque ita vel ex affectu circa tales actus, aut quia fortè pudebit ab aliis discere veritatem, atque ita suam fateri ignorantiam, perseuerabit in antiqua inscitia & consuetudine, cum graui animæ damno. Tertiò, quia sæpè est periculum scandali: facilè enim contingit talem similia facere coram aliis qui eius exemplo vt similia faciant pertrahentur. Quartò, quia honor Dei obligat me, vt quantum commodè possum, vitem etiam peccata materialia, tam in me quàm in aliis.

40 Secunda pars probatur, quia, quando non speratur fructus, ne quidem teneor corripere peccantem formaliter, quia correptio esset inutilis. Nota tamen fructum huius correptionis non esse spectandum ex sola emendatione eius qui corripitur, sed quandoque etiam ex aliis rebus. Hinc præsertim Superior peccantis tenetur eum corripere etiam aliquando cùm peccat ex inuincibili siue probabili ignorantia, adeoque excusante à culpa, etiamsi vix vlla sit spes eum correptione emendandum. Primò, quando esset periculum, ne is, qui sibi non omnino certò persuadebat suam actionem esse licitam, ideoque minùs audacter minusque frequenter eam exercebat, videndo Superiorem eam non reprehendere, crederet ipsum hanc approbare, atque ita audaciùs eam faceret, & postea difficillimè posset de veritate instrui. Quod maximè locum habet in eo qui habet solùm probabilem opinionem, quòd sua actio sit licita; aut quando eius ignorantia non potest diu esse inuincibilis : quod in ignorantia iuris communiter accidit. Secundò, quando ex opere ita ignoranter facto natum est sequi scandalum; quod communiter contingit quando aliqui vident aliquem coram Superiore talia facientem, nec ab eo corripi; facilè enim sibi persuadent Superiorem ea approbare.

Ex quibus spectandus fructus correptionis.

Ex quibus patet, Superiorem ferè semper teneri tales corripere, præsertim quando coram aliis peccant; etsi probabilius putet talem sua correptione non emendandum ; quia aliàs grauiter aliis noceret, quos illum non corripiendo scandalizaret. Hinc S. Paulus Actor. 20. Ephesiis ait : *Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium: non enim subterfugi, quo minùs annunciarem omne consilium Dei vobis.* Vbi insinuat, se non futurum mundum à sanguine siue interitu eorum, si eos quidquam celasset. Idemque dicendum de priuato, quando correptio necessaria est ad vitandum scandalum, aut graue malum alicuius tertij. 41

Actor. 20.

42 Conclvsio II. Laborantem inuincibili ignorantia facti, & ideò peccantem, præsertim contra ius diuinum vel naturæ, vt si contrahat cum cognata, teneor monere, si sine vllo incommodo id facere possim, & speretur emendatio ; si verò hæc non speretur, aut si grauia incommoda timeantur, teneor tacere, etsi Superior sim, modò absit scandalum. Hanc etiam tenent Auctores secundæ sententiæ suprà citati.

Prior pars probatur ex rationibus allatis pro prima conclusione, & maximè quarta. quia ista peccata materialia sunt aliquod malum ipsius peccantis contrarium honestati, virtuti & honori Dei.

43 An tenear corripere peccantem ex ignorantia facti contra ius humanum.

Dixi, *præsertim quando peccat contra ius diuinum vel naturæ.* quia si tantùm peccet contra ius humanum, vt si ignorans esse feriam sextam, solus, siue ita vt alij inde nequeant scandalizari, comedat carnes, cùm illa comestio per se non dedeceat humanam naturam, & materialis illa violatio iuris humani sit parui momenti, aut parum aut vix obligor proximum ab eo facto auertere, maximè si vel leuem aliquam rationem habeam cur id non faciam. Ita Bañez 2.2. quæst. 33. a. 2. dub. 3. concl. 4. & 5. & Nauarrus cap. 24. num. 12. Superior tamen præ aliis facilius obligatur vt talem moneat; quisque etiam tenetur in casu scandali.

Bañez. Nauarr.

44 Differentia inter ignorantiam iuris & facti.

Secunda pars probatur, quia hæc peccata materialia videntur aliquod minus malum quàm quod cum notabili aliquo proximi incommodo teneat impedire; nec etiam est illa obligatio in proximo discendi particularia facta, sicut est obligatio discendi ius scitu necessarium ad bene viuendum. Item vix hîc locum habere possunt illæ rationes, ob quas suprà diximus Superiorem teneri monere subditum peccantem ex ignorantia iuris, etiam dum non est spes emendationis.

45 Hinc si sciam aliquos propter cognationem aut affinitatem inualidè contraxisse, idque eos inuincibiliter ignorare, si sperem eos facilè inducendos vt impetrent dispensationem & sine turbis rursus contrahant, teneor ipsis veritatem aperire; si verò probabiliter metuam ne graues turbationes sequantur (vt si alterutet cum

cum graui alterius aut amicorum turbatione & prolium damno credatur facturus diuortium) teneor tacere si credam rem manſuram omnino occultam.

46 Idem dicendum in quibuſdam peccatis commiſſis ex ignorantia iuris, non ita paſſim noti, & quod non poteſt noſci pertinere ad hunc in particulari. v.g. confitetur aliquis ſe cognouiſſe conſanguineam vxoris ſuæ, hic ſecundùm communem ſententiam non poteſt petere debitum; confeſſarius tamen (niſi poſſit fortè cum eo diſpenſare vt licitè debitum petat) communiter meliùs faciet relinquendo illum in ſua bona fide, qua putat ſibi licere petere debitum; quia ſi aperiat illi veritatem, poſtea formaliter peccabit petendo debitum; & communiter non eſt veroſimile futurum vt ideo abſtineat à petendo debito: quamdiu autem manet in bona fide, ſolùm peccat materialiter ſine vllo periculo ſcandali. Quòd ſi confeſſarius poſſit diſpenſare, aut certò credat alterum cognita veritate ante obtentam diſpenſationem non petiturum debitum, deberet illi aperire veritatem.

Qui cognouit conſanguineam vxoris communiter non eſt docēdus, quòd non poſſit petere debitum.

47 Idem videtur dicendum de eo, qui iam deſponſaſſet ſibi aliquam, cuius conſanguineam occultè cognouiſſet, penitus ignorans id eſſe impedimentum dirimens: & iamiam inſtantes nuptiæ non poſſent ſine graui ſcandalo differri; poſſet enim confeſſarius eum relinquere in bona fide qua hic crederet illud nullum præſtare impedimentum his nuptiis. Colligitur ex Valentia hîc quæſt. 10. puncto 2. §. *Certum eſt.* & ſequentibus. vbi abſolutè docet, non eſſe monendos peccantes ex inuincibili ignorantia iuris, quando non ſperatur emendatio: atqui in dicto caſu vel nulla vel vix vlla eſt ſpes emendationis; vix enim credibile eſt talem poſſe induci vt cum tanta ſua nota & criminis ſuſpicione, & graui ſuorum omnium offenſione à nuptiis abſtineat, aut eas differat, maximè ſi diu differri deberent. quod communiter continget, ſi priùs diſpenſatio petenda ſit. His adde, etſi nuptiæ crederentur differendæ aut omnino impediendæ, ſi tamen id non poſſet fieri ſine graui multorum offenſione & ſuſpicione cauſæ, ob quam differantur, videri potiùs tacendam veritatem ob grauia incommoda, quæ poſſunt aliàs ſequi, v.g. odia grauia, turbationes familiarum, &c. quæ magis vitanda ſunt, quàm illa peccata materialia. Vnde Valentia ſuprà §. *Propter cuius.* putat rarò accidere, vt qui ex inuincibili ignorantia contraxerunt inualidè, ſint monendi. Eadem autem eſt ratio in caſu iſtorum ſponſorum. vt cum aliis expreſsè docet Sanchius libr. 2. de Matrimonio diſput. 38. num. 6. additque numero 7. confeſſarium in eo caſu non ſolùm poſſe, ſed etiam teneri tacere.

An ſit monendus qui contraxit ſponſalia cum occulto impedimento.

Valentia.

Valentia.

Sanchius.

48 Excipe caſum, quo confeſſarius facilè poſſet impetrare occultè diſpenſationem, vt ſponſi poſſent inter ſe contrahere, aut vt ii, qui ob occultum impedimentum inualidè contraxerunt, poſſent iterum ſecretò contrahere; & omnino crederet ſe id ſine turbis poſſe efficere. Eſt tamen hac in re ſatis magna difficultas, quando impedimentum eſt ortum ex crimine, cuius altera pars omnino ignara eſt. Qua in re quomodo procedendum ſit ſatis explicui tomo 2. de Sacramentis diſp. 24. dub. 10.

Secunda difficultas eſt, vtrùm teneamur corripere infideles peccantes. Videmur enim ad hoc non teneri: quia Chriſtus Matthæi 18. ſolùm iubet nos corripere fratrem peccantem: atqui infidelis non eſt noſter frater, quia nec eſt filius Dei, nec Eccleſiæ. 49 *Matth. 18.*

Sed omnino dicendum eſt nos teneri etiam tales corripere, quando eſt ſpes fructus, ac reliquæ conditiones adſunt, quas dubio 6. requiremus vt hoc præceptum obliget; nam etiam in his militat eadem ratio; quia nimirum caritas Dei & proximi nos obligat vt, quantum commodè poſſumus, Dei iniuriam & proximi graue malum auertamus; quod per eiuſmodi correptionem fit: nam per eam impedimus peccata infidelis, quæ ſunt vera iniuria Dei, & graue illius malum, & ipſe eſt etiam noſter proximus per caritatem diligendus. vt patet ex dictis diſput. 24. dubio 7. concluſ. 5. & poteſt etiam dici aliquo modo noſter frater ratione communis naturæ & originis ex Adamo. Et hæc eſt communis ſententia. Tenemur etiam infideles corripere.

Tertia difficultas eſt, vtrùm teneamur corripere etiam eos, qui publicè & ex conſuetudine peccant, quales ſunt publici vſurarij, & quotidie ebrij, & ſimiles. Videmur enim ad hoc non teneri. Primò, quia cùm plurimi etiam viri boni videant eos peccantes, poſſumus ſupponere eos ab his corrigendos, atque ita noſtra correptione non indigere. Secundò, quia aliàs plurimi viri boni, qui eos vident peccantes, & non corripiunt, peccarent; quod tamen de illis non eſt præſumendum. 50

Sed omnino dicendum eſt, nos teneri etiam hos corripere, quando id commodè & cum probabili ſpe fructus fieret. quia eſt eadem ratio corripiendi hos, quæ eſt in aliis, ſcilicet auerſio iniuriæ Dei, & mali proximi. Quia tamen eiuſmodi ſpes eſt rara, ideo rariùs ad eorum correptionem tenemur, ideoque etiam viri boni eos communiter non corripiunt. Ex quo patet refutatio ad ſecundum argumentum. Fieri tamen poteſt vt adſit aliquando eiuſmodi ſpes; & ratione circumſtantiarum credantur magis emendandi mea correptione quàm aliorum: & tunc ad hanc præ aliis teneor. Ex quo patet reſponſio ad priùs argumentum. Publicè & ex conſuetudine peccantes corripiendi ſunt.

Quarta difficultas eſt, vtrùm teneamur corripere noſtros Superiores, quando videmus eos peccare. Videmur enim ad hoc non teneri. Primò, quia non ſunt noſtri fratres, ſed patres. Secundò, quia eiuſmodi correptio videtur repugnare reuerentiæ, quam Superioribus debemus. 51

Sed

52 Tenemur quandoque Superiores corripere. *D.Thom.*

Sed omnino dicendum est inferiores etiam quandoque teneri suos Superiores peccantes corripere, quando id commodè & cum fructu fieri potest. Ita D.Thomas 2.2. quæst. 33. attic.4. & cum eo communiter Theologi.

Galat.2.

Probatur Primò, exemplo S.Pauli, qui ad Galatas 2. dicit se S. Petro (qui tamen erat ipsius Superior) in faciem restitisse, id est eum coràm reprehendisse, quòd quædam minùs conuenientia faceret. Ad quorum facta alludens S. Augustinus epist.19. ad S.Hieronymum, *Ipse Petrus*, inquit, *quod à Paulo fiebat vtiliter libertate caritatis, sancta ac benigna pietate humilitatis accepit; atque ita rarius ac sanctius exemplum posteris præbuit (quo non dedignarentur, sicubi fortè recti tramitem reliquissent, etiam à posterioribus corrigi) quàm Paulus; quo confidenter auderent etiam minores maioribus pro defendenda Euangelica veritate, salua fraterna caritate resistere. Nam cùm satius multò sit in tenendo itinere in nullo, quàm in aliquo declinare; multò est tamen mirabilius & laudabilius libenter accipere corrigentem, quàm audacter corrigere deuiantem.* Idem apertè docet epistola 109. ad monachas.

D.August.

Gregor.

Idem docet S. Gregorius relatus cap. *Sicut.* 2. quæst.7. vbi, *Sicut*, inquit, *laudabile discretumq; est reuerentiam & honorem exhibere maioribus, ita rectitudinis & Dei timoris est, si quæ in eis sunt, quæ indigent correctione, nulla dissimulatione postponere.* Idemque apertè etiam docet locis infrà citandis, vbi etiam modum, quo id fieri debet, explicat.

53

Probatur Secundò, ratione, quia, etsi Prælati qua tales sint nostri patres, atque ita magnam reuerentiam ac submissionem à nobis exigant; sunt tamen etiam homines peccatis ac miseriis subiecti, atque ita aliena ope qua subleuentur sæpè indigent. Item qua homines, ac Dei ac Ecclesiæ filij, sunt nostri proximi ac fratres: & consequenter caritas proximis debita exigit, vt iis peccati malo pressis succurramus: quod fit per fraternam correptionem. & hinc patet solutio proximi argumenti allati n.51.

Item cùm peccatum repugnet honori Dei, cui cedere debet omnis reuerentia homini quantumuis superiori debita, magis debemus moueri zelo diuini honoris, peccata impediendo, quàm deterreri superioritate Prælati, ne eum peccantem corripiamus: atque ita hæc correptio quando debito modo fit, nulla ratione repugnat reuerentiæ Prælatis debitæ, dum per eam honor Dei, & ipsius Prælati bonum eius veneration præponitur. Ex quo patet responsio ad secundum argumentum n.51.positum.

54 *D.Thomas.* Modus in correptione Superioris seruandus.

In eiusmodi tamen correptione quædam obseruanda sunt, vt bene monet D.Thomas suprà. Primò, vt eiusmodi correptio fiat cum humilitate, & ostensione submissionis ac reuerentiæ erga Superiorem; ita vt absint omnia verba duriora, nec fiat per modum increpantis, sed potiùs per modum rogantis ac obsecrantis.

Quod etiam præcipit Apostolus 1. ad Timoth.5. vbi ait, *Seniorem ne increpaueris: sed obsecra vt patrem.* Et S. Gregorius in Pastorali p.3. cap.1. admonit.5. *Pia*, inquit, *subditorum mentes Præpositorum vitia nullo linguæ gladio percutiunt, etiam dum de imperfectione reprehendunt.* *1.Tim.5.* *Gregor.*

Secundò, vt nunquam reprehendantur coram aliis, etiam iis quibus eorum vitia nota sunt: quia hoc reuerentiæ iis debitæ repugnat, & auctoritatem minuit, atque ita communiter potiùs mentem exasperat, quàm vitia corrigat. vnde patet principum ac magistratuum vitia, multò magis Prælatorum, non esse publicè pro concione reprehendenda, quia ea ratione illi grauiùs exacerbantur, & subditi à reuerentia & obedientia iis debita auertuntur. Excipe casum quo illi alios à vera in Deum fide, aut à reuerentia & obedientia Ecclesiæ debita auerterent: tunc enim vt impediatur aliorum ruina, publicè arguendi sunt, præsertim quando priuata monitione nihil proficeretur. 55 Superiorum vitia non debent publicè reprehendi.

Tertiò, vt non quiuis officium eos corripiendi sibi assumat; sed illi qui aliqua auctoritate apud eos valent ob probitatem morum, aut opinionem prudentiæ, &c. nam si alij eos corriperent, nihil proficerent. 56

Quartò, vt captentur commoda tempora, quando illi creduntur optimè dispositi ad correptionem suscipiendam: & hæc quandoque per ambages, quibus eorum animus ad eam disponatur, inchoetur: prout fecit Nathan reprehensurus Dauidem 2.Regum 12. Posset etiam hîc disputari an teneamur corripere peccantem, quando nullum est periculum relapsus; sed de hoc commodiùs agam dub.6. *2.Reg.12.*

DVBIVM V.

Quinam obligentur hoc præcepto?

SVppono hîc Primò, non solos Prælatos ad corripiendos peccantes obligari, sed generatim omnes eos qui ad hoc idonei sunt, & sperant se posse proximum sua correptione emendare, modò id commodè fecerint. Quia, vt dicitur Ecclesiastici 17. v.11. *Deus mandauit vnicuique de proximo suo*, vt scilicet peccantem corrigat: vt ostendi suprà num.8. & Matthæi 18. iubemur corripere fratres peccantes. Et ratio est clara, quia omnes omnino tenentur amare Deum & proximum, & consequenter quantum commodè possunt, tenentur iniuriam Dei & malum proximi impedire; peccatum autem, præsertim mortale, continet iniuriam Dei, & graue malum proximi. 57 *Eccli.17.* *Matth.18.*

Suppono Secundò, Prælatos siue Superiores præsertim Ecclesiasticos præ aliis longè grauiùs obligari ad corripiendos subditos peccantes. vnde D.Augustinus libr.1. de Ciuitate cap.9. de hac correptione agens: *Qua in re*, inquit, *non vtique parem, sed longè grauiorem habent causam,* 58 Prælati præ aliis tenentur peccantes corripere. *August.*

Ezech.33. *causam, quibus per Prophetam* (scilicet Ezechielem cap.33.) *dicitur: Ille quidem in peccato suo morietur, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Ad hoc enim speculatores, hoc est populorum Præpositi, constituti sunt in Ecclesiis, vt non parcant obiurgando peccata. Nec ideo tamen ab huiusmodi culpa penitus alienus est, qui licet Præpositus non sit, in eis tamen, quibus vitæ necessitate coniungitur, multa monenda vel arguenda nouit, & negligit.* Quo loco vtrumque nostrum suppositum asserit. Ex quibus autem capitibus Superiores præ aliis ad hoc obligentur, dicemus inferiùs.

59 An peccatores teneatur peccantem corripere. *Pſal.49.*

His positis est difficultas, Primò, an peccatores teneantur alios corripere. Videntur enim ad hoc non teneri, sed ab eo potiùs prohiberi. Primò, quia psalm.49. dicitur: *Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* vbi talis quasi malè agens reprehenditur. Peccator autem alium peccantem reprehendens, enarrat Dei iustitias, siue legem & mandata, ostendendo peccantem contra hæc facere. Item Roman.2. *Rom.2.* dicitur, *Propter quod inexcusabilis es, ô homo, omnis qui iudicas: in quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas:* atqui qui corripit peccantem, hunc iudicat: ergo seipsum condemnat, si in iisdem peccatis sit. Similia habent quidam Patres, quos citat D.Thomas 2.2. *D.Thom.* q.33.a.5.

60 Probatur deinde ratione. Primò, quia qui alterum corripit, suo facto ostendit se eo esse perfectiorem, aut saltem carere eo peccato quod in illo reprehendit: atqui hoc in peccatore est falsum & hypocriticum: ergo est peccatum. vnde etiam Matth.7.v.4. vocatur hypocrita, *Matth.7.* qui habens in oculo suo trabem, id est grauius peccatum in sua conscientia, monet fratrem vt eiiciat festucam, siue leuius peccatum ex oculo, siue conscientia sua: & iubetur priùs eiicere trabem ex suo oculo, quàm monere fratrem: ergo ii saltem, qui grauioribus peccatis sunt obstricti, malè faciunt corripiendo alios, nisi priùs se emendent. Quem locum tractans *August.* D.Augustinus libr.2. de sermone Domini in monte col.11. ante finem, dicit: *Et bene ait, hypocrita; accusare enim vitia officium est bonorum virorum & beneuolorum: quod cùm mali faciunt, alienas partes agunt: sicut hypocritæ qui tegunt sub persona quod sunt, & ostentant in persona quod non sunt.*

61 Probatur Secundò, quia peccator est ineptus qui alium corripiat, saltem eum qui eius peccatum nouerit; quia hic non mouebitur illius auctoritate vt se emendet; sed eius dicta tanquam ridicula excipiet. Si enim ebrius velit alteri persuadere abstinentiam, risum potiùs quàm ebrietatis odium concitabit. Imò correptus sæpè putabit alterum id facere ex hypocrisi, vt se ostendat sanctiorem, atque ita eum potiùs scandalizabit quàm corriget. Nec enim facilè poterit cogitare ipsum hoc facere ex caritate, aut zelo honoris Dei; nam si his ageretur, seipsum priùs corrigeret, cùm ad hoc magis obligetur, & facilius sit corrigere seipsum quàm alium.

Sed cum D.Thoma suprà & communi sententia dicendum est, peccatorem quandoque 62 ex caritate teneri alios corripere, quando commodè & cum spe fructus id facere potest. Probatur, quia, sicut peccatores ratione sui status non excusantur quo minùs teneantur Deum & proximum opere & veritate diligere, prout præcipitur 1.Iohan.3.v.18. ita nec excusantur, *1.Iohan.3.* quo minùs Dei & proximi mala teneantur impedire, quando commodè possunt: quia si hoc non faciunt, non diligunt opere & veritate. eos autem hoc quandoque ita facere posse, patebit ex solutione obiectorum.

Ad primum locum Scripturæ ex psalm.49. 63 Respondeo ibi propriè non reprehendi peccatorem quòd enarret iustitias siue mandata *Pſal.49.* Dei: sed quòd tali modo ea enarret; scilicet, Primò, manendo in suis peccatis, & contraria omnia faciendo. vnde subiungitur: *Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum,* &c. Secundò, ex quadam hypocrisi & iactantia, vt ea ratione ostendat se esse iustum & Deo placere, nec debere timere eius punitionem. vnde subiungitur: *Existimasti iniquè, quòd ero tui similis:* (scilicet perpetuò dissimulando & occultando tuam impietatem, nec eam per punitionem vnquam propalando) *arguam te, & statuam contra faciem tuam.* scilicet peccata tua, ea palàm puniendo. Idem est sen- Quòd sus loci citati ex Apostolo: solùm enim vult peccatores de tales se commendare, siue palàm ostendere se caritate esse dignos supplicio, dum in aliis iudicant, quæ dum alios ipsi pergunt facere: atque ita se reddunt omni- iudicant. no inexcusabiles.

Hinc patet malè aliquos ex hoc loco colligere, iudicem peccatorem siue secularem siue Ecclesiasticum peccare si alios iudicialiter corripiat siue puniat: hoc enim verum non est, nisi fortè quando eius peccata sunt publica, & ex tali facto graue scandalum creditur secuturum: quod rarissimum est, præsertim in iudice seculari.

Ad argumenta ex ratione allata, Respondeo 64 ea solùm probare, peccatorem aut peccare, aut inefficaciter alios corripere, quando minùs recta intentione, aut modo minùs conuenienti id facit. quare vt id ritè faciat, ipse debet hoc facere cum magna humilitate, & ostensione dilplicentiæ proprij peccati: prout pulchrè docet D.Augustinus lib.2.de sermone Domini lo- *August.* co suprà citato, vbi ait: *Si autem cogitantes nos-* Modus quo *metipsos inuenerimus in eo esse vitio, in quo est ille* peccator a- *quem reprehendere parabamus, non reprehendamus,* lios debet *neque obiurgemus; sed tamen congemiscamus, & non* corripere. *illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter cauendum inuitemus.* fatendo scilicet nos similiter atque illum peccasse, sed simul significando nos iam pœnitere peccati, ac nos firmiter statuere hoc in posterum cauere; eumque hortari vt idem propositum nobiscum suscipiat. Quo facto non possumus alium non bene ædificare; & si seriò agamus, sæpè continget vt eum efficaciter ad pœnitentiam moueamus.

Nec ad hæc opus est nos interiùs verè de 65 peccatis conteri: sed sufficit nos exteriùs ostendere dolorem de peccato commisso, &

& propositum id in posterum vitandi, eaque, ne mentiamur, aliqualiter interiùs concipiamus.

Vltimum tamen argumentum satis probat peccatorem quandoque per accidens excusari ab altero corripiendo, cui suum peccatum est notum, eò quòd hac ratione eius auctoritas apud eum exigua planè sit; atque ita ipsius correptio aut verè futura sit inefficax, aut saltem credatur futura talis. Et hac ratione sæpè multi præsertim rudes ac viles homines alios non corripientes à peccato saltem graui excusantur. Sæpè tamen contingit contrarium, vt quando corripiendus est satis bonæ voluntatis, & ex sola infirmitate, aut data occasione peccat: maximè si alterius exemplo ad hoc fuit inductus: aut si hunc valdè amet, aut aliquam ob causam magni faciat: tunc enim eius auctoritate facilè in bonum flectetur.

66 Posset hîc præterea disputari, vtrùm existens in peccato mortali posset alios pro concione corripere: Caietanus enim 2.2. quæst. 187. art. 1. Nauarrus in Summa cap. 25. numer. 141. & quidam alij aiunt id facientem peccare mortaliter. Sed ex alio fundamento, quia nimirum putant omnem exercentem actum Ordinis Sacri in peccato mortali peccare mortaliter; & concionari esse actum Ordinis sacri: quatenus ex præcepto Ecclesiæ solis Sacerdotibus & Diaconis licet concionari. Sed hoc fundamentum satis refutaui tomo 1. de Sacramentis quæst. 64. art. 6. dubio 1. vbi ostendi exercentem actum Ordinis in statu peccati mortalis, non peccare mortaliter, nisi conferat aliquod Sacramentum: nisi fortè sit aliquod scandalum. Nam ratio cur ita administrans Sacramenta in peccato mortali peccet mortaliter, est, quia talis in persona Christi, eius merita & sanguinem dispensat, quæ mortaliter in Sacramentis continentur; quod maximè dedecet fieri ab inimico Christi & mancipio diaboli. quæ ratio nullo modo conuenit in exercentem alios actus alicui Ordini annexos; qui cùm non contineant in se tantam sanctitatem, hanc non ita requirunt in eo qui illos exercet.

Caietan. Nauarr.

Non omnis exercens actum Ordinis in peccato mortali peccat mortaliter.

67 Secunda difficultas est, vtrùm Prælati hac in re ad aliquid obligentur, ad quod non obligantur alij. Qua in re cum D. Thoma 2.2. quæst. 33. artic. 2. ad 4. & communi sententia dicendum est, Prælatos alioſque Superiores teneri non solùm corrigere peccata, quæ casu aliquo vident à subditis fieri, aut ab ijs facta cognoscunt, sed etiam inquirere in vitam subditorum, vt videant si quæ in ijs fortè corrigenda sint. Nisi enim hoc facerent, subditi facilè impune peccarent, cùm facile ipsis esset cauere ne in conspectu Prælati peccarent; & facilè sibi persuaderent alios per se sine Superioris inquisitione ipsos non delaturos: atque ita cum maximo boni communis (quod Superiores tenentur conseruare) detrimento omnia scaterent peccatis, & rigor disciplinæ omnino dissolueretur. Confirmatur ex D. Gregorio, qui libr. 2. Regestri epistola 52. ait: *Quæ potest esse pastoris excusatio, si lupus oues comedat, & pastor nesciat?* Vbi docet, Superiorem non corrigentem suorum vitia non excusari per hoc, quòd nesciat ea fieri (quoties scilicet aliqua ratione id scire potuerit:) quod verum non esset, si non teneretur in vitam subditorum inquirere. Ad quod non tenentur ij qui Superiores non sunt: de quibus ait D. Augustinus sermone 16. de verbis Domini initio: *Admonet nos Dominus noster non negligere inuicem peccata nostra; non quærendo quæ reprehendas, sed videndo quæ corrigas.* Præterea tenentur quandoque Prælati corripere subditos, etiì non sperent emendationem; vt dicam dubio 6. numer. 106. & sequentibus.

D. Thomas.

Ad quæ præ aliis obligẽtur Prælati quoad correptionem fraternam.

Gregorius.

Augustin.

Soli Superiores tenẽtur inquirere vitia, quæ corrigant.

68 Hinc nascitur Tertia difficultas, vtrùm, quòd Superiores strictiùs, & ad plura hac in re obligentur, nascatur ex virtute caritatis, an verò ex virtute iustitiæ. Caietanus 2. 2. quæst. 33. art. 2. putat eam obligationem qua illi teneatur ad inquirendum in peccata subditorum, vt ea corrigant, nasci ex sola virtute iustitiæ.

Caietan.

Probatur Primò, quia illi ratione sui officij ex iustitia obligantur procurare non modò bonum communitatis, sed etiam cuiusque subditi in particulari: ad quod omnino necessaria est eiusmodi inquisitio: vt ostendi num. 67. & patet experientia.

Secundò, quia Superior non tenetur ad eiusmodi inquisitionem nisi quatenus Superior est, & ratione officij: atqui officium non inducit erga alios nouam obligationem caritatis, sed obligationem iustitiæ: ergo illi ad eiusmodi inquisitionem non tenentur lege caritatis, sed lege iustitiæ.

Tertiò, quia præceptum dandi eleëmosynam corporalem neminem obligat vt quærat aliquos quibus eam det, sed solùm vt sibi occurrentibus indigis eam det: ergo præceptum correptionis fraternæ, quatenus est præcisè præceptum dandi eleëmosynam spiritualem, neminem obligat vt quærat quod in alijs corripiat; sed solùm vt ea indigenti, quando ipsi occurrit, eam impendat.

69 Contrà verò Lorca hîc disput. 42. numer. 4. putat hanc obligationem prouenire ex sola virtute caritatis. Primò, quia officium Superiores obligat vt etiam ex caritate subditos corrigant. Secundò, quia cùm correptio fraterna qua talis sit actus caritatis, eius obligatio non potest oriri nisi ex virtute caritatis. Vnde ipse infert, Superiorem culpabiliter omittentem correptionem fraternam subditi peccare quidem notabiliter grauiùs, quàm peccaret si non esset Superior: non tamen peccato alterius speciei.

Lorca.

70 Sed dicendum est Prælatum siue Superiorem Ecclesiasticum ex vtraque virtute teneri & ad corripiendum subditos peccantes, & ad inquirendum in eorum vitia vt ea corrigat. Ita cum alijs Valentia hîc disput. 3. quæst. 10. punctò 3.

Valentia.

Vbi Nota Primò, Prælatum ratione officij sui non solùm esse subditorum suorum Superiorem, acquirendo in eos aliquam iurisdi-

Prælatus est simul Superior & pater subditorum, ideoque dupliciter obligatur iis prospicere.

ctionem, sed etiam constitui eorum spiritualem patrem. Hinc ratione prioris acquirit quoddam ius eos gubernandi, iisque quædam imperandi; & vicissim hi acquirunt in eum ius vt ipse primò bonum commune, deinde etiam cuiusque in particulari pro ratione sui officij procuret. Ad hoc enim eiusmodi officia sunt instituta, & cum hac conditione conferuntur & acceptantur; atque ita mutua hæc obligatio inter Superiorem & communitatem nascitur ex quodam quasi tacito contractu, atque ita est obligatio iustitiæ. Ratione verò secundi acquirit nouam quamdam coniunctionem & quasi specialem cognationem cum suis subditis: ex quo fit vt ex virtute caritatis obligetur longè strictiùs & appretiatiuè magis eos diligere, & eorum bonum procurare, quàm aliàs obligaretur, vt communiter omnes fatentur, & patet ex dictis disp.25. dub 8. vbi ex sententia D. Thomæ, & ferè communi ostendi nos teneri appretiatiuè magis diligere nobis coniunctiores; hîc autem est maxima spiritualis coniunctio.

D.Thom.

71 Priuatus cõmuniter illicitè inquirit vitia quæ in aliis corrigat.

Nota Secundò, priuatum, cui aliorum cura non est commissa, non solùm non obligari inquirere de aliorum vitijs vt ea corripiat; sed communiter malè facturum si id faceret: nam hac ratione alios turbaret, & ad indiguationem & varias suspiciones concipiendas excitaret. vnde Prouerb. 24. v. 15. monemur, ne quæramus impietatem in domo iusti, neque vastemus requiem eius.

Prou.24.

Ex quo sequitur, Superiores ratione sui officij acquirere quamdam facultatem vtendi aliquo medio vtili ad alios emendandos, scilicet illa inquisitione in eorum mores, quo medio non Superiores vti non possunt.

72 Nota Tertiò, ex dictis suprà disput. 24. numer. 139. & alibi sæpiùs, amorem appretiatiuè maiorem, siue quòd vnus alio magis appretiatiuè aliquid amet, in hoc propriè consistere, quòd ipse pro ea re acquirenda paratus sit plura facere aut pati, siue maiores difficultates subire, quàm alius. Ex quo sequitur, eum qui tenetur emendationem proximi præ aliis magis appretiatiuè amare, etiam teneri pro ea procuranda plura facere pluraque media assumere. Sicut quia filius Petri ex caritate tenetur huius vitam præ extraneis appretiatiuè magis amare, tenetur pro ea conseruanda multa facere, ad quæ alij non obligantur.

73 Nota Quartò, sæpè contingere vt quis per accidens ratione suæ conditionis, quæ dat ei maiorem facultatem aliquem iuuandi, ex caritate teneatur huic aliquid præstare, ad quod alij, qui eam facultatem non habent, non tenentur. Hinc diues sæpè tenetur alicui indigenti dare eleëmosynam, cui pauperes nihil tenentur dare: & qui magna est auctoritate apud aliquem sæpè tenetur eum peccantem corripere, cùm alij ad hoc non teneantur; eò quòd illius correptio credatur profutura, & horum potiùs obfutura. Quibus casibus dictos ad illa præ alijs facienda non obligant diuitiæ vel auctoritas; sed hæc sunt solùm conditio quædam requisita, qua posita caritas eos immediatè obligat vt ista faciant.

Et ex his patet clara ratio nostræ assertionis. Nam ex priore parte notabilis primi apertè sequitur, Prælatum teneri ex iustitia procurare emendationem subditorum & quantum ad hoc necesse est, eorum vitia corripere, & in eorum mores prudenter inquirere, saltem quatenus hæc valdè necessaria sunt aut multùm conducunt ad bonum commune procurandum & conseruandum. cui omnino expedit, imò necessarium est, vt particularium vitia emendentur. Atque ita Prælatus ad hæc facienda ex iustitia obligatur saltem ipsi communitati. 74 Prælatus ad corrigenda subditorum vitia ex iustitia obligatur ipsi cõmunitati, tamen ita obligatur ipsis corrigendis.

Quod addo, quia mihi valdè probabile est eum saltem communiter non obligari ex iustitia ipsis peccantibus vt eos corripiat; quia hi hoc communiter non cupiunt fieri: nemo autem mihi obligatur ex iustitia aliquid præstare quamdiu non cupio ipsum hoc mihi præstare; sicut non teneor meo creditori soluere quamdiu non cupit me hoc facere. 75

Quandoque tamen contingit, vt ipsi subditi cupiant sibi eiusmodi officia impendi, vt ita iuuentur ac emendentur: quando scilicet sunt bonæ voluntatis & cupiunt emendari & ad hoc iuuari; præsertim quando peccant ex aliqua ignorantia etiam culpabili, quæ tamen sit causa ipsius actus mali. Et hoc casu credo Superiorem etiam his in particulari obligari ex iustitia eos corripere, & in eorum vitam inquirere.

Ex alijs verò notabilibus apertè sequitur, Prælatum teneri etiam ex caritate non solùm ad delinquentis subditi correptionem, quod omnes fatentur, sed etiam ad inquirendum in ipsius mores, quantum hoc ad eius correctionem necessarium est. Ad hoc autem caritas eum ex duplici capite præ alijs obligat. Primò, quatenus ratione sui officij habet facultatem vtendi eiusmodi medio ad alterius correctionem commodo: quam facultatem alij non habent, ideoque ad illud non obligantur; iuxta dicta numer. 73. Quamuis autem officium Prælati sit conditio requisita, atque adeò causa cur habeat facultatem vtendi eo medio ad emendationem fratris valdè commodo; tamen posito quòd eam facultatem habeat, non solùm officium, sed etiam caritas eum obligat, vt eo medio, dum expedit, vtatur. Secundò, quatenus ratione maioris coniunctionis cum peccante tenetur huius emendationem appretiatiuè magis amare, & consequenter ad eam procurandam vti quibusdam medijs, ad quæ alij non tenentur. 76 Prælatum caritas ex duplici capite præ alijs obligat vt inquirat ac corrigat subditorum vitia.

Ex his etiam facile erit respondere argumentis Caietani & Lorcæ, quatenus nostræ sententiæ repugnant. 77

Ad primum argumentum Caietani positum numero 68. Respondeo id solùm probare, Prælatos teneri ex iustitia ad eiusmodi inquisitionem, quod etiam nos concedimus: nullo autem modo probare ipsos ad idem non teneri ex caritate. *Caietan.*

Ad

Ad secundum, nego minorem; nam officium ex duplici capite ad aliquid de nouo ex caritate Superiorem obligat, vt ostendi n. 76.

78 Cur caritas potiùs obliget Prælatum vt quærat quæ corrigat, quã quibus det eleëmosynã.

Ad tertium, nego cõsequentiam. Et ratio diuersitatis est, quia non teneor saltem communiter dare eleëmosynam corporalem, ei qui non cupit eam à me recipere. Cupientes autem eam recipere communiter satis se offerunt ad eam recipiendam, ideóque non est opus eos quærere. Secùs est in correptione fraterna: nam qui hac indigent, non solent se ad eam recipiendam offerre; & communiter teneor eam impendere etiam ijs, qui non cupiunt eam sibi impendi: nam peccantes communiter non cupiunt corripi. Idem sæpè contingit in docendis rudibus mysteria fidei scitu necessaria, quos sæpè tenemur in agris, siluis ac tuguriolis latentes quærere; immò quando ad hoc adest potestas, quandoque cogere vt eiusmodi eleëmosynam recipiant: qui aliàs numquam talia discerent.

Tenemur sæpè quærere ignorãtes res fidei, vt eos doceamus.

79 Tenemur quandoque quærere indigentes eleëmosyna corporali.

Adde, antecedens non esse generatim verum: nam quando aliquis diues probabiliter sciret in sua vicinia aliquos ab omnibus desertos laborare extrema inedia, qui non possent egredi ac eleëmosynam petere; teneretur eos inquirere, ac eleëmosynam ipsis impendere. Item si scirem aliquem in loco secreto se abscõdisse, vt ibi seipsum inedia, laqueo aut alia ratione interficeret; tenerer ex caritate, quantum sine graui incommodo possem, eum inquirere, vt eius vitam seruarem, atque ita ei eleëmosynam corporalem impendere. Quæ maximè locum habent in Prælatis respectu suorum subditorum.

80 *Lorca.*

Ad primum argumentum Lorcæ positum n. 69. Respondeo id solùm probare, obligationem correptionis fraternæ, præcisè qua talis est, oriri ex sola caritate, quia hæc vt sic considerata præcisè respicit fratrem, qua talem, & quatenus corripienti nullo modo subiectum; cum quo optimè consistit correptionem delinquentis, etiam quatenus immediatè præcisè spectat huius emendationem, (& quoad hoc habet rationem correptionis fraternæ, & ex caritate est debita) esse simul actum iustitiæ, & corripiendi Superiorem ad eam ex iustitia obligari; vt patet ex dictis suprà.

81 Ex dictis sequitur Primò, præsertim quod attinet ad obligationem caritatis, eandem esse rationem omnium eorum, quibus ex officio incumbit procurare aliquorum salutem & profectũ spiritualem. Quales sunt nõ modò Pastores, respectu eorum qui in ipsorum parochia habitant; sed etiam confessarij, respectu pœnitentiũ, siue sibi confitentium, præsertim dum hi confitentur; parentes, respectu filiorum; tutores, respectu pupillorum; ludimagistri, respectu discipulorum; patresfamilias, respectu domesticorum, &c. hi omnes saltem ex caritate, & saltem ij, qui pro suo officio stipendium recipiũt, etiam ex iustitia, tenentur pro ratione sui officij subditorum vitia corrigere, & quantum ad hoc est necessarium, & prudenter iudicatur expedire, in eorum vitam inquirere. quia tenentur horum emendationem præ alijs appretiatiuè magis diligere; atque adeò cùm ratione officij sui habeant ius ad eiusmodi inquisitionem, tenentur ad illorum emendationem, prout ratio dictat, eo iure vti; iuxta dicta num. 72. & 73.

82

Sequitur Secundò, Prælatos, aliosque, præsertim qui ex iustitia tenentur subditos delinquẽtes corripere, si id culpabiliter omiserint, debere hanc circumstantiam, siue quòd eo modo sibi subditos omiserint corrigere, in confessione explicare. quia hæc circumstantia mutat speciem peccati: nisi fortè ex notitia personæ & circumstantijs confessarius hanc circumstantiam per se facilè intelligat. Ita Valentia 2.2. disput. 3. quæst. 10. puncto 3. sub finem. Imò quia in alijs Superioribus hæc circumstantia saltem valdè aggrauat peccatum, valdè probabile est ipsos teneri eam in confessione explicare; iuxta ea quæ docui tom. 2. de Sacram. disp. 7. dubio 3. concl. 1. *Valentia.*

83 Profitentes statum vitæ perfectiorẽ præ aliis tenentur peccantes corrigere.

Sequitur Tertiò, Religiosos, sacerdotes, aliosque qui vitam perfectiorem suo statu profitentur, etsi non obligentur inquirere peccata quæ corripiant; strictiùs tamen quàm alios ex caritate obligari vt occurrentes sibi peccantes corripiant. Primò, quia hi ratione sui status strictiùs tenentur Dei honorem, & proximi salutem spiritualem diligere & procurare. Secundò, quia ipsi sunt communiter maiore auctoritate apud alios, atque ita maiore libertate & spe fructus possunt alios corripere, atque ita sæpè ad hoc obligantur, quando alij ob defectum talis spei à correptione excusantur. Et hæc secunda ratio militat in omnibus ijs, qui magna sunt auctoritate apud peccantes. Tertiò, quia communiter sunt, aut saltem deberent esse, ditiores & instructiores in rebus spiritualibus, ideóque aut habent, aut deberent habere, maiorem facultatem dandi eiusmodi eleëmosynas spirituales; & consequenter ad hoc præ alijs obligantur, sicut diuites magis obligantur dare eleëmosynas corporales, quàm pauperes. Et ex his etiam capitibus Prælati præ alijs tenentur alios peccantes etiam non subditos corripere: quia quod hîc dixi de profitentibus vitam perfectiorem, omni ex parte etiam in Prælatos conuenit, quibus ipsum officium magnam auctoritatem confert, & ab iis vitam perfectiorem exigit.

84 Prælati debent moderatè & prudenter inquirere quæ corrigant.

Nota tandem, eos quibus ex officio competit in aliorum mores inquirere, hoc ita moderatè & prudenter debere facere, vt non dent alijs iustam causam turbationis. Quod facilè accideret, si nimis sæpè, præsertim sine graui causa, in aliquorum vitam particulatim inquirerent: nam sic significarent se de his habere malam opinionem. Item si nimis facilè quibusdam leuibus indicijs, aut alium leuiter deferentibus crederent; atque ita ad correptionem procederent: & præsertim si accusato suam innocentiam probanti, aut nullo modo, aut difficulter crederent. Item si nulla præcedente infamia, alióve probabili indicio inquirerent an talis aut talis in particulari hoc aut illud peccatum commisisset. Talis enim inquisitio est signum inquirentem suspicari alte-

alterum id commisisse, (quod sine iusta causa iniustè & cum alterius iniuria faceret.) item dat interrogatis minùs prudentibus causam aperiẽdi aliqua secreta alterius peccata, quæ aperire non poterat; quod inquisitor, quantum cõmodè potest, debet cauere. Plura hac de re vide apud Lessium de Iustitia cap.19. dub.12.13. &c. vbi fusè explicat modum, quem Superiores in subditorum vitam inquirentes debeant seruare, cuius explicatio propriè ad hunc locum non spectat. *Lessius.*

DVBIVM VI.

Quando obliget præceptum correptionis fraternæ?

85 CVm hoc præceptum sit affirmatiuum, satis constat id non obligare pro quouis tempore (clarum enim est nos non teneri continuò proximum corripere) sed solùm positis certis quibusdam conditionibus: quare hîc quæritur quænam conditiones requirantur, vt hoc præceptum obliget.

Quidam has cõditiones valdè multiplicant, & ponunt primò quasdam in quibus non obligat, deinde alias in quibus obligat. Sed priores frustra ponuntur; nam quando constat de secundis, siue quando satis cõstat quænam conditiones requiruntur, vt obliget, facile erit videre quando non obliget, scilicet quoties vna ex his deerit. Alij quasdam inter has cõditiones enumerant, quæ verè non sunt tales, sed solùm spectant ad modum, quo in hac correptione procedendum est.

Alij easdem valdè contrahunt, & ad paucas redigunt: sed sub vna plures cõprehendunt, quę tamen sub illa nõ omnino cõtinentur, vt ex dicendis patebit; & alias sub alio titulo explicant. Quare omissis eorum sententiis, quas licebit videre apud Lorcam hîc disp.44. & Valentiã disp. 3.qu.10. puncto 2. eas conditiones hîc ponam, quas puto, maximè ad rem pertinere: & quæ circa eas controuersa sunt, in earum explicatione discutiam. *Lorca. Valentia.*

86 Respondeo igitur, vt hoc præceptũ obliget, requiri ac sufficere quinque conditiones infrà ponendas. Priùs tamẽ Notandũ est, nos hîc præcipuè agere de casu, in quo proximus est corripiendus ob peccatũ mortale. nam quãdo solùm peccauit venialiter, nõ ita constat an obligemur eũ corripere. Et posito, prout suprà docui, quòd quandoque ad hoc teneamur, facilè ex dicendis colligetur quando ad hoc teneamur.

87 Prima cõditio est, vt mosaliter aliquo modo constet proximum tale peccatum, quod statuimus corripere, cõmisisse. Ita Soto lib.de tegendo secreto membr.2.q.2.concl.4. Gerson tract. 24.de Vita spirituali. Astensis in Summa lib.2.t. 6.c.4. Nauar.c.24.n.12. & Lorca suprà n.4. *Soto. Gerson. Astens. Nauarr. Lorca.*

Quidam tamẽ putant sufficere quòd dubitemus an alter tale peccatum commiserit. Primò, quia tenemur dare eleëmosynam corporalem ei, de quo dubitamus an ea indigeat: ergo tenemur etiam corripere eum de quo dubitamus an peccarit. Secundò, quia caritas exigit vt non relinquamus proximum in periculo ruinæ, quãdo dubitamus an peccauerit. Ita cum quibusdam alijs Adrianus in 4.tract.de corrept.fraterna, §. *Sed hæc opinio.* *Adrian.*

88 Sed hæc argumenta vt summum probant, caritatem postulare, vt, quando dubitamus, aut saltem probabiliter suspicamur proximum esse in aliquo graui malo aut periculo, conemur eum eruere, quando id facilè & sine vllo incõmodo alicuius momenti fieri potest. Secùs est quando id fieri nequit sine graui incommodo, & præsertim si sit maius periculum ne ei noceam, quàm spes vt prosim; tunc enim, vt patebit ex dicendis, teneor correptione abstinere. Illud autem in præsenti casu accidit, quoties est dubium, aut etiam vtrimque æquè probabile, an proximus illud peccatum commiserit, quod in eo videtur reprehendendum. *Periculosè corripit peccatum de quo dubitat an fictum sit.*

89 Patet autem hoc Primò, quia correptio est per se odiosa, & communiter dura ei qui corripitur, & plurimis valdè difficile est eam, præsertim ab æquali, æquo animo ferre; vnde nisi valdè prudenter fiat, facilè correpti animum exasperat, maximè si hic de facto sit innocens, aut credat alteri non constare de suo peccato; tunc enim facilè eum habet pro calumniatore, aut saltem nimis suspicioso.

Hinc illud prob. Secundò, quia si corripiamus proximum quando est dubium an peccauerit, exponimus nos periculo, ne aut simus calumniatores, aut nimis suspicaces, aut saltem ne tales ab alijs arguamur. Item exponimus alterum periculo, ne vehementiùs in nos cõmotus grauius peccatum committat, quàm sit illud quod volumus corrigere. Hinc etiam Eccli.11. Scriptura optimè nos monet; *Priusquam interroges* (id est antequam rem certò exploraueris) *ne vituperes quemquam: & cùm interrogaueris, corripe iuste.* Et ob hanc etiam causam Prouerb.24.monemur non quærere iniquitatem in domo iusti, vt scilicet discamus nos multò minùs eam tamquam inuentam debere arguere, antequam cõstet eam ibi esse. si enim sit valdè odiosum, ideóque cõmuniter illicitum, aliquem priuatim inquirere an alius peccauerit, multò magis odiosum est ipsum arguere fratrem tamquam peccatorem, antequam hoc ei constet. *Eccli.11. Prou.24.*

90 Secunda cõditio est, quòd sit probabilis spes fructus siue emendationis ipsius fratris. Hanc cõmuniter omnes requirunt. Et ratio est clara, quia alias esset omnino inutilis correptio, & corripiens esset similis medico qui daret ægro inuito amaram medicinam, quam sciret nullo modo ei profuturam: quare corripiens hoc solũ videretur agere, vt alterum in se cõcitet, & gratis inuidiam subeat, & iniurias audiat. Hinc Prouerb.9. Scriptura nos monet: *Noli arguere derisorem, ne oderit te; argue sapientem, & diliget te.* Et Matth.7. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conuersi disrumpant vos.* *Prou.9. Matth.7.*

91 Hinc patet multò minùs corripiendum esse proximum peccantem, quando per correptionẽ creditur excitandus vt grauiùs peccet, v.g. blasphemando, aut nos graui odio prosequendo, &c. tunc enim correptio esset grauiter noxia, ideo-

ideoque eã scienter adhibens grauiter peccaret, sicut is qui daret ægro medicinam, quam ob certam huius dispositionem, sciret ipsi mortem allaturam. Hinc etiam D. Augustin. lib. 2. de Ciuit. c. 9. monet nos, vt eo casu abstineamus à correptione. defectu autem huius conditionis multi sæpè, & præsertim ij qui apud peccantes non sunt magna auctoritate, excusantur à peccato, dum hos non corripiunt; quia persuadent sibi se frustra id facturos. Et similiter ferè communiter excusamur à corripiendis ijs, qui publicè & ex consuetudine peccant: quia rarò est spes hos emendandi.

Augustin.

92 An tenear corripere quando est dubia spes fructus. *Valentia. Bañez. Lorca.*

Circa hanc conditionem dubitatur Primò, vtrùm corripiendus sit peccans, quando dubium est an ipse hac ratione sit emendandus, ita vt vtraque pars sit ferè æquè probabilis.

Sed cum Valentia 2.2. disp. 3. q. 10. puncto 2. Bañez q. 33. ar. 2. dub. 4. concl. 2. Lorca disp. 44. n. 9. & cõmuniore sententia est hîc distinguendum. Nam quãdo ex mea correptione omnino credo nullum damnum proximo causandum, aliudúe notabile incommodum secuturum, teneor eum corripere, quoties est probabile eum per hoc emendandum. Primò, quia quãdo medicus corporalis putat medicinam profuturam, etsi hoc sit dubium, tenetur eam ægro dare, modò sciat non posse obesse: ergo idem dicendũ in medicina spirituali. Secundò, quia aliàs vix vnquam teneremur corripere peccantes, quia vix vnquam potest nobis aliquo modo certò cõstare illos nostra correptione emendandos.

93 Contrà verò si ferè æquè probabile sit meam correptionem obfuturam, ac profuturam; meliùs eam omitto: quia medicus imprudenter dat ægro amaram medicinam, quando æquale est dubium an oberit aut proderit. & tunc ferè maius est periculum in huiusmodi correptione adhibenda, quàm in omittẽda: quia si omittas, peccans solùm in suo peccato continuando aut repetendo perseuerabit; si verò adhibeas, fortè multò grauiora prioribus adiunget.

94 In emendando mox morituro extrema tentãda.

Excipe casum, quo peccans cessante correptione omnino crederetur in peccato suo moriturus, vt si mors ei instaret: tunc enim quia extremum imminet periculum, non solùm æterni supplicij, sed etiam infinitorum & grauissimorum peccatorum, quæ talis damnatus tota æternitate committet, extrema etiam tentanda sunt: sicut etiam ægro prudenter datur periculosa medicina cum aliqua spe salutis, quando aliàs eius desperata est salus. Ita Adrian. in 4. tract. de correptione fraterna, §. *Quoad 2. partem.* & Bañez suprà concl. 3.

Adrian. *Bañez.*

95 Quid agendum quãdo correptio initio oberit, & postea proderit.

Dubitatur Secundò, quando correptio putatur initio quidem obfutura, quia peccans ex ea accipiet occasionem indignationis, & iniurias in corripientem ingerendi, aliaúe peccata committendi: putatur tamen postea sedata iam ira profutura, vtrùm tunc sit adhibenda.

Adrian. Valentia.

Adrianus suprà videtur absolutè docere, talem esse corripiendum, quem sequitur Valentia hîc qu. 10. puncto 2. §. *Quarta circumstantia.* vers. *Est autem hæc.* Quibus videtur fauere D. Thom. in 4. dist. 19. q. 2. a. 2. quæstiunc. 1. ad 5. Et videtur probari, quia minus malum est fratrem iam aliqua peccata committere, & postea omnino emendari, quàm ipsum pergere in suis peccatis hærere.

D. Thom.

Lorca verò hîc disp. 44. nu. 11. docet, Primò, 96 considerandum esse an sit certa omnino spes futuræ emendationis; deinde quanto correptus fiet in præsenti deterior, vt si putetur blasphematurus Deum, aut aliquem occisurus, aut simile graue peccatum commissurus: & tunc credit abstinendum correptione. Secùs si solùm leue aliquod peccatum putetur commissurus. *Lorca.*

Idem docet Bañez 2.2. quæst. 33. ar. 6. concl. 5. (quem Lorca malè citat pro sententia Adriani) imò putat priorem partem illius assertionis esse veram, etiamsi peccans crederetur per eiusmodi correptionem certò emendandus & saluandus, & sine ea certò damnandus. Quod probat, quia mihi hîc & nunc incumbit Dei honorem, & proximi vitam defendere, & impedire blasphemiam ac homicidium, prout potero, & diu postfutura relinquere diuinæ prouidentiæ. 97 *Bañez. Lorca.*

Sed etsi hæc vltima possint probabiliter dici, quando correptus ratione meæ correptionis omnino creditur aliquem occisurus (quia sicut non teneor eum corripere cum periculo vitæ meæ, vt infrà in 5. conditione ostendam, ita nec teneor eum corripere cum periculo vitæ proximi;) tamen quando solùm creditur blasphematurus, aut simile peccatum commissurus, quo non sit ita grauiter nociturus innocenti, aut bono communi; credo omnino dicendum, talem corripiendum esse, si planè credatur posita correptione tandem aliquando emendandus & saluandus, & aliàs damnandus. Et in hoc casu puto intelligendos D. Thomam, Adrianum & Valentiam suprà citatos. 98 Non teneor alium corrimpere cum periculo vitæ proximi. *D. Thom. Adrian. Valentia.*

Probatur clarè; quia ex duobus malis semper eligẽdum est minus, quando vtrumque nequit vitari, præsertim si vtrumque immineat iisdem personis: atqui tam respectu Dei, quàm respectu ipsius corripiendi, minus est malum hũc aliquot eiusmodi peccata, licet grauia & Dei honori directè repugnantia, committere, quàm ipsum in æternum damnari: ergo illud præ hoc est eligendum. Minor respectu corripiendi est clara, quia apertissimum est tali homini esse melius post eiusmodi peccata commissa emendatum saluari, quàm sine ijs in prioribus suis peccatis hærentem perpetuò damnari, & in inferno infinita odia Dei, blasphemias, aliaque peccata, illis quæ hîc creditur commissurus, grauiora, magisque diuino honori repugnantia committere. Ex quo patet dictam minorem etiam esse veram, respiciendo illud vtrumque malum præcisè vt repugnat honori ac veneration Deo debitis; quibus minùs repugnat hominem dicere aliquot blasphemias, aut odia Dei elicere, & de his postea dolere, atque ita saluatum in æternum Deum laudare; quàm sine vlla pœnitentia in prioribus peccatis morientem, æternùm Deum odisse ac blasphemare. 99

Ad argumentũ Bañez. Respõdeo me nõ magis obligari impedire peccata repugnantia Dei honori mox futura, quàm futura post multos annos, 100

annos, si æqualiter constet ea futura nisi impediam, & æqualiter sit in mea potestate vtraque impedire. Quod tamen credo humanitus & moraliter loquendo contingere non posse.

101 Diuersitas inter peccata nociua proximo, & aduersantia soli honori Dei.

Vbi Nota, quod ad rem præsentem attinet, longè esse aliam rationem peccatorum, quibus aut bono communi aut proximo grauiter nocetur, cum occidendo aut mutilando, &c. aliam verò peccatorum quibus diuinus honor etiam directè læditur, sine læsione proximi: nam per hæc non infertur Deo verè à parte rei damnum; & iniuria, quæ ei fit, per pœnitentiam quatenus hæc nititur meritis Christi, & ab ijs vim accipit, aliqualiter reparatur. Et in casu præsentis difficultatis eius permissio abunde compensatur euitatione infinitorum peccatorum, quæ talis aliàs in inferno committeret. Secùs est de damno proximo illato, quod à parte rei verè ipsi grauissimè nocet, & est irreparabile. quare caritas ipsius postulat vt potiùs permittam alterum in suis peccatis hærere, ex quibus si veller posset surgere, quàm huic sciens dem occasionem illum certò occidendi.

102 Nec refert quòd Dei honor alterius perseueratione in peccatis, & blasphemijs quas in inferno committet, grauiter sit lædendus; quia cùm Deus hinc nullum à parte rei damnum patiatur, illa que facilè si vellet impediret, nō vult me obligare vt cum tanto proximi damno ea impediam. Secùs fortè esset quādo proximo solùm immineret periculum fortunarum, præsertim si non esset tale, quo aliquis nobilis aut persona honesto inter suos loco esset ad summam paupertatem redigenda: qualia pericula respectu patientis ferè æquantur periculo vitæ: vt ostendi disp. 27. n. 135.

103 Quod autem dixi de casu quo alter ex mea correptione esset accepturus occasionem grauiter nocendi proximo in vita aut corpore, idem credo dicendum quando ipse crederetur ea occasione alium & præsertim plures omnino inducturus in hæresin aut in alia grauia peccata, cum præsenti periculo damnationis ipsorum. Nec enim vt alterum sponte ad damnationem pergentem eripiam, debeo aliquid facere, quod scio alijs futurum occasionem perditionis, quantumuis hoc contra meam intentionem futurum sit.

104 Hactenus hæc speculatiuè & fingendo casus metaphysicos, aut fortè impossibiles, disputaui, vt clariùs ex ijs colligi posset quid ordo caritatis postulet.

Bañez. Quòd si agamus de praxi, puto verissimum esse, quod docet Bañez suprà concl. 1. scilicet quoties valdè probabiliter creditur proximus ex mea correptione hîc & nunc non emendandus, sed sumpturus occasionem peccandi (excipio casum allatum n. 94. de quo hîc non agitur) me communiter, &, vt puto, moraliter loquendo, semper, teneri abstinere à correptione. Quia humano modo loquendo, & abstrahendo à diuina reuelatione, nequit contingere, vt sciam peccantem mea correptione pro præsenti tempore futurum peiorem, siue excitandum ad grauiùs peccandum, & tamen postea per eam emendandum: quia etsi prius sæpè ex eius naturali conditione, & præsenti constitutione moraliter certò possim conijcere; nullo tamen argumento possum conijcere secundū, saltē in eo casu, quo mea correptio hîc & nunc adhibita ei ad emendationem est necessaria.

Quod addo, quia sunt aliqui eius naturæ, vt quidem subitò ex aliqua re commoueantur ad indignationem, & postea ad se reuersi statim de suis factis doleant. Quos probabiliter possum conijcere initio mea monitione turbandos, & postea sedata passione compungendos; sed his longè vtilius est si correptio differatur, donec sedata passione putentur illius futuri capaces: atque ita pro tempore quo peccant correptio iis non est necessaria, sed noxia. Nec refert quòd credas te postea non habiturum occasionem eos admonendi: quia si sint talis naturæ, vt post peccatum facilè ad sui considerationem reuertantur, omnino credibile est eos alia occasione facilè ex peccato resurrecturos. Nec vllo argumento possum probabiliter colligere eos sine mea correptione grauiùs in posterum peccaturos, quàm peccabunt si cum dictis circumstantiis eos corripiam. Multò minùs possum vllo modo probabiliter coniicere, eos sine mea correptione esse damnandos, & ea adhibita saluandos, prout in dictis casibus supponitur. 105

Quæ hactenus de spe emendationis ipsius corripiendi, vt tenear eum corripere prærequisita dixi, intelligenda sunt de correptione merè fraterna qua frater fratrem ob eius præcisè bonum tenetur corripere: nam in alijs correptionibus hæc sæpè patiuntur exceptionem. Primò, in correptione iudiciaria, quæ assumitur vt peccata delinquentis puniantur, non tam ob huius bonum, quàm ob bonum publicum, cui expedit peccata puniri, vt alij ab ijs deterreantur: adeoque hæc correptio à Superioribus, ad quos solos pertinet, sæpè necessariò assumitur, quantumuis sciant corripiendum per eam nullo modo emendandum, sed grauiùs peccaturum: quia ipsi magis debent curare bonum commune, quàm vnius particularis, præsertim cùm hic sua malitia sit causa cur illa correptio ipsi non prosit. 106 Correctio iudiciaria habenda est, licet desit spes emendandi correpti.

Huc etiam referri potest illa correptio, qua quando que tenentur vti etiam non Superiores, quantumuis non sperent emendationem corripiendi, sed credant hunc ob eam grauiùs peccaturum: quando nimirum illa est necessaria vt Dei iniuria, pusillorum scandalum, aliorum peruersio, aut graue innocentis damnum impediatur. Vnde hæc correptio propriè assumitur, non ad emendationem aut punitionem delinquentis, (prout assumuntur fraterna & iudicialis) sed ad defensionem innocentis, & ad dicta mala impedienda. 107 Vt ab alijs auertam damnum, teneor peccantem corripere, etsi credā peiorem futurum.

Hinc quando audio aliquem coram alijs laudantem hæresim, aut eleuantem rationes quibus nostra fides probatur, aut dicentem, aut exercentem turpia cum periculo ne illi peruertantur; teneor eum reprehendere, quantumuis credam eum ideo secundùm se peiorem futurum: modò sit spes impediendi aliorum peruersionem. 108

Item

Item si audiam aliquem coram alijs viro honesto grauiter detrahentem, teneor eum corripere, modò sperem hac ratione impedire ne alij ipsi credant; quantumuis credam ipsum ideo grauiùs peccaturum.

Item si audiam aliquem coram alijs blasphemãtem, si sine notabili incommodo possim, teneor eum corripere, etsi desperem eius emendationem; quia hac ratione quodammodo Deo suum honorem restituo. Ad hoc tamen non videor teneri, quando alter ideo esset grauiùs blasphematurus; quia tunc mea correptio non cederet in Dei maiorem honorem, nisi fortè esset necessaria ad impediendum aliorum scandalum.

109 Correptio defensiua. Ex his patet, hanc correptionem esse propriè defensiuam innocentis iniuriam patientis, aut graue periculum incurrentis, & similem ei actioni, qua defendo vitam innocentis ab iniusto inuasore: quod vtendo moderamine inculpatæ tutelæ licitè facio cum inuasoris interitu; vt cum communiore sententia docet Lessius de Iustitia c.9.dub.13. *Lessius.*

110 Correptio paterna quãdoque adhibenda sine spe emendationis. Secundò, dicta patiuntur exceptionem in correptione paterna, quæ etsi præcipuè assumatur vt correptus corrigatur; tamen Superior tenetur ea quandoque vti, etsi desperet peccantis emendationem; vt colligitur apertè ex Ezech.33. vbi cùm Dominus constituisset Ezechielem speculatorem (quales sunt Superiores respectu inferiorum) ait illi: *Si me dicente ad impium, Impie morte morieris; non fueris locutus vt se custodiat impius à via sua: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Vbi Deus apertè docet, se repetiturum mortem subditi pereuntis de manu Superioris, si hic videns eum peccantem non corripuerit: idque etiam eo casu quo hic eius correptione non fuerat emendandus; vt colligitur ex sequentibus: nam subditur speculatorem fore innoxium si corripuerit peccantem, & hic se non emendauerit. vnde patet priora intelligenda esse etiam in casu, quo scitur correptum non emendandum. præsertim cùm Ezechiel ibi iubeatur corripere Iudæos, quos satis sciebat non conuertendos. *Ezech.33.*

111 Quòd autem Superior ad illud eo casu teneatur etiam præcisè ex obligatione erga corripiendum, patet, quia ibi dicitur aliàs sanguinem non correpti pereuntis, & non solùm aliorum quos ipse scandalizauerit, de manu Superioris requirendum. Et ita hunc locum apertè intellexit D. Hieronymus in commentarijs in Ezechielem. vbi eum explicans ait: *Non respondeamus, Quid prodest docere, si nolit auditor facere quod docueris: vnusquisque enim ex suo animo & officio iudicabitur; tu, si locutus non fueris, ille, si audire contempserit.* *Hieron.*

112 Horum ratio est Primò, quam insinuat Scriptura & S. Hieronymus; scilicet quia hoc spectat ad officium Superioris, qui ideo à Deo speculator constitutus est vt peccantes corripiat, cui satisfacere tenetur. Secundò, quia aliàs Superior non corripiens subditum coram se peccãrem censebitur in huius peccatum consentire, aut saltem timere peccantem, ideoque à reprehensione cessare: atque ita subditus in malitia confirmabitur, & Superiorem cõtemnet; quem putabit aut approbare suum peccatum, aut saltem timidum esse, & audacibus non audere resistere: atque ita sublato timoris fræno liberrimè peccabit. Quòd si subditus putaretur non solùm non emendandus correptione, sed eius occasione grauiùs peccaturus, prudenter dispiciendum est, vtrùm maiora mala timeantur ex correptione, quàm ex eius omissione: & tunc faciendum est id quod prudens caritas suadet. Iuuerit etiam quandoque subditum ex graui passione peccantem non statim corripere, sed exspectare donec illa transierit. *Hieron.*

Quid agendum Superiori, quando subditus creditur occasione correptionis grauiùs peccaturus.

113 Quando autem ex omissione correptionis timeretur aliorum scandalum (quod facilè cõtingeret quando peccatum est publicum, & correptio non solùm differretur in commodius tempus, sed omnino omitteretur) tunc ceteris paribus illius vitandi maior habenda est ratio, quàm ipsius corripiendi; præstat enim hunc solùm peccare, quàm multos cum eo. Hinc etiam concionatores tenentur publica peccata, aut quæ sciuntur in ijs locis crebrò fieri, publicè reprehendere, etsi ea committentes credantur non emendandi: nisi fortè grauiora mala timeantur; vt ferè accidit quando Superiorum peccata publicè reprehenduntur. vide dicta num.55.

114 Tertiò, casus allati n.96. & 97. quos n.104. dixi respectu correptionis fraternæ non habere locum in praxi; faciliùs in hac paterna correptione, saltem aliqua ex parte, possent habere locum; præsertim quando Superior peccantem non solùm verbis corriperet, sed non obedientem etiam carcere alijsue pœnis coërceret, aut priuaret officio, quod ei erat occasio peccandi. Quod sæpè etiam spectando præcisè emendationem subditi prudenter facit, etiam eo casu, quo scit subditum per hoc initio grauiter exasperandum, & aliqua etiam grauia peccata commissurum; quia probabiliter poterit conijcere ipsum tandem pœnis frangendum, & ad cor rediturum, iuxta illud vulgare, *Vexatio dat intellectum.* & illud psalm.82. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Peccanti autem multò melius est initio paululùm turbari, atque ita aliqua peccata committere, & postea perfectè emendari, quàm perpetuò in ijsdem peccatis hærere. Alia est ratio non Superiorum, qui dictam potestatem non habent. *Psalm.82.*

115 Tertiò, vt teneat frattem peccantem corripere, requiritur, vt hoc sit hîc & nunc necessarium ad eius emendationẽ. Vt contingit quando nisi eum corripiam creditur numquam emendandus, aut nimis diu in peccato hæsurus, aut sæpè idem repetiturus, aut alia eius occasione facturus. Si enim sit omnino probabile ipsum aut per se, aut per aliorum correptionem emendandum, sine periculo vlteriùs ob meam omissionem peccandi, non est in necessitate respectu mei: atque ita non obligor, saltem grauiter, ei dare eleëmosynam spiritualem. Sicut proximo patienti necessitatem corporalem non teneor dare eleëmosynam, quando ipse per se potest sibi necessaria acquirere, aut alij credun-

Non teneòr corrigere peccantem alia ratione emendandũ.

tur sufficienter ea subministraturi. Non sufficit tamen quòd adsint alij, qui possint, aut etiam magis quàm ego teneantur talem ex corporali aut spirituali necessitate eripere, nisi omnino probabiliter credam eos hoc facturos: nam aliàs sicut quòd illi hoc possint & teneãtur facere, non iuuat indigẽtem, nisi id de facto faciant; ita non soluit me ab obligatione, nisi ego meritò credam eos hoc facturos.

116 Aũ tenear alium corripere quando abest periculũ relapsus.

Præcipua hîc est difficultas, vtrùm tenear corripere fratrem peccantem, quando credo eum aliàs diu mansurum in peccato commisso, etsi nullum sit notabile periculum, ne ob meam omissionem in alia peccata incidat, aut in iam commisso moriatur. Quam difficultatem alij ita proponunt:

Vtrùm materia correptionis fraternę sit peccatum omnino actu præteritum, quod adhuc manet reatu siue periculo relapsus. Adrian. in 4. tractatu de corrept. fratern. §. *Secunda propositio.* & quidam alij docent, nos in tali casu teneri corripere proximum, quia esse in peccato mortali habituali est grauis miseria, ex qua teneor proximum eripere, cùm facilè possum.

Adrian.

117 Sed omnino dicendum est, me eo casu ob peccatum actu omnino præteritum non obligari saltem grauiter corripere proximum, nisi sit morale periculum ne aliàs non resurgat ex eo, quando ad hoc sub peccato mortali obligabitur, v.g. quando instabit periculum mortis, aut vrgebit præceptum confitendi aut communicandi, &c. Ita Angelus v. *Correctio fraterna.* n. 1. Siluester ibidem q. 1. Lorca hîc disp. 41. nu. 13. Turrian. disp. 86. dub. 2. & passim alij.

Angelus. Siluester. Lorca. Turrian.

Probatur, quia ego non magis obligor vt procurem emendationem proximi, quàm ipse obligatur procurare suam: atqui, vt cum alijs ostendi tom. 2. de Sacram. disp. 3. dub. 3. ipse dicto casu medio illo tempore non tenetur sub mortali resurgere à peccato: ergo nec ego grauiter obligor per correptionem procurare vt resurgat.

118 Confirmatur, quia si sine contemptu sacrorum, aut aliquo alio fine grauiter malo, suaderem existenti in peccato mortali ne confiteretur, antequam ad hoc præcepto naturæ, aut positiuo Dei vel Ecclesiæ teneretur, non peccarem mortaliter, etsi omnino crederem eum ante confessionem non iustificandum: ergo non pecco mortaliter si ex negligentia omitto eum monere vt priùs confiteatur: quia minùs peccat non suadens emendationem, quàm eam dissuadens.

Antecedens probatur, quia per se loquẽdo, & abstrahendo à malo fine, ac similibus circumstantijs, non est peccatum mortale suadere alicui id quod potest sine peccato mortali facere: atqui talis sine peccato mortali potest tam diu abstinere à confessione: ergo sine mortali potero hoc ei suadere.

119 Dices Primò, Per eleëmosynam corporalem sæpè teneor eripere proximum ex aliqua miseria corporali, ex qua non tenetur seipsum eripere: ergo similiter potero tenere eum eripere ex dicta miseria spirituali, etsi non teneatur seipsum ex ea eripere. Respondeo, negãdo consequentiam: quia dicta miseria spiritualis est patienti voluntaria, nam potest se ex ea eripere, si velit: corporalis verò est ei inuoluntaria, nec potest se ea liberare, ideoque caritas exigit vt eum iuuem. Quòd si posset se ex hac quando vellet facilè & sine maioris boni damno sine mea opera liberare, non tenerer eum iuuare. Quare quantum hoc exemplum facit ad rem, nostram potiùs sententiam probat quàm contrariam, scilicet me non teneri proximum liberare ex aliqua miseria spirituali, nisi ipse aut nequeat seipsum ea liberare, aut secluſa omni ignorantia obligetur se ab ea liberare: quia nulla alia potest adferri ratio, cur ad hoc obliger. In præsenti autem casu sine mea monitione potest se facilè à peccato liberare, si velit; nec tamen ad hoc intra dictum tempus grauiter obligatur.

Dices Secundò, esse diuersam rationem proximi existentis in peccato & mei; nàm ipse semper quando volet, poterit habere occasionem resurgendi à peccato per pœnitentiam; potest autem facilè contingere, vt, nisi eum iam moneam vt resurgat, postea non sim habiturus occasionem eum monendi: ergo obligor eum statim monere, ne fortè postea eam occasionem non habeam. Respondeo negando consequentiam. Quia, vt teneat existentem in peccato iam monere vt resurgat, non sufficit quòd credam me aliàs non habiturum commoditatem eum monendi: sed requiritur vt etiam credam eum sine mea monitione non acturum pœnitentiam, quando ad hoc tenebitur; aliàs si credatur tunc acturus pœnitentiam, non est in necessitate respectu meæ monitionis. Quòd si tamen eo casu omnino crederem eum aliàs non acturum pœnitentiam, dum ad hoc tenebitur, aut in peccato moriturum, tenerer eum statim monere vt legitimè pœniteat. Sed hoc vix potest contingere nisi instante periculo vitæ, aut illo suscipiente periculosam peregrinationem, aut cùm videam illum sine confessione circa tempus paschæ parare iter ad locum vbi non poterit confiteri: aut in similibus casibus; in quibus fateor me teneri eum statim monere. sed tunc eriam semper est periculum, ne non monitus in peccatum mortale aut damnationem incidat. 120

Ex quibus patet, peccatum præteritum proximi esse propriè materiam correptionis, iuxta dicta nu. 36. tamen, præsertim extra periculum mortis, solum peccatum impendens esse causam cur teneat fratrem ob peccatum actu omnino præteritum corripere. 121 Solum periculum imminẽtis peccati aut damnationis obligat vt corripiam peccantem.

Quartò, requiritur temporis ac loci opportunitas: quæ diligenter captanda est, vt cum fructu peccantem corripiamus. Nam correptio, quæ vno loco aut tempore adhibita esset venenum, aliàs esset optima medicina. Vnde Sapiens Prouerb. 25. ait: *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.* Hinc sæpè contingit quòd proximus non sit corripiendus statim ac peccauit, aut quamdiu passio adhuc durat, aut alijs præsentibus: sed postea secretò quando ad hoc erit melius dispositus; aliàs verò statim ac coram alijs erit corripiendus, vt cõfundatur, & ita ipsum sui peccati pudeat, illudque 122 Opportunitas corripiendi captanda eſt. *Prou. 25.*

que postea fugiat: præsertim quando corripiēs est eius Superior, aut quando aliàs esset futurum scandalum. Qua in re natura corripiendi aliæq; circumstantiæ spectandæ sunt.

123 Dices, Hæc cōditio continetur sub secunda, nam tunc semper est opportunitas corripiendi peccantem, quando inde speratur fructus; & hæc deest quando non speratur fructus: ergo hæc conditio non debet distingui à secunda, nec seperatim explicari.

Respondeo, nego antecedens; nam sæpè potest contingere vt sperem fructum, si iam corripiam; maiorem tamen & certiùs eum sperem, si paulò pòst id faciam: quo casu prius tempus non erit opportunum correptioni, quantumuis ex ea speretur fructus; ideoque secundum erit expectandum. Adde, etsi hæc conditio includeretur in priore, posse tamen atque adeò debere maioris claritatis gratia seperatim explicari.

124 Quintò, extra extremam fratris necessitatem vt obliger eum peccantem corripere, requiritur vt id possim facere sine graui periculo vitæ, famæ aut etiam fortunarum. Ita Nauarr. cap. 24. n. 12. Valentia 2.2. disp. 3. q. 10. puncto 2. §. *Tertia sententia est media.* Lorca sect. 3. disp. 45. num. 7. & alij plures, quos illi citant. & est apertè ipsius S. Augustini lib. 1 de Ciuit. cap. 9. vbi docet, eos, qui ob similem metum desinunt corripere peccantes, etiam eo casu quo sperant aliquos sua correptione emendandos, non peccare damnabiliter: quamuis insinuet eos quandoque peccare venialiter. quod facilè potest intelligi de casu, quo ipsi illa mala minùs prudenter timent, aut quando mala quæ timētur non sunt ita grauia: nam de eiusmodi etiam timore ibi apertè loquitur. Probatur, quia extra casum extremæ necessitatis non teneor cum tanto meo damno proximi salutem procurare: vt fusè ostendi disp. 25. num. 96. Secùs est in casu extremæ necessitatis salutis spiritualis ipsius, vt ostendi ibidem nu. 86. vbi in sequentibus etiam explicui quando proximus dicatur esse in extrema necessitate spirituali.

Nō tenemur communiter corripere fratrem cum graui nostro incommodo. *Nauar. Valentia. Lorca. Augusti.*

125 Dixi, me aliàs non teneri corripere fratrem, quia hac in re non est eadem ratio Superiorum respectu subditorum, quibus graui necessitate laborantibus tenentur etiam cum graui suo periculo succurrere: vt ostendi disp. 25. num. 101. Quod etiam indicat S. Augustinus suprà vbi ait: *Qua in re* (scilicet in correptione proximi peccantis) *non vtique parem, sed longè grauiorem habent causam* (id est obligationem) *quibus per Prophetam dicitur, Ille quidem in peccato suo morietur; sanguinem autem eius de manu speculatoris requirā. Ad hoc enim speculatores, id est populorum præpositi, constituti sunt in Ecclesiis, vt non parcant obiurgando peccata.* Agit autem ibi de grauitate peccati, quod committunt ij qui ob timorem alicuius grauioris mali sibi inde imminentis desinunt corripere peccantes.

Augusti.

Superior sæpè etiam cū graui suo incommodo tenetur subditos corripere.

Ex quibus patet, Prælatos, quando speratur fructus, etiam cum notabili suo periculo, teneri corripere subditorum vitia, ob quæ hi sunt in graui necessitate, vt si aliàs credantur omnino damnandi, præsertim si non peccent ex mera malitia: & maximè quando communitas putaretur illis inficienda esse.

Imò in eiusmodi casibus etiam priuatus tenetur alios corripere cum periculo notabilis alicuius incommodi, non tamen ita graui, nisi fortè aliàs communitas crederetur magna ex parte corrumpenda aliqua hæresi, aut etiam a lijs grauibus vitijs, ob quæ multi putarentur damnandi; quæ etiam priuati sæpè cum periculo vitæ tenentur impedire. vide dicta disp. 25 n. 97. & 98. 126

Tenemur grauia mala communitatis etiam cū periculo vitæ auertere.

In communibus verò necessitatibus priuatus tenetur corripere peccantem etiam cum aliquo suo incommodo, v.g. etsi credat se ideò deridendum, aut aliquas iniurias auditurum, aut aliquod odium non ita sibi nociuum subiturum. Ad id tamen non tenetur cum graui suo incommodo, nisi fortè aliter omnino crederetur alius in peccato suo moriturus, & speraretur per correptionem emendandus. Sed hoc vix habet locum nisi in mox morituris: & sic intelligi S. Thomam 2.2. q. 33. a. 2. qui videtur docere, nos etiam cum graui nostro periculo teneri corripere proximum. In omnibus autem his casibus, quo spes profectus est minor, eo cum minore meo incommodo teneor alios corripere, & faciliùs excusor. *D. Thom.*

Ex quibus patet, priuatos non ita sæpè peccare, præsertim mortaliter, omissione correptionis fraternæ, quando ex aliquo timore humano eam omittunt: quia facilè sibi persuadent, & quidem sæpè cum aliqua probabilitate, aut se nihil profecturos, aut alium sine sua opera emendandum. vt insinuat S. Thomas suprà ad 3. Nauar. c. 24. n. 12. & S. August. sup. vbi docet, priuatos omittentes corripere peccātes, eò quòd timeant eos offendere, temporaliter ideo, non autem æternùm puniri. Loquitur autem, vt ex contextu patet, de casu in quo alij sunt in communi, non autem in valdè graui necessitate correptionis. 127

Priuati non ita sæpè peccant mortaliter omittendo correptionem.

D. Thomas. Nauarr. Augusti.

DVBIVM VII.

Quam diligentiam teneamur adhibere vt reddamus nos aptos vt alios corrigamus?

DVplex hîc potest esse difficultas. Prima, circa iustos, vtrùm teneantur aliquando mutare statum, aut studere, vt possint esse apti vt alios corrigant. Secundò, circa peccatores, vtrùm singulari præcepto caritatis obligentur vitam emendare, vt proximum possint efficaciter corrigere.

CONCLVSIO I. Prælati similesque quibus ex officio incumbit procurare aliorum salutem, si rudes aut indocti sint, tenentur aut officium dimittere, si hoc in eorum sit potestate; aut quantam possunt diligentiam adhibere vt sint apti, qui pro officij exigentia concionando aliaue ratione commissum sibi populum ad iustitiam erudiant, & à peccatis auocent. Ita expressè Trident. sess. 5. c. 2. & sess. 24. c. 4. de reform. Et per se patet, quia quisque tenetur se reddere aptum ad præstanda ea ad quæ ex officio obligatur: cùm illi igitur ex officio obligentur procurare 128

Trident.

rare emendationem eorum qui ipsis commissi sunt; ipsi tenentur se ad hoc reddere aptos. vide dicta disp.14. dub.10.

129 Prælati singulariter obligantur sua vitia emendare vt alios efficaciter corripiant.

Hinc sequitur, tales si ob malam suam vitam sint inidonei qui alios corrigant, singulariter obligari aut officium dimittere, aut vitam corrigere, saltem quantum necesse est, vt ad illud fiant idonei: quia apertè est iniquum te velle administrare officium, ad quod ineptus es. tales autem sua vitia sæpè magis ineptos reddunt ad fungendum suo officio, quàm ignorantia aut similis defectus. His adde, tales aliàs grauiter subditos scandalizare, si vitiosi permaneant.

130 Conclvsio II. Priuati, quibus non est aliorum cura specialim commissa, hac in re suæ obligationi satisfaciunt, si moralem diligẽtiam adhibeant, vt quos sciunt in peccatis hærere corrigant, quando datur occasio; iuxta dicta dub.6. Nec vt se ad id reddant idoneos, tenentur studere, aut statum suum siue rationem viuendi mutare. Ita Lorca hîc disp.45.n.8. Et probatur, quia aliàs omnes tenerentur studere, aut fieri Ecclesiastici, vt possent faciliùs alios à peccatis retrahere. quod absurdissimum est.

Lorca.

131 Hæc conclusio communiter quidem atque adeò ferè semper habet locum: posset tamen aliquando secùs in quibusdam particularibus casibus ac personis contingere. Vt quando in aliqua prouincia esset extrema Pastorum inopia, & ideo vel omnis vel magna ex parte communitas perseueraret in errore contra fidem, aut in ignorantia rerum necessariarum ad salutem, aut in grauibus vitijs: & esset aliquis laicus qui sentiret se idoneum vt eos doceret ac conuerteret si fieret eorum Pastor, nec esset alius modus ijs succurrendi; hic obligaretur ad suscipiendum statum Ecclesiasticum, si id posset consequi. Sed hæc rarissima sunt. Idemque posset contingere in ijs qui apertè sentiunt se à Deo ad eum statum vocari, in quo poterunt plus proximi saluti prodesse; qui eiusmodi vocationem ob res humanas valdè periculosè negligunt.

Vocatio Dei ob res humanas periculosè relinquitur.

132 Conclvsio III. Priuatus, cui non incumbit specialiter aliorum cura, viuens in peccatis, si alium suo malo exemplo non pertraxit ad peccatum, communiter non obligatur singulari præcepto caritatis erga proximum vitã suam emendare, vt hunc peccantem possit corrigere. Ita Bañez 2.2.q.33.a.6.in dub.concluſ.1. citatus Sotum. Lorca ibidem disp.42. nu.12. Malder.q. 33.a.5.concl.3.

Bañez. Lorca. Malderus.

Probatur, quia quando alterum meo exemplo vel auctoritate non induxi ad peccandum, tunc non mihi, sed ipsius malitiæ imputandum est, si nolit se emendare nisi ego me emendem: nec enim teneor quouis modo alterius emẽdationem procurare; sed sufficit quòd medijs ordinarijs vtar, eum ad emendationem adhortando, quando hoc opportunum est, & adest spes fructus: præsertim cùm ille respectu meæ correptionis in particulari non sit in magna necessitate, cùm alijs modis, si velit, possit facilè iuuari: & cùm multorum aliorum bonorum exemplo, & vitiorum reprehensionibus factis à concionatoribus non iuuetur, vix poterit esse probabilis spes, quòd mea correptione emendaretur, si ego me priùs emendarem. Confirmatur, quia pauper, etsi diligẽtiùs laborando & parciùs viuẽdo, posset facilè acquirere diuitias, ex quibus daret eleëmosynas; tamen ad illud non tenetur in communi aliorum necessitate: quia non tenemur eiusmodi proximi necessitati satisfacere modo nobis ita difficili: ergo nec pauper spiritualiter tenetur laborare vt habeat spirituales diuitias, vt ita communem necessitatem spiritualẽ patientibus det eleëmosynam spiritualem. Probatur consequentia, quia sæpè peccatori difficilius est vitam suam corrigere, quàm esset illi extraordinariè laborare, ac parciùs viuere. Nec refert, quòd peccator teneatur sua vitia corrigere quatenus hæc repugnant legi Dei & naturæ: quia inde non sequitur, eum ad hoc teneri in gratiam proximi corripiendi: & hîc solùm contendo eum sub hac ratione non teneri.

133 Qui alium ad peccandum instruxit, singulariter obligatur eius emendationem curare.

Dixi, *si alium non pertraxit ad peccatum*, &c. Quia is qui alium ex se non peccaturum, & à vitijs alienum suo malo exemplo ad flagitiosam vitam pertraxit, singulariter obligatur ad illius emendationem laborare; atque adeò si eum putet aliter non corrigendum, tenetur etiam eius causa vitam suam corrigere. quia tunc semper præsumendum est, quòd alter pergat eius exemplo ad peccandum moueri, quamdiu ipse vitam suam non corrigit: nam aliàs vix potest fieri, vt hic probabiliter credat eum emendandum, si ipse prior suam vitam emendet, & contrà non emendandum nisi ipse se emendet. Sed hoc vix contingit, nisi in ijs qui magna sunt auctoritate apud alios, ita vt suo exemplo eos facilè in vtramque partem mouere possint: qui ideo etiam eodem præcepto, quo vetamur alios scandalizare eos ad peccatum pertrahendo, obligantur vitam suam saltem exteriùs emendare, ne alijs scandalo sint eos in peccato continendo.

134 Dixi, *communiter non obligatur*, &c. Quia qui omnino crederet proximum in peccato moriturum, nisi ipse suam vitam emendaret, eumq; ita ad meliora hortaretur; teneretur ex caritate vel ideo vitam suam emendare, vt extremum ab eo malum auerteret: sed hoc vix fieri potest, nisi in eo qui est summa apud aliquem auctoritate, & hunc exemplo suo ad peccandum pertrahit; & vix vnquam nisi in peccatis contra fidem. Maximè autem tales tenerentur vitam corrigere, quando hinc penderet multorum emendatio; vt contingit in ijs qui suo exemplo continent alios in peruersa doctrina, aut in Superioribus, præsertim Ecclesiasticis, qui suo exemplo sæpè multos pertrahunt. Sed hi maximè tenentur ad emendationem sui ratione scandali, quod alijs dant.

DVBIVM

DVBIVM VIII.

Vtrùm ordo à Christo Matthæi 18. præscriptus in fraterna correptione sit necessariò seruandus?

135 VErba quibus Christus Matth.18. præscribit ordinem in correptione fraterna seruandum, sunt hæc: *Si autem peccauerit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Vbi præscribitur vt fratrem peccantem in nos primò moneamus secretò: & deinde si hoc non iuuet, siue si ille non emendetur, adhibeamus vnum vel alterum testem, qui eum simul nobiscum moneant: & tertiò, si hoc modo non emendetur, deferamus eum ad Ecclesiam, siue ad Superiorem. Circa cuius loci intelligentiam occurrunt variæ difficultates, quæ partim hoc dubio, partim sequentibus explicandæ sunt.

Matth.18.

136 Dubitatur ergo Primò, vtrùm hic ordo ibi præcipiatur, an verò solùm suadeatur.

Bernardin. de Arcualo. Bernardinus de Arcualo in libello de Fraterna correptione fusè contendit hunc ordinem ibi non præcipi, sed solùm suaderi. Primò, quia ibi solùm agitur de peccato in nos commisso siue nobis iniurioso, pro quo possumus semper iuridicè exigere satisfactionem: ergo non tenemur de eo proximum secretò monere. Secundò, quia non potest sufficienter probari hîc ferri præceptum: ergo id non est asserendum. Tertiò, quia hoc præceptum nec est merè positiuum (quia in lege noua nulla dantur præcepta diuina merè positiua, nisi circa susceptionem & administrationem Sacramentorum:) neque etiam est iuris naturæ; nam ad nullum præceptum decalogi potest reduci; nec fuit in veteri testamento, vbi potiùs contrarium præcipitur. nam

Leuit.5. Leuitici 5. præcipitur, vt qui audierit vocem iurantis falsum, id statim indicet iudicibus. Et

Leuit.19. cap.19. dicitur: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum.* Imò etiam in nouo te-

1.Timoth.5. stamento idem præcipitur: nam 1. ad Timoth.5. dicitur: *Peccantes coram omnibus argue; vt & ceteri timorem habeant.* Quartò, quia viri sancti eum

Genes.37. ordinem non obseruarunt. nam Ioseph Genes. 37. accusauit fratres suos de crimine pessimo nulla præmissa secreta monitione. Et simili mo-

Actor.5. do S. Petrus Actor.5. publicè arguit ac puniuit peccatum Ananiæ & Saphiræ. Addit præterea quædam dicta Patrum & constitutiones Religionum, quæ infrà examinabuntur.

137 Dubitatur Secundò, vtrùm hic ordo sit seruandus in omnibus peccatis corripiendis; an verò solùm in his, quæ contra nos siue cum nostra iniuria committuntur. Videtur enim in his solis necessariò seruandus: nam dicto loco

Matth.18. Matth. de his solis id præcipitur. ibi enim dicitur: *Si peccauerit in te frater tuus*, id est contra te. Nec sufficit dicere, eum omnem qui peccat coram nobis, peccare contra nos, eò quòd quantum est in se suo peccato nos scandalizat. Quia Christus videtur ibi apertè loqui de peccato nobis iniurioso. vt patet ex Lucę 17. vbi hîc dicta ex parte repetuntur, & dicitur: *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum; & si pœnitentiam egerit, dimitte illi: & si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te dicens, Pœnitet me: dimitte illi.* Vbi iubemur fratri pœnitenti dimittere peccatum. quod nequit intelligi nisi de peccato nobis iniurioso, & ratione iniuriæ in nos commissæ; quia quatenus est contra Deum nequit ab homine remitti, nisi hic sit sacerdos, & in Sacramento Pœnitentiæ. Idem confirmatur, quia in Matthæo suprà paulo inferiùs, Chri-

Luca 17.

Matth.18. stus, vt nos excitet vt fratri in nos peccanti remittamus offensam, adfert parabolam serui cõiecti incarcerem, eò quòd noluerit remittere conseruo debitum, ac subdit: *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

138 CONCLVSIO. Cum D. Thoma 2.2.q.33.a.7. & 8. & communi Theologorum sententia, omnino dicendum est Matth.18. præcipi ordinem, quem in correptione debeamus seruare: atque adeò quando adsunt conditiones ad hoc requisitæ, nos sub peccato obligari eum seruare. Probatur Primò, quia est communis ferè omnium Doctorum, paucissimis exceptis, qui nulla probabili ratione contrarium asserũt: quamquam nec illos credo generaliter contrariũ velle asserere, siue nos numquam obligari ad eum ordinem seruandum; sed fortè solùm voluerũt non ita sæpè occurrere omnes circumstantias necessarias vt obligemur eum seruare. Secundò, quia hæc videtur etiam communis sententia Patrum, vt patet ex S. Augustin. serm.16. de verbis Domini, vbi hunc ordinem explicat. Chrysost. homil.62. S. Gregorio lib.4. Regist. epistola 36. vbi ait: *Et nos quidem seruamus, quod Veritas præcipit dicens, Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum.* Idem docent ceteri. Tertiò, quia hoc in Iure canonico sæpè à Pontificibus aut asseritur, aut tamquam certum supponitur. nam Innocentius III. c. *Cum ex iniuncto* 12. de hæreticis, §. *Nec quisquam.* ait: *Cùm aliud sit fratrem in se peccantem occultè corripere, quod quisque tenetur efficere secundùm regulam Euangelicam*, &c. Et c. *Nouit.* 13. de iudicijs. cùm recit. set dictum locum Matthæi, vocat eum regulam Euangelicam. Cùm igitur omnis regula obliget, sequitur eo loco dari præceptum. Item c. *Licet Heli.* 31. de simonia. apertè dicitur secundùm regulam Euangelicam correptionem caritatiuam necessariò præcedere denuntiationem.

D.Thom. *Augustin.* *Chrysost.* *Gregor.* *Innoc.III.* *c.Nouit.* *c.Licet Heli.*

139 Quartò, probatur ratione. Quia non solùm caritas, sed etiam iustitia nos obligat, vt famam proximi quantum commodè possumus seruemus illæsam, ideoque occulta eius peccata alijs non prodamus sine notabili necessitate. Item sicut medicus corporalis grauiter peccat, cùm infirmum sanat amputando ei membrum, aut cum simili aliquo incommodo, aut dando ei medicinam periculosam, quando eum sine eiusmodi incommodis, aut modo magis certo ac securo sanare potest: ita etiam medicus spiritualis,

Et caritas & iustitia nos obligant vt in correptione fraterna quãtum fieri potest consulamus eius famæ.

tualis, quando infirmum sine vlla aut cũ exigua læsione famæ, aut etiam modo magis securo sanare siue à peccatis eripere potest, grauiter contra caritatem peccat, si sine alia necessitate eum tenter sanare cum graui læsione famæ, aperiendo eius occultum peccatum pluribus quàm necesse sit ipsum id aperire: & multò magis si id faciat cum periculo grauiter iritandi proximum, & eum reddendi peiorem. atqui fieri potest vt proximus à me possit emendari per solam secretam correptionem, nec alia occurrat necessitas eius occultum peccatum alijs aperiendi: ergo facio tunc contra iustitiam illud alijs aperiendo. Item fieri potest vt corripiendo eum secretò possim eum valdè probabiliter emendare sine alio incommodo, & eius peccatum alicui alteri aperiendo grauiter eum sim iritaturus, & in peccato obstinatiorem redditurus: ergo tunc contra leges correptionis fraternæ grauiter peccabo, si id alijs aperiam.

140 Ordo in correptione seruandus est iuris naturę.

Ex his patet Primò, hoc præceptum esse iuris naturæ, ac oriri partim ex caritate proximi, quæ nos obligat vt eum curemus cum minimo, quantum fieri poterit, eius incommodo aut periculo; partim etiam ex virtute iustitiæ, qua obligamur proximum non infamare, quando nulla nos necessitas ad hoc compellit.

141 Tenemur quandoque proximi peccata publicare ne aliàs pereat. *August.*

Sequitur Secundò, quando proximus nequit emendari, nisi eius crimen aperiatur vni atque alteri, aut etiam Ecclesiæ, id esse faciendum secundùm præceptum Christi, ne proximus aliàs pereat, cuius salus pluris facienda est quàm eius fama. Vnde D. August. in sua Regula de hac denuntiatione agens, ait; *Nec vos iudicetis esse maleuolos, quando hoc indicatis: magis quippe innocentes non estis si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittatis. Si enim frater vester vulnus haberet in corpore, quod vellet occultare, cùm timeret secari, nónne crudeliter abs te celaretur, & misericorditer indicaretur? Quanto ergo potiùs debes manifestare, ne deteriùs putrescat in corde?*

142 Non teneor alterius famam cum damno boni communis seruare.

Ex quibus sequitur Tertiò, hãc manifestationẽ multò magis esse necessariam, quando bonũ commune eam notabiliter exigit, quantumuis cum aliqua infamia peccantis aliàs ad eius emendationem non necessaria coniuncta sit: quia bonum commune præponendum est priuato; nec quisquam habet ius vt eius famam cum huius notabili incommodo conseruem: nisi quando sigillum confessionis id exigit.

143

Sequitur Quartò, hunc ordinem in certis circumstantijs, siue quando vtilis est ad proximi emendationem, & aliunde non occurrit ratio eum mutandi, non solùm esse seruandum in peccatis contra nos commissis, sed etiã in alijs. quia ratio suprà allata in omnibus æqualiter militat; tum etiã quia nulla potest adferri probabilis ratio, cur potiùs sit seruandus in illis quàm in his. Nec his obstat quòd Christus Matt. 18. solùm fecerit expressam mentionem peccati in nos commissi, quia hoc non fecit vt suum decretum, quatenus spectat necessitatem corripiendi & ordinis in eo seruandi, ad id genus peccati restringeret; sed solùm exempli causa attulit tale genus peccati, de quo maximè poterat dubitari an in eius correptione hic ordo seruandus sit, & in quo difficillimè seruetur ob innatam multis cupiditatẽ vindictæ. Item quia intẽdebat nos præcipuè docere, qua ratione deberemus iniurias nobis illatas remittere, & erga eas inferentes nos gerere.

Matt.18.

Ex his etiam patet solutio difficultatis propositæ nu. 137. & responsio ad argumentum ibidem allatum; & ex ijsdem facile erit respondere argumentis allatis n. 136.

Ad primum, nego priorem partem antecedentis, quia, vt iam ostendi, ibi præscribitur ordo per se, &, nisi bonum commune aliaúe ratio contrarium postulet, seruandus in correptione cuiusuis peccati. Nego etiã secundam partem: quia sæpè contingit quòd per secretam monitionem possim mihi iniurium inducere vt mihi plenè satisfaciat, quo casu nec opus est, nec licitum eum vocare in iudicium, vt hac ratione cogam eum satisfacere. 144

Ad secundum, nego antecedens: iam enim sufficienter probaui, ibi ferri aliquod præceptum. Ad tertium, nego secundam & tertiam partem assumpti. nam iam ostendi hoc præceptum esse legis naturæ, & pertinere ad præceptum dilectionis proximi. Posset autem reduci ad octauum præceptum decalogi, quo prohibemur non solùm dicere falsum testimonium, sed etiam proximum iniustè infamare. Et consequenter hic ordo fuit etiam in veteri lege præceptus: nec in ea quidquam huic ordini contrarium præcipitur. Loca autem ex Scriptura allata nihil faciunt ad rem. Ordo correptionis fuit etiam in veteri lege seruandus.

Ad primum, ex Leuit. 5. nego hoc ibi præcipi: solùm enim præcipitur vt is qui legitimèadiuratur, aut sub iuramento interrogatur circa res inter alios controuersas, verum testimonium proferat. Vide Cornelium Cornelij in dictum locum. 145 *Leuit.5.* *Cornel. Cornelij.*

Ad secundum, Respondeo *publicè* ibiidem significare ac clarè & apertè exponendo ei quæ habes contra eum in corde. patet, tum quia ibi publicè corripere opponitur occulto odio; tum quia nulla est ratio cur præcipiamur proximum publicè corripere, quando aliàs possumus illum secretò emendare, & satisfactionem obtinere. Vnde in Hebræo habetur, *corripiendo corripies eum.* quo ostenditur aperta & clara correptio.

Ad tertium, ex epistola ad Timoth. Respondeo ibi agi de correptione iudiciali, qua corripiuntur peccata publica, aut in iudicio satis probata. quare nihil facit ad rem.

Ad quartum argumentum, nego sanctos viros eum ordinem non obseruasse in circumstantijs, quibus erat seruandus: nec exempla allata contrarium probant. Nam nec satis constat, Iosephum non monuisse priùs secretò suos fratres antequam eos accusaret: & ob odium, quo in eum ferebantur, facilè poterat sibi persuadere secretam correptionem fore omnino inutilem, atque ita hîc & nunc non esse necessariam. S. Petrus verò Actor. 5. auctoritate diuina & ex particulari Dei instinctu ad terrorem aliorum, illorum fraudem puniuit, quia hoc tunc Ecclesiæ expediebat: & Deus cùm sit dominus nostræ famæ ac vitæ, potest ea pro sua voluntate 146 *Actor.5.*

tate nobis auferre, quoties id iudicat expedire, & ad id alijs dare facultatem.

147 *Valentia.* Sex casibus dictus ordo non est seruandus.

Nota, Valentiam hîc disp.3.q.10.puncto 5.§. *Quartò certum est.* adferre sex casus (qui etiam ex nostra conclusione possunt colligi, & ad eam clariùs explicandam iuuant) in quibus hic ordo in correptione fraterna non est seruandus.

Primò, quando peccatum proximi est publicum: quia tunc per denunciationem immediatè Superiori factam ille non infamatur, quia iam infamis est.

Secundò, quando eius peccatum est grauiter nociuum reipublicæ, vt si agat de eius proditione.

Tertiò, quando eius peccatum est grauiter nociuum alicui innocenti; quia caritas suadet vt huius bono magis prospiciam, quàm famæ nocentis.

148 *D.Thom.*

D.Thomas qu.33.a.7. in his duobus excipit casum, quo per secretam monitionem possem damnum tam publicum, quàm priuatum innocentis sufficienter impedire. Quæ exceptio vera est, quando mihi sufficienter constat, me priuata monitione posse eiusmodi damna sufficienter auertere. quod in priuato damno potest non rarò habere locum; cùm enim hoc non sit tanti momenti, vt de eo vitando debeam modo valdè extraordinario esse sollicitus, facilius possum mihi prudenter persuadere ad id sufficienter cauendum, non esse opus fratris peccatum alicui aperire; & vt hoc licitè omittam non requiritur vt omnino certus sim me sine eiusmodi reuelatione posse illud damnum impedire: non tamen sufficeret me id probabiliter credere; sed requiritur, vt sim moraliter aliquo modo certus me id posse sine illius peccati reuelatione impedire, saltem proximũ generatim monendo vt sibi prospiciat, aut certum locum euitet, &c. Nam aliàs quamdiu est probabilis timor illud damnum non posse euitari sine reuelatione id machinantis, caritas suadet vt magis prospiciam bono innocentis, quàm famæ nocentis: modò illud bonũ sit magni momẽti.

Magis debeo prospicere bono innocentis, quàm famæ nocentis.

149 Rarò contingit vt machinantem malum publicum non teneat denunciare.

Quandò verò agitur de impediendo graui malo publico, teneor aperire imminens periculum ijs, quibus possunt impedire: quamdiu non sum moraliter omnino certus me id aliter posse penitus impedire. quod rarò potest contingere: quia qui eiusmodi res animo conceperunt rarò omnino desistunt eas moliri quamdiu affulget aliqua spes eas conficiendi. quare quantumuis ipsi priuatim moniti asserant, aut etiam iurent se ab eiusmodi molitione omnino cessaturos, non possumus illis fidere, quia facilè fingent pœnitentiam, vt animum malum occultent, aut etsi eos iam verè pœniteat, facilè postea data occasione redibunt ad ingenium & ad priores conceptus: & tanti mali magnitudo exigit vt in eo cauendo via securissima incedamus, nec ita curemus malum impedens priuato, præsertim nocenti, & qui sua culpa id sibi accersiuit. Sæpè tamen non erit opus vt proditor aperiatur, quando magistratus alia ratione potest sufficienter moneri de periculo imminenti, & huic prospicere; obstruendo vias quibus ciuitati malum parabatur. Dicta autem præcipuè habent locum, quando is qui insidiabatur bono publico, promittit emendationem, eò quòd deprehensus timeat accusari: secùs videtur dicendum, quando ipse sponte consilij petendi causa rem alicui viro bono aperit: tunc enim promittenti mutationem consilij faciliùs potest haberi fides; cùm hæ circumstantiæ clarè ostendant eum sincerè agere.

150 *2.Timot.2.*

Quartus casus est, quando peccatum natura sua est tale, vt nisi efficacissimè ei prospiciatur, soleat communitatem inficere: qualis est hæresis: nam, vt dicitur 2.ad Timoth.2. hæreticorum sermo serpit vt cancer; vnde multis locis vbi viget inquisitio, omnibus scientibus aliquẽ quantumuis occultè incidisse in hæresim absolutè præcipitur vt statim eum denuncient inquisitoribus, etiam non præmissa secreta monitione. vt cum alijs docent Lorca hîc disp.47.n. 23. & Bañez qui 33.art.8.dub.2. ad 7. Vbi duas reddunt rationes cur id possit potiùs præcipi in hoc peccato, quàm in alijs. Primò, quia ex hoc peccato maximum imminet communitati periculum nisi statim opprimatur. Secundò, quia vix vnquã est spes tales priuata monitione posse conuerti; nam qui non mouetur auctoritate Ecclesiæ vt rectè sapiat, non mouebitur auctoritate alicuius priuati eum monentis. Monent autem ijdem Doctores hæc intelligẽda de formaliter hæretico; non autem de eo, qui ex sola ignorantia versatur in errore contra fidem, qui veritatem edoctus paratus est credere: talis enim non est verè hæreticus, quia non est pertinax. *Lorca. Bañez.*

151

Sed secunda eorum ratio non est generalis: nam sæpè contingit aliquos adhærere quibusdam erroribus, quos sciunt pugnare cum doctrina Ecclesiæ Catholicæ, atque ita esse formaliter hæreticos; qui tamen id non faciunt ex mera malitia, sed quia vehementer apprehendunt quædam loca Scripturæ aliaúe sibi insolubilia argumenta euidenter probare suam doctrinam esse veram, & Ecclesiam errare: quæ si ipsis clarè soluantur, statim conuertuntur; vt quotidiana multis locis docet experientia: nam in Belgio, Germania, Gallia, Anglia, videmus tales aliquos quotidie conuerti, etiam ex ijs qui priùs hæresim docuerant. Quare viri docti talium conuersionem non debent facilè desperare, nisi cùm secundùm monitionem Apostoli eos semel aut iterum monuerint, eorumque rationes dissoluerint, & viderint eos tunc manere pertinaces. Prior tamen ratio, & quia tales præsertim in locis vbi viget inquisitio, facilè simulant suam conuersionem, vt ita faciliùs lateant & periculum fugiant, sufficiens est causa cur in locis adhuc incorruptis, in quibus hoc commodè fieri potest, inquisitores absolutè præcipiant tales omnes ad se deferri, quantumuis aliàs speretur eorum conuersio posse procurari per secretam monitionem. Quia hoc bono communi valdè expedit, quod priuato præferendum est, & ei potiùs prospiciendum est quàm priuatæ aliquorum nocentium famæ.

152

Quintus casus est, quando proximus ob maiorem suum in spiritu profectũ aliamúe iustam causam tacitè vel expressè cessit iure, quod hac

ex parte habet in suam famam, vt scilicet in eius correptione dictus ordo seruetur, & quoties est spes fructus priùs secretò admoneatur, quàm ad Superiorem eius peccatum deferatur. de quo agam dub.11.

Sextus casus est, quando ob naturam peccantis aut alias ob causas prudenter credo me omnino inutiliter per me aut alios priuatos proximum moniturum antequam eum denunciem Superiori: tunc enim possum eum statim huic denunciare, quia frustra illa præmitterem. Quod maximè locum habet, quando obseruatio illius ordinis crederetur non solùm inutilis, sed etiam nociua futura, cò quòd alter monitus in odium monentis exardesceret, aut emendationem simulando correptionem eluderet.

DVBIVM IX.

Quaratione testes adhibendi sint in correptione fraterna, quando proximus per secretam correptionem nequit emendari?

153 NOta Primò, nos hîc testem accipere pro omni eo quem quis adhibet sibi socium vt secum fratrem peccantem priuatim corripiat.

Cur testes in correptione adhibendi sint.

Nota Secundò, me hos socios siue testes ob varios fines posse adhibere huic correptioni. Primò, vt simul iũcti maiore efficacia possimus alterum arguere, & ita multorum auctoritate frangatur, qui vnius correptione motus non est vt à peccato desistat: aut vt conuincatur esse peccatum id, quod fatetur se fecisse, sed negat esse peccatum. Secundò, vt illi testentur me esse functum officio meo priùs illum corripiendo priuatim, quàm illum Ecclesiæ denunciem. Tertiò, vt, si, quando eum postea denunciaui, neget se illud peccatum fecisse, possit testibus conuinci.

154 Nota Tertiò, hanc adhibitionem testium fieri posse in triplici casu. Primò, quando peccatum proximi est publicum, vt si notum sit maximę parti ciuitatis aut viciniæ, aut saltem alicuius communitatis, in qua sunt plures quàm decem. Secundò, quando est quidem occultum, probabile tamen in iudicio, eò quòd mihi & duobus alijs cognitum sit. Tertiò, quando mihi soli cognitum est.

Triplici casu possunt testes adhiberi correptioni.

Quando autem peccatum est omnino publicum, tunc facile est adhibere testes: quanquã hoc non sit omnino necessarium, quia non est tunc necessarium ante denunciationem, præsertim paternam, præmittere secretam monitionem, vt ostendi n.147. Item quando peccatum corripiendi præter me est vni vel alteri notum, etiam facile mihi est hos post primam correptionem adiungere mihi socios ac testes secundæ correptionis. Cùm enim hi non minùs quàm ego eius peccatum nouerint, æqualiter poterunt ipsum de hoc corripere, illudúe postea, si opus sit, coram Superiore testari. Quare communiter omnes censent in eo casu testes esse adhibendos, si prima correptio non fuerit efficax. Sed tota difficultas est, quando peccatũ est mihi soli notũ. Qua in re triplex est sententia.

Prima docet, quando tunc proximus non emendatur secreta mea monitione, non esse vlteriùs progrediendum. Ita quidam apud D. Thom. q.33.a.8. Idemque quoad testium inductionem docet Durandus in 4. dist.19.qu.4. Addit tamen, si peccans habeat Superiorem prudentem, cui sine alio incommodo possit aperiri proximi peccatum, quiq; illum possit in posterum à peccando impedire, v.g. subtrahendo ei peccandi occasiones aut simili ratione, illud huic aperiendum esse. 155 *D.Thom.* *Durand.*

Probatur autem dicta sententia, quia veli-li testes essent adhibendi vt testentur proximum peccasse, aut me functum esse meo officio ipsum antè secretò monendo; & neutrum possunt testari, quia neutrum sciunt. Aut vt mecum simul alterum corripiant; & hoc etiam nequeunt facere, quia, vt ex communiore sententia dixi n.87. non possum corripere proximum ob aliquod peccatum nisi mihi cõstet eum hoc fecisse. hîc autem hoc illis inductis testibus cõstare non potest, cùm hoc nequeant scire nisi ex mea relatione, cui non tenentur hac in re credere, præsertim si alter neget se id fecisse; cui tũc tenentur potiùs credere quàm mihi, quia quiuis præsumitur bonus, donec probetur malus. Aut tandem adhibebuntur, vt explorent an alter sæpiùs illud peccatum committat; & hoc etiam dici non potest, quia priuati non debent inquirere in vitam alienam, vt habeant quæ corripiant. vt ex D. Augustino ostendi suprà num.67. 156 *Tenentur testes pauloo magis credere negantiquam accusanti.*

Secunda sententia docet, post secretam monitionem inefficacem eiusmodi testes esse inducendos quando correptus continuat suum peccatum, v.g. detinendo apud se concubinam aut rem quæ potest probari esse aliena, aut quando est periculum relapsus, vt notent an proximus pergat peccatum continuare, aut an iterum simile peccatum committat, & tunc eũ simul cum alio reprehendant; & si non emendetur, Superiori denuncient, eiusque crimen probent. num quam tamen esse à me inducendos quando non est periculum relapsus; aut præcisè vt eum de peccato quod solus vidi, mecum corripiant. Ita Adrianus in 4.dist.19. tract. de correpr. fraterna. §. *Pro huius decisione.* in fine. Eandemque videntur tenere Paludan. ibidem q.4. & Caiet.2.2.q.33.a.8. in priore dubio; quatenus dicunt testes inducendos vt obseruent an proximus iterum peccet, eumq; tunc moneant: nec insinuant eos aliàs esse inducendos, quando peccatum est vni tantùm notum. 157 *Adrian.* *Paludan.* *Caietan.*

Prior pars probatur. Primò, quia Christus Matt.18. iubet vt, quãdo frater peccauit contra nos, & nostra correptione non emendatur, inducamus testes à quibus nobiscum corripiatur; & videtur loqui de casu, quo proximi peccatum mihi soli notum est. Primò, quia hoc insinuant ea verba, *Si peccauerit in te.* Quod multi Patres ac Doctores aiunt idem valere ac coram te solo. Secundò, quia ideo iubet vt eum corripias inter te & ipsum solum, ne aliàs eius famam coram alijs lædas; quod locum non haberet si plures essent conscij peccati ipsius. 158 *Matth.18.*

Secũdò, quia id apertè docet D. August. in sua Regula. *August.*

Regula. Agēs enim de peccato, quod vnus solus vidit alterum committentē, docet, hūc, si ipsum post correptionem videat id secundò committentem, debere sibi adhibere alios qui idem secum aduertant, vt eum postea corripiant, & si necesse sit denuncient. Respondet Durand. suprà D. August. ibi solùm loqui de curioso aspectu mulierum, qui non est in se peccatum, nec infamat, sed solùm est occasio peccādi. Sed hoc verum non est; quia August. ibi apertè agit de aspectu arguente animum libidinosum, qui & in se peccatum est, & Religioso infamis: & ibidem paulò inferiùs docet, idem dicendum esse de quouis alio peccato.

Durand.

August.

Tertiò, quia eiusmodi inductio testium potest aliquando esse vtilis ad emendationē fratris, qui aliàs emendari non poterat: ergo tunc est adhibenda etiam cum aliqua læsione famæ fratris: quia pluris facienda est salus animæ quàm famæ integritas.

159 Quando quepriuatus licitè explorat alienam vitam.

Et quamuis communiter non deceat nos inquirere in vitam proximi, hoc tamen solùm est verum quando id non iudicatur prudenter necessarium vt iuuemus eum hærentē in peccatis, prout in dicto casu fit. Itē etsi vnius assertio non sufficiat, vt sine alia causa certò credam proximum aliquod peccatum commisisse, atque ita eum de hoc arguam, sufficit tamen vt de eo habeam sufficientem suspicionem vt id explorem, quatenus putatur hoc necessarium ad eius emēdationem. Nec etiam est timendum ne proximus grauiter iritetur vidēdo alios sua facta obseruare; quia hæc obseruatio & facilè potest & debet ita fieri, vt alter non aduertat se obseruari.

160 Secunda pars probatur. Primò, quia quando solū agitur de peccato actu omnino præterito, talis inductio testium videtur omnino inutilis ad finem fraternæ correptionis, vt probat argumentum allatum n. 156. Secundò, quia alter facilè mihi grauiter indignabitur, si videat me eius factum omnino secretum alijs aperuisse, & pudore impellēte illud negabit; cùm sciet me non posse id probare: hoc enim in talibus qui in secreto moniti nolunt se emendare, communiter est præsumendum: atque ita inductio testium non solùm non proderit, sed etiam oberit. Tertiò, quia eiusmodi peccati reuelatio ac inductio testium erit etiam mihi valdè periculosa. quia alter communiter negabit suum crimen, & accusabit me tanquam calumniatorem, qui ipsum apud alios insimulauerim alicuius criminis, quod ipse negabit se fecisse, & ego id probare non potero. Atque ita poterit me vt calumniatorem apud Superiorem accusare, & eosdem illos testes contra me producere: qui poterunt testari me hoc crimen illi obiecisse; & tamen non poterunt testari ipsum hoc fecisse.

161 Respondent aliqui ex Auctoribus tertiæ sententiæ dictos testes non posse eo casu testari me falsò hoc crimen ei obiecisse; nam ipsi nesciunt ipsum hoc non fecisse, & sicut non tenentur credere mihi asserenti eum id commisisse, ita nec tenentur credere alteri id neganti. quare solùm poterunt testari me iuxta ordinem fraternæ correptionis, eum de hoc crimine coram se corripuisse, in quo nullum est peccatum.

Sed hoc non satisfacit. Primò, quia vt ego eo casu habear calumniator, præsertim in iudicio fori externi, non est opus vt ille probet se esse innocentem, sed sufficit quòd probet me sibi obiecisse crimen quod probare non possum. Nam in eo foro passus obiectionem criminis semper habetur innocens donec probetur nocens, & obijciens punitur vt calumniator nisi probet obiecta. Quod æquissimum & omnino necessarium est; quia aliàs quiuis impunè posset alteri quantumuis innocenti secretum aliquod crimen affingere, & coram alijs obijcere, quia hic non posset probare se id non fecisse. 162 Vt habear calumniator sufficit me obiecisse crimē quod probare nequeo.

163 Secundò, quia illi eo casu poterunt quidem testari me tale crimen coram ipsis alteri obiecisse; nullo tamen modo poterunt testari me id fecisse iuxta præceptum ac ordinem fraternæ correptionis. Tum quia non poterunt testari me ipsum primò secretò monuisse; hoc enim non sciunt: tum etiam quia non poterunt testari me in obiectione illius criminis vlla ratione verè functum esse officio fraternæ correptionis; quia ad hanc requiritur, vt alterum corripiam ob crimen quod verè commisit; illi autem nullo modo possunt scire illum hoc crimen verè commisisse; & consequenter nec scire, nec testari possunt me eum fraternè corripuisse: atque adeò in iudicio tamquam calumniator meritò condemnabor. Confirmatur, quia nisi eo casu correpto me accusante possem tamquam calumniator puniri, quiuis posset quemuis impunè apud duos vel tres infamare affingendo ei falsum crimen, & dicendo se id facere vt ipsum fraternè coram ijs corripiat.

164 Tertia sententia docet, nos etiam in casu, quo fratris peccatum non potest ratione suæ continuationis, aut iterati lapsus ab alijs notari, teneri eum corripere coram testibus, quando priuata monitio nihil profuit: & illa creditur profutura. Ita Bañez 2.2.q.33.a.8.dub.3. & cum alijs Valentia disp.3.qu.10.puncto 5. Et est satis apertè sententia D. Thomæ dicto a. 8. Probant id varijs rationibus, sed quæ facillimè possunt solui; & adferunt quasdam Patrum auctoritates, sed hi apertè loquuntur in casu secundæ sententiæ. *Bañez. Valentia. D. Thomas.*

Quare hæc sententia hac sola ratione posset probabiliter persuaderi, quia talis inductio testium posset aliquando esse vtilis ad proximi emendationem, & sine vllo incommodo fieri: ergo caritas proximi tunc exigit vt eam adhibeamus. Antecedens probatur, quia fieri potest vt noscam aliquem virum pium & prudentem, cui sine vllo periculo possum alterius peccatum aperire, quique corripiendo magna amicitia coniunctus est, ita vt hic non sit ægrè laturus, si illi ipsius peccatum aperiam; & qui rursum apud hunc sit magna auctoritate, ita vt eius monitione credatur omnino inducendus ad pœnitentiam. quo casu inductio talis testis poterit esse vtilis, & nullo modo periculosa aut nociua.

165 Conclvs. I. Quando proximus perseuerat in aliquo peccato ex ignorantia siue culpabili, siue inculpata, & à me admonitus non credit esse peccatum; teneor aliquos adducere, qui ei testentur hoc esse illicitum, quorum auctoritate credam

credam eum permouendum vt hoc credat,&ab eo opere abstineat. Per se patet,quia hac ratione possum eum liberare ab ignorantia ipsi noxia,quatenus est rei quam tenetur scire,& auertere à peccato saltem materiali, aut etiã formali,si ignorantia sit vincibilis. Potestque hoc fieri sine graui incommodo,aut alterius vlla notabili infamia, si illis non dicam hunc aliquid solitum facere, sed solùm eum putare hoc non esse illicitum, adeoque posse esse periculum ne id fortè aliquando faciat. Quamuis hęc sæpè commodiùs fierent, si ex aliquibus Auctoribus impressis ei illa veritas probaretur,quando ita fieri posset.

166 Conclvs.II. Quoties inductio testium putatur necessaria & profutura ad proximi emendationem, & potest sine graui incõmodo fieri; hi adhibendi sunt, etiamsi peccatum iam actu omnino transierit,& non putetur reiterandum: atq; ita sub his terminis puto tertiã sententiam ex suprà relatis esse veriorem. Et patet, quia ex caritate teneor procurare proximi emendationem, quoties hic aliàs non est emendandus,& id commodè facere possum: atqui in eo casu hæ circumstantiæ adsunt: ergo tunc teneor proximi emendationem ea ratione procurare.

167 Conclvsio III. Etsi hæc inductio testium possit in praxi sæpè habere locũ,quando proximus actu continuat suum peccatum,detinendo apud se concubinã,aut rem quæ potest probari aliena: aut quando sæpiùs in idem peccatũ incidit iuxta dicta n.158.&159. quando tamen neutrum horum fit,eiusque peccatum est mihi soli notum,eiusmodi testium inductio rarissimè erit saluti proximi vtilis ac necessaria, aut mihi non grauiter periculosa: atque ita rarissimè erit suadenda. Et cum hac limitatione puto verã secundam sententiam suprà allatam,eiusque rationes allatæ n.160. & seq. hoc clarè,& nihil aliud probant. Et confir. quia, vt ostendi n.117. in eo casu non teneor corripere proximum, nisi prudẽter credã eum aliàs in peccato moriturum,aut dum ad hoc tenebitur non acturum pœnitentiam. Quod extra periculum mortis vix contingit,nisi videam eum in paschate non confiteri,quo casu iam in aliud peccatum incidit: ergo rariùs adhuc accidet vt tunc tenear inducere testes.

168 Posset autem hæc inductio esse necessaria quando scirem existenti in occulto peccato instare periculum mortis, eumque, quia hoc sibi nullo modo persuadet, aut aliã ob causam non esse vllo modo sollicitum de pœnitentia agenda,nec velle cõfiteri: tunc enim si sine graui valdè meo incommodo cum aliqua probabili spe fructus possem alijs ipsius statum aperire, & inducere eos vt ipsi suaderent confessionẽ,ad hoc tenerer ob grauissimum & præsentissimũ alterius periculum. Idemq; posset dici quando talis extra periculũ mortis esset suscepturus aliquod Sacramẽtum,v.g. Ordinem,Matrimonium aut Confirmationem,non præmissa cõfessione, aut necessaria contritione (quod tamen mihi rarò, præsertim de omitrenda contritione, constare potest nisi ex eius dictis:) tũc enim si possem cõmodè statũ eius alicui aperire, cui ipse esset valdè amicus, ita vt non ægrè ferret me huic eius statum aperire:& si crederem hoc fore necessarium & vtile ne alter in statu peccati Sacramentum susciperet;ad id tenerer, vt ea ratione impedirem tam ipsius peccatum, quàm grauem Sacramenti Deique iniuriam.

Dices, Ad proximi emendationem in dictis casibus sufficeret aliquos magna apud eum auctoritate inducere qui ipsi persuaderent confessionem nulla facta mentione peccati,in quo ille est: ergo hoc non est illis aperiendum. 169

Respondeo, hoc quidem communiter esse verum, non tamen semper;nã posset contingere quòd is qui inducendus esset, non posset ei efficaciter persuadere confessionem,nisi sciret eius statũ vt inde posset accipere occasionẽ clarè ei ostendendi quanto periculo se exponat nisi cõfiteatur,& hoc faciendo ei esset persuasurus. Et hæc quidem pro defensione illius tertię sententiæ speculatiuè possunt dici. Agendo tamen de praxi puto facilè quidem posse fingi casum in quo omnes eæ conditiones concurrant,& sufficienter mihi de ijs constet, vt obliger ad eiusmodi inductionem testis: credo tamen hoc rarissimè aut vix vnquam de facto contingere.

Posset tamẽ hæc inductio aliqua ratione habere locum, quando aliqua persona commisit aliquod secretum peccatum cuius sum cõscius, & cuius eam valdè pudet: & ex eius conditione aut etiam dictis prudenter iudico quòd in confessione id præ pudore omittet,atque ita sacrilegè confitebitur ac cõmunicabit. Tunc enim sæpè consultum esset rem aperire eius confessario, quando hic esset prudens,& qui tali cognitione numquã nisi in bonum alterius esset vsurus. qui deinde in confessione quasi aliud agẽdo, & dissimulãdo se quidquam ab alio audiuisse, posset pœnitentem circa eiusmodi peccatum examinare,ac efficaciter hortari ad integrã confessionem,acta sensim eum inducere vt illud peccatum exprimat. Quo casu vtile fuerit si confessarius initio confessionis conciliet sibi animũ pœnitentis,ostendendo magnum erga ipsum amorem & desiderium salutis ipsius.& deinde capret aliquas occasiones ac indicia, quibus probet eius conscientiam sibi videri minùs tranquillã: ac grauiter exponat quàm graue sit peccatum non integrè confiteri,& quantum sit confessionis secretum,quamq; sine vllo incõmodo peccata quantumuis grauia ibi possint aperiri; & consequenter quàm stultus sit ille pudor, qui suadet ea hîc tacere quæ in extremo iudicio cũ maxima peccatoris verecundia & æterna damnatione toti mundo aperienda sunt. & alia similia. Sed in hoc casu ac ferè etiam in præcedentibus non tam agitur de emendando peccato præterito,quàm vitando futuro. 170 Confultum quandoque alicui est cretum ut ipse aperiat eius confessario. Qua ratione tunc confessarius agendum cum pœnitente.

Ad eiusmodi hominum emendationem sine incommodo consequendam sæpè etiam vtile fuerit adire aliquem concionatorem, quem illi solent concionantẽ audire, eique in genere dicere esse aliquem ex eius auditoribus in tali statu ac periculo constitutum,eumque rogare, vt accepta aliunde occasione hac de re verba pro concione faciat, ac grauiter valdè ostendat in quanto periculo tales versentur,& quàm grauiter Deum offendant, idque ob rem nullius momenti, 171 Qua ratione aliter possint iuuari qui in occulto peccatis hærent.

menti,aliaque similia quę possint aliũ ad emendationẽ mouere.Hoc tamen medium communiter est minùs efficax magisque incertũ,quàm præcedens; sit tamen cum minore peccantis infamatione, minusque odiosum est. Prudentis autem est iudicare quid in his illisue circumstantijs expediat.

DVBIVM X.

Vtrùm peccatum proximi sit aliquando aperiendum Superiori priusquam adhibeantur alij testes,aut etiam antequam secreta monitio sit præmissa?

172 NOta,hac in re certum esse Primò,non esse necessarium seruare dictum ordinẽ,quando peccatum proximi est omnino publicum. Secundò,peccata secreta non posse denunciari Superiori vt iudici, nisi dictus ordo seruetur, quantum fieri potest. Tertiò, posse peccatum proximi immediatè deferri Superiori vt patri, siue præcisè in ordine ad bonum & emendationem peccantis, non præmissa priuata monitione aut adhibitione aliorum testium, quando hæc sciuntur non profutura, aut sine graui incommodo fieri non possunt. Idemque, vt dubio sequenti ostendam, est dicendum, quando peccans expressè vel tacitè consensit vt eius peccatum ita ad Superiorem deferatur.

173 Tota igitur difficultas est, quando alterius peccatum est mihi soli notum, & speratur fructus ex priuata monitione aut testium inductione; vtrùm his omissis sine peccantis consensu possim id immediatè aperire eius Superiori vt patri, solùm quia puto id saluti peccantis aut bono communi magis expedire. Qua de re variæ sunt sententiæ.

174 Prima docet,quoties spero Prælatum maiore cum fructu spirituali proximi hunc posse corrigere, atque adeo quoties prudenter iudico saluti ipsius spirituali magis expedire, vt omissa testiũ inductione, ac secreta admonitione eum statim ad Prælatum tamquam ad patrem deferam; me posse illis omissis huius peccatum illi tamquam patri primò aperire,modò sciã ipsum hoc omnino secretum habiturum,nec peccantem odio habiturum,aut alia ratione ei nocituru*Richard.* rum. Ita Richardus in 4.dist.19.a.4.q.1. in corpore.vbi etiam docet,peccatum fratris,quando hic à me correptus est emendatus, debere deferri Prælato, quando id putatur vtile vt præseruetur à relapsu.Et in respons. ad 2.docet,hæc communiter habere locũ in Religiosis,qui Prælato,præsertim id præcipienti,tenentur alterius peccatum etiam ante secretam monitionem aperire, prout objciebatur in argumento. Item *Angelus.* Angel. v.*Denunciatio*.nu.10. vbi alios pro ea citat,docetque esse communem sententiam Doctorum sui Ordinis. Item Rosella v.*Inquisitio*. *Rosella.* sub initium.Bonauent. in cap.17.Lucæ,§.*Secundò quantum*. *Bonauent.* Eandem fusè docet Bernardinus de Arenalo. *Bernardin. de Arenalo.* Arealo in libro de Fraterna correptione: & satis apertè videtur eandem docuisse D.Thom. quodlibeto 11.qu.9.a.13.vbi ait : *Vtrùm autem statim cùm quis scit fratrem suum peccasse, debeat* *D.Thom.*

denunciare Prælato : dico quòd in his distinguendum est de conditionibus subditi & Prælati. Nam si ego scio quòd frater per me corrigetur,tunc non debeo hoc denunciare Prælato. Si autem videtur quòd hoc melius fiat per Prælatum, & Prælatus nihilominus sit pius,discretus & spiritualis, non habens rancorem seu odium aduersus illum subditum:tunc licitè potest hoc denunciare sibi; & tunc non dicit Ecclesiæ, quia non dicit ei sicut Prælato, sed sicut personæ proficienti ad correptionem proximi & emendam. Sed quia propter conditiones diuersas Prælatorum & subditorum, non potest in hoc dari generale iudicium, quia aliquando Prælatus vel mouetur ad odium aduersus subditum, vel subditus non bene ferret verba Prælati; ideò tenendum est hoc pro regula, quòd in omnibus istis semper seruanda est caritas, & quod melius & magis expedire videtur; & si hoc intendat (nimirum corripiens aut deferens proximum) *scilicet emendam proximi, seruet quantum potest bonum caritatis,tunc denunciando non peccat.* Vbi vt omissa priuata monitione possim alterius peccatum statim denunciare Prælato, non requirit vt credam me per illam nihil effecturum; sed solùm quòd Prælatus melius siue cum maiore eius fructu spirituali eum emendabit: & quòd aliàs ei non nocebit. Vnde quod prius dixit me non debere eum denunciare,quando per me potest corrigi, ne sequentibus contradicat, intelligendum est, quando hoc æquè bene per me fieri potest; aut quando Prælatus timetur nociturus.

Confirmatur,quia dum ibidem adfert rationes cur peccatum fratris non sit statim deferendum ad Prælatũ,nec dicit, nec insinuat idideo non esse faciendum, quia frater ea ratione magis infamatur. *Sed quia aliquando Prælatus vel mouetur ad odium aduersus subditum, vel subditus non bene ferret verba Prælati.* Quæ non ita accipienda sunt quasi ipse nolit vllam haberi hac in re rationem famæ fratris (clarum enim est etiam ex illius mente hanc quantum commodè fieri potest integram esse seruandam) sed quòd velit hîc primò & præcipuè haberi rationem maioris profectus spiritualis ipsius fratris, & huic posthabendum esse aliquod nocumentum famæ, quod illi ex illa denunciatione obueniet.quod, quando aliud incommodum non sequitur,non videtur tanti faciendũ, vt propterea maior ille profectus debeat negligi. Vnde infrà docet,in hoc negotio generatim spectandum vt seruetur *caritas, & quod melius & magis expediens videtur*.Et deinde ostendens quid hoc sit,subdit:*Et si hoc intendat, scilicet emendationem proximi*. apertè docens, illud melius & magis expediens esse maiorem emendationem peccantis. & subdit: *Seruet quantum potest bonum caritatis, tunc denunciando non peccat*. Ac si dicat, Quando spectat maiorem proximi emendationem, modò seruet ipsius famam quantum potest fieri,simul ita procurãdo eius maiorem profectum, non peccat denunciando Prælato eius peccatum, scilicet ante secretam monitionem: in quo casu tota quæstio procedit. 175

Vbi Notanda sunt illa S.Thomæ verba : *Et* 176
tunc non dicit Ecclesiæ. vbi apertè insinuat Chri- *D.Thom.*
stum Matth.18.iubentem præmittere secretam *Matth.18.*
monitionem & testium inductionem antequã

Dicere Ecclesiæ est dicere Prælato vt iudici.

peccatum fratris denuncietur Ecclesiæ, loqui de denuntiatione facienda iudici & in ordine ad punitionem (vt verba Christi etiam satis insinuant.) Et consequenter sentit denuntiantem Prælato vt patri peccatum fratris, spectando huius præcisè perfectionem emendationem, non facere contra præceptum Christi, etsi nec testes nec secretam monitionem præmiserit.

Ex quibus etiam patet, hunc locũ non contradicere ijs quæ idem docet 2.2.qu.33.a.7. & 8. vbi docet, esse contra præceptum Christi peccatum fratris ante secretam monitionem & testium inductionem denunciare Prælato: quia hîc apertè agit de denunciatione huic facienda vt iudici: vt clarè patet ex a.8.ad 4. S.Thomam citat & sequitur Gabriel lect.74. in canon. §. *Quintus casus.*

D.Thom. Gabriel.

177 *D.Thom.*

Hæc sententia potest probari ratione quam S.Thomas suprà, vt ostendi, insinuat. Quia nimirum cùm hæc correptio fraterna qua talis eiusque ordo sint præcipuè inducta ob bonum corripiendi, in ea ille modus siue ordo seruandus est, ex quo maximum fratris bonum prudẽter speratur: atqui maius ipsius bonũ est ipsum cum aliqua iactura famæ, quæ ex illa denunciatione Prælato facta nascetur, certiùs & perfectiùs corrigi, & à periculo recidendi præseruari; quàm ipsum sine illa iactura minùs certò minusque perfectè corrigi: ergo etiam cum eiusmodi iactura ille ordo siue modus corripiendi eligendus est, ex quo certior & perfectior fratris emendatio speratur futura.

178 Dices, Melius etiam est proximo proficere in spiritu cum iactura pecuniæ, quàm hac abundadare sine illo profectu, & tamen non licet mihi eam illi clàm surripere, ac ex ea dare eleëmosynam, vt sic illi impetrem maiorem gratiam & profectum in spiritu: ergo similiter quando aliter potest corrigi à peccato, illicitè eius occultum peccatum denuncio Superiori, vt ita melius & perfectiùs corrigatur.

Respondeo, si hoc argumentum valeret, probaret me illicitè deferre proximi occultum peccatum ad Prælatum, etiam quando hoc est necessarium ad eius emendationem, sicut illicitè ex eius pecunijs clàm acceptis pro eius emendatione do eleëmosynam, etiamsi hoc iudicem necessarium ad eius emendationem, quam alijs vijs frustra tentaui procurare. Quare neganda est consequentia: quia illa denunciatio est sæpè medium ex natura rei & Dei decreto ordinatũ ad proximi peccantis correctionem: quare quoties ad hanc est necessaria, habeo ius vt ea in hunc finem vtar. Videtur autem ad eum finem esse necessaria, non solùm quando hic sine ea nequit haberi, sed quoties sine ea minùs certò minusque perfectè habendus est: præsertim si hæc differentia sit notabilis. Secùs est de illa datione eleëmosynæ ex pecunia aliena clàm accepta inuito domino. Poterunt hæc etiam confirmari ex ijs quæ dicemus dub.11.n.202.

179 Secunda sententia huic omnino contraria docet, antequam proximus denuntietur Prælato etiam vt patri, semper præmittendam esse non solùm secretam monitionem, sed etiam testium inductionem, quando ille per hæc putatur corrigendus. Hanc videtur tenere Bañez 2.2.qu.33.a.8.ad 6. & quidam alij apud Valentiam 2.2.disp.3.q.10.puncto 5. §. *Alij autem simpliciter.* malè tamen tribuitur Hugoni de S.Victore, vt infrà ostendam, & forte etiam Nauarro. Nam cùm hic pro se citet Sotum & Adrian. qui tenent tertiam sententiam, videtur etiam idem cum his sentire.

Bañez. Valentia. Hugo de S.Victore. Nauarr. Sotus. Adrian.

Probatur Primò, quia Christus Matth.18. præcipit vt illa duo præmittantur antequam peccatum fratris Superiori denuncietur: ergo hoc faciendum est. Secundò, quia frater debet corripi quantum fieri potest cum minima iactura suæ famæ: atqui hoc fit quando dictus ordo omnino integrè seruatur: ergo hoc semper est faciendum, quoties frater per vnum ex prioribus medijs speratur corrigendus. Minor probatur, quia, vt patet ex communi sensu hominum, pluris est habere bonam famam apud Superiorem, quàm apud multos alios non Superiores: ergo fama fratris multò plus læditur dum eius peccatum denunciatur Superiori, quàm si dicatur duobus alijs qui adeius correptionem possunt iuuare. Probant eam Tertiò, auctoritate Hugonis à S.Victore, qui suo tempore maxima fuit auctoritate & tamquam alter Augustinus habitus. Sed, vt infrà ostendam, hic potiùs contrarium docuit.

Matth.18. Hugo à S.Victore.

180 Tertia sententia docet, quando ego secreta monitione non proficio apud fratrem peccantem, me posse eum statim denunciare Superiori vt patri, vt per eum emendetur. Ita D.Thom. suprà a.8.ad 4. Adrian. in 4. tractatu de correptione fraterna sub finem. Sotus in relect. de secreto memb.2.qu.4.ad 3. Siluester v. *Correctio fraterna.* qu.5. Gabriel in canon lect.74.lit.T. & potiore ratione eam tenent Auctores citati pro prima sententia, saltem quatenus hæc sententia solùm docet, me tunc posse rem statim deferre Superiori.

D.Thom. Adrian. Sotus. Siluester. Gabriel.

Probatur autem ratione suprà allata pro prima sententia, quia nimirum frater ea ratione videtur maiore cum fructu suo spirituali posse corrigi; tum etiam auctoritate S.Augustini. qui eam apertè docet in sua Regula. Vbi cùm dixisset eum, qui vidisset fratrem peccantem, & frustra admonuisset, debere inducere testes qui eum obseruent, subdit: *Sed antequam alijs demonstretur, per quos conuincendus est si negauerit, prius Præposito debet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi, ne forte possit secretiùs correptus non innotescere alijs.* Vbi expressè docet, talem priùs debere indicari Prælato vt patri, quàm testibus. Et quamuis ibi præcipuè loquatur de testibus adhibendis non tam in ordine ad priuatam monitionem, quàm vt peccans possit publicè de crimine suo conuinci in ordine ad punitionem; ad hos tamen suam assertionem non restringit. nam cùm absolutè dicat peccatum fratris priùs esse indicandum Prælato quàm alijs per quos conuincendus est, nec meminerit aliorum quibus debeat peccatum indicari priùs quàm ipsi Prælato; apertè significat id huic post secretam monitionem inefficacem primò omnium indicandum esse.

Augustin.

Respon-

181 Respondent aliqui, illud *antequam alijs*, &c. non respicere testes, per quos peccans conuincendus est, sed alios, coram quibus à Prælato palàm arguendus est. Ita vt S. Augustſolùm velit rem debere priùs indicari Prælato, vt peccans per hunc secretò, si fieri posset, emendetur, quàm omnibus publicetur. Et hunc esse sensum Augustini probant Primò, quibusdam cõiecturis ex eius verbis desumptis; sed quia facilè solui possunt, eas hîc omitto adferre. Secundò, quia Hugo à S. Victore videtur S. Augustinum sic intellexisse, qui in commẽtarijs illius Regulæ cap. 6. citatis dictis Augustini verbis subiungit: *Culpa cum occultè committitur, ab aliis fratribus, qui eius culpæ conſcij sunt, hic qui deliquit frater debet secretò corrigi; quos si neglexerit audire, patri monasterij debet indicari, vt ipse fratrem secretò corrigat: quatenus culpa quæ adhuc latens est. si fortè secretiùs corrigi potuerit, non omnibus innotescat. Si autem negauerit, tunc testes adhibeantur, vt conuictus districtiùs iudicetur. & hoc est quod Augustinus ait, si autem negauerit, vsque debebit emendatoriam subire vindictam.*

Auguſt. *Hugo de S. Victore.* *Auguſt.*

182 Sed verba S. Augustini sunt clariora, quàm vt cum aliqua veritatis apparentia possint in eo sensu explicari. Cùm enim expresè dicat: *Antequam alijs demonstretur per quos conuincendus est*, &c. sine aperta verborum & contextus violentia, per *alijs* nequeunt hîc alij intelligi, quàm ij per quos peccans conuincendus est, quos antea dixerat post secretam monitionem in eum finem esse adhibendos. Obijciunt tamen verba paulò antè præcedentia quæ sic habent: *Si autem post admonitionem iterum vel alio quocumque die idipsum facere videritis, iam velut vulneratum sanandum prodat* (scilicet Prælato, vt illi volunt) *quicũque hoc potuerit, priùs tamen & alteri vel tertio demonstratum, vt duorum vel trium posit ore conuinci, & competenti seueritate coërceri.* Vbi Augustinus docet, peccantem priùs vni vel alteri priuato demonstrandum quàm prodatur Prælato. Sed hæc nihil faciunt ad rem: nam August. ibi apertè agit de denunciatione vel accusatione facienda non Prælato vt patri, sed Ecclesiæ siue Prælato vt iudici, & in ordine ad publicam punitionem, vt patet ex sequentibus, & ex ipso verbo *prodat*, quod non tam significat secretam denunciationem soli Prælato sub secreto factam, quàm publicam accusationem. Iubetur autem prodere sanandum, non per suauem vulneris vnctionẽ, sed per seueram sectionem; vt patet ex verbis quæ August. ibidem mox subdit.

Auguſt.

183 Hugo autem suprà citatus nihil contra nos dicit, sed apertè nostrum sensum probat. nam docet, peccantem primò secretò esse corripiendum per eos qui culpæ conscij sunt, quales sunt propriè ij qui peccantem primò deprehenderunt, siue vnicus, siue plures sint: & deinde denunciandum Superiori vt patri; ac postea adhibendos testes, qui eum obseruent, prout tertia hæc sententia docet faciendum. Nec Hugo vllo verbo vel leuissimè indicat talem primò demonstrandum esse testibus, quàm Prælato vt patri.

184 Vt autem videamus quænam ex his sententijs sit verior, easúe quantum fieri potest conciliemus, puto hîc distinguendum inter seculares & Religiosos; nam credo regulariter alio modo procedendi hac in re vtendum erga hos, alio erga illos. Quod expresè etiam docet Innocentius III. cap. *Quando & qualiter.* 24. de accusationibus, vbi in fine cum dixisset quòd accusationem debet præcedere inscriptio, & denunciationem caritatiua monitio, & inquisitionem clamosa insinuatio; subdit: *Hunc tamen ordinem contra regulares personas non credimus vsquequaque seruandum, quæ (cùm causa requirit) faciliùs & liberiùs à Suis possunt administrationibus amoueri.*

In correptione fraterna aliter procedendum cũ secularibus, aliter cum Religiosis. *Innoc. III.*

185 Huius ratio est Primò, quia communiter lõgè minùs est natum nocere Religioso si Prælatus eius secretum peccatum sciat, quàm sit natũ nocere seculari, quòd Prælatus huius occultum peccatum sciat. Secundò, quia, vt docet Pontifex suprà, Religiosi possunt faciliùs siue minore suo incommodo, & magis pro voluntate Superioris à suis officijs, quæ sine incommodo propriæ salutis aut boni publici administrare nequeunt, amoueri. Tertiò, quia Prælatus regularis potest longè faciliùs, efficaciùs & cum minoribus incommodis suum subditum secretò ad se delatum emendare, quàm Prælatus secularis suum subditum. Quartò, quia ad conseruationem boni communis longè magis necessariũ est cœtui Religioso quàm communitati seculari, vt vnum quodque ipsius membrum ægrotum in spiritu perfectè & modo quo fieri potest efficacissimo ac certissimo sanetur, & à futuro lapsu præseruetur; & consequenter cùm bonum cõmune debeat præponi bono priuato; faciliùs contingit vt in corrigendis Religiosis omnino expediat vti remedio efficaciori, etsi coniuncto cum infamia aliquo modo maiore ipsius corrigendi, quàm in secularibus.

Diuersitas inter Religiosos & seculares quo ad famam apud superiores seruandam.

Morbus alicuius membri magis nocet communitati Religiosæ quàm seculari.

186 Prima autem ratio ex iam allatis probatur Primò, quia, cùm in cœtu Religioso maior sit coniunctio omnium membrorum inter se & cũ suo capite, & bonum totius magis pendeat à bono singulorum, quàm in communitate secularium, fit vt illius Superior communiter magis amet suos inferiores, & singulorum bonum, quàm Prælatus secularis amet suos subditos. & consequenter ille communiter maiore cum amore, beneuolentia ac circumspectione, ne qua ratione plusquam necesse sit noceat famæ sui subditi, aut quacumque alia ratione ei obsit, hunc corriget, quàm secularis corriget suos.

Secundò, quia cùm Religio sit schola perfectionis, quæ suos præcipuè doceat domare, & penitus quantum fieri potest exuere omnes passiones ac inordinatos affectus, & inter eos hac in re maximè debeant profecisse Superiores; rariùs continget hos aliqua ratione abduci vt minùs discretè vtantur dicta notitia peccati sui subditi, quàm contingeret in Superiore seculari.

187 Secunda ratio probatur Primò, auctoritate Pontificis suprà citata. Secundò, quia cùm Religiosi sæpè sine vlla sua culpa aut defectu soleant ob alios varios fines à suis officijs remoueri, nullum ijs ex eiusmodi amotione imminet periculum infamiæ. Tertiò, quia cùm Religiosis

à suis officijs amotis non minùs à monasterio de omnibus ad eorum sustentationem necessarijs prouideatur quàm antea: item cùm per administrationem eiusmodi officij non possint sibi aliquas diuitias comparare, eò quòd nequeant habere aliquid proprium; ex eiusmodi ab officio amotione aut nullum aut vix vllum sentiũt incommodum. Præsertim cùm sæpè facile sit Prælato eis committere aliud officium, quod ijs non minùs commodum futurum sit. Quæ secus omnino se habent in secularibus.

188 Tertia probatur, quia Prælatus regularis potest faciliùs & sæpè sine vllo subditi incõmodo huic subtrahere occasiones peccandi, vt iam ostendi. Secundò, quia Religiosus cùm sit suo Superiori magis coniunctus, magis eum solet amare, ideoq; eius correptionẽ æquiore animo communiter accipiet. Item cùm ei sit magis subiectus, ab eoque in omnibus pendeat, & quodammodo sit semper in eius oculis, ita vt Superior, quando diligenter inuigilat, possit facilè ipsius defectus deprehendere, eius auctoritate, aut ex amore, aut ex timore vehementiùs ad emendationem excitabitur. Quæ communiter non habent ita locum in secularibus.

189 Quarta probatur, quia, (vt omittam seminationem hæreseos, proditionẽ, & similia, quæ directè oppugnant bonum communitatis aut innocentis, ideóque, vt ostendi num. 147. & sequentibus, debent communiter statim aperiri Superiori) alia peccata, quæ ex se directè & immediatè nocent soli peccanti, & solùm indirectè & per accidens alijs, communiter magis nocent bono communi facta à Religioso, quàm si fiant ab alio. Primò, quia in Religione est maior coniunctio membrorum inter se, & cõsequenter vnius malum magis dolet ac nocet alijs. Secundò, quia cùm Religiosi profiteantur statum perfectionis, quæuis vitia in ijs faciliùs notantur, alioſque scandalizant, ac grauem infamiam Religioni pariunt, si qua ratione secularibus innotescant. Quando autem aliquis sensim assuescit committere aliquod peccatum, facilè illud coram alijs committet, atque adeò etiam coram secularibus, si cum iis habeat vllam conuersationem; aut destitutus gratia Dei apparebit carere omni spiritu, ac moribus dissolutior, & ita minuet bonum odorem suæ Religionis: nam seculares facilè ex malis moribus vnius Religiosi cum magna ceterorum iniuria conijciunt omnes esse tales. Tertiò, quia cùm Religiosi ex regula & consuetudine teneantur sæpiùs confiteri & communicare, si incipiãt alicui peccato assuescere, facilè continget vt sine sufficiente dolore id confiteantur, aut etiam præ pudore taceant, eò quòd pudeat eos toties repetere idem, præsertim cùm teneantur semper eidem confiteri; atque ita sæpè cum magna Dei iniuria Sacramenta sacrilegè suscipient. Quæ non habent ita locum in secularibus, qui & varijs & rariùs confiteri possunt.

190 CONCLVSIO. In corrigendis peccatis secretis secularium Ecclesiasticorum siue laicorum, post secretam admonitionem frustra factam communiter primò adhibendi sunt alij priuati, qui eum relabentem obseruent & simul corrigant, si commodè fieri possit, & speretur emendatio; & deinde si hos non audiat, admonendus Superior vt pater, aut vt iudex, prout res exiget. In Religiosis verò post secretam admonitionem frustra factam communiter admonendus est Superior vt pater, antequam moueantur alij testes. Atque hac ratione puto secundam & tertiam sententiam ex suprà relatis respectu diuersorum esse veras, easq; posse hac ratione conciliari. & hæc conclusio sequitur apertè ex iam dictis.

Etsi autem primam sententiam, præsertim 191
respectu Religiosorum, reddant non improbabilem tum Doctorum, & maximè D. Thomæ, quos pro ea citaui, auctoritas, tum etiã rationes pro ea allatæ; tamen, quia alij ferè communiter ei contradicunt, non putarem ea vtendam nisi fortè rarissimè, & quando ita valdè notabiliter maior speraretur fructus ipsius corripiendi. maximè autem habet locum quando est probabile periculum ne proximus priuatim monitus ob metum denunciationis simularet emendationem, & postea occultus maneret in suis peccatis; aut ad horam emendatus, eò quòd manerent eædem occasiones peccandi, postea iterum in eadem peccata relaberetur: tũc enim putarem eum statim ad Prælatum deferendũ, tamquam probabiliter desperetur eum aliter posse sufficienter emendari. quia cùm, vt ostendi suprà num. 117. & 121. correptio fraterna maximè adhibeatur, vt vitetur futurum fratris peccatum, ipsa censetur non satis efficaciter adhiberi ea ratione, qua hoc non speratur sufficienter impediendum, atque ita quantum possum debeo eam adhibere, ea ratione quaspero hoc impediendum.

Confirm. quia si post secretam monitionem 192
deprehenderem eum in idem peccatum recidisse, tenerer eum deferre Prælato vt patri, vt ex D. Augustin. docet secunda sententia; idque *Augustin.*
non ob aliam rationem, quàm quia tunc probabiliter timeo eum aliter in posterum non euitaturum peccata (nam si per secundam aut tertiam monitionem posset tolli omne periculum recidendi, non deberem eum deferre Prælato:) ergo idem erit dicendum quando ante primam monitionem prudenter timeo, me non posse ei auferre periculum rursus peccandi, nisi eum statim deferam ad Prælatum.

In omnibus tamen his casibus diuersitas cõditionum ac morum tam corripiendi, quàm Prælati, aliæque circumstantiæ, sæpè suadent alio atque alio ordine vti; quo casu, vt docet D. Thom. citatus n. 174. vtendum eo ordine, quem *D. Thom.*
prudens caritas suadet.

Ex his etiam erit facile soluere rationes quas 193
suprà pro vnaquaque sententia attulimus, quatenus nostræ conclusioni possent repugnare. Ad rationem allatam pro prima sentent. n. 177. Respondeo eam vt summum probare, Religiosos posse aliquando se mutuo statim denunciare Prælato vt patri, omissa secreta monitione, qua creditur quidem emendandus, sed minùs perfectè ac certò; de quo quid sentiendum sit iam dixi. Et puto illius sententiæ auctores de his solis loqui; quia posito casu quòd frater spe-

speretur mea secreta monitione emendandus, si secularis sit, vix vmquam potest prudenter sperari eum melius corrigendum per immediatam denunciationem factam Prælato; vt satis probant rationes allatæ n.185. Quare cùm hoc ferè semper fieret, cum magno corripiendi incommodo illicitè fieret, quoties aliter speraretur emendandus.

194 Ad primum argumentum secundæ sententiæ allatum n.179. Respondeo Christum ibi loqui de denunciatione facienda Prælato vt iudici, vt *D.Thom.* clarè insinuat S.Thomas 2.2.q.33.a.8.ad 4.& in 4.citatus n.174.

Ad secundum, Respondeo maiorem intelligendamesse quantum fieri potest cum æquali aut ferè æquali fructu spirituali ipsius corripiēdi,& bono communi; aliàs hæc famæ sunt præponenda, præsertim quando hæc non est ita notabiliter magis lædenda in vno casu quàm in alio, vt hîc fit. Nam quando Prælatus Religiosus est talis, qualis esse debet, & hîc esse supponitur, eiusmodi cognitio ab eo habita vix potest plus nocere subdito, quàm similis cognitio habita ab alio subdito; imò cùm hic sæpè sit minùs tenax secreti, fortè magis nocebit. Ideoque quiuis ferè prudens, & qui non agitur quadam ambitione, aut similibus prauis affectibus, communiter mallet suum peccatum cognitum esse prudenti Superiori à quo possit in spiritu aptè dirigi, præsertim quando ipse cupit se emendare, & ita rursum suam vitā ei probare, quàm cuiuis alteri non Superiori, à quo non poterit ita iuuari. Quare quòd aliqui Religiosi ita horrent imperfectiones à Superioribus suis cognosci quando hi prudentes sunt, ferè prouenit ex affectu aliquo non satis mortificato, & minùs propenso in studium perfectionis, qui in ijs non fouendus, sed corrigendus est. Ad Hugonem respondi n.183. vbi ostendi eum pro nobis facere. Argumenta autem allata n.180. pro tertia sententia solùm probant secundam partem nostræ conclusionis. Nam S.August. apertè de solis Religiosis loquitur.

DVBIVM XI.

Vtrùm & qua ratione quis possit hac ex parte cedere iure quod habet in suam famam, dando aliis veniam, vt ipsius occulta peccata extra confessionem cognita statim Superiori deferant, antequam eum secretè moneant?

195 *Lorca.* LOrca hîc disput.47. num.13. negat id fieri posse. Primò, quia eiusmodi generalis cessio iuris, qua vnus alijs generatim concedit vt occulta eius peccata ante secretam monitionem ad Superiorem quemcumque deferant, & imprudens & prodiga honoris profusio est; quia sæpè eiusmodi delatio non est ad nostram emendationem vtilis, sed perniciosa, & consequenter eiusmodi concessio est inualida.

Secundò, quia præceptum Christi de præmittēda secreta monitione ante denunciationem, datum est non solùm in fauorē ipsius corripiendi, sed etiam in fauorem ipsius correptionis, vt hæc melius & conuenientius fiat; & in fauorem quietis & pacis communitatis; & vt vitentur incommoda spiritualia quæ ex eiusmodi manifestatione oriri possunt: & hoc iure non potest cedere priuatus quisque.

Tertiò, probari potest: quia Caiet.2.2.q.73. *Caietan.* a.2. docet, nos non esse dominos nostræ famæ: ergo non possumus cedere iure quod habemus vt ea nobis illæsa conseruetur.

Addit Lorca suprà, vt quis possit censeri hac 196 ex parte cedere iure quod habet in suam fa- *Lorca.* mam, non sufficere quòd faciat professionem in aliquo Ordine, in quo viget aliqua constitutio, qua omnes iubentur esse contenti, vt eorum defectus extra confessionem cogniti dicta ratione ad Superiorem deferantur; sed requiri specialem renunciationem, qualis requiritur in Iure ad effectus minoris momenti. Exempla autem eiusmodi nulla adfert. Sed posset adferri exemplum eius qui dedit alicui generatim potestatem agendi omnia sua negotia, aut etiam quærendi sibi commodam vxorem, qui non censetur ei dedisse potestatem cum aliqua suo nomine contrahēdi, nisi id speciatim exprimat, vt ex l.*Generali*.34. ff.de ritu nuptiarum, docui *l.Generali.* tom.2.de Sacram.disp.24.dub.9.

CONCLVS.I. Validè quis cedit hac ex parte 197 iure quod habet in suam famam, dando alteri facultatem vt occulta sua peccata dicta ratione ad Superiorem deferat, quando hoc non cedit in præiudicium tertij qui ea ratione infamatur. Ita Bañez 2.2.q.33.a.8.dub.2.ad 7. Valentia dis- *Bañez.* put.3. qu.10.puncto 5.§. *Quintus casus.* Sairus in *Valentia.* Claui cōscientiæ lib.11.cap.4.n.9.§. *Quintus ca-* *Sairus.* *sus.*& n.20. & cum multis alijs Turrian. disput. *Turrian.* 89.dub.4. Eandem necessariò tenent ij quos citaui dub.præced. pro prima sententia, docentes nos licitè fratris occulta peccata deferre ad Superiores, quoties id iudicamus ad eius profectum expedire. Item ij qui docent nos validè ei qui nos infamauit, remittere famæ restitutionem; quos infrà citabo.

Prob. Primò, quia, vt docent Sotus lib.4.de *Sotus.* Iustitia q.2.a.3. Bañez suprà. Couarr. lib.2. Va- *Bañez.* riarum cap.2.n.8. Adrian. in 4.q.de restitut. sub *Couarr.* finem. Lessius de Iustit.cap.4.dub.11.& plurimi *Adrian.* alij; homo est verè dominus suæ famæ: ergo *Lessius.* potest cedere iure quod habet ne alteri eius occulta peccata reuelentur; sicut, quia est dominus aliorum suorum bonorum, potest alteri dare veniam, vt ex ijs aliqua sibi accipiat aut alicui alteri det, quando hoc non cedit in præiudicium tertij.

Secundò, quia, vt docet Sotus lib.4.de Iustit. *Sotus.* q.6.art.3.& Lessius de Iustit.cap.11.dub.24.ab *Lessius.* alio iniustè infamatus validè ei condonat restitutionem famæ: eiusdem autem potestatis est dare alicui veniam non restituendi nobis ablata, & dare ei veniam ea auferendi; & consequenter qui potest vnum potest aliud.

Tertiò, quia ipse Lorca suprà disp.45. in ap- *Lorca.* pendice n.14. docet, pœnitentem posse dare veniam confessario, vt peccata sua in confessione audita alicui alteri narret, aitque esse communiorem

niorem sententiam : ergo multò magis poterit alteri dare veniam reuelandi occulta sua peccata alia ratione cognita. Quæ adhuc magis infrà probabuntur.

198 CONCLVSIO II. Eiusmodi iuris renunciatio non solùm validè, sed etiam licitè ac laudabiliter fit, quando bonus finis intenditur, qualis est maior sui mortificatio, aut in spiritu profectus, aut vt quis hac ratione excitetur ad vitanda peccata, aut vt Superior possit eum faciliùs dirigere, & auferendo ei occasiones peccandi, aliaúe ratione ipsius relapsum impedire ; aut etiam quia hoc bono alicuius communitatis expedit. quæ omnia commoda ex ea renunciatione communiter præsertim in Religione prudenter sperantur. Hanc etiam tenent auctores citati pro 1. concl.

Probatur, quia laudabiliter ob dictos fines meos omnes defectus meo Superiori etiam extra confessionem aperio : ergo etiam laudabiliter do alteri facultatem eos eidē aperiendi.

Anteced. probatur, tum quia nulla potest hîc adferri ratio, cur id, cùm ad tales fines vtile sit, nec aliàs aliquid mali contineat, laudabiliter fieri nequeat, tum etiam quia D. Augustinus in suis Confessionibus ob aliquos ex his finibus laudabiliter suos defectus toti orbi aperuit : ergo multò magis possum meos defectus honestè aperire meo Superiori, quia hoc ad dictos fines potest esse vtilius, & minora potest habere incommoda. *August.*

199 Consequentia probatur, quia quod per me alicui possum significare, nulla est ratio cur id nequeam honestè significare per alium : quod in hoc casu facio, dum ei do facultatem vt defectus quos in me notat, meo Superiori quasi meam vicem hac in re supplendo aperiat ea intentione vt me in ijs corrigendis iuuet.

Confirmatur, quia non solùm honestè possum semel aut iterum meos defectus ita Superiori aperire, sed etiam ob dictos fines me voto obligare vt eos ipsi ita semper statis temporibus aperiam : cùm enim hoc facere sit honestum, & ad profectum meum spiritualem valdè vtile, nulla est causa cur nequeam id honestè vouere. sicut igitur possum me obligare vt eos per me Superiori semper aperiam, ita potero me obligare vt id faciam per alium dando ei facultatem vt quoscumque cognouerit Superiori meo aperiat.

200 Dices, esse diuersam rationem. Primò, quia quando aperio meo Superiori meos defectus, numquam id faciam eo tempore quo meus animus erit malè affectus circa eiusmodi delationē, aut quando id valdè horreo fieri aut quando animus non erit aliquo modo paratus ad Superioris admonitionem suscipiendam ; atque ita numquam postea turbabor ob eiusmodi delationem factam, aut delatorem odio habebo : quæ sæpè contrà accident si alter me deferat, qui id sæpè faciet quando id cupiam non fieri : atque ita hinc turbationes & odia nascentur. Secundò, ego mihi facilè cauebo meos defectus narrare ei Superiori, qui creditur ea cognitione abusurus, me apud alios diffamando, aut odio persequendo, aut indiscretè alia ratione puniendo : alter verò facilè poterit eos tali Superiori narrare, si eiusmodi generalem facultatem concessero.

Sed hæc nullo modo probant diuersitatem esse talem, quæ dictam consequentiam euertant saltem commodè intellectam. 201

Ad secundam probationem, Respondeo eam pro me facere, quia solùm probat esse medium ad meam emendationem longè efficacius si alteri eam facultatem dem, quàm si eam mihi reseruem, & solùm statuam meos defectus Superiori ita aperire. Quia si id non voueam, ipsum tunc maximè omittam, quando eo medio ad meam emendationem maximè egebo ; scilicet quoties non habebo voluntatem me emendandi. Imò si id voueam, erit quādoque periculum ne votum violem, quia affectus qui me trahet ad alia peccata mortalia cōmittenda, quandoque etiam poterit me trahere ad violationem voti. Quando verò alteri eam facultatem concedo, hic deferet me etiam tunc cùm nolo me per me emendare, aut carere aliquo officio, in quo sæpè habeo occasiones peccandi, ideóque sæpius pecco : atque ita coget me ad emendationem. Et cùm illi eam facultatem concessero, numquam potero merito ægrè ferre si ea vtatur, aut si id ægrè feram aut inde turber irrationabiliter faciam, & mihi imputare debebo. Et sicut quantumcumque horream Superiorem nosse meos defectus, nihilominus teneor eos ipsi aperire si hoc vouissem, ita ille hoc non obstante & quamuis videat me ideo turbandum, quando alia mala inde non timentur, potest eos ipsi aperire ; quia hoc & meo & communitatis bono expedit. Vtrisque enim est melius me initio nonnihil turbari, & postea oblata occasione peccandi aut alia ratione compulsum abstinere à peccatis, quàm aliter in ijs perpetuò hærere ; & consequenter melius est me eo casu deferri ad Superiorem, quàm non deferri. vide dictum 114.

Dices, hæc solùm probare, melius esse in eiusmodi casibus me ad Superiorem deferri, quando aliàs priuatim monitus, me non emendarem : secùs verò esse quando hac ratione me emendarem. 202

Respondeo, Religiosum communiter longè meliùs & perfectiùs & certiùs posse emendari per suum Superiorem (saltem quando hic est talis qualis esse debet, prout hîc supponimus eum esse) quàm per aliquem priuatum. Primò, quia huius auctoritatem non tanti facit, nec ab eo timet pro peccatis puniri. Secundò, quia hic nequit ei persistenti in peccato huius occasiones auferre. Tertiò, quia si ab hoc semel deprehensus timeat, si iterum coram eo peccet, ad Superiorem deferri, facilè simulabit emendationem, & cùm volet peccare eius conspectum fugiet ; atque ita omnem correptionem eludet. Quibus malis Superior facilè poterit occurrere, aut statim ab eo amouendo occasiones peccandi ; quod sæpè suauissimè, ita vt alter id non sentiat, facere poterit, v.g. applicando eum alteri officio, quo non minus libenter fungetur. Aut si id sine incommodo

Religiosus melius emendatur per Superiorē, quàm per priuatum.

statim

statim fieri nequeat, poterit singulariter per se aut etiam per alios emendando non suspectos circa eum inuigilare. Quod Superior sæpè potest ita facere vt nec alter id deprehendat, nec apud eos qui ipsum obseruant diffametur, aut reddatur suspectus antequam relapsus deprehendatur. vt si non dicat expressè vt obseruent an tale aliquod peccatum committat (quod communiter imprudenter faceret) sed solùm horretur vt in eius familiaritatem se insinuent sæpiùs cum eo familiariter agendo, & deinde quandoque eos circa eius aliorumque mores & propensiones interrogando sub generalibus terminis, sub quibus Superiores de suorum etiam non suspectorum vita solent interrogare. Ex quibus patet peccantem non solùm hac ratione per Superiorem communiter perfectiùs corrigi, sed etiam id semper esse præsumendum, nisi de contrario clarè constet: quod vix vmquam fieri potest, nisi constet Superiorem ad regendum esse omnino ineptum, aut valdè malè erga corrigendum affectum. de quo mox dicam.

Ad secundam probationem, Respondeo quando Superior prudenter creditur ea cognitione abusurus alterum publicè contra iustitiam diffamando, aut valdè grauiter ac indiscretè puniendo; tunc facultatem supradictam ad hunc casum non extendi; atque ita tunc peccantem non debere ad Superiorem deferri, nisi omnino prudenter crederetur hoc ad eius emendationem aut alia grauiora mala emendanda esse necessarium; ita vt omnibus spectatis crederetur minus esse incommodum talem eo casu deferre, quàm id omittere. Sed talia de Superiore numquam sunt præsumenda aut etiam timenda, nisi ex aperta experientia constet eum esse talem. Ita cum aliis Turrianus hîc disput. 89. dubio 4. §. *Addendum verò.* *Turrian.*

Concessio talis facultatis vix potest esse imprudens.

Nec concessio talis facultatis potest censeri imprudens, eò quòd timeri possit ne is, cui concessa est, aliquando ex malitia aut imprudentia ea in tali casu vtatur; tum quia hoc non facilè de aliquo est præsumendum nisi constet eum esse ita imprudentem aut malum; cui etiam fatemur talem facultatem non esse speciatim concedendam: tum etiam quia qui talis est, ferè eadem facilitate abutetur notitia quam habet de alterius peccato sine tali concessione, quàm cum ea; atque ita ex ea concessione vix imminebit vllum periculum.

204 *Lorca.*

Ex his erit facile soluere argumenta allata pro Lorca suprà num. 195. Ad primum, nego assumptum, scilicet talem concessionem fore imprudentem aut prodigam: nam prudentissimè pro maiore & securiore nostro spirituali

Prudenter subeo aliquã famæ iactu rã, ob spem maioris profectus spiritualis.

profectu aliquod periculum aut damnum famæ subimus: ad illum autem finem, vt iam ostendi, eiusmodi concessio ferè semper est vtilis, & sæpissimè necessaria. Et quòd possit aliquando ex imprudentia aut deferentis aut Superioris contingere aliquod incommodum, non ita curandum est, illique periculo vitando spes boni spiritualis prudenter præfertur, præsertim cùm eiusmodi delatio absolutè semper cessura sit in bonum correpti, nisi hoc suo vitio impediat (quod sibi imputare debebit) præsertim quando hæc delatio non fit tali Superiori, quem apertè constat ob odium erga corripiendum aut aliam ob causam ea notitia malè vsurum: ad quem casum, vt suprà dixi, hæc concessio non censetur extendi. Ex quo patet etiam responsio ad illius argumenti probationem.

205 Ordo correptionis fraternæ in solius corripiendi fauorem obligat.

Ad secundum, Respondeo Primò, illud præceptum de ordine in correptione seruando in solius emendandi fauorem obligare: nam in eius etiam fauorem ipsa correptio fit. Respondeo Secundò, eiusmodi concessionem & modum corrigendi fratrem, præsertim Religiosum, saltem extra casum allatum numer. 203. (ad quem hæc concessio non extenditur) ex se nata esse iuuare ad meliorem emendationem & fructum spiritualem corrigendi, ac etiam ad maius bonum commune; nec vmquam aliter fieri nisi ex vitio corrigendi: quod sibi, non illi concessioni imputare debet. Adde, etsi inde quandoque turbationes aliquæ correptiant etiam aliorum sequantur ex horum infirmitate, aut forte ex aliqua imprudentia denunciantis aut Superioris; hæc esse longè minora ipso fructu qui ex illa concessione eiusque vsu communiter sequitur, etiam eo casu, quo initio tales aliquæ turbationes inde oriuntur, vt ostendi num. 201. & 202. magisque patebit ex dicendis infrà in casu, quo talis cessio iuris, ac praxis deferendi aliorum defectus immediatè ad Superiorem vsurpatur in aliqua communitate.

206

Conclvsio III. Vt quis hac ex parte sufficienter censeatur cessisse omni iure quod habet ne ipsius occulti defectus siue peccata deferantur ad Superiorem antequam ipse de ijs sit priuatim monitus, sufficit quòd liberè emittat vota in Religione, in qua nouit esse & seruari regulam, qua statuitur vt omnes sint contenti vt sui defectus siue peccata dicta ratione ad Superiorem deferantur per quemuis, qui extra confessionem ea nouerit: præsertim si ea regula initio sui ingressus & antequam vota emittat, speciatim ipsi proponatur, tamquam ab eo in posterum cum reliquis obseruanda. Ita Turrianus & Valentia suprà. Eademque fere dubio est sententia aliorum quos citaui in 1. concluf. *Turrian. Valentia.*

Probatur, quia si esset aliquis defectus in ea cessione, esset aut quia talis non satis nouit quid agat; aut quia talis cessio ex vi illius voluntatis, qua talem regulam cum cæteris acceptat à se obseruandam, non censetur ad omnia peccata ea ratione ad Superiorem deferenda extendi; aut demum, quia non satis liberè in eam consentit: nec enim potest alia causa fingi cur eiusmodi cessio non sit absolutè valida & sufficiens: atqui nihil horum dici potest: ergo illa debet absolutè dici valida & sufficiens.

Minor probatur, quia cùm emissuro vota talis regula apertè proponatur tamquam ab alijs seruata & ab eo seruanda, in qua clarè exprimitur quòd ipse debeat esse contentus vt omnia eius vitia siue peccata ad Superiorem deferan-

ferantur per quemuis, qui extra confessionem ea cognouerit, non potest ignorare in quid consentiat, dum eam acceptat. Item cùm verba regulæ apertè generalia sint, idque eam acceptans intelligat, voluntas qua eam acceptat, quaque consequenter iure suo cedit, est necessariò generalis & ad omnes casus sub ea contentos extenditur. Rursum cùm nihil eum cogat eam Religionem ingredi, aut eam regulam acceptare, sufficienti libertate eam acceptat: & aliàs eius vota essent irrita, quia hæc non requirunt minorem libertatem quàm illa acceptatio.

207 Ad rationem Lorcæ allatam numero 196. Respondeo secundùm omnia Iura eiusmodi cessionem esse sufficientem, vt habeat generalem effectum respectu omnium casuum sub regula contentorum, præsertim cùm & praxis eam ita explicet, & eius totalis obseruatio (vt infrà ostendam) cedat in magnum bonum tum ipsius Religionis, tum etiam ipsius Religiosi ita suo iure cedentis, nisi hic suo vitio eius vtilitatem ac fructum impediat, vt ostendi suprà; atque adeo cùm illa generalis cessio eiusque integra obseruatio sint ex se vtiles tam Religioni quàm ipsi cedenti, & consequenter fauorabiles, sicut reliqui fauores debent extendi, quantum regulæ verba & aliæ eius Religionis constitutiones patiuntur. Nec ea rum fauori debet obesse vitium cedentis, ex quo quandoque per accidens & præter illarum naturam contingit ex illa obseruatione aliquod incommodum ipsi cedenti oriri; quia æquum est vt cuique priuato potiùs suum vitium noceat quàm ipsi Religioni siue communitati, cui omnino expedit integra regulæ obseruatio, vt suprà ostendi, & magis infrà patebit.

Exemplum autem procuratoris requirentis speciale mandatum vt ducat alterius nomine vxorem, nihil facit ad rem, quia sub aliis illis verbis hæc commissio secundùm communem hominum procuratores sibi constituentium sensum non censetur comprehendi. Quod locum non habet in dicta cessione iuris.

208 Dices, *In generali concessione non veniunt ea quæ quis non esset verosimiliter in specie concessurus.* Vt habetur regula Iuris 81. in 6. atqui multi sunt casus in quibus talis speciatim de ijs interrogatus nollet sua peccata ita ad Superiorem deferri (quoties scilicet hoc esset cum notabili ipsius turbatione futurum:) ergo non censetur in his casibus hanc delationem concedere.

Respondeo, nego minorem: nam omnis obna fide petens in Religionem admitti, in obseruationem regulæ sibi expressè propositæ consentit ea ratione, qua necesse est eum consentire vt admittatur, siue excludendo omnes exceptiones cum quibus scit se nullo modo fore admittendum: atqui petens admitti in talem Religionem nullo modo admitteretur, si sciretur nolle consentire vt in dictis casibus eius vitia possent ad Superiorem ita deferri. & id satis clarè per ipsius regulæ & communem in ea Religione praxim, quam nouitius potest facilè intelligere, ipsi significatur: ergo si bona fide pergat petere admissionem, & censetur & tenetur sine eiusmodi exceptionibus eam concessionem facere. Si autem mala fide agat, hoc ipsi, non autem Religioni, nocere debet.

DVBIVM XII.

Vtrùm possit in aliqua Religione fieri generalis constitutio, vt quuis peccatum alterius extra confessionem ad Superiorem deferat, quantumuis peccans credatur secreta monitione posse corrigi, aut de facto correctus esse?

NOta Primò, nos hîc agere præcipuè de de- 209
nunciatione facienda Superiori vt patri, & in eum finem vt peccans optimo quo fieri poterit modo emendetur, aut etiam vt bono communi Religionis prospiciatur.

Nota Secundò, eiusmodi constitutionem dupliciter fieri posse. Primò, independenter à consensu subditorum, vt si aut iam admissis in Religionem & ea de re non requisitis imponatur eiusmodi regula; aut iam antè condita ijs qui in Religionem eam admittuntur, priùs non proponatur; ita vt dum professionem faciunt ignorent talem regulam esse, aut obseruari.

Secundò, ita vt non imponatur nisi scientibus & consentientibus, vt fit quando omnibus volentibus Religionem ingredi ante emissa vota ea regula vt ab ijs in posterum obseruanda proponitur. atque ita iuxta dicta dub.11. accepta ando eam regulam iure, quod hac ex parte habent, cedunt; secùs autem fit in priore casu, quo hoc iure non cedentibus ea regula imponitur. Et de vtroque casu hæc quæstio potest procedere.

Prima sententia absolutè negat, eiusmodi 210
constitutionem legitimè fieri aut obligare posse, siue in priore siue in secundo casu. Hanc acriter defendit Lorca hîc disp. 47. num. 8. & putat contrarium non esse probabile. *Lorca.*

Probat eam præcipuè, quia iure naturæ à Christo explicato Matth. 18. tenemur fratrem peccantem secretò admonere, priusquam eum ad Superiorem deferamus, quoties illa monitione speratur posse corrigi. Cuius ratio est, quia hac ratione cum minore sua infamia, & sæpè etiam cum minore sua turbatione poterit corrigi. Nec refert quòd acceptando illam regulam iure suo videatur hac in re cessisse, quia hoc præsertim ratione tam generali validè facere non potest. Quod ipse probat argumentis allatis numer. 195. & 196. Deinde citat pro se S. Thomam, qui 2. 2. quæst. 33. artic. 7. ad 5. docet, Prælatum præcipere tem subditis vt sibi denuncient secreta aliorum peccata ante secretam correptionem, facere contra præceptum Christi Matth. 18. citat etiam Sotum relect. de secreto, membr. 2. quæst. 4. concluf. 3. Adrianum, Paludan. Siluestrum, Nauar. suprà à me citatos numer. 180. Deinde eam probat auctò- *Matth.18.* *D.Thom.* *Sotus.* *Adrian.* *Paludanus.* *Siluest.* *Nauar.*

Auguſt. Hugo à S. Vict.

auctoritate S. Auguſt. & Hugonis à S. Victore, qui docent fratrem peccantem priùs ſecretò admonendum antequam deferatur ad Prælatum. quorum verba citaui n.180.& 181.

211 Secunda ſententia huic omnino contraria generatim docet, talem conſtitutionem in vtroque caſu licitè fieri, & obligare ſubditos, quamdiu Prælatus eſt, ſiue creditur eſſe talis, qui eiuſmodi notitia non vtetur aliter quàm debet: prout debet præſumi, quamdiu non conſtat de contrario. Hanc tenent Auctores citati ſuprà n.173.

Probatur autem Primò, ratione allata ſuprà nu.177. quia ſcilicet bono ſpirituali ipſius peccantis expedit eius peccatum ita ad Superiorem deferri; quod præponendum eſt euitationi illius detrimenti famæ, quod ipſi inde accidit. quæ magis confirmaui n.202.

Quà ratione eiuſmodi conſtitutio ſit viliſſima bono communi.

Secundò, quia hoc valdè expedit bono communi ipſius Religionis; præſertim quando aliàs eſſet periculum ne Superior inſcius defectus illius ſubditi committat ei aliquod officium aliudúe negotium, quod cum aliorum ſcandalo alioúe ſpirituali detrimẽto ſit adminiſtraturus. quod facilè poſſet contingere niſi ſubditi fratrum peccata, præſertim aliquo modo grauia, ſtatim acea ſciunt ad Superiorem deferant; maximè in Religione quæ varia officia erga proximos externos exercet, v.g. concionando, audiendo confeſſiones, docendo pueros, &c. Semel enim deprehenſus aliquod peccatum committere, probabiliter poteſt præſumi, id ſæpiùs data occaſione commiſſurus, niſi hæc ei omnis quantum fieri poteſt tollatur. Ex quo tandem natum ſequi aliquod ſcandalum cum graui Religionis infamia & laicorum offenſione.

212 Dices Primò, Huic periculo poterit ſufficienter occurri ſi peccans per ſecretam monitionem emendetur per eum, qui peccati conſcius eſt.

Priuatus ſæpè nequit alium efficaciter corripere.

Sed hoc non ſatisfacit. Primò, quia priuatim eum corripiens nunquam poterit ſcire an alter ea ratione ſufficienter ſit emendatus; cùm hic timens deferri ad Superiorem facilè poſſit fingere emendationem (vt ſæpè contingat) & interim ſecretò aut coràm aliis eadem peccata perpetrare. Atque ita fieri poterit vt idem à diuerſis ſæpè ſecretò reprehenſus credatur à ſingulis emendatus. Secundò, quia, vt patet ex dictis, ſecretò fratrem corripiens ſæpè putat eum tantùm ſemel ex occaſione & fragilitate peccaſſe, atque ita facilè à ſe poſſe corrigi; cùm interim ſæpiùs & ex conſuetudine peccet, nec poſſit corrigi niſi amoueatur ab officio aut ſimili ratione. Tertiò, quia fieri poteſt vt vel peccans vel eum corripiens mittatur ad alium locum; & ſic hic non poterit alterum obſeruare an pergat poſt ſuam correptionem peccare.

Quibus omnibus malis maxima ex parte facilè occurritur, ſi omnes videntes fratrem peccantem eum ſtatim deferant ad Superiorem, qui ex variis poterit facilè intelligere an ille ſæpiùs & ex conſuetudine peccet, aut ſemel correptus ſe emender an non; atque ita facilè ei conueniens remedium adhibebit.

Quæ commoda, ſpectando tam bonũ commune Religionis, quod maximi faciendum eſt, quàm priuatũ ipſius corrigendi, videntur præponderare alicui famæ detrimento, quod peccans inde poſſit pati: quod ſibi etiam imputare debebit, vt qui voluntariè peccando ei cauſam dedit.

213 Dices Secundò, Etſi ea commoda ſint magni momenti, non debent tamen procurari per iniuſtam læſionem famæ proximi. Reſpondeo hoc nihil facere ad rem, niſi priùs probetur illam delationem eſſe iniuſtam: quod Auctores illius ſententiæ negant; nam ſicut non obſtante læſione famæ proximi poſſum eum deferre ad Superiorem quando aliter putatur non poſſe corrigi, nec cenſeor hoc faciendo eius famam iniuſtè lædere, quia bonum eius ſpirituale præponendum eſt bono famæ: ita videor eum, etiamſi credatur aliter emendandus, ſine iniuſtitia poſſe deferre ad Superiorem, quoties maius eius ſpirituale ac etiam cõmunitatis bonum inde ſperatur: præſertim ſi Superior hoc ob dictos fines præcipiat.

Confirm. quia, eò quòd id publico bono communiter valdè expediat, præſertim in locis non ita multùm hæreſi infectis, inquiſitores iuſtè præcipiunt omnes cognitos hæreticos, quantumuis occulti ſint, & ſperentur priuata monitione poſſe corrigi, ſtatim ad ſe deferri, vt hac ratione poſſit efficaciùs & certiùs occurri periculo, quod aliàs reipublicæ immineret, ſi illi priuatim admoniti non corrigerentur, vt cum communi ſententia docet Lorca hic diſp.47 n. 23 & Bañez q.33.a.8.dub.2.ad 7. Ergo ſimiliter Superiores Religionis alicuius, cui valdè expedit omnia peccata ſubditorum coram aliis facta denunciari Prælato, poterunt præcipere vt hoc fiat.

Lorca. Bañez.

214 Probatur Tertiò, quia Innocentius III. cap. *Qualiter & quando.* 24. de accuſat. in fine, cùm dixiſſet denunciationi præmittendam eſſe caritatiuam monitionem; ſubdit hunc ordinem in perſonis regularibus non eſſe vſquequaque ſeruandum; apertè oſtendens ob bonum publicum in his contrarium poſſe obſeruari.

Innoc. III.

Quartò, quia eiuſmodi conſtitutio apertè habetur in regulis Fratrum Minorum, quas vocant Barcinonenſes: vbi, vt refert Bernardinus de Areualo, ſic habetur: *Debeant fratres exeuntes in reditu ſuo Guardiano notabiles exceſſus ſociorum ſuorum intimare. Quòd ſi non fecerint, per Superiorem cui hoc conſtiterit, in ieiunio panis & aquæ, vel aliàs puniantur. Et ſi vnus frater alterius fratris exceſſus ſciuerit per duas vias, vtpote per confeßionem & aliter, nihilominus ſic Guardiano vt dictum eſt dicere debeat.*

Bernardin. de Areualo.

Similia habentur in regulis Prædicatorum diſt.1.c.18.§.6. vbi dicitur: *Si quis tale quid* (ſcilicet peccatum ex recenſitis paragraphis præcedentibus) *extra monaſteriam commiſerit, frater qui cum eo eſt ſtudeat eius exceſſum Prælato quantociùs intimare.* Deinde iubet eum qui peccauit vlteriùs ad eum locum non redire, niſi poſtquam legitimè fuerit iudicatus ſe ſufficienter emendaſſe. Quod ob ſequentia videtur intelligendum, quando peccatum coram aliquibus externis fuit commiſſum. Deinde ſubdit: *Si verò eiuſmodi peccatum occultum fuerit* (ita ſcilicet vt ſolus

215 *Regula Prædicatorum.*

socius, qui id iubetur denunciare Prælato, id sciuerit) *disquisitione secreta* (qua scilicet Superior accepta alterius denunciatione, secretè veritatem inquirit) *secundùm tempus & personam condignam agat pœnitentiam.* Cùm igitur hæ regulę toti Ordini post maturam deliberationem sint præscriptæ, & in praxim redactæ, & à tot viris doctissimis receptæ, & à Summis Pontificibus aut expressè aut saltem tacitè sint approbatæ; non videntur posse prudenter accusari tanquam aliquid contineant naturæ ac Christi legibus contrarium.

216 Respondet Lorca suprà, eas regulas ita intelligendas esse, vt iubeant socij excessus denunciari Superiori præmissa priùs correptione secreta iuxta ordinem Matth.18. præscriptum, & quando hæc frustra adhibita fuerit.

Lorca.

Matth.18.

Sed hoc dici nequit. Primò, quia vtraque absolutè & generatim iubet tales defectus deferri, nec vllum casum excipit. Secundò, quia regula Prædicatorum iubet eos *Prælato quantociùs* (siue statim) *intimare.* Secundùm illam autem explicationem, sæpè non deberent eos deferre ad Prælatum; quoties nimirum alter crederetur priuatim monitus corrigendus: quod de illo primùm in peccato deprehẽso ferè semper deberet præsumi, præsertim si admonitus diceret se emendaturũ delictum, quod timore denunciationis ferè semper faceret, atque ita rarò, nisi quis sæpiùs ab eodem in talibus peccatis deprehenderetur (quod non ita sæpè contingit) eæ regulæ haberent locum. Item secundùm illam explicationem nunquam fratris peccatum deberet quantociùs ad Superiorem deferri, sed semper esset exspectandum donec frater primò data commoda occasione secretò corriperetur, & deinde secundò ab eodem in eiusmodi peccato deprehenderetur. Quod quàm sit alienum à verbis & mente illius regulæ, quis non videat?

217 Tertiò, dicta explicatio alia ratione apertè repugnat regulæ Barcinonensi: vbi dicitur id peccatum deferendum ad Superiorem etiam ab eo cui peccans id fuit sacramentaliter confessus, modò id etiam alia via sciat. Quod apertè esset falsum, si ille tunc solùm deberet illud deferre quando scit fratrem non posse secreta correptione à se corrigi; quia cùm ipse sciat alterum hoc iam esse sacramentaliter confessum, debet supponere eum hoc cum vero proposito emendationis fecisse, ne aliàs temere suspicetur eum sacrilegè Sacramentum accedere, imò aliàs ei non potuisset dare absolutionem. Et consequenter debet supponere eum iam esse secundùm præsentem voluntatem emendatum; imò ipsa regula id vt minimum tanquam probabilius supponit, ne fratres temerè sacrilegos iudicet; & tamen præcipit eum deferri ad Superiorem. Ex quo patet, eam in hoc præcepto non tam spectare præsentem fratris correctionem quatenus priuatim fieri potest, quàm sternere certam viam in posterum præcauendi futura eius peccata, & omnibus imponendi quandam necessitatem cauendi eiusmodi peccata metu denunciationis.

218 His consonant quædam constitutiones à S. Bonauentura editæ in quodam Capitulo generali, vbi dicitur: *Dogmatizare quòd frater qui fratrem correxit de aliquo excessu secundùm formam Euangelij in occulto, non tenetur reuelare Superiori, qui potest & debet prodesse, & animarum pericula præcauere. Ex sententia totius Capituli definitum est doctrinam esse pestiferam.* Vbi, vt putat Lorca, non agitur solùm de eo qui frustra, siue sine spe emendationis fratrem peccantem secretò corripuit, sed de eo qui *frãtrem correxit*, id est efficaciter corripuit, ita vt speret emendationem: quem, vt ostendi n. præc. constitutiones Barcinonenses hoc non obstante iubent deferri ad Superiorem, vt pericula peccandi in posterum meliùs præcaueantur, aliisque incommodis obuietur.

Bonauent.

Lorca.

Tertia sententia docet, eiusmodi constitutionem esse quidẽ licitam, posito quòd subditi omnes saltem tacitè liberè renuncient suo iuri, quod habent ne eorũ occulta peccata deferantur ad Superiorem priusquam de iis frustra sint secretò moniti. Quod probat, quia scienti & volenti non fit iniuria; & quia ille ordo est præscriptus in fauorem corripiendi, cui potest renunciare. Addit tamen eiusmodi constitutionem videri duram, & quæ necessariò multis nõ ita perfectis sit occasio grauium turbarum. Ita Bañez 2.2.q.33.a.8. dub.2. ad 7. in respons. ad 1. confirm. 219

Bañez.

Conclvsio I. Certum omnino est in aliqua Religione licitè posse condi eiusmodi regulam, qua omnes eius Religiosi iubeantur esse contenti vt omnes eorum defectus siue peccata extra confessionem ab aliis cognita, Superiori ab his possint aperiri, etiam in casu quo sperantur per secretam omnino correptionem emendandi, saltem quãdo subditi in eiusmodi regulam liberè consentiunt: quod fit hoc ipso quo petunt in eam Religionẽ admitti, in qua sciunt eiusmodi regulam esse ac obseruari, quia hoc ipso cedunt iure, quod habent ne alij eos deferant ad Superiorem non seruato ordine correptionis. Ita omnes Auctores citati suprà dub.11. concluſ.1. Et ex dictis ibidem & duabus seqq. concl. & ex rationibus iam allatis pro secunda sententia clarè patet; quæ vt minimum hanc conclusionem apertè probant. 220

Deinde confirm. Primò, quia in nostra Societate est de facto eiusmodi regula à multis Pontificibus vnà cum reliquis constitutionibus approbata: quam accusare tanquam continentem aliquid iuri diuino ac naturali repugnans, est accusare crassi erroris non solùm S. Patrem Ignatium nostræ Societatis ac regulæ auctorẽ, sed ipsos etiam Summos Põtifices, qui nostrum institutum easque regulas approbarunt. nam si illa aliquid tale contineret, esset regula iniqua iuri naturali ac diuino repugnans: & consequẽter Summi Pontifices eam approbando, approbassent aliquid iuri diuino ac naturali repugnans. quod sine eorũ insigni nota dici nequit. 221

Nostras constitutiones reprehendi Pontificibus easq; approbantibus iniustum est.

Respondet Lorca, Pontifices approbasse quidem generatim totum institutum, non tamen singulas eius regulas. Quod confirmat, quia nullum Religionis institutum maiore plausu à Summis Pontificibus confirmatum est, quàm 222

Lorca.

Carthu-

Carthusianorum; & tamen disputatur an regula quæ eos iubet abstinere carnibus etiam cum periculo vitæ, sit licita; multique opinantur esse illicitam.

223 Sed hæc dici nullo modo possunt de nostris constitutionibus. Primò, quia, cùm nostrum institutum fuit approbatum primò à Paulo III. deinde à Iulio III. id fuit factum cum summa multorum contradictione, & in id omnesque eius constitutiones exactissima disquisitione; vt patet ex Ribadinera in Vita S. Patris nostri lib. 2. c. 17. & lib. 3. c. 21. Ex quo patet, nihil in iis à Pontifice approbatum nisi sigillatim bene perpensum.

Deinde cùm postea multi multa in nostro instituto eiusque constitutionibus reprehenderent, ac sinistrè interpretarentur; Gregorius XIII. edita bulla quam integram refert Ribadinera lib. 3. Vitæ S. P. nostri cap. 23. inter cetera ait: *Præcipimus igitur in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis excommunicationis latæ sententiæ, nec non inhabilitatis ad quæuis officia, & beneficia sæcularia, & quorumuis Ordinum regularia, eo ipso absque alia correptione incurrendis, quarum absolutionem nobis ac successoribus nostris reseruamus, ne quis cuiuscunque gradus, status ac præeminentiæ existat, dictæ Societatis institutum, constitutiones, vel etiam præsentes* (scilicet litteras Apostolicas) *vel quemuis earum, vel supradictorum* (scilicet instituti & constitutionum) *articulum, vel aliud quidquis suprà dicta concernens, quouis disputandi, vel etiam veritatis indagandæ, quæsito colore directè vel indirectè impugnare, vel iis contradicere audeat.* Videat igitur Lorca, an per hanc Pontificis bullam ei licuerit aliquam regulam, in nostris constitutionibus tanquam iuri diuino ac naturæ contrariam reprehendere. Sed credo virum bonum id facturum non fuisse, si hanc bullam legisset.

Greg. XIII. *Lorca.*

224 Ad confirmat. Respondeo Primò, constare quidem aliquos impugnare decretum Carthusianorũ, quo prohibetur ęgris comedere carnes, etiam eo casu quo id iudicatur necessarium ad euadendum mortis periculum; sed inde non probatur, hoc decretum esse illicitum, aut imprudenter factum, nisi priùs probetur illos Auctores bene siue rationabiliter facere tam sanctum institutum impugnando tanquam irrationabile, & iuri naturæ ac diuino repugnans: si enim contineat aliquid irrationabile & iuri diuino ac naturali repugnans, ipsum etiam simpliciter erit tale; sicut lex est simpliciter impia, quæ vel vnum articulum impium continet, etiamsi alios habeat laudabiles. Cùm igitur hoc non nisi summè temerariè & cum grauissima in sanctissimum Ordinem iniuria dici possit, ego sanè non video quomodo illa regula tanquam rationi repugnans prudenter impugnari possit.

225 Respondeo Secundò, longè esse aliam rationem illius regulæ Carthusianorum & nostræ. Primò, quia illud tam rigidum decretum de non comedendis vnquam carnibus fuit statutum in Capitulo quodam generali anno 1254. multis annis post institutionem Ordinis, eiusque per Alexandrum III. & Cælestinum III. approbationem. vide Petrum Sutorem libr. 1. tract. 3. c. 8. Quare Pontifices approbando institutum non approbauerunt simul illud decretum. Constitutiones autem nostræ, & in iis illa regula, quam Lorca impugnat, erant exactè conscriptæ quando institutum vnà cum constitutionibus fuit approbatum, præsertim à Iulio III. & Gregorio XIII.

Petr. Sutor. *Lorca.*

Secundò, est magna inter hæc differentia: nam institutum Carthusianorum non habuit initio tam acres oppugnatores, qui exactissimè in ipsum eiusque constitutiones inquirerent, ac Pontifici proponerent quæcunque possent videri aliqua ratione minùs conuenientia; sicut habuit nostra Societas; quare huius omnes regulæ à Pontificibus ante eius approbationem fuerunt exactiùs examinatæ.

226 Tertiò, quia non est ita sigillatim ac strictè prohibitum impugnare institutum aut constitutiones Carthusianorum, sicut est prohibitum à Gregorio XIII. impugnare constitutiones nostræ Societatis.

Lorca.

Quartò, quia illa regula quam Lorca impugnat, fuit olim à quodam è Societate nostra dimissо, libello ad id conscripto impugnata, tanquam contraria dicto Christi præcepto & à Gregorio XIII. defensa damnato illius libelli auctore, vt refert Alphonsus Rodrigues in Exercitio perfect. 3. p. tract. 8. c. 6. cuius facti sunt etiam multi testes in Societate, vt refert Turrian. hîc disp. 89. dub. 4.

Alphonſ. Rodrig. *Turrian.*

227 Respondet Lorca, hoc nihil probare, quia nullum tale decretum Pontificis in aliqua bulla exstat. Additque quosdam è nostra Societate negare eiusmodi confirmationem illius regulæ. Sed hæc Responsio nullo modo satisfacit. Primò, quia, vt Pontifices factum alicuius particularis hominis damnent, non est semper opus vt aliquam bullam ad hoc edant, nec damnatio ideò est minoris momenti, aut ideò minùs probat sententiam, quam damnatus impugnat. Quòd autem aliqui ex nostris ignorẽt eiusmodi factum, nihil facit ad rem, quia non omnes debent omnia scire: sed ad id probandum sufficit esse aliquos fide dignos qui id testentur. Secundò, quia speciali ratione ad damnationem illius impugnatoris, & confirmationem illius regulæ nulla particulari bulla fuit opus, cùm ad vtrumque abundè suffecerit bulla citata n. 223. quæ expresè sub grauissimis pœnis prohibet impugnari nostras constitutiones, in quibus illa regula continetur. Et valdè probabile est illa verba speciatim esse addita, propter factum auctoris illius libelli, aliorumque similium. Atque ita Lorca habet ibi expressa verba bullæ quibus impugnatio illius regulæ prohibetur; & consequenter quibus ipsa regula confirmatur.

Lorca. *Lorca.*

228 Conclvsio II. Eiusmodi regula in circumstantiis conclus. 1. expressis non solùm licitè condi potest, sed etiam valdè ad bonum ipsius Religionis, & profectum spiritualem subditorum conducit. Hanc etiam (saltem excepto Bañez, qui videtur sentire eiusmodi regulam minùs expedire communitati) tenent omnes Auctores citati dub. 11. concl. 1. & apertè patet ex dictis n. 177. 198. 202. 211. &c. vbi satis osten-

Bañez.

di ad cauenda plurima peccata, & ad conseruandam integritatem Religionis valdè conducere vt omnia peccata, præsertim aliquo modo notabilia, Religiosorum deferãtur ad Superiorem, vt ipse paterno affectu prospiciat infirmitati peccantium, ac peccandi occasiones tollat, & vt subditi hac ratione tanquam quodam fræno à peccando auocentur. Nec hoc magis durum debet videri iis, quorum peccata ad Superiorem deferuntur, quàm perpetuò seruare castitatem, paupertatem & obedientiam & strictum disciplinæ rigorem; quæ tamẽ omnes Catholici docent ad profectum in spiritu valdè conducere, ideoque laudabiliter in Religione voueri ac præcipi. Quæ non ita dico, quasi sine eiusmodi regula nequeat Religio eiusue disciplina consistere: hoc enim verum non est; sed quia illa ad hæc promouenda multùm conducit. Vnde etiam tam Prædicatores quàm Minoritæ saltem in quibusdam casibus eiusmodi regulam condiderunt: vt ostendi n.214.215.&218.

Dixi in priore concl. *saltem quando subditi in dictam regulam consentiunt*, &c. Quia an talis regula possit imponi nullo modo cõsentientibus, disputari posset; & id multi negant (quos Lorca suprà malè citat contra nostram priorem conclusionem; nam ipsi nullo modo loquuntur de casu illius conclusionis) multi tamen id etiam asserunt, quos citaui suprà n.173. Et valdè huic opinioni fauent allata hoc dubio pro secunda sententia, præsertim duæ illæ regulæ, & decretum Capituli generalis, allatum n.218. nisi dicamus hæc non obligasse nisi post promulgationem ab omnibus qui tunc erant de facto in iis Religionibus professi, fuerint acceptata, vt ipsi possint ea ratione censeri ex ea parte suo iure cessisse. De iis autem qui postea admissi sunt, facilior est ratio, cùm illi sponte admissi sint in Religionem in qua sciebant eiusmodi regulas esse. Sed siue hæc ratione, siue alia illæ regulæ conditæ sint, nullo modo possum dubitare quin iustissimè conditæ sint. 229 Lorca.

DISPVTATIO XXIX.

De odio Dei ac proximi.

D.Thom. VM D. Thomas in 2.2. qu.23. & seqq. explicuisset naturam caritatis, eiusque effectus, qu.34. & seqq. disputat de diuersis vitiis caritati eiusque effectibus repugnantibus: scilicet de odio, acedia, inuidia, discordia, schismate. & ratione horum de bello, rixa, seditione & scandalo. de quibus hîceti am sequentibus disputationibus agam.

DVBIVM I.

Quomodo distinguantur odium inimicitiæ, & odium abominationis?

Caietan. Vasquez. Salas Turrian. Odium aliud inimicitiæ, aliud abominationis. 1 NOta Caiet.1.2.q.29.a.1.& cum eo Vasquez 1.p.disp.84.cap.3. Salas 1.2.tract.9.disp.3. sect.2.& Turrianus 2.2.disp.88.dub.1. diuidere odium in odium inimicitiæ, & odium abominationis. Quæ diuisio ab omnibus suscipitur, est tamen difficultas quomodo hæc inter se distinguantur, & in quo vtriusque ratio consistat.

Caietan. Odium inimicitiæ opponitur amori beneuolentiæ, alterum amori concupiscentiæ. 2 Quam difficultatem vt explicet Caietanus suprà, docet Primò, odium inimicitiæ opponi propriè & directè amori amicitiæ siue beneuolentiæ, quo alicui volumus bonum, quia ipsi bonum est, & odium abominationis opponi directè amori concupiscentiæ, quo aliquod bonum nobis aut alteri optamus. Vnde infert odiũ inimicitiæ respicere siue ferri propriè in personas, quibus aliquod malum volumus: odium verò abominationis ferri directè in res aliquas quas odimus. Deinde inferiùs sibi obiicit odiũ abominationis quandoque in personas ferri: & respondet hoc ferri in personas non qua tales, sed quatenus quædam res sunt.

Prius fertur in solas personas, alterũ etiam in res.

3 Docet Secundò, vtrumque odium in modo tendendi in sua obiecta tam inter se, quàm etiam ab vtroque dicto amore multùm differre. Nam vterque amor fertur in sua obiecta, scilicet tam in personam cui bonum appetitur, quàm in bonum appetitum per modum prosecutionis: vtraque enim hæc verè amamus. Odium verò inimicitiæ fertur in personam per modum fugæ, hanc auersando; in ipsius autem malum per modum prosecutionis, quia optat hoc esse vt illi malè sit. Contrà odium abominationis fertur in malum hoc fugiendo, & optando id non esse: in personam verò, cuius malum detestamur, ferimur per prosecutionem siue eam amando; nam amare alicuius bonum & auersari eius malum qua ei malum est, ex eodem ipsius personæ amore proueniunt. Qui modus vtrumque fertur in obiectum.

Sed hæc nec omnia generatim vera sunt, vt ex dicendis patebit, nec sufficienter vtriusque odij naturam ac differentiam explicant. Hinc quidam dictis principiis nimiùm inhærentes ex iis quædam minùs probabilia inferunt. Primò enim inde deducunt omnem volitionem, qua volumus alicui malum qua ei malum est, esse odium inimicitiæ respectu illius cui illud malum volumus. Secundò, iudicem decernentem reo iustam pœnam hunc odisse odio inimicitiæ; quia vult ei aliquod malum, v.g. mortem, quatenus habet rationem pœnę. & consequenter quatenus patienti mala est; quia de ratione pœnæ, qua talis, est quòd sit mala patienti; quare qui vult alicui aliquid, quatenus habet rationem pœnæ, vult hoc quatenus ei malum est. Tertiò, Deum peccatores vero & propriè dicto odio inimicitiæ odisse: quia vult eis damnationem, quatenus habet rationem pœnæ, & consequenter quatenus iis mala est. 4

Sed hæc apertè repugnant D. Thomæ lib.1. contra Gentes cap.96. vbi ex professo docet, Deum nullam creaturam odisse odio propriè dicto 5 D.Thom.

D.Thom. dicto siue odio inimicitiæ. Respondet D. Thomam ibi dicta reuocasse in 1.p.q.20. art.2. ad 4. vbi docet, Deum odisse peccatores qua tales. Sed D. Thomas ibi potiùs confirmat priore loco dicta: nam docet, Deum amare omnia quæ habent verum esse, atque adeò etiam ipsos peccatores quatenus habent aliquod esse, quia vult eos hoc habere, & solùm odisse eos qua peccatores. *Quia*, inquit, *in quantum peccatores sunt, non sunt, sed ab esse deficiunt: & hoc in iis à Deo non est, vnde secundùm hoc ab ipso odio habentur.* vbi insinuat, Deum non odisse propriè ipsam personam peccatoris, sed solùm ipsius peccatum. Hinc etiam 2.2.quæst.34.a.3.docet, omne odium proximi esse peccatum: & nos solùm peccatum in eo licitè odisse. vnde ibidem ad 2. docet, Deum in peccatore solam culpam odisse.

6 Deinde dicta videntur satis apertè repugnare rationi. Nam verum odium inimicitiæ nequit consistere cum vero amore illius personæ quæ odio habetur, quia amor & odium sibi mutuo contrariantur, ideoque fieri nequit vt eandem personam simul absolutè oderim & amem: atqui fieri potest vt iudex reum quem vult pro meritis punire, absolutè amet: ergo dici nequit quòd eum tunc odio inimicitiæ verè oderit. Minor probatur, quia fieri potest, quòd reus sit sanguine iunctus ipsi iudici, ideoque aut alias ob causas valdè ab eo ametur; & hic nihilominus quia iustitia id exigit, quodammodo coactus ne contra iustitiam peccet, eum merita pœna plectat. Quo casu cùm iudex ex amore iustitiæ velit reo pœnam, vult ipsi malum qua ipsi malum est, & rursus cùm doleat se debere ei hanc pœnam infligere, ipsum necessariò amat; quia ideo de eius pœna dolet, quia ipsum amat.

Nequeo eũdem simul amare & odisse.

Possem alicui velle malum qua ei malum est, & simul eum amare.

Confirmatur, quia sæpè contingit aliquem considerando sua peccata, quibus tam grauiter Deum offendit, ex zelo honoris Dei, & desiderio reparandi læsam ipsius auctoritatem, velle ea in se punire, ideoque graues à se pœnas exigere; quo casu vult sibi aliquod malum qua sibi malum, & tamen verè seipsum non odit odio inimicitiæ. Quæ ex infrà dicendis clariùs patebunt.

7 Pro resolutione Nota Primò, etsi non possimus vnquam velle aliquod malum, nisi sub ratione aliqua boni, quæ in eo aut est aut esse creditur, nos tamen sæpè velle aliquod malum etiam qua tale, eò quòd in eo etiam sub dicta ratione apprehendatur aliquod bonum siue verum, siue falsum. Patet, quia qui alterum absolutè odit, optat ei malum qua ipsi malum est, quia hoc apprehendit sibi bonum, vt mox ostendam. Item qui vult alterum legitimè & ex amore iustitiæ punire, vult ei malum pœnæ quatale, quia vult illud quatenus vtile est ad puniendum alterius peccatum; nec ad hoc est vtile, nisi quatenus est patienti aliqua ratione malum, v.g. priuando eum aliquo bono, aut infligendo ei dolorem, &c. tota tamen ratio hoc volendi est bonum iustitiæ, quod ex illa punitione exurgit.

In malo qua tali potest reperiri ratio boni.

Puniens vult pœnam qua mala est.

8 Nota Secundò, bonum quod in malo alieno appetimus, respectu huius se dupliciter habere posse. *Duplex bonum in malo appetitur.*

Primò, tanquam effectus respectu suæ causæ à se omnino distinctæ. Quo casu sæpè ita appetitur præcisè propter illud bonum quatenus est medium ad hoc acquirendum necessarium, vt tamen secundùm se displiceat. sicut proiicienti merces è naui ne ipse aliàs cum iis pereat, hæc iactura secundùm se displicet, etsi eam velit, quia necessaria est vt finem siue salutem suam obtineat. Sic quandoque aliqui occidunt suum inuasorem, quia aliter vitam suam seruare nequeunt; & iudex occidit reos, quia aliter iustitia seruari nequit, cùm tamen vtriusque horum mors secundùm se displiceat.

Secundò, ita vt quis alienum malum apprehendat immediatè secundùm se sibi bonum; ita vt illud secundùm se sibi placeat præcisè quia alteri malum est.

9 Nota Tertiò, sicut ex eo quòd apprehendimus aliquid in se bonum & dignum amore naturaliter, nisi resistamus, in nobis nascitur quædam illius complacentia, qua ipsum in se nobis placeat, quaque excitamur ad id prosequendum: ita ex eo quòd aliquid apprehendimus, aut nobis, aut rei quam amamus contrarium, atque ita malum, nascitur in nobis quædam illius displicentia, qua illud in se displicet, quaque excitamur ad hoc auersandum & fugiendum; in qua animi auersione propriè consistit detestatio siue abominatio rei malæ. Nos enim rem aliquam detestari siue abominari nihil est aliud quàm nos eam vt malam auersari. Quamuis abominatio aut etiam detestatio sæpè soleat sumi non pro quauis, sed solùm pro vehementi animi auersione, qua aliquid tanquam omnino & grauiter malum auersamur. Absolutè tamen loquendo, & sumendo ea verba generatim, quidquid verè auersamur, possumus dici id verè detestari ac abominari. *Ex apprehensione boni complacentia, ex apprehensione mali auersio naturaliter excitatur.* *Abominatio in quo consistat.*

10 Nota Quartò, etsi bonitas alicuius personæ, v.g. scientia aut virtus quæ ei inest, sit causa siue ratio formalis cur ipsum amemus; tamen non amamus hanc solam, sed etiam ipsam personam secundùm se. Et simili modo in aliis non solùm ipsa vitia, sed propter hæc etiam personam cui insunt, detestamur, iuxta illud Sapientiæ 14. *Similiter odio sunt Deo impius & impietas eius.* Ratio est, quia bonitas vel malitia ficut efficiunt bonum vel malum, subiectum cui insunt, ita reddunt illud amabile vel odibile. *Bonitas & malitia personæ sunt causa cur eam secundum se amemus aut oderimus.* *Sap.14.*

11 Sicut tamen dictæ qualitates non efficiunt semper sua subiecta omni ex parte bona, aut omni ex parte mala (nam idem homo potest in se simul habere quasdam virtutes, & quædam vitia; imò quantumuis scateat omnibus vitiis, tamen eius natura secundùm se, & vt à vitiis præscindit, bona est) ita nec semper reddunt ea omni ex parte amabilia, aut omni ex parte detestabilia: atque ita quædam res sunt partim odio siue detestatione, partim amore dignæ. Imò quantumuis aliquis sit nequam, ideoque dignus quem detestemur, tamen quatenus est homo redemptus Christi sangui- *Quædã partim amore, partim odio dignasunt.* *Homo nunquam omni ex parte odibilis.*

ne, præsertim quamdiu est in hac vita, est amore dignus.

12 Ex quo sequitur, quamdiu amor aut odium alicuius in nobis moderata sunt, nos eos, quos amamus aut odimus, non semper absolutè & sub omni ratione amare aut odisse; sed sæpè sub vna ratione amare, & sub alia auersari aut improbare. sic detestamur peccatores qua tales; & eos amamus qua homines ad æternam beatitudinem creatos, & optamus eos à vitiis conuersos hanc consequi. Quandoque tamen contingit illa immoderatè excrescere, & nos impellere vt amati etiam vitia probemus, aut eorum quos odimus bona auersemur, eosque simpliciter & omni ex parte oderimus.

Amor & odium immoderata efficiunt vt vitia amemus, & bona oderimus.

13 Nota Quintò, quòd, sicut amor personæ, quando hanc verè secundùm se amamus, efficit vt eius bona qua talia, siue præcisè quia ei bona sunt, & quamuis nullum aliud inde commodum nobis exspectemus, iudicemus nobis esse amanda & quodammodo ad nos pertinere, ita vt ea apprehendamus ac si essent propria nostra bona, atque ita non aliter excitemur ad ea prosequenda, ac illi optanda ac procuranda, quàm si verè nostra essent: ita similiter verum & absolutum odium, quo aliquem tanquam nobis inimicum prosequimur, efficit vt eius mala apprehendamus tanquam nobis bona præcisè quia ipsa mala sunt, etiamsi nullum aliud commodum nobis inde sequatur, & consequenter efficit vt illa sub illa ratione amemus. Sic diabolus & nobis & Deo optat & quantum potest procurat malum, præcisè quia nobis aut Deo malum est, etsi sciat se inde nullum aliud commodum posse consequi. Vnde etiam quidam suis inimicis & optant & procurant interitum cum suo euidenti periculo, sinespe alterius commodi; & verum creduntillud Deianiræ apud Senecam in Hercule Oetæo: *Felix iacet* (scilicet occisus) *quicunque, quos odit, premit*, scilicet sub se interfectos.

Odium efficit alienam malum vt bonum apprehendi.

Seneca.

14 Ex quo sequitur, quòd, sicut quia nobis bona per se & præcisè quia nobis bona sunt amamus, ideo ea sine mensura siue sine fine amamus, ita vt quantumuis multa accedant, adhuc plura nobis optemus; præsertim quando est spes ea obtinendi: ita nos etiam sine mensura optemus bona ei, quem vero amore amicitiæ amamus: & sine mensura mala optemus ei, quē absoluto odio inimicitiæ prosequimur; quia tam huius mala qua talia, quàm illius bona qua ipsi bona, apprehendimus tanquam quædam nostra bona. Quia tamen humana natura ex se ad humanitatem & misericordiæ erga homines miseros affectum inclinatur, ratò odium est tam ingens vt omnē humanitatis sensum extinguat; ideoque in grauissimis inimicorum malis etiam ipsos inimicos sæpè aliqua subit miseratio: atque ita eorum pœnis satiantur. Quando tamen odium est valdè ingens, vt contingit in dæmonibus respectu nostri, & in multis etiam hominibus adhuc viuentibus, nunquam vllis inimicorum pœnis satiatur. Et hoc per se omni vero odio inimicitiæ conuenit; atque adeò quando quis eius quem ita odit satiatur pœnis, hoc fit quia odium naturali ad commiserationem inclinatione hac ex parte vincitur. Et ex his erit facile definire & naturam vtriusque odij, & differentiam inter se.

Cur odium velit inimico malum sine mēsura.

Rarò odium omnem cōmiserationē excludit.

Conclvsio. Odium abominationis consistit in quadam animi auersione, qua aut rem aut etiam personam aliquam, tanquam nobis, aut rei, aut personæ à nobis amatæ contrariam, & qua talem auersamur & refugimus, aut etiam cupimus non esse. Odium verò inimicitiæ propriè est, quo alicui personæ quam detestamur volumus malum, præcisè quia ipsi malum est, hoc ipsum qua tale præcisè apprehendentes tanquam nostrum bonum, sine vllo alio nostro commodo quod ex eo possimus consequi, iuxta dicta n. 13. 15 *Quid sit odium abominationis.* *Quid odium inimicitiæ.*

Priorem partem apertè tradunt Auctores initio dubij citati, & patet ex dictis num. 9. vbi ostendi abominationē (quæ idem est cum odio abominationis) nihil esse aliud quàm vehementem animi ab aliqua re auersionem.

Secundam partem videtur tenere Salas supra num. 35. & alij. Et quidem omnes admittunt tale odium esse quidem verum odium inimicitiæ; aliqui tamen negant illud solùm esse odium inimicitiæ, voluntque talem esse omnem voluntatem qua volumus alicui malum qua ipsi malum est, etsi hoc ob alium finem honestum velimus. Sed hoc non sufficere ad verum odium inimicitiæ, sed requiri vt velimus alicui malum præcisè quia ipsi malum est, in hoc sistendo, siue nullum aliud commodum nobis inde exspectando, patet ex dictis nu. 5. & 6. vbi attuli incommoda quæ ex illa sententia sequuntur. 16 *Salas.*

Confirmatur vtraque pars conclusionis, quia hac ratione & non aliter apertè patet, qua ratione odium abominationis directè opponatur amori concupiscentiæ, & odium inimicitiæ amori amicitiæ: nam sicut priore amore amo aliquam rem propriè quia mihi aut amico commoda, ita priore odio auersor aliquid præcisè quia mihi aut rei vel personæ amatæ contrarium. Item sicut vt aliquem amem amore amicitiæ, necessariò volo ei bonum præcisè quia ipsi bonum, sine respectu ad aliud commodum inde consequens, siue ita vt bonum amici qua tale appetatur propter se, non autem purè propter aliud, sicut amatur bonum equi aut famuli propter bonum ipsius domini. Ita vt oderim aliquem vero odio inimicitiæ, dico necessariò requiri, vt velim ei malum præcisè qua ipsi malum est, ita vt ipsius malum qua tale propter se appetam, quatenus id qua tale apprehendo vt meum bonum, iuxta dicta n. 13. 17

Confirmatur secunda pars Secundò, quia referendo malum alterius volitum ad alium finem, possum alicui velle malum qua ipsi malum, referendo hoc ipsum ad ipsius bonum, atque ita eodem ipso actu implicitè eum amare: ergo vt aliquem oderim odio inimicitiæ, non sufficit quòd velim ei malum qua ipsi malum; sed necesse est vt illud velim propter se, siue propter bonum secundùm meam apprehensionem ei intrinsecum; & non solùm propter bonitatem ei extrinsecam. Consequentia patet, 18

quia

quia non possum aliquem eodem actu verè odisse & amare.

Antecedens probatur, quia pater flagellans filium vt ipsum hac ratione à peccando deterreat, & ad bonum compellat; vult ei verbera qua dolorifera, & consequenter quatenus ei sunt mala; nam hac ratione continent malum pœnæ: quia tamen pater hac ratione intendit magnum filij bonum, eodem illo actu eum verè amat, quia implicitè vult ei bonum sine comparatione maius eo malo quod ipsi vult; nec vult ei malum, nisi quatenus ad illud bonum obtinendum est necessarium.

19 Odium inimicitiæ necessariò supponit odium abominationis.

Ex dictis patet Primò, odium inimicitiæ semper supponere, atque adeò secum coniunctum habere odium abominationis erga inimicum; nam ideò malum alterius qua tale præcisè apprehendimus nobis bonum, ac illi optamus, quia ipsum auersamur, aliàs id numquam facturi.

20

Secundò, quando alterius malum etiam qua ipsi malum non optamus propter se, sed propter finem ab eo distinctum, eiusmodi voluntatem non semper continere aliquod odium erga eum cui id malum optamus; nam, vt ostendi, potest cum vero & absoluto ipsius amore consistere, imò ex hoc proficisci. vnde vlteriùs sequitur, quando siue Deus, siue aliquis homo iudex ex amore iustitiæ vult reo infligere meritas pœnas, hunc affectum sub hac præcisè ratione non continere vllum odium erga reum.

Confirm. quia Deus habet eiusmodi voluntatem erga viros sanctissimos & sibi dilectissimos hinc decedentes cum aliquo leui peccato veniali, quibus ita vult malum pœnæ, & tamen non potest dici eos vllo modo odisse.

21 Differentia odij à cupiditate vindictæ.

Patet Tertiò, qua ratione odium inimicitiæ differat à cupiditate vindictæ, quia scilicet quātumuis hæc irrationabilis aut etiam iniusta sit, tamen proponit sibi quandam speciem iustitiæ seruandam, & quandam æqualitatem ponendam inter peccatum quod verè aut falsò imputat alteri, & malū quod cupit ei infligi; vnde hoc non optat propter se, sed quatenus id apprehendit necessarium vt illa æqualitas ponatur, siue vt illius peccatum condignè puniatur. Odium verò optat inimici malum propter se, & tamquam immediatum suum bonum; ideoque ex se id optat sine mensura & insatiabiliter, iuxta dicta suprà.

Ex quo patet, illud odium hac ratione multò magis differre à desiderio vindictæ procedente ex vero amore iustitiæ, quale est in iusto iudice.

22 Deus erga nullum habet odium inimicitiæ.

Sequitur Quartò, Deum nullum hominem vel angelum odisse odio inimicitiæ, quia, etsi aliquos propter suam iniquitatem detestetur, atque adeò oderit odio abominationis, vt infrà ostendam, ideoque etiamsi ex amore iustitiæ velit illis malum, tamen nullius malū vult propter se, siue non referendo hoc ad aliquem finem ab eo distinctum. Quia, vt infrà ostendam, malum sub hac ratione non potest rationabiliter appeti; atque ita talis appetitus nequit cadere in Deum. His adde, quòd si Deus odisset aliquem vero odio inimicitiæ, vellet ei malum sine vlla mensura, & consequenter tantum quantum ei inferre potest. quod absurdum est. Et hæc est aperta sententia D. Thomæ lib. 1. contra Gentes cap. 96. vbi docet, Deum nullam creaturam vero odio prosequi: loquitur enim de odio inimicitiæ. Sic etiam intellige illud Sapientiæ 11. de Deo: *Nihil odisti eorum, quæ fecisti;* scilicet odio inimicitiæ: agit enim ibi Sapiens de affectu Dei erga peccatores, docetque eum quantumuis hos puniat, tamen hoc non facere ex odio erga eos; cùm quantum est ex se omnes homines diligat omniumque misereatur, optans eorum pœnitentiam & salutem, vt in præcedentibus dicitur, atque ex solo amore iustitiæ, ne hæc contemnatur, aut ne hanc videatur omnino neglexisse quasi coactum ipsis pœnas infligere. Quibus consonat illa vox Dei apud Isaiam cap. 1. vers. 24. *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Vbi ostendit se vehementer dolere, quòd Iudæorum peccatis compellatur eos punire, & ita satisfacere suæ iustitiæ. Sic etiam facilè conciliatur locus ex Sapiente iam citatus cum cap. 14. vers. 9. vbi dicitur: *Similiter autem odio sunt Deo impius & impietas eius.* Vbi agit de odio abominationis, quod potest esse honestum, atque adeò reperiri in Deo.

D. Thom.

Sapient. 11.

Quo sensu Deus nullū oderit & tamen oderit impium.

Deus aliquo modo iniustus & eo actus malos punit. *Isai. 1.*

Sap. 14.

DVBIVM II.

Vtrùm aliquis possit Deum odisse?

23 *D. Thom.*

Diuus Thomas 2. 2. quæst. 34. art. 1. respondens huic difficultati docet Primò, Deum spectatum præcisè secundùm se sibique intrinseca non posse ab vllo haberi odio; quia odium necessariò tendit in aliquod obiectum apprehensum vt malum: Deus autem secundùm suprà dicta præcisè consideratus nihil continet quod possit apprehendi vt malum.

24

Secundò, neminem etiam posse odisse Deum consideratum præcisè quatenus est nobis auctor vitæ, intelligendi, beatitudinis, aut similium. quia sicut hæc non possumus per se odisse, ita nec possumus odisse Deum præcisè quia nobis hæc largitur.

Dices, Multi, vt patet in damnatis & alijs volentibus se occidere, oderunt vitam suam, & omni modo cupiunt desinere viuere, ac etiam numquam vixisse: ergo possunt odisse vitæ auctorem & conseruatorem.

Respondeo, tales non odisse suam vitam secundùm se consideratam, sed solùm quatenus est connexa multis miserijs, quas durante vita nequeunt effugere, atque ita non possunt odisse Deum quatenus est præcisè auctor vitæ, sed solùm quatenus consecutiuè hanc conseruando eos necessitat eas miserias pati. Et Deum hac ratione posse odio haberi D. Thom. etiam docet. *D. Thomas.*

25

Docet Tertiò, quosdam odisse Deum ratione quotumdam effectuum ipsius, quos ipsi oderunt. vt quia vetat ac punit peccata, quæ ipsi amant; aut quia apprehendunt eum vt causam miseriarum quas patiuntur. & sic eum oderunt multi homines impij, & præcipuè damnati in

inferno. Idque primò odio abominationis, qua eum tamquam sibi repugnantem ac contrarium auersantur; ex quo nascitur apprehensio, qua ipsius malum qua tale, tamquam suum bonum apprehendant, ideoque ex odio inimicitiæ hoc ei optent. Sic dæmones optant & procurant hominum peccata & damnationem, præcisè quia hæc cedunt in iniuriam Dei, & ita sunt quoddam Dei malum, quantumuis nullum aliud commodum sibi inde sperent.

26 *Caietan. Impij oderunt verè ipsum Deū. S. Thomas.* Vbi Nota cum Caietano in dictum art. etsi tota ratio cur impij Deum oderint, sint eiusmodi aliqui ipsius effectus, tamen ipsi non solùm hos oderunt, sed etiam ipsum Deum quatenus horum est causa. Nec hoc D.Thom. negat; sed solùm Deum posse odio haberi præcisè secundùm se consideratum, sine respectu ad eiusmodi effectus; siue rationem formalem, qua illi mouentur vt oderint Deum, non posse esse aliquid Deo omnino intrinsecum, sine respectu ad eiusmodi effectus; atque adeò Deum non posse vllo modo haberi odio, si non apprehenderetur causa talium effectuum.

27 Docet Quartò, fieri nullo modo posse, vt ij qui Deum clarè vident hunc oderint, quia nihil in eo possunt videre quod ipsos ad Dei odium moueat. Quod satis clarum est considerando præsentem eorum statum, & Dei decretum, quo statuit tales ita in æternum beare, vt nihil vmquam aduersi passuri sint.

Sed difficultas est, vtrùm videns clarè Deum possit de potentia absoluta constitui in ijs circumstantijs in quibus possit odisse Deum.

28 Quidam id affirmant. Primò, quia Deus posset aliquem eleuare ad claram sui visionem solùm pro aliquo tempore, qui postea rediturus ad hanc vitam esset peccaturus mortaliter, & ita æternùm damnandus: posset que Deus hoc ei reuelare. Imò posset Deus alicui existenti in peccato mortali, aut etiam patienti pœnas inferni, nec peccatum remittendo, nec eas pœnas aliter relaxando, concedere pro aliquo tempore sui visionem, & interim ei reuelare quòd statim pòst æternùm deberet pœnas damnatorum pati. nec enim potest hîc ostendi vlla implicantia. Ergo tales in ijs circumstantijs possent Deum clarè à se visum odisse. Consequentia patet, quia tales possent apprehendere Deum vt sibi contrarium, sicut damnati eum apprehendunt; & consequenter cùm clara Dei visio ex natura sua neminem necessitet ad amandum Deum, possent illi Deum odisse. Pro hac sententia citatur Holcot in suis determinationibus quæst.9.art.3. Item Gabriel in 1.d.ſt.1.quæſt 6 art.2. & Supplementum eius in 4.dist. 49. quæst.2.art.3.dub.5. Sed neutro loco hoc dicitur, nam in priore, conclus.4. Gabriel solùm dicit, videntem Deum, quando hic ei reuelaret ipsum hac visione perpetuò priuandum, posse suam voluntatem conformando diuinæ nolle videre Deum pro eo tempore, quo Deus vult eum sua visione priuare. Supplementum verò eius satis intricatè loquitur, & solùm videtur dicere, videntem Deum posse eum non amare, si Deus cum eo nolit concurrere, aut eum ad hoc alia ratione non impellat; ex quo non sequitur, ipsum posse odisse Deum.

Holcot. Gabriel. Supplem. Gabriel.

Vt hæc difficultas possit meliùs discuti, primò videndum vtrùm videns clarè Deum, ex vi huius visionis necessitetur ad eum amandum, ita vt ipsi sit impossibile non amare Deum super omnia. 29 An Deum videns eum necessitio amet.

Scotus in 4.dist.49.q.6. id negat: putatque videntem Deum solùm ab extrinseco necessitari vt continenter amet Deum, atque ita fiat impeccabilis; scilicet quia Deus eius voluntatem ad continuum sui amorem impellit: quo impulsu cessante putat illum posse cessare ab amore, & de facto peccare, aliquid inordinatè amando. Eum communiter tota eius schola sequitur; & idem videtur docere Supplementum Gabrielis suprà. Ratio eorum est, quia voluntas est intrinsecè libera, & per illam visionem in se non mutatur: ergo illa non obstante manet libera, & consequenter potens ab amore cessare. *Scotus.* *Supplem. Gabriel.*

Conclvsio I. Videns clarè Deum ab intrinseco ex vi ipsius visionis necessitatur eum quantum potest amare, ita vt ipsi omnino impossibile sit Deum non amare. Ita D.Thom.2. 2.q.4.art.4.& q.5 art 4. & cum eo longè maior pars Theologorum. 30 *D.Thom.*

Probatur, quia omne bonum, præsertim si sit notabile, nec vllam rationem mali in se habeat, voluntati clarè propositum, allicit hanc in sui amorem, & eo vehementiùs, quo ipsum est maius magisque amabile; ita vt quando voluntati proponitur aliquod magnum bonum sub ratione valdè amabili, ipsa naturaliter ita in eius amorem rapiatur, vt sibi debeat inferre vim, si velit ab eo abstinere: ergo poterit dari tam ingens aliquod bonum, quod voluntati clarè sub ratione amabili proposito eam tam vehementer trahat, vt nequeat resistere, atque adeò necessariò illud amet. Quòd si vllum tale dari potest, certum est tale esse Deum clarè visum, qui omnem bonitatem etiam imaginabilem infinities superat. *Voluntas naturaliter rapitur in amorem boni proposibili.*

Antecedens patet clarâ experientiâ; experimur enim quædam bona creata ab intellectu vehementiùs apprehensa nos ita in sui amorem rapere, vt non possimus huic tractioni diu resistere, nisi intellectum auertendo. 31

Consequentia probatur Primò, quia voluntas nostra habet finitam vim in resistendo bono ita allicienti: ergo poterit aliquod dari, quod eam tam vehementer alliciat, vt ipsa resistere nullo modo possit: quia omne finitum à fortiori superari potest.

Confirmatur, quia potest dari tentatio tam vehementer nos alliciens ad amorem inordinatum alicuius rei creatæ, vt sine gratia voluntatem confortante, nequeamus ei resistere, vt communiter Theologi docent, & probant in materia de gratia: atqui hoc esset falsum, si quantumcumque magno bono, & quantumuis vehementer ad sui amorem allicienti, possemus naturaliter resistere (quia cùm tota vis tentationis consistat in illa allectione ad consensum, si huic possemus 32

semus resistere, possemus resistere tentationi) ergo potest dari aliquod bonum tam vehementer voluntatem ad sui amorem alliciens, vt hæc nequeat resistere: & consequenter necessariò tale bonum est Deus clarè visus, cuius bonitas infinities superat omne bonum creatum, & per claram sui visionem vehementiùs vt amabilis apprehenditur, quàm vllum bonum creatum possit à nobis vt amabile apprehendi.

33 Confirmatur, quia negare nullo modo possumus quin Deus clarè visus aliquo saltem modo & quidem notabiliter voluntatem ad sui amorem alliciat, ita vt opus sit vt ipsa aliquam sibi vim afferat vt ei tractioni de facto resistat continendo se ne Deum amet: atqui hoc ei est omnino impossibile: ergo necessariò eum amat.

34 Maior est clara, quia, vt quotidie experimur, aliqua bona creata nos ita in sui amorem trahunt, vt debeamus nobis adferre aliquam vim vt resistamus; quanto magis id poterit Deus clarè visus. Minor patet, quia vt id faceret deberet id efficaciter velle facere, & consequenter deberet in ea desistentia ab amore videre aliquam rationem boni & quidem notabilem, ob quam vellet ab eo amore desistere; quia nihil possum velle, præsertim efficaciter, nisi aliqua ratio boni me ad hoc moueat; imò cùm, vt iam ostendi, videnti Deum sit vt minimum difficile ab eius amore desistere, necessariò requiritur vt quis in ea cessatione apprehendat notabile aliquod bonum vt eam efficaciter possit appetere: atqui cùm videnti Deum sit summè delectabile eum amare, atque ita de ipsius bono delectari, nec vllam videat in eo amore rationẽ mali, nulla potest ei occurrere causa cur iudicet bonum esse ab eo cessare, & consequenter non potest hoc efficaciter velle.

Nulla videnti Deum potest occurrere ratio cur velit ab ea visione desistere; idcoque id velle nequit.

35 Dices, Poterit velle cessare vt ostendat se esse liberum. Sed contrà, cùm clarè videat omni ratione melius & delectabilius sibi esse in eo amore persistere, quàm ita suam libertatem ostendere, nec hoc posse esse vtile nisi vt se ea oblectatione quam ex eo amore percipit, priuet, nulla est ratio cur illam ostensionem apprehendat vt hîc & nunc sibi bonam.

36 Dices Secundò, hæc vera quidem esse in Beatis de sua beatitudine omnino securis, secùs tamen fore in vidente temporaliter Deum, cui hic reuelaret ipsum paulò pòst reuersurum ad vitam, & ob peccata, quæ commissurus esset, æternùm damnandum; quia hic posset apprehendere Deum vt causam tanti sui mali futuri, & sibi aduersantem, & consequenter posset eum apprehendere vt sibi malum ac non amabilem, sed potiùs odibilem.

Respondeo talem apprehensurum necessariò Deum, non solùm secundùm se, sed etiam in eo facto summè bonum, atque adeò etiam dignum amore: nam clarissimè videret Deum futuram illam punitionem nullo modo ex se, aut ex vllo odio ipsius puniendi velle, sed ex solo amore iustitiæ, & ipsius puniendi peccatis quodammodo compulsum: vt quæ non nisi derogando aliquo modo suæ iustitiæ nequit relinquere impunita. Atque ita talis dictam punitionem nullo modo Deo, sed sibi suæque malitiæ imputaret, qua voluntariè Dei auctoritatem violando, eius iustitiam ad suam punitionem compelleret.

37 Conclvsio II. Fieri nullo modo potest, vt quis simul Deum amet super omnia, eumque oderit. Hanc credo esse communem & negari non posse. Quia amare Deum super omnia, eumque odisse dicunt apertam inter se repugnantiam, non solùm contrarietatis, sed etiam contradictionis, nam vtrumque negationem alterius includit.

Adde, omnem peccantem mortaliter necessariò præponere aliquid Deo, siue aliquid magis amare quàm ipsum Deum, nam mauult illud peccando consequi, quàm Dei amicitiam conseruare, atque ita hoc ipso desinit amare Deum super omnia: omne autem odium Dei est peccatum mortale.

38 Ex quo patet longè esse aliam rationem tristitiæ, quæ etsi naturaliter nequeat consistere cum gaudio beatifico; tamen supernaturaliter etiam valdè intensa cum eo consistere potest, vt patuit in Christo tempore passionis. Sed inde nullo modo sequitur, odium Dei diuina virtute posse consistere cum eiusdem amore super omnia; tum quia gaudium & tristitia cùm respiciant diuersa obiecta, non dicunt inter se repugnantiam contradictionis, sicut eam dicunt dictus amor & odium Dei. Tum etiam quia tristitia potest esse absolutè bona ac laudabilis, adeoque Deus potest ad eius productionem singulariter concurrere: secùs est de odio Dei, ad quod hic nequit supernaturaliter concurrere.

Cur tristitia possit potiùs consistere cũ gaudio, quã odium Dei cum eiusdẽ amore.

39 Conclvsio III. Fieri nullo modo potest vt videns clarè Deum ipsum oderit. Ita D. Thomas citatus n. 27. & cum eo omnes eius interpretes. Est etiam aperte Scoti, qui in 2. dist. 6. qu. 2. num. 13. putat ne quidem viatorem posse Deum odisse, sed solùm posse odisse aliquos eius effectus. Quare puto iam nullum esse Theologum qui hanc neget.

D. Thom.

Scotus.

Sequitur apertè ex dictis. Nam cùm videns clarè Deum eum necessariò amet quantum potest: item cùm odium Dei nequeat vllo modo cum eiusmodi amore consistere; apertè sequitur, videntem Deum non posse hunc odisse.

40 Dices Primò, Deus potest tali subtrahere concursum necessarium ad sui amorem, quo casu ille non poterit Deum amare: ergo poterit eum tunc odisse.

Molina.

Secundò, quia, vt docet Molina 1. p. qu. 14. a. 13. disput. 18. memb. 4. § *Illud deinde.* Deus potest voluntatem Beati ita interiùs corroborare, vt non necessitetur ad amandum Deum, & consequenter vt possit aliquid à Deo veritum tanquam sibi bonum apprehendere, ac id appetendo peccare: ergo in tali casu videns Deum poterit eum odisse. Antecedens probatur, quia videns clarè Deum, sicut naturaliter necessitatur ad eum summè amandum, ita etiam necessitatur ad amanda ea omnia quæ videt Deo placere, & ad eius honorem promouendum multùm conferre,

&

& consequenter necessitatur vt de his nullo modo tristetur, quantumuis cum proprio incommodo coniuncta sint: atqui supernaturaliter fieri potest, vt videns clarè Deum valdè tristetur de quibusdam sibi incommodis, quæ videt Deo ita placere, & ad eius honorem conferre: ergo similiter fieri potest vt non necessitetur amare Deum.

41 Ad primum, nego consequentiam: quia, etsi talis actu non amet Deum ob defectum concursus necessarij, tamen ratione visionis beatificæ manet ad illud in actu primo continuò determinatus; non minùs quàm corpus graue, quod obstante impedimento nequit descendere, ex se manet in actu primo ad hoc determinatum, & consequenter etiam ad non ascendendum. quare sicut hoc non obstante illo impedimento nequit niti in aliquem motum descensioni repugnantē: ita videns clarè Deum quantumuis ob defectum cōcursus impediatur eum amare, nequit tamen niti in aliquem actum amori Dei repugnantem.

42 Ad secundum, quidquid sit de antecedente quod grauem habet difficultatem, quæ paucis explicari nequit, & à plurimis negatur, nego consequ. nam etsi talis eo casu posset appetere aliquod bonum sibi vetitū, & ita desinere amare Deum super omnia; nullo tamen modo posset odisse Deum, quamdiu eum clarè videret. Nam fieri posset vt videns Deum rem sibi veritam apprehenderet sibi valdè bonā. v.g. si Deus ei præciperet vt per multa annorum millia sustineret grauissima tormēta cum summa tristitia, qualem in horto expertus est Christus; talis autem in casu illius antecedentis, sicut illorū passionem apprehenderet vt vehementer graue malum, ita apprehenderet eorum fugam vt ingens valdè bonū, atque ita posset hanc contra Dei voluntatem appetere, præsertim si crederet se ea etsi cum peccato efficaciter vitare posse; & postea eiusdem peccati per pœnitentiam veniam impetrare, atque ita in ea fuga apprehenderet magnam rationē cur appeti posset.

Contrà verò cùm clarissimè videret, & vehementissimè etiam apprehenderet Deum sub omni ratione ipsi competēti, atque adeò etiam quatenus est iustus vindex peccatorū, esse summè bonum & amabilem; non posset eum vlla ratione apprehendere dignum odio siue odibilem, & consequenter non posset eum odisse: quia sicut non possum aliquid amare nisi apprehensum sub ratione amabilis, ita nihil possum odisse nisi apprehensum sub ratione odibilis.

43 Ex quibus patet solutio argumentorum quæ attuli n.28. Nam etsi concedamus, fieri posse quæ ibi supponuntur, negandum tamen erit fieri posse, vt videns Deum eum oderit, quia etiam in tali casu necessariò apprehendet eum vt summè amabilem, & nullo modo odibilem; & consequenter nequibit eum odisse, sed naturaliter ex vi illius visionis determinabitur vt eum summè amet, atque adeò eum de facto summè amabit, nisi subtractione concursus aliaue ratione ab eo impediatur.

44 Odium est grauissimum peccatum. Ex dictis sequitur, odium Dei inter omnia peccata ex genere suo esse longè grauissimum. Primò, quia directissimè repugnat summæ bonitati, hominisque voluntatem penitus ab ea auertit. Secundò, quia qui odit Deum expresè ac directè vult summum malum, scilicet Deum non esse, eúe malè esse. quo nihil peius cogitari potest. Secundò, quia, sicut, vt ostendi disp.21. dub.5. illa virtus est perfectissima ac optima, quę voluntatem nostram perfectissimè ac maximè vniuersaliter primæ suæ regulæ, scilicet diuinæ voluntati, conformat, quod facit amor Dei super omnia; ita illud peccatum est pessimum, quod voluntatem hominis maximè, directissimè ac vniuersalissimè ab eadem regula auertit, ac ei difformem facit: tale autem est odium Dei, quod ex se directissimè, efficacissimè ac vniuersalissimè voluntatē hominis incitat ad faciendum ea omnia quæ Deo displicent, atque ita primæ nostræ regulæ aduersantur, & quatenus ei displicent ac dictæ regulæ aduersantur.

Nota D. Thomam 2.2.q.34.art.2.ad 1. docere, odium Dei esse peccatum in Spiritum sanctum, quia fit ex certa malitia; quod verum est si omne peccatum quod fit ex certa malitia, voces peccatum in Spiritum sanctum, prout meritò vocari potest, quia fic directè aliquo modo repugnat summæ bonitati, quæ appropriatur Spiritui sancto: & hac ratione odium Dei sicut maximè repugnat bonitati Dei, ita est maximum & quidem propriissimè peccatum in Spiritum sanctum. Si verò loquamur præcisè de peccato in Spiritum sanctum, de quo loquitur Christus Matth.12.32. & Marci 3.29. tunc peccatum in Spiritum sanctum dicitur sola oppugnatio agnitæ veritatis, qua miracula in confirmationem fidei facta, aliqui calumniantur fieri vi diabolica, prout tunc Pharisæi calumniabantur miracula Christi, vt fusiùs ostendi tom.2.de Sacrament.disp.2.dub.1.n.8. Et hac ratione odium Dei non est formaliter peccatum in Spiritum sanctum, sed radicaliter, quatenus sæpè est huius causa; eoque peius est magisque irremissibile; quia voluntatem magis elongat à Deo, eiusque bonitati se opponit: atque ita quantum est ex se præcludit omnem viam, qua homo ad Deum possit conuerti: quamuis non tollat homini libertatem, qua per gratiam Dei conuerti possit, si velit. quare absolutè loquēdo non est omnino irremissibile, quamdiu homo est adhuc in vita, ac ratione vtitur: sicut nec vllum aliud peccatum, vt ostendi loco suprà citato.

45 D.Thom. An odium sit peccatum in Spiritum sanctum.

Matth.12. Marc.3.

DVBIVM III.

Vtrùm omne odium proximi sit peccatum?

46 D. Thom. D.Thomas 2.2.q.34.a.3. docet, esse illicitum odisse proximum secundùm ea quæ habet à Deo, scilicet gratiam & naturam; licitè tamen nos eum odisse, secundùm ea quæ habet à se, aut à diabolo, scilicet vitia & peccata.

Quæ duplicè possunt habere sensum. Primò, vt illud *secundùm ea*, significet rationem formalem odij; ita vt quis oderit proximū, quia à Deo naturam & gratiam accepit, qua ratione diabolus homines odit. Et clarum est tale odium semper esse graue peccatum; nam nascitur ex odio Dei,

Dei. Secundò, illud *secundùm ea*, potest significare solùm obiectum materiale odij, ita scilicet vt quis oderit quidè verè ipsam personã proximi, non tamen propter se, sed propter vitia quæ in se habet, aut propter iniuriam ab eo acceptã.

47 Lorca autem in commentariis in illum art. & quidam alij intelligunt D. Thomam in secũdo sensu, docent que absolutè esse peccatũ, proximum etiam hoc modo odisse; nec vllum casum excipiunt; atque ita videntur velle id nulla vnquam ratione licitũ esse. Probatur, quia D. Thomas ibidem subdit: *Sed ipsam naturam ac gratiam fratris non potest quis habere odio sine peccato.* vbi videtur æquiparare odium naturæ proximi, & odium gratiæ ipsi à Deo datæ: atqui nunquam licet in eo odisse gratiam ipsi à Deo datam: ergo nec naturam.

48 Contrà verò Maldon. in c.5. Matth.n.21. & Salmeron to.5.tract.42. apertè insinuant nos licitè aliquãdo aliquos odisse: nam docẽt Iudæis fuisse permissum tanquam omnino licitum ac rationi conforme, quasdã gentes odisse, scilicet Ammonitas, Chananæos, & postea etiam Samaritanos. vnde etiam Ecclesiasticus c.50.v.29. loquens in persona Iudæorum, docet se odisse Idumæos, Philistæos & Samaritanos; quæ referens Salmeron dicit id tunc fuisse licitum. Item Toletus in Summa l.4.c.11.n.1. expresè docet, licere aliquando aliquos odisse ob suam iniquitatem. Probatq; ex illo psalmi 118.v.113. *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.* vbi Prophera testatur se ex amore legis odisse iniquos, scilicet propter suam iniquitatem, qua legem violant; apertè ostendens id esse laudabile.

49 Confirmatur Primò, quia habendo hoc modo impios odio imitamur ipsum Deum, de quo dicitur Sap.14.9. *Similiter autem odio sunt Deo impius & impietas eius.* vnde etiam Christus Luc. 14.ait: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem*, &c. *non potest meus esse discipulus.* vbi iubemur odisse etiam nobis coniunctissimos, si nos impediant ne seruiamus Deo.

Dices, Deum non odisse personas, sed solùm vitia earum, & similiter solùm iubere vt hæc præcisè oderimus. Sed hoc non satisfacit. Nam Sap.14. expresè dicitur Deum odisse non solùm ipsam impietatẽ, sed etiam ipsum impium.

Confir. Secundò, quia omne malum qua tale honestè habetur odio: atqui non solùm ipsa impietas, sed etiam ipse impius, sicut absolutè impius est; ita est verè & absolutè malus: ergo qua talis honestè odio habetur.

50 Pro resolutione Nota Primò, nos eandẽ rem sub vna ratione posse amare, & sub alia odisse siue auersari. Sic æger amarã medicinã qua talẽ auersatur, & simul qua effectiuã sanitatis amat.

Secundò, odium aliud esse inimicitiæ, quo alicui volumus malum quatenus ei malum, idq́ue propter se, siue non referendo id in alium finem. Aliud verò esse abominationis, quo aliquam rem aut personam tamquam aut nobis aut amicis contrariã auersamur. quod fieri potest etsi nihil mali ipsi velimus; sed solùm fugiamus eius præsentiam ac conuersationem.

51 Tertiò, quando moderatè aliquem auersamur, nos eum auersari præcisè qua malum; ita vt sæpè eum simul sub alia ratione amemus, vt dixi suprà n.12.

Quartò, quod ad rem præsentem spectat, magnum esse discrimen inter hominis mali naturam & personã; nam actiones & passiones sunt suppositorum, ita vt ab his, aut ab habitibus bonis vel malis per eas acquisitis, ipsa natura propriè non denominetur bona vel mala, sed ipsa persona, siue homo cui ea insunt, dicitur bonus vel malus. Hinc quantumuis homo scateat vitiis, ob quæ possit concipi odibilis, sicut tamen eius natura ideo non dicitur mala, ita nec odibilis. Multò minùs habitus boni, quos fortè talis in se habet, possunt ideo dici odibiles. A vitijs non natura, sed sola persona dicitur mala.

52 Quintò, valdè diuersum esse odium quo odimus alicuius iniquitatẽ, quatenus hęc est quoddam malum ipsius iniqui; aliud verò quo eam odimus, quatenus est quoddam malũ nostrum aut ipsius Dei. nam prius odiũ supponit apprehensionem, qua persona iniqui apprehenditur vt omnino distincta à sua iniquitate, & secundùm se bona; ac nascitur ex huius actuali amore, secundum verò nascitur ex amore Dei vel nostri, & facit nos apprehẽdere ipsum iniquum tanquam causam suæ iniquitatis, eaq́; infectum, adeoq́ue constituentem cum ea vnum compositum, atque ita tanquam nobis aut Deo malum, & hac ratione detestabilem; & hac ratione ipsa impietas nata est nobis ingenerare quandam auersionem, ab ipso impio qua talis est.

Ex quo sequitur, prius illud odium nullo modo posse dici odium ipsius peccatoris, sed solius peccati, cùm potiùs sit verus amor ipsius peccantis, saltem implicitus. Confirm. quia qui odit morbũ quatenus est malus ipsi ægroto, per hoc nullo modo potest verè dici odisse ipsum ægrotum, sed absolutè eum amare: ergo similiter qui odit peccatum alicuius quatenus est malum peccanti, per hoc nullo modo potest dici odisse peccatorem; sed debet absolutè dici eum amare. Quare Scripturæ quæ dicunt Deum aut Sanctos odisse impios, nullo modo possunt intelligi de priore odio, sed necessariò intelliguntur de secundo.

53 Conclvsio I. Semper est illicitum odisse aliquem vero odio inimicitiæ. Hæc est aperta sententia D. Thomæ suprà, &, vt puto, communis eorum, qui hoc odium definiunt, prout id definiui suprà dub.1.n.15. D. Thom.

Probatur, quia malum alterius qua tale præcisè & propter se nõ est rationaliter appetibile, quia vt sic nullam habet rationem veri boni: atqui odium inimicitiæ hoc modo appetit alterius malum: ergo irrationabiliter id facit. Confirm. quia, vt ostendi nu.13. & seqq. tale odium semper nascitur ex immoderato odio abominationis, & quantum est ex se vult alteri malum sine vlla mensura: ergo semper est immoderatum, irrationabile ac malum. vnde etiam n.22. ostendi id non posse reperiri in Deo.

Ex quibus patet, nos ne quidẽ damnatos hoc odio licitè odisse, sicut nec Deus eos ita odit.

Conclvsio II. Illicitè aliquem odimus qua hominem, ipsiusue naturam secundùm se, aut gratiam aliaue bona quæ in se habet: nam cùm hæc secundùm se bona sint, & Dei dona, nõ sunt

ratio-

rationabile obiectum odij. nam etsi vitia hominis hunc reddant malum & odibilem, non efficiunt tamen suprà dicta in eo mala aut odibilia; vt ostendi n.51. Et hæc est etiam aperta sen-
D.Thom. tentia D.Thomæ suprà, nec illo loco aliud vult, quàm quod his duabus conclusionibus dixi.

54 Dices, Aliqui dicuntur esse malignæ naturæ: ergo ipsa natura potest etiam dici mala. Respondeo, nego consequ. si propriè loquamur. nam in antecedente natura accipitur pro naturali aliqua inclinatione, quæ immoderatè fertur in aliqua bona sensibilia, & consequenter inclinat hominem vt facilè alios apprehendat sibi in iis bonis consequendis contrarios, atque ita de iis malam concipiat opinionem, eosque oderit. Quæ inclinatio cùm ex se solùm feratur in bonum sensibile, non reddit ipsam naturam malam aut odibilem, sed ipsam personam cuius est ipsam moderari, & ex cuius defectu ac culpa fit, vt illa inordinatè in illa bona de facto feratur, & consequentia illa vitia generet, quæ in ipsa odimus: quæ ideo non naturæ, sed ipsi personæ eiusmodi inclinationibus abutenti imputanda sunt.

55 Conclvsio III. Licitè quandoque auersamur, atque ita odio abominationis prosequimur aliquos impios qua tales, ita vt non solùm eorum vitia, sed ipsos etiam qua impios auersemur. Et hæc est mens Auctorum, quos citaui n.48. & hanc clarè probant argumenta tam ibi, quàm n.49. allata. Nec ei vllo modo contradi-
S.Thomas. cit D.Thomas citatus n.46. sed ibi solùm docet priores duas conclusiones.

Confirmatur hæc conclusio Primò, quia hac ratione licitè abominamur omnes damnatos, quia hi secundùm omnes verè abominabiles sunt: quod tamen verum non esset, si illicitè vllum hominē ea ratione odissemus, siue abominaremur, hęc enim in dicto sensu idē significant. Ex quo vlteriùs sequitur, nos etiam quandoque licitè ea ratione auersari siue odisse homines impios adhuc viuentes, quia hi etiam sunt absolutè & ob impietatem suam odio digni, non minùs quàm multi damnati; nam damnatio non facit hominem dignum odio, sed sola ipsius impietas.

56 Confirm. Secundò, quia quorumdam impiorum, præsertim qui nobis scandalo sunt nos ad peccata conantes pertrahere, consuetudinem ac presentiā licitè eo modo auersamur, imò sæpè ad hoc sub præcepto tenemur, quo casu etiam ipsos auersamur ac fugimus; idem enim hęc sunt fugere alicuius præsentiam & fugere ipsum. Itē quando aliqui multis grauiter nocent aut in bonis temporalibus, eos iniustè spoliando aut occidendo, vt faciunt latrones; aut in bonis spiritualibus; eos ad hæresim aliaúe grauia vitia pertrahendo, licitè cupimus eos non solùm longè à nobis aut ab iis quibus nocent amoueri, sed etiam occidi quando non est spes eos aliter ab inferendis eiusmodi malis impediendi: quo casu sicut licitè ob dictos fines optamus eorum mortem, ita licitè odimus eorum vitā, quatenus hæc est causa illorum malorum, atque ita reipublicæ mala: quod est odisse eorum personam, quia hanc cupimus non esse. Ad eiusmodi tamē odium licitè suscipiendum nunquam est sufficiens causa sola iniuria priùs accepta, quia caritas iubet hanc ex corde remittere.

Nota tamen nos non posse eodem modo odisse impios adhuc viuentes, sicut odimus damnatos. Nam etsi hos non possimus licitè odisse, nisi quatenus sunt impij, tamen licitè eos ita odimus, vt nulla ratione eos amemus, aut vllum iis bonum optemus; quia scimus eos iam esse omnino confirmatos in sua malitia, & ita addictos æternæ miseriæ, vt nullum ampliùs bonum possint consequi. Nam quòd adhuc pergant esse & viuere, iis non est computandum in bonis, cùm longè melius iis esset absolutè desinere esse, quàm esse in tantis miseriis. Impios autem adhuc viuentes, cùm eorum salus non sit omnino desperata; nam quamdiu hîc ratione vtuntur, possunt ad Deum conuerti, & nobis non constat an non sint conuertendi; nunquam possumus ita odisse, vt nulla ratione eos amemus, saltem comprehendēdo eos sub generali voluntate, qua omnes homines aut communitatem in qua continentur cupimus ad Deum conuerti, & vt hoc fiat quandoque oramus; aut etiam vt non simus animo parati ad eorum conuersionem laborare, si effulserit spes hanc nostra opera procurandi. Vide dicta disp.24. dub.6. concl.3. 57 Alter impios adhuc viuos, alter damnatos odimus.

Ex dictis sequitur Primò, odium inimicitiæ erga proximum ex genere suo esse grauissimum peccatum inter ea quæ erga proximum committuntur. vt docet D.Thomas suprà art.4. Ratio est, quia per illud aliquis vult proximo grauissima mala, qua sine vlla mensura (quando scilicet odium est absolutum & perfectum in sua malitia) & ex pessima intentione, quia scilicet proximo mala sunt in eo sistendo. 58 *D.Tho.*

Nota tamen, vnum odium inimicitiæ posse esse altero grauius. Primò, ex ratione ob quam quis alterum oderit, vt si quis oderit alterum, quia est creatura aut imago Dei: quod grauissimum & diabolicum est, ac procedit ex odio ipsius Dei. Secundò, ratione maioris aut minoris intentionis. Tertiò, ratione maioris aut minoris mali, quod talis proximo actu optat: quæ differentia ferè nascitur ex secunda. Etsi enim odium inimicitiæ ex se natum sit subiectū suum impellere vt omnia omnino mala, & sine vlla mensura exoso optet; tamen quando non est valdè intensum, communiter aliqua ex parte vincitur à naturali inclinatione, qua omnes homines naturaliter inclinantur in aliquem amorem erga alios homines, & consequenter ad compatiendum aliquo modo miseris. Hinc nisi odium sit valdè intensum, ac ita omnino perfectum, ab illo affectu impeditur, ac ex parte continetur ne laxet omnino frena crudelitati, sed moderato aliquo proximi malo sit contentum, eoque minore vel maiore, prout est magis vel minùs intensum. 59 Exercitio-nibus vtri odium et alio peius.

Ex quo sequitur Secundò, odium proximi propter suam imperfectionem in ratione odij sæpè esse leuius peccatū quàm sunt multa alia, quæ in proximum committuntur, qualia sunt homicidium, adulterium, vis illata pudicitiæ feminæ, &c. Imò Caietanus in Summa v. *Odium*, *Caiet.* §.1. 60

Valentia. §.1. & Valentia hîc disp.3. q.11. puncto 2. in fine docent, odium proximi, non solùm ob defectum deliberationis, sed etiam ob suam imperfectionem, & quia tam leue malum proximo optat, posse solùm esse peccatum veniale; sed eiusmodi affectus non videtur propriè esse odiũ, sed appetitus vindictæ aut quædã inuidia.

Odium abominationis sæpè solùm est peccatum veniale. Faciliùs contingit odium abominationis erga proximum esse solùm veniale peccatum; vt si quis alterum sine iusta ratione ob morum discrepantiam, aut quia ab eo aliquid passus est, leuiter auersetur, eiusque consuetudinem fugiat, ita tamen vt nullum malum ipsi optet. sic sæpè ij qui grauiter ab alijs læsi sunt, post remissam iniuriam sentiunt adhuc quamdam in animo auersionem, qua illorum conuersationem horrent, quam ob suam infirmitatem non possunt ità statim superare, ideoque illos fugiũt; qui ideo non sunt condemnandi peccati mortalis, modò nullum malum ijs optent, & sint parati eis in omni necessitate succurrere, prout caritas postulat, nec exteriùs vlla signa inimicitiæ ostendant, v.c. nolendo occurrentes secundùm morem patriæ salutare, aut loquentibus respondere, &c.

Sequitur Tertiò, odium Dei distingui specie ab odio proximi, præsertim in genere malitiæ & moris: est enim illud planè alterius ordinis & sine comparatione grauius, quàm hoc. Item vnum odium proximi saltem hac ratione distingui specie ab alio proximi odio. Primò, ob diuersam rationem formalem vtriusque, vt si vnus oderit proximum, quia creatura aut imago Dei est, alter verò ob iniuriam ab eo acceptam. Secundò, ratione diuersi mali quod proximo actu optatur, vt si vnus optet ei æternam damnationem, alter mortem, præsertim valdè crudelem, alter solùm amissionem status, &c. sicut enim hæc velle inferre proximo continet diuersa specie peccata, ita etiam ea proximo optare. Quare omnino sunt explicanda in confessione, quia sic optimè natura ipsius odij explicatur, & ad hanc explicandam id videtur esse omnino necessarium.

61 *Qua ratione odia distinguantur inter se.*

Qua ratione odium in confessione explicandũ.

DISPVTATIO XXX.

De acedia, inuidia, discordia, contentione, schismate.

DVBIVM I.

Quid sit acedia, & quale peccatum?

1 NOta, hoc vitium à varijs variè nominari. quidam enim vocant *accidiam*, alij *acidiam*, deducuntque ab acido, eò quòd suum subiectum reddat frigidũ & torpidũ.

D. Thomas. Nauar. Siluest. Ita S. Thomas 2.2.q.35.a.1. & ex eo Nauarr.c.23. n.124. Siluester v. *Acidia.* & alij. Meliùs alij *acediam* vocant, deducuntque à Græco κηδὸς, quod curam & sollicitudinem significat; hinc ἀκηδία siue *acedia* significat incuriam, negligentiam & quandam tristitiam auertentẽ nos à labore, ac torporem inducentem. Quare acedia generatim accepta potest significare omnem eiusmodi tristitiam inducentem torporem circa res agendas. hîc tamen specialiùs sumitur pro tristitia circa bonum spirituale.

2 *Dupliciter possumus tristari de bono spirituali.* D. autem Thomas sup. a.2. docet, nos dupliciter posse tristari de bono spirituali; Primò, generatim sumpto, quatenus est molestum ac laboriosum: aitq; tristitiam sic sumptam, non esse speciale peccatum, sed posse ad varia vitia pertinere, prout bonum de quo quis tristatur, ad diuersas virtutes pertinet. Secundò, de bono spirituali diuino, & sic sumptam acediam docet esse speciale vitium contrarium caritati, quæ incitat nos ad gaudendum de eiusmodi bono.

Caietan. Bañez. Nauarr. Triplex tristitia de bono diuino. Caietanus autem in dictum art. & ex eo Bañez ac Nauarrus c.23. n.124. notant nos tripliciter posse tristari de bono diuino. Primò, quatenus hoc bonum est in Deo; & aiunt hoc pertinere ad odium Dei. Secundò, quatenus hoc est in proximo; & dicunt hoc pertinere ad inuidiã aut odium proximi. Tertiò, quatenus illud est in tristante & tunc aiunt esse propriè acediam. vnde Caiet. hanc ita definit: *Acedia est tristitia de bono diuino in eo qui contristatur*; Nauarrus verò docet *esse vitiũ inclinãs ad tristandum de bono spirituali diuino, quatenus est diuinũ in eo qui tristatur.*

Sed hæc patiũtur difficultatẽ. Quia vel illud 3 *quatenus est bonum diuinũ*, significat rationẽ formalem cur quis tristetur de bono diuino, ita vt ideo de eo tristetur, quia est bonũ diuinum; & hoc non potest prouenire nisi ex odio Dei: nam sicut nequeo tristari de bono Ioannis præcisè qua tali, siue quia est Ioanni bonũ, nisi ex odio Iohãnis; ita nequeo tristari de bono Dei præcisè qua tali, siue quia est bonũ Dei, nisi ex odio Dei. Vel illud *quatenus est bonum Dei*, significat aliquẽ tristari de bono Dei præcisè secũdùm se consideraro, & prout abstrahit ab omni molestia, labore alióve incommodo extrinsecus sibi coniuncto. Et hoc fieri nullo modo potest: nã sicut Deus secũdùm sua intrinseca præcisè spectatus nemini potest displicere, vt docet D. Th. 2.2.q. 34.a.1. ita bonum Dei secundùm se præcisè consideratum & abstrahẽdo ab eo, quòd eius conseruatio sit aliqua ratione molesta, nemini displicere potest; qui nihil continet in se, quod habeat vel apparentem rationem mali. Cui enim potest displicere quòd sit in gratia, quòd sit filius Dei, futurus ipsius heres? Hæc autem sunt maxima bona diuina quæ in nobis sunt, nec possunt nobis magis displicere quàm ipsa beatitudo. Idemq; est de quouis alio bono Dei nobis communicato, siue actuali siue habituali, quod nullam in se vel apparentem potest habere rationẽ mali, nisi quatenus apprehenditur cum aliqua molestia coniunctũ; vt quòd sit laboriosum nobis, aut contrarium rei à nobis amatæ.

D. Thom.

4 Bona diuina in nobis sunt duplicia.

Pro resolutione Nota Primò, bona spiritualia diuina in nobis esse duplicia. quædam enim non sunt secùdùm se necessaria ad salutẽ, nec in nobis est vlla per se & indepẽdenter à nostra volũtate obligatio ea suscipiendi: qualia sunt status Religionis, sacerdotij, &c. Alia verò sunt absolutè necessaria, ita vt obligemur ea nobis velle, & in nobis cõseruare, qualis est status Christiani hominis, & filij Dei adoptiui, & consequẽter ea omnia, quæ hic includit; vt sunt gratia iustificãs ac habitus aliarum virtutũ, amicitia inter Deum & hominem, &c. Quamuis autem dicta bona præcisè secundùm se spectata, nihil contineant cur possint alicui displicere, quatenus tamen constituunt hominem in necessitate obseruandi omnia mandata, ita vt necessariũ sit nos aut horum omnium obseruatione dicta bona in nobis conseruare, aut æternis supplicijs addici; dictus status habet aliquid sibi annexum quod laboriosum ac molestum est; atque ita ratione huius potest apprehendi vt malus, ac nobis displicere.

5

Nota Secũdò, etsi Deus ac eiusmodi bona spiritualia non possint nobis displicere, nisi quatenus habent annexam eiusmodi necessitatẽ subeundi aliqua nobis molesta, aut cupiditatibus nostris repugnantia; tamen odium huius molestiæ ac necessitatis sæpè aliquos excitare, vt illa bona quibus apprehendunt hęc connexa, secũdùm se oderint, iuxta dicta disp. 29. n 10. & 26.

Quando igitur D. Thomas suprà docet, acediam prout est speciale vitiũ, non refugere bonum spirituale prout est laboriosum, sed bonũ spirituale diuinum, solùm intendit docere, eam refugere non solùm ipsum laborem, qui reperitur in conseruatione illius boni, sed etiã ipsum bonum diuinum, ita vt hoc, quamuis propter illum laborem coniunctum, tamen verè secundùm se homini displiceat.

6 Quid sit acedia.

Respondeo igitur acediam, prout est vitium speciale oppositum caritati, consistere in quadã tristitia ac displicentia, qua ob tædium laboris ac difficultatum, quas quis experitur in conseruanda Dei amicitia, eum huius tædet, doletque se ita à Deo esse creatum, vt necessariò debeat aut per fugam vitiorum & mandatorum obseruationem esse æternùm beatus, aut si illa recusset æternùm damnari; adeoq; vellet ea esse conditione, vt neque cælum neque infernum bene aut malè viuendo mereri posset. Hæc videtur aperta sententia D. Thomæ suprà art. 2. in corpore, vbi docet, tunc esse acediam contrariam caritati, quando *quis tristatur de bono diuino, de quo gaudet caritas*; id est de quo necessariò & ex obligatione gaudet, vt patet ex art. 3. ad 2. Eandem tenet Valerius Reginal. in praxi conscientiæ l. 17. n. 107. Potest itaque acedia vt est speciale vitium, hoc modo definiri: *acedia est tristitia de bono spirituali diuino, quod ex fine creationis nostræ tenemur in nobis conseruare.* qualia bona sunt amicitia Dei, & status filij adoptiui; in hũc enim finem creati sumus, vt simus amici ac filij Dei.

Reginald.

7 Acedia est graue peccatum.

Hinc patet Primò, acediam vt est vitium speciale, ex genere suo atque adeò semper esse peccatum mortale, & quidem valdè graue, nili per inaduertentiam excusetur. quia continet apertum contemptum amicitiæ diuinæ, ac status filij æternæq; beatitudinis, dum quis æstimat hæc indigna, quæ tantillis laboribus comparentur, adeoq; dolet se ad hoc metu suppliciorum cogi. quod fit cum graui Dei iniuria, qui hac ratione etiam grauiter contemnitur; sicut grauissimè contemneret maiestatem regiam, qui doleret se à rege in amicum & familiarem assumi, eò quòd hac ratione impediretur à scurrarum consuetudine, qua ipse delectaretur.

8 Acedia quando sit vitium generale.

Patet Secundò, quando quis dolet de bono aliarum virtutum, siue præceptorum iuris naturæ aut positiui, eò quòd cum aliquo labore & fuga voluptatum teneatur bonum virtutis in se conseruare, & præcepta obseruare, esse vitiũ acediæ generale, & diuersis virtutibus repugnare ratione materiæ de qua quis particulatim dolet: & tunc esse peccatum mortale, quando quis ob eam deliberatè statuit violare aliquod præceptum grauiter obligans, aut dolet se esse creatum, aut optat esse animal irrationale, vt liber à præceptis possit sine timore suis cupiditatibus ac otio indulgere.

9 Dolere se esse factum, aut teneri ad religiosum, quale sit peccatum.

Patet Tertiò, quando aliquis tristatur se esse factũ sacerdotem aut Religiosum, eò quòd exoptet magnas molestias in seruandis ijs, ad quæ ex suo statu obligatur, esse solùm generale acediæ vitium. imò non esse peccatum mortale, quamdiu abest morale periculum ne talis moueatur ad violandum aliquod præceptum grauiter eum obligans: nam sicut priùs non tenebatur velle eum statum suscipere, sed poterat id nolle; ita iam saltem sub graui peccato non obligatur gaudere se eum suscepisse, aut de eo non dolere. Hoc tamen semper continet aliquam inordinationem affectus, quo cum aliqua illius status iniuria aut quies ab illa molestia, aut alia bona terrena ei præponuntur: estque valdè periculosum, quia cùm tales incipit sui status pœnitere valdè tepidè eum colunt, & exponuntur summis periculis eum deserendi.

Talis dolor est valdè periculosus.

10 Acedia est vitium capitale.

Patet Quartò, acediam esse vitium capitale ex quo varia alia nata sunt gigni: nã cùm aliquis nullam iucunditatem, sed magnam tristitiam experitur in prosecutione boni spiritualis, eamque voluntariè fouet, statim inclinatur ad desperandam perseuerantiam in mandatorum obseruatione, & vt tradat se vitijs, in quibus voluptatem & animi quietem sperat. Vide S. Thomam suprà art. 4.

D. Thom.

DVBIVM II.

Quid sit inuidia, & quale peccatum?

11 D. Thomas. Inuidia definitio. Mart. de Magistris. Caietan. Lorca. Aristotel.

NOta Primò, inuidiam ex mente D. Thomæ 2.2.q.36.a.1. hoc modo à Doctoribus definiri: *Inuidia est tristitia de bono alterius in quantum æstimatur diminutiuũ propriæ gloriæ.* Quam definitionem impugnant Martinus de Magistris apud Caiet. in dictum art. & Lorca ibid. Primò, quia repugnat definitioni quam tradit Aristoteles l. 2. Rhetorices cap. 10. vbi ait, *Inuidia est dolor quidam, quoniam similes boni aliquid adepti videantur non vt quidquam sibi, sed propter illos.* Quibus verbis

verbis volunt Aristotelem significare inuidum dolere de alterius bono, non quia inde sibi aliquod incommodum timet, sed præcisè quia alteri bonum est. Secundò, quia dolere de alterius bono vt diminutiuo proprij, est effectus timoris procedens ex amore boni proprij, quod timemus minuendum. qui dolor secundùm D. Thomam in dicto art. distinguitur ab inuidia.

12 Volunt hi igitur inuidiam esse dolorem de bono alterius præcisè quia ipsi bonum est; & nasci ex eiusdem odio, & ab hoc distingui quòd per hoc velimus alteri malum qua ipsi malũ, per illam verò doleamus de eius bono qua ei bonũ est. Sed alij meliùs asserunt vtrumque hunc actum esse odij, quia eiusdem omnino vitij est, velle alteri malum, & dolere de eius bono qua ei bonum est. Item secundùm eam sententiam malè tam Aristoteles locis iam citatis, quàm cõmuniter alij dicerent inuidiam necessariò esse inter aliquo modo æquales aut similes, nec posse existere inter omnino inæquales ac dispares; sed deberẽt eam constituere inter inimicos: horum enim bonum præcisè quia ijs bonum nos contristat, abstrahendo planè, an nobis sint æquales, an inæquales. Aristoteles autem sup. c. 9. expressè docet, quòd, sicut nemesis dolet de bono alieno præcisè quia accidit indigno, ita inuidia de bono alieno dolet quia accidit pari. quæ ex dicendis clariora fient.

13 *D. Thom. Quadruplex dolor de alieno bono.* Nota igitur Primò, cum D. Thoma suprà a. 2. nos quadrupliciter posse dolere de bono alterius. Primò, eò quòd timeamus nobis ex eius prosperitate aliquod nocumentũ, & ait hũc dolorem posse esse non malum; quando scilicet & prudẽter illud timemus, & dolor est moderatus. Secundò, quando dolemus, non quia alter tale bonũ habet, sed quia nos eo caremus; & hic dolor est zelus, potestq; esse bonus, quando versatur prudenter circa bonũ spirituale: potest etiam esse malus, quando est imprudens ac immoderatus, aut circa res non appetendas. Tertiò, quãdo dolemus eò quòd aliqua bona accidãt indignis, & vocatur nemesis. quod solùm potest habere locum in diuitijs, honoribus, & similibus bonis, quæ æqualiter bonis ac malis possunt obtingere: nam bonum virtutis nequit indignis contingere. Quartò, quando aliquis dolet de bono alterius, eò quòd timeat ab eo in eiusmodi bono æquari aut superari, & tunc est inuidia. Quibus addi potest Quintò, quando quis dolet de bono alterius præcisè quia ipsi bonum est. qui est actus odij.

Quid sit nemesis.

14 Circa hos dolores est difficultas Primò, quia primus & quartus non videtur satis distingui: nã qui dolet quarto modo de alterius bono, ideo dolet, quia inde sibi timet aliquod malum, scilicet obscurationem sui nominis: ideo enim timet ab alio æquari aut superari, quia timet ne hac ratione sua gloria apud alios obscuretur, nec tanti fiat quanti antè fiebat, dum apparebat ceteris omnibus in eo bono excellere.

Nec refert an hic vel ille timor sit prudens an imprudens, iustus an iniustus, mali impendentis veri an solùm apparentis. Quia hæc non variant naturam timoris aut doloris eum sequentis secundùm se, sed solùm in ratione aliqua morali bonitatis aut malitiæ.

15 *Aristotel. Lorca. Mart. de Magistris.* Est difficultas Secundò, circa tertium dolorem: an sit bonus vel malus. Aristoteles suprà c. 9. docet esse bonum: quem sequuntur Lorca 2.2 q. 36. a. 2. & Martinus de Magistris apud Cajetanum in eundem art. Probant Primò, quia meritò dolemus de omni iniusto siue iniquo: atqui indignos frui illis bonis, est aliquo modo iniquum, quia in eo non seruatur æquitas siue debita proportio: ergo meritò de eo dolemus. Secundò, quando is, cui incumbit publica officia aliáve similia bona distribuere, ea indignis confert, meritò indignamur: ergo etiam meritò indignamur, quando bona fortunæ indignis contingunt. Contrarium docet D. Thomas suprà a. 2. vbi Aristotelis sententiam reprehendit. *D. Thomas.*

16 *Dupliciter potes alteri suum bonũ eripere.* Nota Secundò, aliquem dupliciter posse meum bonum mihi eripere illúdve minuere. Primò, per actionem directè mihi nociuam, inferendo rebus meis aliqua ratione vim, quod facit etiam is qui famæ meæ detrahit. Secundò, solùm indirectè & per accidens, nullam vim rebus meis inferendo, nec bonum quod possideo mihi propriè auferendo, aut secũdùm se minuẽdo; sed solùm aliquid efficiẽdo, ex quo sequitur vt meũ bonum sit apud alios minùs illustre, minusque appareat. Sicut quando ingens ac lucida fax paruæ candelæ adiungitur, huius lucẽ nullo modo secũdùm se imminuit; sed solùm efficit vt aliis minùs illustris appareat. Et simili ratione quãdo aliquis aliquo loco omnibus illius incolis in aliqua arte, scientia, rebus gestis, aut opibus multũ excellit, eius gloria, vt potè ibi rara, est omnibus admirationi, & tamquã candela in loco aliàs obscuro apparet valdè illustris. Quòd si alij ipsi in rebus illis æquales aut superiores accesserint; sicut res eius sunt magis cõmunes, ita minùs sunt admirationi, minusque splendent. omnia tamen quæ priùs habebat manent secundùm se integra, & in hoc differt hic casus à priore.

17 *Bonũ vnius dupliciter destruit alienum.* Hinc sequitur Primò, bonum alterius dupliciter posse esse destructiuum mei boni. Primò, solùm mediatè, quatenus auget potentiam eius qui mihi malè vult, atque ita efficit vt mihi iam faciliùs & grauiùs nocere possit, quàm antea poterat. Secundò, immediatè & per se, vt fit in secundo casu, quando solùm nocet, bonum meum in aliorum oculis siue apprehensione obscurando, quod suo splendore per se immediatè facit.

18 Sequitur Secundò, quòd, sicut in priore casũ non apprehendimus bonũ alterius nobis per se malum, sed solùm ratione alicuius mali, quod ex eo per accidens ratione malæ voluntatis inimici nostri sequitur; ita de eo non dolemus propter se, sed propter effectum per accidens ex eo secuturum. Secùs est in secundo casu, in quo apprehendimus bonum proximi per se immediatè imminuere nostrum bonum, atque ita id apprehendimus per se immediatè nobis malum, non quidem præcisè quatenus est bonũ proximi, sed quatenus est diminutiuum nostri boni. ideoque de eo dolemus propter se, tamquam de re nobis per se mala. Et hoc solùm volunt Aristoteles, & quidam etiam Patres, dum dicunt

Qua ratione inuidus de alieno bono doleat.

cunt inuidum dolere de alterius bono, nõ quia aliquid mali sibi inde accidit, scilicet omnino distinctum ab ipso bono alterius, sed propter ipsum bonum.

19 Sequitur Tertiò, priorem dolorem posse esse valdè varium, & modò bonum, modò malum, ac ex variis virtutibus, aut vitijs, aut etiam ex varia merè naturali affectione non vitiosa nasci. Quare nec certum nomen habet, nec ad certum genus vitij aut virtutis referri potest. Ideoque tam D. Thomas, quàm Aristoteles suprà cap. 9. eum ad timorem referunt tamquam huius effectum. Secùs est de secundo dolore, qui semper vitiosus est, & in ratione vitij eiusdem rationis; quia etsi possit versari circa varia bona proximi, & nasci ex vario inordinato amore nostri boni; tamen semper versatur circa bonum proximi sub eadem ratione, scilicet quatenus hoc apprehenditur tamquam boni proprij dicta ratione diminutiuum; & sub hac ratione semper secundùm se vitiosus est, & consequenter ad certum aliquod vitium pertinet.

D. Thomas. Aristot.

Talis dolor semper est vitiosus, & ad certum vitium pertinet.

20 Quid sit inuidia.

CONCLVSIO I. Propriè loquendo tunc est inuidia quãdo quis dolet de bono alterius, quia apprehendit suum per id obscurari. Ita D. Thomas suprà, & apertè etiam Aristoteles suprà cap. 10. vbi cùm docuisset inuidiam necessariò esse inter aliquo modo æquales; subdit: *Propterea magna gerentes & felices inuidi sunt*; πάντας γὰρ οἴονται τὰ αὐτῶν φέρειν: id est, *omnes enim credunt sua auferre*; ac si dicat, Tales ideo similia secum gerentibus aut obtinentibus facilè inuident, quia credunt sibi auferri quidquid his accedit. Idemque est ferè communis omnium sensus.

D Thom. Aristot.

Probatur, quia ita dolere de alterius bono, vt per se patet, est vitiosum: cùm enim proximũ suo splendore aliquo modo obscurare meum nullo modo mihi sit iniuriosum, nullam habeo iustam causam de eiusmodi eius bono dolendi. Item vt ostendi n. 19. omnis talis dolor est aliquo modo eiusdem rationis in ratione vitij, & consequenter ad idem vitium pertinet: atqui nullum est vitium ad quod directè possit referri, præter inuidiam: ergo dicendum est esse inuidiam.

21 Ad primum argumentum contrarium positum n. 11. Respondeo definitionem Aristotelis esse satis obscuram. Græcè autem sic habet: εἴπερ ἐστὶν ὁ φθόνος λύπη τις ἐπὶ δοκούσῃ φαινομένῃ τῶν εἰρημένων ἀγαθῶν, οὐκ ἐπὶ τοῖς ὁμοίοις, μὴ ἵνα τι αὐτῷ, ἀλλὰ δι' ἐκείνους. quæ verbotenus latinè sic sonant: *Siquidem est inuidia dolor, qui in felicitate apparente* (siue ob felicitatem apparentem) *dictorum bonorum* (ob quæ scilicet alijs cõtingentia dixerat c. 9. aliquos alijs inuidere) *circa similes* (siue quia hæc contingunt ijs, qui similes sunt inuidenti) *non vt aliquid ipsi, sed propter illos.* Quæ vltima verba obscura sunt, & à varijs variè accipiuntur, sed ex capite præcedente eorum sensus accipiendus est. Vbi docet inuidum dolere de alieno bono; *Non quòd ipsi aliquid acciderit* ἕτερον, *alterum* (id est contrarium bono de quo dolet) *sed propter ipsum propinquum.* id est, quia alter ipsi hac ratione propinquat, cúmve superat in possessione talis boni, atque ita eius bonum aliquo modo obscurat, siue, vt dicitur cap. 10. paulò inferiùs, quia inuidi putant sibi auferri quæ alijs accrescunt. Ex quo patet eam definitionem non repugnare nostræ sententiæ, sed eam confirmare.

Ad secundum, sicut & ad obiectionem positam num. 14. patet responsio ex dictis num. 18. & 19. vbi ostendi non omnem dolorem de bono alterius procedentem ex timore perdendi proprium distingui ab inuidia; sed illum solùm, qui procedit ex metu, quo timetur aliquod malum omnino distinctum à bono alterius, & quod ex eo solùm remotè & per accidens procedit.

Ex his patet Primò, illum etiam affectum ad inuidiam pertinere, quo incidentes in aliquam calamitatem gaudent alios eiusdem secum sortis in eandem incidisse, aut dolent si non inciderint: hoc enim fit quia apprehendunt aliorũ felicitate suam calamitatem magis notabilem reddi, & eorum infelicitate aliqua ex parte obliterari, atque ita hanc apprehendunt vt sibi bonam, & illam vt sibi malam.

22 Gaudere quòd habeat socium in pœna est inuidia.

Patet Secundò, quando mercatores dolent dum vident emptores vicini officinam similes merces vendentis frequentare; si doleant præcisè quia illi suas officinas non frequentant potiùs quàm alienas; hunc affectum non esse inuidiam, sed æmulationem: imò posse aliquando fieri sine peccato. sicut enim sine peccato possunt licitis modis procurare, vt illi suas potiùs officinas frequentent, quàm vicini, ita licitè possunt id optare, & consequenter dolere id non fieri: præsertim quando ideò magnis angustijs ac rerum necessariarum penuria premuntur. Eiusmodi tamen affectus communiter est valdè periculosus, quia ita dolentes, nisi valdè sibi caueant, communiter excitat, aut vt malis artibus, v.c. detractionibus aut simili ratione conentur emptores ab alijs ad se auertere; aut etiam vt absolutè doleant eos frequentare vicini officinam, adeò vt optarent eos hanc non frequentare etiam eo casu quo ideò non essent frequentaturi ipsorum officinam, vt scilicet hac ratione haberent socium in calamitate. qui affectus est vera inuidia.

23 Vitium dolens vicini officinam frequentũ fit inuidia.

Patet Tertiò, ratio, cur inuidia solùm sit inter eos, qui aliquo modo similes aut inter se comparabiles sunt in bonis quæ vnus alteri inuidet. Quia scilicet inter eos, qui in nullis bonis inter se comparantur tamquam aliquo modo similes, vnius splendor alterius luci nequit officere.

24 Quare inuidia nequeat esse inter valde dispares.

Patet Quartò, inuidiam esse peccatum contra caritatem, & quidem ex genere suo mortale; quia sicut caritati grauiter repugnat sine iusta causa velle alterius bonum destruere, ita eidem grauiter repugnat optare id esse destructũ, siue, quod idem est, dolere id non esse destructũ. Ob inaduertentiam tamen, siue imperfectum consensum, vt sæpè contingit in subitis motibus, aut etiam obleuitatem materiæ, vt si paruum sit bonum alterius de quo ita dolemus, vt tamen nullo modo optemus eum in re grauiore lædi, potest fieri vt sit solùm veniale. Hæc tamen periculosè voluntariè admittuntur, & facilè prorumpunt ad maiora.

25

Patet

Patet Quintò, inuidiam natam esse ex se gignere multa alia peccata, atque adeò esse peccatum capitale, vt sufficienter docet S. Thomas suprà a.4. quæ si lubet consulas, quia res maiore explicatione non indiget.

D.Thom.

26 Nemesis est vitium.

Conclvsio II. Dolere quòd mali abundent bonis fortunæ, præcisè sub ea ratione quia hæc indignis contingunt, non est actus virtutis, sed vitiosus. Ita D. Thomas suprà art.2. Caietanus ibidem, alijque ipsius interpretes.

D.Thom. Caietan.

Prob. quia vbi nulla est ratio veri mali, ibi nulla est causa iusta dolendi: atqui in eo præcisè quòd aliquibus contingant bona fortunæ qui his sunt indigni, si aliud malùm inde non sequatur, nulla est ratio veri mali: ergo nulla est causa iusta dolendi.

Maior per se patet: minor probatur, quia hoc nec est malum ipsis possessoribus, sed est ipsis potiùs commodum; nec etiã alijs, quia per hoc præcisè quòd illi ista bona possident nullum alijs malum infertur, vt clariùs patebit ex solutione obiectorum. Quare satis clarum est esse contra caritatem de eo sub ea ratione dolere. Confirm. quia si aduerterem talem ex incendio aliáve ratione esse in præsenti periculo omnia sua bona perdendi, tenerer ex caritate si commodè possem, eum hoc periculo liberare; vt omnes fatentur: hoc tamen apertè esset falsum, si licitè dolerem eum illa bona habere: quia sic licitè optarem ipsum iis priuari, & consequenter licitè id nollem impedire.

27 Dices Primò, ideo malum esse tales ea bona possidere, quia hac ratione viri boni ijs priuantur.

Respondeo Primò, assumptum non esse generatim verum, sed solùm quãdoque per accidens: nam si mali incendio, inundatione, aut simili ratione sua bona perderent, non ideò iusti ea possiderent, aut melius haberent.

Respondeo Secundò, etsi id esset verum, nihil tamen faceret ad rem; nam inde sequeretur, solùm nos licitè dolere iniquos eiusmodi bona possidere quatenus hoc est causa cur iusti iis priuentur, ita vt non doleamus propriè illos ea possidere, sed hos ijs priuari; quia actus non est nemeseos, sed commiserationis erga iustos: nos autem hic solùm negamus nos licitè dolere malos ea bona possidere, præcisè quia his indigni sunt.

Vnde etiam sequitur, nihil facere contra nos quòd licitè quandoque doleamus malos eiusmodi bona habere, eò quòd ijs ad suam damnationem, aliorúmve perniciem abutantur, quia hic actus non pertinet ad nemesin.

28 Ad primum argumentum contrarium positũ n.15. nego minorem. nam cùm illa à Deo non sint creata vt dentur in præmia meritorum, sed ad naturæ sustentationem, quòd eorum possessio sit improportionata improborum meritis, nihil continet iniustitiæ etiam latè sumptæ, aut quod habeat veram rationem mali. Cõtrà verò cùm in improbis maneat natura rationalis integra, cui sustentandæ illa bona apta sunt; horum possessio habet iustam proportionem cum illorum natura, & fini, ob quem creata sunt, congruentem.

Ad secundum, nego consequentiam: quia in casu antecedentis cùm illa bona debita sint dignioribus, cum horum aut saltẽ cum reipublicæ graui iniuria & nocumento ea indignis conferuntur: secùs est, vt ostendi, in casu cõsequentis.

DVBIVM III.

Quid sit discordia & quale peccatum?

NOta Primò, ex D. Thoma 2.2.q.29.art.3. & q.37.a.1. discordiam propriè sumptam nõ significare dissensionem opinionum, sed sicut concordia significat consensionem diuersarum voluntarum, ita discordiam significare earumdem dissensionem. Quare dissensio opinionum neque est discordia, neque est peccatum, nisi contineat aliquid contrarium rebus fidei, aut cognitioni ad bene viuendum necessariæ; aut alia ratione sit causa alicuius mali. 29 *D.Thom.*

Nota Secundò, ex eodem suprà, nos in variis rebus posse ab alijs discordare. 30

Primò, in rebus quas nulla ratione tenemur promouere, vt si quis mecum velit ire ambulatum, aut quando ad id non obligor audire Sacrum, & ego nolim. Et tunc discordia non est ex se peccatum; sed solùm quandoque per accidens ratione inimicitiarum, aut similium malorum, quæ ob aliquas particulares circumstantias ex ea natæ sunt sequi. vt si is, à quo discordo, aut alij id vidêtes crederent me id facere ex odio ipsius, aut quia contemnerem res sacras, & inde scandalizarentur. Discordia quandoque non est peccatum.

Secundò, in rebus malis, & hæc discordia est potiùs bona & optanda, quàm vitanda; quia est mali impeditiua: sicut contrà concordia in malis est mala & vitanda ac impedienda; quia ipsa promouet malum. Sic S. Paulus Actorum 23. cùm videret Pharisæos & Saducæos in suam necem conspirasse, dixit se Phatilæum esse, & de resurrectione iudicari, vt hac ratione eos discordes faceret, prout factum est. 31 Quandoque est bona. *Act.23.*

Tertiò, in rebus bonis, quas obligamur procurare, & tunc discordia est peccatum in eo qui sine iusta ratione ab alio discordat; quia hac ratione quantum est in se impedit illius boni promotionem, & pacem turbat. Est autem hoc peccatum grauius aut leuius, prout grauis aut leuis est obligatio illam rem promouendi, & prout multum aut parum illius promotionem natum est impedire, aut communem pacem turbare. 32 Quandoque est peccatũ.

Ex quibus patet, hoc peccatum maximè habere locum in ijs, quibus incumbit communiter rem aliquam procurare, præsertim quando hæc ad religionem, aut ad animarum aut communitatis bonum spectat: quales sunt senatores, consiliarij & similes, quorum discordiâ sæpè maxima damna reipublicæ inferuntur. Item in Religiosis communiter viuentibus, quorum discordiâ communis pax facilè grauiter turbatur.

DVBIVM IV.

Quid sit contentio & quale peccatum?

33 NOta, contentionem generatim sumptam significare quemuis vehementem conatum. Communiter tamen accipitur pro aliqua concertatione, siue hæc pugnis, siue verbis aut armis fiat, hîc autem accipitur pro ea quæ verbis fit, & significat quamuis disputationem præsertim actiorem, quam Græci λογομαχίαν vocant.

34 Vt autem notat S. Thomas 2.2. quæst. 38. art. 1. potest hæc contentio ex varia intentione assumi. Primò, pro defensione veritatis; Secundò, solùm exercitationis causa oppugnando veritatem, vt hæc magis eluceſcat, aut etiam vt in dubiis possit veritas agnosci. Et vtraque hæc contentio est laudabilis, si cum debita moderatione fiat; est verò peccatum contra modestiam si debita moderatio non seruetur; aut etiam contra caritatem, si contendens aduertat hac ratione pacem lædi, aliorumque animos exacerbari. Posset etiam esse contra virtutem fidei, quando de eius articulis ita cum hæreticis disputatur, vt periculum sit ne auditores magis moueantur rationibus hæretici, quàm Catholici: quod facilè fit, quando hæc disputatio fit publicè, & Catholicus est minùs doctus, aut minùs promptè se potest explicare; præsertim si auditores sint rudes. Hinc Apostolus 2.ad Timoth. 2 *Noli*, inquit, *contendere verbis, ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium.*

D. Thom.

Quæ contentio licita, quæque illicita.

2. Timot. 2.

35 Tertiò, potest assumi vt veritas seriò oppugnetur ac opprimatur, aut saltem obscuretur; & tunc est peccatum mortale, si illa veritas spectet ad fidem aut ad bonos mores: vt si quis conetur probare vsuras esse licitas. Quòd si illa veritas nullo modo spectet ad fidem, aut bonos mores, ita vt sine horum periculo in ea possit errari, illa contentio est peccatum veniale contra veracitatem.

Quartò, potest assumi præcisè vt alter irretur aut publicè confundatur, eiusque auctoritas euertatur: & tunc est contra caritatem, nisi confundendus sua auctoritate alios in errore detineat, aut alia ratione fidei bonisve moribus noceat.

DVBIVM V.

Quid sit schisma, & quale peccatum?

36 NOta Primò, schisma idem esse quod scissio, & generatim significare omnem diuisionem; à Patribus tamen ac Theologis sumitur pro scissura siue diuisione, qua aliqui se ab Ecclesia separant, nolendo cum reliquis Catholicis communicare; atque ita eius vnitatem scindunt ac diuidunt.

In quibus consistat vnitas Ecclesiæ.

Nota Secundò, vnitatem Ecclesiæ consistere Primò, in vnitate fidei, qua omnes Catholici eadem de Deo, Christi incarnatione, aliisque fidei mysterijs credunt. Secundò, in externa communione in Sacramentis, ac cultu diuino, & subiectione respectu eiusdē capitis, qua omnes fideles subijciuntur Christo eiusque in terris vicario Pontifici Romano. Sicut enim omnes qui sunt in eadem republica propter communem vsum eorumdem iurium ac legum, & sub eodē magistratu siue principe subiectionem cum mutua inter se connexione dicuntur vnum corpus: item sicut hæc connexio est fundamentum & causa singularis cuiusdam inter eos amoris, quo quisque ceteris paribus magis amat suum ciuem, quàm alios quibuscum eiusmodi necessitudinem non habet; ita suprà dicta vnio & connexio inter omnes fideles, est fundamentum singularis ac mutui inter eos amoris.

37 Ex quibus patet, vnitatem Ecclesiæ duobus modis scindi posse, vel potiùs aliquos dupliciter posse se ab ea abscindere, ita vt desinant eius esse membra: cùm tamen Ecclesia in se semper maneat vna ac indiuisa, nec scindi possit. Primò, per hæresim, quando aliqui deficiunt ab vnitate fidei. Secundò, quando quis permanendo in eadem fide cum Ecclesia, non vult tamen cum ea in Sacramentis ac cultu diuino communicare, aut renuit eius capiti subesse, atque ita sponte desinit eius esse membrum.

Vnitas Ecclesiæ dupliciter scinditur.

38 Quamuis autem priores longiùs & magis totaliter ab Ecclesia recedant, seque ab ea abscindant, quàm secundi, (nam hi adhuc ei vniuntur in eadem fide, priores verò etiam hanc deserunt, atque ita omnino & totaliter ab ea separantur, & consequenter maius schisma efficiunt;) quia tamen priores directè solùm intendunt inducere aliam fidem, ideo directè contra hanc peccant, & dicuntur hæretici. Alij verò intendunt directè se ab Ecclesia separare, idq; aut omnino expresse, vel saltem implicitè, faciendo aliquid quod directè tendit ad scissionē Ecclesiæ; vt fit quando quis conatur inuito Pontifice congregare generale Concilium, vt notat Caietanus v. *Schisma*; ideoque per appropriationem dicuntur schismatici, & hoc nomine tamquam sibi proprio ab hæreticis distinguuntur. Hinc S. Augustinus lib. de Fide & Symbolo cap. 10. initio: *Hæretici*, inquit, *& schismatici congregationes suas vocant Ecclesias: sed hæretici de Deo falsa sentiendo, ipsam fidem violant: schismatici autem discissionibus iniquis à fraterna caritate dissiliunt, quamuis ea credant quæ credimus.* Vbi apertè distinguit schismaticos ab hæreticis; & docet schisma posse esse sine vlla hæresi.

Caiet.

Aug.

Idem multi probant ex magnis commētarijs S. Hieronymi in cap. 3. epist. ad Titum, vbi ait: *Inter hæresin & schisma hoc interesse arbitramur: quòd hæresis peruersum dogma habeat; schisma propter episcopalem dissensionem, ab Ecclesia pariter separet.* Sed alia exemplaria hæc verba aliter referunt: nam pro *arbitramur*, ponunt *arbitrantur*. ita vt S. Hieronymus ibi non suam, sed aliorum referat sententiam. & hęc lectio habet aptiorem connexionem cum sequentibus: subdit enim, *Quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest. Ceterùm nullum schisma non aliquam sibi fingit hæresim, vt rectè ab Ecclesia recessisse videatur.* vbi

Hieron.

prio-

priorem sententiam videtur aliqua ex parte corrigere. Sed quidquid hac de re sit, hæc vltima verba satis ostendunt ipsum sensisse schisma posse aliquando esse sine hæresi, atque ita ab hac iuxta iam dicta distingui.

39 *Valentia.* Varijs modis potest quis fieri schismaticus.

Nota Tertiò, ex Valentia tomo 3. disp. 3. q. 15. puncto 2. & alijs, aliquos etiam sine hæresi posse se varijs modis ab Ecclesia separare. Primò, immediatè & directè separando se à Summo Pontifice, quem tota Ecclesia habet pro tali, nolendo ei communicare eiúe subesse; causando eum esse malè electum, aut in hæresim incidisse, aut similem ob causam: aut etiam conando Concilium generale contra eum congregare; quia hoc faciens implicitè se eius obedientiæ subtrahit. Secundò, volendo se directè separare à tota Ecclesia tamquam polluta idololatria aut communicatione cum idololatris; ideoque nolendo cum ea communicare: prout olim se tandem separarunt Donatistæ. Tertiò, separando se solùm directè ab vna particulari Ecclesia communicante cum tota Ecclesia. Sic olim Nouatiani initio separauerunt se directè & expresè à sola Ecclesia Carthaginensi, eiusque Episcopo Cæciliano, quem accusabant tradidisse sacros codices, ideoque nolebant cum eo aut cum ijs qui ipsi communicabant communicare.

40 Non est quis simpliciter schismaticus donec saltè indirectè se separet à tota Ecclesia Catholica. *Valentia*

Sed hæc schismata non videntur differre essentialiter aut intrinsecè, sed solùm per accidẽs ac extrinsecè ratione diuersarum occasionum, ob quas illa exorta sunt; aut quatenus aliqua minùs vel magis expresè se à tota Ecclesia separant; idque vel subitò, vel paulatim. nam etsi fieri possit vt aliqui initio solùm intendant se separare à communione alicuius particularis Episcopi & cleri ipsi adhærentis; hi tamen non sunt perfectè schismatici, nisi ita affecti sint vt nolint communicare cum alijs Ecclesijs, posito quòd hæ cum dicto Episcopo eiusque clero communicare pergant: quamdiu enim habent voluntatem absolutè permanẽdi in obedientia ac communione Summi Pontificis ac reliquæ partis Ecclesiæ ei adhærentis, non obstante quòd hi cum dicto Episcopo communicent, non separant se absolutè ab Ecclesia. Vnde Valentia suprà, §. *Item eadem ratione.* bene probat omnem verum schismaticum saltem implicitè se separare à tota Ecclesia.

41 Potest Pontifex fieri schismaticus.

Hinc patet, etiam Summum Pontificem posse fieri schismaticum, vt cum alijs docet Valentia suprà propos. 4. Quia absolutè loquendo fieri potest vt ipse nolit cum reliquis omnibus Ecclesiæ membris communicare, sed nouum aliquem cœtum sibi congregare; quo casu sine dubio Ecclesiam scinderet. Sed quia vix potest humanitus accidere aliqua causa qua Pontifex posset moueri ad illud volendum, eiusmodi casus posset quidem fingi, sed moraliter loquendo vix potest contingere.

Si Pontifex palàm fieret schismaticus desineret esse Pontifex. *Valentia.*

Adde, sicuti diuina prouidentia impedit ne Pontifex fiat hæreticus, ita etiam impedire ne fiat schismaticus. Quòd si tamen aliquis Pontifex palàm se ita à tota Ecclesia separaret, desineret esse Pontifex, sicut si palàm fieret hæreticus. Ita cum alijs Valentia suprà puncto 3. & apertè docet S. Cyprianus epist. 52. aliàs libr. 4. epist. 2. ad Antonianum. vbi agens de Nouatiano, qui dicebat se Romanum Pontificem, paulò ante finem ait, *Episcopatum autem tenere non posset etiamsi Episcopus prius factus à Coëpiscoporum suorum corpore, & ab Ecclesiæ vnitate descisceret.* & paulò inferiùs: *Qui ergo nec vnitatem spiritus, nec coniunctionem pacis obseruat, & se ab Ecclesiæ vinculo, atque à sacerdotum collegio separat, Episcopi nec potestatem potest habere nec honorem, qui episcopatus nec vnitatem voluit tenere nec pacem.* *Cyprian.*

42 *Caietan.* *Valentia.* Non omnis nolẽs obedire Pontifici est schismaticus.

Nota Quartò, ex Caietano 2. 2. qu. 39 a. 1. in fine, & in Summa v. *Schisma*, & Valentia suprà, vt quis sit schismaticus non sufficere quòd in re aliqua particulari nolit obedire Pontifici, quia ipsi videtur nimis difficilis, aut contra suum honorem, aut temporalem vtilitatem; aut quia putat Pontificem non posse sibi similia præcipere, aut similem ob causam; modò agnoscat eum suum Superiorem ac caput Ecclesiæ. Nam ad schisma requiritur inobedientia coniuncta cum quadam rebellione, qua quis vult se omnino subtrahere à subiectione eius, quem nouit certò esse Pontificem, aut saltem nullam habet probabilem rationem de eo dubitandi. Qui enim habet probabilem rationem dubitandi an alter sit verus Pontifex, siue an sit verè & validè à Cardinalibus electus, non esset schismaticus si ei nollet subijci, vt docent Auctores citati.

43 *Caietan.* Electis pluribus Pontificibus, cui adhærendũ sit.

Vnde bene etiam monet Caietanus suprà §. *Si autem.* quando plures Pontifices eliguntur, neminem teneri alicui determinato ex illis adhærere, donec sufficienter ei constet, ita vt non habeat iustam rationem de eo dubitandi quis ex ijs sit canonicè electus; imò si quamdiu eorum ius est dubium, alicui eorum particulatim vt Pontifici adhæreret, peccaret, & esset aliquo modo schismaticus; quia sua auctoritate sibi caput Ecclesiæ constitueret, atque ita se diuideret ab ijs omnibus, qui illum non agnoscerent Pontificem.

44 Ecclesia nullum tenetur acceptare Pontificem donec constet eum canonicè esse electum.

Vnde vlteriùs sequitur, quando inter plures electos nequit cognosci quis canonicè electus sit, Ecclesiam posse omnes cogere, vt iuri, quod quisque prætendit, renuncient; quia verè tunc nullus eorum habet ius retinendi pontificatũ, quamdiu nequit Ecclesiæ sufficienter probare suam electionem esse canonicam. Quamdiu enim Ecclesiæ non constat sufficienter aliquem esse validè electum, non tenetur eum vt Pontificem acceptare, & consequenter nec alter habet ius eam ad hoc cogendi; adeoque nec habet ius exercendi munus Pontificis, quia ad hoc spectat alios compellere vt sibi tamquam Pontifici obedientiam præstent. Quare bono communi id exigente, potest compelli vt omni iure Pontificio, quod se habere prætendit, cedat, vt Ecclesia hac ratione de certo capite sibi prouideat, quo sine grauissimo suo incommodo diu nequit carere. Ita Caietanus tom. 1. opusc. tract. 1. c. vltimo, in respons. ad 3. & 4. casum. *Caietan.*

45

Quòd si autem inter dictos vnius ius incepit esse clarum, ita vt prudenter iam nequeat dubitari quin canonicè sit electus, omnes ei tenebunt adhærere vt vero Pontifici; nec talis

potest à Concilio deponi. Quamuis fieri possit vt ob Ecclesiæ pacem, quæ aliter obtineri non potest propter potentiam aduersæ partis electũ Pontificem acceptare recusantis, eíque adhærentes grauiter persequẽtis, ipse ex caritate obligetur suo iure cedere, ac seipsum pontificatu abdicare; quando hac ratione crederetur omnis turbatio sine alio notabili incommodo sedanda. Patet, quia, cùm, vt habetur Iohannis 10. bonus pastor teneatur ponere animam suam pro salute ouium, multò magis pro eadem tenetur ponere honores. Et sic Gregorius XII. in Concilio Constantiẽsi pontificatum deposuit. Plebs autem in eiusmodi casibus debet sequi iudicium Prælatorum suorum, donec ei constiterit ipsos iniquam causam fouere.

Legitimè electus ob pacem Ecclesiæ tenetur quandoque suo iure cedere.

Iohan. 10.

Quid plebeijs in schismate agendum.

46 Ex his patet Primò, schisma esse peccatum contra caritatem, ad quam pertinet procurare vnitatem animorum, quam schisma penitus turbat.

Patet Secundò, esse peccatum valdè graue, tum quia maximo bono nos priuat, scilicet illa coniunctione animorum, omnino necessaria ad promouendam salutem animarum & conuersionem infidelium, ac bonum religionis Christianæ, tum etiam quia grauissimas turbas, aliaque mala in Ecclesiam inducit; & communiter gignit hæresim, vt docet D. Hieronymus citatus n.38. vnde ipsum etiam in Core, Dathan & Abiron Num.16. grauissimè & inusitata pœna à Deo punitum est. *Hieron.* *Num.16.*

Patet Tertiò, Ecclesiam illud etiam meritò 47
grauibus pœnis punire, & præsertim excommunicatione maiore, vt patet ex Bulla cœnæ. Vnde etiam schismatici amittunt potestatem iurisdictionis, non tamen ordinis; hinc validè quamuis illicitè conferunt Sacramenta, quæ non requirunt iurisdictionem, vt ostendi to.1. de Sacram. q.64. a.6. dub.2. & a.9. & to.2. disp.14. dub. 5. vbi sequẽtibus dubijs enumeraui plures pœnas quas excommunicati incurrunt. Vide etiam Valentiam suprà puncto 3. *Valentia.*

DISPVTATIO XXXI.

De Bello.

DVBIVM I.

Vtrùm bellum sit aliquando licitum?

1 SAtis per se constat, bellum non esse per se expetendum, sed potiùs quantum sine periculo grauioris mali fieri potest vitandum, ob multorum cædes, vrbium direptiones, aliasque grauissimas calamitates, quas bellum necessariò secum trahit, quibusque non modò nocentes, sed etiam multi innocentes communiter inuoluuntur. Quia tamen multa sunt per se quidem tamquam mala omnino fugienda, quæ tamen per accidens quatenus necessaria sunt ad vitanda maiora mala, sæpè prudenter ac honestè expetuntur; qualia sunt cauteria, aut alicuius membri amputatio, periculosæ medicinę, & similia; quæ vitæ tuendæ causa laudabiliter vsurpantur; hîc quærimus vtrùm aliquando possint occurrere iustæ causę, quæ bellum reddant licitum.

Multa secũdùm se fugienda, per accidens expetẽda sunt.

2 Manichæi olim teste D. Augustino libr. 22. contra Faustum c.74. docuerunt bellum numquam esse licitum, ideoque reprehendebant antiquos Patriarchas, Abraham, Iosue, Dauid & similes quòd bella gessissent; sicut etiam antiquum testamentum in quo illi laudantur, & Israëlitis bella præcipiuntur. *Augusti.*

3 Alij docuerunt saltem Christianis iam per legem nouam numquam licere bellare. Ita Erasmus in annotationibus ad cap.3. & 22. S. Lucæ: quem videntur sequi Anabaptistæ. *Erasmus.*

Probatur Primò, quia Isaiæ 2. dicitur, quòd tempore Messiæ *conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, & non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad prælium.* Similia habentur Oseæ 2. v.18 & Micheæ 4. v.3. & alibi. Secundò, quia Matthæi 5. iubemur diligere inimicos, & bene facere ijs quinos oderunt; percutienti vnam maxillam præbere aliam, &c. quibus omnino contraria fiunt in bello. Tertiò, quia Matth.26. dicitur Petro: *Conuerte gladium tuum in locum suum; omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Quartò, ad Roman.12. dicitur, *Nulli malum pro malo reddentes.* & infrà: *Non vos defendentes carissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim, Mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus.* Quintò, quia 2.ad Corinth.12.v.4. Apostolus docet, arma militiæ nostræ non esse carnalia, sed spiritualia: vnde ad Ephes.6.v.11. & seqq. iubet nos assumere armaturam Dei, scilicet loricam iustitiæ, scutum fidei, galeam salutis, gladium spiritus quod est verbum Dei. Sextò, quia Concilium Nicenum can.11. ait: *Si qui per Dei gratiam vocati primò oftenderunt fidem suam, deposito militiæ cingulo; post hac autem ad proprium vomitum reuersi sunt, vt & pecunias darent, & ambirent rursus redire ad militiam, isti decem annis sint inter pœnitentes.* &c. Septimò, quia S. Leo epist.90. aliàs 92. ad Rusticum c.10. ait: *Contrarium est omnino Ecclesiasticis regulis post pœnitentiæ actionem redire ad militiam secularem, cùm Apostolus dicat, Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus: vnde non est liber à laqueis diaboli, qui se militiæ mundanæ voluerit implicare.* Similia habentur c. *Falsas.* de pœnitentia, dist.5. Octauò, quia S. Martinus, vt legitur in eius vita, Iuliano iubenti vt pugnaret, respondit: *Ego Christianus sum, mihi pugnare non licet.* *Osea 2.* *Micheæ 4.* *Matth.5.* *Matth.26.* *Rom.12.* *2.Cor.10.* *Ephes.6.* *Concil. Nican.* *c.cxcunderunt.* *S.Leo.* *c.Falsas.*

Isaiæ 2.

Lutherus verò, vt refert Roffensis a.34. olim 4
asseruit non licere Christianis pugnare contra Turcas ipsos inuadentes; quia Turcæ sunt flagellum Dei, quo ipse peccata nostra punit, quod illicitè *Error Lutheri Roffensis.*

illicitè conamur à nobis vi auertere. Sed hoc nullius momenti est: nam aliàs probaret non licere nobis quærere vlla remedia contra pestem, aliaque similia mala, quibus Deus nostra peccata punit. Quamuis igitur Deus ad puniēda nostra peccata nobis sæpè eiusmodi mala immittat, tamen nullibi prohibet, quin quauis ratione aliàs licita, ea à nobis conemur auertere. Præsertim cùm ipse communiter ea non immittat nobis positiuè & directè ea procurando, sed solùm ea ob peccata nostra permittendo, quæ aliàs impediret. vnde etiam ipse Lutherus postea suam sententiam mutauit, omnesq; hortatus est vt Turcis resisterent. vt docet Valentia to.3.disp.3.q.16.puncto 1.

Licitè conamur à nobis auertere mala, quibus Deus peccata nostra punit.

Valentia.

5 Conclvsio. Omnino certum est, nec à Catholico negari potest, aliquando, siue quando adsunt conditiones, quas in fine dubij recensebimus, licitum esse bellare etiam Christianis. Est communis omnium Catholicorum & sensus totius Ecclesiæ.

Probant id multi ex varijs locis antiqui testamenti, in quibus narrantur viri sancti etiam iubente Deo multa bella gessisse. Sed etsi hæc Catholicis firmissimè ac clarissimè probēt bella in se non esse semper illicita; tamen contra hæreticos non videntur habere multum roboris. Nam nec vrgent Manichæos, qui vetus testamentum non admittunt, & dictos omnes qui in eo ob bella gesta laudantur, tamquam iniustos condemnant: nec etiam vrgēt assertores secundæ opinionis, qui concedunt veteribus bellū fuisse licitum, solumq; negant id licere Christianis in lege gratiæ. Nihilominus tamen dicta argumenta contra Manichæos vim suam obtinebunt, si (quod facilè potest fieri) ex nouo testamento (quod illi recipiunt) probauerimus vetus testamentum fuisse verè verbum Dei, & tamquam tale sæpissimè in nouo testamento citari; & eos ipsos qui in eo laudantur, etiam laudari in nouo testamento. vt patet ad Hebræos 11.

Hebr.11.

6 Probatur Secundò, quia Iohan. Baptista Lucæ 3. rogatus à militibus quid ipsis esset agendum, vt euaderent Dei iudicium ac vltionem, non iussit eos arma deponere, ac militiam deserere; sed ne quemquam concuterent, ne calumniam facerent, ac stipendijs contenti viuerent; apertè ostendens licitè eos perseuerare in militia: aliàs non potuissent stipendia accipere; vt bene notat S. Augustinus lib.22. contra Faustum cap.74. vbi etiam addit Manichæos ideo S. Iohannem Baptistam apertè blasphemare, siue iniustum arguere. Sed in hoc apertè contradicunt nouo testamento, quod non modò pluribus locis illum laudat, adeò vt ipse Christus testetur illum esse plusquam Prophetam, & maximum inter natos mulierum: sed S. Lucas etiam apertè approbat ea quæ dicto loco à Baptista dicta & facta refert; nam versu 2. antequam ea referat, dicit verbum Domini factum esse super Iohannem, apertè significans ea quæ ipse ibi dixit & fecit, ex verbo siue inspiratione Dei dixisse & fecisse. quare ipsi nequeunt dicta Baptistæ improbare, nisi aut Deum accusent, aut Euangelistam mendacem faciant.

Luca 3.

Augusti.

Quamuis autem Baptista ibi non ageret cum Christianis; cùm tamen eos quibus concionabatur disponeret vt Christiani fierent, ac legem nouam susciperent, ipsosque doceret quænam ad hoc essent necessaria; si Christianis futura erat illicita militia, debebat hocijs insinuare, eosque hortari vt quàm citissimè possent eam desererent, ne quid eos à suscipienda noua lege retardaret. 7

Probatur Tertiò, quia Matthæi 8. Christus laudat fidem centurionis, & apertè insinuat ipsum aptum esse regno cælorum, siue legi gratiæ suscipiendæ, cùm tamen ipse esset miles, & dicto loco coram Christo hoc profiteretur, dicendo se esse in potestate, scilicet militari, positum, & habere sub se milites. in quo à Christo nullo modo reprehenditur, nec iubetur militiam deserere; quod tamen tunc Christus omnino fecisset, si militia Christianis fuisset illicita. Similiter Actorum 10. Cornelius Centurio dicitur vir religiosus ac timens Deum, cùm tamen actu militaret, ac caput esset militum. Item ibidem v.6. à Deo iubetur accersere S. Petrum, vt ab eo discat quænam ipsum oporteat facere, vt scilicet fiat bonus Christianus ac vitam æternam obtineat. Deinde v.36. & seqq. S. Petrus ipsum dicta omnia docet; ac v.44. ipse accipit Spiritum sanctum, & v.48. baptizatur; & tamē nulla ibi fit mentio deserendæ aut desertæ militiæ, cùm tamen hæc primò fuisset deserenda, si Christianis esset illicita. 8

Matth.8.

Actor.10.

Probatur Quartò, quia etiam in nouo testamento semper fuerunt plurimi milites Christiani, qui tamen ideo numquam fuerunt ab Ecclesia reprehensi; sed multi inter eos fuerunt habiti sancti, & inter Sanctos post mortem fuerunt relati. Item Deus sæpè multos Christianos principes ad bella contra infideles ac tyrannos suscipienda excitauit, ijsque victoriam promisit ac miraculosè contulit, vt patet ex vita Constantini Magni, Theodosij & aliorum. Hunc etiam semper fuisse sensum omnium sanctorum Patrum fusè probat Bellarm. l.3. de Membris Ecclesiæ, siue lib. de Laicis c.14. 9

Probatur Quintò, ratione, quia cuique iure naturæ licitum est iniustam vim sibi illatam vi repellere: atqui, vt respublica hoc faciat sæpè ei necessarium est suscipere bellum: ergo hoc tunc licitè facit. Maior est lumine naturali clara, & communi hominum sensu ac vsu approbata; & aliàs boni omnes paterent vbique iniquorum violentiæ, & hi in illos omnia impunè possent; possetque vna gens sibi vicinam bonis omnibus, atque adeò liberis ac vxoribus, & quos vellet vita spoliare; nec huic liceret ei resistere; sed deberet hæc quiet aspectare. quæ absurdissima sunt. 10

Quamuis autem hæc præcipuè probent licitum esse bellum defensiuum, quo vim illatam repellimus; habent tamen etiam locum in bello offensiuo, quo reparationem læsi iuris repetimus; tum quia qui iniustè nostrum ius violauit, & illud sine causa renuit reparare, pergit aliquo modo rebus nostris vim inferre, continuando iniuriam nobis illatam; quam illator censetur moraliter continuare, quamdiu iniustè renuit læsio- 11

læsionem reparare: atque ita qui ipsum bello ad hoc cogit, quodammodo vim siue iniuriam repellit. tum etiam quia eiusmodi bellum sæpè est necessarium vt impediantur iniuriæ aliàs postea inferendæ. Nam nisi eiusmodi bellum esset licitum, quiuis populus suis vicinis subitò posset quasuis iniurias impune inferre, modò statim ac alij arma caperent se in sua reciperent, & postea statim ac hi arma posuissent, easdem incautis inferrent, nec quidquam sibi inde timerent. Ex quibus patet omne bellum iustum, esse aliquo modo defensiuum.

Omne bellū iustum est aliquo modo defensiuum.

12 Ad primum argumentum positum n.3. Respondeo Primò, id nihil facere ad rem: nam dictis locis non dicitur lege Christi prohibenda bella Christianis, sed adueniente Christo nulla futura: quare si quid probarent, probaret Christum nondum venisse. Respondeo Secundò, dictis locis prædici tempore Christi ac legis nouę futuram summam pacem. Primò, propter pacem quæ fuit eo nascente. Secundò, & præcipuè, vt ostendatur Christi regnum non futurum temporale, quod armis & bellis deberet augeri, prout Iudæi imaginabātur: sed spirituale; quod prædicatione ac clara ostensione veritatis, miraculis, probitate ac innocentia vitæ eorum qui id annunciarent, esset inchoandum, promouendum ac conseruandum. Hinc Christus misit suos Apostolos euangelizatum regnum Dei sine baculo & pera, simplices vt columbas, tamquam oues in medio luporum. Tertiò, quia qui in regno Christi perfecti sunt, eiusque præceptis ac consilijs se penitus conformant, ac terrena omnia arbitrātes vt stercora solum Deum quærunt; summam ac perpetuam hîc pacem habent. nam siue in prosperis, siue in aduersis semper sunt læti & animo quieti, iuxta illud ad Philipp. 4. *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete; modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Et illud Iacobi 1. *Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.* Cum quibus optimè consistit Christianos aliquando suscipere bella, quibus se suaque ab alienis iniurijs defendant.

Quo sensu Prophetæ dixerint tempore Christi futurā summam pacem.

Philip. 4.

Iacobi 1.

13 Ad secundum, Respondeo aliquem gerere iustum bellum optimè consistere cum debita dilectione erga eos, contra quos illud geritur; sicut (vt dixi disp. 29. n. 6. & 8.) iudicem punire reum optimè consistit cum huius debita dilectione; imò vtrumque sæpè proficiscitur ex vero amore erga eos qui puniuntur, aut bello petuntur: nam iniquis sæpè expedit aut bello superari, aut à iudice puniri, vt hac ratione aut conuertantur (prout sæpè multis infidelibus ac hæreticis contingit) aut saltem minùs peccent, & consequenter in inferno minùs puniantur. vide S. Augustinum epist. 48. ad Vincentium, vbi id fusè probat.

Augusti.

Quod autem additur vt percutienti vnam maxillam præbeamus alteram, &c. non obligat vt id semper & in omni casu agamus; nec ea mens est Christi, qui Iohannis 18. v. 23. percussus à famulo pontificis non præbuit alteram maxillam, sed iusta ratione se defendit. Solùm igitur ibi nobis præcipitur ne acceptis iniurijs inardescamus cupiditate vindictæ, sed simus animo ita comparati, vt potiùs simus parati maiores ferre, si id ratio postulet, quàm quidquam contra rectam rationem aut caritatem proximo debitam agere. Vide S. Augustinum lib. 22. contra Faustum cap. 76. & epist. 5. ad Marcellinum.

Quo sensu percutienti vnam maxillam iubeamur dare alteram. *Iohan.* 18.

Augus.

Ad tertium, Respondeo ibi solùm prohiberi ne quis priuata auctoritate & cupiditate vindictæ in alios gladium suum stringat, aut etiam ad defensionem innocentis, quando id ob potentiam aduersariorum est omnino inutile, prout S. Petrus tunc faciebat, qui cùm solus esset erat insufficiens tot turmis resistere. Adde, fuisse contra expressam Dei ordinationem tunc velle Christum armis ab iniurijs hostium liberare, vt ipse ibidem indicat. 14

Ad quartum, Respondeo similiter ibi solùm prohiberi priuatam vindictam, & *defendere* sumi pro *vindicare*: græcè enim est ἐκδικοῦντες, *vindicantes*. Quando autem vindicta fit publica auctoritate seruatis debitis circumstantijs, tunc fit à Deo, quia à ministro iustitiæ Dei vicem gerente: vt ipse Apostolus ibidem docet cap. 13. initio.

Ad quintum, Respondeo ea nihil omnino facere ad rem. Quia Apostolus ibi non agit de armis quibus principes Christiani debent vti contra hostes suos; sed priore loco de armis quibus ipse alijq; Prælati Ecclesiæ debent sibi subiectos coërcere, & contradicentes conuincere. Secundo loco agit de armis quibus contra dæmonem & vitia certare debemus, quæ sine dubio spiritualia sunt. 15

Ad sextum, Respondeo Concilium ibi solùm agere de ijs qui sub Diocletiano & Licinio ne fidem negarent cingulum militiæ deposuerant, & postea idem conati fuerant recuperare, ostendentes se paratos esse iussis Imperatorum obedire, ac idolis sacrificare, vt patet ex initio illius canonis, & clariùs ex alijs eiusdem versionibus, quæ habentur tomo 1. Conciliorum in Concilio Niceno. 16

Concil. Niceu.

Ad septimum, Respondeo tam S. Leonem, quàm dictum canonem solùm dicere, militiam olim fuisse prohibitam ijs, qui aut ex præcepto Ecclesiæ ob sua scelera publicam agebant pœnitentiam, aut statum pœnitentium mutato habitu & vitæ genere sponte susceperant: vt indicat S. Leo ibidem cap. 11. vbi significat tales etiam debuisse abstinere coniugio, nisi fortè immineret ijs graue periculum incontinentiæ, quo casu hoc ijs ex indulgentia permittebatur. Deinde c. 12. cùm docuisset monachis illicitam esse militiam & coniugium, subdit: *Quia etsi innocens militia, & honestum possit esse coniugium, electionem tamen meliorem deseruisse, transgressio est.* Vbi apertè docet, militiam non minùs quàm coniugium posse licitè susci pi ab ijs qui statum eis repugnantem non sunt professi. Similiter d. c. *Falsas*, dicitur pœnitentes vrgente necessitate ob causam piam posse ex consilio Episcopi suscipere militiam. 17

S. Leo

Eadem est responsio ad nonum: nam S. Martinus non dixit sibi illicitum esse pugnare quia erat Christianus, (nam iam triennio catechumenus militauerat) sed quia militiæ Christianam aseri-

ascriptus erat, scilicet voto Religionis siue monachissimi, quod tenebatur implere.

Objiciuntur præterea quædam alia loca Patrum, sed quæ facilem ex adiunctis aciam dictis habent solutionem. vide etiam Bellarm. suprà.

18 Ad belli iustitiam tres requiruntur conditiones.

Nota tandem vt bellum aliquod sit iustum tres requiri conditiones. Primò enim requiritur legitima auctoritas in eo qui id indicit; Secundò, iusta causa; Tertiò, rationabilis in eo gerendo moderatio. Quas dubijs sequentibus explicabo, ita tamen vt secundam conditionem primò explicem, quia ab eius cognitione multum pendet cognitio prioris. Addunt aliqui Quartam conditionem, scilicet rectam intentionem; sed hæc non requiritur propriè ne bellum sit iniustum; nam si tres priores conditiones perfectè obseruentur, bellum erit iustum quantumuis mala intentione geratur; sed solùm est necessaria ne gerès bellum peccet, quod est cõmune alijs omnibus externis actionibus. Sic pœna quam reus meritus est, iuridicè ei inflicta nullam continet iniustitiam, quantumuis iudex eam ex odio infligat, atque ita graviter peccet contra caritatem.

DVBIVM II.

Quænam sit iusta causa inferendi alteri bellum?

19 NOta Primò, duplici hominum generi posse inferri bellum. Primò, ijs qui subditi sunt inferenti, vt quando aliquis princeps infert bellum suis subditis sibi rebellantibus, & tunc nemo dubitat quin ipsa rebellio, siue quòd illi nolint obedire iusto sui principis imperio, sit iusta causa belli, quando illi nequeunt aliter ad obedientiam compelli. Secundò, ijs qui nullo modo sunt subditi illi qui bellum infert, vt fit quando vnus rex infert bellum alteri, sibi nullo modo subiecto. & de hoc casu est præcipua difficultas.

20 Quod bellũ dicatur merè defensiuũ, & quando licitum sit.

Nota Secundò, bellum aliud esse merè defensiuum, quo aliquis solùm conatur repellere vim sibi aut rebus suis actu illatam ab aliquo inuasore. Et quamuis in eo sæpè necesse sit aliquam vim hosti inferri, aut eum etiam occidi; quia tamen hoc non fit nisi quia necessarium est vt vis actu illata repellatur, tota illa actio habet rationem meræ defensionis. Et hoc semper est iustum, quoties alter iniustè vim infert, eíque non infertur maior vis, quàm præcisè sit necessaria vt eius violentia repellatur, siue vt repellens se suaque seruet integra, quia ad hoc quiuis iure naturæ habet ius. Aliud est offensiuum; quo quis vim infert illi, qui nec ipsum nec res eius actu inuadit. Et quamuis omne eiusmodi bellum, quod quis iustè infert sibi nullo modo subditis, necessariò contineat aliquam iuris proprij defensionem, atque ita sit aliquo modo defensiuum (vt ostendi suprà n.11. & ex dicendis magis patebit) quia tamen talis inuadit eum à quo iam actu non inuaditur, dicitur gerere bellum offensiuum: & de hoc hîc maximè quærimus, quæ sit eius iusta causa.

Quod bellũ dicatur offensiuum.

Suppono hîc autem, ad alicui non subdito inferendum bellum non sufficere quòd hîc cõmittat grauia peccata contra ius naturæ per idolatriã, sodomiam, aliaúe similia vitia; quamdiu nullam infert innocenti iniuriam, nec innocentes etiam volentes occidit, falsis dijs eos immolando, aut simili ratione. Quæ satis probaui disp.18. dub.12. concl.5. ex eo quòd potestas coërcitiua aut punitiua non competat pari in parem, sed solùm Superiori in subditos: committens autem eiusmodi peccata, vt iam suppono, non est subditus illi qui deberet ei inferre bellum; nec tunc potest esse alia causa inferendi bellum, nisi vt eiusmodi peccata puniãtur, eaque committens compellatur ab ijs desistere.

21 Peccata quibus innocẽtes non lædũtur, non sunt iusta causa inferendi bellũ nõ subditis.

22 *August.*

Iustam igitur belli causam varij variè definiunt. S. Augustinus l.6. quæst. in vetus testamentum c.10. ait: *Iusta autem bella definiri solent, quæ vlciscuntur iniurias, si qua gens, vel ciuitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per iniurias ablatum est.* Hinc Bañez 2.2.qu.40.art.1.dub.4.§. *Circa secundam.* colligit duas causas iusti belli. Prima est, quando respublica aut princeps negligit vindicare quod à suis improbè gestum est. Secunda, si illi neglexerint restituere per iniuriam ablata. Lorca verò ibidem disp.52.n.2. adfert tres. Prima est, sui rerumúe suarum defensio; Secunda, vindicatio iniuriæ acceptæ; Tertia, recuperatio eius quod ablatum est. Cui videtur consentire Molina tract.2. de Iustitia disp.102. vbi ex Victoria ait iustam causam belli esse iniuriam vel impediendam, vel resarciendam, vel vindicandam.

Bañez. *Lorca.* *Molina.* *Victoria.*

23

In quibus quædam certa sunt, quædam verò explicatione indigent. Certum enim est iniuriam repellendam siue defensionem innocentis esse iustam causam belli: vt omnes fatentur. Sed tale bellum est merè defensiuum. Secundò, certum est iniuriam resarciendam, siue res ablatas, famam honoremúe læsum, quando hæc per veram iniuriam facta sunt, & eorum reparatio aliter obtineri nequit, esse iustam causam belli: quia, vt ostendi suprà num.11. qui nobis petentibus eiusmodi reparationem iniustè negant, continuant iniuriam priùs illatam, atque ita pergunt nobis iniuriam facere, quam iustè armis repellimus. Tertiò, certum est priorem causam Bañez vt vera sit, non esse ita intelligendam, quasi vna respublica possit alteri inferre bellum quoties hæc renuit punire à suis quacumque ratione improbè facta, sed necessariò debet intelligi de improbè factis cum aliorum iniuria, vt ostendimus n.21. & locis ibi citatis.

24

Circa dictas autem causas occurrit dubium. Primò, circa secundam & tertiam causam Lorcæ, & consequenter circa primam Bañez: scilicet circa iniuriam vindicandam, quam aiunt esse iustam causam belli. Potest enim hæc vindicta dupliciter intendi. Primò, præcisè quatenus est necessaria vt reparetur læsus honor iniuriam passi, quem lædentes sponte reparare nolunt; aut vt eorum aliorumque iniquorum audacia comprimatur, qui alias bonis pergerent inferre iniurias,

Iniuria ex duplici intentione potest vindicari.

iniurias, si viderent se id impune posse facere. Et hac ratione ob violatos suos legatos 2.Regum 10. Dauid iustè intulit bellum filijs Ammon, qui non solùm non erant parati iniuriam illatam reparare, sed parabant se etiam ad resistendum Dauid volenti satisfactionem exigere. Satisque inter omnes constat hanc esse iustam causam belli. 2. Reg. 10.

25 Secundò, potest intendi præcisè quatenus habet rationem iustæ vindictæ, ita vt hæc etiam expetatur in casu, quo aliter sufficiens satisfactio pro iniuria illata obtineri possit. Vt si aliqua respublica iniustè inuasisset aliquam alterius reipublicæ vrbem, eamque cum multorum cæde ac fœminarum rerumque sacrarum violatione vastasset, ita vt tam eius princeps quàm præcipui nobiles essent meriti mortem, eaque iustissimè possent plecti, si haberent Superiorem, qui iure in eos agere posset. Iidemque deinde metu belli sibi inferendi offerrent læsis restituere omne damnum illatum, quàtum fieri posset; ac siue pecunijs, siue veniæ petitione, aliaue simili ratione pro illata iniuria satisfacere; ac datis pignoribus aliaue ratione sufficienter cauere se in posterum nihil simile ausuros. Læsi autem his non contenti vellent sibi dedi principem, aliosue præcipuos nobiles, iniuriæ auctores plectendos morte; & negantibus bellum inferrent. Quo casu sicut illa vindicta non esset necessaria ad reparandum damnum aut iniuriam illatam; ita ab inferentibus bellum non posset prudenter intendi nisi præcisè quatenus habet rationem vindictæ.

26 Et satis quidem constat eiusmodi bellum non fore contra iustitiam quando læsores sunt subiecti læsis, siue ijs qui vltionem exigunt, vt si vrbs vastata, eiusque vastatores subessent eidem regi; cùm enim hic esset verus Superior, ac iudex auctorum illius iniuriæ, haberet ius eos plectendi merita pœna, nec ex iustitia teneretur alia satisfactione esse contentus. Quoties tamen illi essent tanta potentia, vt non possent ad subeundam pœnam nisi bello cogi, communiter esset contra caritatem, nolle aliam satisfactionem acceptare, propter multorum etiam innocentium ab vtraque parte cædes, aliaque ingentia mala, quæ bella secum trahunt, quibus eiusmodi vindicta non est digna emi. Esset etiam sæpè contra prudentiam politicam; quia facilè contingeret vt læsores in desperationem acti mortem omnia que pericula contemnentes audacissimè pugnent, atque ita fundant copias se longè fortiores, & suos oppugnatores euertant: cuius rei exempla in historijs vbique obuia sunt.

Bellum aliàs iustum potest esse contra caritatē, aut prudentiam.

27 Tota itaque difficultas est, vtrùm eiusmodi bellum in eo casu sit licitum, aut saltem non iniustum, quando læsores non sunt vllo modo subiecti læsis, vt si Francus eiusmodi iniuriam intulisset Hispano, aut contrà.

Quidam asserunt, principem læsum sine vlla iniustitia posse illo casu exigere vt auctores iniuriæ sibi dentur morte plectendi, aut renuentes ad hoc bello cogere. Probant Primò, quia S. Augustinus citatus suprà n. 22. docet esse iustum bellum quò vlciscimur iniurias illatas, id-

Augustin.

que distinguit ab eo quo ablata repetimus. Secundò, quia læsus eo casu est verus ac directus iudex læsoris: ergo habet absolutè ius vt eum morte quam meritus est plectat, nec tenetur alia satisfactione esse contentus; & consequenter potest resistentes bello cogere, vt permittant ipsum suum ius exequi: sicut alius iudex potest reum sibi subiectum meritum mortem velle hac plectere, nec alia satisfactione esse contentus, potestque resistentes ad hoc vi & armis cogere.

Confirmatur Primò, quia sicut pœna debetur nocenti qui habet Superiorem, ita etiam debetur nocenti non habenti Superiorem, nec expedit hunc potiùs manere impunitum quàm illum: atqui hūc nemo potest punire nisi respublica iniuriā passa: ergo hæc potest eum punire. Confirmatur Secundò, quia ob eiusmodi causam 2.Regum 10.& 12. sub finem, Dauid bello vastauit, diriſque supplicijs affecit Ammonitas, eorumque ciuitates euertit. Item filij Israël Iudicū 20. iustè indixerunt bellum Beniaminitis, quia noluerunt tradere necandos Gabaonitas maximi sceleris reos. 2.Reg.12. & 31. Iudic.20.

Hanc sententiam tenet Lorca 2.2.q.40. a.1. disp.49 nu.6.& disp.52.n.3. & disp.53.nu.12.& quidam alij. Eandem videtur tenere Bañez ibidem, dub.2.concl.4. vbi docet, principem iniuriam passum eo casu esse directum iudicē principis illam inferentis. Probant Primò, quia bellum est supremus actus iustitiæ: ergo illud iustè indicens est iudex eius cui indicitur. Secundò, quia bello vlciscimur iniurias, vt docet S. Augustinus citatus n.22. Tertiò, quia, vt dicitur Ieremiæ 52.v.9. Nabuchodonosor victum Sedeciam curauit ad se adduci, & locutus est ad eum iudicia: ergo erat eius iudex. 28 Lorca. Bañez. Augus. Ierem.52.

Sed hæc sententia mihi videtur valdè difficilis. Primò, quia vni reipublicæ aduersus alteram sibi non subiectam concessum est bellum, non vt puniat huius peccata; sed solùm quia hoc sæpè est necessarium vt illa possit se suaque, aliosue innocentes contra aliorum iniuriam integra cōseruare: ergo illud est ipsi illicitum quoties ad hoc non est necessarium; vt contingit in dicto casu. Consequentia clara est. Maior probatur; quia aliàs nulla esset ratio cur vna gens non posset alteri indicere bellum ob idololatriam & alia similia crimina; cùm hæc non minùs sint punibilia quàm iniuriæ innocenti illatæ. 29 Bellum ergo non subditos solum conceditur vt nos ea nostra integra cōseruemus.

Secundò, quia punitio alicuius peccati, vt iusta sit, necessariò debet fieri à Superiore puniendi, vt ostendi disp.18 dub.12.concluſ.5.& communiter etiam aduersarij fatentur: atqui respublica quæ passa est iniuriam non est Superior eius quæ intulit, vt in casu supponitur: ergo illa non potest hanc propriè punire, & consequenter non potest ad hoc præcisè consequendum illi bellum indicere. Per hoc quòd quis alteri infert iniuriam non fit eius subiectus.

Dices, Etsi talis respublica non sit alteri subiecta ante commissam iniuriam, per hanc tamen fit ei subiecta; quia, vt dicitur cap.vlt.de foro competenti, ratione delicti fortitur quis forum. 30

Respondeo, nego assumptum; nec enim per hoc

hoc præcisè quòd alicui facis iniuriam fis illi vllo iure subditus, aliàs quiuis posset punire illum, à quo passus est iniuriam. quod apertè falsum est. Nec satisfacit si dicas illud solùm habere locum in principibus aut rebuspublicis non agnoscentibus Superiorem, non autem in priuatis: quia hæc distinctio quoad hoc punctum nullo iure aut firma ratione probari potest; vt magis patebit ex dicendis n.34.

31 Ad probationem Respondeo, hoc capitulũ nihil facere ad rem: nam ibi non dicitur faciẽtem iniuriam fieri subiectum passo; sed peccantem quoad iudicium illius peccati fieri subiectum ei, qui habet iurisdictionem in eo loco in quo ille peccat, idque non absolutè, sed solùm quamdiu peccans est in eo loco. Quare si ante citationem eo loco egrediatur, iudici illius loci nullo modo subiectus est, si priùs non fuerit; vt patet ex Clement. *Pastoralis.* de sententia & re iudicata, vers. *Vt illud.* vbi dicitur Imperatorem inualidè citasse existentem extra fines Imperij. Adde, illud capitulum non continere ius naturæ, sed positiuũ, quo iudices vtantur in priuatos peccãtes in loco suæ iurisdictionis, non autem quo vnus princeps vtatur erga alium: nã aliàs quando aliquis rex pacificè transiret per fines alterius regis, ibique committeret aliquod peccatum legibus huius regni punibile, quod aliàs nullo modo alicui esset iniurioſum, vt si committeret sodomiam aut aliquid simile; sequeretur hunc regem acquirere ius ad illum pro illo peccato iuxta suas leges puniendum. quod apparet omnino absurdum, & contra communem sensum.

Clem. Pastoralis.

32 Probatur Tertiò, quia, vt docet S. August. epist. 205. ad Bonifacium, *Pacem habere debet volũtas, bellum necessitas; vt liberet Deus à necessitate, & conseruet in pace.* Vbi apertè docet, nos quantum in nobis est, debere semper optare pacem, nec assumere bellum nisi necessitate coactos: ergo quoties possumus sine bello nostra omnia conseruare integra, illicitè illud suscipimus; quia nos ad hoc nulla tunc cogit necessitas. Quartò, quia ex illa sententia sequeretur, regem eiusque præcipuos nobiles, quando eiusmodi iniuriam alteri regi intulissent, quantumuis aliam iustam satisfactionem offerrent, nihilominus teneri seipsos alteri regi id petenti necandos tradere, aut fugere in eas regiones, vbi hic non posset eos persequi; nec vllo modo posse se vi defendere, quantumuis ad hoc vires suppeterent; imò sequeretur, quamuis nationem ad quam illi fugissent teneri ipsos tradere lęsis hoc petentibus; nec enim est vlla ratio, cur hæ minùs ad id obligentur, quàm illa respublica cuius læsores sunt pars. Dicta autem nimis dura sunt, nec humanis vsibus aut moribus accommodata.

August.

33 Ad primum argumentum positum num. 27. Respondeo S. Augustinũ ibi non loqui de quacumque vltione acceptæ iniuriæ, sed de ea quæ necessaria sit vt læsis violatus honor reparetur, ac in posterum securitas præstetur: iuxta dicta n.24. vt patet ex eius epist. 205. citata nu. 32. vbi apertè docet, bellum non debere assumi nisi ex necessitate. Per ablata autem, quæ bello iustè repetimus, intelligit dãna illata bonis alijs corporalibus ab honore distinctis, aut etiam bona nostra, v.c. diuitias aut regiones, ab alijs iniustè possessa.

Ad secundum, nego antecedens: nam, vt patet ex dictis, rex qui ante iniuriam illatam alteri non erat subiectus, per hãc non fit ei subiectus: nemo autem potest esse verus iudex sibi non subiecti. 34

Vbi Nota, hæc esse valdè distincta: *Me esse legitimum iudicem causæ, quæ versatur inter Petrum & Paulum:* &, *Me esse legitimum iudicem personæ ipsius Petri aut Pauli.* Nam quando Ecclesiasticus petit aliquod debitum à seculari, magistratus ciuilis est legitimus iudex illius causæ; nullo modo tamen est iudex personæ illius Ecclesiasticæ, nec in hanc vllam potestatem habet.

Non omnis iudex causæ in iudicium adductæ est iudex partium.

Confirmatur, quia aliàs sequeretur, quoties inter duos reges nascitur aliqua controuersia circa res iniustè ablatas aut possessas, vtrumque alterius esse legitimũ iudicem, & consequenter Superiorem; quia vterque est legitimus iudex illius controuersiæ; vt ex communi sententia infrà ostendam. Imò sequeretur, eum qui iniuriam intulit esse iudicẽ eius qui eam passus est: nam ipse est etiam legitimus iudex in hac causa: ad ipsum enim etiã pertinet iudicare vtrùm verè iniustè facta sint, quæ alter dicit esse iniustè facta, nec vllam tenetur offerre satisfactionem, quamdiu inuincibiliter iudicat ea non esse iniustè facta; vt ostendam n.43. & seqq. 35

Ad primam confirm. nego minorem, quatenus insinuat rempublicã læsam habere potestatem talem puniendi. Quantumuis enim is qui iniuriã intulit sit dignus pœna, & expediat eum puniri; si tamen nulli homini sit subiectus, per nullum hominem propriè puniri potest, sed à solo Deo. & aliàs sequeretur, talem committẽtem alia peccata posse ab aliquo homine puniri; quia etiam propter hæc est dignus pœna, & expedit eum puniri, ne in similibus committẽdis fiat audacior; præsertim quando ipsius subditi eius exemplo ad peccandum trahuntur: & tamen in hoc casu ea punitio Deo relinquenda est. Idemque dicendum est de priore punitione, quatenus habet præcisè rationem punitionis, nec est necessaria ad reparationem damni accepti in honore alijsue bonis. 36

Ad secundam confirm. Respondeo, Dauidẽ intulisse bellum Ammonitis, vt læsum suum honorem defenderet, non autem vt eos puniret. quamuis postea cùm victoria iam adepta eos iustè bello sibi subiecisset, aliqua per modum iustæ punitionis in eos exercuerit: filij verò Israël iudicum 20. iustè intenderunt punire Beniaminitas, tamquã sibi subiectos; quia cùm omnes tribus constituerẽt vnum populum, singulæ erant reliquæ communitati subiectæ. 37

Hinc sequitur, bene docuisse Molinam tract. 2. de Iustitia disp. 103. sub finẽ, inferentem bellũ semper teneri ab hoc desistere statim ac ei offertur ea reparatio omnis iniuriæ, quam potest ex iustitia exigere, modò ea ita offeratur vt sine periculo possit eam acceptare, ac ab armis desistere: quia nulla eum cogit necessitas vlteriùs bellum inferre, nec vllum ad hoc habet ius; atque ita iniustè illud continuaret, & consequen- 38

Molina. *Ad quid teneatur inferens bellum quando hostis offert satisfactionẽ.*

ter teneretur reparare omnia damna postea secuta. Nec hîc, vt aliqui putant, distinguendum vtrùm bellum sit inchoatum necne, aut vtrùm exercitus vtrimque sit in actuali pugna nec ne, quia dicta ratio in omnibus his casibus idè probat, vt notat Molina suprà. Nisi quòd post inchoatum bellum ratione impensarum quas læsus in eo coactus fuit facere, & periculorũ quibus se exposuit, ac molestiarum quas ipse cum suis subijt, creuerit hostium iniuria, atq; ita meritò possit maior peti satisfactio. Item quòd in ardore pugnæ difficiliùs possit statim ab ea desisti, & ardor militum cohiberi; atq; ita dux facilùs excusatur, si hunc statim efficaciter non cohibeat. Item tenetur tunc hostis statim arma deponere; eamq; cautionem præstare, vt læsus sine vllo periculo perdendi victoriam possit suos à pugna cohibere. quæ in praxi sæpè difficilia sunt.

39 Est difficultas Secundò, vtrùm, quando vnus rex intulit alteri damnũ sine sua culpa, eò quòd inuincibiliter ignoraret se iniustè agere, hic possit bello reparationẽ illius damni exigere. Inquo satis constat iniustè hoc bellum inferri quando alter ex illatione illius damni nullo modo factus est ditior, quia tunc ad nullam restitutionẽ tenetur; quia nec ratione rei acceptæ, quia hæc non exstat; nec etiam ratione iniustæ acceptionis, quia hæc non obligat ad restitutionem, nisi sit formaliter iniusta siue coniuncta cum vera culpa. vide Less. de Iustitia c.7.dub.5 &6. Idemque dicendum quando ipse paratus est restituere in quantum factus est ditior. *Lessius.*

Item satis patet, talem posse bello cogi ad restitutionem quando factus ex illa iniuria quantumuis materiali ditior postea edoctus veritatem renuit restituere ea in quibus factus est ditior : quia tunc nolendo hæc restituere facit alteri formalem iniuriam, atque ita culpabilis est.

40 Sed est difficultas quando talis nequit ita de rei veritate instrui quin pergat inuincibiliter ignorare se aliquid alienum aut verè alteri debitum possidere; vtrùm si tunc rogatus nolit restituere, possit ad hoc bello cogi. v.c. possidet vnus rex aliquam vrbem aut regionem, quam inuincibiliter credit se iure possidere: alter verò certò scit eam esse suam, & conatur hoc alteri persuadere, nequit tamen ad hoc eas rationes adferre quæ illũ conuincant, ita vt ipse his non obstantibus sibi persuadeat suum ius esse certũ, aut saltem valdè probabile, ideoque renuit re possessa cedere. Et quæritur vtrùm is qui certus est rem hanc esse suam, possit eam bello repetere: non obstante quòd ipse possidens quamdiu habet hanc ignorantiam licitè inuasori resistat, atque adeò ratione ignorantiæ tunc detur bellum ex vtraque parte formaliter iustum, ex vna tamen materialiter iniustum.

Malder. Lorca. Malderus 2.2.qu.40.a.1.dub.2.post 2.assertionem. Lorca ibid.disp.52.nu.3.& quidam alij absolutè affirmant talem iustè rem illam bello repetere, atque ita posse ea omnia facere, quæ ad hoc necessaria sunt, adeoque & hostes occidere, & vrbes expugnare, &c. nullum tamen damnum posse hosti inferre ad sua recuperanda non necessarium, & consequenter his recuperatis debere à bello cessare; nec posse repetere sumptus in eis recuperandis factos. Quibus fauet Abulensis in c.11.Iosue q.12. *Abulensis.*

Probatur Primò, quia hac ratione Iudæi duce Iosue iustè intulerunt bellum Chananæis alijsque populis, ad quorum terras occupandas ex Dei donatione habebant ius : quod tamen hi populi omnino ignorabant, ideoque etiam iustè Iudæis resistebant. Secundò, quia iudex iustè inuito possessori etiam adhibita, si opus sit, vi auferet rem, quam hic inuincibiliter putat esse suam, si altera pars sufficienter probet eam esse suam : atqui supremus princeps in controuersijs quæ ei cum alio principe oriuntur, est verus iudex : ergo etiam potest licitè vi huic auferre rem, quam certò scit esse suam, etsi alter id ignoret. Tertiò, quia Doctores communiter asserunt, dari aliquando bellum ex vtraque parte formaliter iustum ratione ignorantiæ : atqui non videtur dari in alio casu : ergo debet admitti in iam dicto. 41

Sed ex his argumentis primo & tertio, nullo modo probant intentum : nam primum sumit falsum, scilicet Iudæos habuisse iustam causam inferendi bellum Chananæis ex eo præcisè capite, quòd Deus horum terras ipsis dederat; nam Deus simul ijs concesserat ius illos inuadendi, omnesque penitus delendi in pœnam grauissimorum scelerum : quod ius Deus tamquam supremus omnium dominus ac iudex ijs concedere poterat, sine qua concessione non videntur iustè potuisse illis populis bellum inferre. Ad tertium, neganda est minor, vt patebit ex dicendis. 42

Secundum verò si quid probet, potiùs contrarium probat : nam quando in aliqua causa sunt plures iudices, & auditis vtrimque rationibus tot iudicant rem controuersam aut certò aut probabiliter esse possessoris, quot sunt qui iudicant eam esse petitoris; tunc illa debet adiudicari possessori, nec potest ei iustè auferri : atqui in dicto casu is qui possidet rem, & inuincibiliter iudicat eam saltem probabiliter esse suam, non minùs est iudex in hac causa, quàm petitor, qui eam certò credit esse suam; atque ita tot sunt iudices pro possessore quot pro petitore : ergo illi, non autem huic, res est adiudicanda, quia ceteris paribus, aut ferè paribus, melior est conditio possidentis. quæ ex dicendis magis patebunt.

Pro resolutione Nota hæc duo valdè inter se distingui : *Hæc res est mea*; &, *Habeo ius hanc rem mihi vindicandi*: vt vel ex eo patet, quòd quando est æquè probabile hanc esse Petri ac sit eam esse Pauli, si hic eam possideat, hic solus habeat, non solùm probabile, sed omnino certum ius eam sibi totam vindicandi. quæ fusiùs ostendi to.2.de Sacramentis disp.34.dub.10.num.92. 43 *Ius rem alicui vindicandi est valdè distinctum ab eius dominio, nec huic necessariò connexum.*

Nota Secundò, vt iudex rem, quam bona fide possidet, mihi legitimè adiudicet, non sufficere quòd aut ego, aut ipse priuatim certò sciamus, eam esse meam; sed requiri vt hoc iuridicè sit probatum; quia iudex non potest proferre sententiam ex priuata scientia, vt communi- *Iudex. quid debet ex priuata scientia.*

Lessius. muniter Doctores docent. vide Lessium de Iustitia cap.29.dubio 10. Ex quo sequitur,quando rem aliquam bona fide tamquam meam incepi possidere,me habere ius eam mihi retinendi,eiusque possessionem tuendi contra quemuis inuasorem, quantumuis ipse dicat se certò scire eam esse suam, donec id mihi ita probet, vt nequeam prudenter credere contrarium;aut donec alteri iudicis auctoritate legitimè adiudicetur.

45 Sequitur Secundò,quamuis dominus illius rei certò sciens eam esse suam possit eam sibi occultè sine vlla vi vindicare;tamen, quamdiu illud nequit iuridicè probare, neque ipsum neque iudicem licitè eam mihi vi auferre : tum quia ipsi nequeunt ea iustè ita auferre, quæ nequeunt mihi iuridicè siue per iudicialem sententiam abiudicare ; tum etiam quia aliàs daretur bellum simpliciter, siue tam materialiter quàm formaliter vtrimque iustum, scilicet circa illius rei possessionem. nam & ego haberem verum ius eam vi tuendi contra inuasores, & ipsi haberent ius eam mihi vi auferendi, idque sine vlla ignorantia, quæ versaretur circa rem de qua immediatè est concertatio, quæ est possessio illius rei mihi auferenda, & à me conseruanda.

46 Nec refert quòd eo casu meum ius oriretur ex ignorantia, qua inuincibiliter ignorarem, eam rem non esse meam, quia illa concertatio non versaretur immediatè circa dominium rei, sed circa eius possessionem, quam vterque conaretur sibi vindicare ; nec mihi vllo modo incumberet probare eam esse meam ; sed vt ius meum mihi integrum maneret, sufficeret alterum non posse probare eam esse suam.

Molina. Lorca. Confirmatur,quia,vt docent Molina de Iustitia disp.103. §.*In secundo verò.* & Lorca 2.2. sect.3.disput.53.num.4.& alij.quando est controuersia inter duos reges circa rem aliquam quam neuter possidet, quamque vterque verosimiliter probat esse suam ; si vterque haberet ius eam sibi adiudicandi, ac bello vindicandi,daretur bellum vtrimque absolutè, siue tam materialiter quàm formaliter iustum:cùm tamen hoc oriretur ex aliqua ignorantia, qua scilicet ignoraretur cuius illa verè à parte rei esset : ergo idem esset in altero casu, si ego haberem ius vi tuendi possessionem illius rei, & alij haberent ius eam mihi vi auferendi.

47 Nota Tertiò, dupliciter posse contingere vt aliquis rex rem aliquam ob inuincibilem ignorantiam bona fide possideat, quam alter rex certò scit esse suam. Primò, quia hic nequit id sufficienter probare, ita scilicet vt quiuis prudens iudex ex allegatis & probatis iudicaret eam moraliter certò esse petitoris, eamque possidenti auferret, si eius esset Superior.

Secundò, ita vt petitor possit clarè probare eam rem esse suam, adeò vt quiuis prudens ac communis vtriusque iudex, si quis talis daretur,eam ipsi adiudicaret,ac alteri auferret. Ab altera tamen parte possessor ob ignorantiam iuris,ac mentis hebetudinem, aut propter persuasionem aliquorum, quos putat esse viros intelligentes ac probos, aut alia ex causa non satis capiat rationes petitoris, ac sibi bona fide omnino persuadeat, eas nihil probare; & consequenter se licitè eam rem sibi retinere,ac contra inuasores defendere.

Respondeo igitur Primò, petitorem in hoc secundo casu post explicatas alteri suas rationes, si hic nolit rem petitam reddere, habere ius eam sibi bello vindicandi; tum quia tunc communiter prudenter potest sibi persuadere alterum mala fide agere, & simulare ignorantiam veritatis : tum etiam quia cùm habeat clarum ius,non solùm circa dominium, sed etiam circa possessionem rei, quæ ei verè à parte rei apertè debita est, alterius hebetudo ac ignorantia non debet ei obesse : per se enim apparet iniustum me ideo præcisè debere priuari meo iure, quia alter hebes ac ignorans est. Et in hoc casu potest dari bellum vtrimque formaliter iustum, veraque est sententia allata num. 41. quamquam aliqui ex ijs qui eam tuentur plus videantur velle dicere. Cum ijsdem tamen Auctoribus Notandum,petitorem eo casu non posse alteri plus damni inferre, quàm præcisè necessarium est vt sua recuperet: nec posse exigere vllam compensationem iniuriæ illatæ, quia nulla formalis iniuria ei illata est.nisi fortè ratione ignorantiæ, eò quòd sibi omnino persuadeat possessorem fingere ignorantiam veritatis, atque ita sibi formaliter esse iniurium. 48

Respondeo Secundò, in priore casu, siue quando petitor nequit clarè probare rem illam esse suam,ita vt quiuis prudens ac rerum intelligens, qui nullis in eo negotio ducitur affectibus, meritò iudicet eam certò esse ipsius, ipse nullum habet ius eam sibi vi vindicandi, & consequenter iniustè possessori eius recuperandæ causa bellum infert. Et hoc clarè probant dicta num.42. in responsione ad 2. & num.45. & sequentibus. 49

Nam omnis prudens ac rerum intelligens iudex, si quis daretur vtrique parti communis, eam rem adiudicaret possessori, quantumuis priuatim sciret eam à parte rei esse petitoris : vt patet ex Lessio citato num.44. & communi sententia docente iudicem non posse ferre sententiam ex scientia priuata. Item quia quando iudicum sententiæ auditis allegatis & probatis, meritò siue prudenter variant, tunc res adiudicanda est possessori, aut saltem nullo modo adiudicanda est petitori. Imò, vt dicitur regula 11.Iuris in *6. Cum sunt partium iura obscura, reo est potiùs fauendum quàm actori.* Hîc autem partium iura sunt obscura, cùm petitor nequeat suum ius sufficienter probare ; atque ita iudicum sententiæ meritò variant: nam possessor in ea causa non minùs est iudex, quàm petitor,& vterque pro se iudicat: & consequenter fauendum est reo siue possessori. *Lessius.* *Reg.Iuris in 6.* In dubio fauēdum reo.

Ex hac causa ita generatim assignata facile est colligere quænam ex varijs cautis belli,quæ particulatim sæpè occurrunt, sint iustæ. quas Molina de Iustitia tractatu 2.disputatione 104. varias recenset, & exemplis ex sacra Scriptura petitis probat. Breuiter hîc aliquas perstringam. 50 *Molina.*

Iustæ causæ belli.

gam. Bellum igitur iustè suscipitur Primò, ad arcendam vim iniustè illatam. Secundò, ad occupandum nobis debita, quæ alius iniustè detinet: iuxta dicta num.23.& 48. Tertiò, ad reprimendos iniustè rebellantes. per se patet. Quartò, ad obtinendam reparationem iniuriæ illatæ, iuxta dicta num.23.& 29. ac sequentibus. Quintò, contra eos, qui iuuant eos quibuscum iustè bellum gerimus; quia illi nobis iniurij sunt. Sextò, quando aliquis iniustè ac in re magni momenti rumpit fœdus cum alio

51 initum: quia huic facit iniuriam. Septimò, quando alicui regi ab alio negantur quæ iure gentium omnibus sunt licita. cuius exemplum

Molina. Molina suprà cum alijs assignat, quando alicui populo necessarius est transitus per alienam patriam, & hic ei sine iusta causa negatur. Sic

Num.21. Numerorum 21. Israël iustè intulit bellum regi Amorrhæorum. Sed eiusmodi transitus armatis sæpè iustè negatur, nisi præstent sufficientem cautionem eum fore omnino innoxium.

Victoria. Hinc Victoria 2. parte relectionis de Indis & insulanis infert, iustam esse causam belli, quando vnus populus non permittit hominibus alterius populi in suis terris peregrinari, mercaturam exercere, aurum aliasue merces exportare, ad portus suos appellere, per flumina nauigare, in littoribus gemmas piscari, aut ex locis publicis aurum vel argentum aliaue minera lia effodere; saltem quando hæc alijs populis permittit: quia ipse putat iure gentium hæc omnibus externis debere æqualiter permitti.

52 Sed meritò eum refutat Molina suprà disp.

Molina. 105. quia respublica potest habere iustas causas cur hæc aut nullis externis aut saltem non omnibus permittat: tum quia nullo iure probari potest quamuis gentem cum quauis,

Non tenetur quæuis gens cum quauis exercere cõmercia. quantumuis aliàs non hostili, teneri exercere commercia, aut ei negotiationem in sua patria permittere. Item cùm ius piscandi margaritas in suis fluminibus aut littoribus sit proprium illi populo, cuius sunt illa littora aut flumina, nulla est causa cur teneatur id cum a-

Nõ tenemur omnibus æqualiter beneficia conferre. lijs communicare; aut si id aliquibus communicet, cur teneatur id omnibus communicare: nec enim ex eo, quòd aliquibus aliquid gratiæ impendam, vllo modo sequitur, me teneri id omnibus æqualiter impendere: præsertim cùm ille populus sæpè possit habere iustas causas cur nolit vlli externo quidquam ex his concedere: aut cur aliqua concedat aliquibus, & alijs neget. Vide Moliuam suprà.

53 Octauò, multi aiunt esse iustam causam belli, quando aliqua respublica non vult aliquos scelestos punire, & aliam volentem eos punire impedit. quod vt verum sit debet intelligi iuxta dicta n.24.26.& seqq.

Causa iusti belli necessario debet esse grauis. Notant autem hîc communiter Doctores, vt aliqua causa inferendi belli sit iusta, eam debere esse grauem, quæque talis sit, ob quam meritò res tot tamque grauibus incommodis, malis periculisque coniuncta, qualia secum necessariò adfert bellum, suscipiatur: aliàs hoc contra omnem rationem suscipitur: non secùs ac si medicus, vt leuem morbum ab ægro pelleret, ei cum periculo vitæ crus abscinderet.

Ex dictis patet Primò, non esse sufficien- 54
tem causam belli inferendi non subditis, quòd sint infideles, ac multa scelera committant contra legem naturæ, modò non faciant alijs iniuriam. Aut quòd aliqua natio sit summè barbara, & inepta vt seipsam regat, atque ita magis apta vt alijs seruiat. Cùm enim per dicta alijs nulla inferatur iniuria, his nullum competit ius illorum scelera puniendi, eosue sibi subijciendi, nec alia iusta belli causa datur. vt fusè *Molina.* probat Molina suprà disp.105.& 106.

Patet Secundò, quando aliqui particulares 55
ciues vnius reipublicæ intulerunt damna ciuibus alterius reipublicæ, & nolunt ea reparare; hanc non posse statim ijs bellum inferre, sed debere eos priùs citare coram ijs qui illam rempublicam regunt, & hos admonere vt illos cogant satisfacere: quod si facere noluerint, tum demum erit iusta causa belli; vt docet S. Augu- *Augu.* stinus citatus n. 22.

DVBIVM III.

Cuius sit indicere bellum?

DIxi suprà, ad iustitiam belli inter cetera 56
requiri, vt legitima auctoritate indicatur, quærimus hîc igitur apud quem hæc residеat. Tota autem difficultas est in bello offensiuo; nam satis constat bellum merè defensiuum licitè suscipi ab omni etiam priuato, cui iniustè vis infertur; quam, vt lumen naturæ docet, vi repellere potest, etiam inuadentem, si hoc ad sui rerumue suarum defensionem sit necessarium, occidendo. Quæ au- *Lessius.*
tem hac in re licita sint, vide Lessium de Iusti-
tia cap.9. dubio 8. & seqq. vbi hæc fusè disputat.

Ius autem inferendi bellum offensiuum Do- 57
ctores sequentes S. Augustinum libr.22. contra *Augus.*
Faustum cap.75. communiter concedunt soli principi qui in rebus ciuilibus non habet Superiorem, cui subsit. Quod addunt, quia nihil refert quòd habeat superiorem dignitate, qua ratione Imperator omnibus alijs principibus Christianis est superior: nam sicut hoc non obstat, quo minùs multi alij principes ei nullo modo sint subiecti, ita etiam non obest quo minùs hi sua auctoritate possint indicere bellum. Eiusmodi autem principi hac in re omnes æquant rempublicam, quæ integra sit siue quæ non sit pars alterius reipublicæ, & nullum habet principem cui in ciuilibus sit subiecta: qualis ante Imperatores erat respublica Romana, & iam est Veneta, & similes.

Huius etiam rationem communiter red- 58
dunt, eò quòd cùm tales principes aut respublicæ non habeant vllum in ciuilibus Superiorem, qui possit ijs ius dicere & iniurios ad satisfactionem cogere; iniuriam passi necessariò sibi ipsis hoc officium præstare debent; aliàs numquam se ab iniurijs tutos præstare, ac sibi ablata recuperare possent. Secùs est de ijs qui Superiorem habent, quia cùm huius auctoritate sibi

sibi ablata recuperare,& pro illatis iniurijs satisfactionem obtinere possint; nulla est ratio cur horum causa alijs sua auctoritate bella indicant.

59 Sed dicta ratio non videtur sufficienter ac generatim hanc secundam partē probare: quia sæpè potest contingere vt aliqua ciuitas quæ est pars integræ reipub. aut regni, patiatur ab alia ciuitate, siue eiusdem siue diuersi regni graues iniurias; & princeps requisitus nolit eas vindicare, aut iniurios ad satisfactionem compellere: quo casu vt illa ius suum obtineat necessarium ei erit sua auctoritate bellum indicere.

Victoria. Victoria relect. de Iure belli nu.9. docet, talem ciuitatem eo casu posse propria auctoritate ius suum bello prosequi; quem citat ac sequitur Molina suprà disp.100.§. *Idem Victoria.*

Molina.

60 Quod valdè probabile est, quando eiusmodi ciuitas sæpè tales iniurias patitur, ita vt meritò semper in posterum nouas timeat, quia tunc bellum ita susceptum habet rationem belli merè defensiui, quantumuis ipsa fines hostium ingrediatur, agrosque eorum vastet ac munitiones expugnet; quia hoc totum potest esse necessarium, vt se in posterum ab iniurijs tutam seruet; atque ita potest habere rationem belli merè defensiui. Sicut dicitur suum inuasorem occidisse cum moderamine inculpatæ tutelæ, qui videt parantem arma ad se occidendum, eumque præuenit ac occidit, eò quòd aliàs desperet mortem euadere.

Vtrùm ciuitates subditæ principibus possint quandoque bellum indicere.

61 Sed puto non esse satis tutum in casu quo vna ciuitas alteri grauem quidem iniuriam, quæque esset iusta causa belli, intulisset, & requisita nollet pro ea satisfacere, nullum tamen in posterum esset periculum, ne vlteriùs vllam vim inferret. Quia aliàs sequeretur, quemuis priuatum, aut saltem patrem familias, quoties ob negligentiam aut corruptelam iudicum non posset per hos suum ius, præsertim clarum, obtinere, posse id sibi armis vindicare. Quod apertè videtur absurdum: nam facilè daret cuiuis, qui lite cecidisset, occasionem ita sua repetēdi, quoties vi polleret, seque in eo excusandi quòd iudices pecunia corrupti contra se iudicassent. Vnde Molina suprà docet, doctrinam Victoriæ non esse extendendam: atque ita insinuat eam non habere locum, nisi in casu allato n.60.

Molina.

62 Respondeo igitur, rationem à priori ac vniuersalem communis illius doctrinæ petendam esse ex ipsa origine ac institutione rerumpublicarum.

Pro quo Nota has primò esse institutas, vt homines commodiùs ac tutiùs vitam agerent, dum in rebus agendis communi consilio, in vitæ victusque suis necessarijs comparandis communi opera, & in se suaque sarta tecta conseruando communibus viribus vterentur. Ad quod omnino necessarium erat vt singuli ius, quod quisque naturaliter habet vt se suaque dirigat, magna ex parte transferrent in communitatem, cuius auctoritate dirigeretur; & quidem præcipuè quando agitur de dijudicandis & dirimendis controuersijs, quę vni cum altero circa ablata aut aliter debita recuperanda iniuriasue vindicandas poterant accidere. Si enim in his liceret cuique communitatis membro priuata auctoritate procedere, maximæ turbationes orirentur, cum certa totius communitatis euersione. Inter omnes autem eiusmodi causas præcipua, & quæ maximè indiget communitatis consilio & auctoritate dirigi, est quando agitur de bello indicendo; quod nequit fieri sine periculo aliquo totius corporis ipsius communitatis: atque ita necessarium fuit, vt huius indicendi ac gerendi auctoritas in nulla priuata aut etiam partiali republica, qualis in regno est vna ciuitas aut prouincia, sed in tota communitate consisteret, aut in ijs, quibus hæc suas vices commisisset; quales sunt magistratus in republica libera, aut principes in ijs quæ his subiecta sunt. Quare ad hos solos spectat indicare non solùm vtrùm iniuria alicui illius communitatis membro illata sit talis, ob quam meritò bellum inferri possit; sed etiam vtrùm id hic & nunc inferri expediat. Et consequenter quæuis illius communitatis pars alienam iurisdictionem sibi vsurpat, si sine illorum auctoritate bellum alicui indicat. Nec refert quòd illi forte desint suo officio non indicendo bellum ijs quibus expediret indici, quia ideò subditi non acquirunt ius illorum iurisdictionem sibi vsurpandi: quia hoc esset natum parere grauissimas in aliqua republica turbationes; dum quodque membrum ob eiusmodi prætensiones vellet Superiorum iurisdictionem sibi vsurpare. Quare minus malum est particularia aliqua membra in ijs casibus aliqua incommoda pati, quàm singulis eiusmodi ius concedere.

Cur respub. primùm sint institutæ.

63 Hinc sequitur Primò, quando aliqua natio esset ita barbara, vt nullam haberet formam reipublicæ, sed singuli pagi aut etiam familiæ essent ita ab alijs diuisæ, vt nullam cum alijs communitatem constituerent, nec vllum alium Superiorem agnoscerent; tunc occurrente iusta causa singulas familias habere ius bellum alteri indicendi; quia haberent se hac ex parte ramquam integra respub. & eius caput esset instar principis Superiorem non agnoscentis. Ita cum alijs Molina suprà disp.100. §. *Dubium verò.* *Molina.*

64 Sequitur Secundò, principes alteri subiectos posse ex huius concessione, aut aliàs legitima præscriptione acquirere ius indicendi bellum. Quia cùm ex voluntate humana hoc ius in supremum principem sit translatum, posset eiusdem etiam voluntate aut aliàs legitima præscriptione in inferiores refundi. Ita Victoria relect. de iure belli nu.9. Molina suprà disp. 100. Caietan. 2.2. q.40.a.1. Lorca ibidem disp. 50.n.12.

Ius indicēdi belli potest præscribi.

Victoria. Molina. Caietan. Lorca.

DVBIVM IV.

Qua ratione princeps teneatur examinare causam belli, ac iudicare an iusta sit antequam id indicat?

65 NOta Primò, in hoc examine duplex posse incidere dubiũ. Primò, vtrùm res, de qua controuertitur, sit huius an illius principis; siue an huic vel illi aliquid debeatur; aut etiam an is, qui dicitur alteri intulisse iniuriam, eam verè intulerit. Secundò, vtrùm in his circumstantijs re sufficienter examinata huic vel illi liceat inferre bellum. Prius dubium est speculatiuum, secundum practicum, & eius resolutio exsolutione prioris petenda est.

66 Nota Secundò, quando agitur eiusmodi aliqua controuersia inter duos supremos principes (idem dicendum de duabus liberis rebus-publicis) vtrumque in ea dijudicanda obtinere locum iudicis; ac consequenter in eo munere exequendo, teneri omnes iusti iudicis partes explere. Quando igitur inter eos controuertitur, vtrius hæc aut illa res sit, aut vtrùm tali hoc illudúe ius competat; tenetur vterque rem sepositò omni inordinato affectu examinare, adhibitis viris prudentibus & bonæ conscientiæ, qui credantur statum causæ bene intelligere, & de ea liberè & sine respectu personarum, pro veritate iudicaturi. Item quando vtraque pars in sententijs discrepat, tenentur sibi mutuo, suas rationes proponere, mutuasque super ijs responsiones audire ac perpendere: alioqui iustitia causæ bene examinari non potest. Quòd si his factis clarè appareat vtrius illa res sit, aut vtri illud ius competat, hæc huic simpliciter adiudicanda sunt. Quòd si res vtrique parti appareat dubia, nec speretur veritatem posse certiùs inueniri, si alteruter rem illam aut ius bona fide inceperit possidere, tunc illi integrè adiudicanda sunt; vt patet ex dictis nu. 43. Quòd si neuter illa inceperit bona fide possidere, tunc inter eos diuidenda sunt: aut si diuidi nequeãt, vnus debet totam rem totumúe ius sibi accipere, & alteri in alijs rebus dare dimidium pretij, quo illa res aut ius æstimantur; idque prout vel sponte vel sorte inter eos conuenerit. Quòd si alterutra pars in hoc casu nolit eiusmodi iudicio acquiescere; altera ei iustè bellum infert.

Qua ratione in hoc examine procedendum sit.

67 Et hactenus dicta per se clara sunt, & omnes Doctores in ijs conueniunt. hoc solùm notandum est in eiusmodi iudicio ferendo, præsertim in ordine ad inferendum bellum, non esse procedendum ex scientia merè priuata; sed solùm ex ijs, quæ iuridicè allata & probata sunt, vt ostendi suprà n. 43. & 49.

68 Lorca tamen 2.2. qu. 40. disp. 53. nu. 4. mouet hîc aliquod dubium, quando vtraque pars probabiliter probat rem controuersam esse suam, ac neutra eam possidet; quia tunc vtraque pars videtur licitè sibi eam rem adiudicare sequendò probabilem sententiam, scilicet eam esse suam. Probatur, quia in causis priuatis quando ius vtriusque partis est verè probabile, iudex potest eam adiudicare vtri voluerit: ergo cùm dicti principes in ea causa sint iudices, vterque eam poterit sibi adiudicare, ac etiam bello vindicare. Ipse autem negat consequentiam, docetque eam rem inter eos principes diuidendam esse, ac si ius vtriusque esset dubium; quia ob grauia incommoda quæ ex bellis sequuntur, aliter in ijs est procedendum, quàm in causis priuatis.

Lorca.

Sed posita veritate antecedentis, hinc vt summum sequeretur, tales ex caritate teneri ad eiusmodi compositionẽ, aliàs loquẽdo de iustitia, non video cur illa consequẽtia non sit bona.

Respondeo igitur negando antecedens: nam, vt ostendi fusè tomo 2. de Sacram. disp. 34. nu. 91. & seqq. multò verius est iudices in eo casu teneri eam rem inter disceptãtes diuidere, quia vtraque pars habet ad eam rem æquale ius, quod illi neutri possunt demere, aut alteri magis concedere, quàm habeat.

Quando dis-ceptantium ius est dubium res inter eos diuidenda est.

69 Addit Lorca suprà, quando agitur de iniuria, quam vna pars ab altera sibi illatam dicit, si vtrimque probabile sit, tam hanc illi verè iniuriam intulisse, quàm non intulisse, sed iure fecisse quæ fecit, tunc arbitrorum iudicio compositionem esse faciendam, ita scilicet vt iniuria, quæ dicitur illata, ex parte reparetur. Sed verius credo hîc nulla opus esse reparatione, quando is qui dicitur iniuriam intulisse, nullo modo inde factus est ditior, quia, vt dicitur regula 11. Iuris in 6. *Cùm sunt partium iura obscura, reo est potiùs fauendum, quàm actori*: atqui in dicto casu iura partium sunt obscura, quia non liquet vtrùm reus verè iniuriam alteri intulerit: ergo ei fauendum est, ac ab omni alterius actione absoluendus est.

Lorca.

Iniuria quæ dicitur illata ex parte non est compensanda nisi probetur.

70 Quòd si post eiusmodi examen varient vtriusque partis iudicia, & vterque iudicet suum ius esse omnino certum, idque inuincibiliter sibi persuadeat, communiter Doctores asserũt, vtrumque posse pro se sententiam ferre, atque ita bellum erit ex vtraque parte formaliter iustum; quamuis ex vna parte sit futurum iniustum materialiter. Quia vtraque pars in hac causa est supremus iudex, nec tenetur eam alterius alicuius iudicio aut arbitrio deferre. Vide Molinam suprà disp. 103. §. *Quando inter.* Victoriam relect. de iure belli n. 27. & Lorcam 2.2. sect. 3. disp. 53. n. 3. sub finem.

Quando datur bellum vtrimque licitum.

Molina. Victoria. Lorca.

71 Bene tamen ibidem notat Molina Primò, hoc solùm habere locum quando vtraque pars ità sibi videtur certa de suo iure, vt simul certò putet alteram partem nullo probabili niti fundamento, adeò vt meritò credat eam mala fide procedere, atque ita formaliter sibi esse iniuriam; aut si bona fide procedat, id prouenire ex ingenti stupiditate ac rerum omnisque iuris inscitia, quæ sibi nõ autem alijs debet obesse. Sed hoc vltimum rarò inter gentes cultas potest habere locum.

Molina.

Vnde infert, quando in dicto casu vtraque pars credit alteram bona fide procedere, eamque non esse tam heberem, ac rerum omnium ignaram, vt nihil eius iudicio tribuendum sit, vtramque debere sibi persuadere posse contingere se non minùs in ea re posse decipi, quàm illam;

illam; atque ita eas teneri aut inter se componere ac si vtriusque causa esset probabilis, aut arbitros neutri parti suspectos admittere.

72 Notat Secundò, quando ex eiusmodi Christianorum bellis timerentur grauia aliqua extraordinaria mala, præsertim quæ toti christianismo immineret, vt si ea ratione multùm crescerent hæreses, aut vires hostium fidei augerentur, & fidelium minuerentur, atque ita hi fierent impotentes illis resistere; eos principes tunc obligandos vt inter se componerent, & potiùs iure suo ex parte cederent quàm religionem Christianam eiusmodi periculis exponerent. Additque Pontificem eo casu posse eos ad id censuris compellere.

73 Quædam circumstantiæ bellum aliàs iustum reddunt illicitum.

Nota demum sæpè posse contingere vt sit iusta causa inferendi bellum, & hoc tamen sit illicitum.

Primò, quando aut nulla aut exigua est spes victoriæ obtinendæ; tunc enim princeps bellum indicens suis inferret iniuriam eos præsentissimis grauissimisque exponendo periculis, sine sufficiente necessitate, aut spe vtilitatis.

Secundò, quando ex eiusmodi bello grauissima religioni Christianæ imminerent pericula: iuxta dicta nu. 72. Quia tunc amor religionis & caritas debita bono communi, eiusmodi principem obligarent, vt ad vitandum grauius malum commune patienter ferret damnum aliquod proprium.

DVBIVM V.

Vtrùm liceat militare in bello de cuius iustitia dubitatur; aut nullo de hac examine præmisso?

74 Quid agendum principi ac consiliariis.

QVædam hîc sunt certa, quædã dubia. Doctores enim communiter asserunt Primò, tam principem, quàm eius consiliarios, quorum est de indicendo bello dicere sententiam, iniustè id indicere aut sine debito causæ examine iuxta dicta dub. præcedenti, aut quoties de iustitia causæ dubitant. quæ ex ibidem dictis discerni debent. Quare si id fecerint tenentur reparare omnia damna inde secuta, non solùm hostibus, sed etam suis ciuibus; quia vtrisque in eo fuerunt iniurij. Secundò, subditum qui non debet de bello indicendo sententiam dicere, licitè sine vllo causæ examine in eo militare; quia hoc ad eum non spectat, sed potest suum iudicium subijcere iudicio sui principis & consiliariorum, quamdiu nulla occurrit ei ratio, cur meritò dubitet an bellum sit iustum. Statim autem atque aliqua eiusmodi causa occurrerit, tenetur aut bello abstinere, aut de iustitia eius inquirere consulendo viros ea in re peritos & bonæ conscientiæ, quorum auctoritatem sequi potest. vide Valentiam tom.3.disp.3.q.16 puncto 2. Vasquez 1.2.disp.66.c.9. Gabrielem in 4. dist.15.q.4.concl.4. Molinam de Iustitia tract. 2.disp.113. Lorcam 2.2.sect.3.disp.53.

Iniustè indicentes aut consulentes bellum tenentur omnia damna inde secuta reparare.

75 Quid subditis agẽdum.

Valentia. Vasquez. Gabriel. Molina. Lorca.

76 Causa iusta dubitandi de iustitia belli.

Videtur autem esse causa sufficiens dubitandi, quando aut nulla aut saltem parum probabilis apparet, aut publicè circumfertur causa belli, præsertim si princeps sciatur esse laxæ conscientiæ & parum curare qua ratione aliena occupet, suasue opes amplificet, aut iniurias vlciscatur. Quia in hoc casu subditus non potest prudenter præsumere suum principem non suscepturum bellum iniustum. Hæc autem maximè habent locum quando eiusmodi bello iuuantur hæretici alijue infideles contra Catholicos: debemus enim omnino præsumere iustitiam ab his stare, donec clarè appareat contrarium.

In dubio semper præsumendum pro Catholicis contra hæreticos pugnantibus.

Quòd si post eiusmodi examen causa deprehendatur iusta, clarum est tam subditum quàm externum licitè militare: si verò deprehendatur iniusta, patet neque hunc neque illum in eo bello militare posse.

77 Subditus licitè militat quamdiu causa belli sufficienter perpensa nõ apparet iniusta.

Sin autem iustitia belli appareat dubia, nec possit certò cognosci an sit iusta causa nec ne, tunc ferè communiter docent subditum licitè militare; subditos autem vocant etiam extraneos, qui iam antè inceperant sub eo principe stipendia mereri. Probant id Primò, auctoritate S. August. qui l.22 contra Faustum c.75. ait: *Cùm ergo vir iustus, si fortè sub rege homine etiam sacrilego militet, rectè possit eo iubente bellare, ciuicæ pacis ordinem seruans: hoc quod iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrùm sit certũ non est. Ita vt fortasse reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi.* Vbi apertè docet, subditum iubente rege licitè bellare quoties constat causam belli esse iniquam: atqui quoties de eo dubitatur, hoc non constat: ergo ille tunc licitè bellat.

August.

Probant Secundò, ratione quam etiam insinuat ibidem S. August. quia scilicet subditus in dubio an res sit licita tenetur parere Superiori, ne huic aliàs faciat iniuriam ei non parendo, atque ita spoliando eum iure quod legitimè possidet: quo possessor in dubio non est spoliandus.

Multi verò secuti Siluestrum v. *Bellum*, 1. q. 9. concl. 2. & 3. & Caietan. ibidem §. *Secundò.* 78 *Siluester. Caietan.*

Licùs putant dicendum de non subdito, aiunt-que hunc numquam posse principi non suo offerre suam operam ad militandum, nisi priùs causam belli examinauerit, ac de eius iustitia ei aliquo modo constet; atque adeò quando hæc est dubia, docent ipsum non posse militare; quia hic non excusatur ratione obedientiæ.

Vasquez verò 1.2.disp.66.cap.9. sub finem. Lorca 2.2.sect.3.disp.53.nu.7. & alij non agnoscunt hîc discrimen inter subditum & non subditum, docentque Primò. neutrum posse militare quando omnibus spectatis dubitat de belli iustitia; quia in dubijs tutior pars est eligenda. Secundò, fieri posse vt vterque dubitet de iustitia belli, si eam solùm spectet ex causis intrinsecis sibi notis; & simul tamen omnino sibi persuadeat id esse iustum propter auctoritatem principis & consiliariorum eius, qui id tale esse decernunt; quorum auctoritatem tamquam virorum prudentium & bonæ conscientiæ militaturi sequi possunt, quãdiu ijs de contrario non constat. præsertim cùm facilè possint credere principem habere multas iustas belli causas, quas ipsi ignorant, quasque ipse aperire alijs nec vult nec tenetur: atque ita ob

79 *Vasquez. Lorca.*

huius auctoritatem poterunt dubium aliunde ortum deponere. vnde inferunt, nec subditum nec externum teneri de iustitia belli inquirere, sed posse auctoritatem principis id indicentis sequi, quamdiu nulla ei occurrit iusta causa de illius iustitia dubitandi.

Sed puto hos Auctores conciliari posse, si bene explicentur.

80 Dico igitur Primò, hîc nullam esse faciendam distinctionem inter subditum, & non subditum; sed inter subditos (quales sunt etiam ij, qui iam antè sub eo principe inceperunt facere stipendia) qui principis imperio ad bellũ compelluntur; & alios siue subditos, siue non subditos, qui omnino liberè ac sponte dant nomina militiæ, aut ad eam socios se offerunt; quia nulli ex his, quamdiu ad bellum non compelluntur, præ alijs possunt per necessitatem obediendi excusari. & hæc etiam videtur aperta mens Caietani & aliorum.

81 Dico Secundò, omnes dicti quamdiu credunt principem indicentem bellum, eiusque consiliarios esse viros probos, qui nullo modo contra suam conscientiam vellent bellum iniustum indicere, possunt sine vllo examine sub illis militare, quamdiu ijs non occurrit vlla particularis ratio ob quam meritò de iustitia belli dubitent; qua occurrente tenentur eam examinare, aut per se diligenter omnes vtriusque partis rationes expendendo, si has scire possint, easque expendere valeant; aut alios, quos esse viros prudentes & probos credunt, de iustitia belli consulendo.

82 Dico Tertiò, si post eiusmodi examen causa belli secundùm rationes intrinsecas spectata maneat ijs dubia, ita vt nequeant iudicare an verè à parte rei sit potiùs iusta quàm iniusta; quamdiu tamen omnino sibi persuadent principem eiusque consiliarios esse viros prudentes ac bonæ conscientiæ, qui nullo modo vellent alijs facere iniuriam, & fortè habere secretas iustas belli causas, quas ipsi ignorant; possunt propter horum auctoritatem sibi persuadere bellum esse iustum, suum iudicium eis submittendo: & quamdiu hoc sibi verè persuadent, omnes dicti licitè illi militiæ nomen dant. Ita apertè Vasquez & Lorca suprà; nec credo alios hoc negaturos. *Vasquez. Lorca.*

83 Dico Quartò, quando militaturis & causa belli dubia est & principis consiliariorumque auctoritas aliquo modo suspecta, ita vt hæc nequeat eos sufficienter mouere vt prudenter saltem omnino probabiliter sibi persuadeant bellum esse iustum; qui imperio principis ad id non compelluntur, illicitè in eo militant. Ita omnes Doctores suprà citati, & puto esse communem. Probatur, quia, cùm tales absolutè dubitent an illud bellum hîc & nunc sit iniustum, nec habeant vllam probabilem rationem qua moueantur vt credant id sibi hîc & nunc licere; non possunt hoc prudenter iudicare: nihil autem licitè facio, quod non possum prudenter iudicare mihi omnibus spectatis hîc & nunc licere.

84 Dico Quintò, quando aliqui imperio sui principis ad bellum compelluntur, quantumuis nec rationibus ob quas credunt bellum suscipi, nec auctoritate sui principis aut consiliariorum (de quibus dubitant an sint tam bonæ conscientiæ, vt nollent vllum bellum suscipere, nisi quod prudenter crederent esse iustum) possint sibi absolutè persuadere illud bellum esse iustum, atque ita omnibus spectatis dubitent an verè à parte rei iustum sit; nihilominus probabile est eos prudenter sibi posse persuadere sibi hîc & nunc licere ita militare, atque ita hoc licitè facere, quamdiu ijs saltem probabiliter non constat bellum esse iniustum, siue principem suum id mala fide gerere. Hæc videtur aperta sententia eorum, quos citauin. 78. & Victoriæ relect. de iure belli n. 25. & 26. Gabrielis in 4. dist. 15. q. 4. concl. 4. Molinæ de Iustitia tract. 2. disp. 113. eandem etiam asserit Lorca suprà nu. 9. nec credo Vasquez suprà dissentire, qui solùm docet, subditum illicitè parere Superiori quando omnibus spectatis dubitat an sibi liceat parere. *Victoria. Gabriel. Molina. Lorca.*

Probatur Primò, quia est plurium grauissimorum Auctorum. Secundò, quia cùm Superior sit in possessione præcipiendi, non debet ea priuari nisi constet eum malè imperare, præsertim quando subditus nequit non parere, nisi ostendendo publicè se nolle parere, & ita accusando suum principem quasi iniusta imperet. Tertiò, quia, vt definitur cap. 2. de secundis nuptijs, coniux dubitans de validitate sui matrimonij, quantumuis mala fide contraxerit, ideoque nequeat petere debitum; tenetur tamen id reddere ne marito iniuriam faciat, cùm tamen dubitet vtrùm hæc externa actio sit fornicatio, aut etiam adulterium, vt si dubitet an prior maritus sit mortuus: ergo similiter subditus tenetur obedire Superiori præcipienti bellum, etsi dubitet an hoc à parte rei sit iustum. Quartò, quia hæc videtur aperta sententia D. Augustini citati n. 77. vt patet ex ibidem dictis. *Augus.* 85

Contrarium tamen omnino dicendum est, quando subditus saltem probabiliter credit, siue suspicatur, bellum esse à parte rei iniustum; quia tunc eius iniustitia non est ei dubia. Meritò autem hoc semper præsumit, quoties agitur de iuuandis in bello hæreticis contra Catholicos, aut subditis rebellantibus suis Superioribus, qui sua possessione siue iurisdictione in subditos iniustè spoliantur, quamdiu non constat ipsos eam iniustè possidere.

DVBIVM VI.

Quibus liceat in bello iusto pugnare, eiùe interesse?

CIrca hanc difficultatem constat Primò, omnibus licere in bello iusto consentiente eius imperatore pugnare, quibus id speciali iure non est interdictum. Secundò, omnibus clericis saltem in sacris constitutis iure Ecclesiastico prohibitũ esse in bello propria manu pugnare, aut milites ducere ac pugnam instruere, aut tormenta in hostes dirigere, ijsue qui ea dirigũt præesse Pat. et ex c. 4. & 6. 23. q. 8. & cap. *Sententiam.* 9. ne clerici vel monachi. vbi sub grauibus 86 *Clericis prohibita et militia.* *c. Sententiam.*

bus pœnis dicta prohibentur. quare omnes cõsentiunt in sacris constitutos dicta sine necessitate facientes peccare mortaliter. Ratio huius prohibitionis est, quia, cùm clerici exemplo Christi debeant maximè esse mites, valdè dedecet ipsos esse ministros effusionis sanguinis.

An constituti in minoribus illicitè pugnent. *Molina.*

Sed est difficultas, vtrùm dicta sint prohibita clericis constitutis in minoribus Ordinibus. P. Molina tract. 2. de Iustitia disp. 108. sub finẽ docet Primò, verendum esse ne eiusmodi clerici, si actu habeant beneficium Ecclesiasticum dicta faciendo mortaliter peccent, quia reddũt se ad officium, ad quod obligantur, inidoneos. Vbi non dicit absolutè eos peccare mortaliter, sed solùm insinuat id esse probabile. Secundò, clericos non habentes beneficium gaudentes tamen priuilegio clericali, vt si gestent clericalem habitum, & aut ministerio Ecclesiastico deputati sint, aut in ordine ad illud de Episcopi licentia studeant, docet dicta facientes peccare venialiter; quia faciunt aliquid suum statum decens. idemque insinuat de Religiosis non constitutis in sacris; quamuis putet hos grauiùs peccare quàm illos, venialiter tamen. Tertiò, docet, alios clericos seculares in minoribus cõstitutos non peccare dicta faciendo, quia hi habentur ex hac parte quasi laici.

87 *Lorca.*

Lorca verò 2. 2. sect. 3. disp. 51. nu. 12. putat his omnibus vi canonum non prohiberi pugnam; atque adeò eos pugnando in bello iusto non peccare, nisi fortè per accidens quatenus se exponunt periculo incurrendi irregularitatem, atque ita reddendi se inhabiles ad suum officium.

Sed credo sententiam Molinæ esse veriorẽ, quia tales valdè dedecet pugnare, præsertim si sint beneficiati aut Religiosi deputatiad sacros Ordines. quare etsi canones primariò & per se pugnam solùm prohibeant sacris Ordinibus insignitis; tamen videtur eorum esse mens etiam dictos, etsi non tam strictè, ad idem obligare.

88

Tertiò, constat clericos existentes in sacris licitè interesse pugnis vt milites iuuent in spiritualibus, eos exhortando ad pietatem, & eorum præsertim morientium audiendo confessiones, qui aliàs grauissimis damnationis periculis exponerentur. Imò licitè eos hortantur vt fortiter contra iniquos hostes, præsertim infideles, pugnent, modò non hortentur vt aliquem in particulari occidant. Vt patet ex c. 7. 8. 9. & 10. 23. q. 8. ex quibus id Gratianus ibidem & Doctores communiter bene colligunt; & ipsa praxis docet. Nec his obstat cap. *Quod in dubiis.* 5. de pœnis. Vbi dicuntur grauiter peccare clerici qui alios ad pugnandum incitant; quia hoc intelligendum est de ijs qui incitant alios vt occidant aliquos in particulari, aut incitant eos ad iniustam pugnam. vt Glossa id explicat.

Qua ratione sacerdos licitè milites hortetur ad pugnam.

c. Quod in dubijs.

Glossa.

89

Est tamen hîc aliqua difficultas, vtrùm clerici vt dicta intentione bello interfint indigeant consensu Superiorum suorum: & præcipua difficultas est de clericis secularibus, vtrùm debeãt habere facultatem à suis Episcopis, & hi à Summo Pontifice: nam satis patet, Religiosos subditos non posse conferre se ad exercitum sine venia, saltem tacita, sui Superioris, quia in omnibus ab huius voluntate pendent. Plurimi autem Doctores affirmant olim fuisse clericis speciatim prohibitum dicta ratione conferre se ad bellum, siue ad exercitum, sine venia sui Superioris, vt patet apud Molinam sup. disp. 108. & Lorcam disp. 51. n. 18. & apertè insinuat S. Thomas 2. 2. q. 40. art. 2. ad 2. Probant id ex c. *Reprehensibile.* & c. *Quo ausu.* 23. q. 8. Vbi in priore dicitur valdè reprehensibile esse quòd Episcopi Galliæ vocati à Pontifice non venerint ad Concilium, eò quòd cum alijs fidelibus regis debuerint vigilare contra maritimos piratas: & ratio redditur: *Cùm militum Christi sit, Christo seruire; militum verò seculi, seculo.* In secundo dicitur nullum Episcopum inconsulto Rom. Pontifice debere ad comitatum proficisci. Addunt tamẽ Molina & Lorca suprà, hos canones videri iam contrario vsu esse abrogatos.

Molinæ. Lorca. D. Thom.

c. Reprehensibile.

c. Quo ausu.

Molina. Lorca.

90

Quæ probabilia sunt ob Doctorum auctoritatem; dicta tamen iura ea nullo modo probant. Nam in priore solùm reprehenduntur Episcopi in castris more aliorum militantes propria manu pugnando, ideoque sua officia deserentes, prout tunc temporis erat moris, vt insinuat S. Thomas suprà. & apertè patet ex textu illius capituli, & ratione, ob quam dicuntur reprehensibiles; in qua significatur eos instar aliorum seruiuisse siue militasse seculo, ideoque desiisse venire ad Concilium. Qui autem inuigilant præcisè saluti spirituali militum, iuxta dicta n. 88. non militant seculo, sed Christo, cui conantur lucrari militum animas.

D. Thomas.

Saluti militum seruientes non seculo, sed Christo militant.

In secundo verò non dicitur Episcopos sine consensu Pontificis non posse ire ad exercitum, sed comitatum, siue ad aulam Imperatoris, cuius qui loco Imperatoris prouincias regit. patet ex dicto capitulo: nam iste Episcopus reprehendebatur eò quòd iuerat Rauennas, vbi tunc Exarchi habitabant, qui loco Imperatoris regebant Italiam. Et clariùs ex canone 11. Concilij Antiocheni, & 8. Sardicensis; vbi etiam redditur huius prohibitionis causa, non quia dedecet Episcopos aliósve clericos interesse pugnis; sed vt reprimeretur multorum ambitio gratiam principum quærentium, ideoque eorum aulas frequentantium, vt ea ratione ad maiores honores ac digniores cathedras possent prouehi.

Quid sit ire ad comitatum.

Concil. Antiochenum.

Concil. Sardicens.

91

Quartò, constat vrgente graui necessitate clericos qui licitè bello iusto interfunt, etiam licitè propria manu pugnare: vt si aliàs ab inuadente hoste essent occidendi, aut ciuitas, castrum, aut nauis in qua sunt, essent expugnanda, aut victoria magni momenti certò amittenda: tunc enim ius naturæ dat illis facultatem & se & communitatem defendendi; imò quando agitur de auertendo tam ingenti communi dãno, ad hoc obligat: cui ius humanum nec intendit nec potest derogare. Ita Auctores suprà citati. Quidam tamen putant ita pugnantes, nisi hoc sit necessarium ad vitæ propriæ defensionem, incurrere irregularitatem si aliquos occidant. Sed meliùs contrarium docent Molina & Lorca suprà, & satis probaui tomo 2. de Sacram. disput. 18. numer. 88. 89. & 97. vbi ostendi ob alterius occisionem numquam à clerico

In graui necessitate clerici licitè pugnant.

Molina. Lorca.

Clericus in sacris constitutus licitè pugnans non fit irregularis occidendo.

rico incurri irregularitatem nisi illa sit ei culpabilis.

92 Clerici qui sunt supremi principes licitè bellũ indicunt.

Demum Notandum clericos, qui ratione sui beneficij aut alia ex causa sunt simul etiam principes seculares in sua ditione supremi, ita vt sua auctoritate possint bella indicere, iusta existente causa id licitè facere, atque adeò per suos duces ea gerere sine periculo irregularitatis; modò ipsi per se exercitum non ducant, aut propria manu aliquem occidant aut mutilent, aliumque ad hoc in particulari adhortentur. Est communis; & apertè colligitur ex c. *Episcopus.* ne clerici vel monachi, in 6. vbi Pontifex docet, Episcopum aliumue clericum obtinentem dominium temporale licitè & sine periculo irregularitatis constituere ministros iustitiæ, ijsque præcipere vt in malefactores inquirant ac lege agant, etsi inde mors malefactorum sequatur; idque etiam in casu quo agitur de inquirendo auctore particularis criminis; vnde Auctores meritò inferunt eosdem eodem modo per alios posse gerere bellum. vide Molinam sup. disp. 100. in fine, & disp. 108. §. *Clerici licet.*

c. Episcopus.

Molina.

DVBIVM VII.

Quis modus seruandus sit in gerendo bello?

93 NOta ad bellum varias personas concurrere, scilicet principem bellum indicentem, duces ac milites, auxiliares copias, amicos, in quorum terris milites hospitantur, & à quibus necessaria percipiunt, ac demum hostes, & ij omnes qui inter hostes commorantur. Quæritur igitur hîc, qua ratione princeps & milites inter se, & cum dictis omnibus debeant aut possint in gerendo bello procedere,

Ex quo patet valdè varia hîc quæri; scilicet Primò, quæ sit obligatio principis erga suos duces ac reliquos milites? Secundò, quæ horum erga suum principem? Tertiò, quæ militum erga amicos apud quos hospitantur, & qua ratione peccent hos nimiùm grauando: & quæ hi rursus teneantur præstare militibus? Quartò, an princeps fidelis licitè vratur auxilio infidelium; aut illos vicissim in suis bellis iuuet? Quintò, quæ inter confligendum ac in belli progressu liceat facere contra hostes? Sextò, an liceat vti insidijs? Septimò, vtrùm innocentes versantes inter hostes possint occidi, in seruitutem redigi aut suis bonis spoliari? Octauò, cui cedant bona à militibus capta in bello? Nonò, vtrùm bona quæ hostes ab alijs iniustè acceperunt, licitè capiantur ac retineantur ab ijs qui iustè contra eos bella gerunt? Decimò, vtrùm ciuitas hostilis licitè tota tradatur deprædanda militibus? Vndecimò, vtrùm licitum sit diebus festis pugnare? Duodecimò, quæ licita sint obtenta victoria?

Gabriel. Victoria. Couarr. Siluester. Molina. Caietan. Bañez. Turrian. Lorca. Malderus.

De his fusè scribunt Gabriel in 4.d.15.qu.4. Victoria relect. de iure belli n.15.& nu.34. Couarr. regula *Peccatum*, p.2.§.11. Siluester v. *Bellũ* 1.q.8.& seqq. Caiet. ibid. §. *Tertiò*. Molina de Iustitia tract.2.à disp.116.vsque 122. Bañez 2.2. qu. 40.art.1.dub.10.& seqq. Turrian. ibid. disp.90. dub.3.& 4. Lorca ibid. disp.54. Malderus dub.6. Valentia disp.3.q.16.puncto 3.& alij, qui hæc communiter fusè & multis dubijs tractant. Sed vt breuitati consulam, & quia multa ex his non habent difficultatem; omnia vno dubio complectar, ita vt ea in quibus communiter consentiunt, paucis perstringam; ea verò in quibus plures dissentiunt, aliquanto fusiùs explicem.

Valentia.

94 CONCLVSIO I. Princeps ex iustitia tenetur militi promissa stipendia persoluere, idque statutis temporibus quantum fieri potest. Est cõmunis, & patet, quia qui alterius operam conduxit, tenetur ex iustitia promissam mercedem ei persoluere; quòd si non faciat, peccat grauissimo peccato, quod Iacobi 3.v.4. dicitur in cælum clamare: atqui princeps statuto stipendio tamquam mercede conduxit operam militis; & quidem in re difficili, laboriosa, & valdè periculosa: ergo ex iustitia tenetur hoc ei persoluere. Quòd autem hoc teneatur soluere statotempore, probatur Primò, quia quiuis tenetur stare iustis pactis, præsertim onerosis: atqui princeps hoc ita est pactus: ergo, &c. Secundò, quia aliàs cõmuniter impossibile est militi sine graui miseria, aut sine furtis ac iniustis rapinis se sustẽtare; quę si necessitate compulsus cõmittat, principi stipendium sua culpa non soluenti imputantur. Tertiò, quia Dominus Deuteron. 24. iubet mercenario indigenti reddi mercedem diurnam eodem die, *Ne*, inquit, *clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.*

Iacobi 5.

Deut. 24.

Dixi, *quantum fieri potest*: quia nemo tenetur ad impossibile.

95 Ad quid teneatur princeps quia culpa suam militi stipendia non soluens.

Ex quo sequitur, principem qui sua culpa statotempore non soluit militi stipendium teneri resarcire omnia damna quæ inde fuerint secuta. Primò, ipsi militi si oppressus inedia sua vili pretio debuerit vendere; aut si grauem morbum ideò incurrerit, & multa coactus fuerit expendere in medicos contrahendo debita, aut membrum aliquod amiserit, aliaue ratione inutilis ad aliquid lucrandum factus fuerit. Secundò, alijs suis subditis aut etiam extraneis non hostibus, quos milites coacti inopia spoliarunt; quia ipse huic damno causam dedit, militem ad id inferendum per subtractionem stipendij compellendo, præsertim cùm ipse ex officio teneatur quantum potest talia impedire. Tertiò, ipsi rep. si milites ob defectum solutionis rebellauerint, aut suo officio fungi non potuerint, atque ea ratione aut victoria fuerit amissa, aut bellum diutiùs cum maioribus reipubl. impensis aut incommodo protractum: aut si clades aliaue incommoda accepta fuerint. Quia princeps tunc horum omnium sua culpa est causa; non secùs ac œconomus qui stratam mercedem sua culpa non soluit conductis operis, ideoque hæ desinunt terras domini colere, & consequenter hic earum fructu priuatur.

96 Ad quid teneantur officiales per quos princeps militi soluit.

Eadem est ratio ministrorum principis, quibus incumbit procurare vt militi tempestiuè soluantur stipendia, aliaue ad bellum gerendũ necessaria comparentur. Qui si officio suo culpabiliter defuerint, aut pecunias ad illa destinatas aliò conuerterint, tenentur dictis resarcire omnia damna inde secuta; quia hæc ipsis ram-

tam quam eorum causis imputantur. Quæ diligenter notanda sunt confessarijs, qui eiusmodi conscientias tractant.

97 Ad quid obligentur milites.

Conclvsio II. Milites tenentur suis stipendijs esse contenti, bona fide ac debita diligentia munus suum obire, etiam cum vitæ periculo: nec possunt ob metum mortis quantumuis certò imminentis, suam stationem, aut pugnam, aut loca sibi demãdata deserere aut hosti tradere, quamdiu est spes eos posse hosti resistere, illaúe conseruare. Patet, quia ad hæc ita seruanda mercede conducuntur, & sacramento se obligant. Quare etiam si quid in eiusmodi rebus peccarint, iure apud omnes gentes recepto morte plectuntur, idq; meritò ob grauissima pericula ac damna, quæ ex eiusmodi defectibus reip. eueniunt, cùm vnius militis culpa integer quandoque exercitus profligari possit. Vnde l.3. ff. ad legem Iuliam maiestatis, eiusmodi desertores dicuntur rei læsæ maiestatis.

98 *Luc. 3.*

Conclvsio III. Erga amicos, apud quos diuersantur, tenentur strictè seruare illud S. Baptistæ Lucæ 3. *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis; & contenti estote stipendiis vestris.*

Peccata militum erga eos, apud quos diuersantur.

Contra quæ grauiter & cum onere restituendi peccant milites Primò, qui aliquid rusticis alijsúe apud quos hospitantur, aut per quos transeunt surripiunt, aut ab inuitis extorquent, præter ea, quæ ex constitutione principis debent ijs subministrari, quæ seruitia vocare solent; vt sunt lumen, ignis, lectus, paleæ, &c. Nec excusantur, si rustici perentibus, aut quandoque etiam vltro ijs offerant pecuniam aut similia, quia donationes illę communiter non sunt spontaneæ, sed coactæ, metu maioris mali; atque ita peccant accipientes, nisi constet eas omnino liberè fieri.

Secundò, quando astu aut fauore ab ijs, qui ipsis hospitia debent præscribere, obtinent plures schedulas, quibus ijs diuersæ domus pro hospitio assignantur, & deinde ab aliquibus pecunias accipiunt, vt apud eos non hospitẽtur: qua ratione multi iniustè grauantur.

99 Quid militi presso inopia liceat.

Ex priore dicto excipe casum quo milites ob defectum solutionis, sunt in extrema aut graui necessitate, ita vt se sustentare nequeant, nisi à suis hospitibus sibi necessaria extorqueant: tunc enim iuxta dicta disput. 27. dub. 10. id licitè faciunt. Quæ hîc maximè locum habent, cùm aliàs milites necessariò deberent aut perire aut castra deserere, quod fieret cum maximo totius communitatis, atque adeò eorum à quibus dicta accipiunt damno. Cùm igitur eorũ vita ac opera sint his necessaria, meritò coguntur eos sustentare. Duo tamen hîc obseruanda sunt. Primum, vt milites nihil ab alijs extorqueant, quod ijs non sit necessarium ad suam sustentationem. Secundum, vt princeps aut reliqua pars reipub. compenset ea grauamina illis hospitibus, quatenus ipsi præ reliquis fuerunt grauati: nam cùm militum sustentatio cedat in bonum totius patriæ, communibus, sumptibus fieri debet; nec vna pars præ alia debet grauari, præsertim ita notabiliter. Ita cum Caietano & Driedone Molina disp. 116. sub finem.

Caietan. Driedo. Molina.

100 Peccata officialiũ militiæ.

Similiter militum duces alijque regij ministri, quibus incumbit castra metari, aut militibus stipendia persoluere, peccant cum onere restituendi, Primò, quando iter cum militibus faciẽdo tenent vicina loca suspensa, quanã sint transituri; & sic ab aliquot oppidis vel pagis pecunias accipiunt, ne per eorum fines trãseant, aut apud eos hospitentur: hoc enim modo patria valdè ac omnino iniustè grauatur. Secundò, quando simulãt se habere plures milites quàm reuera habeãt, & inter lustrandũ aliquot fictos veris immiscent, vt ea ratione pluriũ stipendia accipiant ac sibi reseruent. Est autẽ hoc iniquissimum, non solùm quia ea ratione furãtur pecunias sui principis; sed etiam quia eá ratione remp. grauissimis periculis exponunt, ac grauissimi damni sæpè sunt causa; dum princeps eorũ fraude deceptus, ac putans se habere plures milites quàm verè habet, desinit ijs alios milites submittere, qui tamen ijs necessarij sunt vt possint hosti resistere aut victoriam obtinere, aut tutari loca quibus præsidio sunt: atque ita sunt causa cur aut exercitus cædatur, aut dicta loca in hostium potestatem veniant. Quæ ipsi postea tenentur omnia resarcire. Quæ diligenter notanda ijs, qui talium confessiones audiunt.

101 Conclvs. IV. Princeps fidelis pugnans cõtra infideles licitè vtitur auxilio infidelium, eosque iusta bella contra alios infideles gerentes licitè iuuat. Per se patet, quia nulla est hîc ratio cur id non liceat. Sic olim Machabæi inierunt cum Romanis societatem, vt se mutuo in bellis iuuarent, & sæpè aliquos reges infideles contra alios pugnantes iuuerunt.

102 Turcæ vix licitè in auxilium cõtra fideles vocantur.

Conclvs. V. Quando aliquis princeps fidelis contra alium populum fidelem bellum gerit, etsi per se non sit illicitum vocare infideles milites in suum auxilium, per accidens tamen hoc sæpè est illicitũ, ac Christiano nomini ignominiosum ac valdè noxium: præsertim quando illi, qui in auxilium vocantur, sunt Christianorum hostes, quales sunt Turcæ. Quia hac ratione datur ijs occasio templa ac monasteria diripiendi, sacra profanandi, virgines Deo dicatas violandi, & in Christianos barbaricam crudelitatem exercendi, aliaque scelera patrandi. Quibus & eorum in Christianos vires ac audácia crescunt, & horum vires ac nomen minuuntur, & auctoritas ac religio in despectum veniunt. Quæ mala maiora sunt quouis bono, quod eiusmodi bello possit obtineri.

103 Iniquè Christianus iuuat infideles cõtra fideles.

Multo autem iniquius, ac Christiano principe omnino indignum est infideles (quales etiam sunt hæretici) oppugnantes Catholicos adiuuare, etiam in casu, quo illi iustum bellum putantur fouere; quod tamen, nisi res omnino clara sit, rarò est præsumendum.

Prob. quia hac ratione res Christiana, atque ipsa religio paulatim opprimuntur, ac vires infidelium atque ipsa infidelitas mirum in modũ augentur; dum integræ Christianorum regiones infidelibus subijciuntur, omniaque, quæ in ijs sunt, loca sacra aut euertuntur, aut profanantur, & sacrilegis ritibus destinantur; dum omne exercitium Christianæ religionis ibidem impeditur, ac Christiani aut à fide deficere, aut libertatem omniaque bona amittere coguntur,

ac

ac eorum liberi in infidelitate educantur; aliaq; similia fiunt: prout videmus fieri in locis quæ Turcæ, aut hæretici occupãt. Quæ quàm impiè fiant ope ac auxilio Christiani principis, quis Christianus non videat? Nec est iusta excusatio si quis iudicet id expedire ad suum statum augendũ aut conseruandum, eò quòd ea ratione minuat æmuli sui potentiam; nisi priùs probet suum statum sibi debere pluris esse Religione Christiana, ac salute tot millium animarum, atque adeò Christi sanguine, quo illæ emptæ sunt.

104 Huius occasione Doctores hîc disputant, vtrùm Christiani captiui licitè in triremibus Turcarum Christianos oppugnantium remigent. Sed quid dicendum sit, satis patet ex dictis sup. disp.18.dub.13.n.219 Hoc solùm hîc Notãdum, nullo modo ijs licere deprædari aut incendere res Christianorũ, quia hoc per se malum ac iniustum est, vt bene notat Lorca sup.disp.51.

Lorca.

105 CONCLVS.VI. Si hostes ante inchoatũ bellum petant pacem, ac sufficientem satisfactionem offerant pro damnis ac iniurijs eousque illatis, & sint parati cauere de iniurijs in posterum non inferendis; illicitè illis infertur bellum; quia iam nulla restat necessitas, aut iusta causa id inferendi. In hanc conclusionem omnes consentiunt.

106 Quidam tamen contrarium asserunt, quãdo hostes dicta offerunt postquam bellum iam aliquo conflictu inchoatum est, putantque eum qui iustã causam fouet, tunc non teneri desistere à bello, nisi hostis se ipsi totum permittat eius iudicio pro præteritis iniurijs puniendũ. Quia ille tunc respectu hostis obtinet personam iudicis & hic personam rei, ideoque non est ampliùs in statu satisfaciendi; sed tenetur se illius tamquam sui iudicis arbitrio permittere. Ita Caiet. iu Summa v. *Bellum*, §. *Tertiò*. & quidam alij.

Caietan.

107 Sed meliùs Molina sup. disp.103. sub finem. & Lorca disp.53.nu.11. docent, hîc nullam esse faciendam distinctionem, an bellum sit inchoatum necne: quandocumq; enim, antequam sit omnino debellatũ, hostis offert sufficientem satisfactionem pro omnibus iniurijs ac damnis vsque ad illud tempus datis, & debitam cautionem de pace in posterum seruãda, tenetur alter hæc acceptare & bello desistere; quia deest omnis necessitas & iusta causa illud continuandi, nec hic potest quidquã vlteriùs ab illo exigere. Vide dicta sup.n.29.35.&38.vbi etiam n.34. & 36. ostendi principem fouentem iustum bellum nullo modo esse iudicem alterius partis, antequam eam omnino deuictã sibi iusto bello planè subiecerit, & cõsequenter antequã sit omnino debellatum. Quo casu hostis iam omnino debellatus, ac in potestatem victoris redactus, fit huiciure belli subditus, atque ita tamquam talis tractari potest.

Molina. Lorca.

Sufficiens satisfactio etiam bello iam inchoato oblata acceptanda est.

108 CONCL.VII. Quãdiu hostis recusat exhibere debitã satisfactionem iuxta iam dicta, qui iustã causam fouet, potest facere ea omnia quę ad victoriã obtinendã illumq; debellandum iudicantur necessaria, nisi aliàs iuri naturali aut diuino repugnent, vt sunt peccata quæ intrinsecè mala sunt, aut ea quibus grauissimè religioni Christianæ nocetur: iuxta dicta nu.102.&103. Hinc potest hostes occidere, eorum bona dissipere, regiones vastare, loca munita occupare aut euertere, aliaq; sibi opportuna in eorũ terris exstruere, prout prudenter iudicabit ad suũ finem necessarium aut valdè expediens: ita tamẽ vt quãtum fieri potest sit semper memor Christianæ modestiæ ac clementiæ, eiusque rationem habeat. Est communis, & per se patet, quia aliàs finis belli obtineri non posset.

109 Hinc fouentes iustã causam licitè in bello vtuntur insidijs, quia hoc nec per se malum est, & sæpè ad obtinendã victoriã aut necessarium aut valdè vtile est. Vnde etiã Iosue c.8. contra vrbem Hai ijs vsus legitur. Non licet tamen vti mendacijs violando pacta cum hoste inita: hoc enim apertè malum est & principe indignum.

Iosue 8.

110 CONCLVS.VIII. Innocentes cogniti tales nũquam licitè directè & per se occiduntur; quia hoc absolutè malũ est, a comni casu sine speciali Dei commissione illicitum: indirectè tamen & per accidens sæpè licitè occidũtur. Sic fouentes iustam causam licitè explodunt tormenta in hostiles cuneos aut munitiones, ignem in ædes injiciunt, turres ac mænia tormentis aut supposito sulphureo puluere euertunt, etsi credãt, aut etiam certò sciant hac ratione aliquos innocentes occidendos; quia hoc fit præter eorum intentionem, & vt illos seruent non tenentur permittere victoriam sibi elabi. Est communis eorum, quos suprà citaui.

Quia ratione licitè aut illicitè occidantur innocentes.

111 Innocentes autẽ hîc certò sunt pueri omnes, qui per ætatem arma ferre nequeunt, aut alia ratione nocere ijs qui iustam causam fouent. tales etiã, nisi de contrario constet, præsumuntur fœminæ, Ecclesiastici, rustici, externi casu inter hostes versantes, quãdiu non deprehenduntur armis aut alia ratione illos iuuare. Hinc quòd Iosue 6. & 1. Regum 15. Israëlitæ licitè occiderint omnes incolas vrbis Iericho, & Amalecitas etiã infantes, factum est ex speciali Dei cõmissione, qui in omnes homines habet vitæ & necis potestatem. Quòd si dicti deprehendãtur armis aut alia ratione hostem iuuare, eosque qui iustã causam fouent oppugnare, censentur nocentes etiamsi credãtur hoc facere inculpabiliter ob inuincibilem ignorantiã; quia ipsi alios de facto verè oppugnãt, ijsque nocent, quare occidi possunt quamdiu pergunt ita nocere; sicut pro vitæ defensione potest occidi stultus ab eo quem inuadit. non tamen postquam obtenta iam victoria nocere desinunt: quia tunc nulla est necessitas eos occidendi.

Quinam hostes vel fautores censendi sint innocentes.

Iosue 6. 1. Reg. 15.

112 Et in hac conclusione Doctores suprà citati alijque communiter consentiunt. Est tamen aliqua difficultas, vtrùm innocentes licitè spolientur suis bonis, aut etiã in seruitutem redigãtur. Quidam enim docent hos non posse aliter spoliari suis bonis ac libertate, quã vita, scilicet indirectè & per accidens, quatenus aut credũtur nocentes, aut eorum bona nequeũt à bonis nocẽtium distingui, aut hi nequeunt oppugnari nisi illorum bona, domus, agri destruantur.

Vtrùm innocentes licitè spolientur bonis aut libertate.

Probant, quia aliàs hi punirentur sine vlla culpa, quod illicitum est. Ita Lorca sup.disp.52. n.16.in fine & disp.54.n.11. 20.ac 23. Molina tamen sup.disp.120.& 121. ac Valentia disp.3.q.16. puncto

Lorca. Molina. Victoria.

puncto 3. §. *Quartò infero.* & seqq. & plurimi alij, docent, tales licitè etiam directè spoliari suis bonis ac libertate. Et hoc credo probabilius quando aliter nequit sufficiens satisfactio obtineri pro iniurijs & damnis acceptis, quia scilicet bona nocentium, aut ad hoc non sufficiunt, aut capi nequeunt.

113 Pro quo Nota, omnes ciues alicuius reip. simul constituere vnũ corpus, atq; ita censeri aliquid vnum; adeò vt quod resp. qua talis facit, censeantur omnes facere, atque ita hac peccante censentur omnes & singuli peccasse ac esse punibiles in ijs bonis, quæ censentur bona reip. ciusq; dominio ac dispositioni subsunt. Qualia sunt omnia bona fortunæ non solùm cõmunia, sed etiã priuata singulorum ciuium. Nam exigente valdè notabili bono publico potest ea etiã his inuitis, & sine eorũ culpa auferre, idque etiã sine vlla cõpensatione quando hæc fieri nequit: vt patet in tributis a alijs exactionibus, quæ ob publicam necessitatem imponũtur sæpè adeò graues, vt priuati notabilem partẽ bonorum teneantur in vsum publicum conferre.

Quod facit resp. imputatur singulis eius mẽbris.

114 Ex his sequitur Primò, quando aliqua resp. peccauit ac punitionẽ meritа est, eam totã omnino posse puniri, adeò vt etiam ij qui in ea sunt innocentes, puniantur in ijs bonis quæ censentur bona reip. iuxta dicta. Quod patet ex vsu receptissimo & communi omniũ consensu approbato, quando princeps alicui suæ prouinciæ ob rebellionem aliudue cõmune peccatũ, nouum aliquod vectigal imponit; quod secundùm omnes iustè in pœnã illius peccati, & ab ipso imponitur, & ab omnibus illius ciuibus saltẽ secularibus etiam innocentibus exigitur; atque ita hi ob commune delictum cuius non sunt priuatim participes, in dictis bonis puniuntur.

115 Sequitur Secundò. & quidem multò clarius, quando vna resp. per contractum, aut sua culpa contraxit debitum ingentẽ summam alteri reip. persoluendi; omnes eius ciues etiam innocẽtes, quatenus sunt illius quædam pars, contrahere aliquam obligationem vt contribuant ad eã solutionem, quatenus hoc necessarium est vt illa fieri possit. Cùm enim omniũ ciuium bona sint etiam bona ipsius reip. ipsiusq; dispositioni in casu necessitatis subiecta, iuxta dicta n. 113. potest quilibet eius ciuis cõpelli vt ex suis bonis cõtribuat, vt ipsa dictæ suæ obligationi satisfaciat, quando hoc aliter nequit fieri. Sicut si resp. aliquorum culpa incidisset in aliquam aliam necessitatem, qua se aliter expedire non posset, possent omnes eius ciues etiam innocentes cogi vt illam suis opibus iuuarent, vt ita posset se ea necessitate liberare.

116 Sequitur Tertiò, sententiam Molinæ esse veram, scilicet in bello iusto etiam innocentes posse spoliari bonis fortunæ, quãdo hoc est necessarium vt possit integra satisfactio obtineri; quia cùm sint pars reip. tenentur contribuere ad satisfaciendum pro debito ab ea contracto, quando hoc aliter solui nequit; & consequenter princeps, cui debetur satisfactio, potest eos ad hoc compellere, ipsos suis bonis spoliando. quæ magis confirmabuntur infrà dub. 8.

Ex quibus patet responsio ad rationem Lor-

cæ allatam nu. 112. Quia ergo si innocentes nunquam ob aliorum culpã possent puniri, possent tamen compelli vt satisfacerent pro debito, quod ramquam pars illius reip. contraxerunt, prout in dicto casu fit.

Adde, eos, qui secundùm se innocentes sunt, posse reputari nocẽtes quatenus sunt pars reip. atque ita vt tales in bonis reip. dominio aliqua ratione subiectis puniri: iuxta dicta n. 114.

Priuatim innocens potest reputari culpabilis vt est membrum reip & ita in bonis externis puniri.

Fatendum tamen omnino est eos, qui culpabiles sunt, in omnibus dictis casibus teneri innocentibus restituere omnia damna, quæ hi ratione illius culpæ incurrunt; quia illi sunt horũ omnium iniusta causa. Imò credo eos, qui iustũ bellum gerunt, non posse scientes vllũ damnum inferre innocẽtibus, quando aliter possunt omnino integram satisfactionẽ obtinere; quia cùm tunc nulla sit necessitas cui hi aliorũ culpa grauentur, æquitas nõ patitur hoc fieri. Quæ apertè satis docet Bonifacius VIII. regula Iuris 23. in 6. vbi ait: *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* vbi puniri accipitur generatim prout quoduis grauamen significat, quod ex aliquorum culpa ortum habet: quia propriè loquendo fieri nequit vt innocens puniatur. Quæ regula apertè insinuat iam suprà dicta, scilicet exigente id iusta causa posse vnum ob culpam alterius, & maximè totius reip. cuius ipse est pars, grauari, atque ita aliquo modo puniri.

117

118 Fatendum Secundò, ab hac sententia omnino excipiendos Ecclesiasticos, quos, si innocentes sint, ob aliorũ culpã grauari videtur esse contra honorẽ religioni, Ecclesiæ, ipsiq; Deo, cui singulariter sunt dicati, debitum. Præsertim cùm ipsi sint quædam pars reip. omnino distincta à parte ciuili, nec huius dispositioni subiecta, cùm sint exempti à iurisdictione seculari; quare secularium delicta etiam publica auctoritate cõmissa ijs nullo modo possunt imputari, aut in eorum grauamen cedere. Quod clarissimum est si agamus de bonis ipsius Ecclesiæ, qualia sunt omnia ipsius ornamenta, ac sacra supellex, & bona immobilia, ex quibus eius ministri, ipsa fabrica, ac reliqua onera sustentantur; quæ non sunt priuatorum, sed ipsius Ecclesiæ, atque adeò peculiari quadam ratione ipsius Dei; quæ magis confirmabuntur infrà dub. 8.

Ecclesiastici innocentes illicitè spoliantur.

Excipiendi sunt etiam ij, qui ab hostibus ad iustè pugnantes iam antè defecerant; quia hi nullo modo possunt inter hostes computari.

Quidã concedunt quidẽ, rationes suprà allatas satis probare innocentes ob delictum reip. posse priuari bonis externis, nõ tamen libertate. Sed credo, eandẽ esse rationẽ vtrorumq; quamuis difficiliùs possint hac spoliari quàm illis.

119

Prob. Primò, quia etiam ipsa libertas ciuium cõputanda est inter bona subiecta iurisdictioni ac dispositioni reip. nã occurrente graui necessitate, qua se aliter expedire non posset, ipsa licitè aliquos ciues etiam innocentes priuaret libertate tradendo eos in seruos hosti id petenti & minanti se aliter remp. euersurum. sicut vsitato more solet resp. vt pacem obtineat suos ciues hosti tradere obsides magna parte vitæ, aut fortè etiã tota arctæ custodiæ mancipandos, in qua ferè tota libertate priuabuntur. Confirmatur,

quia pater iure naturæ graui necessitate eum vrgente licitè vendit filium in seruum ; cur non possit quid simile resp. respectu sui ciuis?

120 Prob. Secundò, quia vbi ius positiuũ id non prohibet, licitè debitor, qui nõ est soluẽdo, rapitur in seruitutẽ: at qui, vt sup. ostẽdi, quiuis particularis ciuis saltẽ in defectum aliorũ est debitor illius satisfactionis, quam eius resp. tenetur præstare: ergo, quando hæc aliter obtineri nequit, potest pro ea in seruitutẽ rapi. Sed hæc nequeũt habere locum in Christianis, qui ab alijs Christianis ratione belli quod iniustè gerunt aut ob debita in seruitutẽ redigi nequeunt: quod consuetudine communi consensu, ac legitima præscriptione iam diu introductum est.

121 Concl. vs. IX. Bona mobilia hostiũ bello iusto capta, in præmium laboris cedunt capienti; nisi alicubi introductũ sit vt toti exercitui diuidantur, aut eorum certa pars principi cedat, in subleuamen oneris, quod subit soluendo stipendia militi: in quo variæ sunt variis locis ac casibus leges militibus satis notæ, quæ seruandæ sunt.

Bona verò immobilia ab hoste capta cedunt ipsi principi aut reip. iustum bellum gerenti, in satisfactionẽ pro iniuria ac damnis acceptis, ac belli expẽsis, ac in præmiũ laboris ac industriæ: item in compensationem periculorũ quæ subiit. Qua ratione vnus princeps iustè alterius iam deuicti regnum sibi vindicat, quãdo hoc est necessarium vt pro dictis omnibus ipsi plenè satisfiat. Est communis DD. imò omnium nationum sensus vsu communi receptus.

122 Concl. X. Ea quæ hostes iustè ab alijs ceperant, atque adeò sua iam fecerant, eodem modo fiunt capientis aut principis iustum bellum fouentis, sicut alia hostiũ bona: iuxta dicta concl. 9. Quæ verò hostis iniustè alijs eripuit, si quando venerint in potestatem eorum qui iustũ bellum fouent, iure naturæ restituenda sunt ijs quibus erepta sunt; sicut bona quæ fures aut latrones alijs eripuerunt, si quando in aliorum potestatem venerint, restituẽda sunt suis dominis.

123 Iure tamen Cęsareo (quod Castellæ aliarumque quarundã nationum priuatis legibus receptũ est) eiusmodi bona mobilia, si hostes ea intra sua præsidia aliaue loca tuta deportauerint, censentur hac ex parte quasi iam essent ipsorum hostium: atq; adeò eodẽ modo fiunt capientis, ac si essent verè ipsorũ: secùs est de ijs, quæ hosti eripiũtur ante equã ad eiusmodi loca sunt translata.

l. Si quid bello. *l.* Postliminij.

Patet ex l. *Si quid bello* 28. iuncta l. *Postliminij* 5. ff. de captiuis & postliminio reuersis, totoq; hoc titulo. Excipiuntur ibidem l. 2. & 4. homines siue liberi siue serui, ac naues vsibus bellicis aptæ; item equi, vel equæ fræni patientes. quæ quacũque ratione ex hostiũ potestate euaserint, eodẽ loco habentur, quo erant ante captiuitatẽ: atq; ita aut suæ libertati, aut prioribus dominis, si quos habuerint, restituenda sunt. Ideoque dicta in Iure dicuntur gaudere iure postliminij.

Quænam gaudeant iure postliminij.

Quod autẽ Ius Cęsareũ statuit de rebus, quæ ab hostibus in præsidia trãslata sunt, idem quorundam aliorum locorũ Iura statuunt de ijs quæ fuerunt vna nocte in hostium potestate. vt docet Molina sup. disp. 118. §. *Vt verò.* & §. *Hinc fit.*

Molina.

Quæ disp. idẽ benè docet, principes hoc iustè potuisse statuere, quia bono publico hoc videtur expedire; tũ vt hac ratione euitentur multæ lites ac difficultates, quæ aliàs militibus ob res bello captas potuissent exhiberi; ac etiã ad vitãdos scrupulos, quibus potuissent ipsi vexari dubitando an res à se capta priùs fuisset iustè ab hoste possessa, aut etiam cui esset restituenda: tum etiam vt hac ratione militum animi magis excitarentur vt hostes spe prædę inuadant, quæ causæ sunt sufficientes vt Ius rem vnius possit alteri tribuere; vt patet in præscriptione. 124

Et quãuis (vt ibidẽ cum alijs bene notat Molina) dictæ leges supponant falsum, scil. dictas res ab hoste captas fieri ipsorum, ac iustè ab ijs possideri; nihilominùs omnino præsumendum est legislatores non voluisse eas solo illo fundamento niti, sed quocumque alio, quo possent iustè ferri: quod cùm, vt iam ostendi, sufficiens subfuerit, omnino dicendum eas in vtroque foro esse validas. *Molina.*

Idem ibid. §. *Obserua.* & §. *Illud postremò.* bene notat Primò, dicta solùm posse habere locũ respectu bonorũ, quæ hostes ceperũt à ciuibus illius reip. in qua illæ leges vigẽt, & cui illi, qui eas hostibus eripiunt, militant. Quia Hispanus nihil potest cõstituere circa bona, quæ Turcæ v. c. eripiũt Francis aut Germanis; nec hi circa bona Hispanis erepta. Quare si Gallus eripiat Turcis eiusmodi bona Hispanorum, aut Hispanus bona Francorum; vterque debet ea suis dominis restituere, nisi aliud recepta inter ipsos consuetudine introductum sit. 125

Notat Secundò, eiusmodi priuilegium solùm concedi militibus ea bona hosti eripientibus. Quare si qui ea alia ratione, v. c. emptione aut donatione, ab hostibus accipiant, tenentur ea prioribus dominis restituere. 126

Notat Tertiò, quãdo eiusmodi bona ab hostibus ita capta sunt, vt nulla fit spes prioré dominũ ea posse recuperare, quemuis ex præsumpta huius voluntate licitè ea vili pretio (prout cõmuniter præda à militibus vẽditur) emere, ea intentione vt domino cõparenti, ipsaq; repetenti ea restituat, recepto pretio quod pro ijs dedit, quod, cùm huius (qui aliter rem suã nunquã fuisset recuperaturus) negotium vtiliter gesserit, & quidem ex voluntate eius prudenter præsumpta, ab eo meritò repetit. Quod notandum est pro Catholicis Hollandis, qui aliquando ex præda Indica aliqua à nautis emunt.

An licitè emantur bona ab hostibus inuitè capta.

Concl. vs. XI. Per se loquendo licitè quandoq; tota aliqua ciuitas datur militi diripienda. Quando scil. ipsa obstinatiùs resistendo id meruit, iudicaturq; necessariũ aut valdè expediens vt milites spe prædæ eam feruentiùs oppugnẽt, ac aliæ vrbes deterreantur, ne tam obstinatè resistant. Est communis, & patet ex cõmuni praxi à principibus sine reprehẽsione vsurpata. Bene tamẽ multi notant, id sæpè minùs conuenire ob multa scelera quæ milites ea occasione communiter perpetrant, multos vt pecunias extorqueant, crudeliter torquendo, matronis ac virginibus vim inferendo, &c. Ob quæ ea concessio per accidens est illicita, quoties ad supradictos fines non est aliquo modo necessaria. 127

Et,

Et,si quando concedatur, duces tenentur eiusmodi scelera quantum possunt impedire ea seuerè priùs prohibendo, ac demum puniendo eos qui in ijs fuerint deprehensi.

128 Licitè pugnatur die festo.

CONCLVS.XII. Quando milites non impediuntur ea ratione audire Sacrũ, licitè pugnatur diebus festis aut Dominicis; quia hoc nõ est opus seruile. Imò quoties id est necessariũ vt damnũ vitetur, aut victoria multùm promoueatur, licitè id fit etiam cum omissione Sacri, quia præcepta Ecclesiæ non obligant cum tanto incommodo; quale esset si exercitus aliàs aut cladem acciperet, aut occasionem notabiliter promouendi victoriam amitteret. Nec his obstat cap. *Treuga.* de treuga & pace. quia hoc non est vsu receptum. vide Molinam disp.111. §. *Dicendum deinde.* & Lorcam q.40.ar.4.

c. Treuga. *Molina.* *Lorca.*

129 CONCLVS.XIII. Obtẽta iam victoria ac hoste debellato, per se loquendo ea licent quæ necessaria sunt ad plenã satisfactionem pro iniurijs ac damnis acceptis ac impensis factis toto belli tempore; item pro pace ac securitate in posterũ stabilienda. Qualia sunt priuare victos etiam innocẽtes suis bonis, aut etiã aliquos libertate, si non sint Christiani: quatenus hoc ad dictos fines necessariũ est, iuxta dicta n.116.117.& 118. Item extruere in eorũ terris munitiones ac præsidia imponere; item imperare ijs tributa & similia. His adde, cùm victoriã hostes sibi subiecerit obtinere respectu illorum absolutè personã iudicis, atque posse eos secundùm merita punire etiã morte. In his tamen omnibus, quantum fieri potest, oportet victorem esse memorem Christianæ clementiæ: tum in spoliatione bonorum ac libertatis, præsertim innocentium, tum etiam in occisione nocentium. Hinc quãdo multi ex victis sunt meriti mortem, etsi eos sine vera iniustitia possit omnes occidere, hoc tamen communiter saperet crudelitatẽ, ac esset grauiter reprehẽsibile; nisi in particulari aliquo casu putaretur ad fines aliquos maximi momẽti esse necessarium. vt si illi non possent tutò in custodijs seruari, & dimissi crederentur omnia rursum turbaturi. Aliàs aliquibus aut nocẽtioribus aut sorte delectis priuatis, reliquis parcendũ; ita saltẽ vt pœna mortis in mitiorẽ mutetur.

Victor fit superior deuictorum iusto bello.

DVBIVM VIII.

Vtrùm repræsaliæ siue pignorationes sint licitæ?

130 NOta, repræsalias seu pignorationes dici, quãdo vna resp. accipit bona ciuis alterius reip. vt hac ratione cõpenset damnum quod aliquis ex suis ciuibus passus est à ciue alterius reip. Constat autem Primò, vnam remp. ob iniustam occisionem sui ciuis illicitè occidere innocentẽ ciuem illius reip. à qua alter occisus est. patet ex dictis n.100. Secundò, vnã remp. in dicto casu illicitè accipere bona alterius innocentis, quãdo alia ratione sine magno incõmodo potest haberi reparatio dãni illati. Tertiò, seruato aliàs iuris ordine licitè accipi bona eius qui iniuriam intulit, vt ex ijs reparetur damnum acceptum.

Sed tota difficultas est, vtrùm quãdo aliter sine grauibus incõmodis nequit obtineri reparatio damni accepti, resp. in se aut ciue suo læsa licitè accipiat bona cuiusuis ciuis etiam innocentis illius reip. à cuius ciuibus dãnum datum est?

Lorca sup. disp.52.n.15. id negat. Primò, quia eæ pignorationes tamquã odibiles & æquitati naturali cõtrariæ sũt iure ciuili prohibitę, vt dicitur c.vnico de iniurijs, in 6. & patet ex præfat. & c.1. Authenticæ. *vt non fiant pignorationes.* collat.5. Nouella 52. & l.vnica C. *vt nullus ex vicaneis.* vbi dicitur: *Graue est non solùm legibus, verùm etiam æquitati naturali contrarium pro alienis debitis alios molestari.* vbi etiã ratio illius sententiæ redditur, quia scilicet iniquum est vnum pro alterius debito aut culpa vexari aut spoliari.

131 *Lorca.*

c.1. *Authẽt. Nouel.* 52.

Communis tamen sententia ram Iuristarum quàm Theologorũ est, eiusmodi pignorationes esse licitas, quãdo adsunt requisitæ circũstantię. vt patet apud Bartolum tractatu de repræsalijs. Couarr. reg. *Peccatum*, p.2.§.9. Nauar. c.27.n.136. Caietan. Siluest. Angelum, aliosque Summistas v. *Repræsaliæ.* Gabriel. in 4.dist.15.q.4.a.3.dub.2. Molin. sup. disp.121. & alios: adeò vt Lorca suprà fateatur, neminem se excepto contradicere. Ex quo etiam patet, hanc sententiam esse vt minimum probabilem & tutam in praxi. Quòd autem à parte rei sit verior, patebit ex dicendis.

132

Bartol. *Couarr.* *Nauarr.* *Caietan.* *Siluester.* *Angelus.* *Gabriel.* *Molina.*

Nota igitur, vt eiusmodi repræsaliæ sint licitæ, requiri sex conditiones. Prima, quòd manifestè constet ciues vnius reip. fecisse iniuriã ciuibus alterius reip. v.c. aliquã eorũ bona capiendo aut detinendo, nolendo soluere clarè ex iustitia debita: aut simili ratione. Debet autem hæc iniuria esse notabiliter grauis; quia cùm repræsaliæ sint satis graues, & sæpè natæ causare incõmoda, debent habere grauẽ causam. Secũdò, vt Superiores illius reip. cuius ciues iniuriã intulerunt, rogati vt faciãt iustitiã, id recusent aut negligant: quo facto sunt alteri reip. iniurij, & consequenter tam ipsi quàm tota eorũ resp. sunt alteri obligati ad resarciendum damnũ acceptum, iuxta dicta n.113.& 114. Tertiò, vt apertè constet illos culpabiliter nolle facere iustitiã; quia nullus puniri potest nisi constet eum deliquisse. Quartò, vt supremus princeps reip. læsæ adeatur, & causa cognita concedat facultatẽ capiẽdi repræsalias. Is enim solus has potest concedere, qui potest bellum indicere; vt omnes fatentur. Quintò, vt non inferatur alteri reip. plus damni quàm sit necesse ad plenam satisfactionem pro iniuria ac damnis acceptis. Sextò, vt non concedantur in personas Ecclesiasticas, quæ nocentes non sunt; hoc enim expresè sub pœna excommunicationis prohibetur c.vnico, de iniurijs, in 6.

133 Sex conditiones requisitæ vt repræsaliæ sint licitæ.

Solus potest concedere repræsalias qui potest bellum indicere.

His positis prob. cõmunis sententia Primò, quia, vt ostendi suprà n.113. quando aliqua resp. alicui alteri obligatur ad aliquã solutionem aut satisfactionem, omnes eius ciues ad eandẽ, præsertim in defectum communitatis, obligantur; adeò vt non satisfaciente communitate debitũ possit à singulis exigi: atqui, vt patet ex dictis, hoc ipso quo resp. requisita recusat suos subditos noxios cogere vt satisfaciant læsis, ipsa horum loco tenetur satisfacere: ergo in huius defectum singuli eius ciues ad hoc tenentur: non quidem ita vt per se siue sponte teneantur satisfacere (hoc enim esset nimis durum respectu innocentiũ) sed vt possint à læsis ad hoc com-

134 Debitum reip. obligat singula membra.

compelli, & hi ex eorũ bonis possint sibi auctoritate legitimi iudicis cõpensationem sumere.

Prob. Secũdò, quia, vt suprà ostendi, in bello insto bona innocentiũ licitè diripiuntur, quando hoc est necessarium ad obtinendam plenam satisfactionem: ergo idem fieri potest per repræsalias: est enim omnino eadem ratio. Nec refert quòd bellum requirat grauiorem causam: quia eius damna & incommoda sunt etiam longè grauiora & acerbiora quàm repræsaliarum.

135 Tertiò, quia cõmuni vsu & approbatione tãquam iustum ac licitũ receptum est, vt, quando aliqua resp. ob acceptum mutuum, venditũ cẽsum, aut similem causam debet aliquid ciuibus alterius reipubl. & suo tẽpore rogata nõ soluit; hi in vtroq; foro licitè quemuis illius ciuem, etiã illius debiti aut defectus solutionis omnino ignarũ, eiusue bona arrestent, atq; ita eum ad solutionẽ compellant. Atqui quando aliqua resp. legitimè requisita vt suos subditos compellat vt mihi mea reddãt, aut pro damnis illatis satisfaciant, id iniustè negat, mihi nõ minùs ex hoc delicto tam quã iusta causa damni quod patior obligatur satisfacere, quàm obligaretur ex contractu: ergo in vtroq; casu in illius defectum licitè per legitimam auctoritatẽ compello quemuis eius ciuem mihi satisfacere, eũ eiusue bona vbi cõmodè possum arrestãdo, aut apprehẽdendo: est enim omnino eadẽ ratio, nec in vno casu magis quã in alio, vnus ob alterius culpã aut debitũ grauatur: quare si id in vno non repugnat æquitati naturali, nec etiã repugnat in alio. In vtroque tamen casu resp. quæ negauit solutionem aut iustitiam, tenetur suis ciuibus ideò læsis omne damnum quod passi sunt resarcire.

Ad iura allata n. 131. Respõdeo ea apertè loqui 136
de casu, in quo sine auctoritate supremi principis vna ciuitas cõtra aliam sub eodem principe secũ constitutam concedit repræsalias: quo casu nullo modo sunt necessariæ, cùm creditores sub cõmuni iudice possint ac debeant ius suũ prosequi, & ideò eiusmodi repræsaliæ meritò damnantur vt legibus odibiles, & æquitati naturali cõtrariæ. Vnde etiã patet ea iura nihil facere cõtra nos, qui agimus de casu in quo illæ cõceduntur auctoritate supremi principis cõtra ciuitatẽ, quæ cum lęsis nõ habet communẽ iudicem, idq; præcisè ideò, quia aliter satisfactio obtineri nequit: quod, vt patet ex dictis, æquitati nullo modo repugnat, cùm, vt ostendi n. 113. & 135. is qui grauatur sit huic grauamini obnoxius ratione reip. cuius est pars, & cui sua bona obstricta sũt. Quæ repræsaliæ iura prohibeant.

DISPVTATIO XXXII.

De rixa, duello, seditione & scandalo.

DVBIVM I.

Quid sit rixa & quale peccatum?

1 *D. Thomas.* Diuus Thomas 2.2.q.41.a.1. distinguit rixã à contentione; quòd hæc consistat in cõtradictione verborũ, rixa verò in cõtradictione quæ factis exercetur, quibus vnus alterũ conatur lædere. Docetq; esse quoddam bellum priuata auctoritate assumptũ, siue quo duo aut pauci aliqui sine legitima auctoritate inter se pugnãt. vnde infert, rixã propriè dictã esse semper peccatũ, & quidẽ mortale, nisi leuitate materiæ excusetur: vt fit quãdo parui pueri inter se pugnant. Quæ satis clara sunt: nisi fortè velit quis hîc instituere quæstionẽ de nomine, & cõstituere rixam in sola pugna verborum, atque adeò eã cõfundere cum cõtentione, prout vulgò videtur confundi. Sed hęc quæstio parui momenti est. Solùm itaque est hîc difficultas circa duellum, quod est quædã species rixæ, an scilicet semper sit illicitum. de quo dubio sequẽti.

DVBIVM II.

Vtrùm duellum semper sit illicitum?

2 Duellum quid sit. Nota duellũ propriè esse pugnã inter duos ex condicto susceptã. vnde siquando duo sibi occurrentes aut simul consistentes, casu aliquo oborta occasione subitò inter se pugnent, non est propriè duellũ: atque ita pœnæ in duellantes statutæ, non habent in hos locum, vt cõmuniter omnes fatentur. Per duos autem hîc intelligo non solùm duos homines, sed duos etiam populos aut duas factiones. Hinc apud Horatium l.1.epist 2. dicitur:

Gracia barbariæ lento collisa duello.

Cõmuniter autem iam solent vocare duellum pugnam, quæ inter duos aut paucos aliquos & ferè certo numero constitutos ex condicto cõmittitur: & iura vetantia ac punientia duella de his pugnis loquuntur. quare de iis solis hîc disputamus. nam quid sit censendum de pugna quæ inter duos populos aut principes committitur, satis dixi disp. 31.

Nota Secũdò, eiusmodi duella quandoq; susci- 3
pi cũ certa solẽnitate, datis loco & fide secu- Duellum aliud solenne, aliud non solemne.
ritatis pro eo qui socium occiderit, & adhibitis sponsoribus quos patrinos vocant: & tunc dicitur publicum siue solemne. Aliàs sit sine eiusmodi cæremonijs, & dicitur priuatum.

Nota Tertiò, duellum posse suscipi ob va- 4
rias causas. Primò, ob meram virium ostẽtatio- Duelli variæ causæ.
nem, aut vt aljjs spectaculum exhibeatur: prout olim gladiatores certabãt in theatris. Secundò, ad vindicandã iniuriam nobis illatã; vt contingit in illis, qui accepta iniuria inferẽtes ad duellum prouocant. Tertiò, vt quis defendat suum honorem, quem existimat lædi si oblatũ duellũ nõ acceptet; eò quòd ab omnibus habẽdus sit ignauus. Quartò, ad explorandã rei alicuius, quę siue in iudicio, siue extra illud inter aliquos cõtrouertitur, veritatem; ita vt ille censeatur fouere iustam causam, qui in duello victor euaserit. Potest autem hoc iudicium esse vel criminale, vt quando aliquis de aliquo crimine accusatur, quod actor sufficiẽter nequit probare per testes, ideoq; prouocat reum id negantẽ ad duellum, vt veritas hac ratione probetur: quod olim erat valdè frequens. aut etiam ciuile, vt quando agitur de quibusdã bonis, & nequit probari cuius sint, aut an reus actori verè aliquid debeat.

Quin-

Quintò, potest id cõmitti inter veros hostes vt hac ratione paucorũ strage,bellum finiatur,aut vt aliqui milites sua virtute aduersarios profligantes ostendant,hos non esse timendos,& ita suorum animos erigant, aut efficiant ne hosti sint contemptui: qua ratione Dauid iniit duellum cum Goliat. Sextò,ad reprimendam audaciã alicuius Deum blasphemantis,atq; ita ad propugnandam Dei gloriã. vt si Mahometanus diceret Christum esse impotẽtiorem Mahomete, nec posse suos contra cultores Mahometis protegere,idq; vellet duello probare.Septimò, si quis inimicum suum in arcto deprehensum vt fugere non posset,prouocaret ad duellũ, ipsum nisi id statim acceptaret ac se defenderet occisurus, & hic vt vitam suam tueretur id acceptaret suscipiendo arma ab alio oblata, aut se ad pugnam præparando,& deinde pugnando. sed tunc non est verè duellum, sed ex vna parte iniusta alterius inuasio,& ab altera iusta sui defensio; ideoque de hoc casu nequit esse dubium.

5 In tribus casibus duellum apertè illicitum est.

Satis autẽ cõstat Primò,in tribus prioribus casibus duellũ omnino illicitè suscipi. De primo patet,quia suæ vitæ periculo & aliena occisione velle suas vires ostentare, aut alijs spectaculum præbere, omnino barbarum & immane est trahens secum & corporis & animæ perniciem. Vt dicitur c.1.de torneamentis, & in Tridentino sess.25.c.19.de reformat. *Trident.*

De secundo casu prob. quia vindicta iniuriæ est illicita nisi fiat publica auctoritate & legitimo iudicij ordine,& ita vt solus nocẽs sine aliorũ periculo pro meritis puniatur; quæ in duellis non seruantur,quæ priuata auctoritate fiunt,& vtriusq; partis periculo; adeò vt in ijs tam passus iniuriam possit occidi, quàm is qui intulit, vnde etiam à iudice iniquè permitterentur.

De tertio casu id multi probant,quia recusare duellum eò quòd sit illicitum, non est ignominiosum apud homines prudentes & cordatos, sed solùm apud homines vanos & res suis momentis non expendentes, quorum iudicium contemnendum est.

6 Sed hæc ratio patitur difficultatem. Primò, quia multis locis vsu quantũuis reprehensibili, tamẽ à parte rei iam inductum est, vt si quis miles aut nobilis recuset oblatũ sibi duellũ, quantumuis dicat se id facere quia illicitũ est, habeatur ab omnibus ignauus & indignus nobilitate ac militia;ita vt nõnisi cum rubore inter nobiles aut milites comparere audeat,nec vlla sit ei spes vllius promotionis.Quod sine dubio valdè graue est,& à plurimis ipsa morte grauius æstimatur.Secundò,quia si quis militẽ aut nobilem inuadat, eum læsurus nisi se defendat ,potest hic illum si necesse sit occidere, quantumuis fugiẽdo possit omne incõmodum euadere, eò quòd fugere sit ei ignominiosum : ergo cùm prouocato ad duellum sit ignominiosum id recusare, poterit id acceptare vt vitet ignominiam.

7 Respõdent aliqui negãdo consequ. eò quòd recusare duellũ solùm sit ignominiosum apud homines vanos,secùs autẽ esse de illa fuga. Sed ego videre non possum,cur apud homines cordatos & prudentes debeat alicui verti ignominiæ, si malit sine vllo periculo inuasorẽ fugere, quàm cum periculo vitæ suæ ei resistere, aut eũ in peccato mortali existentem occidere, atque ita ad infernum mittere. Quinis enim vir cordatus talem ob eiusmodi fugam valdè laudaret.

Addũt aliqui,talem facilè sine acceptatione duelli posse euadere omnem infamiam,si dicat se id non recusare ob timorem mortis,sed præcisè quia illicitum est, aliàs se aduersarium non timere ; ipsumque hoc facilè experturum , si eum alicubi palàm inuadat.

Sed hoc remedium sæpè in eiusmodi locis ac casibus erit inefficax, cùm alij sibi persuadebũt, prouocatum solo metu à pugna prohiberi.

Nihilominus tamen omnino dicendũ est,ita 8
prouocatum etiam in dictis circũstantiis illicitè duellum acceptare. Primò,quia est communis Doctorum. Secundò,quia occisio alterius quãdo non fit iuridicè & legitima auctoritate , est omnino illicita , nisi quando est necessaria vt tueamur nos nostraq; contra iniustũ inuasorem nobis rebusq; nostris vim inferentẽ: atqui in dicto casu prouocans non inuadit vitam aliasve res prouocati, huic vim inferendo: ergo hic illicitè vult illum occidere,prout facit acceptando & demum committendo duellum.

Maior patet. Minor prob. quia prouocans nullam infert vim corpori prouocati, aut bonis eius siue diuitijs,vt per se patet: nec etiam famæ aut honori;quia hoc deberet fieri per detractionem aut contumeliã, quas prouocans nõ adhibet:sed solùm aliquid facit, quo alter ne peccet necessitatur recusare duellũ, ob quã recusationem in astantiũ animis,per accidens & ex horũ malitia prouocati æstimatio minuitur:quod ille multis casibus sine vlla huius vera iniuria facere potest.vt patet,quando aliquis alium prouocat ad æquales haustus in locis vbi habetur dedecori prouocanti non respondere. aut si domicella coram aulicis lubricis & Deum non curantibus inuitet iuuenem ad oscula aliáve minùs honesta.tunc hi inuitantes ponunt aliàsin necessitate aut peccandi, aut ab alijs ludibria patiendi, & tamen illi his nullam veram iniuriam inferunt.

Potest quis sine sua iniuria esse occasio cur à vanis hominibus vilipendaris.

9 Non omnis iniuriam faciens vim infert.

Adde, sæpè contingere vt aliquis alteri verã iniuriam faciat, & quidem cum graui eius damno coniunctã,& tamen nõ possit dici ei aut eius rebus vim inferre,ita vt patiens iniuriam possit illum priuata auctoritate vi ab ea continuanda cõpescere eum occidendo aut etiam lædendo. Patet,quando aliquis mihi debens multa millia non vult soluere,aut sua omnia inutiliter cõsumit,ita vt postea soluendo nõ sit:qui sine dubio mihi valdè iniuriosus est, nec tamẽ dicitur mihi rebusve meis vim inferre,nec possum eũ priuata auctoritate vi cohibere ne istud faciat,aut compellere vt mihi soluat;& si id facerẽ,non dicerer vim repellere, sed alterum inuadere, & hic me lædendo diceretur vim vi repulisse, etiam eo casu,quo aliter nequirem solutionẽ obtinere.

Ex quo patet, longè aliam esse rationẽ eius qui inuasorẽ occidit, quando non potest aliter mortem euadere,nisi cum dedecore fugiat ; & aliam eius qui prouocatur ad duellum , quia priori verè vis infertur,non tamen secundo.

Cur potiùs liceat inuasorem occidere,quàm acceptare duellum.

Probant hanc sententiam aliqui præterea, 10
quia si liceret in eiusmodi casu acceptare duel-

lum, sequerentur inde plurimorum cædes, aliaque damna ac animarum certa pericula, tum respectu prouocantis, qui cùm sit in peccato mortali, si occidatur, certò damnatur; tum etiam prouocati, quem sæpè etiam continget in peccato mortali occidi.

Sed hinc solùm sequitur, prouocantē grauiter peccare cui eiusmodi dāna sunt imputāda. Item acceptantē duellū tunc peccare quando probabiliter credit se esse in peccato mortali, & antequā duellum ineat non elicit contritionem, aut etiā non cōfitetur, si possit. Aliàs si in dicto casu acceptare duellū aliunde non esset illicitum, ob dicta incōmoda nō esset illicitū ei qui omnino sperat se esse in statu gratiæ, aut antequam id iniret confiteretur; nam ex bellis multò maiora sequuntur incommoda, & tamen ideò nō sunt illicita ex parte eius qui iustam causam habet.

11 Omnino tamen credo dicta incommoda esse sufficientia, vt acceptatio duelli in dicto casu quantumuis iure naturæ esset licita; posset iure positiuo prohiberi, ita vt hæc prohibitio obligaret etiā eos, qui sine eiusmodi incōmodis non possent oblata sibi duella non acceptare. Quia lex etiā humana potest obligare ad sui obseruationē etiā cum periculo nō solùm famæ, sed etiam vitæ, quando eius obseruatio est necessaria ad euitanda grauia reip. incommoda, & præsertim animarum pericula, prout contingit in obseruatione legis prohibentis eiusmodi duella.

Lex humana quandoque obligat cum periculo famæ & vitæ.

12 *Bañez. Nauarra. Sanchius.* Hinc etsi spectato solo iure naturæ nō sit improbabile quod docēt Bañez 2.2.q 64.a.7.dub. 4.cōcl.2.& in respōs.ad 2 Nauarra l.2.de Restit. c.3.n.289.& 290.Sanch.l.2.in præcepta c.39.n. 7.& alij; quādo inter duos lis agitur siue criminalis siue ciuilis, modò hæc sit magni momenti, & vnus conatur falsis instrumentis, aut testibus subornatis innocentē opprimere, hunc, si id ipsi certò constet, posse aliū secretò interficere, si id possit cōmodè facere, nec alia sit ratio euadēdi periculū, quod ipsi ab alio iniustè imminet: quia hæc occisio habet rationē iustæ defensionis cōtra iniustū inuasorem. Etsi, inquā, hoc spectato solo iure naturæ nō sit improbabile, tamē credo iure positiuo posse id prohiberi: atque adeò de facto esse prohibitū legis prohibētis homicidia ad hunc casum extēsione. vsu enim videtur receptū vt in quauis rep. bene cōstituta talis occisor deprehensus morte puniatur, nec credo vllibi admittendā esse excusationem, quòd id ob necessariā sui defensionē fecisset. Et meritò: nam si eiusmodi exceptio admitteretur, grauissimi inde sequerentur abusus: cùm enim litigantes cōmuniter sibi persuadeant se habere certum ius, quoties viderēt esse periculū ne causa caderent, facilè sibi persuaderēt, se aduersæ partis machinationibus iniustè opprimi, eumq; conarentur clàm tollere: & sic infinitis cædibus daretur occasio. Quare meritò ius positiuū eiusmodi cędes etiā in casu quo fortè iure naturę aliàs essent licitæ, prohibet ac morte punit. vide quæ de hac re in simili diximus to.2. de Sacram. disp.26.n.21.

Illicitè clàm occidis eum qui in iudicio conatur te calumniis opprimere.

13 *Illicitè occulta veritas exploratur duello. c.1. utpurg. c. Monomachiam.* Constat Secundò, duellū illicitè indici aut suscipi ad explorandam occultam veritatem, iuxta quartū casum n.5 positū. Patet ex c.1.de purgat. vulgari, & c. *Monomachiam.*2.q.4. Ratio est, quia id medium & in se crudele est, cùm alterius aut quandoq; etiā vtriusque morte constet, & ad talē finem omnino inutile; cùm sæpè innocētes in eiusmodi certamine occūbant, vt patet ex c.2. *de purgat.* c.1. de purgat. vulgari. Vnde etiā c. *Monomachiam.* citato, tales dicuntur tentare Deum, volēdo eum quantū in se est cōpellere, vt miraculosè seruando innocētem ostendat à quo stet veritas. idque sine vlla necessitate, cùm alia ratione lites finiri possint ac debeant, scilicet per legitimas probationes ab actore allatas; aut si in his deficiat, per absolutionem rei, prout iura præscribunt. c. Monomachiam.

Quare cōmuniter iam omnes fatentur grauiter peccare tā magistratus eiusmodi duella præcipientes aut permittentes, quàm etiam eos, qui aliqua ratione eorum sunt spontanea causa. 14

Dubium tamen est Primò, quādo in iudicio siue criminali siue ciuili actor deficiens in probatione petit à magistratu vt per duellū possit suā causam probare, & hic consentit, ita vt reus cogatur aut duellū suscipere, aut condēnari tanquā legitimè probatus reus, prout olim multis locis fuit receptissima cōsuetudo; vtrùm hic tūc licitè duellū accepter. Secundò, quando ei qui in iudiciū trahitur, constat actorem mala fide agere, & falsa instrumenta contra se fingere, aut falsos testes subornare, atque ita se necessariò causa casurum, nisi permittente id magistratu aduersarium ad duellum prouocet, vtrùm id licitè faciat in causa criminali, aut etiam in ciuili valdè magni momenti.

Quidam absolutè negant in his casibus licitè aut suscipi aut offerri duellum. Ita Abulensis 1. Regum c.17.q.vlt. Salon 2.2.q.64.ar.3.controuers.3. Siluester v. *Duellum.* q.2. & probabilius putat Malderus 2.2.q.41. 15 *Abulens. Salon. Siluester. Malder.*

Prob. Primò, quia si tunc licitè acceptaretur duellū, id fieret ob necessariam vitæ defensionē: atqui, cùm talis sponte accepter duellū, non est defensor vitæ, sed aggressor: ergo illicitè id facit. Secundò, quia committens duellū inuadit aduersarium, & conatur eum occidere indemnatū: hoc autem est illicitū: ergo, &c. Confirm. quia talis non posset sua sponte alterum extra duellū ob eam accusationem occidere: ergo nec potest id facere quando iudex mandat vt cū eo duellum ineat. Tertiò, quia talis exponit se periculo mortis; idque solùm ex coactione conditionata, quæ consistit cum voluntario. Quartò, quia talis vult per duellum explorare occultam veritatem; quod est tentare Deum; vt patet ex dictis n.13. Quintò, quia aliàs liceret etiam sacerdoti in eiusmodi casu suscipere duellū: atqui hoc est falsū: ergo & illud. Sextò, quia Trident. sess.25.c.19.de reformat. generatim omnia duella prohibet: ergo salt ē iam sunt omnino illicita. *Trident.*

Alij docent Primò, talem licitè suscipere duellum in causa criminali, quādo aliàs nequit euadere iniustam mortem aut mutilationem. Secundò, eum iniustè id suscipere, quando solū agitur de perditione bonorum temporalium. Ita Caiet. 2.2.q.95.a.8.circa solut.tertij. Nauar. c.11.nu.39.& alij. Probant, quia in priore casu accusator alterum iniustè inuadit gladio iudicis conando eum occidere, contra quem hic licitè se armis defendit, eligens incertum vitæ 16 *Caietan. Nauar.*

peri-

periculum præ certa morte. In secundo verò casu actor non inuadit alterum armis, quare hic non potest se armis defendere.

17 Tertiò, alij docent in vtroque casu licere ei, qui aut à iudice ad id modo iam dicto cogitur, aut falsis testibus ita opprimitur, non solũ suscipere oblatum duellum, sed etiã alteri hoc offerre, quãdo aliter nequit euitare, quin in re valdè magni momenti iniustè damnetur. Ita Bañez, Nauarra & Sanchez citati sup. n.12. Quãuis Nauarra solũ affirmet in ijs casibus licitè acceptari duellum, de prouocatione autem nihil dicat; ex eius tamẽ principijs, puto eum idem sentire de prouocãre, quãdo non est alius modus euadẽdi condemnationẽ. Et hãc sententiã credo veriorẽ.

Bañez. Nauarr. Sanchez.

18 Quòd autem dicta liceant in causa criminali quãdo reus nequit aliter euadere iniustam mortem aut mutilationem, probatur, quia secũdùm communẽ omnium sententiã licitè occidimus inuasorem quando id est necessariũ ad tuendã vitã aut membra nostra: atqui talis actor sua accusatione iniustè inuadit reum, & sine dubio eũ gladio iudicis occidet, nisi hic acceptando aut offerendo duellũ se tueatur: ergo hęc reo licent, etiamsi probabiliter mors accusatoris inde secutura sit. Confirm. quia si quis in me incitaret ferocem canem, aut sicarios, qui me certò essent occisuri nisi ipsum incitantem priùs occiderem, licitè id facerem si possem: ergo idem dicendum quando aliquis falsis accusationibus iudicem contra me incitat, à quo certò sim occidendus, nisi occidam accusatorem.

Licitè acceptas duellũ vt tea b iniusta morte liberes.

Nec hîc distinguendũ est inter reum suscipiẽtem & offerentẽ duellum; quia vtrumq; eodem modo hîc & nunc ordinatur ad necessariam sui defensionem contra iniustum inuasorem. quæ magis patebunt ex solutione argumentorum, quæ pro contraria sententia allata sunt n.15.

19 Ad primum, nego minorem. quia talis non sponte, sed alterius iniuria & metu mortis aliàs certò imminentis compulsus duellum suscipit. Nec refert quòd id liberè faciat; nam etiam is, qui defensionis causa occidit latronem se inuadentem, id liberè facit; & tamen hæc occisio non est inuasio, sed iusta defensio: ergo idem dicendum est de illo duello.

20 Ad secundũ, nego maiorem: nam, vt patet ex dictis, talis non est inuasor alterius, sed vitæ suæ defensor. Ad confir. quidquid sit de antecedẽte, quod multi graues Auctores citati n.12. negant; nego consequ. Primò, quia prius saltẽ per leges ei prohibetur, vt ostendi n.12. secùs est de secundo: nã hic agimus de locis in quibus publica auctoritate eiusmodi duella permittuntur; quod olim erat valdè frequens. quæ nequeunt ibidẽ iure ciuili prohiberi; nec etiã iure Ecclesiastico prohibẽtur ita cõpulso, vt infrà ostendã. Secundò, quia, etsi etiã spectato solo iure naturæ fortè sit illicitũ clàm occidere eiusmodi falsum accusatorẽ; inde tamen non sequitur esse illicitũ inire cum eo duellũ, præsertim publica auctoritate. Primò, quia prius sapit maiorẽ crudelitatem, & ãciuilibus moribus magis abhorret. Secũdò, quia ea ratione certò omnino sequitur mors accusatoris; in duello autẽ sæpè contingit alterutrum solùm vulneratum prosterni seruata vita.

Cur potiùs liceat calũniantem in iudicio prouocare ad duellum, quàm clàm occidere.

imò sæpè fieri potest vt accusator priùs pertinax aduertens periculum sibi ex duello iam imminens, ab inceptis desistat. Tertiò, quia si accusator ita clàm occidatur, certò mittitur ad infernum, cùm sit in peccato mortali: in duello autem, præsertim publico, rarò contingit aliquem ita subitò occidi, vt iam læsus non possit ante mortem confiteri, & ita saluari.

21 Ob has causas nullo modo possũ probare id, quod docet Nauarra suprà, scil. innocentem ita prouocatũ ad duellũ teneri id non acceptare, si possit accusatorẽ occultè occidẽdo omne periculũ euadere, eumq; tunc teneri hoc medium se liberandi eligere, ne acceptando duellum sit prouocanti occasio noui peccati sine necessitate: hoc enim non est tanti faciendum, præsertim cùm ille per ipsam prouocationẽ id peccatũ iam in voluntate commiserit. Et quãuis ratione duelli commissurus sit fortè alia peccata, tamen hoc minoris est momenti, quàm sit ipsius damnatio, quam clàm occisus certò incurret, & per duellum fortè euitabit.

22 Ad tertiũ, Respõdeo nos sæpè licitè nos exponere periculo mortis ad graue aliquod dãnũ euadendũ etiã in rebus temporalibus; aliàs nũquam pro his defendendis liceret se opponere grassatoribus, quoties id fieret cũ periculo vitę: imò illicita essent omnia bella quę pro dominio temporali gerũtur, cùm in ijs plurimi sint certò occidẽdi. Adde, in causis criminalibus accusatũ suscipiendo duellum, non exponere se periculo vitæ, sed dubium periculum præ certa morte eligere, atque ita se ex parte periculo eximere.

Ad quartum, nego priorem partẽ assumpti: talis enim suscipit duellum non tam vt probet se innocentem, quàm vt certam damnationem euadat, ac se contra inuadentem tueatur.

Ad quintũ, nego minorẽ: nec enim est vlla ratio cur sacerdoti eo casu non liceat duellum acceptare, quando aliàs tam quã conuictus de enormi crimine deberet infami morte plecti, hoc inquam illi licet, non quidẽ ita vt per se pugnet (quod starum eius valdè dedecet, nec necessarium est, ideoque multi negant hoc ei licere) sed vt alium suo loco pugnaturum substituat, prout in locis, in quibus viguit ea consuetudo, semper fuit permissum.

23 Ad sextum, Respondeo Trident. ibi solùm agere de veris duellis iure naturæ illicitis, & quorum vsus ex se detestabilis à diabolo introductus est; vt patet ex initio capitis. Pugna autem quam hîc dicimus licere, etsi ex parte tam iniusti accusatoris, quàm ipsius magistratus habeat rationem duelli iure naturæ & positiuo prohibiti, ex parte tamen rei, qui necessitate compulsus id suscipit, non habet rationem duelli, sed iustæ defensionis suipsius ac rerum suarum contra iniustum inuasorem.

24 Quòd autem dicta etiam liceant in causa ciuili magni momẽti, siue quãdo reus aliàs iniustè esset spoliandus magna ex parte omnibus fortunis; probatur, quia, vt bene docent Auctores citati n.12. & cum alijs Lessius de Iustitia c.11. licitè occidis iniustè conantem tibi eripere bona fortunæ magni momenti, quando aliter ea seruare nequis, vt apertè etiã habetur c. *Dilecto, 6.* c. Dilecto,

Lessius.

de sent. excommunic.in 6. vbi dicitur quemdam decanum licitè armis defendisse sua bona contra vim cuiusdam balliui ea inuadentis. Vt autem patet ex dictis, susceptio talis duelli eo casu est vera rerum suarum defensio contra iniustum inuasorem.

25 Ad argum. positum nu.16. Respondeo nos licitè nostra etiam armis defendere contra quēuis iniustum inuasorem conantem nobis ea eripere, qualis est talis actor; nam aliàs non liceret armis inuadere furem nostras res auferentem,quem tamen licitè occidimus quando aliter res nostras magni momenti seruare non possumus; vt cum alijs docet Lessius suprà.

Lessius.

26 Notandum res quas actor conatur nobis in iudicio eripere debere esse valdè magni momēti,vt propter eas licitè suscipiamus duellum; nā aliàs imprudenter pro ijs seruandis & nostrā & alterius vitam periculo exponimus. Imò puto debere notabiliter maioris esse momenti quàm sint eæ, quæ sufficeret vt quis armis aggrediatur eū,qui extra iudicium eius bona vi inuadit:tum quia hic maiorem magistr; apertam iniuriam infert, quàm alter; tum etiam quia defensor cōmuniter minore suo periculo oppugnat eiusmodi inuasorem;quia potest in hoc vti melioribus armis & aliorum auxilio,& conari alterum ex improuiso aggredi. Suscipiens autem duellum solus & paribus armis debet alterum ad id paratum aggredi.

27 Ex dictis satis patet illicitè suscipi duellum in sexto casu ex recensitis n.4. quia hoc fieret ad probandam controuersam veritatem;& postularetur à Deo vt miraculosa sua protectione palàm faceret vter foueret iustam causam. quod esset tentare Deum,vt patet ex dictis n.13.

Illicitè suscipis duellum contra blasphemantē.

28 In quinto autem casu quidam negant ea duella licitè vmquam suscipi. Sed communior & verior sententia docet,id licitè fieri in ijs circumstantijs,in quibus creditur aut necessarium aut valdè vtile ad bellum feliciter finiendū, aut promouendum:vt si iustā causam fouens crederet se totō exercitu non posse nisi cum suorū periculo ac strage confligere;& speraret se singulari aut paucorum cum paucis conflictu posse minore periculo bellum feliciter conficere. Item quando credit eiusmodi paucorum inter se cōflictu se posse aut suorum animos aliàs deijciēdos multùm erigere,& contrà hostium audaciā comprimere;licitè eiusmodi conditiones, aut ab hoste oblatas acceptat, aut etiam ipse offert: nam cùm licitè bellum gerat,potest id facere eo modo aliàs non illicito, quem hīc & nunc credit magis commodum: nec vlla est ratio cur minùs ei liceat confligere sola parte exercitus, quàm toto:& sicut potest totum exercitum exponere dubijs belli casibus,ita etiam partem. Nec refert, quòd alij milites se obligent non succurrere socijs periclitantibus; quia hoc iustis ex causis licet; præsertim cùm pugnaturi sponte ad id se offerant, easque conditiones suscipiant. vide Sanchez suprà n. 13.

Sanchez.

29 Nota suscipientibus iniusta duella, aut in ea consentientibus grauissimas pœnas à Tridentino sess.25.c.19. de reformat. esse statutas: Primò enim principes cuiuscumque dignitatis cōcedentes locum securitatis duellum ineuntibus sunt ipso facto excommunicati.Secundò,si locum,siue castrum siue ciuitatem, in quibus vel apud quæ duellum permittunt, ab Ecclesia aut ab alijs feudi nomine obtineant,eius dominio priuantur, idque redit ad dominum directum. Tertiò,duellum ineuntes & eorum patrini sunt excommunicati,perpetuò infames,& vt homicidæ puniendi, & eorum bona fisco addicta. Quar.ò, in eo occisi carent Ecclesiæ sepultura. Quintò, qui auxilium aut consilium ad duella dederint, aut ea alicui suaserint, aut spectatores se præbuerint (scil. ex cōposito & ita vt in duellum censeantur consensisse, vt patet ex motu Gregorij XIII.infrà citando.& docēt Nauarr. c. 15.n.9.&Sanch.sup.n.31.)sunt excommunicati.

Trident. Pœnæ duellantium. *Nauarr.* *Sanchez.*

Quamuis autem Concilium solùm loquatur de solemnibus duellis,tamē Gregorius XIII.in bulla quæ incipit: *Ad tollendam detestabilem.* promulgata anno 1582.dicta extendit ad duella priuata, siue non solēnia.Plura hac de re vide apud Sanchium sup.n.18.& sequentibus;vbi has pœnas tum ex Tridentino, tum ex bullis Gregorij XIII. Pij IV.& Clementis VIII. fusè explicat.

Sanchez.

DVBIVM III.

Quid sit seditio?

DE hac tractat S.Thomas q.42. docetq; seditionem esse speciale peccatum pacī ac caritati contrarium; quia quietem communitatis politicæ turbat, & ita eius bono aduersatur: quod cùm sit graue malum, bene infert id ex genere suo esse peccatum mortale. 30 *D.Thom.*

Est autem propriè seditio quando partes vnius communitatis inter se dissentiunt, vnaq; se ab altera ei aduersando eamque tentans oppugnare seiungit; ita vt quæque ab altera seorsim eat. vnde volunt seditionem ita dictam quasi seorsim itionem.

Differt autē à discordia,quia hæc est aliquid generalius,& significat propriè dissensionem animorum tam in spiritualibus quàm in temporalibus: seditio autem externam dissensionem significat inter partes eiusdem communitatis temporalis, & quidem talem quæ ad pugnam tendit. vnde differt etiam à schismate, quod significat dissensionem in communitate spirituali; & à rixa, quæ solùm est inter paucos,nec respicit membra eiusdem communitatis.

Quomodo seditio differat à discordia, schismate, & rixa.

DVBIVM IV.

Quid sit scandalum, & quale peccatum?

DE hoc tractat S.Thomas 2.2.q.43.Vbi a.1. ex commentarijs S.Hieronymi super c.15. S.Matth. definit scandalum esse dictum vel factum minùs rectum (siue quod ob aliquam circumstantiam à debita rectitudine deficit) præbens occasionem ruinæ. Ex quo patet,scandalū solùm posse consistere in actibus externis, & quidem coram alijs factis; quia aliàs nequeunt alicui esse occasio ruinæ. Vbi etiam ar.2. distinguit scandalum, in actiuum, quod dicta definitione describitur;& passiuum, quod nihil est aliud,quàm ipsum peccatum, ad quod committendum aliquis alieno facto inducitur. 31 *D.Thom. Hieron.*

Scandalum in solis actibus externis esse potest. *Scandalum actiuum quid sit.* *Quid scandalum passiuum.*

Præ-

32 Scandalum aliud per se, siue datum.

Præterea a.1. ad 4. notat vnius factū dupliciter posse esse alterī occasionem ruinæ siue peccādi. Primò, per se, vt sit quādo aliquis coram alijs aliquid facit, aut ea intentione vt inducat eos in peccatum; aut quod sit peccatum vel peccatum appareat, ideoq; ex se sit natum spectātes ob eorum infirmitatem inducere in peccatum. & hoc dicitur scādalum datum ex parte agentis; & ex parte patientis scādalum pusillorum. Secundò, merè per accidens; vt quando aliquis ex alterius facto ex se non inductiuo ad peccatum, & præter operantis intentionem ex sua malitia accipit occasionem peccandi: & dicitur scandalum Pharisaicum, siue scādalum acceptum, & non datum. Ex quibus infert, posse aliquando esse scādalum passiuum sine actiuo, vt in hoc vltimo casu: & quandoq; scandalum actiuū sine passiuo, quando quis facit opus natum scādalizare, & tamen de facto nemo scādalizatur: quādoque autem vtrumq; esse simul, vt quādo aliquis ex eiusmodi opere scandalizatur.

Aliud per accidēs, siue acceptum & Pharisaicū.

Potest esse scandalum actiuum sine passiuo, & contra.

33 Quæ requirantur ad rationem scandali.

Ex quibus patet Primò, ad rationem scandali nō sufficere quòd aliquis ob factum alterius incipiat de eo habere malam opinionē, iudicando eum esse hominem impudicum, ebriosum, &c. quē prius putabat esse virum pium; quia hoc potest fieri sine peccato proximi; sed requiritur vt vnius factū sit alterī occasio peccandi. Quod fit tripliciter. Primò, quando vnus alterius exēplo inducitur ad simile peccatum committendum. Secundò, quando quis alteri persuadet vt peccet. Tertiò, quando vnus ob alterius peccatum concipit malam opinionē aut de religione Catholica (vt fit quando infideles vident Catholicos grauia aliqua peccata committentes, indeq; colligunt Catholicos vel omnes, vel magna ex parte esse nequam, atq; adeò nostram religionē esse malam) aut laici incipiunt malè sentire de personis Ecclesiasticis vel Religiosis; & quia vident aliquos ex ijs grauiter peccantes colligunt eos magna ex parte esse tales; & ita paulatim statum Ecclesiasticum aut Religiosum contēnunt, & minùs erga pietatē afficiuntur. Qua ratione multi sæpè à fide Catholica ad hæresim deficiūt: imò hæc fuerunt præcipua argumenta quibus Lutherani & Caluinistæ indoctis hominibus apostasiam à fide persuaserunt.

34 Magnorum peccata maximè nata parere scandalum.

Vilium non ita.

Ex quibus patet Secūdò, eorum peccata qui apud alios in auctoritate, aut pietatis æstimatione sunt, maximè esse nata parere scandalum, si coram alijs fiant; peccata autē vilium hominum rarò scandalum parere, nisi ipsi simul adhortatione aut irrisione alios ad peccādum incitent.

Quando scādalum sit peccatum mortale; quando veniale.

Patet Tertio, scandalum actiuū semper esse peccatum mortale, si inducat ad peccatū mortale, & sufficiens adsit aduertētia; nam si (vt ostendi disp.28.n.15.) teneamur sub peccato mortali impedire alterius peccatum mortale, multò magis tenemur ei non dare occasionē, quando id vitare possumus. Quòd si desit sufficiens aduertentia, aut si alter tantùm sit inducendus in peccatum veniale, scandalum tantùm erit peccatum veniale; nisi fortè in vno casu, de quo agam n.51. Ita cum communi sententia D. Thomas suprà a.2.

D.Thom.

DVBIVM V.

Quid requiratur vt scandalum sit speciale peccatum contra caritatem?

NOta Primò, aliquem ex triplici intentione posse alterum scandalizare. Primò, directè intendendo ipsam ruinam siue mortē spiritualē proximi, siue ideò cupiendo eum hoc aut illud peccatum committere vt reatum illius incurrat. Secundò, directè intendendo eum inducere ad actum malum, non tamen quia hoc ei malum est, siue vt ipse peccati reatum incurrat, sed ob alium finem: vt quia ipse sine alterius ope nequit perficere actum quē cupit committere; qua ratione vnus alium aut aliā inducit, vt secū furetur aut fornicetur. Tertiò, faciēdo aliquod peccatū, aut speciē peccati habēs, quo credit alium inducendum ad peccatum, nullo tamen modo id expressè intendendo, sed solùm interpretatiuè, quatenus vult facere id, ex quo videt alterū sumpturum occasionē peccandi. Fatentur autē communiter omnes DD. omnē inducentem alterum aliquo ex dictis modis ad peccandum peccare, teneriq; hoc expressè & distinctè confiteri; nec in his aut in modo illud peccatū confitendi inter se dissident, vt bene notant Bañez & Lorca infrà citandi. Quare restat solùm difficultas magis speculatiua quàm practica, quænā ex dictis intentionibus requiratur aut sufficiat vt scandalum sit speciale peccatum contra caritatem. in qua variæ sunt sententiæ.

35 Triplex intentio scandalizantis.

36

Prima docet, vt scandalum sit speciale peccatum cōtra caritatem, semper requiri primam intentionē. ita Angelus v. *Scandalum*, n.2. in fin. Zecchius in Summa morala, p.1. tract. de caritate c.21.n.5. fauetq; Durand. in 3.d.38.q.3.a.3. & quidam alij. Pro eadē sententia plures citant D. Thom. sup. a.3. & in 4.d.38.q.2.a.2. quæstiunc.2. vbi dicit, vt scandalum sit speciale peccatū, ruinam proximi debere intēdi. Alij tamen respondent eum loqui de intentione interpretatiua; qua ratione censetur velle ruinam proximi qui aduertēs facit aliquid natum alterum ad lapsum inducere. Colligunt id ex a.1. ad 4. vbi tale scādalum vocat scandalum per se; & a.3. in corpore absolutè docet, scandalum per se habere speciale malitiam, & in eo intendi ruinam proximi. & in fine articuli ait: *Vnde sicut furtum est speciale peccatum, aut homicidium, propter speciale nocumentum proximi quod intenditur; ita etiam scandalū est speciale peccatū, propter hoc quòd intenditur speciale proximi nocumentū.* Vbi apertè significat, vt scandalū sit speciale peccatum, nocumentum proximi non aliter debere intendi, quàm debeat intendi in furto & homicidio, vt hæc sint specialia peccata: atqui in his sufficit hoc intendi interpretatiuè, vt patet in homicidio solùm voluntario in causa, & communiter in omni furante, qui id facit non vt alteri damnum inferat, sed præcisè vt rem illam habeat; vnde si fieri posset cuperet alium suo furto nullum dānum pati. Hinc etiam D. Thom. in 4 loco sup. citato in respons. ad 3. docet scandalum accipere speciē ex fine ad quē ordinabile est: insinuans id non debere expresso actu ordinari in damnum proximi, vt ex eo speciem accipiat; sed sufficere quòd ex se natum

Angelus. Zecchius. Durand.

D.Thom.

D.Thomas.

sit causare ruinam proximi, atque ita ad eam sit ordinabile.

37 Dicta autem sententia probatur Primò, quia scandalum potest dari per quoduis genus peccati: ergo non est speciale peccatum: nisi ruina proximi expresse intendatur. Secundò, scandalum passiuum alias non est speciale peccatum: ergo nec actiuum. Tertiò, quia si scandalum ratione dani spiritualis, quod proximus incurrit, esset speciale peccatum, etiam quando hoc expresse non intenditur, deberet alicui virtuti speciatim opponi: sed hoc dici nequit: ergo non est speciale peccatum. Minor prob. quia nec opponitur iustitiæ, quia cùm scandalizatus sponte peccet, nulla ei fit iniustitia. nec etiam caritati Dei aut proximi, quia vt aliquis actus sit actus caritatis in Deum aut proximum, eliciès debet in eo expresse intendere bonum Dei aut proximi: ergo vt aliquis actus sit directè contra caritatem Dei aut proximi, in eo expresse debet intendi malum Dei aut proximi. Quartò, quia alias sequeretur, eum qui suo facto aut suasione inducit alium vt hominè occidat, grauiùs peccare eo qui per se alium occidit: hoc autem est falsum: ergo & id vnde sequitur.

Addunt aliqui ex dictis Doctoribus, quando in scandalo non intenditur ruina proximi, illud esse peccatum eiusdem speciei cum peccato ad quod alter inducitur; v.g. contra iustitiam, si hic inducatur ad furtum, &c.

38 Alij docent Primò, scandalum esse speciale peccatum contra caritatem, quando proximi ruina expresse intenditur. quod per se patet.

Secundò, quando proximus scandalizatur per actum ex se alias non malum, sed tantùm habentem speciem mali, tunc illum actum reductiuè esse speciale peccatum contra caritatè: quia cùm tunc aliunde non habeat malitiã, primam malitiæ speciem accipit ex ruina proximi.

Tertiò, secùs aiunt esse quando actus, quo proximus scandalizatur, ex se malus est: quia tunc ex suo obiecto habet primã speciem malitiæ; quare ea quæ ipsi accedit habet solùm rationem circumstantiæ. Ita Caiet. in Sum. v. *Scandalum*. & Bañez 2.2.q.43 a.4.dub.1.& alij.

Caietan. Bañez.

Sed dicta ratio ac differentia in secundo & tertio casu data nullius est momenti; quia quòd actus habeat ex obiecto specialè malitiã, nullo modo impedit quin ex circumstantijs aliã specialem contrahat, quantumuis hæ non intendãtur. nam fornicatio habita in loco sacro contrahit specialem malitiam sacrilegij non minùs quàm actus coniugalis ibidem habitus.

39 Pro resolutione tam huius quàm quarundã aliarum difficultatũ, Nota Secundò, hæc valdè esse distincta; *Hic actus ex tali circumstantia cõtrahit specialem malitiam*; &, *Hic actus ex tali circumstantia contrahit malitiam quia ab alijs actibus malis distinguitur, siue quæ in alijs actibus malis non reperitur*. nã fieri potest vt aliqua circumstãtia reperiatur in omnibus actibus malis, & hi tamen ab ea accipiant aliquam malitiam specialiter alicui virtuti repugnantem, quam non haberent si illa circumstantia abesset. v.c. omne omnino peccatum est à Deo prohibitũ, ideoq; eum offendit, atq; adeò hoc est commune omnibus peccatis; & tamen singula hinc contrahunt specialè malitiã obedientiæ Deo debitæ repugnantem, quã non haberent si per impossibile Deus ea numquã prohibuisset, nec ijs offenderetur. Item omne peccatum adfert homini aliquod nocumentum spirituale, quod ipse ex caritate sui tenetur vitare, & tamen hinc contrahunt specialem malitiã, quam non haberét, si ex ijs tale nocumentum non sequeretur. Quis enim dubitat, quin peccata nostra sint contra obedientiã Deo debitã, ita vt ea committèdo simus verè Deo inobedientes? Item quin omnia, præsertim mortalia, sint contra caritatem Dei, quæ sicut nos obligat ad amãdum Deum supra omnia, ita nos obligat ne faciamus aliquid ipsi tãtopere displicès, & quod cum eius amicitia nequit cõsistere? Imò, vt ostendi to. 2. de Sacram. disp. 2. dub. 3. & disp. 10. dub. 2. omne peccatũ mortale hinc accipit quòd sit infinitę malitiæ, & pœnã absolutè infinitã mereatur: quæ non haberet, si Deus illo nullo modo offenderetur. Si enim furtum v.c. nullo modo à Deo prohiberetur eiúe displiceret, quãtumuis pergeret non minùs quàm modò, repugnare iustitiæ; tamen nullo modo mereretur pœnã æternã; & consequenter non contraheret omnem malitiã, quam modò cõtrahit. Item si Deus nollet propter furtum priuare hominem vita spirituali; fur longè minùs peccaret contra caritatem sui quàm iam peccet. Si enim grauiter peccet contra caritatem sui, qui sine iusta causa facit aliquid, ex quo scit sibi certò imminere mortem corporis; quomodo non peccabit contra caritatẽ sui, qui facit aliquid ex quo scit sibi certò imminere mortẽ animæ, quæ morte corporis sine comparatione peior est, quamq; ideò longè magis etiã tenemur vitare? Quia tamen hæc circumstantiæ omnia peccata, præsertim mortalia, afficiunt; inde fit quòd nulli tribuant aliquam malitiam, qua ab alijs peccatis mortalibus distinguatur.

Omne peccatum est contra obedientiam.

Peccata non mereretur æternã pœnam, si non prohiberetur à Deo.

Nota Tertiò, aliquod peccatum dupliciter posse alicui virtuti repugnare. Primò, præcisè, quia repugnat eius præceptis siue obligationi; quã nobis ea virtus inducit. Sic omne peccatũ, præsertim mortale, est contra caritatẽ & obediẽtiam Deo debitã, & omnis actus, quo sine iusta causa infertur proximo nocumentum, est cõtra eius caritatẽ. Secundò, quia nõ solùm obligationi siue præceptis virtutis, sed ipsi virtuti secùndùm se directè cõtrariatur: qua ratione odium Dei aut proximi contrariantur caritati Dei & proximi; & facere aliquid quia prohibitum est, aut omittere quia præceptũ est, repugnat obedientiæ. Quia autem hæc peccata continẽt specialem quandã repugnantiam cum virtute, quã non continent priora; ideo hæc dicuntur specialem malitiã contra illã virtutem continere, & priora solùm generalem. Cum quo tamen optimè consistit, quòd priora contineant etiam veram repugnantiam cum dictis virtutibus, & consequenter inde veram malitiam contrahant distinctam ab omni malitia, quam aliunde fortè contrahunt. patet ex iam dictis. 40

Peccata dupliciter virtuti repugnant.

Quædã specialis malitia reperitur in omni peccato.

Confirm. quia qui omittit procurare bonum Dei aut proximi quando ad hoc ex caritate tenetur, peccat cõtra caritatem Dei aut proximi, & 41

& specialem inde contrahit malitiã: ergo idem dicendum quando aliquid facit, ex quo sequitur aliquod malum Dei aut proximi; quale est omne peccatum, præsertim mortale, respectu caritatis Dei.

Respondent aliqui illud solùm esse verum in peccatis omissionis, non autem in peccatis cõmissionis. Sed huius differentiæ nulla potest probabilis reddi ratio; & contrarium prob. Primò, quia caritas Dei & proximi non minùs prohibet inferre malum Deo aut proximo, quàm id non impedire: ergo illud nõ minùs repugnat caritati, quàm hoc. Secundò, quia qui sine iusta causa facit aliquid ad quod habet ius, ex quo videt secuturum nocumentum proximo; vt si creditor, cùm sine notabili suo incõmodo posset diutiùs carere sua pecunia, cogat debitorem vt cũ magno suo incommodo statim sibi soluat; talis inquã peccat speciali peccato contra caritatem, idque actu positiuo, etiãsi non intendat expresè proximi incommodum: ergo vt quis actu positiuo committat speciale peccatum cõtra proximi caritatem, non est opus vt proximi damnum intendat.

Nec potest dici hoc solùm habere locum in actibus, qui aliàs ex obiecto suo non sunt mali; secùs autẽ esse in actibus ex obiecto malis, quia, vt ostendi n.38. nulla est ratio cur actus ex obiecto suo malus non tã possit ex circumstantijs contrahere specialem malitiam, quàm actus ex obiecto suo non malus. nec enim caritas minùs prohibet per vnum actum, quàm per alium dare occasionem damno proximi.

42 Dices, Hinc sequitur in quouis peccato contineri varias malitias specie distinctas, atq; adeò quoduis peccatum virtute cõtinere multa peccata diuersæ speciei, v.c. furtum esse Primò, contra iustitiã quatenus est iniusta vsurpatio rei alienæ; Secundò, contra caritatem proximi quatenus huic est dãnosum; Tertiò, contra caritatem Dei quatenus ei displicet; Quartò, contra eiusdem obedientiã quatenus ab eo prohibitũ est; Quintò, contra caritatem qua peccãs se tenetur amare, quatenus peccando priuat se vita spirituali; Sextò, contra gratitudinem Deo ob accepta beneficia debitam.

43 In omni peccato cõtinẽtur plures malitiæ. Respõdeo concedendo totum, nec hoc vllo modo esse absurdũ, sed veritati ac rationi maximè consonũ: vt satis patet ex dictis n.39. Hoc solùm addam, clarum esse apud omnes Petrum inferendo Paulo contra iustitiã aliquod damnum ceteris paribus grauiùs peccare, quo magis obligatur hunc amare: quod non potest aliũde oriri nisi quia grauiùs peccat contra caritatem ei debitam: nam si in eo facto spectemus præcisè rationem iniustitiæ, ille æqualiter contra iustitiam peccat, siue multùm, siue parum teneatur Paulum amare.

Ex quo apertè sequitur, idem peccatũ posse esse contra iustitiã & contra caritatem proximi; & ex vtroq; capite diuersam malitiã contrahere. Itẽ quis non videat nostra peccata cõtrahere singularẽ aliquam malitiã per hoc, quòd offendant Deũ à quo tot beneficia accepimus, quam non contraherent, si aut ipse his non offenderetur, aut nulla ab eo beneficia accepissemus?

Ex dictis patet id, quod S. Thomas quibusdã locis docet, sc. vt aliquod opus sit speciale peccatum contra obedientiã aut gratitudinem, requiri, vt id fiat quia prohibitũ est, aut in despectum beneficij accepti; non ita intelligendum esse quasi aliàs illud opus non contraheret verã malitiam inobedientiæ aut ingratitudinis formaliter omnino distinctã ab omni alia malitia: sed quia aliàs non contraheret specialem illam malitiam inobedientiæ aut ingratitudinis, quæ non solùm præceptis illarũ virtutum, sed directè ipsis virtutibus opponitur, quamque nulla alia peccata contrahunt, quæ dicto modo non fiunt. Confirm. quia quando aliquis post multa ab alio homine accepta beneficia omittit ei referre gratias prout tenetur, aut facit aliquid aliàs non malum, benefactori tamen ingratum, quodq; ideò teneretur omittere: etsi hæc non faciat vt ostendat se beneficia accepta contemnere, tamen verè peccat immediatè contra aliquam virtutem; non contra aliam, quàm contra gratitudinem: ergo potest quis speciali peccato peccare immediatè contra gratitudinem sine suprà dicta intentione. 44 *D. Thom.*

Similiter hominem sæpè peccare immediatè contra obedientiam, & consequenter peccato speciali inobedientiæ, sine eiusmodi intẽtione, ostendi to.2. de Sacram. disp.7. dub.4. Quia tamen omnia nostra peccata sunt contra obediẽtiam ac gratitudinem Deo debitam, ideo quandoq; dicuntur sine eiusmodi intentione non constituere speciale peccatum contra obedientiam aut gratitudinem, quia sine ea non contrahunt specialissimam illam malitiam, quæ in alijs peccatis non reperitur. His positis sit

Conclvs. 1. Vt aliquis actus sit speciale peccatum scandali contra caritatem, sufficit quòd videns proximum inde sumpturũ occasionem peccandi eum nihilominùs sine iusta causa faciat, siue illud opus sit aliàs malum, siue non. Ita Petr. Soto l.9. de Confess. sub finem. Siluest. v. *Scandalum*. q.2. Valentia to.3. disp.3. q.18. punct. 2. Lorca 2.2. sect.3. disp.56. qui alios plures citãt. 45 Potest esse peccatum scandali sine explicita intẽtione ruinæ proximi. *Petr. Soto. Siluester. Valentia. Lorca.*

Patet ex dictis, quia cùm caritas nos obliget vt quantum commodè possumus, impediamus peccatum proximi, vt patet ex dictis de correptione fraterna, multò magis nos obligat ne sponte demus ei occasionem peccandi: atqui non impediendo peccatum proximi cùm facilè possumus, peccamus speciali peccato contra caritatem: ergo eodem modo peccamus dando ei sponte occasionem peccandi.

Confirm. quia, vt omnes fatentur, qui suo facto, siue aliàs malo siue indifferẽti, dat sponte siue sciens sine iusta causa alteri occasionẽ peccandi mortaliter, ex eo contrahit nouam malitiam mortalẽ in confessione exprimendam; quã sine eiusmodi circumstantia non contraheret: atqui ea non est immediatè contra aliam virtutem, quàm contra caritatem Dei & proximi, qua obligatur vtriusque malum quantum commodè potest vitare: ergo contra hanc virtutem specialem malitiam contrahit. 46

Minor patet, quia si illud peccatum, ad quod ille præter suam intentionem alterum suo facto inducit, esset præcisè contra castitatem, aut temperan-

perantiam,aut similem virtutē, nec vllo modo Deo displiceret, aut proximo peccāti aut alteri vllum malū inferret; ipse præcisè per hoc quòd hunc suo facto ad peccatū induceret, aut nullo modo,aut non nisi leuiter peccaret. nam etsi eiusmodi virtutes grauiter nos obligent vt vitia ipsis contraria nullo modo committamus, siue per nos,siue per alios,hæc ijs suadendo aut mādando:tamen vt summū ex aliqua decentia nos obligāt,vt ea in alijs impediamus, aut ne simus ijs præter intentionē occasio ea cōmittendi. vt ostendi disp.28.n.11.12.13. Confirm. quia aliàs qui suo facto esset Petro occasio furandi à Paulo,hoc ipso, & quāuis eius opus aliàs nullo modo esset iniuriosum Paulo, cōmitteret iniustitiā in Paulum,& in defectum Petri teneretur huic restituere ablata,non minùs quàm si Petro suasisset furari à Paulo,aut eum modū hoc faciendi docuisset: illud autē est apertè absurdum: ergo & id vnde sequitur.vide dicta sup.loco iā citato.

Castitas similesq; virtutes nō obligant me grauiter vt vitia ijs contraria in alijs vitem.

47 Conclvs.II. Per hoc præcisè quòd quis suo facto expresè intendat alium inducere ad peccandū,ipsius opus non cōtrahit propriè nouam malitiā in ratione scandali,sed illius peccati ad quod proximum intendit inducere , aut etiam odij erga proximum,si huius ruinā , qua talem siue qua ipsi malā intendat. Hāc conclusionem Auctores citati n.45. expresè quidem non tenent,puto tamen esse ex eorum mēte,& satis sequitur ex iam dictis, & ex ipsa scādali definitione ex D.Hieronymi & D.Thomæ sententia allata n.31.quam omnes communiter approbant.

Ex qua patet Primò, malitiā scandali in hoc consistere, quòd opus aliquod sit natum hîc & nunc aliquo modo causare proximi ruinā eum inducendo ad peccandum. Secundò,cùm soli actus externi possint alios ad peccandum inducere,hos solos per se continere malitiam scandali , internos verò actus solùm quatenus eorum sunt causa,quia non aliter possunt causare ruinam proximi.

Actus externus habet malitiam intrinsecam distinctā ab ea quam accipit ab interno.

Deinde Nota ex dictis disp.3.dub.3.actus externos intrinsecam suam malitiam moralem, quam quā solùm materialem, habere propriam & distinctam à malitia, quam accipiunt ab actu interno ratione finis ad quem ordinantur,quæ ijs extrinseca est.

48 *Quòd actus meus externus sit natus parere scandalum nullo modo pēdet ab intentione.*

Prob.igitur prima pars conclusionis,quia siue meo facto expresè intēdam alium inducere in peccatum,siue id non intendam, si actus externus eodem modo fiat secundùm omnes externas circumstantias, eodem modo erit natus inducere proximum ad peccatum,itaq; causare eius ruinam: ergo eodem modo contrahet malitiam scandali. Prob.Secundò,quia,vt iam ostendi, opus externum per hoc præcisè quòd sit natum inducere alios in ruinā,est propriè scandalosum,& contrahit malitiam scandali,quæ ei intrinseca est,& ex qua voluntas, qua tale opus est volitum,contrahit malitiā ex obiecto.Item, vt ostendi dictâ disputat. 3. dub.3. intentio qua opus externum fit non mutat huius malitiam intrinsecam: ergo cùm malitia scandali sit propriè immediatè in actu externo, & ab hoc vt ex obiecto deriuetur ad internū, quacumq; intētione opus externū fiat, si respectu proximi æqualiter sit inductiuum ad peccatum,æqualem habebit malitiam in ratione scandali.

Secunda pars prob.quia eodē præcepto quo vetamur aliquid facere, etiā prohibemur velle id fieri: atqui hoc ipso quo aliquis intendit alterum inducere ad aliquod peccatum ipse vult hoc ab ipso fieri:ergo peccat contra idem præceptum,contra quod peccat hoc faciens. 49

Nota,hoc dupliciter fieri posse.Primò,ita vt vnus expresè suadeat alteri vt faciat tale aut tale peccatum, aut doceat eum modum quo hoc facere possit;& tunc ipse externus actus secundùm se,& præscindendo ab illa intētione participat malitiam illius peccati ad quod alter inducitur: atq; adeò externus actus ita inducentis aliū vt faciat mihi iniuriam,est mihi secundùm se iniuriosus,& obligat ad restitutionem damni secuti. Secundò,ita vt actus exterior secundū se non spectet ad vitium,ad quod alter inducitur : vt si quis cum alio comportando sit ei causa consumendi omnes suas pecunias,probabiliter sciens eum ideò postea furaturū alienas, & hoc etiam intendat , nullo tamen modo id ei suadendo,eumúe ad hoc incitando. Quo casu exterior cōportatio secundùm se & intrinsecè non est contra iustitiam , nec illi à quo alter postea furatur vllo modo iniurius; sed solùm est cōtra iustitiam denominatione extrinseca ratione intentionis,qua imperatur, ideoque non inducit obligationem restituendi; quia ad hanc nō sufficit intentio nocendi , nisi sequatur aliquis actus externus,qui secundùm se sit alteri iniuriosus ac iniusta causa damni. vt cum alijs bene docet Lessius de Iustitia c.9.dub.16.n.113.

Intentio nocendi non inducit obligationem restituendi.

Lessius.

50 Tertia pars conclusionis , scil. intentionem qua quis directè & expresè intendit ruinā proximi,qua talem,siue qua malam proximo, esse verum actum odij erga proximum , prob.quia sicut velle bonum proximi qua tale in hoc sistēdo, est actus amoris erga proximum;ita similimodo velle ei malum qua tale, est actus odij erga eundem: vt ostendi disp.29.n.15.

Dices,ad actum odij non sufficere quòd velim alicui malum,sed requiri vt id velim ex displicentia personæ: talis autem potest ita expresè velle ruinam proximi non ex displicentia personæ,sed ob alias causas:ergo,&c.

Respondeo nego minorem. vbi Nota, dupliciter aliquem posse intendere siue velle tur- nam siue spiritualem siue corporalem proximi. Primò,solùm interpretatiuè & in causa,quatenus ob delectationem aut vtilitatem quā inde sperat,cupit eum inducere vt faciat aliquem actum cum quo illa necessariò coniuncta est,interim cupiens,si fieri posset,ipsum hunc facere sine vllo peccato: qua ratione omnis peccans vult suam ruinam.Secundò,expresè & directè secundùm se optando ruinam seu mortem spiritualem proximi,ita vt velit eum hoc vel illud facere vt ruat siue peccet:& hoc fieri nequit,nisi ex odio ipsius Dei aut proximi.quia sicut hoc ad alios fines nequit esse vtile, nisi vt Deo aut proximo ægrè sit,ita nequit ob alios fines appeti,nisi fortè quis id velit vt placeat diabolo. quo casu aliam speciem malitiæ contraheret : sed tunc non vellet eam ruinam in ea sistendo,

Ruina proximi dupliciter intensiū potest.

sed

sed quatenus ad alium finem est vtilis.

Sed quacumq; intentione ex iam dictis quis velit ruinam proximi, patet eum contrahere malitiam distinctam à scandalo.

51 Hinc etiam patet solutio alterius quæstionis, quam hîc multi proponũt; vtrùm sit peccatum mortale alterum inducere ad peccatum veniale expresè ipsius ruinam siue peccatum quatale intendendo. Respondendum enim est affirmatiuè: quia talis intentio necessariò procedit aut ex odio Dei vel proximi, aut ex desiderio placendi diabolo. Quamuis igitur inducere alterum ad peccandum venialiter per se loquẽdo sit solùm peccatum veniale, quia hoc malum in suo genere leue est, nec ita grauiter obligamur illud in nobis aut alijs vitare: tamen illa intẽtio necessariò grauem inordinationem cõtinet: nã etsi apperere ipsam delectationem peccato cõiunctam sit humanum; tamen expetere ipsam peccati malitiam aut spirituale malum quod nobis aut alijs inde sequitur, est diabolicum.

Intendere alterius peccatum veniale, præcisè quia peccatum est, est mortale.

Appetere peccatũ quatale diabolicum est.

52 Ad primum argumentum positum n.37. nego antecedens: nam malitia scandali nullis cõuenit peccatis merè internis, nec externis omnino secretis, nec etiam factis corã ijs quibus scitur inde nullum imminere scandali periculum. Adde, consequentiam esse nullam; nam, vt ostendi num.39. ex circumstantijs omni peccato communibus potest specialis malitia contrahi.

Ad secundum, nego consequ. quia aliquem peccare ob alterius exemplum nihil malitiæ addit eius peccato secundùm se sumpto; sed hanc potiùs minuit: suo autem peccato alium ad peccãdum inducere nouam malitiã peccato addit, vt iam ostendi. Quòd si scandalum passiuũ accipias pro ipsa peccantis ruina, siue morte spirituali, quam quiuis peccans mortaliter incurrit, abstrahendo an peccet ab alio inductus, nec ne; sic nego antecedens. nam ratione huius omne peccatum mortale contrahit specialem malitiam contra caritatem sui, vt ostendi n. 42.

53 Ad tertium, nego minorẽ: quia, vt iam ostendi, inducere alium ad peccandum repugnat caritati Dei & proximi, quæ nos obligat vt vtriusque malum, quale est peccatum, quãtum commodè possumus impediamus, & consequenter ne illud causemus, eiúe occasionem demus. Ad probationem minoris, nego consequentiã: quia vt aliquis actus sit bonus, ipsius honestas debet directè & in se intendi; vt autem sit malus, sufficit quòd eius malitia sit indirectè & in sua causa volita. Respondent aliqui hoc verum esse in alijs peccatis, non tamen in peccato inobediẽtiæ aut ingratitudinis, aut quod est contra caritatem Dei aut proximi; quæ peccata non contrahunt specialẽ malitiam, nisi certa intentione ipsi virtuti directè repugnante fiant. Sed hoc sine fundamento dicitur, & contrarium esse asserendum satis ostendi n.41. & 44.

Honestas debet directè intendi vt actus sit bonus, non tamen malitia vt actus sit malus.

54 Ad quartum, nego minorem loquendo de eo, qui sua suasione est vera causa cur alter occidat. nam illa ne quidem in sententia aduersariorum potest esse vera, qui asserunt, suo facto inducẽtem alium ad peccatum peccare eadem specie peccati qua peccat inductus. quod verũ est, quando quis suadendo inducit alterum ad peccandum: quo casu ex duplici capite contrahit malitiam homicidij, arq; ita duplicem. Primò, quatenus est causa actus iniusti, quem alter facit; Secundò, quatenus est etiam vera causa mortis occisi.

Secùs omnino dicendũ est de eo, qui solùm suo aliquo facto dat alteri occasionem occidẽdi: tum quia cùm solùm sit occasio illius homicidij, hoc multo minùs ei imputatur, quàm ipsi occidenti qui eius est vera causa: tum etiam quia prior solùm peccat contra caritatem, alter verò etiam contra iustitiam, & quidem hîc strictissimè obligantẽ. Quæ vera sunt etiam eo casu, quo alterius mors occidenti solùm volita est in causa, vt si iaculetur in aues sciens esse periculum ne hominem occidat: nam etiam in hoc casu hic est verè causa mortis secutæ, ac contra iustitiam peccat.

Hinc sequitur Primò, eum qui induxit aliam personam ad secum fornicandum, quantumuis aliàs ad similia paratam, non satisfacere dicendo in confessione se esse fornicatum, sed teneri dicere se illam induxisse ad fornicandum secũ: quia per hoc præcisè commisit peccatum mortale distinctum à sua fornicatione. Quod maximè locũ habet quando fœmina induxit virum ad fornicandum: quia cùm hæ non soleant id facere nec fornicari nisi inductæ; nisi exprimant se alium ad fornicandũ induxisse, confessarius id ex earum confessione non colliget: secùs cõmuniter est in viris, qui cùm soleant fœminas ad fornicandum inducere, hoc ipso quo dicũt se fornicatos, nisi circũstantiæ aliud suadeant, intelliguntur complicem ad hoc induxisse. Quia tamen hoc non est perpetuum, tutius id in confessione exprimitur. 55 *Inducens complicem vt secũ peccet, hoc debet in confessione exprimere.*

Sequitur Secũdò, eum qui induxit alium ad peccandum, teneri exprimere in cõfessione ad quod peccatum ipsum induxerit. quod verũ est non solùm in eo qui verbis aut suo facto expresè intendit alium ad peccandum inducere, qui peccat eodem specie peccato cum eo, ad quod inducit: sed etiam in eo qui suo facto sciẽs quidem, sed præter intentionem alium ad peccandum induxit: quia etsi propriè hic solùm peccet contra caritatem Dei & proximi; tamen quia varia peccata diuersissimè caritati Dei & proximi repugnant, cõfessarius non satis ipsius scandali grauitatẽ siue malitiam intelliget, nisi pœnitens explicet speciem peccati, ad quod alterũ induxit. præsertim cùm in confessione non solùm sint explicandæ circumstantiæ mutantes speciem peccati, sed etiam eæ, quæ hoc notabiliter aggrauant. vt probaui tom.2. de Sacram. disp.7. dub.3. 56 *Confitens debet exprimere ad quod peccatum alium induxerit.*

DVBIVM VI.

Vtrùm cum aliquo nostro incommodo spirituali aut temporali teneamur vitare aliorum scandalum?

57 SAtis hîc constat Primò, numquam ob vllam causam licere aliquid facere ea intentione vt proximus inducatur in peccatum; quia sicut numquam licitè peccamus, ita numquam licitè optamus proximum peccare.

Secundò, numquam licere facere aliquod pecca-

Rom.3. peccatũ etiam veniale vt impediamus alterius scandalum: quia, vt patet Rom.3.v.8.non sunt facienda mala vt eueniant bona. Imò omnino implicat aliquid esse verè peccatum, & tamen licitè fieri. Potest tamen sæpè contingere quòd ad vitandum aliorum scandalum licitè aliquid faciamus, quod aliàs illicitè faceremus. vt infrà ostendam.

D.Thom. Tertiò, constat bona spiritualia saluti necessaria numquam propter vllum scandalũ posse relinqui. vt docet S.Thom.2,2. q.43.ad 7. tum quia illa sine peccato relinqui non possunt: tum etiam quia, vt ostendi disp.25.dub.3.ex caritate tenemur plus amare nostram salutem, quàm aliorum. Ea tamen quæ ad salutem necessaria nõ sunt, possumus aut etiam tenemur aliquando ob vitãdum pusillorum scandalum differre aut omittere, vt infrà ostendam.

58 Tota igitur difficultas hîc est, quando ad vitandum aliud incommodum sit licitum aut illicitum aliquid facere aliàs ex se non malum, quod scimus proximo futurum occasionẽ peccandi. Est autem hæc difficultas duplex. Prima est, vtrùm ad vitandum scandalum teneamur aut possimus aliquãdo aliqua omittere, ad quæ aliàs iure positiuo aut naturæ obligamur.

Secundò, vtrùm ob vitandum scandalum teneamur aliquando omittere bona corporalia aut spiritualia ad salutem non necessaria; siue cum quanto nostro incommodo spirituali aut corporali teneamur vitare scandalum.

Circa priorem quatuor sunt sententiæ. Prima docet, ob nullum scandalum licitè aliquid omitti præceptum iure naturæ: solo autem iure positiuo præcepta ad vitandum scandalum omittenda esse. quia iure naturæ tenemur vitare scandalum, quod fortiùs ligat quàm ius positiuum. Pro hac sententia citatur Couar. reg. *Peccatum*, p.1.n.4. sed ipse ibidem v. *Quintò manifestum*. expressè contrarium docet. *Couarr.*

Secunda docet, ob vitandum scandalum nihil vnquam omittendum quod sit præceptũ iure naturæ aut diuino; præcepta autem iure humano semper omittẽda. Ita Innoc. Imola, & Anton. apud Couarruuiam suprà. *Innoc. Imola. Anton.*

Tertia docet, nihil vnquam etiam iure humano præceptum esse omittendum ob vitandũ scandalum. Pro hac sententia citantur D. Tho. sup.a.7. Richardus in 4.d.18.a.1.q.4. sed hic ibi hac de re ne verbum habet, sed eã tractat d.38. a.10.q.2. Item Palud.ibid.q.6. Durand.q.4. Silueſt.v. *Scandalum*.q.3. Angelus ibid.n.3. Armilla n.6. & quidam alij. Deinde probatur ex c.2.de noui operis nunciatione. vbi dicitur illa opera quæ sine peccato omitti nequeunt, ob scandalum vitandum non esse omittenda. Idemque & nihil aliud dicunt Auctores iam citati. Sed hoc nihil facit ad rem: nã hîc non quærimus vtrùm ad vitandum scandalum possimus omittere ea, quæ hîc & nunc sine peccato omittere nõ possumus; sed vtrùm aliàs præcepta in tali casu sẽper obligẽt. Prius Pontifex dicto c. & Auctores citati negant; secundũ verò nullo modo asserũt. Imò Richard. sup. §. *Sed contrà*. & in respons. ad 1. argumentum ibi positum; & Angelus suprà, apertè docet, ad vitandum scandalum licitè omitti ea quæ aliàs erant præcepta. *D.Thom. Richardus. Palud. Durand. Silueſter. Angel. Armilla. Richard. Angelus.*

Quarta docet, quandoq; contingere vt aliàs præcepta etiã lege diuina aut naturali ob scandalum vitandum sint omittenda, non tamen semper: & hanc infrà probabo.

Pro resolutione Nota, vt patet ex dictis dub. 5. obligationem vitandi scandalum inde oriri, quia ex caritate Dei & proximi tenemur quantum commodè possumus vitare peccatum proximi cui per scandalum damus occasionẽ; adeò vt si illud nullo modo teneremur vitare, nullo etiam modo teneremur vitare scãdalum. Sicut, quia non tenemur impedire ne proximus aliquid faciat quod licitè & sine alterius incõmodo facturus est, nõ tenemur etiam vitare ne demus ei occasionẽ id faciendi. Ex quo sequitur, me ceteris paribus eo minùs teneri cauere ne proximo dem occasionẽ peccandi quo aut peccatum eius futurũ est minus, vt per se patet; aut quo ipse magis voluntariè ac liberè siue minore tentatione incitatus est peccaturus: quia cùm tunc sit in minore necessitate, caritas minùs me obligat vt ego ei succurram. 59 *Eo minùs teneor vitare proximi peccatum, quo id futurum est aut minùs aut magis liberum.*

Nota Secundò, opus meum quo credo proximum inducendum ad peccatũ, posse esse duplex. Primò, tale quod spectata cõmuni hominum infirmitate ex se natũ est alios inducere ad peccandum. Secundò, quod ex se non sit inductiuum ad peccandum, sed solùm per accidens ratione particularis infirmitatis aut malitiæ eorum coram quibus illud agam. *Opus quod; per se, alios per accidens etiã ductiuum ad peccatum.*

Nota Tertiò, cum D.Thoma 1.2.q.6.a.3. & Vasquez ibid.disp.24.c.3. vt aliquis effectus ex mea actione aut omissione per accidens & præter meam intentionẽ secutus sit mihi voluntarius mihique imputetur, necessariò requiri vt teneat eum vitare. Ex quo confirmatur dictum primo notabili, scilicet peccatũ proximi ex mea actione præter meã intentionem secutum eatenus solùm mihi imputari quatenus tenebar illud euitare. 60 *D.Thom. Vasquez.*

Deinde ex eodem sequitur Primò, peccatum proximi ex mea actione præter meam intentionem secutum eo ceteris paribus minùs mihi imputari, quo magis per accidens ex mea actione sequitur; nam tunc eius minùs sum causa; quia cùm causa per accidens sit causa deficiens à ratione causæ, quo aliquid magis per accidens est causa, eo magis deficit à ratione causæ, & minùs potest dici causa; & consequenter eiusmodi effectus operanti est eo minùs voluntarius minusque imputabilis. *Peccatum alterius eo minùs mihi imputatur, quo magis per accidens ex mea actione sequitur.*

Sequitur Secundò, quo opus ex se minùs est natum alios inducere ad peccandum, eo ceteris paribus horum peccatum ex eo secutum minùs imputari operanti; & consequenter ipsum eo minùs teneri illud omittere ne hi peccent; & contrà ceteris paribus eo magis teneri illud vitare, quo ex se magis natum est alios inducere ad peccatum.

Nota Quartò, ex dictis de ordine caritatis me longe minùs teneri vitare aliorum peccata quàm mea. quod vel inde patet, quia ne vel minimum peccatum veniale possum committere, etsi omnia aliorum peccata possem per id impedire; nec vlla potest mihi vnquam esse iusta 61

causa

causa peccandi : sæpè autem occurrunt iustæ causæ permittendi peccata aliena , etiam cùm ea absolutè loquendo possem impedire.

D.Thom. Nota Quintò, cum D.Thoma 2.2.q.33.a.2. in corpore, præcepta affirmatiua etiam iuris naturæ non obligare pro quouis tempore, sed solùm positis quibusdam circumstãtijs ad eorum obligationem requisitis: quod etiam præceptis negatiuis humanis ex parte conuenit;quæ communiter non obligant, quãdo impleri nequeũt sine graui nostro incommodo;vt Auctores cõmuniter docẽt. Hinc die prohibito licitè comedo carnes, quando sine graui meo periculo nequeo ijs abstinere.

Præcepta affirmatiua nõ obligant pro semper.

Præcepta humana cõmuniter non obligant cũ graui incõmodo.

Nota Sextò , tripliciter posse contingere vt alijs ex meo facto immineat periculum peccandi.Primò,ita vt communitas vel tota vel magna ex parte credatur passura scandalum.Secundò, vt vnus aut alter determinatè credatur scandalizandus. Tertiò , vt solùm credatur aliquis in confuso scandalizandus, ita vt de nullo in particulari id possit colligi. Item quandoque poterit certò videri futurum scandalum,aliàs solùm probabiliter.His positis sit

Tripliciter ex meo facto potest imminere scandalum.

62 Conclvs.I.Non solùm præcepta humana, sed etiam diuina,imò & affirmatiua iuris naturæ,quando nequeunt sine scandalo pusillorum impleri, quandoque desinunt obligare. Hanc expresè docent Couarr. citatus n.58.& Valẽtia 2.2.disp.3.q.18.puncto 4.v.*Dixi autem.*eamque videtur tenere Richard.sup.n.58.citatus sub finem quæstionis. nã dicit ob scandalum quandoq;omittendum esse quod aliàs de iure erat faciendum. Idem de iure humano docent Angelus ibid.citatus,&D.Thom.in Supplemento q.8.a.4.ad 5.de præcepto iurisdiuini.Idem docent Nauar.c.17.n.4.Adrian.in 4.tract. de cõfess.q.4.§.*Ad argumenta.* Henriq.l.2. de Pœnitẽtia c.12.n.5.Sotus in 4.d.18.q.2.a.5. in respõs. ad 3. & plurimi alij quos citat Turrian.2.2. disp. 96.dub.1. §.*Tertiò docet.* docentes licere alicui confiteri non integrè, quando aliqua peccata nequit confiteri sine scandalo confessarij , qui ex ijs ad peccandum incitandus est.

Couarr. Valentia. Richard.

Angelus. D.Thom. Nauar. Adrian. Henriq. Sotus. Turrian.

63 Sequitur etiã apertè ex dictis notabili 5.nam cùm dicta præcepta sæpè ob aliquas circumstãtias desinant obligare,maximè videntur debere desinere quando sine graui aliorum scandalo nequeunt obseruari.

Et de præceptis positiuis videtur res satis clara:nã cùm hæc communiter non teneamur implere cũ valdè graui nostro incommodo,multò minùs tenebimur ea implere cum graui aliorũ scandalo & multorum ruina ; cùm hanc teneat vitare etiã cum valdè graui meo incõmodo. De præceptis naturæ patet, quia Superior iure naturæ tenetur punire subditos peccantes; & tamen ad hoc non tenetur quando hoc nequit fieri sine graui aliorum turbatione ac scandalo.vt docet D.Thomas q.43.a.7.

D.Thomas.

64 Dixi,dicta præcepta eo casu quandoq; desinere obligare,quia,vt bene notat Couarr.supr. hoc non est semper verum.nã qui scit suum Pastorẽ esse in peccato mortali,& si ipsi cõfiteatur peccaturum administrando Sacramenta,nec aliũ habet à quo possit hæc accipere, non debet in paschate confessionem & communionem omittere,ne det ei occasionem peccãdi. vt cum alijs ostendi tom.1. de Sacram.q.64.a.6.dub.2. Vt autem sciamus quando desinãt obligare, & quãdo non,ponderandũ est ab vna parte quàm grauiter præceptum obliget, & quantum hîc & nunc bono communi aut meo spirituali expediat illud impleri:& ab altera spectanda est grauitas futuri scandali,& ex duobus malis eligendum est minus.

Couarr. Teneor quãdoque præcepta positiua implere etiam cum aliorum scãdalo.

Ad quod discernendum multùm iuuabunt dicta notab.1.in fine & notab.6. ex quibus iunctis conclusionibus mox ponendis facile erit particulares casus colligere.

65 Conclvs.II.Extra grauissimã necessitatem illicitè corã alijs facimus aliquod opus,quod ex se spectata communi hominum infirmitate inductiuum est ad peccatum,quantumuis aliàs in se non sit malum : quia ita operans secundùm moralem æstimationem censetur alios inuitare ad peccandum , eique horum peccatum imputatur. Tale opus secundũ Caiet.2.2.q.169.a.2. in respons. ad 1.dub.& Nauar.c.23.n.19 censetur , si quis & præsertim femina coram alijs ita incedat vt pudenda appareant. Et simile crederem esse edere libros notabiliter lasciuos, quia hi lectorem valdè incitant ad libidinẽ. Ob grauissimam tamen necessitatem similia quandoq; licent:vt contingit cùm fœmina in secretioribus partibus læsa ea debet medicis nudare.

Caietan. Nauarr.

Edere libros lasciuos maximè scandalosum est.

66 Conclvs.III.Quando ex aliquo opere,quãtumuis aliàs bono , crederetur magna hominũ multitudo ex infirmitate aut ignorantia inducenda in grauia peccata, illud omittendum est etiã cum iactura vitæ, & bonorum spiritualium ad salutem non necessariorum. Ita Valentia suprà v.*Nam ad tuendam.*& patet ex dictis disp.25. dub.4. concl.7. vbi ostendi ad succurrendum periclitanti communitati aliquem teneri etiam deserere statum Religiosum,quando illud aliter fieri nequit. vbi etiam probaui hoc nõ repugnare cum eo,quòd caritas magis inclinat ad perfectionem propriam,quàm ad alienam.

Valentia.

Ex quo patet,ad euitandum eiusmodi communitatis scandalum communiter licitè omitti præcepta positiua, aut etiam iuris naturæ affirmatiua; quia hæc communiter cum tam graui communitatis incommodo non obligant. Quamuis vix possit contingere vt ex opere bono,qualia sunt omnia opera præcepta,eiusmodi scãdalum nascatur,quod aliter euitari nequeat, si veritas clarè alijs exponatur.

67 Conclvs.IV. Quando ex meo opere aliàs non malo aut inductiuo ad peccatum creduntur vnus atq; alter in peccatum inducendi,tunc id omittendum est etiam cum aliquo meo incommodo spirituali aut temporali,& quidẽ eo maiore quo alter grauiùs aut cum maiore periculo æternæ dãnationis peccaturus est:vt si esset peccaturus instante iam morte, aut ad infideles defecturus,&c.quia sicut ex his causis augentur & miseria & necessitas proximi , ita in me augetur obligatio eum ex his eruendi,vel potiùs cauendi ne in eam miseriam incidat.

Non tamen teneor illud omittere cũ iactura vitæ aut aliàs valdè graui famæ bonorumue tem-

temporalium aut spiritualium, v.c. omittendo ingressum Religionis, aut susceptionem status Ecclesiastici, &c. Quia cùm proximus si velit possit vitare ea peccata, & miseriam ea consequentem, non est in extrema, imò nec in valdè graui necessitate spirituali, & consequèter non teneor eum cum tanto meo incommodo ex ea eripere. vide quæ dixi sup. disp.25 dub.4.& 5.& disp.28.nu.124. & quæ docet Valentia suprà in regula 3.

Valentia.

Ex quo patet, me eo cum minore meo incõmodo obligari vitare proximi peccatum, & faciliùs ab eo excusari, quo eius peccatum futurum est leuius aut minùs probabiliter futurum, aut quo cum minore tentatione magisque liberè ac ex malitia lapsurus est; quia eo est in minore necessitate, eiusque peccatum mihi minùs potest imputari. vt patet ex dictis notab.3.

68 CONCLVS.V. Quando opus non est ex se inductiuum ad peccatum, nec mihi potest probabiliter constare de aliquo in particulari quòd per id sit inducendus in peccatum, etsi credam fortè aliquos in confuso per id ad peccatum inducendos, non teneor id sub peccato mortali omittere. Ita Nauarr.c.23.n.19.& Caiet. suprà, docentes mulierem vanè se ornantem, modo tamen non inhonesto, non mala intentione, nõ peccare mortaliter, etsi credat fortè aliquos inde accepturos occasionem peccandi mortaliter. Ratio est, quia cùm ferè semper aliqui sint qui ex alienis operibus, quantumuis non malis, sumant sibi occasionem peccandi, nimis esset difficile & plenum scrupulis si teneremur omnes eiusmodi occasiones vitare. Adde, vix vnquam in dicto casu posse nobis moraliter aliquo modo certò constare ex hac vel illa actione aliquos ad peccandum inducendos.

Nauarr. Caietan.

Quare minùs teneat vitare scandalum alicuius in confuso quã personæ certæ.

69 Secùs hæc se habent quãdo ex nostra aliqua particulari actione crederetur aliquis in particulari ad peccandum, præsertim ex infirmitate incitandus; tunc enim eã, si sine notabili nostro incommodo id fieri posset, teneremur omittere. Quod probatur, quia si possemus illius peccatum commodè impedire eum corripiendo, ad id sub peccato mortali teneremur: atqui caritas non minùs nos obligat vt impediamus peccatum alterius subtrahendo ei peccandi occasionem, quàm eum corripiendo, quando vtrumque æquè commodè fieri potest, vt patet ex dictis suprà n.45.& seq. ergo ad hoc nos obligat sub peccato mortali, quando id commodè facere possumus. Ita Valentia sup.in 3.reg. Nauar.c.14.n.30. Siluest. v. *Scandalum*.q.2.& alij. Et hac ratione possunt conciliari hi Auctores cum alijs quos citat & sequitur Sanchez l.1.in Præcepta c.6.n.17. qui docent, mulierem sine mala intentione aut necessitate egredientem ad locum vbi credit aliquem sua præsentia excitandum ad peccandum, non peccare mortaliter. Possunt enim hi intelligi de ea quæ solùm credit aliquem in confuso peccaturum mortaliter, & alij de ea quæ credit de aliquo in particulari eum peccaturum mortaliter.

Valentia. Nauarr. Siluester. Sanchez.

In hoc tamen omnes consentiunt eiusmodi mulierem ne sit alicui etiam in particulari occasio peccandi, non teneri sæpiùs aut diu abstinere publico, aut aliàs etiam cum aliquo notabili incommodo: quia hoc esset nimis graue.

Mulier non tenetur diu abstinere publico, ne sit alicui occasio peccandi.

Ex his sequitur Primò, id quod docet Valentia suprà v. *Secundò sequitur*. scilicet mulierẽ quæ credit se hoc die adeundo templũ futuram alicui determinato occasionẽ ex infirmitate peccandi mortaliter, teneri etiam die festo omittere Missam vt hoc vitet, si nullum aliud sequatur incommodum; præsertim si ille esset aliàs castus & nõ solitus in eiusmodi peccata incidere. Quia tunc dando ei eam occasionem peccandi esset ei occasio grauis mali, & fortè cur sæpiùs in eiusmodi peccata postea laberetur. quod magis tenetur cauere, quàm omissionem Sacri. Non teneretur tamẽ ideò sæpiùs Sacrum deserere, quia hoc nimis graue esset, & cum notabili iactura spiritualis profectus fieret. Similiter ne vel semel teneretur templo abstinere, quando alter esset ex mera malitia lapsurus, aut esset talis, qui sæpiùs sit solitus eiusmodi peccata committere: quia quòd hic semel amplius labatur non est tanti æstimandum, nec ita à nobis debet vitari, sicut lapsus aliàs innocentis.

70 *Valentia.*

Mulier tenetur quandoq; omittere Sacri ne alicui sit occasio peccandi.

Sequitur Secundò, faciliùs posse contingere vt quis ad vitandum confessarij lapsum teneatur non integrè confiteri, quãdo commisit aliquod peccatum ex cuius confessione omnino credit illum inducendum ad grauiter peccandum, quã vt teneatur omittere confessionem & communionem in paschate, quando scit confessarium ea sibi ministraturum cum peccato mortali. Quia hæc nequit omittere sine notabili suo dãno spirituali; tum quia eorum gratia, quam aliàs percepisset, priuabitur; tum quia probabiliter perget hærere in statu peccati mortalis ob defectum contritionis, quam nõ ita facilè poterit in se excitare: ideoq; etiam grauior longè requiritur causa vt hæc Sacramenta teneatur in paschate omnino omittere, & obligatio ea tunc suscipiendi grauiùs ligat, ob maiorem necessitatem rei perceptæ. Contrà verò omissio vnius peccati mortalis in confessione per sesiue quando sine peccato fieri potest, nõ ita nocet contenti; cùm possit ea non obstante iustificari, & sacramentalem gratiam suscipere. Vnde faciliùs ad alienum malum vitandum potest ad hanc omissionem obligari, & præceptum integrè confitendi minùs strictè obligat, & faciliùs potest esse iusta causa non integrè confitendi.

71 *Facilius in paschate nõ integrè confiteris, quam confessionẽ omittas.*

Disputant hîc præterea aliqui, quando peccet vendens aliqua quibus emens creditur abusurus ad superstitionem, aut iniuriam proximo inferendam aliaue vitia. Sed hanc difficultatem satis explicui disp.18.dub.13.

Item de præceptis caritatis egi disp.24. Quare huic operi hîc finem imponam, rogans Deum opt. maxim. vt id sibi ad gloriam, & lectori ad salutem velit cedere.

FINIS.

iure quod habent ad gloriam; quòd tamen hoc non faciat, non est nouum beneficium, sed solùm non ablatio prioris beneficij.

160 Secundò, habeo difficultatem in 3. notabili, quia in eo supponitur naturam distingui à suis potentijs, & cum his influere in actus ab his elicitos; & gratiã iustificantem respectu virtutum infusarum ac ipsius luminis gloriæ se habere instar naturæ respectu potentiarum. quæ in superioribus satis refutaui, atq; ita corruunt quæ super illa ædificantur, siue ex ijs inferuntur. Adde, hæc etiam, si propriè sumantur, apertè repugnare alteri ipsius Auctoris doctrinæ, vt infrà ostendam.

161 Ad primum argumentum pro ea sententia allatum n. 120. nego minorem. Nam illa gratia considerata præcisè secundùm suam naturã, & secluso omni Dei decreto suo subiecto nullum confert verum ius ad gloriam, quale requiritur vt quis sit propriè filius Dei. patet ex dictis, & magis ex dicendis patebit.

Ad secundum, Respondeo, ex eo antecedente vt summũ probari, gratiam iustificantem nos constituere filios Dei ratione virtutis moralis ei diuino decreto annexæ, iuxta dicta n. 96. & 151. Idemque dicendum de tertio argumento: nam eo solùm probatur nos per gratiam Dei, aut per caritatem nobis infusam fieri filios Dei, quòd autem hæc hanc vim habeat ex sua natura, & non ex libera Dei voluntate, ibi ne vel leuiter insinuatur.

Potest tamen dici gratiam iustificantem nos natura sua remotè constituere amicos & filios Dei, quatenus nos reddit proximè aptos & aliquo modo dignos, qui in amicos & filios Dei adoptemur. Et fortè Auctor ille nihil aliud voluit: nam l. 7. de Gratia c. 4. ex professo docet, Deum posse alicui infundere gratiam iustificantem, & tamen eum non adoptare in amicum & filiũ; & ad hoc præter gratiæ ipsius infusionem requiri actualem Dei adoptationem, quę sit beneficium distinctum ab infusione gratiæ. Agitque apertè etiam de eo, qui nullum in se habet peccatum, quo ille effectus gratiæ possit impediri. Quæ quomodo sint vera non video, si gratia iustificans ex natura sua nos constituat verè amicos & filios Dei, nobisque verum ius ad hereditatem tribuat. 161 Gratia iustificans natura sua cõstituit nos remotè filios Dei.

DISPVTATIO XXII.

De subiecto, incremento, diminutione ac amissione caritatis.

DVBIVM I.

Vtrùm caritas sit in voluntate?

1 HOc dubium nec difficultatem, nec sententiarum diuersitatem habet: communiter enim omnes cum D. Thoma 2 2. q. 24. a. 1. docent, caritatem esse in voluntate vt in subiecto. & ratio clara est: nam cùm sit habitualis amor, nequit esse in potentia cognoscitiua, sed necessariò debet esse in potentia appetitiua, cuius solius est amare. Item cùm versetur circa obiectum omnino spirituale, scilicet circa ipsam Dei bonitatem qua in se bonus est, quæ nullo sensu percipi potest, sed solo intellectu, nequit esse in appetitu sensitiuo, qui solùm versatur circa bona sensu perceptibilia. Quare restat vt sit in voluntate, quæ versatur circa bona quæ intellectu percipiuntur, eique proponuntur. *D. Thom.*

2 Quare hoc solùm hîc est Notandum, quòd, sicut cùm circa res etiam spirituales soloque intellectu perceptibiles versamur, siue per fidem, siue per cognitionem naturalem, semper rem intellectam simul modo aliquo corporeo imaginamur: ita etiam ipsi actui voluntatis, quo hæc in obiecta intellecta fertur, semper coniunctus est aliquis actus appetitus sensitiui ei correspondens eodem modo, quo imaginatio respondet intellectioni, quo appetitus fertur in obiecta etiam spiritualia per modum rei corporeæ sibi repræsentata. Vnde etiam contingit ex frequentatione actuum caritatis nasci in appetitu sensitiuo aliquam inclinationem ad appetenda eadem obiecta repræsentata per modum boni sensibilis: quæ respondet ipsi habitui caritatis, ipsumque in suis actibus facilitat, & homini sensibilem delectationem tribuit: atque ita diligentium Deum non modò cor siue voluntas, sed etiam caro exultat in Deum viuum: vt dicitur psalm. 83. Vide dicta disp. 7. dub. 1. num. 10. & 11. Quæcunque intelligimus etiam modo corporeo imaginamur. Actui voluntatis semper correspõdet aliquis actus in appetitu sensitiuo. Ex actibus voluntatis nascitur in appetitu quædam inclinatio.

DVBIVM II.

Vtrùm caritas in omnibus iustis sit æqualis, in ijsq; augeri possit?

3 TRactatur hoc dubium à D. Thoma eiusq; interpretibus tã 2. 2. q. 24. a. 4. quàm 1. 2. q. 112. a. 4. vbi disputant an gratia iustificans sit æqualis in omnibus: est enim eadem vtriusque ratio. nam aut caritas non distinguitur à gratia iustificante, vt dixi disp. 21. dub. 7. aut saltem vtraque qualitas est in eodem pro eodem tempore semper æquè intensa; vt omnes fatentur. Quare eadem omnino quo ad rem præsentem est quæstio, vtrùm gratia iustificans, aut iustitia habitualis, aut sanctitas, aut caritas possit in diuersis esse inæqualis, aut etiam in eodem crescere. *D. Thom.*

4 Fuit igitur olim error Iouiniani, sicut omnia peccata, ita omnia opera bona esse æqualis malitiæ aut bonitatis, omnesq; iustos æqualiter iustos esse. vt refertur D. Hieron. l. 2. contra eum conscripto. Hanc quoad iustitiam habitualem sequuntur nostri hæretici, tam Lutherani quàm Caluinistæ; qui negant omnem iustitiam nobis intrin- Error Iouiniani. *Hieron.* Error Luth. & Caluinist.

INDEX
LOCORVM S. SCRIPTVRÆ,
quæ in hoc opere explicantur.

Prior numerus paginam, alius numerum marginalem indicat.

Ex Genesi.

CAP. VIII. Recordatus est Dominus Noë. *pag.* 489. *num.* 117

Ex Exodo.

CAP. XX. Honora patrem, &c. 520.153

Si pignus acceperis à proximo, &c. 551.127

XXXII. Dele me de libro tuo quem scripsisti. 503.52

XXIV. Caue ne vmquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias. 488.110, & 490.124

Ex Levitico.

CAP. V. Si peccauerit anima, & audierit vocem iurantis. 587.136. & 588.145

XIX. Non oderis fratrem tuum, &c. 484.81.82.

Sed publicè argue eum. 568.9. & 588.145

Ex Deuteronomio.

CAP. VI. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. 475 25. & 477.33

XVII. Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, &c. 223.53

XXII. Si videris asinum fratris tui aut bouem cecidisse, &c. 551.127

XXIII. Non facies cum ijs pacem, nec quæres ijs bona. 488 110. & 490.124

Ex libro II. Regvm.

CAP. XVI. Dominus enim præcepit, &c. 188.21

Ex libro III. Regvm.

CAP. XXII. Decipies & prævalebis, &c. 188.21

Ex Psalmis.

PSAL. XVIII. Timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi. 397.58

XLIX. Quare tu enarras iustitias meas, &c. 576.63

L. Cor mundum crea in me, &c. 104.45.47

LXXXI. Ego dixi, Dij estis, &c. 417.28

LXXXII. Imple facies eorum ignominia, &c. 484.83. & 583.114

CXVIII. Confige timore tuo carnes meas. 394.31

Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. 611.48

Ex Proverbiis.

CAP. IV. Iustorum semita quasi lux, &c. 449.75

VIII. *Hoc capite* sapientia *accipitur modò pro increata, modò pro creata.* 414.6

Deliciæ meæ esse cum filijs, &c. 417.29

IX. Noli arguere derisorem, &c. 580.9

XIV. Errant qui operantur iniquitatẽ, &c. 16.66

XXIV. Ne quæras iniquitatẽ in domo iusti, &c. 578.71

XXV. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur, &c. 584.121

XXXI. Mulier timens Dominum ipsa laudabitur, &c. 390.11

Ex Canticis.

CAP. II. Dilectus meus mihi, & ego illi. 418.31

VIII. Aquæ multæ non potuerunt exstinguere caritatem. 459.129

Ex libro Sapientiæ.

CAP. IX. Mitte eam de cælis, &c. 92.47

XI. Nihil odisti eorum quæ fecisti. 607.22

XIV. Similiter odio sunt Deo impius & impietas eius. 605.10. & 607.22. & 611.49

Ex Ecclesiastico.

CAP. I. Initium sapientiæ timor Domini. 390.10.

Plenitudo sapientiæ est timere Deum. ibid.

VII. In toto corde tuo honora patrem tuum. 520.153

XII. Da bono, & non receperis peccatorem. 541.66. & 542.72

XVII. Et mandauit illis vnicuique de proximo suo. 568.8. & 572.57

XVIII. Ne verearis vsque ad mortem iustificari. 437.5

XIX. Qui spernit modica, paulatim decidet. 454.97. & 456.112

XIX. Corripe amicum ne fortè non intellexerit. 568.8

XXXVIII. Honora medicum. 520.153

L. Duas gentes odit anima mea. 488.110. & 490.124

Ex Isaia.

CAP. I. Heu cõsolabor super hostibus meis, &c. 607.22

II. Conflabunt gladios suos in vomeres, &c. 620.2. & 622.12

VIII. Timorem eius ne timeatis. 397.58

XI. Replebit eum spiritus timoris Domini. 397.58

XLVIII. Non est pax impiis. 527.24

LIX. Viam pacis nescierunt. ibid.

LXIV. Facti sumus vt immundus, &c. 129.22

Ex Ezechiele.

CAP. XXXIII. Speculatorem constitui te. 576.58

Ex S. Matthæo.

CAP. V. Odio habebis inimicum. 487.106. & 490.124

Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? 495.161

Minimus vocabitur in regno cælorum. 542.74

Diligite inimicos vestros, &c. vt sitis filij Patris vestri, &c. 483 73. & 620.3. & 622.13

VI. Si oculus tuus, &c. 50.145

VII. Omnia ergo quæcumque vultis vt faciant vobis homines, &c. 481.59

Omnis arbor, &c. 212.83

Eijce primùm trabem de oculo tuo, &c. 504.58

Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit. 417. 31
Neque mittatis margaritas ante porcos. 580. 90
VIII. Multi ab Oriente & Occidente venient, &c. filij autem regni eijcientur, &c. 438.13
X. Non veni pacem mittere, sed gladium. 527. 20
Qui dicantur aliquid facere propter nomen Christi, prophetæ aut discipuli. 138.66
XI. Qui autem minor est in regno cælorũ, &c. 449.75. & 450.79
XV. Quicumque dixerit patri vel matri, Munus quodcumque est ex me. 520.153
XVI. Tu es Petrus, &c. & tibi dabo claues, &c. 214.1. & 2
XVIII. Serue nequam omne debitum dimisi tibi, &c. 486.96
Si peccauerit in te frater tuus, &c. 275.57. & 487.102. & 570 20. & 571.27. & 587.135
XIX. Si vis perfectus esse vade & vende, &c. 452.92
Multi autem erunt primi nouissimi. 437.10
XX. Voca operarios, & redde ijs mercedem, &c. 6
XXII. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde. 475.25. & 477.33
Hoc est primum & maximum mandatum. 420. 54
Diliges proximum tuum sicut teipsum. 480.56. & 481.59. & 502.40
XXV. Omni habenti dabitur, &c. 151.137
Quod fecistis vni ex fratribus meis, &c. 541.66. & 542.74
XXVI. Omnes enim qui accipiunt gladium, gladio peribunt. 620 3. & 622.14

Ex Evangelio S. Marci.

Cap. XII. Vidua hæc pauper plus omnibus misit. 495.159
XIII. De die autem illo, &c. 193 53

Ex Evangelio S. Lvcæ.

Cap. V. Exi à me, quia homo peccator sum Domine. 398.61
Repleti sunt timore dicentes, quia mirabilia vidimus. ibid.
Accepit omnes timor & magnificabant Deum. 61. & 63
X. Maria verò optimam partem elegit. 505
XI. Quod superest date eleëmosynam, &c. 550.121. &c.
XII. Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, &c. 390.9. & 397 55
XIII. Intrate per angustam portam, &c. 437.10
XIV. Compelle intrare. 363.243
Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, &c. 483 80. & 496.1. & 611.49
XVI. Facite vobis amicos de mammona. 541. 66 & 542.73
XXIV. Oportebat Christum pati. 387.141

Ex Evangelio S. Iohannis.

Cap. I. De plenitudine eius. &c. 167.22
III. Sicut Moyses exaltauit, &c. 265.150. & 269.168
IV. Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, &c. 459.129
VII. Ego non ascendo, &c. 193.53
VIII. In peccatis vestris moriemini. 402.89
X. Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis.
Mercenarius autem. 512.101
Et non peribunt in æternum, & nemo rapiet eas de manu mea. 130.26
XIII. Quod facis fac citiùs. 458.124
XIV. Mansionem apud eum faciemus. 188.18
XV. Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem. 417.29
Sine me nihil potestis, &c. 481.63. & 509.85
Maiorem hac dilectionem nemo habet. 137.61. & 145.103 66 & 509.85
XVII. Hæc est autem vita æterna, &c. 264. 139. & 269.168
Vt sint vnum, sicut & nos, &c. 417.29

Ex Actis Apostol.

Cap. XX. Quia mundus sum à sanguine omnium, &c. 573.41

Ex epistola ad Romanos.

Cap. I. Sine affectione. 480.56
II. Propter quod inexcusabilis es ô homo omnis qui iudicas. 576.59.63
III. Faciamus mala vt eueniant bona. 502.45
VIII. Quicumque spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. 430.120 & 436.161
Non enim accepistis spiritum seruitutis, &c. 390 11. & 393.30
Non sunt condignæ passiones, &c. 131.32
Ipse enim spiritus, &c. Item, certus enim sum quia neque mors, &c. 284.261. & 263. & 458.125
IX. Optabam enim ego ipse anathema esse pro fratribus. 503.52
X. Sed numquid non audierunt, &c. 278.228
Corde creditur, &c. 306.2
XI. Si autem gratia, &c. 128.17
XII. Spe gaudentes. 394.38
Non vos defendentes, &c. 620.3. & 622.14
XIII. Plenitudo legis est dilectio. 421.54
Caritas numquam excidit. 458.119. & 459.129 & 468.11
XIV. Omne autem quod est ex fide. 330.42

Ad Corinthios I.

Cap. VI. Audet aliquis, &c. 338.151
Qui adhæret Domino, vnus spiritus est. 417.29
VII. Non habens necessitatem, &c. 6.4. & 6
IX. Omnibus omnia factus sum. 527.20
X. Si quis vocat vos, &c. *De esu idolothyti.* 296. 54
XIII. *Quo sensu dicatur* nec fidem nec alia valere sine caritate. 138.67
Caritas non quærit quæ sua sunt. 416.22
Caritas numquam excidit. 458.119. & 459.129
XV. Gratia eius in me, &c. 92.47

Ad Corinthios II.

Cap. III. Litera enim occidit, &c. 220.32
IV. Leue & momentaneum, &c. 131.32
V. Vt referat vnusquisque prout gessit in corpore. 451.85
XII. Nec enim debent parentibus filij thesaurizare, &c. 519.145

Ad Galatas.

Cap. II. Viuo ego, iam non ego, &c. 418.31
In faciem ei restiti. 575.52
V. Omni homini circumcidenti se, &c. 336.68

AD EPHESIOS.

CAP. I. Creati in Christo,&c. 104.45 & 47
IV. Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ. 402 87

AD PHILIPPENSES.

CAP. III. Non quòd iam acceperim,aut perfectus sim. 432 92

AD COLOSSENSES.

CAP. I. Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum. 430.120.& 436.161
III. Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. 418.31

AD THESSALONICENSES I.

CAP. V. Omnia autem probate,&c. 353.183

AD THESSALONICENSES II.

CAP III. Si quis non vult operari,nec manducet. 541.69

AD TIMOTHEVM I.

CAP. V. Si quis suorum, & maximè domesticorum, curam non habet. 311.40. & 518. 139.
Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt. 520 53
Seniorem ne increpaueris,&c. 575.45
Peccantes coram omnibus argue. 587.136 & 588.145

AD TIMOTHEVM II.

CAP. I. Et fide non ficta. 311.42
II. Sermo eorum vt cancer serpit. 589.150
Noli contendere verbis,&c. 618.34
III. Omnes qui volunt piè viuere in Christo, persecutionem patientur. 527.21
IV. In reliquo reposita, &c. 143.94

AD TITVM.

CAP. I. Omnia munda mundis,&c. 330.43

AD HEBRÆOS.

CAP. VI. Non enim iniustus,&c. 143.94
XI. Oportet enim accedentem,&c. 201.18.&c.
Est autem fides,&c. 203.32.& 241.2

EX EPISTOLA S. IACOBI.

CAP. II. Tu credis quoniam vnus est Deus,&c. 317.31.

EX EPISTOLA S. PETRI I.

CAP. III. Timorem autem eorum ne timeatis. 397.55

EX EPISTOLA S. PETRI II.

CAP. I. Vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ. 417.26.
Vlt. In quibus sunt quædam difficilia intellectu. 2.6.35

EX EPISTOLA S. IOHANNIS I.

CAP. II. Si fuissent ex nobis,mansissent vtique nobiscum. 459.120
Qui autem seruat verbum eius, verè in hoc caritas Dei perfecta est. 452 92
Et vos vnctionem, quam, &c. 177.82.& 86
Qui dicit se nosse, &c. 311 42
Si quis diligit mundum, non est caritas Dei in eo. 397.55
III. Similes ei erimus,&c. 421.60
Omnis qui natus est ex Deo,peccatum non facit. 458 119.& 459 128
Qui habuerit substantiam huius mund , &c. 481.60.& 546.101
Non diligamus verbo,neque lingua. 485 90
Et nos debemus pro fratribus animas ponere. 509 85
IV. Qui nouit Deum,&c. 172.52.&c.
Deus est caritas. 414.5.& 468.11
V. Spiritus est qui testificatur,&c. 169.35

EX APOCALYPSI.

CAP. II. Quòd caritatem tuam primam reliquisti. 152.137.& 453.97.& 456 112
III. Non enim inuenio opera tua plena,&c.152. 137
Vlt. Qui iustus est iustificetur adhuc. 437.5

INDEX
PRÆCIPVARVM RERVM
quæ hoc libro continentur.

Abominatio.

Abominatio in quo consistat. 605.9 Abominationis, & inimicitiæ odium quid sit. 606.15. hoc suppomit illud. 19

Accidens.

Accidentia quædam dicuntur propriè & absolutè supernaturalia. 63.12
Cur extra subiectum supernaturaliter cõseruentur. 13
Accidens eamdem intensionem habet extra subiectum & in subiecto. 439.22. an sit accidentis inesse. 440.23.24. gradus gradui additus non constituit nouum accidens. 25

Accusator.

Accusatori an minùs credendum quàm neganti. 590. 156

Acedia.

Acedia quid sit. est graue peccatum. quando sit vitium generale. 614.6.7.8
Acedia est vitium capitale. 10

Acta.

Acta facere qui dicantur. 305.119

Actus siue actio, agere.

In nostris actionibus quatuor consideranda. 2.10
Actiones nostræ includunt triplicem respectum. ibid.
Actio essentialem ordinem dicit tam ad potentiam quàm ad obiectum. 4.19
Omnis aduertens quid agat tenetur considerare an licitè agat. 3.14
Ad agendum prærequisita quæ dicantur. 8.18. Quandoque sunt in potestate eius qui debet agere, aliàs non. 19
Quærequirantur vt aliquis verè dicatur posse agere aut non agere. 20 & 9.21
Non omnia necessaria ad agendum influunt in actum. 26
Sæpè Patres dicunt nos non agere id quod non agimus liberè. 35.52
Aliud est agere cum aliquo, aliud agere per aliquem. 92.47
Actio immediatè libera quæ dicatur. 25.128. Quæ dicatur mediatè libera. 129. vide Liberum.
Actio quid sit. 26.135. dupliciter considerari potest. ibidem.
Aliquid dupliciter potest esse causa actus voluntatis aut intellectus. 81.107
Actio suam perfectionem accipit non à solo obiecto, sed etiam à suo principio, atque circa obiectum imperfectius potest versari perfectior actus. 85.2.3.4. Imperfectior potest esse nobilior. 86.5. Ab eodem accipit perfectionem, & esse. 8. Accipit suam perfectionem præcipuè a potentia. ibid.
Actus naturalis, & supernaturalis sæpè habent idem obiectum formale. 88.19
Quando actio dicatur esse intra latitudinem actiuitatis potentiæ. 93.54. Quid requiratur vt tota sit vitalis. 95.66
Potest ab aliquo pendere secundùm suam essentiam, etsi non pendeat ab eo essentialiter. 116.110. Res potest vna actione produci, & alia conseruari. 117. 111
Actio disponens ad habitum ab eodem conseruatur. 113
Vtrùm actio mutato agente semper mutetur. 114.
Facilitas actionis non est modus ab ea distinctus. 118.2
Actio nequit durare solo instanti. 155.154. A solo Deo in intellectu producta nec assensus est, nec dissensus. 189.29
Actio non contrariatur habitui nisi ratione effectus. 328.36
Non omnis actio hominis est actio humana. 1.1
Actio dupliciter homini propria. 2
Actio humana quæ dicatur. 5
Actio moralis quæ dicatur. 6
Cur nulla actio non libera sit moralis. 9
Non omnis moralitas facit actionem moralem. ibid.
Actio moralis est immediatum genus actionis bonæ & malæ. 3.13
Moralitas actionis in quo consistat. 13. & 16. & 4.20. Includit in se duplicem habitudinem. 4.20. Non reperitur formalis nisi in actu formaliter libero. ibid. Magis respicit potentiam quam obiectum. 19. Reperitur in actu indifferente. 21
Solus actus voluntatis est intrinsecè formaliter moralis. 5.22
Omni actui est accidentale habere esse morale. 23
Actio potest esse mala quam operans iudicat bonam, & contrà. 31.19
Eadem potest esse modò formaliter bona aut mala, modò non. 32.27
Qua ratione actio accipiat bonitatem aut malitiam ab obiecto. 33.38
Actio ignoranter facta potest esse moraliter bona vel mala. 34.40
Item intrinsecè mala, & extrinseca denominatione bona, & contrà. 36.53. & 54
Aliud est actionem à certa virtute elici, aliud eam huius participare honestatem, & vnde hoc habeat. 44.111
Actio humana sæpè habet duplicem malitiam, aliquando etiam duplicem honestatem. 44.109. & 45.115
Actioni humanæ dupliciter aliqua accidunt. 52.158
Sola actio interna est formaliter intrinsecè bona, aut mala. 29.8 & 38.67.68.74. qua ratione actio interna & externa sibi mutuo bonitatem aut malitiam communicent. 32.30 & 39.78.80.81
Nullus actus externus excepto assensu fidei diuinæ fertur in obiectum sub ratione necessariò honesta. 38.66
Actio externa, prout præscindit ab interna, ab obiecto & circumstatiis accipit bonitatem aut malitiam sibi intrin-

intrinsecam, sed solùm materialem. 35.49.54. & 38.73. *Nec vlla malitiam sibi intrinsecam accipit ab interna.* 40.81

Malitia materialis & obiectiua est priùs in actu externo quàm in interno, contra formalis est prius in interno. 82

Actus externus actui interno ex se perfectè efficaci addit aliquid malitiæ aut bonitatis materialis, nihil tamen formalis. 86.& 87. *Ille tamen communiter cur hic in se melior aut peior sit, idq; ex triplici capite.* 41.89

Communiter actum externum comitantur quædam mala aut bona, quæ non comitantur internum. ibid.

Cur actus externus sit in confessione exprimendus. 90

Actus externus ab interno imperante informatur, & bonitatem ac malitiam accipit: secus de interno. 46.121

Quando actio externa pertineat ad eandem virtutem cum interna, quando non. 237.61

Actio externa dupliciter potest vitiari. 243.18

Solus actus externus accipit bonitatem ab imperante. 46.121. *Cuius ratio redditur. ibidem.*

Non omnis actus imperatus ob aliquem finem est electio. 49.142

Actus imperatus sæpè non respondet perfectioni imperantis. 51.156

Quæ actio sit supernaturalis secundùm substantiam, quæ secundùm modum. 64.16. *Prioris generis sunt actus virtutum theologicarum.* 68.39

Supernaturalitas actus nequit consistere in solo aliquo modo aut moralitate. 69.44.45

Dantur etiam actus virtutum moralium supernaturales in substantia. 48

Actus dupliciter potest dici supernaturalis ratione duplicis dependentiæ à principio supernaturali. 81. 108. *Non omnis actus causæ supernaturalis est supernaturalis.* 82.109

Actus exigens causam supernaturalem, quando sit supernaturalis. 83.117

Actus multipliciter potest esse secundùm modum supernaturalis. 122

Dantur hic aliquæ actiones ad salutem conducentes tam externæ quàm internæ solùm secundùm modum supernaturales. 84.129.& 85.30

Actus naturalis & supernaturalis sæpe habent idem obiectum formale. 88.19

Quòd actus supernaturalis sit altioris ordinis quàm naturalis, habet formaliter à sua essentia, effectiue à gratia. 90.31.32

Actus supernaturalis est totus omnino siue secundùm omnem suam partem supernaturalis, & totus vitalis à gratia. Item totus à potentia procedit. 92. 43.44.47. *Quo sensu dicatur produci à gratia qua supernaturalis, & à potentia qua vitalis. ibid. In eius productione potentia se habet solùm materialiter, malè dicitur.* 93.51. *Procedit à potentia & gratia ex parte similiter, ex parte dissimiliter, quàm Spiritus sanctus à Patre & Filio.* 94.61

Potentia est improportionata vt sola producat actum supernaturalem, non tamen vt eum producat cum gratia. 95.62

Cur nequeamus hîc distinguere an habeamus actum naturalem an supernaturalem. 95.67. & 122. 22

Potentia potest ad actum supernaturalem eleuari principio sibi extrinseco. 96.70

Actus supernaturales non requirunt alias species intelligibiles, quàm naturales. 109.75

Ratio cur actus supernaturales nequeant producere habitus supernaturales. 122.22

Potentia eodem modo ex parte sua influit in actum naturalem, & supernaturalem, & eodem omnino modo ab vtrisque afficitur. 95 68 & 122.22. *Ideò actus supernaturales quoad vim producendi habitũ planè similes sunt actibus naturalibus.* 122.23. *& solùm moraliter ad habitus supernaturalis infusionem aut augmentum concurrunt.* 123.24

Actus supernaturalis gignit habitum naturalem. 27. *Qui remanet in hæretico, & facilitat in iusto actus supernaturalis productionem.* 26

Quid requiratur vt actio sit vitalis 119.7. *Debet necessariò à potentia cui inest produci.* 108

Malæ actioni cooperans quando peccet. 357.207

Actiones aliæ necessariò bonæ, aliæ necessariò malæ; aliquæ communiter bonæ, aliæ communiter malæ. 208

Actio hic & nunc nata significare malam intentionẽ, aut malum producere, secundùm se mala est. 358. 209. *Ex duplici capite actio eiusmodi significationem accipit.* 210

Actus differentes possunt ab eodem habitu elici. 385. 128

Actus quomodo repugnent habitibus. 129

Actus plures non subordinatos an eadem eliciat potentia simul. 387.137

Actus vniuoci possunt versari circa obiecta æquiuoca. 391.17

Actum non theologicum an possit elicere habitus non theologicus. 396.49

Actum eum licitè nolo elicere, quem numquam teneor elicere. 405.109

Quomodo possis te habere circa actum reuelatum, licitum vel illicitum eliciendum. 408.127

Actu alio amo amicum, & alio mihi opto eius amicitiam. 416.23

Actus habens melius obiectum non semper est melior. 419.45. *Actus bonitas alia physica, alia moralis.* 46

Actus voluntatis boni faciunt hominem bonum, non tamen actus intellectus. 420.46

Actus aliarum virtutum ex se diriguntur in finem caritatis. 422.62

Actio vt sit vitalis quid requiratur. 423.68

Ex actibus voluntatis nascitur in appetitu quædam inclinatio. 436.2

Agens an sibi simile intendat. 442.38

Actus caritatis in via non respondent perfectioni habitus. 446.54

Actum commendat personæ dignitas. 87

Actus vnde deficiat à perfectione. ibid.

Actio an immediatè tendat in priuationem. 460.136

Actus caritatis qua ratione maneat in patria. 468. 10.12

Actus caritatis in quouis Beato est appretiatiuè & substantialiter perfectior quouis actu cuiuslibet viatoris. 469.18

Actus caritatis in eodem ferè semper est intensior in patria quàm hic. 470.22.24

Actum amoris supernaturalis potiùs quàm naturalis non est in nostra potestate elicere. 477.32

Ad actum caritatis eliciendum tenemur per se aut per acci-

Apostolus.

Apostoli vnà cum sacra doctrina eius sensum à Christo acceperunt, & posteris tradiderunt. 215.8

Appetitus.

Ex actibus etiam supernaturalibus gignitur in appetitu quædam inclinatio iuuans ad illos eliciendos. 124.31

Appetitus sensitiui impetũ sequitur voluntas. 469.16

Appetitus sensitiuus cur non inclinet propriè contra rationem, siue in malum. 500.34

Appetuntur multa per accidens, quæ secundùm se fugienda sunt. 620.1

Appretiatio.

Appretiatiuè quis magis amet. 446.57

Appretiatiuè vnus præ alio Deum magis amat. 453.93

Appretiatiuè sæpè amamus magis ea quæ intensè minùs amamus. 469.16

Appretiatiua perfectio est principalior, magisq; substantialis ipsi actui. 17

Appretiatiuè super omnia aliquem amare quid sit. 497.8

Amare appretiatiuè vnum proximum præ altero tam affectu interno quàm externo opere aliquando tenemur. 514.112.114. & 517.133

Arduum.

Quod bonum dicatur arduum. 367.18. *Nihil appetitur quia arduum appetenti.* 368.28. &c.

Aristoteles.

Aristoteles nullibi docet omne quod mouetur, ab alio moueri, sed solùm hoc asserit de inanimatis. 12.41.

Non docet potentias rationales esse indifferentes ad oppositа. 14.50

Non definit virtutem dispositionem perfecti ad optimum 309.23. *Cur fidem inter virtutes non numeret.* 310.28

Assensus. *vide* Fidei assensus & Theologia.

Assensus Catholici & hæretici circa eundem fidei articulum quomodo differant. 81.106

Assensus præmissarum non influit effectiuè in assensum conclusionis. 82.114

Assensus naturalis & supernaturalis eodem modo inclinant, ac sensibiliter afficiunt intellectum. 83.116

Nullus assensus nitens euidentiæ consequentiæ est fides. 183.121 *Actus à solo Deo in intellectu productus nec assensus est nec dissensus.* 189.29

Assensus non dicitur verus aut falsus per respectum ad suã causam, sed per respectum ad obiectum. 196.69

Nequit esse certior suo obiecto formali. 303.27

Differentia inter assensum & imaginem. 233.43

Assensus supernaturalis nequit esse falsus, potest tamen esse dubius. 248.46

Dupliciter contingit assensum esse firmum. 47

Incertus potest esse firmior certo, & liber certior necessario. 249.53

Assensu infirmo obiecto assentiens iudicat hoc esse incertum. 342.114

Apprehendere, apprehensio.

Bonum apprehensum velle possumus. 18.72

Apprehensio duplex: alia iudicio contraria, alia ei necessariò coniuncta. 79. *prior non sufficit ad volitionem.* 78. *secùs est de secunda.* 19.82

Congrua apprehensio obiecti facilitat operationem. 109.75.77. & 235.50. *Talisq; etiã in actibus spiritualibus in imaginatione gignitur.* 124.31

Vt aliquid melius apprehendamus, non semper est opus nouis speciebus.

Arbitrium. 307.13

Arbitrium tam voluntatis quàm intellectus actum significat.

Arbor. 5.1

Quo sensu Matthei 7. dicatur arbor mala non posse facere fructus bonos.

Atheus. 330.42

Quòd aliqui sint athei, prouenit ex mala voluntate. 325.16

Numquam sunt sine scrupulis. ibid.

Attritio.

Attritio propter metum pœnæ æternæ est donum Dei, fitq; ex impulsu Spiritus sancti. 393.30

Auaritia.

Auaritia Mauritij Imp. punita. 554.144

Auctoritas.

Auctoritate propria & cupiditate vindicta nullus in alium gladium stringere potest. 622.14

Auersio.

Auersio quando sit graue peccatum. 485.88

Auersio ex apprehensione mali excitatur, complacentia ex apprehensione boni. 605.9

S. Augustinus.

Non distinguit gratiam actualem in eam quæ dat posse, & eam quæ dat operari. 74.69. *Sed hanc distinguit à libero arbitrio, & lege. ibidem. aut à gratia habituali Adami.* 73.74. &c. *qua ratione distinguat gratiam datam Adamo à gratia Christi.* ibid.

Cur dicat angelos stetisse per liberum arbitrium. 75

Cur dicat Deum sua gratia nos facere operari, non tamen angelos aut primum hominem. ibid.

An senserit angelos ab initio vidisse Deum. 313.3. *Quid senserit de eorum gratia, & potestate perseuerandi, & cadendi. ibid. Qua ratione dicat eos vidisse creaturas in Verbo. ibid. 5. & 6. nec fuisse peregrinatos à Domino.* 315.18

Quo sensu tam ipse quàm aliqui alij Patres dicant omnia opera infidelium esse peccata, & virtutes vitia. 330.44. & 331.48. &c.

Auxilium.

Auxilium Dei nobis ad benè viuendum necessariũ est, partim internum, partim externum. 84.126

Auxilium necessarium ad seruandam legem naturæ statu puræ naturæ fuisset homini connaturale; tam tamen est secundùm modum supernaturale. 128.

Auxilium diuinum, & potentia vt causæ partiales producunt effectum supernaturalem. 92.43.47

Auxilia ad salutem quo casu possent alicui negari. 406.112. *quænam illa sint.* 115. & 116.117

Azyma.

An licitè vescamur azymis 151.168. *Cur Trullani canones prohibeant vesci azymis Iudæorum. ibid.*

Baptismus, baptizatus.

Baptismus cur dicatur Sacramentũ fidei. 300.78

Nullum implicitum votum continet. 333.64

Quandoque licitè baptizatur infans parentibus infidelibus inuitis. 510.88

Barbarus.

Barbaris & infidelibus an possit bellum inferri. 628.54.63

Beatus, beatitudo.

Beati cur necessariò ament Deum. 14.54. *Fides in*

iis non manet. 319.42
Beatitudinis amor solùm est liber quoad specificationem.7.10. Non possumus eam nolle, quia nihil mali in ea possumus apprehendere. 13.45
Beatitudo nostra est præmium infinitum, omne meritum superans. 131.32
Beatitudinis desiderium in Beatis est communiter actus amicitiæ. 385.130
Beati in cælo non habent verum spei actum. ibid. & quare. ibid. an in eis maneat habitus infusus spei. 131
Beati cur necessariò Deum ament. 386.136
Beatitudinem alijs optant Beati. 387.139
Beatitudo corporis an naturaliter manet ex animæ beatitudine. 388.144
Beatitudinem acquirunt animæ Purgatorij per graues cruciatus.146. an in Beatis sit timor mundanus & seruilis. 397.57. *in iis est duplex timor.*398.62. *apprehendunt valdè peccati malitiam.ibid. in iis est timor reuerentialis.* 64
Beatitudinem nemo potest odisse. 399.70.71
Beatitudinem quis desperet. 401.80
Beatitudinem non speramus vt possibilem, sed vt futuram. 404.105
Beatitudinem quis implicitè contemnat. 405.110
Beatitudinis an homo naturaliter sit capax. 435.156
Beatitudo nulla est homini naturalis. 157.& 158
Beatus minimus qua ratione sit maior quouis viatore. 450.79

Beguardi.

Quid Beguardi senserint de visione Dei. 64.19

Bellum.

Bellum defensiuum & etiam offensiuum licitum est. 621.11. *omne bellum iustum est aliquo modo defensiuum.ibid. quo sensu Prophetæ pacem tempore Christi futurã dixerint.*622.12. *militia quibus olim vetita.*17. *S.Martinus cur militiam abdicarit.ibid. ad belli iustitiam tres requiruntur conditiones.*623.18.22. *bellum merè defensiuum quodnam sit : quod bellum dicatur offensiuum.*20. *peccata quibus innocentes non læduntur, non sunt iusta causa inferendi bellum non subditis.*21. *iniuria ex duplici intentione vindicari potest.* 24
*Bellum aliàs iustum potest esse contra caritatem aut prudentiam.*624.26. *bellum erga non subditos solùm conceditur vt nos ac nostra integra conseruemus.*29. *pacem habere debet voluntas, bellum necessitas.*625.32. *bellum Dauidis contra Ammonitas.*37. *bellum inferens offerenti satisfactionem ad quid teneatur.* 38
*Belli causæ iustæ.*628.50. *debent esse graues.* 53
Bellum an possit inferri infidelibus & barbaris. 54
Bellum inferre offensiuum ad quem pertineat. 57
Vtrùm ciuitates subditæ principibus possint quandoque bellum indicere. 629.60.61
Bellum indicendi ius potest præscribi. 64
*Belli causæ prudenter examinandæ.*630.66. *quando disceptantium ius est dubium, res inter eos est diuidenda.*68. *iniuria quæ dicitur alteri illata non est compensanda, nisi id probetur.* 69
Bellum vtrimque licitum quando detur. 70. *compositio inter principes quando suadenda.* 72
*Bellum aliàs iustum quæ circumstantiæ reddant illicitum.*631.73. *consiliarijs principum quid agendum in bello indicendo.* 74
*Bellum iniustè indicentes aut consulentes, tenentur omnia damna inde secuta reparare.ibid. quid subditis hic agendum.*75. *causa iusta dubitandi de iustitia belli.*76. *in dubio semper præsumendum pro Catholicis contra hæreticos pugnantibus. ibid.*
Subditus licitè militat quamdiu causa belli sufficienter perpensa non apparet iniusta. 77.&80
Bellum hæreticorum contra Catholicos in dubio præsumitur iniustum. 632.85
Qua ratione sacerdos licitè milites hortetur ad pugnam. 633.88
Clerici licitè pugnant in graui necessitate. 91
Bellum licitè indicunt clerici qui sunt supremi principes. 634.92
*Ad bellum variæ personæ concurrunt.*93. *ad quid teneatur princeps culpabiliter non soluens stipendia.*94.& 95.& *officiales per quos stat quò minùs militi soluatur.* 96
Militi inopia presso quid liceat. 635.99
Princeps fidelis pugnans contra infideles licitè vtitur auxilio infidelium, eosq; iusta bella contra alios infideles gerentes licitè iuuat. 101. *Turcæ vix licitè in auxilium contra fideles vocantur.* 102. *iniquè Christianus iuuat infideles contra fideles.* 103. *Christiani remigantes in triremibus Turcarum Christianos oppugnantium an licitè id faciant.* 636.104
An offerentes satisfactionem de damnis ad pacem debeant admitti. 105
Fouentes iustam causam licitè in bello vtuntur insidijs. 109
Qua ratione licitè aut illicitè in bello occidantur innocentes. 110.& 111.& 114
Ecclesiastici innocentes illicitè spoliantur. 637.118
*Regnum iustè deuicti an occupare possit victor.*628. 121. *bona quæ vna nocte fuerunt in hostium potestate cui cedant.* 122.&123
An tota ciuitas possit tradi militibus diripienda. 127
Licitè pugnatur die festo. 639.128
*Victor sit Superior deuictorum iusto bello.*129. *Repressaliæ an licitæ.* 133. *quis eas possit concedere. ibid. quæ vetitæ.* 136

Benefactor, beneficentia.

Benefactor an præponendus patri in necessitate. 520. 153
Benefactor parenti potest aliquo casu, non tamen necessariò, præferri. 155.& 156
Benefactorem plus amare debemus quàm beneficiatum. 522.167
*Beneficentia per se pertinet ad caritatem Dei, aut proximi.*530.1. *quis ordo in ea seruandus.* 2.
Beneficia non tenemur omnibus æqualiter conferre. 628.52

Beneficia, beneficiarij.

Beneficiati tenentur fidem profiteri. 300.81
Beneficiatorum bona triplicia. 559.173
Beneficia plura à quibus possint haberi cum dispensatione. 563.194.195
Beneficij fructuum dominium non acquirit Religiosus beneficiatus. 564.200

Benevolentia.

Benevolentia quomodo differat ab amicitia. 466.1.2
Benevolentiæ signa quando teneamur inimico ostendere. 486.93.97.98

S. Ber-

S.Bernardus.

Locus eius difficilis de libertate explicatur. 7.14

Blasphemia,blasphemus.

Teneor blasphemantes corripere,etsi non sperememendationem. 300.80

*Blasphemi correptio.*567.4. *ad eam teneris etiamsi non speres eius emendationem.* ibid.

Blasphemia an possit duello reprimi. 641.4.& 644.26

Bonus, bonum,bonitas.

*Bonum in communi,ac necessariò ei connexa liberè hìc amamus.*14.51. *Quare id nequimus odisse.*ibid.

Bonum ex duplici causa deserimus. 17.69

Eadem res vni bona,alteri mala, & peior quo perfectior. 28.2

Actio sæpè est bona quam operans iudicat malam, & contrà. 31.19 20. *Potest esse modò bona formaliter,modò non bona formaliter,physicè inuariata.* 32.27.

Quis actus in quauis virtute sit optimus. 161.179

Bona communitati distribuēda sunt duplicia. 141.84

Quando ex eorum mala distributione oriatur obligatio restituendi. ibid.& 142.85

Bonitas alia transcendentalis alia respectiua. 28.1

Priore actus peior potest esse melior minùs malo aut etiam bono; solaq; priuatio ei opponitur. ibid.

Bonitas respectiua in quo consistat. 29.6

*Bonitas alia physica, alia moralis.*7. *Hæc solam naturam rationalem, siue intellectualem respicit.* ibid.

Alia est formalis, alia materialis. 8. *Hæc etiam externæ actioni intrinseca,prior solis internis.* ibid.

*Vtraque necessariò fundatur in tendentia potentiæ in obiectum.*30.9 *In quo consistat.*31.16.&32.27

Bonitas formalis includit libertatem. 32.27

Bonitas obiectiua in quo consistat. 33.32

Ad bonitatem actus plus requiritur quàm ad malitiam. 37.60

Bonitas moralis non est pars essentialis actus. 42.97. *& formalis est ei omnino accidentalis.* 100

*Materialis quosdam actus essentialiter comitatur.*43.102

*Bonitas actus interni præcipuè crescit ex maiore appretiatione obiecti formalis.*161.179. *Difficultas obiecti per se eam potiùs minuit quàm auget.* 180. *per accidens eam sæpè auget.* 182.&c.

Bonum voluntati propositum an eam naturaliter in sui rapiat amorem. 386.136

Bonum est, quod ex se natum est excitare ad solum bonum. 394.32

Bona summæ excellentiæ quomodo excitent horrorem. 398.61

Bonum natura sua in Deum refertur, quia ipse est finis rerum. 416.23

Bonitas moralis actus vnde augeatur. 419.46

*Bonum nolle alicui qua ei bonum, est eum odisse.*484.85

Bonorum iacturam teneris pati vt grauiter laboranti succurras. 511.100

Bonum alterius variis modis optamus. 513.108

Bonum apprehendimus quadrupliciter,vnde quadruplex oritur affectus. 514.1

Bona communia cùm maritus dissipat, quid circa ea liceat vxori. 540.57

Bona quadruplicia filijfamilias. 60

Bonorum alienationes post commissum crimen factas an possit princeps reuocare. 63

Bonum publicum priuato præferendum. 549.117

Bona castrensia quomodo expendere possit filiusfamilias. 540.58

Bona qua ratione iure naturæ sint communia. 544.85.87

Bona cur nobis à Deo data. 551.128. *bona diuitum quo sensu dicantur esse indigentium.* ibid.

Bona fortunæ & vita quomodo inter se possint conferri. 553.136 137.138

Bona Ecclesiasticorum triplicia. 559.173

Bona clerici sustentationi superflua quomodo expendi debeant. 561.184

Bona an Ecclesiasticis data sint cum conditione superflua dandi pauperibus. 562.190

Bonorum Ecclesiasticorum quarta pars an debeatur pauperibus. 191

Bona superflua decenti sustentationi tenetur clericus in pias causas expendere. 192

Bona sua an laicus possit expendere in res profanas. 193

Bona iniustè acquisita sunt triplicia. 565.207.208

Bonum innocentis præponderat famæ nocentis. 589.148

Bonum communitatis magis pendet à Religiosorum bona vita. 595.185

Bono communi vtile vt defectus aperiantur. 601.211

In malo qua tali potest reperiri ratio boni. 605.7. *bonum duplex in malo appetitur.* 8

Bonitas & malitia personæ sunt causa amoris vel odij. 10

Triplex tristitia de bono diuino. 613.2

Bona diuina in nobis sunt duplicia. 614.4

*Quadruplex dolor de alieno bono.*615.13. *Dupliciter potes alteri suum bonum eripere.* 16

*Bonum vnius dupliciter destruit alienum.*17. *Qua ratione inuidus de alieno bono doleat.* 616.18

Bonis an iustè spolientur innocentes in bello. 636.112.115

Bona mobilia in bello iusto capta cedunt capienti. 638.121. *bona verò immobilia ab hoste capta an cedant principi aut reip.* ibid.

Bona quæ vna nocte fuerunt in hostium potestate,cui cedant. 123

Bona ab hostibus iniustè capta an licitè emantur. 126

*Bonorum tuorum inuasorem an possis occidere.*644.25

Bona duellantium & eorum patrinorum sunt fisco addicta. 29

Brutum.

Cur brutum nequeat eleuari vt intelligat. 65.22

Bursæ.

*Bursis fruentes tenentur diligenter studere.*562.190

Cæremoniæ.

Cæremoniæ legis in Scriptura dicuntur iustitia. 119.22

Numquam licitè veteris cæremonijs falsæ religioni proprijs. 293.39

*Cæremonijs Iudaicis initio Christiani licitè vtebantur.*294.42. *Iam verò id nullo modo licet.*295.47.

Infidelium cæremonijs an licitè intersimus. 297.61.&c.

Calor, calidum.

Caloris inductio & frigoris expulsio sunt simul natura. 112.87. & 113.96. Item caloris productio & in subiecto receptio. 113 97
Quomodo se habeat expulsio frigoris respectu inductionis caloris, & contrà. 115.106
Calor & frigus an in eodem possint conseruari. 432. 132. & 433.146
Calor quomodo in instanti possit perire. 441.28

Calumniator.

Calumniator habetur qui crimen obijcit quod probare nequit. 591.162
Calumniantem in iudicio cur potiùs liceat prouocare ad duellum, quàm clam occidere. 643.20

Caritas.

Nequit procedere ab habitu ad quem disponit. 114.99. Ab eodem tamen postea conseruatur. 117.113
Actus caritatis minùs intensos eliciens non regreditur, sed progreditur. 152.137
Melius est actū caritatis media hora continuare, quàm plures interruptos eo tempore elicere. 155.153
Caritatis habitus infunditur peccatori non vt conteratur, sed quia contritus. 115.103. quare eius augmentum potiùs quàm gloria statim conferatur. 152.140. est vita animæ ac virtutum. 254.88. qua ratione in ea fundemur ac radicemur. 255. 89
Cur quouis peccato mortali pereat. 329.38
Caritas augetur quouis opere bono hominis iusti. 153. 142. idq; statim atque opus fit. 154.147
Caritas & spes cur pereant pereunte fide. 388.149
Ab eius habitu timor filialis in iustis elicitur. 392. 24
Caritatis actum præsupponit timor filialis. 393.25
Caritate aucta, an augeatur timor filialis. ibid.
Caritate crescente an crescat timor. 395.39
Caritas an consistat cum timore seruili. 396.50
Caritas nobis inhærens in iustificatione infunditur. 413.2
Deus verè & essentialiter est caritas; non tamen est ea qua nos eum diligimus, sed qua ipse nos diligit. 414.6. Deus non est solùm obiectum caritatis quatenus est auctor rerum supernaturalium. 9. Obiectum formale caritatis est bonitas Dei, qua in se infinitè bonus & perfectus est secundùm omnem rationem entis. 415.12
Caritate amamus Dei conspectum, non quatenus per eum beamur, sed quatenus per eum Deum nobis præsentem fistimus. 15
Caritas mutua inter Deum omnesq; iustos habet rationem veræ amicitiæ. 416.20
Caritas tam infusa quàm acquisita est vera virtus. 418.37
Caritas qui differat à fide & spe. 38
Caritas vt facilè operetur, indiget sæpè auxilio aliarum virtutum. 419.42
Caritas perfectissima inter virtutes est: in quo consistat hæc maior perfectio. 44
Caritatis actus inter virtutum actus est in genere moris ex genere suo perfectissimus, siue optimus. 420. 54
Caritas virtutum omnium perfectionem in se continet. 421.54.55
Caritas etiam physicè est perfectissima virtutum. 421.56.57
Caritatis actus cur sint perfectiores. 58
Caritas tribuit alijs virtutibus quòd sint meritoriæ. 422.62
Caritas qua ratione sit forma aliarum virtutum. ibid.
Caritas qua ratione distinguatur à gratia iustificante. 65
à Caritatis habitu an gratia iustificans distinguatur. 424.79 81
Caritas qua ratione sit causa vt simus filij Dei. 428. 110
Caritas an sit in voluntate. 436.1
Caritas an sit æqualis in omnibus iustis, & an in ijs augeri possit. 3
Caritas potest esse maior in vno quàm in alio, & in eodem augeri. 439.18
Caritas meretur augeri, vt aucta mereatur perfici. ibid.
Caritas quomodo augeatur. 19
Caritatis actus eliciens potest se quadrupliciter habere. 446.56. caritatis actus habet duplicem perfectionem. 57
Caritatis actus non recipit tot gradus gratiæ habituatis, quot ipse habet. 58
Caritas in via augeri potest. 447.64
Caritas potest à Deo magis ac magis in infinitum intendi. 449.72
Caritatis perfectio quoad ostensionem siue exhibitionem externi operis in quo consistat. 448.66
Caritatis habitus an sit semper intensior in patria quàm in via. 449.73
Caritas nostra cur hic sit imperfecta. 450 78
Caritatem an habeant multi viatores intensiorem quàm aliqui Beati. 452 88
Caritas quomodo possit perfici, aut dici perfecta. 91
Caritas quadrupliciter dicitur perfecta. 91. & 93
Caritatis habitus an per peccata venialia possit minui. 453.96.99
Caritatis habitus intensio non minuitur per peccata venialia. 99
Caritas est semen gloriæ. 455.105
Caritatem æqualem habentes an æqualiter à Deo amentur. 457.117
Caritas an quouis peccato mortali tollatur. 118. & 121. & 460.130
Caritas est vita animæ. 460 130
Caritatis actus qua ratione maneat in patria. 468. 10.12
Caritatis præceptum dicitur primum, quia præcipuum. 476.28
Ad caritatis actum eliciendum tenemur per se vel per accidens. 479 47. quando incipiat caritas Dei nos per se obligare ad suum actum. 50
Caritatis actum tenemur per se elicere circa articulum mortis. 51. & aliàs sæpe. 53
Caritas solum imperat dilectionem proximi quando in eius bonum cedit. 481.61 63
Caritatis ordo. 495 1
Caritatis actus inuoluit aliquam comparationem Dei ad creaturas. 497.13
Caritatis actus non requirit certam intensionem. 498. 19
Caritas in quæ inclinet. 502.44.45.46
Caritas semper inclinat in illud opus vel desiderium, quod hic & nunc Deo magis placet. 503 47

Caritas fertur in bonum cum respectu ad suum subiectum. 504.58. *ordo caritatis an in patria mutetur.* 60

Caritas non inclinat ad opus, ex quo per se sequitur minor perfectio operantis, quam ex eo quod huius causa omittitur. 505.62

Caritas in solis bonis spiritualibus nos obligat vt amemus nos præ alijs. 509.83

Caritas inclinat nos vt proximum quemlibet quàm possumus intensissime amemus propter Deum. 513. 110.112

Caritatis ordo an maneat in patria. 524.176

Caritas & gaudium & tristitiam gignit. 525.8

Caritas primò & præcipuè operatur pacem internam. 527.20

Ex caritate, non autem ex iustitia, superflua debent dari indigenti. 547.104

Caritas non manet in eo qui non succurrit proximo. 550.125

Caritas Dei & proximi obligat ad correptionem fraternam. 569.14 15

Caritas ex duplici capite præ alijs obligat Superiorem vt inquirat ac corrigat subditorum vitia. 578.76 78

Schisma est peccatum contra caritatem. 620.46

Caritas obligat vt ab altero amoueas peccandi occasionem. 652.69

Caro.

An liceat Catholicis die prohibito vesci carnibus, si id sit necessarium vt vitent graue periculum. 295.50

Carthusiani.

Carthusiani an licitè abstineant à carnibus cum vitæ periculo. 509.83

Carthusianorum institutum vetat comedi carnes etiam in mortis periculo. 603.224

Castitas.

Castitatem vtrùm tenear in altero conseruare. 569. 13

Castitas similesq; virtutes non obligant me grauiter vt vitia ijs contraria in alijs vitem. 648.46

Catholici.

Pro Catholicis contra hæreticos pugnantibus in dubio semper præsumendum. 631.76

Causa.

Causa agit posteriùs natura quàm sit. 113.93. *Et consequenter posteriùs natura quàm sint ea à quibus in suo esse pendet.* 94

Causa partialis potest esse imperfectior suo effectu, & cum alia producere effectum similem suæ causæ æquinocæ. 118.4

Qua ratione possit aliquid esse causa suæ causæ. 149. 123

Causa alicuius effectus, est causa eius quod hunc immediatè consequitur. 196.68

Deus non est causa actus mali. 70. *Quare.* 198.83

Non omne concurrens ad aliquem effectum est huius causa. 81.&c.

Potest aliquis esse causa alicuius actus, etsi non sit causa cur sit talis speciei. 92.44

Qua ratione possint ac non possint duæ res sibi mutuo esse causæ. 111.82

An simus causa malorum quæ præter nostram intentionem ab alijs fiunt. 403.98.99

Certus, certitudo.

Alia est certitudo materialis quæ conuenit propositioni, alia formalis quæ conuenit assensui. 246.37

Propositio potest dici certa secundùm se, incerta quoad nos, non tamen assensus. ibid. *Ex eo quòd mens assensus procedat ab habitu supernaturali, aut nequeat esse falsus, non est necessariò certus.* 247. 39.&c.

Quid sit certitudo formalis, quæq; ad eam requirantur. 44. *Cur nequeat esse in assensu quo hæretici credunt obiecta fidei.* 45

Quæ cognitio dicatur moraliter certa. 286.273

Non sumus omnino certi nos credere præcisè ob auctoritatem Dei. 274

Certum est Deum dare gratiam facienti quod in se est; non sumus tamen certi nos facere quod in nobis est. 287.276

An possim certò scire me esse Christianum. 277.

Actus voluntatis solùm metaphorice dicuntur certi. 379.86. *quæ requirantur vt actus voluntatis sit certus.* 87

Qua ratione nostra spes sit certa. 380.93

Christianus.

An possim certò scire me esse Christianum. 287.277

Christianus peccat dicendo se esse Lutheranum, aut gestando pileum flauum; secus est in Iudæo aut Lutherano. 299.69.70.71

Christiani magis diligendi præ infidelibus cæteris paribus. 518.142

Christianorum bella quando compositione sedari debeant. 631.72.73

Christiani in Scriptura dicuntur liberi, non à subiectione, sed à peccato. 349.155

Christus.

Qua ratione Christus fuerit liber. 23.16

Merita Christi per nostra magis illustrantur. 129.25. *quia ipse nobis vim merendi meruit.* ibid. *Qua ratione nostra merita ex ipso dignitatem accipiant.* 132.55

Vt nobis de condigno mereretur indiguit promissione, ideoq; nec infinitam nec omnibus efficacem gratiam meruit. 135 51. *Hoc non obstante eius merita sunt peccato potentiora.* 53. *Quomodo meruerit antiquis de condigno.* 136.54

An Christus ante mortem actum spei elicuerit. 387. 141.143

Omnis operans ob finem supernaturalem id facit propter Christum. 138.66

Christus in sola nostra opera supernaturalia influit. 139.69

Per Dei potentiam potuit mereri assumptionem humanæ suæ naturæ. 149.127

Opera nostra fieri in Christo quid sit. 153.142

Aliter Christus suis omnibus operibus meruit nostram redemptionem, aliter nos nostris meremur gloriam. 143

Quo sensu dixerit se ignorare diem iudicij, aut non ascensurum ad templum. 193.53

Qua ratione circa natiuitatem poterat credi natus aut nasciturus. 197.79. *Tribus modis olim potuit credi Christum venturum.* 162.130. *Sine eius fide ac meritis nemo saluatur.* 265.147.&266. 154.&c. *Quæ dicatur fides in Christum.* 267.157. *Statim à lapsu Adami promissus.* 159. *Quomodo fides in Christum comparetur visioni serpentis.* 269.168

Cibus.

An ad vitandum periculum liceat vesci cibis prohibitis. 295.50

Cir-

Circumcisio.

Christianis iam omnino illicita, & Abyßini eam vsurpando grauiter peccant. 295.47. *Quo sensu ad Galat.5. dicatur circumcisus obligari seruare totam legem.* 334.68

Circumstantia.

Circumstantia actionis quid sit, 52.158. *Actioni est accidentalis.ibid. Alia huic accidit in natura, alia in esse moris ibid. Actionem necessariò aliqua ratione immutat.*159. *Quædam sub vna ratione sunt actioni essentialia, sub alia circumstantiæ* 160.& 161.&c. *Qua ratione det quandoque primam speciem.*162. *Quando transferat ad aliam speciem, quando non.*164 & 167. *Illud sit tripliciter.* 165

Qua ratione quantitas rei aut ratio moralis sint eius circumstantiæ eamq; immutent. 52.169.170.171

Circumstantiæ actus sæpè sunt essentiales interno. 54. 176

Cur aliquid volitum possit esse circumstantia respectu volitionis, non tamen aliquid cognitum respectu cognitionis. 179

Circumstantiæ mutantes speciem sunt necessariò aliquo modo volitæ: secùs de alijs. 180

Dantur veræ circumstantiæ actus interni. 55.184

Non omnis circumstantia bonitatem aut malitiam actus augens est volita. 183

*Actus externus potest habere primam bonitatem aut malitiam ex circumstantiis.*186. *Internus nequit inde habere primam bonitatem.*187. *bene tamen malitiam.* 58.188

Circumstantia peccati ad quod alium inducis, quomodo in confessione explicanda. 648.47

Inducens complicem vt secum peccet, hoc debet in confessione exprimere. 649.55

Ciuitas, ciuis.

Ciuitates subditæ principibus an possint bellum indicere. 629.60.61

Ciues reipub. simul constituunt vnum corpus, atque ita censentur aliquid vnum. 637.113

Ciuitas an possit tempore belli tradi militi diripienda. 638.127

Claues.

Qualis potestas per claues in Scriptura significetur. 214.3

Clericus.

Clerici communiter nullum omnino habent ius ad beneficia sibi conferenda. 141 80

Clerici honesta sustentatio quid exigat. 560.178

*Clerici quid possint dare suis cõsanguineis.*181.& 183

Clerici sustentationi superflua bona quomodo debeãt expendi. 561.184. *sunt domini fructuum suorum beneficiorum.* 185

Clericorum obligatio strictior dandi eleëmosynam in quo consistat. 562.193

Clericus quando dicatur notabilem summam expendisse in vsum profanum. 563.193

Clericis prohibita est militia. 632.86. *quia decet eos esse mites.* ibid.

Clericus in sacris Ordinibus constitutus licitè pugnans non fit irregularis occidendo. 633.91

Clerici licitè pugnant in graui necessitate. ibid.

Clerici qui sunt supremi principes, licitè bella indicunt. 634.92

Cognatio.

Cognatio spiritualis multiplex. 517.136

Cognitio. *Vide* Intellectio.

Cognitio non influit in actum voluntatis. 26.136

Non omnis cognitio ad libertatem necessaria est causa cur agam. 27.139

Cognitio non dat voluntati vim agendi, aut non agendi, sed solùm est conditio ad hæc requisita. 141

Diuersitas formalitatum ob quas aliquid appetitur, non est in cognitione, sed in obiecto. 142

Diuersitas inter volitionem & cognitionem quoad circumstantias. 54 179

*Accipit suam perfectionem præcipuè à potentia cognoscente.*88.8. *Quando possit niti obiecto formali obscuro.* 175.73

Cognitio nixa alieno testimonio potest esse scientia à posteriori. 183.115

Quædam cognitiones ex se honestæ sunt. 240.79

*Naturalis & supernaturalis reddunt obiectum voluntati æqualiter appetibile.*258.109. *Qua ratione naturalis dicatur improportionata volitioni supernaturali.* ibid.

Quid requiratur vt cognitio sit practica. 308.17

Cognitio tripliciter se habet respectu obiecti appetitus. 370.43

Cognoscere in Scriptura sæpè sumitur pro approbare. 311.41

Cognoscendi modus non semper præcedit modum amandi. 389.4

Cognoscẽs Deũ nequit directè eũ nolle videre. 385.129

Cognitio falsi supponit cognitionem veri. 389.4

Cognitio Dei obligat nos ad eius amorem. 479.50

Comminatio.

Comminatoria reuelatio quid sit. 407.120

Commune.

Communia qua ratione sint omnia iure naturæ. 544. 85.90

Communibus rebus qua ratione vti liceat. 545.91

*Communia omnia qua ratione ius naturæ faciat.*546 100

Communio.

Communio sacra in paschate an aliquando possit omitti. 652.71

Communitas.

Communitati graui periculo spirituali laboranti teneor cum periculo vitæ succurrere. 511.98

Communitatis grauia mala tenemur etiam cum periculo vitæ auertere. 585.126

Communitati quando tenearis succurrere etiam statu Religioso dimisso. 651 66

Complacentia.

Complacentia ex apprehensione boni naturaliter excitatur. 605.9

Complex.

Complicem inducens vt secum peccet, hoc debet in confessione exprimere. 649.55

Compositio.

Compositio inter disceptantes principes quando suadenda. 631.72.73

Concessio.

Concessio generalis an includat quæ non esset quis in specie concessurus. 600.208

Concilium.

Concil. Trident sess.6.c.5.1ta vt tangente.&c 10.30

Ibid.& can.4. Mereq; passiue,&c. 93.51.& 94.57

Sess.6.c.7. Vnde & in ipsa iustificatione,&c. 100. 20.& 101.23.&c.

Ibid. Hæc omnia simul,&c. 105.52

Sess. 6. c. 8. Gratis autem iustificari, &c. 253.77. *&c.*
Sess. 6. c. 16. Quomodo opus meritorium debeat fieri in Christo. 139 69
Concilium Trullanum illegitimum fuit, nec vmquam à Romana Ecclesia receptum, sicut nec eius canones. 351.168
Concilium Arausicanum quo sensu damnet hanc sententiã: Sine gratia Dei credentibus, desiderantibus, pulsantibus nobis misericordiam conferri. 79.97
Conciliorum aliquid definientium verba propriè intelligenda. 100.19
Quid requiratur vt censeatur Concilium aliquid definiuisse. 99.14 15 *&* 100.18.19
Concilium Trident. definiuit nos iustificari per formam nobis permanenter inhærentem. 102.31. *atque adeò per veros habitus.* 32. *Cur hîc in sua definitione non vtatur nomine habitus.* 103.35
Sentit fidem & spem sæpè nobis infundi ante caritatem. 105.52
Quo sensu dicat fidem, spem & caritatem nobis simul infundi. 100.57

Concio, concionator.

Concionator sapè vtiliùs catechistica quàm Euangelium explicaret. 273.195 *&* 278.229
Conciones hæreticorum adire quando abest periculum & scandalum, ex iusta causa licet, non tamen ex sola curiositate. 296.55. *tribus casibus repugnat confessioni fidei.* 56. *&c.*
Concionator an teneatur peccata publica publicè reprehendere. 583.113
Concionator quomodo iuuabit eos qui in peccatis occultis iacent. 592.171

Conclusio.

Conclusio Theologica quæ dicatur. 81.103
Conclusio tripliciter potest inferri ex præmissis de fide. 183.119
Duplici consequentia potest inferri ex alia propositione. 183.120

Concursus.

Cur aliquis concursus Dei sit naturalis, alius supernaturalis. 163.12
Tam Deus quàm homo licitè concurrit ad actum ex se bonum, mala voluntate imperatum. 245.30

Condemno.

Condemnare seipsum quo sensu dicatur peccator dum alios iudicat. 576.63

Condignum meritum. *vide* Meritum condignum.

Meritum de condigno inducit obligationem iustitiæ, aut saltem fidelitatis. 127.10. *Quomodo differat à congruo.* 12
Meritum absolutè sumptum significat condignum. 128.17
Opus dupliciter dicitur condignum præmio. 130.29. *Differentia inter has condignitates. ibid.* 30. *Qua ratione nostra merita sint condigna vita æterna.* 131.32. *Vnde nostra opera habeant quòd sint condigna præmio æterno.* 132.34. *Qua ratione opera Deus remuneret supra condignum.* 452.87

Conditio.

Conditionatæ promissiones. 537.41

Conducere.

Quando conducens alienam operam medio pretio teneatur id supplere. 136.58

Confessarius, confessio.

Cur externus actus in confessione exprimendus. 41.90
Quid confessario agendum circa ignorantes res fidei. 279.231. *&c.*
Confessarius quid iniunget iis qui inimicitias fouent. 486 92
Confessarius quomodo se geret cum pœnitente cuius crimen alius ei reuelauit. 592.170
Confessarij scandalum vitandum. 651.62
Odium qua ratione in confessione explicandum. 613. 61
Confitens debet exprimere ad quod peccatum alium induxerit. 649.56
Facilius in paschate ex causa non integrè confiteris, quàm confessionem omittas. 652.71
Confessio non integra an possit fieri ad cauendum confessarij lapsum. 652.71

Congruum meritum. *vide* Meritum congruum.

Differt à condigno, & à vero merito deficit quia nullã veram obligationem parit. 127.12. *Promissionem non requirit, ei tamen non repugnat.* 14. *Quod ei rependitur potest esse gratuitum & liberale.* 128.15. *Non est verum meritum, sed solum secundùm quid.* 17. *In quo consistat.* 144.99

Connexa.

Quando duo sunt inseparabiliter connexa, si vnum non sit in mea potestate, nec alterum erit. 21.99. *&* 22.104

Consanguinei.

Consanguinei an præferendi nostræ curæ commissis. 520.151
Consanguineis suis quid possint dare clerici. 560. 182.183

Consiliarij.

Consiliarij principum belli causas diligenter examinent. 631.74

Consilium.

Consilium aut auxilium ad duella dantes sunt excommunicati. 644.29

Constantia.

Constantia in rebus arduis vnde oriatur. 453.95

Constitutio.

Constitutio, vt quilibet suum peccatum extra confessionem ad Superiorem referat, an sit iusta. 601. 211
Constitutiones S. Bonauenturæ de defectibus aperiendis. 602.218
Constitutiones Societatis Iesu reprehendens iniurius est Pontificibus eas probantibus. 221. *constitutiones Societatis eiusdem à pluribus sunt Pontificibus approbatæ.* 223. *&* 225

Consuetudo.

Consuetudinem & præsentiam impiorum quando licitè auersemur. 612.56

Contemplatio.

A contemplatione quæ causæ nos meritò auocent ad actionem. 506.69
Contemplationem cum actione miscere perfectionem iuuat. 70. *&* 71

Contemptus.

Potest quis sine sua iniuria esse occasio cur à vanis hominibus vilipendatur. 641.8

Contentio.

Contentio quænam licita, quænam illicita. 618.34

Contingens.

Contingens aliud generatim, aliud speciatim sumptum. 340.107

Contractus.
Contractum an irritet error. 543.81.82
Contradictoria.
Contradictoriæ quale instans respiciant. 464.163
Contritio.
Contritio nequit produci ab habitu ad quem disponit. 114.99. *Disponit ad gratiam quatenus est libera actio.*115.101. *Secundùm quoddam esse morale est hac posterior.*150.130. *Meretur de condigno primam gloriam.* 131
Conuersatio.
Conuersationem & præsentiam impiorum quando licitè auersemur. 612.56
Conuertere.
Conuertere nos ad Deum an teneamur in primo instanti rationis. 478.39.48
Cornelius Centurio.
Fuit iustificatus ante baptismum, & habuit implicitam fidem Christi. 271.179
Correctio, correptio.
Correctio iudiciaria adhibenda, etsi desit spes emendandi correptum. 582.106
Correctio est finis & effectus correptionis. 566.1
Correptio fraterna est propriè actus misericordiæ siue caritatis. 3
Correptio iudicialis, fraterna, restitutiua, paterna. 567.4
Correptionis præceptum est iuris naturæ. 568. 10. *Caritas Dei & proximi ad eam obligat.* 14
Correptio fraterna versatur circa peccatum mortale proximi. 570.20
Corripere venialiter peccantem quando teneamur. 571. 31.32
Corripere teneris peccata præterita, futura impedire. 572.35.38
Correptionis fructus vnde spectandus sit. 573.40
Corripere infideles an teneat. 574.49
Corripere teneris publicè & ex consuetudine peccantes. 50
Corripere Superiorem peccantem subinde teneris. 575. 52.53. *modus in ea re quis seruandus.* 54.& 55
Corripere peccantes præ alijs tenetur Superior. 58
Corripere alios qua ratione debeat peccator. 576.64
Corripere peccantem an peccator teneatur. 59.& 62
*Correptionis fraternæ præceptum quando obliget.*580. 87 *& seqq.*
Corripis periculosè peccatum de quo dubitas an factum sit. 88
Corripere alium non teneor cum periculo vitæ proximi. 581.98
Correptionem quando possim omittere. 582.104
Corripere teneor vt auertam ab alijs damnum, etsi credam correptum peiorem futurum. 107
*Correptio defensiua quid.*583.109. *correptio paterna quandoque adhibenda sine spe emendationis.* 110
Corripere tenetur Superior subditum, etiamsi sciat non emendandum. 111.& 112
Corripere non teneor peccantem alia ratione emendandum. 115.& 116.& 117
Corripere teneor peccantem in periculo peccati aut damnationis 584.121.122. *non teneris communiter corripere fratrem cum graui tuo incommodo.*124. *Superior sæpè tenetur subditos corripere etiam cum graui suo incommodo.* 125
Corripere omittens priuatus non ita sæpè peccat mortaliter. 585.127
Correpturus alium an se ad id aptum teneatur reddere. 128
*Correptionis ordo à Christo præscriptus an necessariò seruandus.*587.135.138. *famæ correpti consulendum.* 139
Ordo in correptione seruandus, est iuris naturæ. 588. 140
Correptionis ordo in sex casibus non seruandus. 589. 147
In correptione fraterna cur testes adhibendi. 590. 153.154.& 592.166
Correptio fraterna aliter instituenda cum secularibus, aliter cum Religiosis. 595.184
Correptionis fraternæ ordo in solius corripiendi fauorem obligat. 599.205
*Corripere alium efficaciter sæpè nequit priuatus.*601. 212
Credere.
Quando prudenter credamus Deo dicenti se esse veracem. 170.41
Cur potiùs Deo quàm homini dicenti se esse credamus. 43
Credens alicui quatuor format iudicia. 173.58
Qua ratione auctoritas Dei moueat me vt credam eum aliquid reuelasse. 176.75
Nec Deo nec homini possum credere si nihil mihi dicat. 196.74
Credere Deum esse etiam doctis necessarium est ad salutem. 201.18
Cur Patres dicant nos credere non visa, & non credere visa. 204.35.&c.
Leuiter credens quomodo peccet. 238.69
Quæ dicamur explicitè, quæ implicitè credere. 258. 112
Quæ fidelis peccator teneatur explicitè credere vt iustificetur. 59 114. *& quæ infidelis.*115.
*Nequeo credere implicitè quæ secluſa ignorantia nequeo credere explicitè.*261.126. *Quænam teneamur explicitè credere.*259.115.&c. vide *Fidei interna necessitas.*
Quomodo differant credere Deo, Deum, & in Deum. 279.234. *Secundùm phrasim Scripturæ idem significant, atque adeò peccatores dicuntur credere in Deum & nos in Sanctos.* 280.236
Sine speciali reuelatione nequeo credere mihi remissa peccata. 282.253
Credo obiectum meæ fidei esse certò verum, non tamen credo me credere. 286.272
Non sumus omnino certi nos credere præcisè ob auctoritatem Dei. 274
*Cur ad Rom.*10 *dicamur credere corde.* 306.2
Positiuè nolens credere est positiuè infidelis. 322.5
Credibilitas fidei prærequisita.
Euidentia credibilitatis quandoque parit euidentiam veritatis, quandoque non. 206.47
Credibilitas verum fidei euidenter demonstrari potest per notas Ecclesiæ. 210.71.&c.
Creditor.
Creditori extremè egenti non tenetur pater succurrere in pari necessitate filij. 523.169
Creare, creatio, creatura.
Vtrùm aliquis possit mereri suam creationem. 149. 121
*Omnis creatura nobis Deum eiúsque prouidentiam annunciat.*323.10. *& facile cuiuis aliquam Dei suspicionem injcit.* 324.14

Parentes sunt etiam causa cur Deus animam creet. 520.154

Crimen.

Crimen qui obijcit, quòd probare non potest, calumniator habetur. 591.162. *crimen secretum alicuius aliquando aperiendum eius confessario.* 170

Culpa.

Nihil habet rationem culpæ, cuius malitia est omnino non voluntaria ratione ignorantiæ. 277.223
Culpa est obiectum materiale filialis timoris. 392.23
Culpam an absolutè detestemur propter pœnã. 393.28
Ob eam possum timere à Deo vel ab homine. 29.&30
Culpam an debeamus plus timere quàm pœnam. 395.41

Cupiditas.

Cupiditas inordinata qua ratione excluſa ab Adamo & à B. Virgine. 470.19

Cura.

Curam magnam iustorum gerit Deus. 418.31
Curam animarum habens tenetur peste infectorum confessionem audire cum vitæ periculo. 510.89.97
Curæ nostræ commissi magis amandi cæteris paribus, in rebus quæ ad maiorem profectum conferunt. 518.143
Curas licitè tua præ alienis. 519.146

Dæmon, damnati.

Daemon inuitus necessitatur assentiri rebus fidei. 202.23.&316.27. *nec ipse tamen nec alij damnati veram fidem habent.* 316.22.&c. *habent tamen fidem impropriè dictam.* 26. *habitus fidei in ijs desinit Deo subtrahente concursum, sicut etiam aliæ virtutes infusæ, quæ aliàs perpetuò essent otiosæ.* 22
Illicitè oramus pro damnatis. 60.217
Damnati suis peccatis merentur augmentum pœnæ, non tamen recipiunt. 139.72
Fides quam videntur habere, tripliciter distinguitur à fide fidelis peccatoris. 317.28. *In quo conueniat.* 31
Damnati carent habitu spei. 388.150. *& quare: velleitas eorum.* ibid.
Damnatio sua an viuenti possit à Deo reuelari. 402.91.93.&405.106
Damnatos aliter odimus, quàm impios adhuc viuentes. 612.57

Damnum.

Damnum paruum subire teneris ad auertendum ingens malum proximi. 509.85
Damnum ab alijs auertere teneor peccantem corripiendo, etsi credam peiorem futurum. 582.107
Damna per bellum illata tenentur refundere illa indicentes vel consulentes. 631.74
Damna illata compensare volentes an bello vrgendi. 636.105.107
Damna quomodo à deuicto hoste exigenda. 639.129

Debitum.

Debiti coniugalis petendi impedimentum an tenearis aperire id ignoranti coniugi. 574.46
Non omnis debitor qua talis est inferior ei cui debet. 143.92
Debitum legale, & morale. 547.106
Debita non soluere possum ex minore causa quam alienа surripere. 559.171
Debitum reip. obligat singula eius membra. 639.134.135
Debita reipublicæ an etiam innocentes teneantur soluere. 637.115.116

Defectus.

Defectus alienos Superiori aperire extra confessionem an licitum sit. 598.198.199.200.203.&602.218.&603.228.

Defendo.

Defendere *subinde sumitur pro* vindicare. 622.14

Definitio.

Quid requiratur vt aliqua propositio probetur à Concilijs definita. 100.19. *Ecclesiæ definitio est infallibilis veritatis, non tamen Scriptura aut verbum Dei.* 173.60. *quomodo ab his differat.* 61. *nequit esse formale obiectum fidei.* 174.65

Delectatio.

Delectatione terrena cur se priuent Sancti. 453.94

Denarius.

Denarius diurnus cur æqualis detur. 437.6
Denarius diurnus quid. 438.15. *qua ratione vnus omnibus detur.* 16

Denuntio.

Denuntiare teneris machinantem malum publicum. 589.149

Defero.

Deserit priùs Deum homo, quàm ab eo deseratur. 458.123

Desiderium.

Desiderium efficax diuini honoris & salutis proximi sæpè est in præcepto. 503.50
Desiderium conditionatum priuationis propriæ beatitudinis. 504.53.54.56

Desinere.

Nihil potest desinere per vltimum suum esse. 155.154.&465.166

Desperatio.

Qua ratione peccet desperans proximi salutẽ. 375.68
Potest quis de sua aut alterius salute desperare, etsi non credat fore defectum ex parte Dei. 69. *Item desperans etiam temere de salute alterius, potest sperare suam.* 376.70
Desperatio non est omne peccatum spei contrarium. 399.68
Desperatio est actus voluntatis. 69
Desperans qua ratione recedat à beatitudine. 400.73. *Desperatio quid sit: in quo consistat.* 74.&76.&78
Desperatio non est nolitio beatitudinis. 400.77. *beatitudinem quis desperet.* 80.&81. *connotat desperatio iudicij absentiam.* 82
Desperatio vnde proueniat. 401.84.85.86. *quàm graue peccatum sit.* 87
Desperat implicitè qui vult in peccato perseuerare. 411.151

Determinare, determinatio.

Creatura libera potest se determinare ad agendum. 12.40
Determinatio actionum causarum creatarũ. 444.46

Detrahens.

Quando teneamur corripere detrahentem. 583.108

Deus.

Deus necessariò aliqua, multa tamen liberè vult & videt. 7.11
Secundùm S. August. non ideo aliquid facturi sumus, quia

quia videt nos id facturos, sed contrà: aliàs auferret nobis libertatem. 7.13
Multæ nostræ actiones nequeunt referri in Deum tamquam in earum auctorem. 12.42
*Deus formaliter est liber.*13.46. *Necessariò intelligit omne verum.* ibid.
Res priùs ratione est vera, quam talis à Deo iudicetur. 48
Sola Dei voluntas est causa cur hic mundus præ alio fuerit creandus. ibid.
*Deus immediatè potest necessitare voluntatem.*14.54
Deus tripliciter nostra opera prædefinire potest. 20.96
Deus nequit odisse aut prohibere actum voluntatis ex se honestum. 43.104
*Deus quatuor modis potest velle nos aliquid velle.*59.208. *Quæ solum permittit non vult.* ibid. *Quædam vult voluntate antecedente, alia consequente.* 59.209.
Item quædam immutabiliter & absolutè, alia mutabiliter & sub conditione. ibid. *Qua ratione teneamur velle quæ ipse vult.* 210.&c.
Vtrùm laudabiliter velimus omnia quæ Deus vult. 60.221
Si naturaliter videri posset, non habitaret lucem inaccessibilem. 66.27
*Deus non est obiectum amoris amicitiæ quatenus est auctor rerum naturalium aut supernaturaliũ; sed quatenus in se bonus est.*88.20. *Qua ratione vt auctor supernaturalium sit obiectum supernaturale* 89.26. *Eum propter se posse amari amore naturali malè aliqui negant.* 27
Quo sensu verum sit quod aliqui dicunt, Deum vt auctorem supernaturalium amari amore supernaturali. 29
Producit totam nostram actionem, non est tamen causa cur sit talis speciei. 92.44
Nos bene operari cur sit potiùs Dei miserentis quàm hominis currentis. 93.48
*Quosdam ob eorum defectum non sanat perfectè.*106.57
Nequit nobis obligari ex gratitudine. 126.8.&134.47
Non facit necessariò omne quod ex se fieri conuenit. 127.13
Deus etiam amore concupiscentiæ rectè amatur. 130.26
Deus iustis obligatur dare promissam gloriam. 142.90. *non tamen ex iustitia.*143.93. *Nulli potest ex iustitia obligari.* ibid. *Cur dicatur ijs reddere gloriam vt iustus iudex.*94. *In eo non exercet iustitiam distributiuam.* 95
*Aliter Deus, aliter homo vult aliena merita ac præmia.*148.115. *Deus merita nostra non solùm ob nostrum bonum, sed etiam ob suum externum bonum vult.* ibid.
Quid sit Deum nobis aperire cor. 172.53
Quare Deus non discurrat. 179.93
*Deus nullo modo potest mentiri.*186.5. *Et aliàs non teneretur ei credere.*10. Vide plura in *Mendacium.*
Implicat Deum non stare promissis. 187.15
Potest alicui dare occasionem peccandi: sed nequit hoc intendere, etsi hic solùm materialiter peccaturus sit. 18
Comminationes & promissiones Dei conditionatæ sunt. 188.20
Possum ex conscientia erronea ad aliquid obligari quod Deus nequit mihi præcipere. 25
Dupliciter potest in nobis causare aliquem actum. 189.26. *Nequit in nobis causare assensum falsum.* 28.&29
Qua ratione & cur in Scriptura vtatur oratione ambigua aut obscura, aut restrictione mentali. 194.61
Deus non est causa actus mali. 196.70.&207.56
Deus non esset Deus, si eius naturam ac potentiam comprehenderemus. 210.74
*Naturaliter excitamur ad agnoscendum & timendum Deum.*323.9. *Eumq; ac eius prouidentiam omnis creatura prædicat.*10. *Quare etsi quis perueniens ad vsum rationis, possit hæc aliquanto tempore inuincibiliter ignorare, non tamen diu.* 12. *Talibus tamen non absolutè impossibile est iustificari.* 324.13
*Facile ex creaturarum aspectu quiuis excitatur vt suspicetur esse Deum, quo posito tenetur seriò eum inquirere.*14. *Nemo potest diu inuincibiliter credere solem esse Deum.*15. *Aut sine scrupulo diu credere nullum esse Deum.*325.16. *Facilius est credere falsos deos esse verè deos, quàm nullum esse Deum.*17. *quamuis nec illud possit diu esse inuincibile.* ibid.
Nequit aliquis diu sine culpa dubitare de Deo. 18. *Potest tamen sine culpa id non credere fide theologica.* 19
*Deum cognoscere an quis possit, si nolit eum videre.*385.129
Deum summè amare debemus obiectiuè & appretiatiuè. 497.12.13
Deus erga nullum habet odium inimicitiæ. 607.22
Dij Gentilium qua ratione æstimarentur ab iis. 394.36

Diabolus.

Diabolum damnatum non dolemus, quia eum non amamus. 389.4

Dicere, dictio.

*Dictio alia interna, alia externa.*168.26. *hæc necessaria vt alteri loquar.*27. *atque etiam vt Deus loquatur nobis.* 28
Aliquid dicens implicitè dicit se id dicere. 173.57
Dicere alicuius peccatum Ecclesiæ est dicere Prælato vt iudici. 594.176

Differentia.

Differentia specifica vnde desumatur. 445.49

Difficultas aut facilitas operis.

Ex variis capitibus actio facilior aut difficilior redditur. 160.177. *Cur difficulter acquisita magis amemus.*161.181. *Cur magnanimi ament difficilia.* ibid.
Difficultas operis per se huius bonitatem & meritum potiùs minuit quàm augeat. 180. *Per accidens sæpe eam auget.* 182.&183.&c.
Difficultas noua quandoque eodem, quandoque distincto habitu superatur. 473.13

Dignum, dignitas.

*Dignum amore esse & de facto amari differunt.*426.90
Dignitas actus consideratur ex dignitate personæ. 446.57
*Dignitates Ecclesiasticas Sancti suscepere coacti.*506.68

Dilectio.

Dilectio ex toto corde & ex tota anima quænam sit. 477 33

Dilectio inimici & non inimici ex virtute caritatis an eodem modo nos obliget. 482.67

Dilectio interna erga proximum quando præcipiatur. 484.84

Dilectio inimici qualis sit præcepta. 485.89

Diligendus Deus super omnia. 495.1

Diligere alios præ alijs, quosnam, & in quibus bonis debeamus. 517.134

Discordia.

Discordia quandoque non est peccatum: quandoque est bona: quandoque est peccatum. 617.30.31.32. *in quibus locum habeat.* ibid.

Discursus.

Quænam ad discursum requirantur. 179.93. *Quare non reperiatur in Deo.* ibid. *In eo assensus consequentis necessariò distinguitur ab assensu consequentiæ.* 95

Fides nostra non nititur discursu. 96

Dispositio.

Dispositio partis inferioris sæpè facit vt facilè aut difficulter amemus Deum aut proximum. 473.14

Dispositio actualis sæpè difformis ab habituali. 492.142

Disputatio.

Quando, siue in quibus circumstantijs cum hæreticis disputandum sit. 346.139. *Quando id illicitum sit.* 140. *Quis ad hoc dicendus idoneus.* 141. *Sæpè popularis & eloquens ad hoc aptior magis docto.* ibid.

An licitè de fide disputetur veritatis inquirendæ causa. 142. *Cum quibus de fide disputandum sit.* 347.143. *Quæ in eiusmodi disputatione obseruanda.* 144

Laici etiam docti prohibentur cum hæreticis de fide disputare. 145. *Vtrùm hæc lex vbique obliget.* 147. &c.

Dissentire.

Vt gratiæ dissentias, debent gratia & dissensus esse simul. 10.30

Impediens gratiam ponendam ei propriè non dissentit. 11.32

Distributio.

Distributiones quando non faciant suas clerici. 561.185

Diues.

Diues an teneatur ingentem summam profundere pro seruanda vita proximi. 550.124

Diuitum bona quo sensu dicantur esse indigentium. 551.128

Ditissimus non tenetur maximo lytro captiuum redimere. 554.143

Ditare suos consanguineos an possint clerici. 561.183

Diuisio.

Quando disceptantium ius est dubium, res inter eos est diuidenda. 630.68

Docere.

Docibiles Dei qua ratione sint omnes. 537.38

Teneris sæpè ignorantes quærere quos doceas. 579.78

Dolere.

Dolere se esse sacerdotem aut Religiosum est valdè periculosum. 614.9. *quadruplex est dolor de alieno bono.* 13

Qua ratione inuidus de alieno bono doleat. 616.18. *talis dolor semper est vitiosus, & ad certum vitium pertinet.* 19

Dolus.

Dolum an teneatur detegere qui se fingit pauperem. 543.82

Dominium.

Aliud politicum, aliud despoticum. 347.149. *An infideles id possint habere in fideles.* ibid. vide *Infidelis.*

Dominium Dei absolutum in hominem. 420.50

Dominium hominum ad varia se extendit. 544.85

Dominium Dei in nos non impedit quo minus simus liberi. 545.88

Iure naturæ homo est dominus rei à se confectæ. 89

Dominia quatenus cessent in extrema necessitate. 559.171

Dominium differt à iure rem sibi vindicandi. 626.43

Dominium temporale obtinens clericus licitè constituit ministros iustitiæ. 634.92

Donare, donatio, donum.

Donans rem sibi inutilem non meretur laudem. 41.93

Donatio rei vtilioris maiorem amorem arguit. ibid.

Donare rem meliorem aut infinitam non arguit maius aut infinitum meritum, nisi hæc sit vtilior, aut infinite vtilis donanti. 42.94.95

Donatio rei liberaliter promissæ est liberalis. 128.16

Ratione donorum suorum S. Spiritus crescit in vno plus quàm in altero. 413.5

Dona sua Deus prout vult, distribuit. 437.7

Dubitare, dubitans, dubium.

Motus dubitationis non semper arguit incertitudinem. 250.60

Dubitans iudicat rem de qua dubitat esse dubiam 326 23. & 337 87. *Et qua ratione dicatur hærere pendulus, aut assensum continere.* ibid.

Voluntariè dubitans de veritate propositionis quæ est de fide, est hæreticus. 340.102

In dubio fauendum est reo. 627.49

Duellum.

Duellum quid sit. 640 2. *aliud solemne, aliud non solemne.* 3. *eius variæ causæ.* 4. *in tribus casibus apertè illicitum est.* 641.5. *duellum oblatum an possis acceptare.* 6. *an sit consultum fugere.* 7. & 8. *occidere inuasorem cur potiùs liceat quàm acceptare duellum.* 9. *Illicitè occulta veritas duello exploratur.* 462.13. *Licitè acceptas duellum vt te ab iniusta morte liberes.* 18

Calumniantem in iudicio cur potiùs liceat prouocare ad duellum quàm clàm occidere. 643.20. *Innocens prouocatus an teneatur non acceptare duellum.* 21. *Illicite suscipis duellum contra blasphemantem.* 644.27. *pœnæ duellantium.* 29. *etiam extenduntur ad duella priuata, seu non solemnia.* ibid.

Duratio.

Duratio rerum per se quomodo mensuretur. 463.154. 153.157

Duratio instantis discreti qua ratione sit diuisibilis. 464.157

Dux.

Dux militibus præmia distribuens quam iustitiam exerceat. 142.88

Ecclesia.

Ecclesiæ auctoritas bene probatur per Scripturas, & hæ per illam. 176.79
Deus propriè non loquitur nobis per Ecclesiam, eius tamen definitio est infallibilis veritatis, non tamen verbum Dei. 173.60. Quomodo ab hoc differat. 61. Nequit esse obiectum formale fidei. 174.65. sed est infallibilis regula rerum credendarum. 66. Qua ratione fides in eam resoluatur. 67
Ecclesia dupliciter considerari potest. 68. Qua ratione eius testimonium participet auctoritatem diuinam. 175.69. Eius auctoritate aliter fideles, aliter infideles diriguntur. ibid. Eaque mouemur vt credamus Euangelio. 70. Meritò ad eam hæreticos prouocamus, & contra eam disputare insanum est. ibid.
Demonstrari potest quæ sit vera Ecclesia. 210.71. Ad Deum spectat talem instituere Ecclesiam quæ possit agnosci. ibid. Notæ quibus vera Ecclesia discernitur, conueniunt soli Romanæ. 72. Quænam hæsint. 73. &c.
Ecclesiæ caput ac fundamentum fuit constitutus S. Petrus. 214. 1. & 2. Cui in hoc munere succedunt Romani Pontifices. 217.28
Ecclesia dupliciter nititur Christo vt fundamento. 214.1. Qua ratione habeat S. Petrum ac successores pro fundamento. 2. Numquam deficit. 216. 14. Sola Catholica à Christo huc vsque sine interruptione continuatur. 15
Si in definiendis rebus fidei errare posset, Christus ei falsò promisisset spiritum veritatis. 218.24. & portæ inferorum contra eam præualerent. 25
Secundùm S. August. dementia est ab Ecclesia accipere Scripturas, & ab aliis harum sensum quærere. 220. 35
Ecclesiæ definitio impropriè efficit vt aliquid incipiat esse de fide. 226.67. &c. Qua ratione Christus testatus sit omnia esse vera quæ Ecclesia definit. 70
An sit de fide Ecclesiam non posse errare definiendo aliquam propositionem esse erroneam, &c. 345. 134.
Ecclesia præcipua parte ex Gentibus constituta: hinc scandalum Iudæorum. 438.17
Ecclesiæ dicere alicuius peccatum, est dicere Prælato vt iudici. 594.176
Ecclesiæ vnitas in quo consistat. 618.36. dupliciter scinditur. 37
Ecclesia nullum tenetur acceptare Pontificem, donec constet eum canonicè esse electum. 619.44.45

Ecclesiasticus.

Ecclesiasticorum bona sunt triplicia. 559.173
Ecclesiasticus in res profanas notabilem summam expendens peccat mortaliter. 562.192.193
Ecclesiastica persona non subest iudici seculari. 625. 34
Ecclesiastici innocentes tempore belli illicitè spoliantur. 637.118

Ecstasis.

Ecstasis amicitiæ effectus. 417.31

Effectus.

Effectum sequi debiliorem partem causæ, quando verum, & quando falsum. 90.36.37.38. Idem potest ita à duabus causis procedere, vt totus producatur à singulis. 92.42. &c.
Effectiuè peccatum expellit gratiam. 462.145
Effectus qui per accidens ex mea actione aut omissione sequitur, mihi dicitur voluntarius, quando eum teneor impedire. 568.12
Effectus ex mea actione aut omissione secutus quando mihi imputetur. 650.60

Electio, eligere.

An electio necessariò respiciat varia media. 19.84
Electio medij necessarij est immediatè libera in efficaciter intendente. 88. & formaliter in se bona aut mala. 20.89
Eligentes sunt duplicis generis 91. Quinam eligant necessariò medium vtilissimum. 92. Qui non. 93
Non eligentes viam salutis securissimam, hanc non sincerè desiderant. 92
Electio sæpe habet duplicem malitiam. 44.109. aliquando etiam duplicem honestatem. 45.115
Electio est implicita volitio finis, & hic partialis illius obiectum. 47.128. Respicit necessariò determinati finis electionem. 129. Ex duplici intentione sequens necessariò cum singulis seorsim habet connexionem, secùs est de consequente respectu præmissarum. 48.134. Nequit sequi ex intentione honesta, alteraq; inhonesta. ibid. Hinc mala electio etiam per accidens nequit sequi ex bona intentione. 133. & 136
Electio mala nulli honestati est vtilis. 49.137. nec vnquam vitiat intentionem ex se non malam. 138
Omnis electio medij mali aut facta ob malum finem est mala. 141
Vna electio est dupliciter melior altera. 51.151. Dupliciter deficit à bonitate finis intenti. 152. Sæpè est remissior intentione. 154. huius bonitatem dupliciter participat. ibid.
Electio ad gloriam sit post præuisa merita. 407.119
Eligens aliquod medium habet duplicem amorem finis. 492.138
Electio in appretiatione finis non semper assequitur perfectionem intentionis. 493.144
Electus pluribus Pontificibus cui adhærendum sit. 619. 43. Ecclesia nullum tenetur acceptare Pontificem donec constet eum canonicè esse electum. 44
Legitimè electus, ob pacem Ecclesiæ tenetur quandoque suo iure cedere. 620.45
Eligere statum potest filius patre inuito. 523.171

Eleëmosyna.

Cur eleëmosyna præcipuè laudabilis & meritoria. 33. 33. & 41.93
Bonitas eleëmosynæ externæ non crescit ex bonitate maiore aut infinita rei datæ, nisi hæc sit magis aut infinitè vtilis danti. 41.94.95
Eleëmosyna data ex furto quomodo huius malitiam augeat. 50.149

Eleëmosynæ obiectum & præceptum.

Quod sit eleemosynæ obiectum, & cur laudabilis. 33.33
Eleemosyna est actus externus misericordiæ. 530.3. an debeat fieri ex compassione & propter Deum. 4. accipitur pro suo obiecto. 5
Eleemosyna qua ratione nata sit imperari ab amore Dei. 531.8
Eleemosyna qua ratione sit sacrificium. 10
Eleemosynæ septem corporales & septem spirituales. 532.14

Eleemosynæ spirituales non semper præferendæ corporalibus. 17
Eleemosynæ effectus duplex. 534.26. *qua ratione valeat ad remissionem peccati.* 27
Eleemosyna qua ratione conferat ad remissionem peccati. 535.32
Eleemosyna non semper impetrat gratias efficaces. 34. & 38. & 40
Eleemosyna qua ratione deleat peccata. 536.38
Eleemosyna quam vim habeat in perseuerantibus in peccato. 537.39
Eleemosynam qui possint dare. 44. & 46
Eleemosynam an possit Religiosus dare. 538.47.48
Eleemosynas quas possit vxor facere. 51. & 52.53.54
Eleemosynas quas possint facere filius familias, pupillus, & minor. 540.60
Eleemosynam quam possit facere prodigus, & reus læsæ maiestatis. 63
Eleemosyna quibus sit danda. 541.68. 69.70
Eleemosyna ceteris paribus potiùs danda bonis. 542. 73
Eleemosyna an potiùs sit danda pijs quàm impijs. 75. *etiam inimicis danda.* 76. & 77
In eleemosyna danda an sit discrimen inter hostem publicum & priuatum. 78. & 79
In eleemosyna danda quis ordo seruandus. 543.80. *fingenti paupertatem an validè detur.* 81
Eleemosynæ fictè perceptæ cui facienda restitutio. 83
An & qualis sit obligatio dandi eleemosynam. 544. 84
Superflua habentes tenentur ea dare grauiter indigenti. 546.101
Eleemosyna ad quod præceptum referatur. 547.102. 103
Ad eleemosynam nos obligat sola pauperis indigentia. 550.122
Eleemosynam maximam an teneatur dives dare pro seruanda vita proximi. 124. *eleemosynam tenetur dare etiam graui necessitate presso, is qui habet superflua.* 125
Eleemosynam qua ratione teneamur dare communiter indigentibus. 552.131. *quando grauiter peccet non dans eleemosynam communibus pauperibus.* 132
Eleemosynæ præcepto an satisfieri possit per mutuum, vel venditionem dilata solutione. 555.147. *probabilius est etiam in graui necessitate constituto dandam esse eleemosynam gratis & absque onere restituendi.* 153. *an magnæ summæ debeant gratis dari.* 156
Eleemosyna obligat Ecclesiasticum præ laico, duplici ex capite. 559.174
Eleemosynam dandi obligatio strictior in clericis in quo consistat. 562.193
Eleemosyna spiritualis est correptio proximi. 567.3
Subinde teneris quærere pauperes quos eleemosynis subleues. 579.79
Eleemosyna corporalis an præponenda subinde spirituali. 584.119

Emptio.

An licitè emantur bona ab hostibus iniustè capta. 638.126

Episcopus.

Qua ratione teneatur Episcopus res fidei scire ac posse explicare. 2.3.198
Inconueniens est eum non posse hæc per se facere. 274. 200
Variæ in Episcopo requiruntur conditiones. 202. *Minùs eruditus quandoque vtiliter eligitur.* 203. *Ad quid talis teneatur.* 204. *Minùs periculosè gubernat minùs doctus, quàm minùs prudens.* 203
Episcopus Religiosus tenetur voto paupertatis. 564. 201.202

Errare.

Qua ratione omnis peccans erret. 16.65
Non solo intellectu, sed etiam voluntate erratur. 17. 66
Errans ex ignorantia crassa non est hæreticus. 338. 97. *Vtrùm errans affectatè sit hæreticus.* 339. 100

Errores.

Error Kemnitij & Buceri circa iustificationem. 429. 111
Error Iouiniani, Lutheri, Caluini. 436.4
Error Beguardorum circa caritatem. 447.63
Error Iouiniani & Caluini dicentium caritatem amitti non posse. 457.118
Error putantium caritatem solo peccato infidelitatis amitti. 458.120
Error Antonij Burgensis & Bartoli, quiputant nos non teneri remittere iniuriam non petenti. 484. 82
Error hæreticorum circa sepulturam mortuorum. 532. 18.19
Error Lutheri docentis non licere Christianis pugnare contra Turcas ipsos inuadentes. 620.4. *& alius error.* 393.26
Deus nequit nobis infundere habitum erroris. 189.30 *Cur possit eum potiùs conseruare, quàm infundere.* 32
Qui errores possint cum fide implicita consistere circa eumdem articulum: & qui non. 327.29.&c.
Error quisnam contractum irritet. 543.81.82

Essentia.

Essentia diuina in suo intrinseco conceptu quid includat. 431.122.126
Essentiam diuinam quomodo participemus. 128

Et.

Et sumitur subinde pro siue. 424.77

Euidentia, euidens.

Possum euidenter cognoscere propositionem secundùm se mihi obscuram esse veram. 181.108
Euidens Dei attestatio parit euidentem cognitionem circa rem attestatam. 182.110
Cognitio nitens obiecto formali euidenti qua tali necessariò est talis. ibid. Sola euidentia secluso voluntatis imperio necessitat intellectum ad assensum. ibid.
Veritas euidens in attestante Deo est absolutè euidens. 111
Reuelatio facta angelo qua ratione euidens aut obscura sit. 112
Nullus assensus nitens euidentia consequentiæ, est fides. 183.12
Euidentia credibilitatis quando pariat euidentiam veritatis. 206.47
Sensu cognita dicitur nobis euidentia, etsi ille supernaturaliter aut arte dæmonis possit falli. 207.55
Euidenter probabile determinat intellectum ad assensum opinatiuum. 233.41

Excommunicatio.

Excommunicatio lata in duella ſpectantes, ea permittentes, dando locum ſecuritatis, & in duellantes. 644.29

Exercitus.

Exercitum quinam non poſſint ſequi. 633.90

Exiſto.

Exiſtere in tempore aut inſtanti quid. 464.158.

Exiſtere ſimul quæ dicantur. 162

Extrema neceſſitas.

In extrema neceſſitate proximi ſpirituali, teneor eì cum certo vitæ periculo ſuccurrere. 509.86

Extrema neceſſitas quænam dicatur. 510.87

Extrema neceſſitate vrgente quis magis iuuandus. 519.149

Extremæ neceſſitatis tẽpore Superior an ſuos præferet conſanguineis. 520.152

Extrema neceſſitate vrgente quis ordo ſeruandus. 523. 174.175

Extremè indigentem impediens nerem ipſius accipiat, an peccet contra iuſtitiam. 558.169

Facere quod in ſe eſt.

Facienti quod in ſe eſt Deus dat gratiam, quo ſenſu Catholici aſſerant, & quo Semipelagiani aſſeruerint. 76.82.& 77.85.& 78.88

Infideli facienti quod in ſe eſt Deus dabit gratiam, qua ad fidem perueniet. 257.105

Certum eſt Deum dare gratiam facienti quod in ſe eſt; ſed non ſumus certi nos facere quod in nobis eſt. 287.276

Falſitas, falſum.

Diuturnus multorum in falſum conſenſus eſſe nequit. 175.68

Deus nequit in nobis cauſare aſſenſum falſum. 189. 28.29

Res falſa poteſt eſſe euidenter probabilis ſiue credibilis. 205.45

Nequit tamen fieri vt miraculo probetur. 207.57

Fama.

Famam alterius non teneor ſeruare cum damno boni communis. 588.142.144.148

Fama Religioſorum quomodo ſeruanda apud Superiores. 595.185

Iure quod quiſque habet in ſuam famam quando cedere poſſit. 597.197.198.& 599.206

Famæ aliquam iacturam prudenter ſubeo, ob ſpem maioris profectus ſpiritualis. 599.204

Familia.

Familia neglecta an poſſit quis propriuato homine vitam ſuam exponere. 509.84

Famulus.

Famulus licitè comitatur dominum infidelem euntem ad ſuorum idolorum templa, ac cum eo horum cærimonijs intereſt; modò his nullam reuerentiam exhibeat. 297.62

Feræ.

Feræ iure naturæ ſiunt capientis. 546.97

Feſtum.

Licitè pugnatur die feſto. 639.128

Feudum.

Feudo priuat duellum. 644.29

Fidelitas.

Fidelitatis virtus. 389.5

Fides.

Omnis doctrina fidei eò tendit vt cognoſcamus quis & qualis ſit Deus, & quomodo colendus. 164.5

Fides neceſſariò dicit reſpectum ad aliquod teſtimonium qua tale. 169.38

Qua ratione fides noſtra reſoluatur in teſtimonium Eccleſiæ, aut cognitionem per ſenſum hauſtæ. 174. 67. *In quod obiectum formale vltimò reſoluatur.* 175.71. *Cur dicatur Catholica.* 178.89. *Non nititur diſcurſu.* 179.96. *Cur humana potiùs nitatur diſcurſu quàm diuina.* 180.102

Non omnis cognitio nixa alieno teſtimonio eſt fides. 182.115

Fides qua credimus Deum eſſe, eſt fundamentum omnis actionis meritoriæ. 202.20

Qua ratione dicatur argumentum non apparentium. 203.32. *Cur Patres dicant eam verſari circa non viſa.* 204.35.&c.

Fides humana non conſiſtit cum clara ſcientia. 205. 41. *Aut etiam cum fide diuina.* 43

Demonſtrari poteſt quænam inter varias fides quas varij ſequuntur, ſit vera. 210.71. *Qua ratione vera à falſa ex operibus eam ſectantium cognoſcatur.* 212.83. *Solius noſtræ fidei nequit oſtendi aliud initium quam à Deo.* 213.88

Dupliciter aliquid dicitur eſſe de fide. 225.64. *per quid fiat aliqua propoſitio propriè de fide.* 65. *Qua ratione Eccleſia faciat vt aliquid incipiat eſſe de fide.* 226.67.&c.

Quo ſenſu fides dicatur viſio ac lumen. 229.14.& 307.14. *Eſt initium ac fundamentum ſtatus ſupernaturalis.* 230.& 256.84. *Supernaturalis fides eſt ad iuſtificationem neceſſaria.* 257.106. & 258.107

Fides myſteriorum, miraculorum & promiſſionum, quì differant. 280.237

Fides promiſſorum & miraculorum naſcitur ex feruido erga Deum affectu. 320. 48. *Quadruplex eſt hæreticorum fides.* 240

Hæreticum eſt dicere nos fide ſola iuſtificari. 281.244. *Poteſt eſſe ſine caritate.* 247

An poſſimus ſcire aut credere nos habere fidem. 286. 271.273.&c.

Antiqui Doctores vocant eam theologicam. 307.11

Fides dupliciter dicitur vera aut falſa. 311.39. *Item dupliciter eam aliquis dicitur negare.* 40. *Informis dicitur ficta quia infructifera.* 42

Varijs modis poteſt eſſe maior in vno quàm in alio. 320.45. *ac etiam perfectior.* 47. *Vnde proueniat quòd in vno promptiùs exeat in actum quàm in alio.* ibid.

Poteſt quis ſine culpa carere fide theologica. 325.19. *Hoc tamen vix poteſt contingere in eo qui ſeriò conatur credere fide diuina.* 21

Quo ſenſu ad Rom. 14. dicatur peccatum quidquid ſine fide eſt. 330.42

Fidei diuinæ obiectum materiale.

Eſt id omne quod à Deo reuelatum eſt, quantumuis ex ſe contingens. 165.9. *Non tamen omne reuelabile.* 10

Vtrùm omnia obiecta fidei æqualiter ad eam pertineant. 11

Obiectum fidei quadruplicitèr concipitur. 166.12.

An ſit ſimplex an complexum. 13.&c.

Negans fidei articulos à Deo eſſe reuelatos huic facit iniuriam. 176.74

Qua ratione id debeat eſſe obſcurum. 203.31.& 205.4

Non possumus euidenter probare omnia fidei mysteria esse vera. 206 52. *Qualem de iis cognitionem habuerint Apostoli ac Prophetæ.* 209.65. *aliique viri pii.* 68. *Qua ratione possimus clarè refutare argumenta obiectis fidei repugnantia.* 69

Aliquid dupliciter dicitur esse de fide. 225.64. *Per quid fiat propriè de fide.* 65.& 343.121. *Qua ratione Ecclesia faciat vt aliquid incipiat esse de fide.* 226.67.&c.

Fidei diuinæ obiectum formale.

Aliud est ratio formalis assentiendi, aliud id quod concipitur esse causa illius rationis. 167.21. *Aliud est obiectum formale fidei, aliud visionis beatificæ. ibid.*

Deus qua summè verax, est obiectum formale fidei. 22

Ipsa etiam reuelatio est partiale obiectum formale fidei. 169.35

Integrum obiectum formale fidei ex quibus constet. 170.40

In quod obiectum formale fides vltimò resoluatur. 175.71

Tam publica quàm priuata reuelatio potest esse obiectum formale fidei. 177.84.&178.87. *Eius euidentia non ingreditur obiectum formale fidei.* 91

Qua ratione debeat esse obscurum. 203.31.& 205. 40

Potest circa id versari actus merè naturalis. 241.7. *Quod sæpè fit in hæreticis.* 242.9. *quandoque etiam in Catholicis contingit.* 13

Respectu omnium actuum fidei est omnino vnum ac idem. 308.20

Fidei subiectum attributionis.

Fidei subiectum primarium est Deus absolutè sumptus. 164.4. *Secundaria sunt plura* 165.8. *Quæ melius dicuntur subiecta propositionis quæ de fide est. ibid.*

Fidei propositio: ad eam prærequisita. *Vide* Propositio fidei.

An necessariò sit omnino infallibilis. 197 76

Qualis ad actum fidei requiratur. 227.4.&c. *Alia requiritur pro doctis, alia pro indoctis.* 228 8

Respectu obiecti fidei sibi sufficienter propositi potest quis quadrupliciter se habere. 312.5

Quando aliquod obiectum censeatur mihi sufficienter propositum vt tenear ipsum credere. 336.79

Fidei regula ac notæ.

Fidei regula est auctoritas Ecclesiæ. 176.66.&c. *idq; duplici ratione.* 68. *non tamen sola.* 318. 38

Ecclesiæ à Deo data est infallibilis fidei regula. 218. 24. *Magis implicat fallere notas fidei quàm scientiam.* 248.49. *Veris fidei notis nemo potest falli, sed solùm apparentibus.* 51

Fidei actus siue assensus.

Actus fidei inter externos solus fertur in obiectum sub ratione necessariò honesta. 38.66. *Præsupponit duplex iudicium.* 172.55

Iudicium de credibilitate rei credendæ non est fides humana, sed hanc sæpè supponit. 56

Qua ratione assensus fidei possit vltimo niti obiecto formali secundùm se obscuro. 175. 73. *Non nititur discursu.* 179.96. *quomodo differat ab assensu theologico.* 180.99

Assensus fidei nequit esse falsus. 196.73. *Non magis possum dubitare de huius, quàm de obiecti ipsius veritate.* 197.75

Nequit etiam esse propriè causa assensus falsi. 198.81. *aut elici ob vanam gloriam.* 85

Actum scientiæ partim superat, partim ab eo superatur. 200.10

Cum eo in eodem potest consistere. 201.15. *Non tamen cum visione beatifica.* 11

Qua ratione necessariò versetur circa obiectum obscurum. 203.31.&c.

Qua ratione dicatur visio aut lumen. 229.14

Sola fides est fundamentum & initium status supernaturalis, & omnis nostræ iustitiæ. 230.21.& 251.69.& 253.77.& 254.84.&c.

Assensus fidei non solùm remotè vt scientia, sed proximè liber est. 232.35. *Idq; etiam quoad specificationem actus, ad quam intellectus à voluntate determinatur.* 36. *Secùs accidit in angelis qui obiecto fidei sibi proposito dissentire non poterant.* 233.37. *Qua ratione his assensus fidei fuerit liber.* 39

Aliter voluntas impedit assensum fidei; aliter inducit dissensum. 38

Cur fides diuina sit magis libera quàm humana. 233. 42

Assensus fidei est intrinsecè honestus. 236.56. *In quo eius honestas consistat.* 237.63. *Potest habere idem obiectum formale, etsi sit naturalis.* 241.7. *quod sæpè in hæreticis contingit.* 242.9. *& quandoque in Catholicis.* 13

Nequit imperari à mala voluntate. 244.23. *aut vitiari à circumstantijs.* 25. *aut à Deo prohiberi.* 26.&c. *aut esse vtilis ad malum finem.* 245. 31. *Quæ vera sunt, etsi is actus solis naturæ viribus eliciatur. ibid. Nequit imperari nisi à voluntate actu piè primæ veritati affecta.* 32

Est certior quauis cognitione naturali. 248.48. *Magis implicat ipsum fallere quàm scientiam. ibid.*

Est solùm meritorius ratione actus voluntatis quo imperatur. 250.63.&c.

Cur fides informis à Patribus potiùs dicatur meritoria, quàm actus boni eam præcedentes. 253.80

Fides est medium necessarium ad iustificationem. 256. 95. *Aliter est necessaria quàm baptismus.* 97. *Est necessaria supernaturalis.* 257.106.&258. 107. *Deus posset efficere vt quis sine ea actus spei & caritatis supernaturales eliceret, & ita iustificaretur.* 108. *quamuis id minùs conueniat.* 256.97.99. *Iusto vt in iustitia perseueret solùm est necessaria necessitate præcepti.* 259.113

Fides alia implicita, alia explicita. 258.112. *Quarum rerum fides explicita requiratur in peccatore fideli vt iustificetur.* 259.114. *& quarum in infideli.* 115

Quando teneamur eum elicere. 274.205.& 275.207 & 276.214.215.&c. *Vix in eo peccant fideles.* 213

Nullus hîc actus distinctus à fide hanc implicitè continet. 276.216

Non relinquit alias species in intellectu quàm fuisset merè naturalis. 308.15

Omnes assensus fidei diuinæ sunt eiusdem speciei. 18

Ex ignorantia vni articulo fidei dissentiens, eidem implicitè assentitur. 318.32
*Assensus fidei potest dirigi alia regula quàm auctoritate Ecclesiæ.*319.38. *Quare voluntariè dissentiens vni articulo non efficiat sibi impossibilem assensum circa alios.* ibid.
*Actus fidei potest esse in vno firmior ac certior quàm in alio.*320.46. *Ac variis perfectior ac facilior, & vnde hoc proueniat.*47. *Per eum subijcimus nos non auctoritati Ecclesiæ, sed Dei.* 343.119

Qualem voluntatem prærequirat.

*Assensus fidei diuinæ prærequirit actum voluntatis intellectum determinantem.*231.30. *Secùs est de fide humana.* 333.40
*Hic actus est supernaturalis.*234.47. *etiam in substātia.*48. *Ideóque requirit gratiam distinctam ab illustratione intellectus.*235.51. *Dicitur communiter actus fidei.*237.63.*&* 239.71. *Habet specialē honestatem ab aliis virtutibus distinctam.* 238.67.*&* 239.71. *Non est studiositas.* 238.68. *nec religionis aut obedientiæ propriè dictæ.* 70. *Sed illis valdè affinis.*ibid. *Non est virtus theologica, nisi quatenus censetur quid vnum cum assensu fidei.*239.71. *Elicitur à distincto habitu.* 73
Voluntas imperans assensum fidei nequit esse vitiosa. 244.23. *Cur minùs quàm voluntas imperans prophetiam.* 24
Cum quo errore circa fidem possit consistere, & cum quo non. 327.29

Iudicium assensum fidei præcedens.

An possit niti regula fallibili. 197.76
*Quale iudicium prærequirat fides.*227.3. *Nihil teneor fide diuina credere de quo meritò dubito an sit reuelatum à Deo.*4. *Cur hoc iudicium debeat esse omnino certum.* 6
Cur possim credere rem esse veram firmius quàm ratio probet; non tamen ita iudicare eam esse credibilem. 228.7
Quali euidentia hoc iudicium nitatur in hominibus rudibus. 8
Hoc iudicium non elicitur ab habitu fidei. 13. *Nec est actus prudentiæ.*229.15. *sed cognitio speculatiua.*16. *Est solum supernaturale secundùm modum.*21. *Ex quibus capitibus sit supernaturale.* 22
Non nititur sola aut necessariò auctoritate Ecclesiæ. 318.38

Fides explicita,& implicita.

Quæ sit fides explicita, & quæ implicita. 258.112
*Quorum fides explicita sit necessaria ad salutem.*259.115.*&c.*& 264.145.*&c. Non omnis fides implicita mediatoris potest dici fides in Christum.* 267.157
Ex ignorantia negans vnum articulum, eundem implicitè credit. 318.32
Quidam errores etiam vincibiles possunt consistere circa eundem articulum cum fide implicita, alij non. 327.29.*&c.*

Fidei habitus certitudo.

*Assensus fidei est certior magisque implicat eum fallere quàm scientiam.*248.48. *Quod posset fieri etiam in assensu secundùm substantiam naturali.* 249.55
Assensus fidei est incertior visione beatifica. 56. *Cur potiùs compatiatur motus dubitationis quàm scientia.* 250.60
Quo sensu S.Thom.dicat fidem ex parte subiecti, & quo ad nos esse incertiorem scientia. 61

Fidei habitus.

Fidei & spei habitus sæpè infunduntur ante iustificationem. 105.51
*Possunt esse in eodē iusto intensiores aliis habitibus infusis, non tamen remissiores.*106.60. *In peccatore augentur sine caritate.*62. *In iusto communiter cum caritate augentur, non tamen semper.* 61
Habitus fidei adulto non infunditur ante actum. 116.108. *Non supplet defectum obiecti formalis.* 173.62. *Cur non sicut lumen gloriæ, faciat nos immediatè obiecto assentiri.* 174.63
*Habitus fidei nequit producere assensum falsum.*198.84
Cur antiqui Theologi dixerint hunc habitum esse vnicum in voluntate & intellectu. 239.72
Habitus imperans assensum fidei est distinctus ab aliis habitibus. 73
Cur potiùs maneat in peccatore quàm habitus prudentiæ. 244.24
Non efficit suum assensum certum. 247.39
Qua ratione sit initium nostræ iustitiæ, ac radix & fundamentum status supernaturalis. 251.69.*&* 253.77.*&* 254.84.*&c.*
*Habitus fidei est propriè in intellectu, requirit tamen alium in voluntate.*306.1. *Cur hæretici eum ponant in voluntate.* ibid.
*Est qualitas distincta à speciebus intellectualibus.*307.12. *Non facit nos obiecta perfectiùs apprehendere.*ibid. *Non habet coniunctas species infusas.* 13. *nec aliud lumen.*14. *Cur dicatur lumen.* ibid.
*Est formaliter speculatiuus & practicus.*308.16. *& tamen vnicus & simplex in intellectu.*308.18,19. *Cur sit simplicior habitu scientifico.* ibid.
*Habitus fidei qui est in voluntate, est vera virtus, non tamen theologica.*309,25. *qui est in intellectu, est vera virtus intellectualis.*26. *Qua ratione sit dispositio perfecti ad optimum.*27. *Cur ab Aristotele non numeretur inter virtutes.* 310.28
Nec perficitur, nec informatur physicè à caritate. 32. *sed solùm moraliter.*36. *Qua ratione id fiat.* ibid.
*Manet in peccatore.*311.37. *Non tamen in hæreticis.*318.33. *Per eum propriè sumus fideles.* 35. *Nequit partim amitti, nisi amittatur totus.* 319.39

Fides informis, & formata.

*An fides informis sit virtus.*310.29. *Manet sine caritate.*311.37. *Cur dicatur ficta.*42. *Cur dicatur similis fidei dæmonum.* 312.43
Informis & formata est eadem numero qualitas. 44. *Illa non est intrinsecè imperfectior hac.* 45

Subiectum inhæsionis fidei, siue quibus insit fides.

*Adam in paradiso habuit veram fidem.*314.13. *atque etiam angeli in via.*315.16. *Vtrum explicitè crediderint mysterium incarnationis.* 19
Fides propriè dicta nullo modo manet in damnatis. 316.22.*&c. Assentiunt tamen rebus fidei, conuicti notarum euidentia, assensu omnino necessario.* 26.*&c.*

Fides

Fides fidelis peccatoris tripliciter distinguitur à fide damnatorum. 317.28
Non manet in hæretici fides infusa. 318.33
Fides non manet in Beatis. 319 42.&c. *Manet in existentibus in Purgatorio.* 44

Quibus actibus crescat.

Augetur primò per actus fidei formatæ habitu intensiores. 321.50. *Secundò, per actus similes fidei informi.* 52. *Idq; etsi hi actus sint habitu remissiores.* 53. *Per actus autem aliarum virtutum in iusto quandoque augetur, quandoque non.* 54

Quibus actibus, & qua ratione pereat.

Perit in damnatis per subtractionem concursus Dei. 317.25. *Item in Beatis.* 319.43. *ac deficientibus à fide.* 328.35
Non perditur ob infidelitatem omnino inculpabilem. 318.32. *Aut per meræ priuatiuam, sed per solam positiuam pertinacem.* 326.25. *Cur voluntariè dissentiens vni articulo amittat fidem circa alios.* 319.39. *Vt infidelitas fidem expellat, tria requiruntur.* 327.26. *Talis infidelitas potest esse quadruplex; & quarta esse sine vllo errore intellectus.* ibid.
Aliqui errores contra fidem vincibiles possunt consistere cum voluntate ad fidem prærequisita, alij non: hi repugnant omnino fidei, eámque perimunt; illi non. 327.29.&c.
Per infidelitatem solùm moraliter tollitur, per modum demeriti aut repugnantis dispositionis. 328.35

An possit minui.

Fides nequit minui secundùm perfectionem intrinsecam: sed solùm secundùm rationes extrinsecas ac accidentarias. 320.49

Internæ fidei necessitas ac præceptum.

Interna fides supernaturalis fuit omni tempore necessaria ad salutem necessitate medij. 256.95.&257.106.&258.107
Necessitate medij necessariò credenda. 259.115.&c. &264.145.&265.147.&267.161.&268.163
Ex præcepto dupliciter obligamur aliqua explicitè credere. 271.181. *Vnus plus altero ratione sui status tenetur explicitè credere, aut scire.* ibid.
Error dicentium sufficere in confuso credere quæ credit Ecclesia. 185
Quænam omnes fideles teneantur ex præcepto explicitè credere aut cognoscere. 272.187.188 191.&c. *Non omnes tenentur scire circumstantias ac subtilitates Symboli.* 188
Qua ratione omnes teneantur scire Sacramenta. 272. 191.&c. *Item orationem Dominicam, & præcepta decalogi ac Ecclesiæ.* 273.193. *Nec tenentur, nec ijs sufficit dicta conceptis verbis posse recitare.* 194
Qua ratione teneantur parentes suos liberos, & Parochi suos subditos dicta docere. 195
Quæ teneantur Parochi & similes scire. 196.&c. *Quæ teneantur Episcopi scire.* 198
In rusticis ignorantia rerum fidei non tam ignorantibus quàm horum heris ac Pastoribus sæpè imputanda est. 278.229
Quando censeatur mihi aliquid sufficienter propositum vt tenear ipsum credere. 336.79

Error in fide. *Vide* infidelitas.

Aliquis error circa articulum fidei potest consistere cum implicita fide circa eundem, alius non; hic repugnat voluntati fidei prærequisitæ, ille non. 327.29.&c.
Errans pertinaciter circa vnum articulum, reddit se inhabilem vt credat reliquos. 328.33. *Quo sensu tollat sibi obiectum formale fidei.* 32

Fidei externa confessio, ac negatio.

Pertinet ad virtutem fidei, habetq; eandem honestatem cum actu interno, & moraliter est idem cum eo actus. 288.23
An censeatur negare fidem qui interrogatus an sit Christianus non vult respondere. 301.91.&304.111. *Qui tempore persecutionis fugit, implicitè fidem confitetur.* 303.100
Dupliciter quis dicitur negare fidem. 311.40.
Qua ratione peccatores dicantur negare fidem. ibid.
Ex ignorantia negans vnum articulum fidei, implicitè eundem credit. 318.32. *Imò voluntarie eum negans non reddit sibi impossibilem fidem circa alios.* 38. *cur amittat habitum fidei circa alios.* 319.39

Præceptum non negandi, aut confitendi fidem.

Præcipitur fidei confessio præcepto affirmatiuo & negatiuo. 2896
Contra hoc varijs modis peccatur. ibid. & 9. *Impiè semper fides negatur.* 8. *In quibusdam casibus sine negatione fidei negas te Christianum aut Papistam.* 290.10. *aut te esse clericum aut Religiosum.* 11
An licitè negetur fides quoad solam externam apparentiam. 290.13.&14. *Graue semper fuit iudicatum peccatum, aliquid facere vt appareas abnegasse fidem.* 291.18.&304.108
Numquam licitè falsam fidem simulas. 293.38. *Ideoq; semper illicitè vteris cæremonijs falsæ religionis.* 39. *An sit tale inter hæreticos vesci cibis prohibitis.* 295.50
An Caluinista fatendo se talem neget fidem. 299.69
Quibus casibus per se obliget præceptum affirmatiuum confitendi fidem. 300.78. *Prouisi de certis beneficijs, & quidam alij tenentur iure positiuo fidem profiteri.* 81. *Hoc præceptum obligat ratione aliarum virtutum.* 82
Non omnis honor Dei, aut proximi vtilitas me obligat vt fidem profitear. 302.92.&c.
Teneor etiam cum vitæ periculo impedire multorum à fide defectionem. 303.104.&c.
Interrogatus de fide illicitè ambiguè respondet. 304.108
An possit nolle respondere. 301.91.&304.109.&c. *An licitè data pecunia aut aliter impetret ne compellatur negare fidem, aut de ea respondere.* 304.112.&c.

Fidem occultare seu dissimulare, falsámue simulare.

Quis factis dicatur simulare falsam fidem, & quis dissimulare suam. 291.21. *Vtrumque fieri potest aut vsu alicuius cæremoniæ, aut gestatione vestis.* 22. *Varia genera cæremoniarum aut vestium, quibus falsa fides simulatur, aut vera dissimulatur.* 23.&c.
Fides varijs modis occultatur. 301.83. *Non semper tenemur euitare ne alij putent nos esse infideles.* 301.86.&c.
Sæpè possum, aut etiam teneor, occultare fidem. 302.92.95.&c.
Fuga tempore persecutionis etiam Pastoribus quandoque licita. 302.98.&303.103. *quandoque præcepta.*

præcepta 303.101. *Quandoque illicita.* 104.& 107. *In dubio præstat aliorum quàm suo iudicio dirigi.* 106
Interrogatus de fide illicitè ambiguè respondet. 304. 108. *An possit nolle respondere.* 301.91.& 304.109. *An data pecunia aut precibus licitè impetret ne compellatur negare fidem, aut de ea respondere.* 304.112.&c.
Fides non tam armis quàm clara veritatis & virtutum ostensione propaganda. 361.229.&c.
In ijs quæ ad fidem spectant nihil possunt decernere principes sæculares. 362.234
Fides dicit imperfectionem sibi intrinsecam. 382. 107
Fides & spes non vniunt nos perfectè Christo, sine charitate. 388.147
Fides est radix & fundamentum salutis. 148. *an sine ea possit charitas & spes subsistere in hæreticis.* 149
Fidei Catholicæ alibi periclitanti teneris cum vitæ periculo subuenire. 510.92

Fidelis.

Fidelis peccator est similis arbori in hieme. 254.87
Constituimur propriè fideles per habitum fidei. 318. 35
Hæreticus nequit dici fidelis. 36
Omnis fidelis saltem non excommunicatus est membrum Ecclesiæ. ibid.
Vnus plura etiam implicitè credit quàm alius. 320. 45. *Varijs modis vnus dicitur habere maiorem fidem quàm alius.* ibid.

Filius.

Filij proprium est timere displicere patri, ex amore. 392.23
Filij & amici Dei verè & propriè dicimur. 416.21
Filium Dei esse, & ab eo amari an differant. 426. 90
Filio quale ius ad hereditatem competat. 435.159
Filij regni quinam dicantur. 438.13
Filio tam in spiritualibus quàm in temporalibus tenetur pater succurrere. 518.138
Filio in extrema aut valdè graui necessitate spirituali tenetur pater primò succurrere. 522.164
Filio emancipato ad quid teneatur pater. 165.& 166
Filio magis succurrere tenetur pater in extrema necessitate, quàm soluere creditori. 523.169
Filiusfamilias quid possit dare in eleëmosynam. 540. 58.
Filijfamilias bona quadruplicia. 60
Filij actiones subsunt parenti. 545.88

Finis. *Vide* Intentio.

Finem etiam vltimum hic liberè amamus. 14.51
Finis honestus dupliciter potest intendi. 47.127. *& quandoque intentione mala.* ibid. *Secundùm esse obiectiuum est causa mediorum, & secundùm esse reale eorundem effectus.* 115.106
Finis amor an ad media excitet. 390.7
An possim vti medio quo scio me eum non adepturum. 407.124
Intentio finis & electio medij habent obiecta formalia immediata distincta. 473.15
Finis amorem duplicem habet eligens aliquod medium. 492.138
Finis amor quiuis non impellit efficaciter ad quoduis vtile medium eligendum. 139
Finis quis sit actui intrinsecus, & quis extrinsecus. 530.5

Forma.

Quæ forma sit subiecto naturalis, quæ supernaturalis. 63.15
Forma supernaturalis naturaliter à subiecto sustentatur. Item quid sit formam à subiecto sustentari. 64.17.& 121.15
Forma non est prior materia, nec eius causa, sed compositi. 112.86
In omni sua causatione supponit materiam esse. 113. 95
Quod facilitat formæ susceptionem, facilitat eiusdem productionem, siue inductionem. 115.104
Duæ formæ, quarum vna alteram eminenter perfectè continet, nequeunt esse simul in eodem subiecto. 200.7
Forma virtutum aliarum est caritas, & qua ratione. 422.62
Formæ quædam habent duplicem effectum formalem. 426.92
Formalitas moralis cum ente physico nequit habere physicam repugnantiam. 460.134
Forma caritati physicè repugnans an sit in peccato. 461.137

Frater.

Fratres & membra Christi qua ratione dicantur, impij. 542.74

Frigus.

Expulsio frigoris & inductio caloris, sunt simul natura. 112.87.& 113.96. *Illa ad hanc non disponit, sed est conditio simul natura requisita.* 115. 106

Fructus.

Fructuum beneficij sui clericus est dominus. 561. 185
Fructus ex communi agro collecti iure naturæ fiunt colligentis. 545.92
Fructus fundorum Ecclesiasticorum non sunt res sacræ. 563.199
Fructuum mensæ Abbatis dominium habet monasterium. 565.206

Frui.

Caritas numquam inclinat hominem, vt ob quemcumque finem absolutè desideret Deo non frui, vel minùs eo frui. 503.51

Fugere.

Tempore persecutionis fugere quando licitum. 302. 98. *etiam Episcopis.* 303.103. *quandoque id præceptum.* 101. *Fugiens persecutionem implicitè confitetur fidem.* 100. *Quando fuga sit illicita.* 104.& 107.
Fugere an tenearis ad vitandum duellum. 641. 7.& 8

Fundator.

Fundatores non sunt frustrandi sua intentione. 562. 160

Furtum.

Furto ablata & consumpta in graui necessitate an subiaceant restitutioni. 558.166.167

Gaudium.

Gaudium quid sit. 524.1.4.5.10
Gaudium & tristitia quandoque nobis libera sunt, quandoque non. 525.5
Gaudium dupliciter plenum. 10

Gaudere quòd habeas socium in pœna, est inuidia. 616.22

Generatio.

Generatio supernaturalis qua simus filij Dei, terminatur immediatè ad potentias. 431.129

Gentes.

Qua ratione ad Rom.2. dicantur naturaliter seruare legem. 257.104

Gloria.

Gloria cœlestis, est simul hæreditas & merces. 226.21. *Eius initium est hæreditas, augmentum pura merces. ibid. Cur dicatur corona iustitiæ.* 143.94. *Non datur ex iustitia distributiua.* 95

Sepositio Dei decreto vnus gradus gloriæ maximis meritis remunerandis sufficeret. 451.84

Gloriæ semen est caritas. 455.105. *non possum optare ne Apostoli habeant maiorem gloriam quàm nos habebimus.* 516.129

Gloriam maiorem aut minorem alicui reduplicatiuè optare an liceat. 517.33

Gradus.

Gradus qui perit, nequit alium producere. 441.28. 29. & 442.33

Gradus quomodo constituantur. 442.34

Gradus intensionis vnde dicatur primus aut secundus. 35

Gradus superiores cur primò pereant cùm qualitas remittitur. 444.47

Gratias referre, aut agere.

Cur & qua ratione debeam maiores gratias referre pro opere externo quàm pro solo interno. 41.91. & 42.96

Cur Deo ob maiora beneficia debeamus maiores gratias referre. 42.96

Ob nostra opera bona debemus Deo agere gratias, non ipse nobis. 134.47. *vbi id exemplis explicatur.*

Gratia iustificans siue habitualis.

Confirmari in gratia aliquis potest illæsa libertate. 25.127

Gratia iustificans est necessariò forma realis. 100.21. *nequit esse gratia actualis aut actio.* 101.21.23

Educitur de potentia materiæ obedientiali. 104.46. *& solùm tropicè dicitur creari.* 48

Gratia habitualis nos non excitat ad agendum. 111. 83. *Nequit esse initium conuersionis peccatoris.* 84. *Non est priùs natura quàm nobis inhæreat.* 114. *Infunditur peccatori non vt conteratur, sed quia contritus est.* 115.103

Primam gratiam habitualem meremur de congruo. 144.96

Gratia actualis ac præueniens.

Gratia præueniens quid sit. 10.50. & 35.52

Vt gratiæ dissentias debent dissensus & gratia esse simul. 10.30

Ponens impedimentum gratiæ ponendæ ei propriè non dissentit. 11.32

Nequeo efficere vt Deus nullam gratiam videat cui sim consensurus si detur. 21.98

Possum singulis Dei gratijs resistere, non tamen omnibus copulatim sumptis. 23.112

Quòd non eliciamus actus perfectiores, non fit defectu gratiæ. 51.157

Cur gratia præueniens dicatur fieri in nobis sine nobis. 68.40

Ad difficultates operi extrinsecas tollendas non est necessaria gratia quam Deus in cordibus nostris immediatè operatur, ideoq; ex huius necessitate bene infertur supernaturalitas actus in se. 69.42

Cur gratia sit necessaria ad omnia opera meritoria. 70.49

Cur dicamur non posse elicere actum virtutum vt oportet sine gratia. 70.50

Deus potest in nobis operari reuelationes sine interna gratia. 72.57

S. Augustinus non distinguit gratiam præuenientem quæ dat solùm posse ab ea quæ dat operari. 74. 69

Cur Deus dicatur nos sua gratia facere operari, non tamen angelos aut primum hominem. 75.75

Cur magis quàm Adam egeamus gratia actuali. ibid.

Gratia præueniens efficit vt potentia vehementiùs in actum tendat. 95.69

Gratia actualis nequit esse forma iustificans. 101.21

Primam gratiam nullo modo mereri possumus. 144. 96

Actus malus nequit procedere. 244.23

Deus dat omnibus adultis sufficientem gratiam qua possint paulatim ad salutem peruenire, idq; ea intentione vt perueniant. 252.73

Gratia efficax ad salutem necessaria. 406.115.116

Qua ratione caritas distinguatur à gratia iustificante. 422.65

Gratia non potest dici operari per virtutes à se distinctas. 424.75.76

Gratia & caritas an idem sint. 424.77

Probabilius est gratiam iustificantem non distingui ab habitu caritatis. 424.79.81

Gratia iustificans non potest dici amor Dei in nos. 425.82

Gratia iustificans & peccatum an simul possint in eodem existere. 427.102.103

Gratia an sit formaliter amicitia Dei in nos. 426.91

Gratia habitualis siue caritas est vnica causa formalis, qua constituimur supernaturaliter iusti: & posita absentia omnis peccati mortalis necessariò suum subiectum constituit sine vlla alia Dei acceptatione aut fauore extrinseco. 426.95

Gratiæ receptio quid sit. 428.107

Gratiæ infusio & remissio peccati an sint partes integrantes iustificationem. 428.108

Gratia & peccatum quo modo repugnent. 431.130. 131

Gratia iustificans an possit cum peccato naturaliter consistere. 434.151

Gratia iustificans an natura sua expellat peccatum. 435.155

Gratia iustificans an natura sua constituat nos filios Dei. 436.162

Gratia an solam gratiam habitualem significet. 435. 154

Gratiæ habitualis gradus non tot recipit actus, quot habet. 446.58

An ad Christi aut B. Virginis ac quorumdam Sanctorum gratiam peruenire possimus. 448.65

Gratiæ augmentum an post hanc vitam de nouo conferatur. 451.85

Gratias frequentes præuenientes impedit peccatum veniale. 456.112

Gratia & peccatum mortale an in eodem temporis instanti de facto sint simul. 465.165

Gratias tales dat Deus quibus possimus ad maiorē sanctitatem

ctitatem peruenire. 516.127
Gratias præuenientes singulariter operibus misericordiæ meremur. 535.33.38
Gratiam vt impetret marito vxor, an possit magnas eleemosynas facere. 539.56
Gratiæ Dei necessitas ad benè operandum. 567.6.7

Gratitudo.

Gratitudo exigit vt benefactori pro viribus compensemus incommodum quod pro nobis subiuit. 41.91
Deus nequit nobis obligari ex gratitudine. 126.8
Gratitudo necessariò respicit liberale beneficium. ibid.
Exigit vt consilia Euangelica sequamur, aliáque Dei causa faciamus aliàs non præcepta. 136.57
Ex gratitudine obligamur magnum benefactorem amare. 480.56

Gubernare.

Quando recta gubernatio exigat, vt operibus bonis decernantur præmia, & malis pœnæ; & quando non. 134.47

Habitus.

Habitus virtutis nequit producere actum vitiosum. 36.38
Habitus concurrit etiam ad actus quos difficulter facimus. 43.103
Habitus virtutis qua ratione essentialiter sit bonus. 44.107
Habitus principiorum est distinctus ab habitu scientiæ. 83.120
Cur habitus infusi & acquisiti sibi non contrarientur. 104.41
Habitus est agens omnino necessarium. 107.65. *Nihil potest agere sine cooperatione potentiæ.* 66. *est indirectè in voluntatis potestate.* 67. *non autem immediatè.* 68. *Necessariò influit in actum quem potentia circa eius obiectum formale elicit.* 107.79
Vt vnus habitus alium expellat, quid requiratur. 109.76
Prius natura recipitur in potentia quàm cum ea agat. 114.99
Quomodo concurrat ad productionem actus se intensioris. 116.107
Cur infusus potiùs augeatur actu remisso, quam naturalis. 151.136
Qua ratione habitus bonus aut malus augeat vel minuat bonitatem ac meritum actus. 162.184.&c.
Actio non contrariatur habitui nisi ratione effectus. 328.36. *nec habitus acquisitus infuso.* ibid.
Habitus in conseruari nullo modo pendet ab obiecto formali. 329.37

Habitus infusus, siue supernaturalis.

Habitus & potentia vt causæ partiales producunt actum supernaturalem. 92.43.& 47
Nobis in iustificatione infundi habitus virtutum theologicarum certum est. 98.4
Nec de eo vnquam in Ecclesia dubitatum, nisi de paruulis ante Innocentium III. & Concil. Viennense. 5.& 6. *Olim tam certum fuit nobis infundi habitus, quàm gratiam informantem.* 99.7
Aliquos habitus nobis infundi videtur de fide. 102.32
Dantur habitus infusi virtutum moralium. 103.38
Quare habitus infusi non expellant acquisitos. 104.41.

Nec dant facilitatem operandi, ideo eos in nobis non percipimus. ibid.
Qua ratione habitus infusi educantur de potentia materiæ. 104.46. *Solum tropicè dicuntur creari.* 48
Non semper hi habitus infunduntur omnes simul. 105.51
Habitibus, non actibus, constituimur membra Christi. 54
Illi soli in eodem sunt semper æquè intensi qui inter se dependentiam habent. 106.59
Habens habitum infusum quoties circa eius obiectum formale operatur, elicit actum supernaturalem. 108.70
Habitus supernaturalis non facilitat actionem. 72. *Hinc potest quis eos habere intensos, & tamen difficulter operari.* 73
Quomodo concurrat ad productionem actus se intensioris. 115.107
Habitus supernaturales, nequeunt produci nostris actibus. 120.12. *Naturaliter recipiuntur & sustentantur à subiecto.* 64 17 & 121.15. *Non indigent vlla physica dispositione vt in eo recipiantur.* 121.17.&c.
Ratio cur actus supernaturales nequeant producere habitus supernaturales. 122.22
Nulla prærequiritur aut dari potest ad eorum infusionem physica dispositio. 24. *Cur potiùs augeantur per actus remissiores, quàm acquisitos.* 151.136
Illis solis actibus meremur habitus infusi ablationem, cum quibus huius actus nequeunt consistere. 329.38

Habitus theologicus. *Vide* Theologia.

Habitus acquisitus.

Concurrit ad substantiam, & non ad solum modum actionis. 118.3. *Ineo acquirendo plus valet conatus potentiæ, quam actus perfectio* 119.5. *Qua ratione in nobis producatur.* 7.& 120.10
An eius productio sit actus vitalis. 119.7. *Est quoddam vestigium ipsius, & habitualis potentiæ in obiectum inclinatio.* 120.9. *Aliter producitur in intellectu, aliter in voluntate.* 11
Facilitat productionem actus supernaturalis. 123.26
Habitus infusus manens idem habet diuersos actus. 385.128
Habitus quomodo expellantur ab actibus. 385.129
Habitus infusus quo hic actus spei elicimus, an maneat in Beatis. 385.131.136
Habitus spei non amittitur quouis peccato mortali. 388.147
Habitus idem inclinat ad amorem boni, & fugam mali. 392.24
Habitus theologicus potest elicere actum non theologicum. 396.49
Habitus infusi fidei & spei an physicè expellantur per actus contrarios. 411.148
Habitus potest ex duplicibus partibus componi. 418.36
Habitus caritatis acquisitæ distinguitur specie ab habitu caritatis infuso. 419.40
Habitus infusi non dant facilitatem operandi; sed solum potentiam operandi supernaturaliter. 42
Habitus caritatis an sit semper intensior in patria quàm in via. 449.73.82
Habitus caritatis intensio per peccata venialia non minui-

minuitur. 454.99
Habitus acquisiti non contrariantur infusis. ibid.
Perdere vel exiguam partem habitus caritatis est grauissimum malum. ibid.
Habitus vitiosi minuunt habitus virtutum acquisitos, & impediunt naturalem inclinationem in bonum. 457.116
Habitus caritatis an possit esse cum mortali peccato. 460.133
Habitus infusi non habent partes heterogeneas extensiuas. 472.10
In solis habitibus acquisitis requiritur nouus habitus occurrente noua difficultate. 473.12.13
Habitus quidam ponuntur in concupiscibili & irascibili. 528.27
Habitum sui Ordinis tenetur ferre Religiosus factus Episcopus. 564.203

Hæreditas.

Hæreditas quo iure filio competat. 435.159
Hæreditate non potest priuari filius Religiosus. 564.203
Hæreditatem ne adeat spurius, adultera non tenetur crimen suum propalare. 559.172

Hæresis.

Omnis hæreseos ostenditur initium nõ à Deo. 213.88
Hæresis inter omnes infidelitates communiter pessima, quia Christi armis sub huius signo, contra ipsum militat. 335.71
Hæresis generatim significat electionem, & consequenter opinionem quæ sequenda eligitur. 74.
Catholica fides nequit dici hæresis, quia à nobis non eligitur. ibid. Ab Ecclesiasticis etiam communiter accipitur pro errore in fide. ibid Ad eam tria requiruntur. 75
Hæresis obiectiua aut materialis non dicunt pertinaciam: secùs est de formali. 336.77. Ad eam impertinens est baptismus aut defectio à fide. ibid.
Qualis pertinacia requiratur ad hæresim. 336.78. &c. & 338.93. Non sufficit dispositio voluntatis meræ habitualis. 94. Nec requiritur vllus verus actus voluntatis. 96
Cur ignorantia crassa potiùs excuset ab hæresi, quam ab homicidio, &c. 339.98
Malitia hæresis consistit in eo quòd quis renitatur auctoritati Dei, non autem Ecclesiæ. 343.119
Vt propositio sit hæretica, impertinens est quòd eius contradictoria sit clarè aut obscurè reuelata. 344.124

Hæreticus.

Hæretici aliis verbis negant, quod aliis concedunt. 6.5
Secundùm hæreticos omnes adhuc seruiunt peccato. ibid.
Hæreticus nequit habere assensum theologicum. 82.111
Hæretici in suis assertionibus inconstantes. 128.18. & 282.253
Absurdi eorum errores ac fraudes. 210.73. & 211.75. &c. & 283.254
Nullus ad eos deficit vt melior fiat. 212.81
Non dant operam vt infideles conuertant, sed vt fideles peruertant. 82. nulla possunt facere miracula. 85. Ideoq; nostra miracula calumniantur sicut olim Iudæi. 86
Absurdissimè contra antiquorum auctoritatem disputant. 215.6. &c.
Vt manifestè rei iudicem fugiunt. 217.18. Varia eorum de iudice controuersiarum sententiæ. 219.27. Cur sint instabiles, ac inter se discordes. 29. Cur quærant obscurum iudicem. ibid. Statuunt hunc spiritum interiùs loquentem. 221.39. Indoctos omni iudice destituunt. 222.49. Eorum stupor & arrogantia. 41. & 57. Antequam de alijs cum ijs disputes, primum age de iudice controuersiarum. 224.
Hæretici similes sunt ijs qui omnia tribunalia auferunt, ac solas leges iudicem constituunt: ideoq; clarè conuincuntur suæ causæ diffidere. 225.61
Quædam credunt præcisè ob auctoritatem Dei. 242.9. Cur hic assensus in ijs non sit certus. 247.45. Potest esse firmior assensu Catholici, sed semper incertior 249.53
Sunt similes arbori eradicatæ & bis mortuæ. 254.87
Quadruplicem fingunt fidem. 280.240. Docent implicantia. 282.253 &c. Fides qua se credunt iustificari, est necessariò falsa. 283.256
Quaratione liceat aut non liceat hæreticorum conciones adire. 296.55. &c. An liceat eorum templa adire aut precibus interesse. 297.61. &c. An famuli licitè cum suis dominis his intersint. 62. An licitè intersimus eorum nuptijs ac funeralibus. ibid. Illicitè coram eorum Ministris nuptias contrahimus. 297.63. Licitè tamen coram magistratu hæretico. ibid.
Virum Lutheranus aut Caluinista peccet fatendo se esse talem. 299.69
Hæreticus nec est fidelis, nec membrum Ecclesiæ. 318.36. Cur vno actu amittat fidem circa alios articulos. 319.39
Quo sensu dicatur, hæreticum errando circa vnum articulum tollere sibi obiectum formale circa alios. 328.32
Hæretici sub Christi signis eiusq; armis contra ipsum militant. 335.71. Potest quis esse hæreticus, etsi numquam à fide defecerit, nec omnis à fide deficiens est hæreticus. 333.59. &c. & 336.77
Errans ex ignorantia crassa contra fidem non est hæreticus. 338.97
Homo potest præsumi hæreticus, non tamen propositio. 340.103
Vt aliquis sit hæreticus tria requiruntur. 342.116. Definitio hæretici. ibid. Negans propositionem sibi priuatim à Deo reuelatam, est hæreticus. 343.118. vtrùm incurrat pœnas in hæreticos statutas. 120
Vt dissentiens propositioni reuelatæ sit hæreticus, est impertinens eius reuelationem Ecclesiæ esse manifestam. 344.124
Quando quibusúe circumstantijs cum hæreticis sit disputandum. 346.139. &c. vide Disputatio.
Frequens cum hæreticis conuersatio periculosa. 352.73
An eorum libri legi possint. 352.174. &c. Quando incurratur excommunicatio ob illorum lectionem vel asseruationem. 176. &c. Cur etiam doctis eorum lectio prohibeatur. 355.180
Eorum ritus, vt maiora vitentur mala, permitti possunt. 355.195
Idem faciunt quod in Catholicis culpant. 360.224
Hæretici non retinent habitum spei. 388.148

Hære-

Hæreticum iudicium præsumptionis Pelagianæ & Lutheranæ. 410.144.146.150
Hæreticum fieri non est semper probabile signum numquam fuisse fidelem. 459.127
Hæretico plebem peruertenti quando tenearis resistere cum vitæ periculo. 510.92
Hæreticos iuuantes in bello dubio contra Catholicos, præsumuntur iniustè agere. 632.85

Heterogeneum.

Heterogeneæ partes alicuius habitus nec acquiruntur, nec perduntur omnes simul. 473.11

Homo.

Homini qua rationali, naturale est viuere secundùm rationem, & sequi virtutem. 83.123. *Quatuor hoc ei reddunt difficile & impossibile sine gratia. ibid. Cur difficulter apprehendat spiritualia. ibid.*
Sicut homini qua animali ab auctore naturæ naturaliter debita sunt necessaria vt viuat vita animali, ita qua rationali debita sunt auxilia necessaria vt viuat vita rationali 84.127. *Hinc in lege puræ naturæ eiusmodi auxilia fuissent homini connaturalia, iam tamen sunt secundùm modum supernaturalia.* 128
Homo an naturaliter sit capax beatitudinis. 435.156
Homo numquam omni ex parte odibilis. 605.11
Homicidæ punitio non facilè impedienda. 487.105

Honestum, honestas.

Nequeo actu illicito sciens appetere honestatem. 43.105
Nequeo aliquid appetere propter honestatem quod culpabiliter ignoro esse inhonestum. 44.106
Honestas nequit me impellere vt eam imprudenter appetam, quare imprudenter siue inordinatè aliquid appetens numquam mouetur amore honestatis. 44.106
Actus honestus qua talis, potest esse vtilis alteri fini acquirendo, eoq; referri 44.112. *Et est quoddam Dei bonum eiq; placet.* 44.118. *Vt sit honestus non semper debet honestas propter se appeti.* 46.119
Omnis actus voluntatis honestus supponit duplex iudicium. 227.5. *Quod eum immediatè dirigit debet esse moraliter certum. ibid.*
Honestas debet directè intendi vt actus sit bonus; non tamen malitia vt actus sit malus. 649.53

Honor, honorare.

Honoratur Deus in se, excellentiore cultu quàm in suo vicario aut in Sanctis. 474.18
Cur potiùs eodem cultu interno quàm externo honoremus Deum in se & in suo vicario. ibid.
Honorare Hebræis etiam significat sustentare aut stipendia dare. 520.153
Honori tuendo an duellum necessarium. 641.6

Horror.

Horrorem sui excitant res optimæ. 398.61

Hypostasis.

Qua ratione hypostasis requiratur ad agendum. 24.123

Idolothyta.

IDolothyta qua ratione licitè comedantur. 296.54. & 298.64. *quando illicitè. ibid.*

Idolum.

Idolum ad vitandam mortem conficere non licet. 358.213

Iehu.

Grauiter peccauit simulando cultum Baal, nec in hoc à S. Scriptura laudatur. 291.19

Ignis.

Ignis expellit frigus vt calorem inducat, non contrà. 112.88

Ignorantia, ignorans.

Inuincibilis legis ignorantia excusat transgredientem à culpa, non tollit tamen obligationem. 35.47
Ignoranti inuincibiliter suum matrimonium esse inualidum, quandoque licitè suadeo vt reddat debitum, non tamen vt petat. 48
Ignorantia inuincibilis non impedit ne actio sit verè moraliter mala & materiale peccatum, sed solùm ne sit culpabilis. 35.49 & 277.222
Datur inuincibilis ignorantia rerum fidei etiam inter fideles 277.221. *Qui ignorantes dicantur ignorandi & puniendi.* 278.288. *Quid requiratur vt ignorantia sit culpabilis.* 229
Ignorantia rerum fidei sæpè in rusticis magis imputanda horum heris aut Pastoribus, quàm ignorantibus. ibid.
Potest quis breui tempore inuincibiliter ignorare Deum, eiúsque prouidentiam, non tamen longo. 323.12
Ignorantia putantium solem esse Deum nequit diu esse inuincibilis. 324.15
Duplex vincibilis ignorantia, quarum vna consistit cum sincero affectu erga veritatem, altera non. 3.9.30. &c.
Ignorantia crassa excusat ab hæresi. 338.97. *Non tamen ab homicidio.* 339.98. *Quid dicendum de affectata.* 100
Ignorantia alia iuris, alia facti. 572.37.38. 42.44
Ignorantia inuincibilis circa iustitiam belli. 626.40

Imaginatio.

Rudi modo ipsa actus intellectus in se exprimit, & appetitum ad obiecta voluntatis allicit. 124.31

Imago.

Imago quid ab exemplari, quid à pictore accipiat. 90.33. *Conculcantes imagines an teneat reprehendere.* 302.93
Imagines ad quid iuuent. 473.14

Impeccabilis.

Potest quis à Deo reddi impeccabilis illæsa libertate. 25.127
Potest quis dupliciter dici naturaliter impeccabilis. 67.32

Impedimentum.

Impedimenta sponsalium occulta an tenearis contrahenti indicare. 574.47

Imperium, imperare.

Imperium intellectus voluntatem determinans libertatem euertit. 18.76
Imperare actum vnum, actum alterius virtutis quid. 531.12. & 13

Impij.

Impij qua ratione possint dici membra ac fratres Christi. 542.74
Impij verè oderunt Deum. 608.26
Impium qua talem odio prosequi potes. 612.55

Implicare, implicantia.

Vnum potest magis implicare quàm aliud. adeóque infinities magis implicat Deum fallere, quàm scientiam. 248.48
Magis implicat notas fidei fallere, quàm scientiam. 49

Impossibile.

Non ideo aliquid est impossibile, quia ex eo sequitur absurdum; sed inde sequitur absurdum, quia impossibile est. 155.155

Vnum est magis impossibile quàm alterum. 248. 48

Iustificari nulli vtenti ratione absolutè impossibile. 324.13

Impotens.

Impotens non agere, non peccat agendo, etsi sua culpa sit factus impotens. 10.27

Reddens se impotentem implere præceptum, contra hoc peccat. 57.197

Quis dicatur se reddere ita impotentem. 199

Imprecari.

Imprecari inimico malum, qua ipsi malum, non licet. 484. 83

Quo sensu Sancti quandoque imprecentur suis inimicis mala. ibid.

Inaduertentia.

Peccata inaduertenter facta non continent ingratitudinem. 455.104

Incendium.

Incendium tua culpa ortum licitè non extinguis vt mortem euadas. 559.172

Inclinatio.

Inclinatio naturalis quæ sit. 500.31.32. 34

Inducere, inductiuum.

Inducens alium ad peccandum, singulariter obligatur eius emendationem curare. 586.133

Inducere alium ad peccatum veniale quale peccatum sit. 649.51

Inducens complicem vt secum peccet, hoc debet in confessione exprimere. 55 & 56

Inducentia alios ad peccatum quomodo teneatur vitare. 650.60

Inductiuum peccati opus, licet aliàs in se non malum, quando tenearis vitare. 651.65.66

Infamia.

In duello pugnantes sunt infames. 644.27

Infans.

Infans vt baptismi fructum percipiat, nec per se, nec per alios quid quam necessariò credit. 270.174

Infidelitas, infidelis.

Nulla datur propriè merè negatiua. 322.2. *Alia est priuatiua, alia positiua.* 3. *Vtraq; est vel vincibilis & ita culpabilis, vel inuincibilis & inculpabilis.* ibid.

Priuatiua alia est infidelitas secundùm quid, priuans solo actu debito: alia absoluta, priuans etiam habitu. 4. *Prior est multiplex.* ibid.

Infidelitas quadrupliciter committitur. 5. *Positiuè nolens credere est positiuè infidelis.* ibid.

Infidelitas est in intellectu, vt tamen sit culpabilis supponit malam voluntatem, à qua habet malitiam formalem. 326.22

Nulla infidelitas merè negatiua, aut quæ non sit pertinax expellit fidem. 25. *Ad hoc tria requiruntur.* 327.26

Infidelitas fidem expellens est quadruplex. ibid.

Infidelitas diuiditur in paganismũ, iudaismum & hæresim. 332.52. *Qua ratione hæc diuisio sit sufficiens.* 54. *Dubitatio in fide & apostasia ad quãuis ex his speciebus pertinere potest.* ibid.

Vt iudicemus an aliquis sit Iudæus, paganus aut hæreticus, videndum non quid crediderit, sed quid iam credat. 333.59. *Quomodo hæ species infidelitatis inter se distinguantur, ac definiantur.* 62

Vtrùm dicta diuisio sit propriè generis in suas species. 63. & 334.69

Diuersæ infidelitates non continent diuersa specie peccata ob diuersam fidei prædicationem. 67. *sed ob distinctas blasphemias quas continẽt* 69. *Qua ratione diuersæ hæreses, aut diuersi paganismi diuersa specie peccata contineant in confessione explicanda.* ibid.

Quænam ex dictis infidelitatibus sit peior. 334.70. & 335.71. &c.

Infidelitas an sit grauior quàm desperatio. 401.87

Infideles an tenear corripere. 574.49

Infidelibus & barbaris an possit bellum inferri. 628. 54

Infidelis accepta Dei gratia potest aliqua bona opera facere, quibus ad conuersionem paulatim disponatur. 252.74. *Per ea vlteriorem gratiam de congruo meretur.* 75

Quo sensu Patres dicant in infideli nulla reperiri opera bona. 253.78 &c.

Statim ac res fidei sufficienter ei sunt propositæ, tenetur eas credere. 274.205. *Aliàs contra Christum militat.* 206. *Cur teneatur potiùs statim conuerti ab infidelitate, quàm ab alijs peccatis.* 275. 210

Ad quid teneatur audito Euangelio. 213. & 278. 230

Infidelium cæremonijs aut precibus an licitè interssimus. 297.61. &c.

Vtrùm infidelis rogatus an sit Lutheranus, Calumista, Turca, Iudæus, &c. peccet si veritatem affirmet. 299.69

Infidelitas est in intellectu; vt tamen sit culpabilis, supponit malam voluntatem, à qua habet malitiam formalem. 326.22 &c.

Potest infidelis facere aliqua opera bona ac vera virtutis. 329.40. *Sæpe suis operibus aliqua à Deo impetrat* 330.41. *Quo sensu quidã Patres dicant omnia eius opera esse peccata.* 44 &c. & 331.48. & 50. *Quo sensu vocent ea mendacia.* 332.50

Non omnia opera infidelium fiunt ob malum finẽ. 51.

Infideles sunt triplicis generis. 347.149. *An possint habere dominium in fideles.* ibid.

Infideles Christianis principibus non subiecti licitè retinent dominium in fideles. 349 157.159

Et illicitè hoc dominio per Christianos priuãtur. 160. *nisi sint in subiectos iniurij.* ibid.

Christianis principibus subiecti, illicitè inter Christianos publicis præficiuntur officijs, aut in fideles iurisdictionem accipiunt. 349.158 & 350.162

Cur potiùs cedat in iniuriam fidei, si infideles dominentur fidelibus inter Christianos, quàm in terris suis. 349.158

Cum infidelibus illicitè communicamus in sacris. 350. 164. *An possint nostris sacris interesse.* ibid. *Qua ratione possimus cum ijs contrahere matrimonia, aut in ciuilibus communicare.* 165

Conuersatio cum infidelibus est sæpe periculosa. 352. 172

Infidelium libri an legi possint. 174 &c.

Infidelium baptizatorum peccata per Ecclesiam puniri, & peruersi ritus impediri debent. 354.186.

Principes debent impedire & punire ritus aliaque pec-

peccata legi naturæ contraria infidelium sibi subiectorum. 187. *ritus verò legi naturæ non contrarij in non baptizatis permittendi.* 355 190
Non baptizati nec Christianis subditi ob sua peccata ab his puniri nequeunt, quamdiu innocenti non faciunt iniuriam. 196. *Iniustè tamen alijs eorumq; rebus vim inferentes licitè vi comprimuntur.* 356.197
Infideles baptizati possunt ad fidem compelli. 360. 223. *etiamsi per iniuriam ad baptismum compulsi sint.* 224. *Secùs est de non baptizatis.* 361. 225. & 231. *Possunt tamen vi compelli ne euangelij prædicationem aut fidem suscipere volentes iniustè impediant.* 226. &c. *Quæ præmittenda antequam ob hanc causam ijs bellum inferatur.* 228. *Possunt etiam indirectè compelli vt fidem suscipiant, eiúsque annuntiationem audiant.* 362.238. & 263.240

Infirmus.

Infirmi qua ratione visitandi. 532.16
Infirmus non tenetur ad pretiosissimas medicinas sibi comparandas. 552.135. & 554.145

Influxus.

Influxus Dei in actu primo. 434.148

Infundere.

Actiones aliaq; à nobis producta impropriè dicuntur nobis infundi. 101.23. *Secùs de ijs quæ non liberè producimus.* 24

Inimicus.

Inimici amor quo respectu habeat rationem amicitiæ. 416.24
Inimici & non inimici an eodem modo diligendi. 482. 67
Inimici quo iure diligendi. 70. & 72
Inimicus nobis est proximus. 483.75
Inimicum licitè odimus qua talem præcisè. 79
Inimicus non potest excludi sine iusta causa à generali affectu, vel beneficijs communibus. 484.85
Inimicum non potes odio inimicitiæ prosequi. 81
Inimicus quibus casibus excludatur à generali beneficio. 485 87
Inimicos occurrentes an salutare teneamur. 91
Inimici dilectio qualis sit præcepta. 89. & 91
Inimicis quando teneamur singularia amoris signa ostendere. 486 93.97.98
Inimicorum odium Iudæis ob eorum infirmitatem olim permissum. 490.122
Inimicorum odium quale Iudæis aut præceptum aut permissum. 124
Inimicum amans propter Deum, hunc appretiatiuè magis amat quàm amans amicum. 494.150
Inimici amor exigit procedere à maiore amore Dei. 153. & 154
Inimicis etiam danda eleëmosyna. 542.76
Inimico cur odium velit malum sine mensura. 606. 14

Initium.

Initium quid sit. 390.11
Initium sapientiæ qua ratione sit timor. ibid.

Iniuria.

Iniurias tenemur alijs remittere, etiam non petentibus. 484.82
Iniurijs satisfactionem, vel pœnam debitam non semper tenemur remittere. 486.95. & 96
Iniuria ex duplici intentione vindicari potest. 623. 24. *Iniuriæ auctores an tradi debeant principi læso.* 27
Per hoc quòd quis alteri infert iniuriam, non fit ei subiectus. 624.29
Iniuria quæ dicitur alteri illata, non est compensanda nisi id probetur. 630.69
Non omnis iniuriam faciens vim infert. 641.6

Innocentes.

Innocentes qua ratione licitè aut illicitè in bello occidantur. 636.110. & 111. *An iustè spolientur bonis.* 112. & 114
Innocens priuatim, potest reputari culpabilis, vt est membrum reip. 637.116
Innocentibus spoliatis tenentur ciues nocentes restituere damna. 117
Innocentes Ecclesiastici tempore belli illicitè spoliantur. 118

Inquirere, inquisitio.

Inquirere in vitam subditi tenetur Superior. 577. 67
Inquisitionem prudenter in suos faciat Superior. 579.84

Insidiæ.

Insidijs licitè vtuntur in bello qui causam iustam fouent. 636.109

Instans, instantia.

An aliquid posit esse & non esse, intra vnum instans discretum. 463.151
Instans discretum quid sit. 156
Instans discretum alteri succedens facit aliquid magis. 465.164
Instantia naturæ non sunt partes instantis temporis. 168

Intellectio, intelligere. *Vide* Cognitio.

Intellectio non influit in actum voluntatis. 26.136
Aliqua est accidentaliter vera aut falsa. 43.101
Intellectio est viua imago obiecti. 90.33. *Quid ab obiecto, & quid ab intellectu accipiat.* ibid. *Qua ratione speciem ab obiecto accipiat.* 34
Potest à solo Deo in intellectu produci. 120.8. vide *Intellectus.*
Aliter actus intellectus ab obiecto accipit suam veritatem, quàm actus voluntatis suam bonitatem. 197. 78
Difficultas intelligendi nascitur ex defectu claræ propositionis. 306.4

Intellectus.

Intellectus non est formaliter liber. 13.46. *Necessariò assentitur euidenti veritati sibi propositæ.* ibid. *Nequit firmiùs alicui rei assentiri, quàm apparens ratio suadeat, nisi ex imperio voluntatis.* ibid.
Intellectus non est ex se indifferens ad opposita. 14. 50
Intellectus minùs indiget voluntate, quàm hæc intellectu, hic tamen illi subiectus. 51
Quomodo intellectus excitetur vt aliquid cogitet. 18. 75
Intellectus illustratus lumine gloriæ qua talis, naturaliter videt Deum. 65.20. *Sine hoc tamen nullus est possibilis qui eum naturaliter videat.* 66. 27
Intellectus hominis potest ita perfici vt æquet angelicum. 65.23
Cur nullus intellectus posit naturaliter videre Deum. 67.34. & 97.78

Non sola imperfectio reddit potentiam improportionatam alicui obiecto. 67.34
Variæ sunt causæ cur actus intellectus varient speciem. 87.15
Intellectus est instar pictoris. 9033. *Quomodo ab eo differat.* 35. *Nequit intelligere per actum à se non productum licet sibi inhærentem.* 120.8. *In suis actibus ex alio plane capite sentit difficultatem quàm voluntas.* 120.11. *Qua ratione ab hac ad assensum cogatur.* 175.73. *Hoc fit dupliciter.* 230.25
Intellectus motus obiecto formali claro potest quandoque moueri ab obiecto obscuro, quandoque non. 204.39
Obiectum tripliciter potest obijci intellectui. 232.33. *sine vlla apparente probabili ratione ei nequit assentiri.* ibid. *quando ab obiecto, & quando à voluntate determinetur ad assensum.* ibid.
Qua ratione determinet voluntatem ad specificationem actus. 234.43. *Huic non seruiliter, sed ciuiliter paret.* 245 32. *Vehementer apprehendit ea quibus voluntas valdè afficitur.* 246 32
Intellectu perfectior est voluntas habens habitum caritatis. 421.59.60
Quæcumque intelligimus etiam modo corporeo imaginamur. 436.2

Intensio.

Intensio qualitatum fit per intensionem gradus ad gradum. 441.31
Intensio & appretiatio amoris differunt. 497.9
Intensiuè amare Deum super omnia non tenemur. 498.14.&17
Intensionem certam non requirit actus caritatis. 19

Intendere, intentio.

Intentio nequit perseuerare efficax nisi sequatur electio. 19.86. *Non necessitat tamen electionem, quia potest desinere esse efficax.* 88
Non omnis intentio finis boni est bona. 47.127
Intentio est voluntas finis efficax, ideoq; implicita volitio medij, & hoc habet pro partiali obiecto. 128. *Non necessariò respicit determinati medij electionem, nisi quando hanc actu causat, & tunc habet illud pro obiecto.* 129. *Qua ratione causet electionem.* 130. *Nequit esse initio sine ordine ad certum medium, & deinde cum tali ordine nisi in se mutetur.* ibid.
Intentio honesta nequit causare malam electionem. 48.132
Intentio honesta nequit simul cum inhonesta causare eandem electionem. 134. *Hinc bona intentio nequit per accidens causare malam electionem.* 133.& 136. *Nec vnquam vitiatur mala electione.* 49.138
Intendere finem honestum tripliciter possum. 139
Numquam intentio boni finis facit opus alias malum licitum. 50.144. *Excusat tamen operantem quandoque à culpa.* 145. *Item minuit malitiam electionis.* 148
Qua ratione bona intentio faciat omnia opera bona. 50.147
Intentio dupliciter potest esse melior opere electo. 51.151. *Sæpè non respondet bonitati finis intenti.* 152
Qua ratione possimus simul intendere repugnantia, & quæ tunc intensio sit absoluta. 193.50
Intentio & electio etsi physica specie differant, moralem bonitatis speciem habent eandem. 526.12
Intentio scandalizantis triplex. 645.35.& 647.45.& 648 47
Intentio nocendi non inducit obligationem restituendi. 648.49.50
Ruina proximi dupliciter intendi potest. ibid.
Honestas debet directè intendi, vt actus sit bonus; non tamen malitia, vt actus sit malus. 649.53

Interpretatio.

Interpretationes legis peruersas correxit Christus. 491.131

Inuidia.

Inuidiæ definitio. 614.11.& 20. *qua ratione inuidus de alieno bono doleat.* 616.18
Inuidia est gaudere quòd habeas socium in pœna. 22. *dolens officinam vicini frequentari an sit inuidus.* 23
Inuidia cur nequeat esse inter valdè dispares. 24

Inuitus.

Inuitos nemo potest nos à Deo disiungere, poßumus tamen sponte ab eo discedere. 458.124

Ioannes.

Ioanne Baptista adhuc viatore quiuis Beatus maior. 450.79
S. Ioannem Baptistam immeritò arguebant Manichæi militibus præcepta dantem. 621.6

Irregularis.

Irregularis non fit clericus in sacris constitutus licitè pugnans, si aliquem occidat. 633.91

Iudæi.

Quo sensu dicatur serui Christianorum. 350.163.&c.
Qualis communicatio aut familiaritas nobis cum Iudæis licita, aut illicita sit. 166.&c. *An licitè eorum conuiuia adeamus.* 351.169
An Christianæ licitè eorum proles lactent. 170
An licitè ijs aliquid legetur. 72
Eorum ritus cur permittantur. 355.190.&c. *hi per se & directè nihil falsi significant.* 191.&c. *Eos principes Christiani solùm per accidens prohibere ac impedire possunt.* 194
Iudæi acceperunt spiritum timoris seruilis, nos autem filialis. 393.30 31
Iudæi primi vocati in vineam. 438.15

Iudex, iudicare.

In Ecclesia est certus iudex controuersiarum. 218.24. *Quæ conditiones in tali iudice requirantur.* 219.27.&c.
Iudex cuius sententia est ambigua, est inutilis. 28
Cur Scriptura nequeat esse iudex controuersiarum. 220.35
Indocti hæreticorum iudice vti nequeunt. 221.41
Christus peßimè consuluisset Ecclesiæ, si solam Scripturam ei dedisset controuersiarum iudicem, quod exemplo apto explicatur. 222.48. *Qualem ei iudicem dederit.* 223.50. *Quisnam hic iudex sit.* 51. *In lege veteri erat summus pontifex.* 53
Ad iudicem controuersiarum non spectat condere nouos articulos fidei, aut etiam nouas leges. 224.55
Conditiones in iudice controuersiarum requisita conueniunt summo Pontifici & Concilio generali. 56. *Hinc tamen non sequitur quòd sint supra Scripturam.* 57
Non omnis iudex causæ in iudicium adductæ est iudex partium. 615.34
Iudex nequit iudicare ex priuata scientia. 626.43

Iudicare de aliorum occultis non debemus. 569.19

Iudicium.

Iudicium voluntatem determinans non requiritur ad volendum, sed libertatem exercit. 15.57.& 59
Iudicium præcedens omnem volitionem non est liberum. 60
Ad volitionem non requiritur iudicium practicum. 19 83
Prudens aut prudentium iudicium potest esse causa cur iudicem aliquid esse verum aut iustum, nequit tamen esse causa cur sit verum aut iustum. 30.11. *nisi aliquando remotè & per accidens.* 31.18.& 32. 25
Iudicium non ideò est rectum, quia conforme diuino. 30.13
Iudicium operantis non efficit actionem externam bonam aut malam, atque adeò actio quam iudicat malam, est sæpè bona, & contra 31.19. *Quod quandoque etiam accidit actioni internæ.* 20
Iudicium de credibilitate rei credendæ non est fides humana, sed hanc sæpè supponit. 172.56
Iudicij absentiam connotat desperatio. 401. 82
Iudicium hæreticum præsumptionis Pelagianæ & Lutheranæ. 410.144

Iurisdictio.

Iurisdictionis, non autem ordinis, potestatem amittunt schismatici. 620.47

Ius.

Ius nullum habemus naturaliter ad beatitudinem. 435. 157
Iure naturæ qua ratione sint omnia communia. 544. 85
Ius naturæ vocatur à Iuristis ius gentium. 546 98
Ius Superioris in subditum. 578.70
Iure ad famam qua ratione quis cedere possit. 597. 197.& 598 198. & 599.206
Iure suo quandoque ob pacem Ecclesiæ cedere tenetur legitimè electus in Pontificem. 620 45
Ius rem aliquam sibi vendicandi, est valdè distinctum ab eius dominio, nec huic necessariò connexum. 626.43
Iure postliminij quænam gaudeant. 638.123

Iustificare, iustificatio.

Nos solo extrinseco Dei fauore sine peccatorum remissione iustificari contra apertas Scripturas hæretici asserunt. 98.1
In iustificatione habitus virtutum theologicarum infundi certum est. 4. *semperq; certum Catholicis fuit de adultis, & vt tale à Concilio Viennensi & Innocentio III. supponitur.* 5. & 6. *De paruulis tamen fuit aliquando dubitatum.* ibid.
Est de fide nobis in iustificatione infundi formam inhærentem. 100.20. *eámque esse aliquid reale.* 21. *Hæc nequit esse aut gratia actualis, aut aliqua actio.* 101.21.23
Solus Deus est causa efficiens nostræ iustificationis; quòd esset falsum si iustificarèmur nostris actibus. 26
Est de fide in iustificatione infundi formam permanentem. 102.31. *atque adeò veros habitus.* 32
In iustificatione infunduntur nobis virtutes morales. 103.38
Qua ratione iustificari gratis opponatur iustificari ex operibus. 145.100. *Non repugnat merito de congruo.* 102. *Hinc etiam contriti dicuntur gratis iustificari.* ibid.& 253.77.&c.
Qualis fides ad iustificationē sit necessaria. 257.106. &c.& 282.251.
Quarum rerum fides ad eam necessaria. 258.111.&c. *qualis amor ad eam requiratur.* 260 118. *An ad eam per Sacramentum acquirendam sufficiat detestatio peccati ob suam turpitudinem.* 120.
Hæreticum est nos sola fide iustificari. 281.244.
Implicat nos iustificari ea fide qua credimus peccata nobis esse remissa. 28. 255
Iustificari nulli vtenti ratione absolutè impossibile. 324 13.
Iustificamur per aliquam qualitatem nobis à Deo infusam ac inhærentem. 422 65
Iustificationis nostræ causa formalis. 428 109
Error Kemnitij & Buceri circa iustificationem. 429.111

Iustitia.

Qua ratione iustitia exigat peccata puniri, & qua ratione eius executionem possimus impedire. 60.215
Debitum iustitiæ respicit ius in creditore. 126.9
Iustitia respicit medium rei. 140.77. *& strictam obligationem.* 141. 82. *Distributiua essentialiter spectat proportionem geometricam, & ita differt à commutatiua.* 83. *Eam violans quandoque ijs quibus aliquid debebat distribui, quandoque communitati tenetur restituere.* 84.&142. 85. *Respicit necessariò rem distribuendam & finitam.* 86. *Semper supponit obligationem commutatiuæ* 87. *Reperitur quandoque in solutione debitorum.* 89
Deus est essentialiter iustitia, non qua nos iusti sumus, sed qua ipse iustus est. 414.6
Iustitia augetur per bona opera. 437.5
Iustitia vera semel habita potest tolli. 458.1.1
Nemo obligatur ex iustitia mihi aliquid præstare, quamdiu id non cupio. 578 75
Iustitia belli tres requirit conditiones. 623.18.22
Iustitiæ administratores licitè constituit Episcopus, vel clericus obtinens dominiū temporale. 634 92

Iustus.

Omnes ferè actus virtutum hominis iusti sunt supernaturales in substantia. 137.63
Iustis Deus obligatur dare gloriam, & hi ad hoc habent ius, quod tamen sit etiam sub dominio Dei. 142.90.&143. 91.94. *Deus potest illis hoc sine iniuria auferre.* ibid. *ideóque non obligatur ijs ex iustitia.* 143.93. *Nequit aliquis mori iustus, & regno Deipriuari.* 270.175
Iusto an possit damnatio sua absolutè reuelari. 402. 93.96.98
Iusti auidè appetunt vnionem sapientiæ diuinæ. 417. 29
Iustum esse, præter formam positiuam dicit negationem iniustitiæ. 426.94
Iusto iustior est alius. 437.5

Labor.

Labore magno acquisita cur magis amemus. 161. 181

Læsus.

Læsus an possit punitionem lædentis exigere. 487. 102.104

Lex.

Aliud est nos non obligari lege, siue ab ea excusari, aliud nos sine culpa eam transgredi. 35.47
Legis impletionem omnesq; virtutes continet caritas, quia

quia generalissimè voluntatem Deo subijcit. 421. 55.56
Lege naturæ tenemur Deum diligere. 476.32
Lex omnis naturæ non potest naturæ viribus impleri. 483.76
Lex variis modis potest corrigi. 489.119.120
Lex vetus qua ratione à Christo dicatur immutata. 490.126
Lex humana quandoque obligat cum periculo famæ & vitæ. 642.12

Libellatici.

Quinam olim dicti sint libellatici. 291.18. & 305. 115. &c. *grauiter semper fuerunt reprehensi.* 291.18

Liber.

Quomodo Moses optet deleri de libro vitæ, & Paulus esse anathema. 503.52.53
Libros lasciuos edere maximè scandalosum est. 651. 65

Liberalitas.

Liberalitas S. Martini laudata. 553.142

Liberum, libertas.

Liberi arbitrij significatio malè inquiritur ex eius deriuatione. 5.1
Liberum variè definitur. 2
Libertas variè sumitur. 3. *Est triplex.* 6.4. & 5
Quam libertatem hæretici in nobis negent. 5
Sumus in agendo liberi à necessitate. 6
Sola libera actio digna præmio aut pœna. ibid.
Libertas à coactione etiam in brutis & amentibus reperitur. ibid.
Idem potest nobis esse liberum & necessarium sub diuersa consideratione. 7.8
Ad veram libertatem quid requiratur. 9.24. & 22. 108. & 23.114
Vt sis liber, debes positis ad agendum prærequisitis in sensu composito posse non agere. 9.26. & 22.107
Libertas non consistit cum prædeterminatione. 10. 29
Liberè agens determinat se ad agendum. 12.40
Libertas alia contrarietatis, alia contradictionis. 13. 45. *Radicaliter consistit in intellectu.* ibid. *Formaliter in voluntate.* 46. *Formaliter est perfectio simplex, & reperitur in Deo.* 47
Liberè hîc amamus finem etiam vltimum. 14.51. *Sicut etiam bonum in communi, eaque quæ cum eo necessariam habent connexionem.* 53
Libertas consistit præcisè in facultate voluntatis. 15. 55
Quæ actio dicatur solùm mediatè libera. 19.89. & 25.129. *Quæ dicatur immediatè libera.* 128. & 158.168
Liberè operari significat modum operanti intrinsecum, ideóque nil tollit libertatem quod hunc non variet. 22.109. *Nihilque tollit libertatem quod nullo modo de facto ad operationem concurrit.* 23. 115
Sola voluntatis actio est immediatè libera. 25.129
Esse liberum propriè & intrinsecè soli potentiæ conuenit, actioni verò per denominationem extrinsecam. 130. *Vtrùm eadem actio manens physicè secundùm se inuariata, possit modò esse libera, modò non libera.* ibid. *Qua ratione aliquæ actiones dicantur formaliter liberæ.* 131
Actio aliqua essentialiter, alia accidentaliter non libera, aut non vitalis. 26.137
Quando actio libera & non libera possit procedere ab eadem potentia, quando non. 138
Libertas solùm moraliter mutat bonitatem aut malitiam actus. 27.143
Actio non libera potest esse moraliter bona aut mala, Deoq; placere aut displicere. 28.143
Esse liberum est formalis ratio cur actio mala sit culpabilis. 39.76.78
Libertas an impediatur per reuelationem peccati futuri. 408.128
Libertatem an impediat præscientia. 410.140
Libertatem requirit perfectio actus moralis. 419. 46
Libero arbitrio possumus à Deo ad peccatum auerti. 458.122
Qua ratione iure naturæ simus liberi. 545.88
Libertate an possint priuari innocentes ciues tempore belli. 637.119 120. *Christiani à Christianis in bello iniusto non possunt in seruitutem redigi, ibid.*

Lis.

Lite iniusta & falsis instrumentis te vexantem non potes occidere. 642.12. & 643.20. & 644.26

Lumen gloriæ.

Cur lumen gloriæ nulli creaturæ possibili sit naturaliter debitum. 67.36
Omnes habentes æquale lumen gloriæ æqualiter vident Deum. 97.78
Lumen gloriæ aliter perficit potentiam quàm species intelligibiles. 79
Lumen beatificum an possit esse in peccatore. 429. 113
Lumen expellit tenebras, hæ tamen non expellunt lumen. 461.139

Lutherus.

Lutheri error. Vide *Error.*

Luxuria.

Luxuriam quæ prouocent. 651.65

Lytrum.

Lytrum ingens non tenetur ditissimus dare ad liberandum captiuum. 554.143
Lytro exiguo non voluit redimere captiuos auarus Mauritius Imp. ideò fuit etiam à Deo punitus. 144

Magistratus.

Magistratus an semper teneatur quædam peccata plus impedire quàm priuati. 572.34

Magnanimus.

Cur magnanimi ament difficilia. 161.181
Qua ratione magnanimi appetant difficilia. 368.29. & 370.38.

Magnificentia.

ad Magnificentiam spectant ingentes impensæ. 554. 145

Malum, malitia.

Malitia alia transcendentalis, quæ consistit in sola priuatione: alia respectiua, quæ potest consistere in positiuo. 28.1. & 2. *Atque ita res aliqua per se alteri est mala, eoq; peior quo in se melior.* ibid.
Vna res alteri per se immediatè mala. 3
Malitia respectiua in quo consistat. 29.6
Malum aliud physicè, aliud moraliter. 7. *Hoc solam naturam rationalem siue intellectualem respicit.* ibid.

Mali-

Malitia moralis alia formalis, alia materialis. 8. *Prior soli actioni voluntatis intrinseca, alia etiam alijs ibid. Vtraq; necessariò fundatur in tendentia potentiæ in obiectum, & sine ea esse nequit.* 30.9 *In quo consistat.* 31.16. & 32.27

Actio potest esse mala quam operans iudicat bonam, & contra 19. & 20. *Et modò mala, modò non mala.* 32 25

Malitia formalis includit libertatem. 27

Malitia obiectiua in quo consistat. 33.32

Actio ignoranter facta potest esse moraliter mala. 34. 40. *Et simul denominatione extrinseca bona.* 36.5. *& intrinsecè bona potest denominatione extrinseca esse mala.* 54

Esse effectiuum mali est malum. 38.70

Malitia materialis & obiectiua est priùs in actu externo quàm in interno: formalis priùs est in interno. 40.28. *Item illa est in actu externo antequam existat, non tamen hæc.* ibid.

Malitia moralis non est pars essentialis actus. 42. 97. *& formalis est ei omnino accidentalis.* 100

Mala actio nequit procedere à gratia. 244.23

Secùs de ea quæ ex obiecto bono mala volũtate imperatur, cuius tam Deus quã honestas sunt causa 245.30

Vix vllus tam malus quin aliqua bona faciat. 330.41

Malæ actioni cooperans quando peccet. 357.207

Actio externa varijs modis potest esse mala. 358.208. &c.

Malitia quædam specialis reperitur in omni peccato. 646.39

Malitiæ plures in omni peccato reperiuntur. 647.43. 47

Actus externus habet malitiam intrinsecam distinctam ab ea quã accipit ab interno. 648.47. & 48

Lapsum alterius ex malitia an tenear impedire. 652. 70

Mali detestatio præsupponit amorem boni contrarij. 389.4

Malum absolutè quid sit. 391.16

Malum non imminens qua ratione fugiamus. 398. 60

Mala qua ratione velit à nobis Deus. 403.96

E duobus malis minus eligitur. 409.133

Malum, qua ipsi malum, imprecari inimico numquam licet. 484.83

Mala communitatis grauia etiam cum vitæ periculo tenemur auertere. 585.126

Malum publicum machinantem debes denuntiare. 589 149

Malum qua malum possum alicui velle, & simul eum amare. 605.6. *in malo qua tali potest reperiri ratio boni.* 7

Mala quibus Deus nostra peccata punit, licitè conamur à nobis auertere. 621.4

Mancipium.

Mancipia quàs possint eleemosynas facere. 538.46

Mandatum.

Mandata seruans est sapiens. 390.11

S. Martinus.

S. Martini liberalitas laudata. 553.142

Matrimonium.

Illicitè contrahitur coram hæretico Ministro. 297 63. *an licitè contrahatur cum hæretico.* ibid.

Matrimonij vsus quando adhibendus. 520.150

Matrimonij impedimenta orta ex ignorantia an tenear impedire. 573.44.45

Matrimonij impedimenta quando possint aperiri coniugibus. 574.47.48

Maxilla.

Maxillam vnam percutienti qua ratione iubeamur alteram dare. 622.13

Medicina, medicus.

Medicina tropicè dicitur sana, non tamen denominatione extrinseca. 38 72

An licitè vtamur medico Iudæo aut Saraceno. 351.168

Medium.

Medium amoris finem supponit. 390.7

Media quibus finem scio me non adepturum, an quæam eligere. 407 124

Media proportionata suo fini Deus instituere solet. 421.57

Medij amor est virtute duplex. 492 138

Medium quandoque amatur purè propter finem, aliàs ex parte propter se. 493.145

Mendacium, mentiri.

Deum mentiri posse ac mentitum esse docuerunt Priscilianiſtæ. 185.1. *Quid de hoc senserint aliqui Catholici.* 2

Quatuor modis potest concipi Deum per alios mentiri. 3

Nullo modo potest propriè mentiri. 186 4.5 &c. *aut alteri præcipere vt mentiatur.* 187.16. *eúmque ad hoc directè incitare.* 17

Si Deus posset mentiri, non teneret ei credere. 186.10

Cur Deo potiùs quàm homini sit iniurius dicens eos posse mentiri. 187.13. *Aequaliter implicat eum mentiri per alium, ac per se.* 14.

Nullam ob causam licet mentiri. 16. *Etsi homini id ob aliquam liceret, non tamen Deo.* 188.24. *Quia aliàs non esset prima veritas.* ibid.

In quo consistat mendacij ratio. 192.50. *Qua ratione ab eo possint excusari multa Sanctorum dicta.* 193.54

Merces, mercenarij.

Stipendium operarij proprie dicitur merces. 126 6.

Idem potest esse merces & hæreditas. 129.21

Vile est operari ob mercedem temporalem, non tamen ob æternam 130.26. *Soliq; priores, non autem secundi, vt mercenarij reprehenduntur.* ibid.

Merces potest præcedere meritum. 146.108. *Potest dari futuro digno.* 147.112. *Promittens aut dans mercedem ante meritum, id facit quia videt hoc futurum si illud fecerit.* 148.116

Licitè benè operamur spe mercedis. 376 72. *Quando hoc sit vile & mercenarium.* 377.78

Mereri, meritorium opus.

Cur volens feciſſe omnia opera bona quæ fecit S. Paulus, non æqualiter cum eo mereatur. 41.92

Nihil meretur seipsum aut suum formalem effectum. 101.27

Iusti merentur vitam æternam. 128. 20. *idq; de condigno.* 129.24

Ex duplici capite opus aliquod potest esse meritorium. 130.27. *Dupliciter dicitur præmio condignum.* 29. *Opus in se inuariatum ratione circumstantiarum fit dignum maiore præmio.* 131.31

Qua ratione opera nostra de condigno mereantur vitam æternam. 32

Peccantes longè aliter merentur pœnam æternam, quàm benè operantes vitam æternam. 132 37

Vt aliquod opus sit de condigno meritorium quas requirat conditiones. 133.40.41.42. &c. *Quid ei con-*

conferat promissio.134.46.47.48. Nō necessariò elicitur aut imperatur à caritate. 138.64. Ob quem finem debeat fieri 66.69. Requirit caritatem habitualem,non tamen actualem. 67
Cur opera non viatoris non sint meritoria. 139 72.
Varia operis meritorij difficultas , aut facilitas. 160.177
Quodnam opus in quauis virtute sit magis meritorium.161.179. Ex quibus capitibus eius meritum augeatur.180. Per se id non auget difficultatem.ibid. Sæpè tamen per accidens.182.&c.
Qua ratione possimus aut non possimus mereri perseuerantiam,aut resuscitationem à peccato. 162. 186.&c.

Meritum.*Vide* Condignum & congruum.

Homo ferè merita spectat ex commodo inde accepto, Deus ex affectu merentis. 41.91
Meritum eleemosynæ in quo præcipuè consistat. 92
Ad omne opus meritorium requiritur gratia , quia secundùm se nostras vires superat. 70. 49. Cur omne opus meritorium debeat esse supernaturale in substantia. 49
Habentes æqualia merita æqualiter vident Deum. 96.72. Illisq; datur æquale lumen gloriæ. 74
Actus virtutum quædam merentur directè , quædam solum indirectè & per accidens. 107.63
Solæ liberæ actiones sunt meritoriæ. 125.1
Meritum necessariò respicit debitorem.2. Quale debitum respiciat.3. Meritum absolutè sumptum significat condignum. 128.17
Merita nostra illustrant merita Christi. 129.23
Aliter Deus,aliter homo meriti valorem spectat.130. 28
Meritum dupliciter dicitur condignum præmio. 29. Nostra merita non sunt absolutè adæquatè condigna vita æterna.32. Vnde habeant quòd sint ei condigna.132.34 36. Qua ratione accipiant dignitatem ex meritis Christi. 35
Si Deus aliter statuisset, potuissent nostra merita minore præmio de condigno remunerari. 37
Meritum de condigno quas requirat conditiones. 133. 40.41.&c.134 47.48. Cur requirat potiùs promissionem,quàm demeritum. 135.50
Magis requirit præmij promissionem quàm acceptationem,& qua ratione hæc requiratur. 52. Exigit actum in substantia supernaturalem. 137. 60. non necessariò elicitur aut imperatur à caritate.138.64. requirit caritatem habitualem,non tamen actualem. 67
Cur soli viatores possint mereri. 138 72
Meritum de condigno natum est parere ius iustitiæ erga Deum,tamen id non facit. 143.94 gratiam absolutè primam nullo modo. 144 96. primam gratiam iustificantem solùm de congruo mergri possumus.98. De potentia Dei absoluta possumus vtramque de condigno mereri.146.109
Nos mereri peccati remissionem Patres modò negant, modò asserunt. 102
Meritum quandoque sequitur præmium. 108 Sub conditione futurum tam potest mouere voluntatem ad dandum præmium,quàm absolutè futurum. 147.112.
Principium meriti potest cadere sub meritum. 148. 117. Quamuis de facto hoc in gratia non fiat. 149.121
Prima gratia faciliùs cadit sub meritum, quàm creatio;quamuis hoc non implicet. 121
Vno titulo nobis debita possumus alio mereri. 150. 132
In quibus casibus hoc sit conueniens, & in quibus non. 153.144
In merito ac demerito plus inchoatio quàm continuatio actus valet. 159.169
Qua ratione crescat meritum ex inchoatione ac continuatione actus.171.& 172.&c. Melius est actum meritorium continuare quàm interrumpere.160. 175. Cur actus continuatus mereatur præmium finitum. 176

Miles,militia.

Miles instante pugna non potest renuntiare militiæ. 512.102
Militans in bello iniusto non tenetur restituere stipendia. 566.210
Militia quibus olim vetita. 622.17
Miles subditus licitè militat quamdiu causa belli sufficienter perpensa non apparet iniusta. 631.77
Militia clericis prohibita. 632.86.&87
Milites tenentur suis stipendijs esse contenti. 635.97
Militum peccata erga eos apud quos diuersantur. 98. quid militi inopia presso liceat.99. peccata officialium militiæ. 100
Militi quandoque licitè datur aliqua ciuitas diripienda. 638.117

Minutum.

Minuta duo in gazophylacium mittentis viduæ actus excellens. 495.159

Miraculum.

Res falsa nequit probari miraculo ; quia ita probata Deus testatur esse vera. 209.57.&c.
Miracula vera in sola Ecclesia Catholica reperiuntur. 211.83.falsa verò apud hæreticos, & quomodo illa ab his discernantur. 213.87

Miser,misericordia.

Miser quisnam dicatur. 551.129
Misericordia alia est passio,alia virtus. 527.25
Misericordiæ virtus propriè consistit in voluntate,& est alienæ miseriæ displicentia , siue nolitio efficax. 528.29. ea est in Deo.ibid. ea est aliquid diuinum,quo scilicet sumus Deo plane similes. ibid. tria continet 30. ea est caritas proximi. 32
Misericordiæ opera quot sint. 532.14.&15
Misericordiæ operibus singulariter meremur gratias præuenientes. 535.33.38
Misericordiæ actus est correptio fraterna. 566.3

Missa.

Missam tenetur mulier quandoque omittere ne alicui sit occasio peccandi. 652.70

Morale opus.

Moralis actio quæ dicatur. 2.6
Non omnis moralitas facit actionem moralem. 9
Moralis actio genus immediatum actionis bonæ & malæ. 3.13
Moralitas actionis non consistit in sola libertate. ibid. In quo consistat.4.20. Includit in se duplicem habitudinem. ibid.
Magis respicit potentiam quàm obiectum.19. Non reperitur formaliter in actu non libero. 20
Esse morale qua ratione reperiatur in obiectis. 18. Non reperitur in ijs esse morale genericum abstrahens à bono & malo.ibid. Qua ratione præcisè actui conueniat. 19
Esse morale reperitur in actu indifferenti.21. Intrin-

trinsecè & formaliter est in solo actu voluntatis. 5. 22
Omni actui est accidentale habere esse morale. 23

Mors.

Tenemur per se elicere actum caritatis circa articulum mortis. 479.51
Morte instante nitendum ad summa & securissima. 51.& 52
Mortem ex causa optare possumus; illicitè eam nobis inferimus. 509.84
Moriturus existens in peccato mortali qui creditur non esse contritus, an sit in extrema necessitate. 510. 89
Mortem repentinam Deus minatur parentes non honorantibus. 520.153
Mortem vt euadas licitè non extinguis incendium tua culpa ortum: illicitè tamen excitas. 559.172
Morte instante an debeas moribundum corripere. 581. 94
Licitè acceptas duellum vt te ab iniusta morte liberes. 643.18. *Mortis periculo quando liceat se exponere.* 22.& 24

Mos.

Mos dupliciter sumitur. 1.3

Moueri, motus.

Motus localis ex duplici capite requirit continuationem aliquam. 158.166
Motus quomodo intendatur. 440.25

Mulier.

Mulier non tenetur diu abstinere publico, ne sit alicui occasio peccandi. 652.69. *tenetur autem quandoque omittere Sacrum.* 70

Mundanus timor.

Mundanus timor quis sit. 390.9.12

Naaman.

Naaman ingrediens cum suo rege templum Remmon non simulauit falsum cultum. 295.46

Natura, naturale, naturaliter.

Tripliciter vnum alteri dicitur naturale. 62.8. *Qua ratione opponatur supernaturali.* ibid.
Quid creaturæ dicantur naturaliter exigere. ibid.
Naturale dicit quadruplicem respectum. 63.15. *Quis effectus sit naturalis.* ibid.
Naturis rerum se accommodat Deus. 421.57
Gratia non reddit naturam aptam vt recipiat virtutes, aut per eas operetur. 424.76
Naturæ viribus non omnis lex naturæ impleri potest. 483.76
Natura rationalis non inclinat ad amandum se magis appretiatiuè quàm Deum, sed potiùs contrà. 500.33
Natura vehementiùs inclinat in amorem sui quàm in amorem Dei. 501.35
Natura non facit personam malam, sed vitia. 611. 51.53

Necessitas.

Necessariò agens iniustè punitur, aut præmiatur. 6.6
Idem potest esse liberum & necessarium sub diuersa consideratione. 7.8
Necessarium tripliciter dicitur. 9
Necessitas alia medij, alia præcepti. 255.91
Necessaria nobis ad vitæ statum licitè alijs largimur. 508.79
Necessitatis extremæ casus varij. 510.88. *& seqq.*
Necessitati graui proximi teneris cum leui vitæ periculo subuenire. 511.99
Necessitas spiritualis grauis quænam sit. 512.102
Necessitatem quomodo quis patiatur in eo quod voluntariè patitur. 541.68
Necessitas extrema qua ratione faciat omnia communia. 546.100
Necessitas triplex indigentium. 548.112
Necessitas grauis: necessitas communis. 115
Necessitate graui presso teneris ex superfluis dare eleemosynam. 550.125
Necessitas communis & grauis obligat nos diuersimodè. 552.133
Necessitas pauperis ab intrinseco proueniens cur potiùs remedium exigat, quàm ea quæ prouenit ab extrinseco. 554.143.144
Necessitate extrema vrgente aliena capiens non furatur. 557.159.162. *consumpta ab eo qui re & spe pauper est, non sunt restituenda.* 164

Negatio.

Negatio priuationis rei nihil est aliud quàm rei præsentia. 29.5

Negotiatio.

Non tenetur quæuis gens cum quauis exercere commercia. 628.52

Nemesis.

Nemesis quid sit. 615.13. *est vitium.* 617.26

Nobilis.

Nobiles & literati plura beneficia possunt habere cum dispensatione. 563.194.195

Nomen.

Idem nomen apud diuersos diuersa significat. 1.4
Nominis significatio vnde petenda sit. ibid.

Notæ.

Notæ veræ Ecclesiæ quæ sint. 210.73

Notitia.

Notitia peccati extra confessionem quomodo vtendum. 599.203

Nouissimi.

Nouissimi in regno cælorum qui. 437.10

Obedientia in dubio Superiori deferenda. 632. 84.85
Non omnis nolens obedire Pontifici est schismaticus. 619.42

Obiectum.

Obiectiua malitia aut bonitas quid sit. 33.32
Quid sit obiectum actionis. 33. *Est varium.* ibid.
Quod sit obiectum eleëmosynæ. ibid.
Obiecti ineptitudo respectu actionis quid sit. 34. *Est duplex.* 35
Quoduis obiectum respectu diuersorum actuum potest dici bonum & malum: sola tamen amore dignæ dicuntur absolutè bona, & odio digno malæ. 36
Qua ratione actus accipiant bonitatem aut malitiam ab obiecto. 38
Obiecta quædam non nisi bene, alia non nisi malè, alia & bene & malè possunt appeti. 36.& 57
Obiectum proportionatum potentiæ imperfectiori potest esse improportionatum perfectiori. 67.35. *Qua ratione debeat esse præsens potentiæ.* 66.30
Obiectum non quo perfectius, sed quo magis proportionatum potentiæ, eo perfectiorem actum causat. 86.7. *Circa obiectum imperfectius sæpè versatur actus perfectior.* 85.3.4

Vnde oriatur maior proportio obiecti cum potentia. 86.10

Obiecti quando est causa cur minùs perfectè cognoscatur. 87.11

Actus sæpè distincti possunt habere idem obiectum formale. 15

Quomodo obiectum differat à subiecto attributionis. 164.1

Quid sit obiectum formale alicuius actus. 166.16. Aliud est obiectum rei intrinsecum, aliud extrinsecum; & hoc duplex. 17

Obiecti formalis triplex officium. 200.9. Commoda eius apprehensio facilitat operationem. 235.50

Obiectum formale spei. 385.126

Obiectum formale caritatis est bonitas Dei, qua in se infinitè bonus & perfectus est secundùm omnem rationem entis. 415.12

Actus habens melius obiectum non semper est melior. 419.15

Obiectum melius non semper facit actum meliorem. 495.159

Obiectum formale distinctum ab obiecto actus imperantis potest habere actus imperatus. 532.13

Obligatio.

Obligatio caritatis in Deum quando incipiat nos stringere. 479.50

Caritas semper me inclinat vt satisfaciam maiori obligationi. 502.46

Obligatio Pastorum tempore pestis grauior est quàm aliorum. 511.97

Obligatio patris in filium. 519.145

Obligatio erga patrem spiritualem quænam sit. 522.167

Obligatio Ecclesiasticorum singularis dandi eleemosynam in quo consistat. 562.193

Occidere.

Occidere inuasorem cur potiùs liceat, quàm acceptare duellum. 641.9

Occidere iniustà lite te persequentem non potes. 642.12. & 643.24

Odium.

Odium supponunt timor & tristitia. 389.1

Odium an amorem præsupponat. 2

Odij nostri obiectum. 4

Odimus licitè inimicum qua talem præcisè. 483.79

Odisse propinquos nostros qua ratione iubeamur. 80

Odium omne inimici non est malum. 484.81

Odij actus est excludere aliquem à generali beneficio. 485.86

Odium aliud inimicitiæ, aliud abominationis; aliud internum, aliud externum. 489.117

Odium inimici propriè dictum numquam licuit. 490.123

Odium Ecclesiastici erga aliquas gentes quomodo intelligendum. 491.132

Odium inimicitiæ, abominationis. 604.1. illud fertur in personas, hoc in res. 2. qua ratione vtrumque feratur in obiectum. 3. nequeo eumdem simul amare & odisse. 6

Homo numquam omni ex parte odibilis. 605.11.12

Odium efficit alienum malum vt bonum apprehendi. 606.13. Cur odium velit inimico malum sine mensura. 14

Odium rarò excludit omnem commiserationem. ibid.

Odium abominationis quid sit. 15. quid odium inimicitiæ. ibid.

Oderunt verè Deum impij. 608.26

Odium est grauissimum peccatum. 610.44. an sit peccatum in Spiritum sanctum. 45

Odisse aliquem vero odio inimicitiæ semper est illicitum. 611.53

Odium inimicitiæ non habet Deus erga vllum. 607.22. Quo sensu Deus oderit impium. ibid.

Odium vnum ex variis capitibus alio est peius. 612.59

Odium abominationis sæpe solùm est peccatum veniale. 60. Odia qua ratione inter se distinguantur. 61. Odium qua ratione in confessione explicandum. ibid.

Odij actus quid requirat. 648.50

Offensa.

Offensæ satisfactionem quando quis censeatur remittere. 486.100.101

Officialis.

Officiales militiæ quomodo peccent. 635.100

Officium.

Officium non suscipiendum cum periculo tuæ salutis. 507.72

Officio instante necessitate spirituali suorum an possit Superior renuntiare. 512.102

Officio exequendo necessaria non debent dari pauperibus. 513.141

Officio teneris te reddere aptum, vel illud dimittere. 585.128

Omissio.

Omissio actus præcepti communiter habet coniunctum actum malum qui eius sit causa, non tamen semper. 58.201

Actus internus nequit esse causa omissionis, nisi hæc sit per illum aliquo modo volita. 202

Vtrùm actus qui est causa omissionis vetita, sit peccatum commissionis an omissionis. 203. Sufficit communiter confiteri ipsam omissionem. 205

Omissio actus minùs boni est peior omissione actus melioris, si ille sit magis debitus. 495.161

Opinio, opinans.

Nequit consistere cum euidenti cognitione aut fide diuina. 205.41. &c.

Si quis de articulo fidei ita opinaretur, vt nullo modo iudicaret eum esse incertum, non peccaret. 337.89. Tripliciter possum aliquid opinari. 340.106. In opinione infirmitas assensus potest ex triplici capite contingere. 108

Quando infirmitas assensus prouenit ex parte intellectus, ita opinans iudicat obiectum non omnino certum. 341.108. & 342.111.114

Qui articulo fidei sufficienter sibi proposito opinatiuè assentitur, est hæreticus. 340.105

Quæ dicitur opinio erronea aut erroriproxima. 345.130. quæ dicatur opinio sapere hæresim, aut de ea suspecta. 131. quæ dicatur proxima fidei, aut hæresi. 132. quæ malè sonans aut temeraria. 133

An sit de fide Ecclesiam non posse errare in qualificatione harum propositionum. 134

Optare.

Optamus subinde id quod scimus impossibile. 515.122

Opus.

Omnia nostra opera esse peccata aut mala, est hæresis. 129.22

Quas conditiones opus requirat vt sit meritorium. 133.40.41. &c. Vide Mereri.

Opera nostra bona nihil conferunt Deo, nec ipsum nobis,

nobis, sed nos ipsi obligant vt grati simus. 134.47. *vbi id aptis exemplis explicatur.*
*Vix vllus tã malus vt nulla bona opera faciat.*330.41
Opera nostra qua ratione Deus remuneret supra condignum. 452.87
Pugnare non est opus seruile. 639.128
*Opus inductiuum ad peccatum quando tenearis vitare, quantumuis id aliàs in se non sit malum.*651.65

Oratio siue locutio.

*Oratio solũ significat secundùm exteriùs prolata.*190. 37. *Ex circumstantijs est interpretanda.* 191.38. *Merè interna homini loqui nequeo.*39. *Eius significatio non pendet ab intentione loquentis.* ibid. *Sola externa homini aliquid dico.* 40. *ideóque hæc sola significat.*ibid. *Est significatiua præcisè quatenus exterius profertur.* 41
Merè interna nequit integram orationem componere cum externa, aut huius significationem complere. 192.41.& 42
Externa oratio ratione circumstantiarum variat significationem. 191.43
Illicitè vteris oratione quæ spectatis omnibus externis est absolutè falsa, etsi iuncta internæ sit vera. 192. 49
Externa locutio non est vera locutio, nisi informetur ab interna. 288.3

Ordo.

Tribus modis aliquid respectu alterius potest dici superioris ordinis. 65.22
Ordo in caritate seruandus. 495.1
Ordinis actum exercens in peccato mortali quando peccet mortaliter. 577.66

Ornatus.

Ornatum Ecclesiæ negligentes clerici grauiter peccant. 563.195

Otium.

Otium sanctum quærit caritas veritatis; negotium iustum suscipit necessitas caritatis. 505.62

Pagani.

PAganus quis dicendus.333.62. *Talis etiam dicitur Turca.* 332.54

Par.

Parem non habere est solùm bonum in participatione boni finiti. 516.125

Parabola.

Parabolæ explicandæ scopus priùs spectandus. 437.8
Quid in parabolis intendat Christus. 438.12

Parens.

Parentes non honorantibus Deus repentinam mortem minatur. 520.153
A parentibus plus accepimus quàm ab vllo alio homine. 154
Parentes omnibus præferendi in extrema aut graui necessitate spirituali. 321.160.161

Parochus, siue Pastor.

*Quod sit officium Pastoris.*223.51. *Qua ratione teneatur scire suos, docere res fidei.* 273. 195.& 196.&c. *Quæ suis subditis, præsertim rusticis, teneatur inculcare.* 278.229
Pastor secularis in extrema necessitate an præferet filium carnalem spirituali. 522.168
Pastor gregem non potest in necessitate deserere. 523. 174

Pars inferior & superior hominis.

*Qua ratione ob mutuam connexionem altera alterius inclinationes participet, & actiones facilitet.*124.31

Paruum.

Parua qui spernit, paulatim decidit. 454.98.& 99

Pater.

*Pater spiritualis triplex.*517.137. *Pater ex officio tenetur filio tam in spiritualibus quàm in temporalibus prospicere.* 518.138
Patris in filium obligatio. 519.145
Pater post Deum præcipuè est diligendus, quia habet rationem principij, & consequenter bonitatem simillimam diuinæ. 521.160.162
Pater primò tenetur succurrere filio non emancipato, in extrema aut valdè graui necessitate spirituali. 522.164
*Pater spiritualis est triplex.*166. *quæ sit erga eum obligatio.* 167
Paterfamilias eleemosynas indiscretas facere non debet. 553.141

Paternus.

Paterna correptio cur sic dicatur. 567.5

Pati.

Pati multa non est signum desertionis, sed dilectionis Dei. 459.125
Pati necessitatem an quis possit in eo quod voluntariè patitur. 541.68

Patrini.

Patrini duellantium sunt excommunicati, perpetuò infames, vt homicidæ puniendi, & eorum bona fisco addicta. 644.29

Pauper, paupertas.

Pauperum genus triplex. 540.65
Pauperes quomodo recipiant in æterna tabernacula eos à quibus acceperunt eleemosynam. 542.73
Paupertatem fingenti an validè detur eleemosyna. 542.81
Pauperis sola indigentia ad eleemosynam nos obligat. 550.122
Pauperibus communibus non dans eleemosynam quãdo grauiter peccet. 552.132
Pauper iniustè alteri eripit rem statui omnino necessariam, aut valdè magnam summam. 558.170
Pauperes fouere præcipuè tenetur clericus. 562.192
Paupertatis voto tenetur Episcopus Religiosus. 564. 201.202
Pauperes indigentes eleemosyna quandoque teneris quærere. 579.79

Pax.

Pax opponitur bello, dissensioni, turbationi. 526.16. *Eam turbat amor inordinatus.* 17
Pax interna in quo consistat. 18.& 20
*Pacem causat caritas.*527.20. *hic numquam habemus omnimodam pacem.*21. *Pax non est specialis virtus.*22. *eam omnes appetunt.*23. *mali eam non habent.*24. *Quomodo teneamur eam cum alijs seruare.* ibid.
*Pacem summam futuram tempore Christi quo sensu dixerint Prophetæ.*622.12. *Pacem quantum possumus quærere debemus.* 625.32

Peccare, peccatum, peccator.

Repugnat sanæ doctrinæ dicere alicui esse honestum aut absolutè melius aut necessarium peccare. 15.58
Qua ratione omnis peccans erret. 16.65
*Potest fieri vt quis bene operetur credens se peccare.*31. 20
Peccatum aliud formale, aliud materiale. 35.46. *Hæc diuisio est analoga.*51. *Ideóque peccatum absolutè sumptum communiter sumitur pro solo formali.*

formali.52. & materiale dicitur esse peccatum. ibid.
Peccatum in genere tripliciter sumitur. 50
Peccatum materiale non continet particulam alienantem. 51
Peccatum actuale non formaliter, sed effectiuè facit nos habitualiter iniustos. 102.28
Peccati remissio qua ratione dicatur prior susceptione gratiæ. 112.85
Peccati magnitudo in ordine ad punitionem aliter spectatur à Deo, aliter ab hominibus. 131.30
Peccantes mortaliter longè aliter merentur pœnam æternam, quàm benè operantes vitam æternam. 132.37
Peccatorum remissionem nos mereri Patres quandoque negant, aliàs asserunt. 145.102
Deus non est causa actus mali, aliàs esset causa peccati. 196.70
Qualis peccati detestatio requiratur ad susceptionem Sacramenti. 260.120
Ad eundem pertinet punire peccata, & remunerari virtutem. 121
Peccatoris conuersio ab actuali, non ab habituali gratia incipit. 111.84
Nequit quouis instanti conteri, ideoq; aliquando breui tempore necessariò perseuerat in statu peccati. 157.159.
Peccator fidelis est similis arbori in hieme. 254.87. Qua ratione dicatur non nosse Deum, eumue negare. 311.42. Cur eius fides comparetur fidei dæmonis. 312.43. tripliciter ab hac differt. 317.28. In eo vtraque conuenit, quòd sit otiosa & infructifera, & consequenter mortua. 31. Potest facere aliqua opera veræ virtutis ac bona. 329.40. Vix potest esse tam nequam, vt nulla opera bona faciat. 330.41
Peccator non amittit habitum spei quouis peccato mortali. 388 147
Peccatum causat timor mundanus. 390.9
Peccatum odisse propter turpitudinem eius, an sit seruile. 391.13
Tria in eo considerari possunt. 392.20. quomodo sit voluntarium respectu pœnæ. ibid.
Peccatum qua ratione sit obiectum timoris. 21
Peccati frenum est pœna timor. 394.31
Peccati malitiam valdè apprehendunt Beati, sed sine anxietate. 398.62
Peccati amor desperationis causa. 401.86. & auxiliorum subinde denegatio. 606.112
Peccatum futurum qua ratione possit reuelari. 407.110.121.126
Peccatum vt vitem non teneor media inutilia assumere. 125. peccatum certò futurum quot modis possit reuelari. 408.126
Peccata qua ratione deleat caritas, & nos filios Dei faciat, etsi finita. 414.7.
Peccata cur sola expellat caritas. 421.55
Peccatum an sit formaliter inimicitia Dei erga nos. 426 91
Peccatum & caritas an simul possint in eodem existere. 427.102.103
An in quouis peccatore sit solùm vna priuatio gratiæ. 428.105
Peccati remissio, & acquisitio formæ iustificantis an connexa. 429.112
Peccatum & gratia quomodo inter se pugnent. 431.130. & 434.152.153.155
Peccatum an benè dicatur remitti per gratiam. 435.154
Peccato veniali perfectio actuum caritatis minuitur. 453.96
Peccati venialis damna. 454.97
Peccata inaduertenter facta non continent ingratitudinem. 455.104
Peccata venialia qua ratione inferant mortem, disponendo ad mortale. 456.112
Peccatorum venialium pericula. 457.113.114
Peccato quouis mortali an caritas tollatur. 118
Peccato quouis mortali expellitur caritas. 459.131. demeritoriè. 132
Peccati malitia & damna. 460 132. expellit gratiam seu caritatem demeritoriè. ibid.
Peccatum & gratia an simul esse possint. 461.142.143
Peccatum quando consummetur. 463 150
Peccatores se oderunt dum sua peccata in se amant. 483.80
Peccati venialis periculum an retrahet me à cura salutis proximi. 507.73
Peccata actualia sine pœnitentia dimitti non possunt. 535.30.31.32
Peccata qua ratione eleemosyna deleat. 536.38.39
Peccatoribus an sit danda eleemosyna. 541.70.& 71
Peccatum suum non tenetur propalare adultera, ne spurius hereditatem adeat. 559.172
Peccatum proximi etiam inuoluntarium teneor impedire ex caritate Dei; & etiam quia multum habet inuoluntarij admistum. 569.17.18
Peccantem venialiter an tenear corripere. 570.23
Peccantem venialiter quando tenear corripere. 571.31.32
Peccatores publicos tenemur quandoque corripere. 572.33
Peccata futura teneris impedire, sed praterita corripere. 35
Peccantem ex ignorantia inuincibili iuris tam naturalis quàm positiui, teneris monere, si speretur fructus. 573.38
Peccantes publicè & ex consuetudine, corripiendi sunt. 574.50
Peccatores an teneantur peccantem corripere. 576 59.62
Peccator quomodo alios peccatores debeat corripere. 64
Peccata inferiorum tenetur Superior emendare. 578.74
Peccata nocua proximo, & aduersantia soli honori Dei differunt. 582.101
Peccata publica an teneatur concionator reprehendere. 583. 113
Peccantem alia ratione emendandum non teneor corripere. 115
Qui alium ad peccandum induxit, singulariter obligatur eius emendationem curare. 586.133
Peccata proximi quandoque teneris publicare ne pereat. 588.141
In peccatis occultis qua ratione alios iuuabis. 592.171
Peccatum alicuius dicere Ecclesiæ, est dicere Prælato vt iudici. 594.176

Peccata Religiosorum magis nocent quàm aliorum. 596.189
Peccatum grauissimum est odium. 610.44. *An sit peccatum in Spiritum sanctum.* 45
Peccata quibus innocentes non læduntur, non sunt iusta causa inferendi bellum non subditis. 623.21
Peccatum odio prosequi debes, non naturam. 611.33
Peccata officialium militiæ. 635 100
Peccata Catholicorum quibus maximè noceant. 645. 33
Peccata magnorum maximè nata parere scandalum, vilium non ita. 34
Malitia quædam specialis reperitur in omni peccato. 646.39. *Peccata non mererentur pœnam æternam, si non prohiberentur à Deo. ibid. Peccata dupliciter virtuti repugnant* 40. *In omni peccato continentur plures malitiæ.* 43
Peccandi occasionem suo facto alteri præbens an peccet mortaliter. 647.46
Appetere peccatum qua tale, diabolicum est. 649 51
Inducere alium ad veniale peccatum, præcisè quia peccatum, est mortale. ibid.
Peccatum proximi quando tenear vitare. 650.59. *Opus quandoque per se, quandoque per accidens est inductiuum ad peccatum. ibid.*
Peccata aliorum minùs teneor vitare quàm mea. 61
Peccatum alienum ortum ex meo opere non malo quando tenear impedire. 651.67.68

Pelagiani, & Semipelagiani.

Vt suos errores tegerent, sæpè ambiguè & alieno sensu locuti sunt, vnde multi in eorum sententia explicanda errant. 71.54
Quæsit præcipua difficultas circa sententiam Pelagianorum. 55. *Per gratiam quæ dat posse, intelligunt liberum arbitrium; per eam quæ faciliùs posse, legem. ibid.*
Nullam gratiam internam agnouerunt, sed solam externam. 72.60
Gratiam Christo propriam ponebant in eius exemplo. 73 64. *Cur admiserint gratiam, qua iuuetur possibilitas, non tamen qua operatio, & cur hanc S. Augustinus ab ijs exigat.* 66
Quæ fuerit præcipua quæstio inter Pelagianos & Catholicos. 67
Non fuit inter eos quæstio de distinctione gratiæ efficacis à sufficiente. 74.72
Pelagiani nullos hic agnouerunt actus supernaturales. 75 76
Quid senserint de bonis operibus infidelium. 331.46.
Iulianus Pelagianus docebat Fabricium, Scipionem, &c. fuisse verè iustos, nec esse damnatos. 47
Semipelagianorum fraus qua errores suos tegunt. 76 78. *Quid senserint de necessitate gratiæ.* 79. *&c.*
Quo sensu asseruerint facienti quod in se est Deum dare gratiam. 76.82. & 78.88
Triplex circa eorum sententiam difficultas. 77.83. *Cur in hac explicanda multi decepti sint. ibid.*
Semipelagiani agnouerũt verum meritum in operibus naturæ viribus factis. 78.88 *Imò opera facta ex vera præueniente gratia nec laude nec præmio dignaputauerunt.* 91. *eò quòd secundum illos ea gratia euertat libertatem.* 79 92
Ideoq; negarunt eiusmodi gratiam nobis necessariam, sed totam gratiam constituerunt in prædicatione Euangelij, &c. 98
Solis ferè verbis in controuersia de gratia à Pelagianis dissentiunt 80.101. *Nullos actus meritorios supernaturales agnoscunt.* 102

Pendere, siue dependere.

Aliud est aliquid ab alio pendere immediatè secundùm suam essentiam, aliud verò illud ab hoc pendere essentialiter. 116.110

Per.

Per an significet causam formalem. 435.154

Percutio.

Percutienti maxillam quo sensu iubeamur alteram dare. 622.13

Perfectio, perfectus.

Perfectior est Deus spectatus secundùm se, quàm quatenus dicit ordinem ad nos. 415.13 14
Perfectio maior caritatis inter virtutes in quo consistat. 419 44
Perfectior est res, quo suæ regulæ conformior. 4 0.47. & 48
Actus virtutis secundùm speciem imperfectior potest in individuo esse altero perfectior. 53
Perfectior cæteris virtutibus cur sit caritas. 421.55. & 56
Perfectionem duplicem habet actus caritatis. 4 6. 57
Perfectorum caritas tota in Deum fertur. 452 91
Perfectio appretiatiua est principalior magis, substantialis ipsi actui. 469 17
Perfecti non obligantur ad plura quàm imperfecti. 482 71
Perfectionis propriæ desiderium magis promouet honorem Dei quàm desiderium alienæ salutis. 504. 56 57
Perfectio hominis in quo consistat. 64
Subinde minùs perficiunt quæ ex se sunt magis perfectiua. 65
Perfecta vita actionem contemplationi coniungit. 507.71. *hinc ad eam conducit miscere actionem contemplationi.* 506 70
Perfectionem & salutem propriam prius quærere oportet quàm alienam. 507.72.& 74
Perfectionis schola est Religio. 595.186

S. Petrus.

Christus eum constituit caput Ecclesiæ ac vicarium fundamentum. 214.1 & 2. *Aliter ipsi quàm alijs Apostolis promittitur potestas ligandi & soluendi.* 3. *Aliter dicitur fundamentum Ecclesiæ quàm alij Apostoli.* 4
In quo fuerit par alijs Apostolis. 215.11. *Quando exercuerit officium Superioris.* 216.12

Periculum.

Periculum remotum peccandi prudenter incurris, vt proximi aut tuæ necessitati succurras. 507.72
Periculum peccati venialis an me retrahat à cura salutis proximi. 73
Periculo vitæ an licitè me pro altero exponam. 508. 79 81.84
Periculo suorum spirituali quomodo teneantur Superiores succurrere. 511.101

Perseuerantia.

Dupliciter sumitur. 162.186. *qua ratione cadat sub meritum.* 187. & 188

Personæ.

Personam Christi non potest Deus velle non esse. 427. 100

Personæ dignitas actum commendat. 446.57

Pertinacia.

Qualis pertinacia requiratur ad hæresim. 336.78.& 338.94.&c.

Pestis.

Veniens ex loco peste infecto an posit id iuratus negare. 194.60

Peste sæuiente curam habens animarum, tenetur confessionem infecti audire cum vitæ periculo. 510.89

Pœna.

Qua ratione pœnæ quibus Deus peccata punit, nobis placere aut displicere possint. 59.211.212.&c. *Cur honestè auertamus pœnas quibus Deus nos punit, atque ita executionem diuinæ iustitiæ conemur impedire.* 60.214.& 215

Pœna æterna est propriè & absolutè mala patienti. 391.16

Culpam timere propter pœnam, & propter amorem, & reuerentiam, filiorum est. 393.27

Pœna an sit absolutè causa cur culpam detestemur. 28

Pœnæ malum quo moueor ad timendum culpam, potest esse duplex. 29

Pœnæ à Deo inferendæ timor an sit bonus. 30

Attritio propter metum pœnæ æternæ est donum Dei. an sit actus virtutis. 394.37

Pœna an sit ratio formalis timoris Dei. 33

Pœnæ metus quid efficiat. 34. *an posit esse nimius.* 35

Pœnæ metus cum voluntate peccandi, si impunè fieri posset, an sit bonus. 395.40

Pœnam an debeamus plus timere quàm culpam. 41

In proportione pœnæ cum peccato, non respicitur incommodum quod per accidens ex ea sequitur. 456.106

Pœnam aut debitam satisfactionem non semper tenemur remittere. 486.95

Pœnæ remissio quandoque non est suadenda. 487.105

Pœnam qua mala est, vult puniens. 605.7

Gaudere quòd habeas socium in pœna est inuidia. 616.22

Pœnæ graues meritò infliguntur schismaticis. 620.47. *amittunt potestatem iurisdictionis, non tamen Ordinis.* ibid.

Pœna, peccati subinde est vectigal. 637.114

Pœnæ duellantium. 644.29

Pœnam æternam non mererentur peccata, si non prohiberentur à Deo. 646.39

Pœnitens, pœnitentia.

Pœnitens an cogendus vt petat veniam ab offenso. 486.100

Pœnitentia necessaria ad remissionem peccati actualis. 535.30.31.32

Pœnitentiam publicam agentibus olim vetitum militare. 622.17

Polygamia.

Polygamia an iuri naturæ repugnet. 490.122

Pontifex.

Romanus Pontifex S. Petro in primatu succedit. 217.18.

Summus Pontifex in lege veteri erat iudex controuersiarum. 223.53

Pontifex potest fieri schismaticus: si palàm fieret schismaticus, desineret esse Pontifex. 619.41. *Non omnis nolens obedire Pontifici est schismaticus.* 42. *electis pluribus Pontificibus cui adhærendum sit.* 43

Ecclesia nullum tenetur acceptare Pontificem donec constet eum canonicè esse electum. 44

Portio.

Portionem certam potest Superior Religioso dare, an hic ex ea posit dare eleemosynam. 538.49

Possessio.

Res ipsius q. possessio per modum vnius appetuntur. 370.42

Possessio bona fide inchoata quid conferat. 627.44.& 47

Potentia.

Non sola imperfectio reddit potentiam improportionatam alicui obiecto. 67.34

Potentia essentialiter perfectior producit actus essentialiter perfectiores. 70.51.& 86.9. *Res entitate imperfectior potest esse perfectior in ratione potentiæ.* ibid. *Actio magis ab ea quàm ab obiecto suam perfectionem accipit.* 868

Vnde oriatur maior proportio obiecti cum potentia. 10

Potentia & gratia tamquam causæ partiales producunt actum supernaturalem. 92.43.47. *Illa nequit dici se habere solùm materialiter in huius productione; & quid hoc sit.* 93.51. *Quid sit eam habere vim remotam producendi actum.* 53. *Quid sit actum esse intra latitudinem actualitatis potentiæ.* 92.54. *Quare potiùs dicantur causæ partiales sui actus, quàm Pater & Filius & Spiritus sanctus.* 94.61

Potentia est improportionata vt sola producat actum supernaturalem, non tamen vt producat simul cum gratia. 95.62

Quid requiratur vt potentia vitalis perfectiùs tendat in obiectum 66

Potentia hic eodem modo influit in actum naturalem & supernaturalem. 68

Quandoque tamen contrarium accidit. 69. *Non est opus vt principium quo eleuatur ad actum supernaturalem, ipsi inhæreat.* 96.70

Est ex se minùs improportionata actibus supernaturalibus viæ quàm patriæ. 97.82. *Est naturaliter apta in se suscipere formam supernaturalem si quod agens eam sit potens in ea producere.* 121.15

Potentia an simùl plures actus non subordinatos eliciat. 387.137

Potentiæ animæ an ab ea distinguantur. 422.68

Potentia Dei.

Potentia Dei non potest exhauriri, nec effectum sibi adæquatum habere. 448.70

Quomodo differat potentia Dei ordinaria ab absoluta. 186.4

Impossibile secundùm potentiam ordinariam, est absolutè possibile. 8

Potestas.

Quædam sunt immediatè in nostra potestate, quædam solum mediatè. 107.64

Practicum.

Vt cognitio sit practica quid requiratur. 308.17

Præceptum, præcipere.

Non omnis actus præcepto implendo incompossibilis est prohibitus, aut illicitus, nisi huius omittendi sit causa. 56.192. *Et quinam tales sunt.* 57.195

Reddens se impotentem implendo præcepto contra hoc peccat. 197. *Quis dicatur se ita reddere impotentem.* 199

Omissio actus præcepti communiter coniungitur actui malo, qui eius sit causa, non tamen semper. 58. 201. *An talis actus sit peccatum omissionis an commissionis.* 203. *Sufficit communiter confiteri ipsam omissionem.* 204

Præcepta implenti nec dominus seruo, nec Deus homini vllam gratiam debet. 126 8

Nequis tua auctoritate præcipere ea, de quibus nequis iudicare. 362.235

Præceptum speciale datur amandi Deum actu interno. 475.28

Præceptum amandi Deum hîc possumus implere cum ipsius gratia, prout præcipitur. 477.34

Præceptum diligendi Deum super omnia quando obliget. 479.48

Præcepta aliqua negatiua, virtute sunt simul affirmatiua. 547.103

Præceptum dandi eleemosynam quando obliget. 548. 107

Præceptum correptionis fraternæ obligat. 580.87. *&c.*

Præcepta affirmatiua non obligant pro semper. 651. 61. *Præcepta humana communiter non obligant cum graui incommodo. ibid. Quando desinant obligare.* 62

Præcepta positiua teneris subinde implere etiam cum aliorum scandalo. 64

Præceptum integrè confitendi an minùs obliget quàm præceptum vitandi scandalum. 652.71

Præda.

Prædam Indicam an possit Catholicus à nautis emere. 638.126

Prædefinitio.

Deus tripliciter nostra opera prædefinire potest. 20. 96

Differentia inter præuisionem & prædefinitionem. 21. 100

Quòd Deus possit prædefinitionem tollere, non efficit vt mihi fiat magis possibile non operari. 103

Prædefinitio operis consistit cum libertate. 107

Ad quid teneatur qui scit suam actionem à Deo prædefinitam. 60.218

Prædestinatio.

Prædestinatio certi gradus gratiæ aut gloriæ non est ita facta, vt Deus nolit nos maiorem hîc mereri. 505.61

Prædeterminatio.

Prædeterminatio nequit consistere cum libertate. 10. 29

Præmissa.

Qua ratione se iuuent in causanda conclusione. 91. 38

Præmium.

Potest dari ante meritum. 146.108. *Ab operante respicitur vt finis, ab præmiante vt medium.* 147. 113

Præscientia.

Præscientia & reuelatio futuri peccati vt differant. 409.137

Præscientia voluntatem non necessitat. 410.140

Præscribere.

Præscribi potest ius indicendi bellum. 629.64

Præsumptio.

Præsumptio duplex; Lutherana periculosior. 410. 143.144

Præsumptio an tollat habitum spei. 410.146

Pretium.

Pretium rei emptæ & in extrema necessitate consumptæ cur tenearis persoluere, potiùs quàm furtiuæ. 558.167

Primus.

Qua ratione vltimi fiant primi. 438.17

Primum præceptum caritatis qua ratione dicatur. 476.28

Princeps.

Secularis Principis potestas solùm se extendit ad ea quæ naturali & politico fini accommodata sunt. 362. 236

Vnde nequit suos subditos directè compellere vt fidem suscipiant. 361.251. *Potest tamen indirectè ad hoc compellere.* 362.238

Principium primum.

Quid requiratur vt aliquid sit primum principium. 12.42

Principium seu initium quid significet. 390. 11

Priuatio.

Quædam priuationes homini expetendæ. 29.3

Priuatio negationis rei nihil est aliud quàm rei præsentia. 5

Cuius priuatio mihi per se bona, hoc mihi per se malum est. ibid.

Prius & posterius, prioritas, &c.

Vt vnum sit altero prius natura, quem ordinem debeant dicere. 110.81

Requiritur inter ea dependentia non mutua. 112.90

Quid sit prioritas naturæ. 89. *Est duplex.* ibidem.

Cur mutua dependentia tollat prioritatem, & faciat simultatem naturæ. 113.91

Prius natura & prius tempore quid. 465.168. 169

Probabile & improbabile.

Euidenter probabile determinat intellectum ad assensum opinatiuum. 233.41

Auctoritas humana facit aliquid euidenter probabile. ibid.

Probabile generatim sumptum dicitur etiam de eo quod certum est: propriè sumptum solùm de eo quod non est certum. 540.107. *Fieri nequit vt quod scio certò esse verum, iudicem propriè esse probabile.* 341.110. *Aliud est me iudicare aliquid esse secundùm se probabile, & esse probabile præcisè vt subest huic probationi.* 109

Prodigus.

Prodigus an possit facere eleemosynam. 540.63

Profectus.

Profectus noster semper potest augeri. 448.66

Qui non conatur proficere, in feruore caritatis deficit. 457.114

Profectus in Religione semper est maior. 506.68

Profectum tuum ne defere vt alienum promoueas. 507.74

Promissio, promittere.

Promissio onerosa inducit obligationem iustitiæ. 126.7

Qua ratione requiratur ad meritum de condigno, eiusue cum præmio proportionem augeat. 134. 46.47

Cur potiùs requiratur ad meritum præmij, quàm pœnæ. 135.50

Promissio præmij ad meritum magis necessaria, quàm operis ad illud consequendum oblatio. 135.52

Ficta promissio non obligat eam iniustè extorquenti. 136.55

Promittens aut dans mercedem ante meritum, id facit quia videt hoc futurum si illud fecerit. 148.116

Promissiones conditionatæ. 537.41

Propheta, prophetia.

Cur prophetia possit esse sine recta voluntate potiùs quàm actus fidei. 244.24

Proportio.

Alia arithmetica, alia geometrica. 140.77 *Vtriusque descriptio ibid. Geometrica alia est per se & strictè sumpta, alia per accidens & latè sumpta.* 141.83

In proportione pœnæ cum peccato quid attendatur. 456.106

Propositio.

Propositiones contradictoriæ quædam directè, quædam indirectè & consecutiuè. 99.13. *Directè contradicens propositioni definitæ est hæretica.* 14. *Directè contradicens propositioni damnatæ est de fide.* 15. *Secùs est de indirectè contradicentibus. ibidem.*

Quid requiratur vt aliquæ propositiones sint contradictoriæ. 100.16. *Vna dupliciter ex alia infertur.* 17

Vt propositio sit de fide, sufficit quòd definita sit verbis idem significantibus siue synonymis. 18

Dupliciter potest vna ex alia inferri. 183.120. *Quando illata ex præmissis de fide sit de fide.* 184. 121. *quando non.* 122

Propositio fidei an sit necessariò omnino infallibilis. 197.76

Propositio aliqua dupliciter dicitur de fide. 225. 64. *Per quid fiat propriè de fide.* 65. *Ecclesiæ definitio impropriè id efficere dicitur.* 226. 67 *&c.*

Propositiones variè qualificantur, prout varijs modis fidei repugnant. 344.125. *Quæ propositio dicatur hæretica, quæ Iudaica, quæ pagana, quæ athea.* 126

Aliud est hæresis, aliud propositio hæretica. 128. *An propositio hæretica fuerit semper talis.* 129. *Eadem propositio diuerso tempore prolata, diuersa significat.* 345 129

Propter.

Propter se amari Deum quid sit. 466.3. *&* 5

Prosecutio.

Prosecutionem rei tria retardant. 400.75

Proximus.

Proximus potest quadrupliciter amari. 471.2

Proximum an teneamur amare actu interno. 480. 56. *&* 481.63

Proximi dilectionem solùm imperat caritas quando in eius bonum cedit. 481.61

Proximum possum duplici amore diligere. 65

Proximi dilectio distincta qua ratione per accidens sit necessaria. 482.69

Inimicus nobis est proximus. 483.75

Proximum quando debeam actu interno diligere. 484 84

Proximi saluti quando debeam vitam meam postponere. 509.85

Proximus vnus an præ alio amari debeat. 512.103. *&* 110

Proximi omnes intensissimè amandi propter Deum. 513.110.112.114. *&* 517 133

Proximo ex quibus rebus, & qua moderatione teneamur subuenire. 554.145

Prudentia & imprudentia.

Actus prudentiæ est practicus & necessariò verus; supponit tamè actum speculatiuum, qui potest esse falsus. 197.80. *Non omne iudicium prudens est actus prudentiæ.* 198.80

Omnem actum voluntatis prudentem præcedit duplex iudicium. 227.5

Pugnare.

Licitè pugnatur die festo. 639.128

Punire.

Punire peccata & virtutes remunerare est eiusdem. 260.121

Nemo potest puniri nisi à suo Superiore. 349.156

Peccata priùs prohibenda quam punienda. 364. 188

Potestas punitiua reip concessa, vt se incolumem seruet; ideoq; ea sola punit quæ eius statum aliquatenus turbant, saltem diuinam iram in se concitando. 254.188. *Soli Superiori conuenit punire, & solos subditos.* 355.196

Licite conamur à nobis auertere mala quibus Deus peccata nostra punit. 621.4

Punitio.

Punitionem lædentis an possit læsus exigere. 487.102. *&* 104

Punitionem peccati subditi, ad quam tenetur Superior, quando possit omittere. 651.63

Pupillus.

Pupillo an tutor licitè filium in necessitate præferat. 519.147

Pupillus aut minor quas eleemosynas facere possint. 540.60

Qualitas.

Qualitas debet in se perfici vt perfectiùs inhæret. 439.22

Qualitas per agens contrarium successiuè remittitur. 440.27

An inter qualitates creabiles detur perfectissima. 448.70

Quantitas.

Quantitatem duplicem habet rerum duratio. 464. 160

Quies.

Quies animi ex parte consistit in negatione mali. 29.3

Rationis dictamen.

Rationis dictamen qua ratione sit regula nostrarum actionum. 32.29

Reflexus actus.

Quis dicatur actus reflexus, & quod habeat obiectum. 337.86

Regnum.

Regni filij qui dicantur. 438.13. *Regnum Dei quid sit.* 14

Regnum deuicti bello iusto an possit vsurpare victor. 638.121

Regula actuum humanorum.

Qua ratione recta ratio sit regula nostrorum actuum. 32.27

Regula perfectionis rerum duplex. 420.48.& 48

Regulæ perfectio & exemplaris debet prius & magis conuenire regulæ & exemplari, quàm regulatis. 502.40

Regula Religiosa.

Regula Prædicatorum, & Fratrum Minorum defectus aperiri iubent. 601.214.215.& 218

Regula condi potest in Religione de defectibus ad Superiorem deferendis. 602.220

Relapsus.

In relapsus periculo an tenear alium corripere. 584. 116. 117

Religio.

Religio est schola perfectionis. 595.186

Religionem Christianam quid opprimat. 635.103

Religiosus.

Religiosum statum ob causas deserens an possit proficere. 506 67.68

Religiosa vita sæculari, & contemplatio actioni præferenda. 507.71

Religioso an præponet Superior fratrem in extrema necessitate. 520.152

Religioso cur Superior teneatur præ alijs subuenire. 523.171

Religiosus quas possit facere eleemosynas. 538.47.& 48

Religiosi sunt voluntariè pauperes. 540.65.& 68

Religiosi beneficiati non acquirunt dominium fructuum beneficij sui. 564.200

Religiosi peccata venialia quando teneatur Superior corripere. 570.24.& 572.32

Religiosi tenentur præ alijs peccantes corripere. 579. 83

Religiosi fama quomodo apud Superiorem seruanda. 595.185

Religiosorum peccata magis nocent quàm aliorum. 596.189

Religiosus melius emendatur per Superiorem quàm per priuatum. 598.202

Religiosum Ordinem quæ iuuent & conseruent. 603. 228

Dolere se esse Religiosum aut sacerdotem, quale sit peccatum. 614. 9. *talis dolor est valdè periculosus.* ibid.

Religiosi subditi non possunt sequi exercitum siue venia Superioris. 633.89

Remigare.

Remigare in triremibus Turcarum an liceat captiuis Christianis. 360.219.& 636.104

Remunerare.

Opera nostra qua ratione Deus remuneret supra condignum. 452.87

Repræsaliæ.

Repræsaliæ siue pignorationes licitæ sunt, si adsint sex conditiones. 639.133. *quis possit eas concedere.* ibid. *quænam sint iure vetitæ.* 136

Res.

Res quædam nullius sunt. 544 87.90

Res spiritualis cur vendi non possit. 565.280

Resignatio.

Resignare nos in Dei voluntatem cur debeamus. 420. 50.15

Respublica.

Reipublicæ salus vitæ parentis, imò propriæ, præponenda est. 523.173

Reipublicæ hostibus an danda eleemosyna sit. 542.77

Reipublicæ vni aduersus alteram quando liceat bellare. 624 29.& 30

Reipublicæ damna illata quando eius ciues possint curare restaurari. 6 8 55

Respublicæ cur primùm sint institutæ. 629.62

Quod facit respublica imputatur singulis eius membris. 637.113. *quando punitionem merita tota simul potest puniri.* 114. *eius debita quis persoluere debeat.* 115

Reipub. debitum obligat singula membra. 639.134. & 135

Restitutio, restituere.

Restitutio eleemosynæ fraude perceptæ cui facienda. 543.83

Restitutionis vinculum quosnam liget. 568.12

Restituere debent innocentibus, omnes nocentes qui eis fuerunt causa damni. 637.117

Restituendi obligationem non inducit intentio nocendi. 648.49

Restrictio mentalis.

Qualis sit licita, qualis non. 192.49.& 193.55. *Interrogatus facilius ea licitè vtitur, quàm alius.* 193.56

Sæpè vtentes restrictione sibi fidem abrogant. 194. 58

Facilius contingit hominem licitè vti restrictione quàm Deum. 195.64

Reuelare, reuelatio.

Externa Dei reuelatio est partiale obiectum formale fidei. 170.40

Deus variis modis nobis aliqua reuelat. 173.59. *iam tamen non reuelat nobis nouos fidei articulos.* 60

Quomodo Dei reuelatio me moueat vt ipsam credam. 176.75.

Priuata reuelatio non necessaria est, potest tamen esse formale obiectum fidei. 177.84.& 178.87 *Non mouet ad assensum fidei, quia euidens est.* 178. 91

Reuelatio & res reuelata vno actu creduntur. 180. 100

Euidens Dei reuelatio parit euidentem cognitionem rei reuelatæ. 182.110. *Reuelatio facta angelo qua ratione fuerit obscura, & qua euidens.* 112

Inter Dei reuelationem & veritatem rei reuelatæ est necessaria connexio. 113

Deus initio res fidei omnibus angelis per se reuelauit. 208.61

Illi quibus mysteria fidei initio fuerunt reuelata, clarè cognouerunt ea esse vera. 64. *Alij tamen alijs perfectiùs.* 209.65

Magis explicita reuelatio rerum fidei solùm inducit mato-

maiorem necessitatem præcepti eas explicitè credendi. 269.165
Reuelatio damnationis comminatoria quæ, & quomodo sit. 402.90.92.93.98.& 407.120
Quot modis possit Deus reuelare alicui peccatum futurum. 408.126
Reuelationes peccati futuri quænam non impediant libertatem. 128
Reuelatio & præscientia futuri peccati vt differant. 409.137

Reus.

Reus læsæ maiestatis an possit aliquam dare eleemosynam. 540.63
Reo in dubio potiùs fauendum est quàm actori. 627.49

Rigor.

Rigor nimius in exigenda satisfactione cauendus. 486.96

Ruina.

Ruina proximi dupliciter intendi potest. 648.50

Sacerdos.

Sacerdotes tenentur præ aliis peccantes corripere. 579.83
Dolere se esse sacerdotem aut Religiosum quale sit peccatum. 614.9
Sacerdos qua ratione licitè milites hortetur ad pugnam. 633.88.89

Sacramentum.

Sacramenta qua ratione deleant peccata. 434.153

Sacrificium.

Sacrificium qua ratione eleemosyna sit. 531.10

Salus, saluus.

Salutis fundamentum & radix est fides. 388.148
Salutem an possit sperare, cui sua esset reuelata damnatio. 405.108
Salutem alienam malè curas cum periculo perdendi tuam. 507.72.74
Salus proximi quando sit præferenda saluti corporis nostri. 509.85
Saluti necessaria ignorantem tenetur quis cum vitæ periculo instruere. 510.91
Saluos fieri omnes homines desiderat Deus. 515.121
Saluti militum seruientes sacerdotes, non seculo, sed Christo militant. 633.90
Saluti necessaria bona spiritualia numquam propter scandalum relinqui possunt. 650.57

Salutare.

Salutare occurrentes inimicos an teneamur. 485.91

Sanctus, sanctitas.

Sancto vno sanctior est alius. 437.5
Sancti cur se priuent terrena oblectatione. 453.94
Sanctitatem maiorem velle proximo quàm sibi, est contra caritatem. 504.55.57
Sanctitas aliorum meritò nobis placet; sed malè gaudemus nos esse minùs sanctos. 505.61

Sapientia, sapiens.

Sapientiæ initium qua ratione sit timor. 390.11.
Sapiens est qui seruat mandata. ibid.
Sapientia creata est quædam participatio increatæ. 414.6

Satisfactio.

Satisfactionem aut pœnam debitam non tenemur semper remittere. 486 95.100
Satisfactionem offerenti bellum inferens ad quid teneatur. 625.36.37
Satisfactionem de damnis illatis offerentes an bello vrgendi. 636.105.107
Satisfactio damnorum quomodo ab hoste deuicto exigenda. 639.129

Scandalum.

Scandalum Iudæorum de vocatione Gentium ad Ecclesiam. 438.17
Scandalum in solis actibus externis esse potest: actiuum scandalum quid sit, passiuum quid sit. 644.31
Scandalum aliud per se, siue datum: aliud per accidens, siue acceptum & Pharisaicum. 32
Quæ requirantur ad rationem scandali. 33
Scandalum quando sit mortale, quando veniale. 34
Intentio scandalizantis est triplex. 35
Potest esse peccatum scandali sine explicita intentione ruinæ proximi. 45
Scandali malitia in quo propriè consistat. 648.47
Scandali grauitas vnde æstimanda. 649.56
Scandalum aliorum an cum nostro incommodo teneamur vitare. 57. *Bona spiritualia saluti necessaria numquam propter scandalum relinqui possunt.* ibid.
Scandalum vitandi obligatio vnde nascatur. 650.59
Tripliciter ex meo facto potest imminere scandalum. 651.61. *Quando desinant præcepta obligare ad vitandum scandalum.* 62. *Confessarij scandalum vitandum.* ibid.
Teneris quandoque præcepta positiua implere, etiam cum aliorum scandalo. 64.& 65
Scandalosum maximè est libros lasciuos edere. 65
Scandalum communitatis diligenter vitandum est. 66
Scandalum alicuius in confuso cur minùs teneat vitare quàm personæ certæ. 652.68.69
Mulier non tenetur diu abstinere publico, ne sit alicui occasio peccandi. 70

Schisma.

Schisma potest esse sine vlla hæresi. 618.38
Variis modis potest quis fieri schismaticus. 619.39
Non est quis simpliciter schismaticus donec saltem indirectè se separet à tota Ecclesia Catholica. 40
Potest Pontifex fieri schismaticus. 41
Si Pontifex palàm fieret schismaticus, desineret esse Pontifex. ibid.
Quid plebeijs in schismate sit agendum. 620.45
Schisma est peccatum contra caritatem. 46.
Ecclesia meritò illud pœnis grauibus punit. 47

Scientia, scire, scibile.

Habitus scientiæ non facit nos assentiri conclusioni nisi propter præmissas. 174.64
Scientia omnem perfectionem opinionis aut fidei humanæ perfectè continet, non tamen fidei diuinæ. 200.10
Ideò cum hac in eodem actualiter consistit. 201.15
non tamen cum illis. 205.41
Scientia clara habitualis necessariò transit in actualem, quoties sciens de eius obiecto perfectè cogitat. 202.25
Omnis nostra scientia est ex aliqua parte hîc incerta & fallibilis. 249.57
An scientia sit habitus simplex. 306.4.& 307.9. & 308.19
Vt scientia sit practica quid requiratur. 308. 17
Scire, subinde significat diligere. 459.125
Iudex nequit iudicare ex priuata scientia. 626. 43.49

Scopus.

Scopus parabolæ primò spectandus. 437.8

Scriptura sacra.

Qua ratione quidam modi loquendi in ea intelligendi sint. 188.21
Non omnia, quæ Sancti in ea dicuntur dixisse, dixerunt instinctu Dei. 22
Apostoli suis successoribus simul cum Scripturis earum etiam sensum tradiderunt. 215 8 9.
Quare ea intelligendæ sint sicut hi eas intellexerunt. 217.17
Cur Scripturæ litera dicatur occidere. 220.32.
Cur ipsa nequeat esse iudex controuersiarum fidei. 35
Dementiæ est ab Ecclesia accipere Scripturas, & ab aliis earum sensum quærere. 35
Quædam scripturæ sunt obscuræ. 221.37
Scripturæ verba pro diuersitate materiæ varium habent sensum. 256.100
Scriptura sæpè viam vocat nomine termini, & illam accipit prout hunc includit: ideóque iustificationem modò fidei, modo caritati tribuit. 283.259
Scriptura res laudandas generatim solet sumere, prout abstrahunt à particularibus rationibus. 468.11
Scriptura variis verbis idem significat vt fortiùs inculcet. 477.33
Scripturæ generatim asserit quæ vt plurimùm fiunt. 536.38

Scrupulosus.

Scrupulosis hominibus minùs nocet timor. 394.35

Seditio.

Seditio quomodo differat à discordia, schismate & rixa. 644.30

Seductio.

Seducendus ab hæreticis non est in extrema necessitate. 510.91

Sensus.

Sensus quandoque pro quauis animi potentia, atque adeò pro actu voluntatis accipitur. 5.2

Sensus pro significatione.

Sensum compositum duplicem aliqui ponunt. 8. 15
Quis propriè dicatur sensus compositus. 16
Quod solùm est possibile in sensu diuiso, est impossibile ei qui nequit hunc ponere. 21.101

Sepultura.

Error hæreticorum nostri temporis circa sepulturam. 532.18.& 19
Ecclesiastica sepultura qua ratione prosit. 21
Sepulturam omittere quale sit peccatum. ibid.
Sepultura Ecclesiastica priuantur in duello occisi. 644.29

Seruilitas, seruus.

Seruilitas timoris in quo consistat. 393.27
Deus sua gratia eleuat nos supra conditionem serui. 417.26.28
Seruus quam possit dare eleemosynam de bonis domini. 538.46
Christiani à Christianis in bello iniusto non possunt in seruitutem redigi. 638.120

Significatio.

Significatio nominis vnde petenda sit. 1.4

Simul.

Simul quænam dicantur existere. 464.162

Societas Iesu.

Societatis Iesu institutum à pluribus Pontificibus fuit approbatum. 602.223.& 225

Species.

Quæres inferioris speciei possit eleuari ad perfectionem superioris speciei, & quæ non. 65.24

Species intelligibilis.

Non perficit intellectum in ratione potentiæ, sicut lumen gloriæ. 97.79
Iuuat vt obiecta apprehendamus. 307.12. *Non est semper opus nouis speciebus, vt obiectum melius fuit apprehendamus.* 13
Generantur hæ ex actibus quatenus hos perceptibiliter elicimus. 308.15
Cur actus supernaturales non generent species supernaturales. ibid.
Quid requiratur vt aliqua inter se specie differant. 445.49
Speciei certæ malitiam habet omne malum existens. 526.14

Spectator.

Spectatores duellantium sunt excommunicati. 644. 29

Spes, sperare.

Spes est propriè amor concupiscentiæ. 366.14.
Nobis propriè speramus bona, non alijs. ibid.
Obiectum spei primarium ac secundarium quod sit. 367.23. *Quas id conditiones debeat habere.* 24
Necessariò fertur spes in bonum arduum. 368.24. &c. *In quo consistat hæc arduitas.* 367. 18.&c.
Obiectum spei formale est sola bonitas rei sperata. 368.26
Vnde nec absentia; nec possibilitas, nec arduitas rei sperata illud ingrediuntur. 27.&c. *Non omnis actus spei habet idem obiectum formale.* 369. 31
Alienum auxilium nequit esse obiectum formale spei. 32

Speramus etiam ea quæ per nos acquirere possumus. 369.33
Quid sit sperare in Deo vel homine. 34. *Qua ratione liceat sperare in homine.* ibid.
Quid sit spes, & quid superaddat desiderio efficaci. 35. &c.
Cur nequeat esse in Deo. ibid. *Est vera virtus.* 37. *Indiget magnanimitate & audacia, & ab ijsdem differt.* 370 38
Deus eiúsque visio sunt obiectum primarium spei theologicæ 371.44. *secundarium omnia ad hanc obtinendam conducentia.* 49
Obiectum formale spei theologicæ est bonitas Dei qua nobis bonus. 372.52
Non autem Dei gratia, aut omnipotentia. 53. *Qua ratione spe theologica possimus res creatas à Deo sperare.* 373.58
An possim alteri sperare beatitudinem. 375.64
Licitè facimus bona operæ spe mercedis. 376.72. *ac in nostris bonis operibus spem aliquam reponimus.* 377.75. *Qua ratione hoc fieri debeat.* 76. &c. *Qua ratione liceat à Deo sperare temporalia.* 378.80. &c.
Qua ratione nostra spes sit certa. 380 93. &c. *In quibus eius certitudo deficiat.* 96. &c. *Quorundam spes certior quàm aliorum.* 97
Vtrùm spes necessariò supponat fidem. 381.101. &c. *Potest tempore præcedere caritatem.* 103. *est perfectior fide.* 382.106. *non dicit imperfectionem sibi intrinsecam sicut fides.* 107. *magis nos vnit Deo quàm fides.* 108
Spes est necessaria ad bene viuendum. 383.113 *Quando obligemur sperare.* 114. *Actus spei necessario bonus est.* 119

Spei habitus.

Sæpè habitus spei infunditur ante iustificationem. 105.51
Potest in eodem esse intensior caritate, non tamen remissior. 106.60
In peccatore augetur sine caritate. 62. *In iusto augetur communiter cum caritate, non tamen semper.* 61
Cur pereat non solùm desperatione, sed etiam infidelitate. 329.38
Spei obiectum formale. 385.126
Spei habitus quomodo perdatur. 129
Spei verum actum non habent Beati in cælo. 130. *cur nequeant sperare.* ibid.
Spes an sit propriè in Beatis. 387.138
Spei actum an Christus ante mortem habuerit. 141. 145 *cur potuit sperare beatitudinem plus quàm alij Beati, & nominis sui exaltationem.* 142. & 143
Spei theologicæ actus eliciunt animæ in Purgatorio. 388. 146. *& habent etiam habitum spei.* ibidem.
Spei habitum non retinent hæretici. 148
Spes & charitas cur pereant pereunte fide. 149
Spei habitu carent damnati. 150
In ea tria distinguuntur, vt & in timore 394.38
Non omne peccatum contrarium spei est desperatio. 399.68
Vt aliquid sperem, debeo id apprehendere vt probabiliter futurum. 405.106. *Spes quid sit.* 107
An impossibilem an potiùs reddat reuelatio damnationis, quàm reprobatio. 406.113
Spei habitum an tollat præsumptio. 146 410.
Spei habitum quid expellat. 411.149
Spes cur potiùs habeat specialem rationem virtutis quàm gaudium. 526.13

Spirituale.

Spiritualia hîc difficulter & obscurè cognoscimus. 83. 123. & 85.4
Spiritualia bona saluti necessaria numquam propter scandalum relinqui possunt. 650.57

Spiritus.

Spiritus sanctus quomodo in cordibus diffundatur. 413.15
Spiritus Eliæ qua ratione duplex in Eliseo fuerit. 5

Sponsalia.

Sponsalium occulta impedimenta an teneatis ei qui ea contraxit indicare. 574.47

Status.

Statum virtutis omnino perfectum non habent reliquæ virtutes sine caritate. 422.63
Statum Religiosum deserens propter Deum an possit proficere. 506 67 68
Statui necessaria bona quæ sint. 548 108 110
Statui superflua quænam sint. 548.108. & 551.130 138
Status nostri conseruatio an præferenda extremæ pauperis necessitati. 551.134. *Non teneor meam aut alienam vitam seruare cum euersione mei status.* 135
Status quid boni conferat reip. & homini. 553.137.
Statui necessaria laudabile est pauperibus erogare, cùm id fieri potest sine aliorum præiudicio. 140
Status perfectioris professio strictionem inducit corripiendi obligationem. 579 83

Stipendium.

Stipendium duplex quibus debeatur. 520.153
Stipendium militi non soluens princeps sua culpa, ad quid teneatur. 638.94.95
Ad quid teneantur officiales, per quos status quo minùs militi stipendium soluatur. 96. *Milites ad quid obligentur.* 97. *Militum peccata erga eos apud quos diuersantur.* 98

Studiositas.

Quod sit eius officium. 238. 68. *Nimis leuiter assentiens alicui propositioni, non peccat contra studiositatem.* 69

Studium.

Studiis se diligenter dare debet qui bursa fruitur. 562. 190

Suadere, suasio.

Licitè alteri suadeo actionem quam illicitè facerem, si illi licita sit. 34. 41. *nisi iure positiuo hoc mihi prohibitum sit.* 42
Suasio an dependeat ab intentione. 648. 49. & 649. 54

Subditus.

Per hoc quòd quis alteri infert iniuriam, non sit ei subditus. 624.29
Subditus licitè militat, quamdiu causa belli sufficienter perpensa non apparet iniusta. 631.77. & 632.80

Subiectum, subiectus.

Subiectum inhæsionis fidei, siue quibus fides insit. 312. 1

Fides est in intellectu, quamuis requirat aliquem habitum in voluntate. 306. 1. *Cur antiqui Theologi dixerint eam esse simul in voluntate ac intellectu.* 239.72

Quæ forma subiecto sit naturalis, quæ supernaturalis. 63.15

Subiectum non debet ex parte sua eleuari vt formam supernaturalem recipiat. 64.17. *Item quid sit subiectum formam sustentare.* ibid.

Subiectum aliud inhæsionis, aliud attributionis, & quomodo hoc differat ab obiecto. 164.1

Est id de quo aliquid cognoscitur. ibid. *Quodnam sit subiectum cuiusque scientiæ.* 2. & 4. *Subiectum fidei est Deus qua Deus.* 4

Propositio nequit esse subiectum doctrinæ. 165.6

Subiecta fidei secundaria sunt plura. 8

Subiectum non est capax formæ, quæ nulla ratione potest vlterius perfici. 200.7

Subiectum cum quouis calore potest à Deo integrum conseruari. 449.71

Subiectus nulli per nullum hominem proprie potest puniri. 625.36.37

Subintelligere.

Qua ratione variis locutionibus varia subintelligantur. 193.51. &c.

Substantia.

Nulla est absolutè mala, sed aliqua alicui mala. 29.6

Item nulla supernaturalis. 63.11. *Nec propriè dicitur naturalis, sed natura, nisi sit incompleta.* ibid. *Eius tamen productio est naturalis aut supernaturalis.* 63.15

Sum.

Essendi principium nobis est pater, etiam secundùm animam. 521.161

Superflua.

Superflua habentes obligantur ea dare grauiter indigenti. 546.101

Superflua debent dari extremè indigenti non ex iustitia, sed ex caritate. 547.104

Superflua naturæ & statui quæ dicantur. 548.108. *necessaria ad statum vnde spectanda.* 110. & 111

Superflua statui quænam sint. 551.130

Superior.

Superior ex iusta causa potest compellere subditum vt aliquid faciat quod rectè facere potest, etsi sciat malè facturum. 362.237

Superior offensus quomodo se geret erga petentem veniam. 486.94

Superiores ad quid obligentur in spirituali suorum periculo. 512.101

Superior tenetur magis curare res sui monasterij quàm proprij filij. 519.147

Superior in extrema necessitate tenetur subditos alijs præferre, exceptis solis coniunctis in primo gradu. 520.152

Superior non solùm est pater suorum spiritualis, sed etiam est ijs loco patris carnalis in bonis temporalibus. ibid.

Superior quando teneatur peccata venialia Religiosorum sibi subditorum corripere. 570.24. & 572. 32. & 573.41

Superiorem quandoque tenetur inferior corripere. 575.52.53.54.55

Superiores præ alijs tenentur peccantes corripere. 58

Superior tenetur in vitam subditi inquirere. 577. 67. *Est simul Superior & pater subditorum.* 70. & 74. & 76

Superior prudenter in subditorum inquirat vitia. 579.84

Superior tenetur corripere etiam eum quem scit non emendandum. 583.111.112

Superior sæpè tenetur subditos corripere etiam cum graui suo incommodo. 585.125

Superior singulariter tenetur vitia sua emendare, vt alios efficaciter corripiat. 586.129

Superior Religiosorum quomodo differat à Superiore secularium. 595.185

Superiorum virtus valdè necessaria subditis. 597. 194

Superiori aperire defectus extra confessionem consultum est & vtile. 598.198. 199. 200. 202. & 602.218. & 603.228

Superiori in dubio parendum. 632.84.85

Victor sit superior bello iusto deuictorum. 639.129

Supernaturale.

Supernaturale aliud absolutè, aliud secundùm quid. 62.7

Quid dicendum sit absolutè supernaturale. 9. *Necessariò dicit respectum ad aliud.* 11. *Eumq; quadruplicem.* 63.15

Cur nulla substantia sit supernaturalis. 11.

Quæ propriè dicantur supernaturalia. 12. *Quædam accidentia sunt absolutè supernaturalia.* ibid.

Quæ dicantur supernaturalia secundùm substantiam, quæ secundum modum. 14

Quis effectus dicatur absolutè supernaturalis. 15

Actus fidei, spei & caritatis sunt supernaturales substantia. 68.39

Dantur hic aliqui actus tam interni quàm externi solùm secundùm modum supernaturales. 84.129. & 85.130

Supernaturalis actio nequit esse mala aut falsa. 207. 56

Non omnis volitio in substantia supernaturalis prærequirit cognitionem in substantia supernaturalem. 229.18

Cur actus caritatis & spei requirant fidem supernaturalem. 19

Sustentatio.

Sustentatio honesta clerici & decens quid exigat. 560. 178

In sustentationem suam plura potest expendere clericus nobilis vel doctus, quàm alij. 563.194. & 195

Sustentationi suæ aliquid subtrahens clericus, qua ratione possit illud expendere. 197

Tabernaculum.

In Tabernacula æterna quomodo pauperes, alios recipiant. 542.73

Temperamentum.

Temperamentum animalis non solùm defectu, sed etiam excessu laditur. 28.2

Tempus.

Datur tempus tam breue quod nequimus distinguere

ab instanti. 157
Tempus duplex datur, reale, & non reale. 463.152. 153 & 155
Tempus non reale an per se sit mensura durationis. 464.161
Instantia naturæ non sunt partes instantis temporis. 465.168

Tenebræ.

Tenebræ non expellunt lumen: hoc autem expellit tenebras. 461.139

Tentatio.

Tentationi, maximè graui, sine gratiæ auxilio resistere nequimus. 386.136
Tentationes qua ratione timeantur. 392.21
Tentationi quomodo resistendum. 407.124
Tentatio Dei est, velle explorare veritatem per duellum. 642.13

Testari, testimonium, testis.

Testimonium Dei est obiectum formale fidei. 169. 35.
Non habet se solùm per modum proponentis veritatis. 37
Aliquid testans simplicitè testatur se id testari. 173. 58.
Non omnis cognitio nixa alieno testimonio est fides, sed aliquando scientia à posteriore. 183.115
Testes cur adhibendi sint in correptione fraterna. 590. 153.154. & 592.166

Theologicus.

Theologica conclusio quæ dicatur. 81.103
Ad assensum Theologicum qualis requiratur assensus præmissarum. 82.110
Nequit is elici ab hæretico. 111
Sequitur de facto semper ex assensu supernaturali præmissarum; hoc tamen ex natura sua non requirit. 112. Non est is propriè supernaturalis. 113
Habitus theologicus est naturalis, & distinctus ab habitu fidei. 83.118.119
Potest manere in hæretico, non tamen habere suum actum. 121

S. Thomas.

Nullibi docet contritionem produci à gratia habituali ad quam disponit. 111.83. Vbi difficilis eius hac de re locus exponitur.

Timor.

Timor quid sit. 389.1. supponit semper odium. ibid.
Timor respicit malum contrarium bono amato. 3
Timor cur castus vocetur. 190.8
Timor distinguitur in seruilem, mundanum & filialem. 8. & 9
Timorem quem Christus suadeat, quem dissuadeat. ibid.
Timor qua ratione sit initium sapientiæ. 11
Timor filialis & initialis an duas constituant species timoris? 391.18
Quomodo peccatum sit eius obiectum. 392.21
Timoris filialis obiectum materiale est culpa. 23
mor filialis in iustis elicitur ab habitu caritatis. 24
mor filialis præsupponit actum caritatis. 393.25
mor filialis an aucta caritate augeatur. ibid.
nemus Deum timore filiali, tamquam obiectum cui timemus displicere. ibid.
uor seruilis an sit bonus. 26. dub hic includit.
Timor cur alius dicatur filialis, & alius seruilis. ibid. seruilitas est seruili extrinseca, in quo ea consistat. ibid.
Timoris seruilis spiritum accepere Iudæi, nos autem filialis.
Timor Dei incitat ad honestum. 30. & 31
Timoris Dei an pœna sit ratio formalis. 394.32
Timor Dei, etiam seruilis, an possit esse nimius. 35
In eo, vt & in spe, tria distinguuntur. 38. Timor qua virtus, an consistat in fuga peccati. 395. 38
Timor an crescente caritate crescat. 39
Timor pœnæ cum voluntate peccandi, si impunè fieri posset, an sit bonus. 40
Timor seruilis an eliciatur ab habitu spei. & 45 44.
Timor pœnæ æternæ an sit virtus theologica. 396. 47.48
Timor pœnæ damni an sit actus theologicus. 48. an etiam timor pœnæ sensus. 49
Timor seruilis manet cum caritate, non tamen eius seruilitas. 50
Timor initialis quis dicatur. 397.52
Timoris filialis obiectum an cum obiecto timoris filialis constituat vnum obiectum formale. 51
Timor seruilis quatenus dicatur initialis. 52
Timor initialis cur dicatur constari ex seruili & filiali. 53. Cur non detur timor seruilis initialis. 54
Timor mundanus quid sit. 55. Qua ratione sit malus. 56. An sit in Beatis. 57
Timoris filialis actus an in Beatis remaneat. 58
Timor strictè & completè quid sit. 398.59. quid timor mali non imminentis. 60
Timor admirationis quid. 61. Timor in Beatis est duplex. 62
Timor reuerentialis est in Beatis. 64. à quo habitu procedat. ibid.

SS. Trinitas.

SS. Trinitas paucis olim fuit explicitè reuelata. 268. 161

Tristitia.

Tristitia per se homini mala est. 28.3
Tristitia quid sit. 389.1. & 524.2.5. Supponit odium. 389.1
Tristitiam inordinatam causat amor sui. 526.15
Tristitia cur potiùs consistere possit cum gaudio, quàm odium Dei cum eiusdem amore. 609. 38
Tristari de bono spirituali dupliciter possumus. 613.2

Turcæ.

Turcæ ad Paganos referendi. 332.54

Tutor.

Tutor an in necessitate licitè præferat filium pupillo. 519.147
Tutori quid liceat in bonis pupilli. 540.62

Vectigal.

VEctigal peccati est pœna. 637.114

Venditio.

Venditio rei, qua alter malè vsurus est, ex duplici capite potest esse mala. 357. 206. Quando sit illicita. 211. & c. 359. 214. & c.

Venia.

Veniam petenti subdito quid debeat Superior offensus præstare. 486.94

Veniam vter prior teneatur petere cùm duo se inuicem læserunt. 99.& 100

Veracitas.

Summa veracitas duo includit. 167.24

Verbum.

Verba primò inuenta sunt, vt significent res maximè obuias, deinde ad alias transfata sunt. 126.6

Veritas.

Veritati vni multi errores directè aut indirectè opponuntur. 419.43

Veritas illicitè duello exploratur. 642.13

Videre, visio. *Vide* Gloria.

Videre in Scriptura sæpè significat probare. 311.41

Visio beata est omni intellectui possibili supernaturalis. 66.27. *Cur sit omni intellectui supernaturalis.* 67.34.& 97.78. *Secundùm se est nostra merces.* 96.73.& 129.21

Potest quis non filius, & sine iure ad regnum, esse potens videre Deum. 66.31

Habentes æqualia merita æqualiter vident Deum. 96.72

Beati non speciali concursu, sed solo lumine gloriæ eleuantur ad videndum Deum. 76 *& habentes æquale lumen æqualiter Deum vident.* 97.78

Visio beatifica an perfectior actu caritatis. 421.60

Videns Deum an eum necessariò amet. 608.29.& 609.34.39

Vidua.

Actus viduæ duo mittentis minuta in gazophylacium, excellens. 495.159

Vindicta, vindicare.

Vindictam qua ratione cupiant Sancti exerceri in impios. 484.83

Vindictæ cupiditas & odium quomodo differant. 607.21

Vindicta quando licita, quando illicita. 622.14

Vindicari potest iniuria ex duplici intentione. 623.24

Vindicta iniuriæ à quo licitè fiat. 641.5

Vinea.

Vineæ operariorum merces pulchrè explicata. 437.9.10.& 438.11.22

Violentum.

Violentum quid sit. 423.71

Viri eminentes.

Viri magni peccantes grauiter nocent. 645.34

Virtus. *Vide* Habitus.

Virtutis amor numquam potest esse causa imprudentis electionis, aliusue actus vitiosi. 44.105

Virtutis habitus qua ratione sit essentialiter bonus. 107

Aliud est actionem ab certa virtute elici, aliud eam participare huius honestatem: & vnde hoc habeat. 111.& 289 4

Actus virtutis dupliciter est vtilis ad aliam acquirendam. 44.112. *Electus ob alium finem honestum quandoque simplicem, quandoque duplicem habet honestatem.* 45.114.& 115

Amans virtutem amat eius honestatem etiam in alijs. 46.118

Vix vmquam virtutem tantum amamus quantum possumus. 51.157

Virtutis viam quatuor efficiunt difficilem. 83.123. *Hæc difficultas oritur ex nostra natura.* 84.125

Virtutes morales in iustificatione infunduntur. 103.38

In virtute plus proficit, qui plus conatur. 119.6

Actus habentes eandem honestatem pertinent ad eandem virtutem. 288.2

Idem actus potest pertinere ad diuersas virtutes. 289.5

An definiatur ab Aristotele dispositio perfecti ad optimum. 309.23

Virtus intellectualis quæ dicatur. 26. *Caietanus malè distinguit inter virtutem intellectualem & intellectus.* 24

Nulla virtus habet statum perfectæ virtutis nisi sit coniuncta caritati. 310.30

Non semper disponit suum subiectum omni modo optimè. 370.37

Virtutis amor non est amor concupiscentiæ. 391.14

Virtus eadem siue habitus an inclinet ad intentionem finis & electionem medij. 392.24

Virtutis definitio. 418.37

Virtus perfectior & melior quæ sit. 420.51

Virtutis actus secundùm speciem imperfectior potest in individuo esse in altero perfectior. 420.53

Virtutum aliarum forma qua ratione sit caritas. 422.62

Virtutis statum perfectum non habent reliquæ virtutes sine caritate. 63.64

Virtus agendi ad quid data rebus creatis. 442.38

Virtutes infusæ intensione sua subiecto non obsunt. 449.71

Virtutis theologicæ actus nullus habet rationem amicitiæ erga proximum. 475.23

Virtutes multæ sola contemplatione acquiri nequeunt. 507.70

Virtutes distinctas quomodo aliqui actus constituant. 526.12

Virtus inferior imperat actum virtutis superioris. 531.12

Virtus suum subiectum obligat, vt eam in se conseruet, nihil faciendo quod ei contrarietur. 569.13

Virtuti repugnant peccata dupliciter. 646.40

Vis.

Iniustam vim licitè vi repellimus à nobis alijsq; id petentibus. 356.197

Non omnis iniuriam faciens vim infert. 641.9

Vita, vitalis.

Vita actualis in actibus consistit. 7.9

Vitalis vt sit actio quid requiratur. 423.68

Vitam animæ esse soli virtuti actiuæ conuenit. 425.82

Vitæ periculo an licitè me pro alio exponam. 508.79.81.84

Vitam quando possimus non conseruare. 509.83. *& eam exponere pro alio.* 84

Vitam meam aut alienam non teneor seruare cum euersione mei status. 552.135.& 554.145

Vita qua ratione possit cum bonis fortunæ conferri. 553.136.137.138

Vitæ æternæ nullum bonum potest comparari. 139.

Vitam alienam quando liceat priuato explorare. 591.159

Vitam suam quatenus oderit damnatus. 607. 24
Vitæ iacturam an postponere debeas periculis peccati aliorum. 651.66

Vnio hypostatica, vnire.

Vnio hypostatica non habet physicam repugnantiam cum peccato. 24.119
Repugnat peccato solùm mediatè ratione personæ vnitæ. 124
Error Origenis circa vnionem hypostaticam. 122
Vnio hypostatica efficit naturam humanam intrinsecè impeccabilem. 25.125
Quaratione hoc fiat. 126
Fides & spes non vniunt nos perfectè Christo, sine charitate. 388.147
Vnio animorum amicitiæ effectus. 417.29. *Ea est triplex.* ibid.
Vnio hypostatica quomodo repugnet peccato. 429. 114
Hominis perfectio primò & præcipuè consistit in vnione cum Deo. 505.64.70

Vnitas.

Vnitas Ecclesiæ in quo consistat. 618.36. *Dupliciter scinditur.* 37

Vocatio.

Vocationis gratia ad fidem & fides dicuntur regnum Dei. 438.14
Vocatio Dei ob res humanas periculosè relinquitur. 586.131

Voluntarium, voluntas, velle, velleitas, volitio.

Velle essentialiter dicit tendentiam voluntatis in obiectum. 4.19
Tam intrinsecè dicit ordinem ad potentiam quàm ad obiectum. ibid.
Solus voluntatis actus est intrinsecè formaliter moralis. 5.22. Vide *Actio humana & Liberum.*
Sola voluntas est formaliter libera. 13.46. *Nihil potest velle nisi sub ratione boni, aut nolle nisi sub ratione mali.* 45
Per solam voluntatem habemus immediatè actus nostros in nostra potestate, eorúmque dominium. 14.51
Voluntas potest immediatè à Deo necessitari. 54. *Nequit ad aliquid trahi sine vllo actu.* 16.63
Cur voluntas dicatur potentia rationalis. 64
Voluntas nihil facit sine iudicio, multa tamen contra iudicium teste S. Bernardo. ibid.
Quomodo voluntas multa temere velit. ibid.
Possumus velle quæ scimus minùs bona ac fugienda. 17.71
Possumus velle bonum minùs apprehensum. 18. 72
Voluntas non impeditur ab amore boni cogniti, nisi per amorem boni contrarij. 74
Qua ratione voluntas possit aut non possit impedire ne intellectus de re proposita iudicet. 19. 81
Voluntas in se inuariata ob solam variationem cognitionis fit potens aut impotens operari ac non operari. 26.138
Quando voluntas deficiente potestate reputetur pro 51.157
Nostra voluntas quatuor modis diuinæ conformari potest. 58.206. *Qua ratione teneamur velle omnia quæ Deus vult.* 59.210.211.&c.
Vtrùm laudabiliter velimus omnia quæ Deus vult. 60.221
Voluntas quædam immediatè habet in sua potestate, quædam solùm mediatè. 107.64
Quare nequeat velle incognitum. 113.93. *potentia nequit velle per actum à se non productum, quamuis sibi inhærentem.* 120.8
Aliter se habet in inchoatione sui actus quàm in continuatione, in qua magis rapitur quàm agat. 159.170
Qua ratione voluntas determinet intellectum ad aliquem assensum. 175.73. *Hoc fit dupliciter.* 230.25
Quaratione determinetur ab intellectu ad specificationem actus. 234.43
Voluntas merè habitualis nec vitiat actum, nec imputatur ad culpam. 338.95
Censemur interpretatiuè velle quod non impedimus cùm tenemur. 96
Voluntas credendi intellectum determinãs requiritur ante fidem. 231.30. *est supernaturalis.* 234. 47. &c. *requirit particularem gratiam.* 235.51. *dicitur actus fidei.* 237.63. *habet specialem honestatem.* 238.67. & 239.71. *qualis sit virtus.* 238.68. &c. & 239.71. *elicitur à proprio habitu.* 239.73. *nequit esse vitiosa.* 244.23
Esse voluntarium non est per se malum, est tamen formalis ratio cur actus aliàs malus sit culpabilis. 39. 76.78
Vt aliquid sit voluntarium quid requiratur. 277. 224
Nihil imputatur ad culpam quod non est voluntarium. 338.94
Ad actum voluntatis sufficit intellectio merè speculatiua. 17.71. & 19.83. *Nullus datur sine aliquo iudicio.* 19.82
Solius voluntatis actus est immediatè liber. 25.129 *aut formaliter ac intrinsecè bonus aut malus.* 29.8 & 38.67.68. & 37.74
Actus voluntatis efficax sub duplici ratione suum obiectum respicit, atque ita ex duplici capite ex eo bonitatem aut malitiam accipit, secùs de inefficaci. 38.66. & 38.70. & 39.80. *Quaratione accipiat bonitatem aut malitiam à suo effectu.* 70. & 39.80
Actus voluntatis alius realis, alius interpretatiuus. 39.75
Actus voluntatis per accidens est perfectè voluntarius, & consequenter formaliter bonus aut malus. 42. 100.101. *Boni sunt essentialiter, mali materialiter.* 43.102. *Vnus per se non impedit alium.* 43. 105. *Malitia etiam materialis communiter iis accidentaliter conuenit, quandoque tamen necessariò.* 44.108
Idem actus voluntatis nequit esse modò bonus, modò malus aut indifferens. 107
Actus voluntatis non accipit bonitatem ab imperante. 46.121
& ex obiecto bonus nequit vitiari ab imperante. 122
Volũtatis actus non accipit suam bonitatem aut malitiam quatenus supra se reflectitur, sed quatenus tendit

tendit in obiectum. 55.184
Actus voluntatis ex variis causis variat speciem. 87. 15. *Potest à solo Deo in voluntate produci, hac tamen per eum non volet.* 120.8
Actus voluntatis nequit durare solo instanti. 155. 154
Est quidam impetus voluntatis in obiectum, & in eo similis motui locali. 158.167. *Quandoque facilè, quandoque difficulter continuatur.* ibid.
Aliter actus voluntatis accipit suam bonitatem ab obiecto, aliter actus intellectus suam veritatem. 197. 78
Volitio supernaturalis ex natura rei non requirit necessariò cognitionem supernaturalem. 258. 109
Voluntas an rapiatur naturaliter in bonum propositum. 386.138
Velleitas in damnatis est, non habitus spei. 388. 150
Voluntarium quomodo in peccato reperiatur respectu pœnæ. 392.20. *est ei id voluntarium indirectè.* 21
Voluntas nostra sine Dei auxilio nequit tentationi resistere. 407.124
Voluntatis actus boni faciunt hominem bonum; non tamen actus intellectus. 420.46
Voluntas Dei est regula voluntatis nostræ. 50
Voluntas quænam sit optima. 52. *Voluntas obiecti difficilioris cur sit melior.* ibid.
Volitio supponit intellectionem, non tamen voluntas intellectum. 431.125
Peccata inaduertenter facta minora sunt in Sanctis, quia minùs voluntaria. 455.104
Voluntatis actus quomodo alium imperet, siue causet. 467.8
Voluntas sequitur impetum appetitus sensitiui. 469. 16
Voluntas naturaliter vehementiùs inclinatur in amorem obiecti formalis quàm materialis. 499. 25
Voluntatis inclinatio duplex. 500.32
Voluntas naturaliter vehementiùs inclinatur in bonum suum quàm in bonum Dei. 501.34
Voluntatis nostræ conformitas cum Dei voluntate, perfectionem dicit. 505.64. & 507.70
Voluntatis nostræ cum diuina consensio pacem causat. 526.18.20
Voluntas naturaliter rapitur in amorem boni propositi. 608.30. & 34

Voluptas.

Trahit sua quemque voluptas, & quomodo. 386. 136

Votum.

Sine proprio consensu nemo potest vouere, ideoq; infantes eius sunt incapaces; nec in baptismo quis vouet. 333.64
Fornicatio contra votum facta non continet diuersam speciem peccati contra castitatem, sed contra religionem. 334.65

Vsus.

Vsus ius restringit. 562.189

Vulnus.

Vulneri cur se manus exponat vt defendat caput. 501.38

Vxor.

Vxorum pluralitas an sit contra legem naturæ. 490. 122
Vxor in extrema necessitate filijs præponenda. 519. 149
Vxor quas possit eleemosynas facere. 538.51. *an aliquas faciet inuito marito.* 52.53. & 54 *an possit maiores facere eleemosynas, vt marito gratiam à Deo impetret.* 56
Vxor quid possit circa bona cùm maritus est prodigus. 540.57

Liber Collegij Soc. Jesu. Paderborn. Ao 1624

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGANTVR.

Pag.5.n.2.l.17. sine. *lege* siue. *pag.7.n.9.l.9. & 11.* vitare. *leg.* vitari. *p.7.n.12.l.3.* vt in *leg.* & in. *p.14. n.53.l.2.* iudicat. *leg.* indicat. *p.16.n.63. l.2.* sine *leg.* siue. *p.24. n.123. l.7.* illa *leg.* vlla. *p.17.n.66. l.2.* חרשי רע *leg.* חושׁי רע *p.27.n.139. l.25.* voluntas est. *leg.* voluntas non esset. *p.27.n.142. l.penult.* in visione beat. *leg.* in amore beatifico. *p.28. n.2. l.6.* minus. *leg.* nimis. *p.54. col.1.l.3.* decet. *leg.* dent. *p.77. n.87. l.2.* præpararet. *leg.* præparet. *p.81.n.104. l. penult.* in 5. *leg.* in 3. *p.103.n.33. l.15.* verius. *leg.* verus. *p.127. n.10. l.28.* præmiorum. *leg.* mercedis. *p.134.n.47. l.13.* tenetur *leg.* teneretur. *p.137.n.63. l.7.* supernaturalia. *leg.* supernaturales. *p.149.n.125. l.23.* in loquendo. *dele* in. *p.149.n.126. l.2.* falsum. *leg.* falsam. *p.153.n.142.l.vlt.* requiratur. *leg.* requiritur. *p.155.n.152. l.2.* docet. *leg.* docent. *& l.3.* eligitur. *leg.* elicitur. *p. 157.l.3. à fine,* aliquid. *leg.* aliquod. *p.169. n.36.l.5.* consequentia. *leg.* consequentiæ. *p.196.73.l.1.* Improbabile. *leg.* Impossibile. *p.206.n.48.l.19.* diuina. *leg.* fide diuina. *p.206.n.49. l.3.* veritate. *leg.* vtilitate. *p.210. initio,l.3.* circa. *leg.* contra. *p.210.n.72.l.20.* tantùm *deleatur. p.218. l.5. ante n.22.* earum. *leg.* eorum. *p.224. n.57.l.12.* fidele. *leg.* fideles. *p.237.col.2. l.1.* actionem. *leg.* itionem. *p.239.n.74. l.27.* habitum. *adde* fidei. *p.242. n.10. l.8.* cur poterit. *leg.* cur non poterit. *p.264. l.1.* Iohan. 7. *leg.* Iohan. 17. *p.271. n.18. l.6.* sine. *leg.* siue. *p.272. num.189. l.2.* credere. *leg.* distinctè credere. *p.276. n.219. l.18.* materialiter. *leg.* mortaliter. *p.278. n.228. l.6. à fine.* non simpliciter. *leg.* non dici simpliciter. *p.280 n.237. l.8.* quia quis. *leg.* qua quis. *p.286.n.271. l.19.* sine. *leg.* siue. *p.295. n.46. l.7.* השׁתחוה *leg.* השׁתחוה *p.328.n.36.l.7.* cos. *leg.* eum. *p.337.n.85. l.20.* illa. *leg.* illi. *p.351. n.168. l.13.* in casibus. *leg.* in his casibus. *p.366. n.11. l.7.* amare. *leg.* amico. *p.407. n.120. l.4.* Idem. *leg.* Item. *p.415. n.17. l.21.* sequeretur. *leg.* sequerentur. *p.429.n.111. l.19.* menstruati. *leg.* menstruatæ. *p.445.n.50. l.12.* docent. *leg.* docet. *p.445.n.51.l.21.* vnus. *leg.* vnius. *p.449. n.71. l.11.* infundantur. *leg.* infundatur. *p.473. col.2.l.3.* ab. *leg.* ob. *p.448.n.66. l. 11.* ouibus. *leg.* amicis. *p.495. n.159. l.8.* Lucæ 12. *leg.* Marci 12. *p.505. col.2. l.3.* maiorem. *leg.* minorem *p.520.n.153. l.19.* Exodi 12. *leg.* Exodi 20. *p.541.n.69. l.42.* quandoquidem. *leg.* quoniam. *p.561. n.183.l.18* alteram. *leg.* alterum.


IHS

CONING
DE
ANGELSTEIN
BIBL.
PAD.



CONINCK
DE ACTIBUS
SUPERNAT.

Th
603a

UNIVERSITÄTS
BIBLIOTHEK
PADERBORN


DE
Actib. Superna
turalib. in gen.
D. IV.
14